Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

In Epistolam S. Pauli Apostoli ad Romanos, D. Petri Martyris Vermilii Florentini, Professoris diuinarum literarum in schola Tigurina, ... commentarii doctissimi,cum tractatione perutili rerum & locorum, qui ad eam epistolam pertinent ;

https://hdl.handle.net/1874/432031

IN EPISTOLAM S. PAVli Apostoli ad Romanos, D. Petri Martyris Vermilii Florentini, Professoris diuinarum literarum in schola Tigurina, commentarii doctissimi, cum tractatione perutili rerum & locorum, qui ad eam epistolam pertinent.

CVM DVOBVS LOCVPLETIBVS, LOCORVM SCIlicet, vtriusque Testamenti, & rerum & verborum indicibus.

Mihi uerò pro minimo est ut à uobis iudicer aut ab humano die.

Priori ad Corinthios cap. 4.

BASILEAE
APVD PETRVM PERNAM.
M. D. LVIII.



GENEROSO AC MAGNIFICO VIRO D. ANTONIO COKO ANGLO, EQVITI AVRATAE MILITIAE SPLENDIDISSIMO AC DOMINO SVO PLVRIBVS NOminibus obseruando, PETRVS MARTYR Vermilius Florentinus in Tigurina Schola diuinarum literarum Professor S. D.

VM ea omnia, quæ toto illo tempore acciderunt, quo in Anglia uixi, mecum sæpius reputo, Vir cùm pietate tum eruditione insignis, mœrore graui, atque multiplici afficior. Doleo cum primis tantam spem Euangelij IESV CHRISTI, ac purioris doctrinæ, à Deo optimo maximo tibi concessam, magnoq; labore industria, & studio piorum uirorum confirmatam, propemodum interijsse. Doleo illud sublime ingenium, sanctissimum pectus, & incredibilem pietatem Regis Eduardi Sexti eius nominis, alumni tui dulcissimi, tam repentè nobis ereptam. Doleo tot Anglos præclaros, & insignes uiros non minus pietate, quàm scientia, & nobilitate uoluntario exilio religionis ergò, per externas & peregrinas regiones dispergi, quiq; domi clarissimi erant, & heroibus accensendi, obscuros, abiectos, & ferè omnibus ignotos oberrare. Sed bene habet, quando illis hoc non ob perpetrata facinora, nel turpem uitam, sed tantùm propter nomen, & doctrinam domini nostri Iesu Christi euenunt. Doleo item numerosam turbam piorum fratrum, ut nobis profectò crebrò nimis undique significatur, ferro, ignibus, & flammis, ob sanctam professionem crudelissimè tradi: quos, cum sint fratres, idemq; nobiscum caput habeant Iesum Christum, sintq; membra eiusdem corporis, & denique uiscera nostra, quando audimus tanta sæuitia, & immanitate accipi, fieri non potest, quin ipsi & horreamus, & uramur animo, pro eo ac illi corpore, torquentur, & trucidantur. Hæc & multò plura, cum tam multùm doleam, ut ad nouum dolorem propemodum obduruerim, non desino tamen huc & illuc respicere, ut alicunde salubris, utilisq; remedij quippiam, & mihi, & meis similibus comparem: sed humanam opẽ, subsidiumq; à mundo, iam à multis annis experior frustrà speraui. Et idcirco tam mihi ipsi, quàm alijs author sum, ut animos à carnis præsidijs ad cœleste, diuinũq; auxilium implorandum traducamus. quod sanè uideo nobis duplex offerri. Vnum, ut ad Christum precibus cõuersi dicamus: Vsq; quo domine scelus, & furor, idololatriæ, superstitionũ, & ignorantiæ scripturarum, in terris grassabitur? Vsquequo domine sanctum Euangelium tuum erit in conculcationem? Nos quidem peccauimus, rebelles tibi fuimus, & uerba tua non audiuimus, qua de causa, iure, maloq; nostro merito, ita confusione ac pudore quotidie afficimur, Tu uerò domine, deus noster, in omnibus operibus tuis iustissimus es. At uicissim cum tuæ clementiæ sit, atque constantiæ, misereri, parcere, tuaq; pacta, & promissiones quàm optima fide seruare, Vsquequo domine? usque quo irasceris in finem? Non memineris iniquitatum nostrarum antiquarum. Petimus itaque ut cum postremis ijs temporibus, diffusa luce uberrima, eaq; potentissima, sis dignatus arcana tuæ ueritatis hominibus, qui iacebant in tenebris plus quàm cimerijs patefacere, tandem aliquando auertas iram tuam, & furorem ab ingratis animis nostris, grauissimisq; culpis, quibus nomen tuum sanctissimum, & puram doctrinam quam profitemur, maledictis, atque blasphemijs exposuimus. Et uindica tuum cœtum à contumelijs, & oppressionibus iniquorum, quæ porrò non in nos tantùm, sed etiam in Maiestatem tui nominis recidunt. Licet ipse natura tua sis ἄτρωτος, καὶ ἄξιος βελῶν. Faciem tuam rogamus, Christe optime maxime, super ecclesiam sanguine tuo redemptam illustra, quæ tantùm non funditus desolata est. Tu unius, non autem cuiuspiam alterius nomen inuocamus,

non utique ullius nostræ iustitiæ fiducia, sed tua solùm bonitate, ac misericordia freti, ut uel malorum finem, modumue facias, ac uexationem qua nos unà cum fratribus premimur lenias, uel saltem cordibus tuorum eam largiaris fidem, atque constantiam, ut à professione ueræ pietatis non deficiant, imò se adeo generosè, ac fortiter gerant, ut ipsorum exilio, carcere, paupertate, ignominia, ferro, ignibus, & quantumuis crudeli mortis genere, tui sancti Euangelij uiuifica notitia, toti orbi, magis magisq; indies colluceat, atque resplendeat. Hoc uir præstantissime, auxilij, ac remedij genus prius est, quod nostris malis diuinitus petendum uideo, quodq; sancti Patres, Prophetæ, Apostoli, & beati confessores Christianæ fidei, magno cum fructu in suis afflictionibus usurparunt. Unde cum Deus illos ad hunc modum, aut consimilem orantes audiuerit, quin & ipsi audiendi simus, diffidendum nequaquam est, cum & causam, & Deum communem cum illis habeamus. Profecto, non, si eos audiuit, nostras preces aspernabitur. sed quia sui perpetuò similis est, si preces illorum benignissimè, incredibiliq; facilitate admisit, nos quoque supplices suos, non angusta, sed plenissima consolatione afficiet. Posterius uerò præsidium, quod nobis diuinitus item defertur, passimq; fit obuium, diuinæ literæ sunt, quas ut nostram panacē semper ad manus habere oportet. Nam si laboramus ignorantia, ibi lux est qua discutiatur: si uarijs perturbationib. morbidisq; animi affectibus cōmouemur, nec non peccatorū grauissimorū conscientia diuexamur, ibi remedia & facilia & expedita occurrunt: si rerum externarum premimur, & tantùm non opprimimur angustia & molestijs, ibi solida est, & firma consolatio: si hæremus interdum, & sumus perplexi, nescietes in rebus ambiguis, quò nos uertamus, non alibi melius, quàm ibi consilium bonum, et fidele reperiemus: si tentamur, et de salute (quemadmodum sæpe fit) periclitamur, ibi munitissimum, atque certissimum propugnaculū habemus. Et sanè posterior noster Dauid, non aliunde, quàm ex illa pera, leuissimos lapides uerborum Dei extraxit, quibus frontem Goliathis percuteret, & satanan à quo in deserto tentabatur prosterneret. Unde prior Dauid non immeritò canebat, se mirabilia de lege, id est, de scripturis diuinis considerare, atque in corde abscondisse Dei eloquium, ut illi non peccaret, & eam in afflictione suam consolationem profitebatur, quod eloquium Dei se uiuificaret. Quid quæris? hinc fontes dimanant Seruatoris, ad quos gratis hauriendos omnes inuitamur, unde nostra sitis intolerabilis restinguatur, & summo desiderio beatitudinis potiundæ satisfiat. Hîc penum Dei refertissimum omnium bonorum copia, & apertum, & expositum nacti sumus, inde licet cuique suæ prospicere indigentiæ. Hîc mensa instructissima est apposita, ubi Dei sapientia nobis uinum suauissimum miscuit, quo se quisque liberalissimè reficiat. Hîc hortus, & paradisus, plus quam Alcinoi & Salomonis cuique aperitur. Quare decerpamus inde utilia, non pernitiosa, & potius apes quàm araneos imitemur, sugendo liquorem dulcissimum, non lætiferum uenenum. Libros à mortalibus aliqua productos industria, solemus incredibili studio complecti, unde tamen nil aliud, quàm aut tuendæ, uel recuperandæ ualetudinis rationem, aut rei familiaris augendæ uiam, aut administrandæ reipublicæ præceptiones, aut agriculturæ, uel cæterorum artificiorum instituta, aut uoluptatum aliquod lenocinium consequimur: quantò magis librorum sacrorum conducit lectioni toto pectore studere? siquidem ibi non humanam sapientiam audimus, sed ipsum Deum nobis loquentem coram habemus, cui sanè auscultando, animi singularem alacritatem percipiemus: tristes cogitationes effugabimus, consolatione dulcissima leuabimur, inauditum, ac supra hominem robur induemus, nil iam putabimus arduum uel difficile, iugum domini, ac eius crucem leuia existimabimus, offerremusq; nos paratissimos pro eius nomine ad quiduis ferendum, quin & cœlesti eloquentia instructi, nequaquam uerbis hominum, sed ipsius Dei, cum hominibus loquemur. Equidem scio multos esse qui hæc non credant, et non paucos qui ea rideant, nosq; insanire arbitrentur: sed istos rogatos uelim, ne ipsos pigeat aliquando periculum facere, quæso non dedignentur legere. Male mihi sit, ita enim in tanta causa iurare ausim, nisi tandem capiantur. Sentient deniq;, quantum diuina hæc ab humanis distent. Sentient inquam attentè ac fideliter legendo, sibi quandoque à diuina misericordia in

corde

corde flagella timoris, & pudoris ingeminari: sentient efficaciter persuaderi, ut aliquando tandem morti moriantur, ut uitæ uiuant: sentient item peccatorum, & præteritarum uoluptatum horrore se concuti, cum in illis antea se beatos, & felices putarent: sentient sibi congeri ante oculos totam carnalis uitæ miseriam, cuius amaro sensu discruciatis, oborietur in oculis, procella ingens, largusq; hymber lachrymarũ, non enim diuina oracula dum seriò leguntur, & pressius considerantur, leuiter animum uellicãt, sed cor stimulis præacutis altissimè fodiunt, & illinc aueruncatis quodammodo uitijs, & sceleribus, loco eorum conscientiæ pacem, ac spirituale gaudium inserunt: sentient ad extremum in se diuinæ suauitatis, ac bonitatis admirabiles & suauissimos amores accendi. Quapropter in diuersum commutati, dicere cogentur quod præclarè Dauid cecinit: Quam dulcia facta sunt fauci meæ eloquia tua, fuerunt præ melle dulcia ori meo. At huiuscemodi adiumento, quo nil diuinius, aut salubrius inueniri potest, ij priuantur homines, qui aut nolunt Dei libros omnino legere, aut fastidio, nausea, & contemptione quadam legunt, unde uerbo Dei non afficiuntur, sed proprijs consilijs in diuersa omnino auferuntur. Cuius impietatis, ac sceleris Deus apud Hoseam Prophetam capite octauo, Israelem grauiter accusat, dicens: Scripsi ei magnalia legis meæ, sed reputata sunt ceu quid alienum. Certè degeneres admodum sunt ij filij, qui uocem qua parens eorum clementissimus illos ad benè, beateq; uiuendum arcessit, eam habent pro aliena: & è diuerso, quæ uera est aliena, eam ut suam & propriam consectantur. & ita fit, ut more scarabeorum, eos uideas πύρου ἀπολιπεῖν, καὶ τὰ δυσώδη διώκειν. Unde non mirum est, si marcescant in cœno mundanarum uoluptatum, ut antur indignis & turpibus curis, in rebus aduersis desperent, ac in peccatis, & uita undique contaminata denique pereant. Ad summam de sacris literis, illud parum licet inuersum, pronuntiare libet, quod affirmauit Demosthenes de pecunijs, δεῖ δὲ τὸν λόγον θεῖναι καὶ ἄμεινον τοῦτο ἢ δεινὸν γενέσθαι τῶν δεόντων. Sed quid ago, an ingredior ad encomia, & ad laudes diuinarum literarum explicandas? Non sanè hoc meum est institutum, sed permultis rebus commemoratis, quæ mihi dolorem & faciunt, & augent, remedia quæ illi animaduerti data esse diuinitus, adieci, sacras inquam preces, & sacrorum librorum lectionem. Hæc ut arma sunt Christianorum, ijs præsertim eorum temporibus, ita Magnifice uir, ac Generose domine, ut de ijs ipse à me pluribus commonefieres non erat necesse, cum me non lateat, quæ tua pietas est, & eruditio, quàm in utroque istarum actionum genere paratus, ac exercitatus euaseris. Uidebor itaque fortasis id potius ostendere debuisse, quemadmodum ijs tam insignibus adminiculis, ad hanc ætatem usq; sis adiutus, nec solùm te ipsum inde sustentes, uerùm indies melior, sapientior, & robustior te ipso euadas. Hoc tamen ut ne faciam, id me deterret, quòd auribus tuis parcere statuerim, scio enim ut laudes tuas perinuitus audias. Nec sanè operæpretium est uirtutes tuas præsertim huius generis indicare, cum satis bene multis cognitum & perceptum sit, citra huiuscemodi præsidia te ad eam arcem, quam nunc obtines Christianæ probitatis, diuinarum & humanarum rerum scientiæ, sanctæ conuersationis, & egregiæ fortitudinis, ac perseuerantiæ in confessione ueræ fidei, non ualuisse pertingere. Quid igitur ista scripsi? ut de ijs te alloquendo, alios qui hæc lecturi sunt, instituerem, docerem, & consolarer, & hominem unà ostenderem, qui subsidijs iam expositis assiduè utendo, & Deo gratissimas hostias offerat, & sese in domino consoletur, ac roboret, nec non alijs rei benegerendæ in religione Christi, pura, & sincera, exemplum singulare præbeat. Ego sanè à tempore quo in Anglia uixi usque, amaui te plurimum, atque obseruantia non uulgari sum prosequutus, cum propter insignem pietatem & eruditionem, tum propter munus insigne, quod reipublicæ Christianæ fideliter ac egregiè obibas, instituendo Eduardo sanctissimo, ac mirificè amabili Rege, cuius ingenium, probitas, religio, cæteraq; uirtutes heroicæ, imò Christianæ, attingi quidem possunt, laudari uerò pro dignitate nequeunt. Quamobrem cum in eo regno atque in eo munere, te amare uir generosissimè ac obseruare cœpissem, & mihi à Deo, qua est in rebus suorum gubernandis, & administrandis, prouidentia singulari, datum postèa fuerit, ut in Germania te rursus uiderim, ac eundem,

quàm prius fueras, agnouerim, ita sum affectus, ut nunc te amare, antea dilexisse mihi uidear. Quare mecum sæpius cogitaui, ut aliqua in re si fieri posset, aliquando significarem, ac testarer, & quanti uirtutes tuas facerem, & quàm grato essem erga te animo, propter beneficia quæ in me nonnunquam contulisti: uerùm aliquandiu nulla se occasio mihi obtulit. Veni postea Tigurum, sed à meo illo abs te discessu, eadem cogitatio nunquam à me discessit. Imò semper existimaui, mihi aliquando tuo nomini dependendum, quod ei te inscio, in animo meo spoponderam. Idcirco nunc edituru meos commẽtarios in epistolam Pauli ad Romanos, decreui ut sub tui nominis tutela exirent: mihiq; persuadeo id te boni consulturum. Quamuis prima fronte non poteris non mirari, atque fortassis ægre ferre, nam & quæ non expectantur, ac de improuiso accidunt, solent esse admirationi. Et munus leue, quodq; potius oneri, quàm honori cedat, ut ingratum offerri uidemus. Proinde audaciæ meæ, quam alij, nescio an temeritatem sint uocaturi, te ut ignoscas, etiam atque etiam peto. Et quod mecum te inscio cogitaui, à spiritu Dei corda nostra gubernante profectum existimes, librumq; tibi à me dedicatum ea fronte accipias, qua tuus ille magnus, ac dulcissimus alumnus, Eduardus Rex Angliæ, alteros meos commentarios in priorem epistolam ad Corinthios olim accepit: cogitesq; ista qualicunque dedicatione, te præceptorem insignem, cum Illustrissimo discipulo me uoluisse coniungere. Certè regis auspicijs, ea quæ hîc leges, Oxonij postremo eius tempore docui, cumq; à me non peteretur tantum, sed efflagitaretur, ut opus extaret, acquieui. Sed intelligens Anglo cupiam προσφώνησιν deberi, tu uisus es, cui, nomine defuncti regis, daretur. Quare uehementer cupio, ut quod feci, non in malam, sed in bonam partem accipias, nec me uoluisse te onerare, aut grauare arbitreris, sed potius cum tuo, meoq; rege quoquo modo copulare, ac tuis meritis, tum erga pietatẽ, tum erga me ipsum, aliqua ex parte respondere. Scio sanè quæ hîc à me docentur, non redditura te multò, aut doctiorem aut meliorem: nam illa prius & nosti, et pro conditione huius carnis moribus, ac uita exprimis. At quia non omnes ita profecerunt. Deum patrem domini nostri Iesu Christi, oro, & obsecro, ut quæ sub nomine morduntur, saltem alijs, cum ipse parum opus habeas, usui sint, expectatoq; fructu minimè fraudentur. Quippe magnoperè cupio ecclesiæ Christi mea hæc inseruire: cupio Euangelium filij Dei confirmare, amplificare, ac illustrare: cupio infirmos in fide constabilire, atque minus eruditos dilucidius instruere. Quæ ut assequar, abs te maiorem in modum peto, ut uotis, precibusq; tuis fidelissimis à Deo impetres. cæterùm subuereor, ne tu, uel quispiam alius roget: Quid oportuit hoc tempore in huius epistolæ interpretatione ita laborare? an expositores cum ueteres, tum nouos opinabaris deesse? Illos porrò non ignorasti, quandoquidem Patres, tum Græcos tum Latinos in commentario crebrò satis adducis. nec recentiores uidisse potes dissimulare: nam illorum alicubi uestigia, ita sequeris, & premis, ut eos quodammodo in tuis legi scriptis non obscurè appareat. Adhæc ego id primum respondeo, me iam inde ab initio, non hanc prouinciam suscepisse, ut in istam epistolam expositionem conscriberem, siquidem probè sciebam Patres, cum Græcos tum Latinos hac in harena sese magno cum labore ac fructu exercuisse. Nec ignorabam ex neotericis idem feciisse. Primùm Philippum Melanchthonem, uirum eximium, qui eleganter & exquisita methodo non semel hanc epistolam explanauit. Postea Martinum Bucerum, non tantùm summa pietate, ac eruditione incomparabili præditum, uerùm quo ad uixit, mecum amicitia dulcissimâ copulatum, in hanc eandem copiosum, & doctum commentarium edidisse. Legeramq; duo alia ecclesiæ fulgentissima lumina, Bulyngerum, inquam, & Caluinum: Alterum ecclesiæ Tigurinæ, Alterum uerò Geneuensis, fidelissimos pastores, quorum uterque magno Christi gregis bono, doctissimos, & eruditissimos commentarios in omnes Apostolicas epistolas elaborauit: sed, horum omnium laudes ac uirtutes colligere atque celebrare non est huius loci. Norámque alios, & quidem non paucos extitisse, quorum eruditæ lucubrationes in hanc Pauli epistolam prodierint: eaq; de causa non erat, uti dixi, quod ego nouæ interpretationis cudendæ laborem susciperem, cum ab alijs in hoc docendi genere iam satis superq; factum esset. Cæterùm ita res habuit, cum in

Anglia,

Anglia, Euangelio reuiuiscente, Oxonij mihi docendum esset, epistolam priorem ad Corinthios, nec non hanc ad Romanos publicè sum interpretatus, mihiq; (ut fit) interpretamenta quotidiana priuatim colligebam, quæ postea efflagitatione aliorum sum coactus edere, atq; omnibus communia facere, quæ uel mihi uni, uel pauculis amicis annotaueram. Quod itaque à me non isto consilio, sed longè diuerso susceptum est, Deus ante omnia, deinde hominum preces huc deduxerunt, nimirum ut commentarij euaderent, qui ut schedæ familiares essent, ac priuatæ, ab initio destinabantur. Nec eorum quæ conscripsi omnium, profiteor me unum, authorem ac inuentorem extitisse. Siquidem à ueteribus cum primis, deinde non minus à recentioribus quos antea commemoraui, sum in multis egregiè adiutus, quibus tamen in scribendo si non fui per omnia & in omnibus ὁμόλογος, id aut prauo animi affectu, aut libidine contradicendi, aut cupiditate cuiuspiam insectandi, non feci, sed quod mihi de quibusdam rebus aliter atque ipsis uideretur: quod non dubito cum bono animo factũ sit, in bonam quoque partem accipiendum, cum hac de causa non soluatur ecclesiæ unitas, nec de mea beneuolentia, & obseruantia in eos quicquam ob id sit detractum uel imminutum. Secundo loco ad hanc meam tuendam editionem id facere arbitror, quod tanta diuinarum literarum sit fœcunditas, ut à nemine quantumuis fuerit sapiens, eruditus, acutus, & industrius tota possit exhauriri. Quamobrem uehementer optandum esset, ut omnes prophetarent, quo in mensæ illæ diuitiæ, quæ in fodinis uerbi Dei, atque in abditis librorum sacrorum uenis, adhuc sunt reconditæ, magno studio effodiantur. Quod ego quemadmodum pro uiribus facere sum conatus, ita filium Dei precor, ut alij succedant, qui longè purgatius, quàm meum sit, aurum & argentum eruant, quo super Christo, nostræ fidei unico fundameto, ad ecclesiæ utilitatem, perfectissima doctrina ædificetur. Nunc restaret, ut de istius epistolæ dignitate, commodis, & instituto, aliqua dicerẽ: sed hac opera nunc supersedendum censeo, partim quòd hæc fermè omnibus nota sint, partim quòd in præfatione, quantum satis uisum est, ea de re, ac de nonnullis alijs ad eam spectantibus dixerim. Quapropter ijs nunc omissis, hoc abs te, generosè, atque illustris eques, rursus peto & obsecro, ut meum leue munusculum, ut certissimum pignus meæ in te charitatis, & obseruantiæ accipias, nec molestè feras, quod te id non expectantem προσφωνήσει mea interpellarim. Vale ac domino nostro Iesu Christo Dei filio, atque hominum redemptori, uti facis, feliciter uiuito. Datum in meo musæo Tiguri Kalendis Augusti

1 5 5 8.

LOCI VETERIS ET NOVI TESTAMENTI IN HIS COMMENTARIIS EXPLICATI.

EX GENESI

NVnc os ex ossibus meis. 5
Descendam & videbo nũ ita se habeat 72
In semine tuo benedicentur omnes gentes 91
Et ipse erit expectatio gentium 91
Erisq; pater multarum gentium 97
Credidit Abraham Deo & imputauit ei iustitiam 98
Quia fecisti rem hanc, semẽ tuum augebitur 100.567
Quod erit signũ fœderis inter me & vos 100
Figmentum humani cordis malũ est ab adolescentia 169
Faciamus hominem ad imaginẽ & similitudinem nostram 172
Cunctis diebus terræ sementis & messis frigus & æstas 305
Pœnitet me fecisse hominem 511
Benedicam benedicentibus tibi 559
Et semen eius conteret caput tuum 566
Nunc cognoui quòd timeas Deũ. 567

EX EXODO

REcordare Abraã & Isaac & Israel seruorum tuorũ 55
Faciens misericordiam in millia diligentibus me 55
Ego sum Deus Abraã, Deus Isaac Deus Iacob 91
Non concupisces 172.229.290
In tertiam & quartam generationem eorum qui oderũt me 184
Dele me de libro quem scripsisti 336
Si quis peccauerit delebo eum de libro meo 360
Posteriora mea videbis, faciem autem meã videre nõ poteris 366

DEVTERONOMIO.

DIliges dominum Deum tuum ex toto corde 31
Aras destruetis, lucos, statuas 43
Deus circuncidet cor tuum vt eũ diligas 113
Circuncides præputium cordis tui 115

IOSVE.

NOn potestis Deo seruire 2
Roborauit Deus corda gẽtium infidelium 36

REGVM I.

NOn est hic quem elegi 422

REGVM II.

ET incitauit Dauidem vt diceret ad Ioab, vade numera 36

REGVM III.

ECce dedit dominus spiritum mendacij 36
Non est homo qui non peccet 221
Non in igne dominus, & post ignem sibilus auræ tenuis 470
Nónne vidisti humiliatum Achab coram me 536

PARALIPOMENON I.

ET non præparauit cor suum vt quęreret dominum 536

PARALIPOMENON II.

QVoniam à Deo erat vt traderetur in manu eius 36

IOB

QVis potest facere mundũ de immundo conceptum semine 180
Scio quòd redemptor meus viuit 532

PSALM.

FEcerunt vitulum in Oreb 33
Qui plantauit nónne audiet 29
Tradidi eum in prauitatem cordis sui 35
Si Testamentum meum prophanauerint 55
Omnis homo mendax 67
Tibi soli peccaui 68
Vt iustificeris in sermonibus tuis 72
Sepulchrum apertum est guttur eorum 73
Venenum aspidum sub labijs eorum 73
Beati quorum tecta sunt peccata 101.543.544
Et in spiritu eius non est dolus 101
Beati immaculati qui ambulant in lege domini 102
Sperantes in misericordia eius 138
Ecce in iniquitatibus conceptus 180
Cœli enarrant gloriam Dei 462
Vertatur mensa eorum in laqueum 482
Desiderium pauperum exaudiuit dominus 536
Vide humilitatem meam & laborem meum 538
Conuertere anima mea in requiem tuam 544
Erue me in iustitia tua 545
Misericordia domini à seculo vsque in seculum 561
Ego vt olea viridis in domo domini 497

PROVERBIIS

EGo diligentes me diligo 419
Ego quoque in interitu vestro ridebo 424
Hominis est animam præparare & Domini gubernare linguam 536

SAPIENTIA

DEus non lætatur in perditione viuentium 424

ECCLESIAST.

OMnis misericordia faciet locum vnicuique secundum meritum operum suorum 222
Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio 385

ESAIA

QVare nos errare fecisti 36
Iudicate domus Israel inter me & vineam meam 62

Iugi-

Iugiter tota die nomen meum blasphematur 62
Videbit semen longinquum 162
Incrassa cor populi huius ne intelligat 380
Tu pater noster es nos autem lutum 388
Ecce ego fundo in Zion lapidem probationis 403
Tota die expandi manus meas ad populum non credentem 433. 466
Languores nostros ipse tulit 456
Ecce ego ad gentem quæ non inuocabat nomen meum 466
Vsquequo domine, vsque ad vastitatem 476
Audite audiendo & ne intelligetis 476
Iustificabit seruus meus multos & iniquitates eorum portabit 553
Ad quem respiciam nisi ad pauperculum contritum corde 563
Cœlum mihi sedes & terra scabellum pedum meorum 563
Egredietur virga de radice Iesse 495.499

IEREMIA

NAbucdnazar seruus domini 2
Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ 31
Patres nostri comederunt vuas acerbas 182
Non est hominis via eius nec viri vt dirigat gressus suos 248
Si mater potest filiorum obliuisci, ego tui non obliuiscar 433
Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo quod sum loquutus ad uersus eam agam & ego pœnitentiam 437
Non secundum pactum quod pepigi cum patribus vestris 510
Conuerte nos domine & conuertemur 547

EZECHIELE

SI Propheta seductus fuerit ego seduxi eum 36
Noe, Daniel, & Iob, ipsi iustitia sua liberabunt animas suas 56
Ecce populus Dei isti. 62
Nolo mortem peccatoris 88. 424 477
Filius nô portabit iniquitatem patris 182
Si impius egerit pœnitentiam de omnibus iniquitatibus suis 567

DANIELE

ELeemosynis redime peccata tua 339

OSEA

VAde sume tibi vxorem fornicationum 395
Non populus meus vos, ibi vocabuntur filij Dei 395.396
Vocabis me vir mi, non autem marite mi 471

IOELE

OMnis qui inuocauerit nomẽ domini saluus erit 91. 454

AMOS

SVper tribus sceleribus Damasci & super quartum non conuertam 184

NAHVM

IPse consummationem faciet: neque consurget altera vice tribulatio 50.181.182

HABACVC

IVstus ex fide viuet 23.24. 25

ZACHARIA

CConuertimini ad me & ego conuertar ad vos 547

MALACHIA

IAcob dilexi, Esau autem odio habui 352

MATTHÆO

SErua me alioqui pereo 16
Ego sum Deus Abraam Deus Isaac Deus Iacob 91
Vsque ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ 130.467
Beatus es Simon Bariona quia caro & sanguis non reuelauit tibi 174
Venite benedicti patris mei percipite regnum 270
Cœlum & terra transibunt verba autem mea non præteribunt 305.435
Quæcunq; volueritis vt faciãt vobis homines sic & vos facite illis 337
Qui quærit inuenit & pulsanti aperietur 400
Nemo nouit patrem nisi filius & cui voluerit filius reuelare 428
Languores nostros ipse tulit 456
Habenti dabitur, & qui non habet, quod habet auferetur ab eo 478
Quare per parabolas loqueris illis 478
Remitte nobis debita nostra sicut & nos remittimus 538
Quoties volui congregare filios tuos sicut gallina pullos suos 432
Petite & accipietis, quærite & inuenietis 540
Quicquid petieritis credentes dabitur vobis 540
Venite ad me omnes qui laboratis, &c. 562

MARCO

QVi crediderit & baptizatus fuerit saluus erit 91
Euntes prædicate Euangelium 540
Non procul es à regno Dei 444

LVCA

NE nos inducas in tentationem 36
Cum feceritis hæc omnia dicite serui inutiles sumus 52
Edatis & bibatis super mensam meam 120.121
Hoc est corpus meum 227
Dimissa sunt ei peccata multa qa dilexit multum 478. 540. 552
Date eleemosynam & omnia mũda sunt vobis 540
Beatus seruus ille quem cum venerit Dominus inuenerit sic facientem 542
Exi in vias & sepes & compelle intrare 507
Ecce do vobis potestatem calcandi super serpentes 642
Quia respexit humilitatem ancillæ suæ 422

IOANNE

VEri adoratores adorabunt patrem spiritu 11.12
Qui credit in filium habet vitam æternam 26.552
Qui vestrûm sine peccato est 48
Iam vos mundi estis propter sermonem meum 108
Accepimus gratiam pro gratia 158.219.544
Neque hic peccauit, neque parentes 184
Pauperes semper habebitis vobiscum 279
Ecce vobiscum sum vsq; ad consummationem seculi 279
Panis quem ego dabo caro mea est 282

Dedit eis potestatem filios Dei fieri 288.539
Vt impleretur sermo quod dictũ est 459
Mandatum nouum do vobis 398
Quos dedit mihi pater nemo potest rapere 435
Mundus vos odisse non potest 480
Omnia per ipsum facta sunt 507
Hæc est vita æterna vt cognoscant te verum Deum & quem misisti Iesum Christum 552
Si quis diligit me mandata mea seruabit 560
Hoc est opus Dei vt credatis in eum quem misit ille 573
Quomodo potestis credere cùm gloriam quæratis ab hominibus 556
Accipite spiritum sanctum 509
Nonne duodecim horæ sunt diei 594

ACTIS APOSTOLORVM

Ecce donauit tibi Deus omnes qui nauigant tecum 55
Fide purificans corda illorum 553
Pœnitemini & baptizetur vnusquisque vestrûm 512
Oportet impleri scripturas 435

I. CORINTHIOR.

Templum Dei sanctum 7. 279
Omnes eandem escam spiritualẽ comedebant 110. 282
Omnes in nube & in mari baptizati sunt 110
Bibebant de spirituali consequente eos petra 110.285
Filij vestri sancti sunt 185
Telum peccati mors 192
Petra est Christus 279
Si habuero omnem fidem ita vt montes transferam 519.532.553 555
Diuidens peculiariter vnicuique sicuti vult 589
Qui stat videat ne cadat 501
Vocatis verò Iudæis & Gentibus Christum Dei virtutem 420
Castigo corpus meum & in seruitutem redigo 437

II. CORINTH.

Non in tabulis lapideis sed in tabulis carneis 56
Quantam in vobis genuit solicitudinem, imò satisfactionem imò indignationem 88
Itaque nos posthac neminem nouimus secundum carnem 339
Fide statis 550
Deus huius seculi excæcauit mentes infidelium 38. 474

GALAT.

Vbi placuit ei qui me segregauit 3
Hominis licet testamentum tamen si sit comprobatum nemo reijcit, aut addit aliquid 83. 561
Maledictus qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis 122
Vtinam excindantur qui vos conturbant 486
Cõclusit scriptura omnia sub peccatum 514
Finis legis est Christus 543
Lex pędagogus est noster ad Christum 551
Ex lege nemo iustificatur apud Deum 579
Hoc ex operibus legis facit an ex auditu fidei 551
Considerans te ipsum ne & tu tenteris 501

EPHES.

Fuimus & nos natura filij iræ sicut & cæteri 140.167
Gratia seruati estis per fidem idq; non ex vobis 205.544
Qui prędestinauit nos secundum propositum 316
Per quem habemus accessum per fidem 520
Non ex operibus ne quis glorietur 530

PHILIPP.

Formam serui accipiens 2
Nos sumus circuncisio 66. 115
Quin etiam arbitror omnia damnum esse 220
Cum timore & tremore vestram operemini salutem 541

COLOSSEN.

Nos in Christo circuncisos, per ablationem peccatorum carnis 110
In quo circuncisi estis circuncisione non manu facta 115
Mortificate membra vestra quæ sunt super terram 582

THESSALON.

Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra 379

I TIMOTH.

Misericordiã cõsecutus qd ignorans feci 3 4
Deposicum seruã 79.213
Lex iusto non est posita 379.514
Deus vult omnes homines saluos fieri 433
Qui est seruator omnium hominum 492
Qui bene ministrauerint gradũ sibi bonum acquirunt 591 615
Tu verò homo Dei

II. TIMOTH.

Cui seruio à maioribus cum pura conscientia 11. 236
Omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est 130
Scio cui credidi & certus sum 137 220
Bonum certamen certaui
Qui purgarit se ipsum erit vas in honorem 359. 415
Himeneus & Alexander qui naufragium fecerunt à fide 571

TIT.

Confitentur se nosse Deum factis autem negant 559

HEBR.

Apostolum & Pontificem confessionis nostræ Iesum Christum 3
Talibus hostijs promeretur Deus 222
Impossibile est eos qui semel illuminati fuerint 376
Fides est substantia rerum sperandarum 518.560
Sancti per fidem vicerunt regna 552.558

IACOBI

Deus intentator malorũ 38
Ex factis iustificatur homo & non ex fide tantùm 92
Abraam pater noster nonne ex factis iustificatus est 100
Patientia opus perfectum habet 137 597
Nemo cùm tentatur dicat se tentari à Deo 378
Accedentem ad Deum oportet credere 563

I. PETRI

In potentia Dei custodimini ad salutem per fidem 552
Cum semel expectabatur Dei enitas in diebus Noe 566
Charitas operit multitudinẽ peccatorum 568

Sub-

Subditi estote propter dominum 603

IOANNIS

A Duocatum habemus apud patrem Iesum Christum 87
Tres sunt qui testimonium dant in terra spiritus, aqua, & sanguis 107.203
Qui natus est ex Deo non peccat 207
Perfecta charitas foras mittit timorem 292.539
In hoc est perfecta charitas nobiscum, vt fiduciam habeamus 539
Omnis qui credit Iesum esse Christum ex Deo natus est 552
Hæc est victoria quæ vincit mundum fides nostra 552

IVDEA

SEptimus ab Adam Enoch dicens Ecce venit Dominus 569

APOCALYPSIS

ET regnabunt cum illo mille annis 120. 121. 306
Tene quod habes ne alter coronã tuam accipiat 489
Donec ponat inimicos sub pedibus 507
Ego sto ad ostium & pulso 541
Vindica sanguinem nostrum de terra 486

ERRATA

Pagina. 8. *uersu* 52. *scribe* יחוח *pag.* 11. *uersu* 53. *scribe* שחח *Et in eodem uersu* ישתחוו *pag. eadem uersu sequenti scribe* השתחויה & השתחויות *pag.* 22. *uersu* 25. *scribe* משפט & צדק *pag. eadem uersu* 26. *scribe* צדק *pag.* 24. *uersu* 20. חנח עפלח לא ישרח נפשר בר רצדיק באמיגתר יחיח *pag.* 37. *uersu* 3. *scribe* יצר חרע *pag.* 67 *uersu* 52. *scribe* בשפטך *pag.* 80. *uersu* 2. *scribe* צדק *pag.* 125. *uersu ibid. scribe* בנגדר *pag.* 254. *uersu* 52. *scribe* יחוח *pag.* 273. *uersu* 14. אם תשים אשם נפשר *pag.* 313. *uersu* 7. *scribe* ורחמיך *pag.* 322. *uersu* 56. *scribe* תצדיק *pag.* 366. *uersu* 46. & 47. *scribe* ורחמתי אתאשר אחן, ורחמתי את אשר ארחם *pag.* 372. *uersu.* 35. *scribe* אעבר *pagin.* 373. *uersu* 2. קשח חבביר *pag.* 395. *uersu* 50. עמי עמי אהח *Ibidem uersu* 52. בבוקים *pag.* 397. *uersu* 26. & 27. *scribe* בי אם יחיח עבד ישראל בחול חים שאר ישוב ברבליון חרוץ שרשך צדסח, בבלח רגחרצה ארגי ארץ *pag.* 482. *uersu* 42. *scribe* יחוח צבארת עשה בקרב בלח ארץ *pag.* 66. *uersu* 27. *scribe* לא סרא *pag.* 475. *uersu* 54. *scribe* שיעים *pag.* 510. *uersu* 45. *scribe* יהי *pag.* 505. *uersu* 46. *scribe* למסמר *pag.* 508. *uersu* 21. *scribe* לשבי & *postea* גאם *pag.* 515. *uersu* 10. *scribe* רוח יחוח *pag.* 519. *uersu* 29. *scribe* אמגים *pag.* 525. *uersu* 45. *scribe* בריח

PRAEFATIO IN QVA DIGNITAS, VTILITAS, ET SVMMA EPISTOLAE AD ROMANOS, ATQVE ADEO TOTIVS Paulinæ doctrinæ demonstratur.

SI LIBRI dignitas penderet ex laude scriptoris, tum Chrysostomus, tum alij permulti nauassent operam necessariam, qui Paulum admirandis laudibus celebrarunt. Sed quoniam Spiritus sanctus est author huius epistolæ ad Romanos, & Paulus duntaxat scriptor, idcirco laudes eius parcius attingam. Dominus appellauit eum vas, quòd Hebraica phrasi est organum, siue instrumẽtum electum, quo ipsius nomen per vniuersum orbem circunferretur. Nomen autem Domini scimus esse Iesum Christum: neque Paulus tantùm has literas, aut verba, aut sonos inter gentes prædicauit, sed etiam ea, quæ per hæc significantur: nempe Iesum Christum esse seuatorem humani generis, sapientiam, iustitiam, & sanctificationem nostram, ac tandem omne bonum. Cumque simus ipsi gentium stirps, eum potissimùm audiamus oportet, qui gentium magister & Apostolus præ cæteris est designatus, atque separatus ad hoc ex vtero matris. Vtque strenui milites, & equi bellicosi, quando suam ipsorum tubam audiunt, suscitant sese, arma expediunt, nec eorum impetus cohiberi potest: ita nos debemus, quum recitatur Paulus, vel dum eum per nos ipsos legimus, erigere animos, omnesque motus, conatus & appetitiones nostras ad obsequium Dei, vt qui sentiamus nos incitari nostra ipsorum tuba. Ad quod autem munus fuerit destinatus hic Apostolus, in Actis Apostolicis, quum sermonem haberet ad Agrippam regem, exposuit: dum inquit, à Domino sibi fuisse dictum: Ad hoc enim apparui tibi, vt constituam te ministrum ac testem, & eorum quæ vidisti, & eorum in quibus apparebo tibi, eripiens te à populo & gentibus, ad quos te nunc mitto: vt aperias oculos eorum, vt conuertantur à tenebris ad lucem, & à potestate Satanæ, ad Deum: vt accipiant remissionem peccatorum, & sortem inter eos qui sanctificati sunt, per fidem quæ est erga me. Atque hoc ministerium quanto studio Paulus obierit, liquet, quum ad finem huius epistolæ scribat, se à Hierusalem vsque ad Illyricum, omnia, quæ circunstant, loca, Euangelio repleuisse: quod præstitit animo sic feruido, vt loquatur ad Ephesios Actorum capite 20. in hanc sententiam: Apud vos toto triennio annuntiaui Dominum, idque noctu & diu, multis cum lachrymis, omneque consilium Dei vobis aperui: argentum & aurum vestrum cuiuspiam minimè concupiui, & quæ fuerunt mihi necessaria, & his qui mecum sunt, manus hæ suppeditauerunt. Hæc verba miram emphasim habent. Dicit se eis prædicasse, nequaquam vno vel altero die, sed triennium totum: non succisiuis temporibus, verùm noctu & diu: non affectione frigida, sed cum multis lachrymis: non ex dolo, vel fraude, quia omne Dei consiliũ aperuit illis: non tranquillo ac pacato statu, cùm varijs ac multiplicibus Hebræorum insidijs peteretur: neque se spectasse quę sua essent, quum nullius res concupierit: neque demum parùm in hoc munere laborasse, cùm suis manibus, quæ essent necessaria sibimet ipsi, ac suis procurarit. Hæc audire non possumus absque pudore, qui coniuges, liberos, familiam, amicos, affines & cognatos, & denuum omnes illos cum quibus versamur, ita destituimus, vt neque Christum, neque doctrinam eius vnquam illis prædicemus: quem tamẽ illis prædicare quamardentissimè deberemus. Non enim minus istorum Apostoli sumus, quàm Paulus erat gentibus destinatus. Quumque dicat, omnia Dei consilia se illis aperuisse, mirũ est, quo pacto nonnulli tam mordicus retinere velint vt ad salutem necessaria, quæ scimus à quibus Romanis pontificibus, à quibus Cõcilijs, & hominum decretis inuecta fuerint, non autẽ à Paulo, neque ab vllis diuinis literis nobis prescripta. Vt suo munere probè fungeretur ingentia contempsit pericula: & vbi ostium sibi vidit apertum, eò non detrectauit accedere, licet aduersarij multi se obijcerent. Fiebat omnia omnibus, Iudæis Iudæus, & his qui erant absque lege, quasi lege careret. Quin & ethnici, quum prophetias non callerent, neque in scripturis versati essent, audiuerunt ex eo versus ex Poetis suis productos, vt Arati, Menandri, Epimenidis. Idemque non est veritus Hierosolymam accedere, quò Euangelium conferret cum primoribus Apostolis: non quasi parùm fide doctrinæ, quam à Domino de cœlo hauserat: habuit quippe certam persuasionem, vtque dicunt Græci, πληροφορίαν, vsque adeò, vt anathema iusserit fieri eum, qui secus Euangelizaret: neque in hoc vel ipsis angelis pepercit. Nec mirum, talem quippe certitudinem fides requirit. Quare docemur, Concilia nequaquam in hunc finem cogenda, quasi ab eorum definitionibus pendere oporteat nostram fidem: verùm vt illic patefaciamus ea quæ à nobis creduntur, cum sacris literis pulchrè consentire, atque id aduersarijs luculenter demonstretur. Neque plus inde aut commodi, aut fructus expectandum est. Prospexit etiam Dei beneuolẽtia, vt id quoq; bene cesserit Ecclesiæ, quòd eam Paulus ab initio tam vehemẽter persecutus fuerit. Nam qui postea illum videbant ad Christum repẽtè conuersum, credere non potuerunt, hoc sine vi Dei, & quidem summa, potuisse contingere. Vt enim repentè quis non fit turpissimus, ita non fit aliquis ex impio statim sanctissimus, nisi Spiritus Dei se interponat. Non fuit Paulus ex vulgaribus & plebeijs, nõ obstinatus Iudæus, qui doctrina & eruditione caruerit, sed Legis erat admodum studiosus: neque tãtùm in illam incubuerat, verùm paternas etiam traditiones consectabatur. Atque inde factum est, vt Ecclesiam Christi persequeretur. Nam si diuinæ legi solùm attendisset, non adiecto fermento humanarum traditionum, Christum facilius agnouisset. Quicunque verò se traditionibus humanis addixerunt, necessarium est vt Ecclesiam Christi persequantur. Dicunt, Paulum hæc fecisse bono prætextu, non malo consilio, verùm sancta (ut loquuntur) intentione. Ego verò, vt hęc fateor, & coram Deo, & coram hominibus, aliquantulum peccati grauitatem minuere, non

Paulus uas electum ad prædicandum nomen Domini Iesu Christi

Paulus à gentibus præsertim audiendus.

Pauli ministerium cuiusmodi fuerit.

Paulus quomodo in suo ministerio sit versatus.

Paulum qua ratione omnes imitari debeant.

Paulus prædicando cur interdum versibus poetarum sit usus.

Paulus accedit ad conferendum Euangelium suum cum Apostolis.

Quis fructus à pys Concilijs expectari possit.

Quod Paulus Ecclesiam ab initio vexauerit, fructu non caruit.

Paulus non ignobilis.

Paulus studiosissimus legis.

De ijs quæ dicuntur fieri bona intentione.

etiam paria facio omnia scelera, ita periculosiora esse affirmo. Qui enim peccant specie sanctitatis, pio præte-
tu, atque non malo proposito, difficilius in viam redeunt: quoniam procul absunt, vt se peccare intelligant.
Quare illic opus est ingenti Dei misericordia & auxilio. Verùm de Paulo nihil, præter hæc, dicere statui. Quo
autem ordine conscriptæ sint eius epistolæ, satis, vt arbitror, scripsit Chrysostomus. A quo tantùm in eo dif-
senito, quòd epistolam ad Galathas Romæ datam fuisse arbitror: quia in ea vehementer arguit rituum anti-
quæ legis obseruatores: qua de re locutus est mitius in ijs epistolis, quas priori tempore scripsit, atque in illis
quas quum Romæ esset, postremas dedit. Quoniam initio iudicauit eorum infirmitati, quos putabat Chri-
sto posse lucrifieri, non nihil esse condonandum, tantisper dum melius instituerentur. Cæterum quum po-
steà intelligeret diabolum hac benignitate abuti, ita vt eam, quæ permittebatur, obseruationem per pseudo-
apostolos obtruderet, tanquam ad salutem necessariam, quasi Christus absque illa non sufficeret, cœpit vehe-
mentius reclamare, ita vt diceret: Si circuncidamini, Christus vobis nihil prodest: & alia, quæ acerbius ad Ga-
lathas, quàm hîc scripta legimus. Amanuensis, qui hæc excipiebat, quum Paulus dictaret, appellabatur nomi-
ne Tertius: deditq; has literas ex portu Cenchreis, qui non multùm Corintho abest: easque Romam Phœbe
Christiana mulier attulit. Occasionem ita scribendi hanc habuit: Iudæorũ natio, vt sibijpsi plurimùm fauet,
ita semper inuisas habuit cæteras gentes. Quare ab initio multi ex eis noluissent gratiam Euãgelij Iesu Chri-
sti communicari, nisi Iudæis. Et putabant, licet falsò, promissiones tantùm semini Abraham secundum carnẽ
deberi. Deinde quum existimarent Euangelium iuxta dignitatem accipientium distribuendum, gentesque
viderent cùm prophanas, tum idololatriæ mirificè addictas, crediderunt eas indignas esse quibus tãtum be-
neficium conferretur. Quin & Apostoli diutius cunctati sunt, antequam ad gentes trãsirent: licet audiuerint
à Christo se legari ad omnes gentes, vt omni creaturæ prædicarent Euangelium. Nec, vt arbitror, deerãt, qui
hæc mandata conarentur eludere, quòd arbitrarentur ad gentes diuersas ituros Apostolos, quò tantùm Iu-
dæis, qui per vniuersum orbem dispersi erãt, Christum prædicarent, non autem ethnicis: & quòd omni crea-
turæ dictum fuerat, ad suos Iudæos contrahebãt: quoniam omnis terra interdum ea tantùm appellatur, quæ
fuit Iudæorum. Sed hoc errore Apostoli, Spiritu sancto illustrati, nunquam tenebantur. Distulerunt attamẽ
suam profectionem ad gentes, quia sciuerunt Euangelium prius prædicandũ in Iudæa, & ignorabant quan-
diu ibi commorandum esset. Expectabant itaque sibi dari certum à Deo signum profectionis: quod illis con-
tigit. Nam Petro per visum Dominus ostendit nationes esse sanctificatas, quum ei dixit: Tu ne commune dí
xeris, quod Deus sanctificauit: impulitque illum, vt ad Cornelium Centurionem iret: cui audito Euangelij
sermone Spiritum sanctum Deus visibili signo communicauit. Ista fuerunt aperta indicia, non vlterius diffe
rendam esse uocationem gentium. His, quæ dixi, testimonium perhibẽt Acta Apostolorum: in quibus etiam
legimus, Apostolos atque discipulos, qui Hierosolymis erant, miratos fuisse, quòd gentes accepissent Spiritũ
sanctum. Et Petrus incusabatur propter Cornelium Centurionem, quòd ad gẽtes ingressus esset. Is autem se
defendit, & visum exponendo quo fuerat admonitus, & narrando, Spiritum sanctum visibiliter super illos
ethnicos cecidisse. Legimus quoq;, post obitum Stephani multos ex credentibus concessisse Antiocheam, &
in Cyprum, aliaque loca gentilium: non tamen docuisse Christum, nisi Iudęos. Verùm cùm iam Petri oratio-
ne apertè intellexissent Iudęi, non esse cunctandũ, vt gentes admitterẽtur, è gradu primo deiecti, in altero sa-
tem voluissent consistere, vt conuersis gentilibus iugum legis imponeretur. Erant sanè Iudæi per vniuersum
orbem dispersi, ad quos Pharisæi & sacerdotes literas dabant, ne doctrinam de Christo susciperent. Qui verò
Christiani iam erant, sed minus eruditi, scribebant, Christum quidem recipiendum esse, cęterùm vnà cum il-
lo assumendas esse Mosaicæ legis ceremonias. Hinc oriebatur non leuis turbatio, fuitque satis inquieta tum
temporis facies Ecclesiæ. hinc reprehensio qua Paulus arguit Petrum. Et ipsmet Paulus consensit, vt circunci
deret Timotheum: caput in Cenchreis tonderet: & Hierosolymis, quasi habuisset votum, offerret munus in
templum. Hac itaque adductus est occasione Apostolus, vt hâc ad Romanos scriberet epistolam: qui eodem
morbo laborabant, quo & Galathæ infecti postea sunt. Dispar tamen fuit vtriusque populi cõditio. Nam Ga-
lathæ prius à Paulo bene instituti erant: quos deinde corruperunt pseudoapostoli, & mendaces prædicato-
res. Contrà, Romani non fuerant ab initio probè docti: videnturque recepisse vnà cum Christo multum fer-
menti Mosaici: sed fraude cognita resipuerunt: quare admodum commendatur eorum fides. Per quos verò
primùm crediderint, dubium est. Petrum eò profectum esse, ac ibi occisum pro Christo, non facilè irem infi-
cias, quum patres fermè omnes, & Ecclesiasticæ historiæ hoc testentur. Non tamen est simile veri, Romanos
primùm per eũ credidisse. Sed inde fidem fortasis nacti sunt, quòd iam multa Hebræorum turba Romã con-
fluxisset: partim translati eò per Pompeium, & partim quòd Iudæa iam parẽret Romanis, essetque redacta in
formam prouinciæ. Et inter alios commigrarunt eò multi fideles. De Priscilla & Aquila, ex postremo capite
huius epistolæ satis patet. Per hos & huius generis fideles, potuit Euãgelium ibi ortum habere, cæterùm non
absque controuersia de hijs legalibus ceremonijs. Propter ista arripuerunt nonnulli occasionem auerten-
di homines à studio huius epistolæ: dixeruntque à duodecimo capite vsque ad finem dignam esse quæ le-
geretur, eo quòd ibi præclara institutio de moribus conscripta sit. Sed vsque ad illud caput, quùm ni-
hil aliud tractetur, inquiunt, quàm certamina & contentiones de legalibus ceremonijs, nostra parũ referre ex
cognoscere: quando quidem ad nostra tẽpora non conducunt, quibus ritus Iudaici omnino remoti sunt. At
isti longè falluntur, & alios quærũt fallere. Nam tota epistola certè aurea est, & lectu dignissima. Continet lo-
ca de naturali notitia, & officijs ciuilibus, de lege Mosaica, atque de Euangelio: explicat iustificationem, &
peccatum originis: prædicat gratiam: tractat de electione, prædestinatione, excæcatione Iudæorũ, & eorun-
dem restitutione. A duodecimo capite habet quodnam sit sacrificij genus à nobis offerendum, de magistra
tu, de infirmis tolerandis, & scandalo remouendo. Quis autem non videat hæc magna esse loca, & vtilissima
cognitu? Quòd verò nobis opponunt agi de ceremonijs quoad priorem partem, fateor illarum causa quæ-
stionem ortam esse, quam Paulus volens dirimere, illam reuocauit ad genus. Et vt ostendat, nos legalibus ce-
remonijs non posse iustificari, probat generaliter iustificationẽ minimè prouenire ab vllis nostris operibus,
Atque ita quum sustulerit genus, species manere non possunt. Nam sequitur, Nullis operibus iustificamur, er-

go

Epistola ad Galathas vnde scripta.

Paulus cur mitius loquatur de obseruatia legis ad Romanos quàm ad Galathas.

Paulus Amanuensis Tertius.

Vnde sint datæ hæ literæ.

Quæ fuerit occasio scribendi has literas.

Argumenta quibus Iudæi putabant gentes ab Euangelio excludendas.

Apostoli quare distulerint aliquandiu ethnici prædicatum iri

Quo primùm signo Deus indicauerit gentibus prædicandum.

Voluissent Iudæi gentibus iugum legis imponi.

Vnde in Ecclesia fit orta perturbatio.

Romanorum & Galatharum malum partim simile partim dissimile.

Petrum fuisse Romæ occisum, non videtur negandum.

A quibus Euangelium videatur prædicatum Romanis.

Ratio eorum qui negligunt hanc epistolam.

Laus huius epistolæ ad Romanos.

Quæstio de ceremonijs mota reuocatur ad genus.

go,nec ceremonialibus, nec moralib. nec iudicialibus. Et rationes Pauli tam latè patere probabo subiectis argumentis. Primùm vult nos iustificari ex fide,ac misericordia Dei,vt firma sit promissio. Verũ ea tam non est firma si pendeat ab executione rituum quá si pẽdeat à Decalogi obseruatione: quoniã in vtraq; parte sumus æquè infirmi. Deinde habet nos gratis iustificari: quæ vox,Gratis, nisi excluseris moralia opera,nõ habet locum. Qui enim operatur,ei merces redditur iuxta debitũ,non secundũ gratiã. Posteà de obseruatione tractatur eius legis,per quã habemus cognitionẽ peccati: quod potius moralib. præceptis,quã ceremonijs cõuenit. Hęc lex est,quę irã operatur: neq; ambigimus,magis Deum prouocari ad irã,si trãsgrediamur decalogũ,quã si defecerimus in quibusdã ritibus & ceremonijs. His addas,iustificationẽ gratia & misericordia Dei cõstare apud Paulum,vt nostra gloriatio excludatur. At si tãtummodo ceremonias remoueris,& operib. moralibus nos dixeris iustificari, gloriatio non aufertur: nam illa saltem poterimus iactare. Ad hæc certum est, ceremonias Mosaicas pertinuisse ad primam tabulam, vbi cultus Dei præcipitur. Neque minus obstringebant veteres hæ ceremoniæ,quàm nos hodie baptizari,& Eucharistiam sumere debeamus. Quòd si Paulus probauerit, his quæ pertinẽt ad primam tabulam nos haud iustificari: multò magis probatum erit,operibus tabulæ posterioris nos minimè posse iustitiam consequi. Obijcit sibi Paulus,quum ostendisset nos beneficio Christi à lege iam esse liberos: Peccemus liberius,& maneamus in peccato,quo gratia magis abundet. Si de ceremonijs tantùm quæstio verteretur,potuit respondere: Non liberati estis nisi à ceremonijs,adhuc teneri lege morali. Verùm non ita respondet,quum dicat,non esse vlterius peccandum,quòd peccato mortui simus,& Christo insiti,vnaque cum illo sepulti. Atque idem quum scriberet,Christi fauore nos liberari, & ab his absolui,quæ in carne nostra repugnant legi Dei,expressè posuit,de qua lege tractaret. Nam meminit eius mandati,Non concupisces. Postremò in epistola ad Galathas, in qua idem saxum voluitur, maledictus dicitur,qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis. Cùm omnia dicat,moralia certè non excludit. Non itaque superflua est hæc Apostoli disceptatio. Imò nisi eam suscepisset, periclitabatur Ecclesiæ libertas,quam nitebatur diabolus redigere sub legem,quasi Christus per seipsum non sufficeret ad homines iustificandos. Et rationes,quæ priuatim de ceremonijs inducuntur, minimè superuacaneæ sunt. Quoniam illis eisdem nos possumus probare, traditiones humanas, &,quos habemus ritus ab hominibus constitutos,non esse cultus Dei,qui mutari non possint,atque omitti,si visi fuerint parùm ad salutem cõducere. Multò enim minus ad iustitiam obtinendam ista pertinent, quàm ceremoniæ ab ipso Deo institutæ. Vnde si illæ ad iustitiam fuerunt inutiles,& istæ ad eam non poterunt esse necessariæ. Quæras fortasse, num propter has Apostoli rationes debeamus nos existimare solutos ab omni lege. Minimè: neque hoc ex eius dictis consequitur: nisi accipias liberatos nos esse ac solutos à lege,qua nos iustificare possit. Alioqui debemus ei obedire,& anniti pro viribus,vt eam exequamur: non tamen hoc proposito, vt inde velimus iustificari. Et quoad ceremonias veteris legis duo cauenda sunt præcipitia: vnum Ebionitarum, & aliorum qui Iudaizarunt,volentes Christo adiungere necessariò ritus Mosaicos. E diuersò alterum præcipitium est Marcionitarum,qui veterem legem prædicarunt nequaquam à bono Deo fuisse latam, verùm à malo principe huius mundi fabro. Nos inter ista medij nauigamus, censemusque iam post Christum legales ceremonias non esse retinendas,quum earum tempus elapsum fuerit. Illas attamen laudamus, vt quæ bonæ fuerint patrum tempestate,priusquam venisset Christus: arbitramurque inductas à Deo eodem,qui pater sit Domini nostri Iesu Christi. Vt autem magis conspicua sit huius prioris partis disputatio, atque in vniuersum totius epistolæ vtilitas, summa eius paucis est perstringenda, vt ita posita ob oculos, tota simul plus habeat lucis.

Argumentis probat in vniuersum de operibus agi, non de solis ceremonijs.

Ratio certa quæ ostenditur hominum ritibus neminem iustificari. An à lege simus liberati.

Circa legem veterem duo errores cauendi.

Epitome totius epistolæ.

In primo capite nobis proponitur naturalem cognitionem, atque ciuilia officia nequaquam potuisse homines iustificare: quia euidenter ostenduntur homines qui fuerint his præditi,vixisse coopertos horrendis sceleribus: quòd nequaquam euenisset,si per hæc fuissent iustificati.

Primum caput.

In secundo capite gentibus æquantur Iudæi, quorum vita,vt corruptissima traducitur: quòd prædicarent non furandum,& furarentur: non mœchandum,& mœcharentur: sacrilegium non committendum,atque illud committerent. Ex quibus patet,legem quam acceperant,ad iustificationem non contulisse.

Secundum caput.

In tertio,ne videretur legi detrahere,confitetur eam fuisse præclarum Dei munus: non tamen eius generis,vt posset iustificare. Alia ei attribuit officia,videlicet,vt peccati notitiam pariat. Atque ita cùm Iudæos, tum gentes ad vnum Christum reducit velut ad fontem,atque authorem totius iustitiæ. Neque hoc pacto se ait legem violare,aut euertere: imò eam quàm maximè constabilire.

Tertium caput.

In quarto capite idem probat,quod anteà proposuerat Abrahami exemplo, qui ante opera & circunci sionem susceptam,eo nomine iustus pronũtiatur,quòd promissioni diuinę crediderit. Hoc sanè reputatum est illi ad iustitiam. Atque ad idem prophetæ Dauidis testimonium adducitur,qui ait: Beati, quorũ remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum. Quod caput,si diligenter excutiatur,in eo inueniemus,penè decies Apostolum esse vsum Imputationis voce. Quare non debet videri adeò mirum,si nos quoque illa vtimur, quando asserimus concupiscentiam in nobis à baptismo relictam,peccatum esse,licet ad peccatum non imputetur: & quanquam iustitiam non valeamus nobis ipsis cõparare, quæ verè iustitia sit corã Deo,nobis tamen,si ei crediderimus, Christi iustitiam imputari.

Quartum caput.

In quinto capite,quum fide apprehendatur hæc iustitia Christi, multa de illa declarantur: hoc est, firmam esse,atque Christum complecti, qui mortuus est pro infirmis,inimicis,impijs,peccatoribus. Atque ostenditur Christi comparatio cum Adamo. Vti enim ab illo vniuersum nostrum genus vitiatum & corruptũ fuit,ita per Christum omnes electi sunt instaurati: Imò Christus dicitur Adamum superasse. Nã ille vno peccato omnes infecit,at Christo non valuerunt resistere infinita peccata,quin redemptionem,quam voluit,effecerit: imò sic malo abusus est,vt vberiorem gratiam dederit,vbi maior peccatorum copia viguit.

Quintum caput.

In sexto capite,quorundam exploditur importuna obiectio, qui exinde inferebant largiter peccandũ, atque laxè viuendum: si,vt Apostolus dixerat,maior gratia reponenda erat,vbi plura peccata reperta essent. Respondet Apostolus,eos non rectè colligere: nam quum mortui simus peccato, atque Christo insiti, illi sanè,& non iniquitati viuendum est.

Sextum caput.

Septimum caput.

In septimo exponit rationem qua sumus exempti à lege. Atque ea est, quòd quum in nobis dum hic viuimus, non sit plena ac perfecta regeneratio, atque prauæ affectiones perpetuò Dei placitis reluctantur, gratia Christi efficitur, vt eximamur à peccato, licet in membris, & in carne nostra perpetuò inhabitet.

Octauum caput.

Vnde concluditur octauo capite, nihil damnationis esse ijs, qui sunt in Christo Iesu, nec ambulant secundum carnem. Habent enim spiritum Christi, quo & viuunt, & resurrectionis futuræ fiunt capaces: mortificant facta carnis, & in seipsis ab eodem spiritu testimonium habent, quòd sint filij Dei: ac illo eodem confirmantur in aduersis casibus, vt eos constanti ac forti animo perferant: habentque hunc Spiritum pro se intercedentem, quique eos perducit ad similitudinem imaginemque filij Dei exprimendam: & demum efficit vt neque accusari, neque damnari coram Deo possint.

Nonum caput.

In nono capite Iudæis occurritur, qui contendebant has promissiones porrigi tantummodò per ipsorum genus, non autem ad Gentes effundi. Quibus dicit in hoc negotio cũcta peragi ex diuina electione, qua cuius vult miseretur, & quem vult indurat. Et Deum facit instar figuli, qui vasa ex eadẽ argilla fingat, partim in honorem, partim in contumeliam.

Decimum caput.

In decimo capite pertractat effecta huius electionis: nimirum quòd alij fidem amplectãtur, alij respnãt. Nec non ostendit Christum esse finem legis, eamque id requirere, vt illi credatur. Atq; probat exinde factum vt Iudæi non sint assequuti iustitiam, quòd illam conati sint adipisci proprijs meritis, atq; suis operibus: Gentes verò ad eam peruenerint, quòd fide fuerint innixæ. Et hæc omnia confirmat diuinis oraculis: Iudæos, inquam, excœcatos, & Gentes esse admissas.

Vndecimum caput.

In vndecimo capite uerò mitigat eam quam proposuerat duram Iudæorum reprobationem. atq; ostendit, non omnes ad vnum reiectos, verùm bonã spem facit, cùm radicem sanctam habeãt, plures quoque exilia gente fore sanctos: exclusos attamen interim quoad nos, qui oleastri eramus, ut bonæ oliuæ insererentur. Quòd vbi contigerit, illos denuò recipiendos. Atque ita concludit istam disceptationem, quòd omnia Deus concluserit sub peccato: cogiturque tandem exclamare: O altitudo sapientiæ diuitiarum, &c.

Duodecimum caput.

Dirempta ista controuersia, auspicatur duodecimum caput ab obsecratione: qua poscit, vt corpora nostra offeramus hostiam Deo gratissimam, vtque comprobemus Dei voluntatem, curemusq; inter nos consentire, quãdoquidem sumus vnum corpus, & inuicem membra. Cõmendat item dilectionem inimicorum.

Decimum tertium caput.

In decimo tertio capite vult vt subdamur magistratibus, proximos diligamus, viuamus iustè, & Christum induamus.

Decimum quartum caput.

In decimo quarto commendat eos qui fide sunt infirma, quò tolerentur benignè: colatur, quantum fieri potest concordia etiam erga illos, qui minus valent cognitione: parcamus eis, & curemus, ne vitio nostro scandalizentur. Et illis imperat è diuersò, vt non temerè firmiores iudicent.

Decimum quintum caput.

In decimo quinto capite hoc idem suadet Christi exemplo, qui nostras contumelias, nostraq; supplicia pertulit, & sese communi cauit, non modò Iudæis, verùm etiam Gentibus. Romanis precatur Spiritum sanctum, rationemq; illis reddit cur ad eos has literas dederit: pollicetur aduẽtum suum, & rogat vt eorum precibus liberetur ab infidelibus, qui eum apud Iudæos erant impetituri.

Decimum sextum caput.

In decimo sexto, eodemq; postremo capite, Romanis cõmendat Phœben sanctam mulierem, per quam literas ad eos miserat. Salutat officiosissimè complures, admonetq; vt eos caueant, qui doctrina vtuntur ad sui ventris, & turpis quæstus cõmodum. Hæc est vniuersæ huius epistolæ breuis & perspicua summa, qua nobis proposita commodius singula quæq; interpretabimur. Sed multi adhuc sunt qui à lectione Paulinarũ epistolarum eo nomine abhorreant, quòd videatur tam horridè & barbarè loqui, vt legentes tædio afficiat, neque facilè sensus eius comprehendantur. His occurremus, Pauli dictionem, si credamus Augustino libro quarto de Doctrina Christiana, non prorsus destitutam esse iusta ratione dicendi. Non quòd is eloquentiam captauerit, sed quòd ea sapientiam eius comitata sit. Nam is iudicatur appositè dicere, qui præclarissimarum rerum tractationem suscepit, & omnia ea dicit quæ necessaria sunt, neq; illa tractat aliter quàm oportuit. Augustino subscribit Chrysostomus, libro quarto de Sacerdotio: vbi distinguit eloquentiam, quod alia sit præstigiatrix, ad quam homines obstupescunt, quum videant tolli, quæ sunt infima, & poni sublimia. Futcis hæc agit & impostoris: hanc in Paulo non reperiemus. Est altera eloquentia, quę multùm valet ad dogmata propugnanda, & veritatem constantissimè tuendam. & hac præditus fuit maximè Apostolus. Quam obrem in eo haudquaquam requiremus leporem Isocratis, amplam sublimitatem Demosthenis, Platonis eximiam dignitatem, aut reuerendam maiestatem Thucydidis, sed nudam simplicemq; orationem, quæ scientiam habeat summarum rerum, & robustissimè confirmet quod probandum suscepit. Qui socordes & ignaui sunt, prætexunt Pauli, vt volunt, imperitiam: ne scilicet ab eis requiratur doctrina, quum Paulus, vt putãt, ea destitutus Ecclesiam gubernarit. Sed isti viderint quomodo Paulum statuant non multùm acumine & λογικῇ polluisse: quum in Actis Apostolicis capite nono scribatur, in Synagogis expugnasse, ac disputando vicisse prorsus Iudæos. Et in decimo septimo capite habetur, ita eum docuisse, vt vltra mediam noctẽ quandoque sermonẽ extraxerit, vt quum Eutychus adolescens de fenestra cecidit in cœnaculum somno victus. Qui fieri poterat, vt per tantum spatium temporis retineret auditores, qui tam barbarè vel ineptè diceret, vt illi confingunt? Constat ex eodem capite illum egisse Athenis cum Stoicis & Epicureis: eiusque concionem quam illic habuisse describitur, nulli qui sani sint, non mirantur. A Lycaonijs quoque pro Mercurio habitus est ob dicendi facultatem. Quòd si dixeris, Hæc sanè vera sunt, quoniam illi à Spiritu sancto dona huiusmodi erant afflata: sit sanè vt dicis: non igitur eius dictio reprehendenda est, vt omnibus modis inepta & barbara. & tamen inde non consequitur, eum nullum adhibuisse in dicendo studium. Fuit in legendo & scribẽdo admodum diligens: quod inde probatur, quòd Romæ agens, ac vinculis constrictus Timotheum rogauerit vt sibi deferri curaret peram cum libris & membranis. Non enim, licet captiuus esset, beneficio studiorum carere voluit. Idemq; scribit ad Timotheum, vt lectioni vacet: Quod si feceris, inquit, seruabis teipsum, & pariter eos qui te audiunt. Certè discipulum non esset hortatus ad ea, quæ ipse non faceret. Ex his omnibus liquet Paulum non scripsisse absq; diligentia, & vigilanti studio. Imò tria summa capita eloquentium virorum sibi

Oratione Pauli non debere lectores offendi.

Augustinus de doctrina Christiana eloquentiam quandam Paulo tribuit.

Chrysostomus.

Valuit Paulus acumine ac λογικῇ

Paulus diutissimè auditores detinere potuit.

Eloquentia Pauli fuit admirationi.

In dicendo & scribendo aliquod studium adhibuit.

Tria capita eloquentiæ uera.

sibi non infœliciter vendicauit: Vt bonam sanctamq; doctrinam tradiderit, & confirmarit honestè ac sanctè: cælta dictione & pura delectarit: demumq; animos auditorum quò volebat inflexerit.

Origenes. Hieronymus.

Aduersus hæc Origenes conqueritur subinde, Paulum habere ἀναντροδότα hyperbata frequentia, oratio-nem hiulcam & mutilam, & alios huius generis defectus. Hieronymus est varius, vt qui illi interdum adi mat, interdum verò attribuat vim & facultatem dicendi, & præsertim super capite sexto ad Galathas, scribit Paulũ vernaculo quidẽ sermone eruditum fuisse, verùm aliena lingua sensus profundos non valuisse eũ proferre. Quam Hieronymi sententiam mitigari vellem. Puto enim Spiritum sanctum ita moderatum fuisse linguas, tum calamos Apostolorũ, vt quę ad salutem fuerunt necessaria, quàm commodè atq; explicatè tradiderint. Quòd si quando videantur hærere in dicendo, id prouenichat ex magnitudine ac sublimitate rerũ quæ tractabantur: quibus inter homines pares voces, & pares loquutiones difficillimè inueniuntur. Deinde, quum homines adhuc satis carnales, & infirmos & plebeios alloquerentur, eorum captui sese attempera bant. De vtraque parte difficultatis Origenes videtur appositum simile retulisse: quòd Paulus egerit instar eius qui hospitem deducit ad inuisendas ædes nobilissimi principis. Varia ei occurrunt conclauia, multæ viarum ambages, multiplices aulæ, atque infinita penè cubicula: multa, quæ prætiosa sunt, ostenduntur emi nus, alia cominus: nonnulla occultantur, aut per transennam duntaxat monstrantur: dumq; hospes frequenter per vnum ostium inducitur, & per aliud educitur, admirabundus tantùm spectat præsentia, ignoratque vnde illuc venerit, aut qua parte sit egressurus. Imputat quandoque Hieronymus eidem Paulo sermonem Græcum minimè purum, sed Cilicum, & eum qui proprietates Hebraeæ linguæ sibi admixtas habeat. Quin & ipse Apostolus videtur deprecari sermonis imperitiam, licet rerum scientiam sibi vẽdicet. Et Petrus Apostolus in posteriori sua epistola fatetur, Paulum habere in suis epistolis multa difficilia intellectu, quę parùm eruditi & firmi homines ad suum exitium peruertant. Ista videntur his opponi quæ Augustinus & Chrysostomus tradiderunt: sed facilè soluuntur. Quòd enim conqueritur Origenes de hyperbatis, hiatibus, & imperfectis orationibus, eo nomine potest excusari, quòd non frigidè Apostolus egerit, sed ex animo tam ardenti scripserit, vt quandoque extra seipsum videri possit raptus, atque relicto omni alio studio & cura, tãtùm id anniti, vt audientes ad Christum rapiat, de verborum compositione non admodum sollicitus, dum pectoribus nostris incitandis & permouendis quàm potentissimas adhibeat machinas. Vtq; torrentes, quado intumescunt, quæcunque habent obuiàm ad se rapiunt, non obseruata rerum dispositione, ita in hoc Apostolo Spiritus Domini quandoque scribendi & dicendi impetum excitauit: in quo hæc quæ videntur vitia esse in dicendo & scribendo, summę virtutes erant. De eo quod Hieronymus affert, iam exposui quid sentiam. Sin verò pergas probare, non valuisse Apostolum peregrina lingua exprimere profundos sensus, quòd eius scripta, vt Petrus dicebat, quandoque magna obscuritate laborent: ad hoc dicimus, non posse diuina, quæ tractat, sensibus nostris non esse difficilia. Verùm hoc non debet nos depellere ab eius lectione: nam leuiter hæc difficultas, vt Chrysostomus in his quæ præfatur super epistolam ad Romanos docuit, assiduo studio, & continua lectione: & ita lenitur, vt ille dicere audeat, nos per nos ipsos absq; præceptore intellecturos quæ ibi traduntur, modò has epistolas nocturna diurnaq; manu versemus. Non enim, inquit, nos quæcunq; percipimus, acumine intellectus penetramus. Nam etiam qui sunt hebetiores, assiduo studio consequuntur difficilia. Et simile affert valdè appositum. Cogitationes & sensus hominis abstrusissimi sunt: tamen amici quem vehementer diligimus, & quicum perpetuò versamur, cogitationes & sensus animi nutu persæpe patefiunt nobis, absq; indicio verborum & sermonum quos ille proferat. Ita fiet in his epistolis, ait, modò quis illas amet, & assiduè in illis versetur. Qui petit accipit: qui quærit, inuenit: & qui pulsat, ei aperitur. Hęc ad populum dicebat, exhortans illos ad studium sacrarum literarum. Quas tamen hodie nostri conantur è manibus vulgi, quantum possunt, excutere: prætexentes iam multas esse hæreses, & idcirco plebi parùm tutum, aut consultum esse, si sacros libros legant. Quasi seculum Chrysostomi hæresibus caruerit, & illis quidem pestilentissimis: cuius tempestate turbabant Ecclesiam Ariani, Manichei, Nouatiani, Origenistæ, & innumeræ pestes huius generis. Et addit idem pater eodem loco: Ex ignoratione scripturarum oriri omnia mala, & in primis commemorat hæreses, dissolutam vitam, & labores infructuosos. Non itaque censenda est diligentia hæc intelligendi scripturas, in populo vana curiositas, sed vtile studium. Ad quod probandum adiecit aliud simile: Quemadmodum quum quis sine luce hac visibili ambulat, necessarium est, vt per tenebras impingat, & subinde cadat: ita qui non conuertit oculos animi ad lucem scripturarum, necessariò cogetur peccare. Colligas ex his, difficultatem in scriptis Pauli nõ debere homines Christianos ab eius lectione auertere.

Cur Apostoli oratio interdum ueteribus non plànè satisfaciat. Simile Origenis.

Sermonem Cilicum illi Hieronymus tribuit. Petrus.

Diluuntur obiecta, Paulus inscribendo & dicendo festinabat. Simile.

Chrysostomus Difficultas & obscuritas leniuntur assiduitate lectionis.

Chrysostomus incitat populum ad studia sacrarum literarum.

Hæreses permultæ fuerunt Chrysostomi tempore. Omnia mala ex ignoratione scripturarum. Simile.

De Cilico sermone, qui Apostolo interdum impingitur, sic est respondendum: Spiritũ sanctum decreuisse scribi hæc tam doctis, quàm indoctis. Quare vulgato sermone atque trito fuit vtendum. Nam fit sæpenumerò vt idiotæ limato ac polito sermone impediantur, quò minus valeant sensum percipere. Quibus consultum oportuit, vt explanata & consueta oratio adhiberetur. Quò verò ad eruditiores, frequenter accidit, vt quæ sunt πάρεργα minusq; necessaria, magis admirentur, his neglectis quæ præcipua sunt: & ita nonnunquam abripiuntur artis admiratione, vt materiam ac sapientiam quæ traditur sub rhetoricis ornamentis parùm attendant. Præterea huc accedit, Paulum Crucifixi Apostolum esse, & Christum crucifixum prædicare, quem ornamenta & verborum splendores parùm deceant, ne vis Crucis aboleatur. Cauendum quippe fuit, ne adscriberetur eloquentiæ mundanæ, quòd homines ad Christum pertracti fuerint. Neq; facilè dederim: Paulum vocum & dictionis nullam habuisse curam, quum eius verba sint vbique aculeata, nec facilè vehementiora possint inueniri: ita vt Hieronymus, qui nonnunquá incusauit sermonis Apostolici neglectũ, fatea tur se, quando eum legit, non verba, sed tonitrua percipere: fuissetq; Paulus citra controuersiam hac quoque parte maiorem diligentiam adhibiturus, modò sciuisset, ad salutem id magis collaturum. Quódque obijciebatur, ita Græcè loqui Apostolum, vt Hebręus agnosci possit, haud quaquam mirum est: quandoquidem Ecclesia fuit ea tempestate tam ex Hebræis, quàm ex Ethnicis collecta: quæ quum vsurparet quotidie scripturas in Græcam linguã conuersas, ita de diuinis rebus loqui didicerat, vt ab Hebraicis loquutionibus & phrasibus non multùm abhorreret. Quare non reprehẽdendus est Paulus, qui erga Christi Ecclesiam tali sit vsus

Cur sermone Cilico dicatur interdum vsus Paulus.

Crucifixum parùm decent orationis ornamenta.

Hieronymus.

Hebraismos cur admiscerat.

An Paulus deprecetur imperitiam sermonis.

oratione, quę & Greca esset, & redoleret genuinam linguã, qua Dei oracula sunt effusa. Deprecatur, aiebant, Apostolus imperitiam sermonis. Videtur quidẽ ita esse, at si quis diligentius attẽdat, videbit Paulũ, quum dicit, Etsi imperitus sermone, non tamen imperitus scientia, hæc loqui per concessionem: non quòd agnoscat orationis à Spiritu sancto afflatę magna vitia: sed tuebatur se à pseudoapostolis, qui aiebant, graues & fortes esse epistolas, verùm sermones præsentis hominis infirmos. Fac, inquit, ita esse, me sermone parùm valere: num rerum scientiam mihi adiment? Certè licet videretur hi qui alieni erant à Christo, loqui stultitiam: ijs tamen qui Christi erant, quæ dicebat, vt re vera fuerunt, summa sapientia iudicabant. Et cùm asseruimus scripta Pauli eloquentia non carere, quam tamen is non affectarit, sed quæ illum dicentem consequuta fuerit,

Non sunt contemnendæ bonæ artes ab ijs qui se ad ministerium parant.

nequaquam volumus homines deterrere à studio bonarum artium. Imò sumus illis authores, vt eis quàm maxima diligentia se instruant, vt posteà quum venerint ad Christum docendum seriò: vel non cogitatibus adiungant se illis comites. Non enim ferendum est in Euangelico Ecclesiaste, vt, dum scribit aut dicit, præceptis harum artium mentem addicat: at si fuerit illis instructus, liberum erit Spiritui sancto ipsis vti quum visum fuerit. Vnum oportet sit Ecclesiastis opus, vt Christum & sermonem eius versẽt. Quòd si bene fuerit eruditus, bonarum artium vis comitabitur inuitum. At si Ecclesiastæ captabunt vel scribendo, vel dicendo leuocinia rhetorum, frigebunt in sensibus. Non enim valet humanus animus duabus rebus acrimonia summa simul operam dare. Idcirco videmus nonunquam peritos Ecclesiastas bonarum artium frigidius agere, & contrà imperitiores maiori vehementia sua tractare. Si autem modus retineatur, quem tradidi, neque cernetur procedere mendacium instructum & munitum bonis artibus: veritas verò inermis & debilis, nulloque ornamento conspicua. Positæ sunt hæ artes in medio: liceat itaque asserere illas Christo, & soluere diaboli seruitute: modò, vt dicebat Origenes, gentili mulieri resecti sint vngues, incisi capilli, & habitus immutatus. Colligimus ex his omnibus, Paulinam dictionem nequaquam eius generis esse, vt nos deterrere debeat à lectione harum epistolarum. Sed spectemus vicissim, quid nos extimulet, vt epistolam ad Romanos maxima

Cur hæc epistola quàm diligentissimè sit legenda.

diligentia perlegamus. Controuersia est de iustificatione magni momenti, & quæ non solùm eo tempore, verùm etiam nostro, Ecclesiam Christi multùm diuexet, & eius planè generis, vt nulla sit magis idonea, qua homines ad Christum impellantur. Accedit huc, ea, quæ scribuntur, populo Romano dicata esse, cuius imperium latè patebat per vniuersum orbem. Vnde multùm referebat ad orbis vniuersi salutem, quid illi sentirent in religione. Consueuerunt enim subditæ nationes principum suorum instituta, sermones, habitus & religiones quàm maximo studio imitari. Quare docendo Romanos totum fermè orbem instituebat: quod minimè

Docendo Romanos, totum orbem instituit.

latuit diabolum. Omnem quippe mouebat lapidem, vt ea ciuitas praua doctrina inficeretur. Ad hoc instigauit pseudoapostolos & malos concionatores, qui ceremonijs Mosis præposteris Christi gloriam obscurarent. Nec parui momenti est ad asserendam epistolæ huius dignitatem, quòd ipse Paulus & fuit, & natus est Romanus ciuis. Quare necessitudine minimè vulgari cogebatur istos homines, post Hebræos, maximè diligere. Nunc ad rem propius accedamus. Certum est omnes mortales extremum summumq; bonum appetere. falluntur verò quòd illud interdum collocant in opibus, voluptatibus, & bonis huius mundi. Cæterum contra istos non requiritur operosa disputatio: satis enim confutantur & ab ipsis philosophis, & à mediocribus eruditis. Sed alij putarunt se posse perfectam assequi iustitiam atque fœlicitatem, si ciuilibus officijs, virtutibus moralibus, & contemplatione rerum pulcherrimarum pollerent. Alij verò, quum viderent frequentes lapsus in vitia prestantissimorum quoque hominum, iudicauerunt procurationibus religiosis, imò superstitionibus & cultibus à semet ipsis excogitatis Deum sibi reddere propitium, à quo posteà valerent consequi omnia bona. Hęc sententia ferè plebis erat: quæ vtcunq; minus malè sensit, quàm philosophi. Nam hi adeò tumebant superbia virtutum, & ciuilium officiorum, atque scientia rerum naturalium, vt sibi hæc ad felicitatem sufficere putarent. Vulgus autem non ignorauit & sordes peccatorum, & quotidianas numinis offensiones: vnde ad religiones putauit confugiendum. Quas quum non haberet puras & castas, in idololatriam delapsi sunt. His populus Hebræus interposuit sese, atque complexus est vtramque partem. Per decalogum iactabat summam uirtutum apud se esse: et si ab eo deficeret, paratas esse sibi ceremonias, quibus expiaretur. Paulus aduersus ista certat, & ostendit non posse fieri, vt moralibus, naturalibúsue officijs iustitiam consequamur. Quoniam tam Iudæi, quàm gentes nequaquam vita & moribus tantum exprimunt, quantum agnoscunt legem vel naturalem vel Mosaicam requirere. Neque dandum est nos posse legem plenè ac perfectè obseruare: quoniam tunc liceret operibus absolutam iustitiam consequi, quod omnino absurdum esset: quia nostra iustificatio in eo sita est, vt peccata nobis minimè imputentur, sed Christi iustitia credentibus imputetur. Accedit quidem nonnihil instaurationis, quum iustificati rectè operamur, sed id non est perfectum. Datur & gratia regeneratis, sed non quæ remoueat omnia impedimenta, quæ obstant perfectissimè obseruationi diuinæ legis. Neque ista dicendo asserimus paradoxa, vel Paulo adscribimus aliena, sed ea tuemur in primis quæ Apostolicæ doctrinæ maximè conueniunt. De ceremonijs verò ac ritibus, quos ex altera parte Iudæi iactant, quando sunt absque Christo & fide, detestabiles coram Deo habentur, vt Hieremias, Isaias, & Prophetæ qui fuerunt legis interpretes, quàm apertissimè docuerunt. Quare superest, vt licet Hebræi vtra

Hebræus populus interponit se, Paulus hæc omnia oppugnat.

que parte iustitiæ se præditos esse prædicauerint, non tamen iustificati sint. De his attamen loquor, qui has partes legis sine Christo amplectebantur.

Habetis iam scopum Apostoli. Et in vniuersa hac disputatione proderit non leuiter, quum longa sit disceptatio, sæpenumerò in memoriam hanc summam eius iam expositam reuocare.

De primo capite speciatim, Propositio & confirmatio.

Sed accedamus ad primi capitis expositionem. Quid illic agatur iam tradidi: gentes naturali facultate non valuisse iustificari. Id probat quòd perditissimè vixerint, seque sceleribus flagitiosissimis cooperuerint, quum tamen quid faciendum fuerit, non ignorarent. Sed primùm salutatio præfertur, quam exponam, & deinde reliquum capitis in suas partes dissecabo. Obscura latius edisseram: facilia perstringam paucis: in quæstionibus incidentibus immorabor diutius.

PETRI MARTIRIS VERMIGLII FLORENTINI IN EPISTOLAM AD ROmanos commentarius.

CAPVT I.

PAVLVS seruus Iesu Christi, uocatus ad munus Apostolicum, segregatus in Euangelium Dei, quod ante promiserat per prophetas suos in scripturis sanctis, de filio suo, qui genitus fuit ex semine Dauid secundum carnem, qui declaratus fuit filius Dei cum potentia, secundum spiritum sanctificationis, ex eo, quòd resurrexit à mortuis Iesus Christus Dominus noster, per quem accepimus gratiam ac muneris Apostolici functionem, ut obediatur fidei inter omnes gentes super ipsius nomine, quorum de numero estis & uos uocati Iesu Christi, Omnibus qui Romæ estis, dilectis Dei, uocatis sanctis, gratia uobis & pax à Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo.

Tria in salutatione consyderanda.

Quoad salutationem, attendendum est quisnam salutem scribat: deinde quibus ea dicatur: postremò quæ bona precetur is qui salutat. Paulus est qui salutem dicit: Romanis eam dicit: bona uerò, quę precatur, sunt, gratia & pax: summa uidelicet quæ ab hominibus habeantur. Rhetores consueuerunt authoritatem sibi, & attentionem, & beneuolentiam in proœmijs conciliare. quòd Spiritus sanctus elegãter præstat. Dum enim Paulus ornatur suis titulis, paratur ei authoritas, atq; is idem, quando memorat, quænam ea sint de quibus uelit agere, attentos reddit legentium animos. Beneuolos autem eos efficit, quando eximia bona illis precatur, aperitq; amorem suum erga eos. Ita enim adducuntur, ut hominem bene sibi cupientem redament. Quòd si uideatur aliquibus hæc salutatio uerbosior, cogitent Paulum grauiter fuisse traductum à pseudoapostolis, quòd à lege deficeret, neque cum alijs discipulis Domini consentiret: neq; habendum esse pro Apostolo, qui cum Domino in carne, sicut cæteri, uersatus non fuerit. Omnibus istis calumnijs ab ipsis proœmijs occurrendum fuit, ut facilius audiretur. De nomine eius nihil attingam. Scio enim ueteres non temerè imposuisse nomina. Sed quoniam scriptura sancta non attestatur, qua de causa uel in Iudaismo Saulus dictus fuerit, uel post conuersionem Paulus, coniecturas omittam, neq; hîc immorabor. Tres præfert in epigraphe titulos, quibus nomen suum cohonestat: primus est, *seruus Iesu Christi*, isq; omnibus fidelibus est communis. Proprium autem hoc est serui, ut sui iuris non habeatur, sed agat negotia sui domini. Quare si Christi serui sumus, opus est quicquid uiuimus, spiramus, & cogitamus, in Christum dirigatur. Videntur q; his uerbis perstringi pseudoapostoli, qui quærebant sua, ut uentri satisfacerent, & quæstum augerent: hominesq; Christo non asserebant, imò potius Mosi, aut sibi. Quum seruos esse Christi, ut dixímus, commune sit omnibus nobis, diligenter expendenda esset metaphora, qua sic dicamur: nimirum quòd ita debemus obsequi Deo, quemadmodũ serui suis dominis. Sed multùm absumus ab eo, ut id præstemus. Nam serui minori parte diei sua curant, totumq; reliquum tempus transmittunt ad res domini sui tractandas. Nos uerò lõgè secus agimus: quàm minimo spatio, uel hora no strę ætatis diuina exequimur, toto autem nobis concesso tempore humana & terrena uersamus. Seruus nihil suum ac proprium habet: nos uerò priuatim multa uolumus possidere, quæ neq; pro Deo, neq; pro Christo erogaremus. Serui dum cæduntur ac uerberantur, ad preces ac supplices uoces confugiunt: nos uerò in aduersis Deo reluctamur, murmuramus, & blasphemamus. Serui accipiunt duntaxat uictum & uestitum, eisq; sunt contenti: nos opibus & luxui, neq; modum neq; finem facimus. Serui auditis minis contremiscunt à uertice ad pedes: nos uerò Prophetarum, Apostolorum, atq; sacrarum literarũ comminationib. nihil permouemur. Serui cum hostibus dominorum suorum nec sermones miscerent, neq; familiaritatem, aut amicitiæ signa exhiberent: nos uerò cum diabolo, carne, & mundo perpetuò

Præcepta rhetorũ de proœmijs hic seruantur.

Cur sit prolixus in salutando.

Paulus uẽdicat sibi tres tuulos.

Proprium serui.

Nota quã maxima pars hominũ distat à Dei seruitute.

Plus Deo seruiẽ dũ, quàm famuli seruire debeãt dominis suis.

coniungimur. Quare multùm absumus ab ea, quam debemus Deo, seruitute: cui tamen longè plus deberemus & obsequi, & inseruire, quàm nobis ipsis famuli nostri. Nam Deus praeter id quòd & pascit, & alit, produxit etiam nos, deditq; ut essemus. Deinde quicquid serui erga nos efficiunt, totum id nobis commodat, illos uerò nihil iuuat: at nos è diuersò, quando inseruimus Deo, nihil illi, aut utilitatis, aut commodi afferimus. Quoniam si iustè uiuamus, is nihilo efficitur melior aut beatior, quàm prius fuerit. Itẽ seruis nostris parùm aut nihil elargimur: Deus uerò pro nobis unicum filium exposuit, & cum eo simul omnia nobis donauit. Promittimus nostris mancipijs leuiculam mercedem: at nobis Deus pollicitus est eãdem felicitatem, qua & Christus ipsemet fruitur. Ex quibus apparet quanto magis ei adstringamur inseruire, quàm serui nostri obstricti sint nobis.

Duplex est seruitus.

Verùm quòd asseruimus, communem esse omnibus hãc uocationẽ, ut serui simus Christi, nõ uidetur bene consentire cum eo, quod habetur in Euangelio: Iam non dicam uos seruos, sed amicos. Obstare uidetur & Paulus, qui aiebat: Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore: sed spiritum filiorum, quo clamamus: Abba, Pater. At contrà nos esse seruos Dei non possumus inficiari. Christus pro nobis pretium exposuit, quare ab eo redempti eius serui sumus. Deus nos creauit: & ea lex operum est cuiusuis artificis, ut ei seruiant. Quare adhibẽda est distinctio hominis interioris & externi, spiritus & carnis. Quoad externum hominem, & corporis opera serui dicimur: quia munia obimus, ut Deo & proximis, quanta ui possumus, obsequamur. Deinde quoad casus aduersos, & crucem, quam assiduè perpetimur, non aliter atq; serui cæduntur & uerberantur, à Deo premimur: non quidem semper, ut illi ad pœnas luendas, uerùm frequentissimè, ut nostra probetur fides: & caro, eiusq; cupiditates reprimantur, exciteturq; pœnitentia lapsuum, & peccatorum passim obrepentium: forma item, & habitus demissus, quo fideles utũtur, nonnullam seruitutem præfert. Quibus modis & Christus dictus est ad Philippenses suscepisse formã serui.

Qua parte seruimus.

Qua parte liberi.

Cæterùm spiritus noster quia non mouetur potissimùm spe mercedis, aut pœnarum timore: sed ultrò ac sponte Dei iussa exequitur, idcirco dicimur habere spiritum filiorum. Item, quia charitate accendimur, & non cogimur necessitate, amici sumus, neq; seruili conditione dehonestamur. Paulus apertè dixit: Quum essem omnium liber, factus sum omnium seruus. Ita uerò seruire Deo, nõ est res leuis. Nam extremo capite libri Iosue legimus, illum ducem populo Israelitico pro cõcione dixisse: non poteritis Deo seruire. Quem locum tractans Augustinus in quæstionibus quas edidit super eo libro, inquit: Si uoluerimus pro dignitate & maiestate Dei, atq; prout lex requirit, illi seruire, impossibile nobis erit. Quare debuit ille populus respõdere Prophetæ: Conabimur & studebimus id præstare: atq; ubi defecerimus, petemus ueniam, & precibus impetrabimus uires, ut quotidie nos melius geramus. At illi magno supercilio, ingẽtiq; superbia responderunt: Deo nostro seruiemus, ac faciemus omnia quæ loquutus es. Quid potuit his arrogantius dici? Experientia tamen docuit uera dixisse Prophetam. Quumq; res carni nostræ adeò sit difficilis, hinc fit, ut uulgò deprehendamus homines seruire Deo, quem admodum in capite 45. Hieremiæ, Nabucadnezar dicitur seruus Domini: nimirũ quòd eius uoluntatem fecerit euertendo Hierusalem, quamuis ipse longè alia cogitaret. Ita multi uoluntatem quidem Dei faciunt: at non eo animo, ut illi seruiant: pij uerò tantùm eò spectãt, quare ueriſsimè dici possunt serui Dei. Idq; ut amplificaret Dauid, cecinit: Quoniam ego seruus tuus sum, & filius ancillæ tuæ. Qui enim procreatur ex ancilla, non modò seruus est, uerùm etiam nascitur seruus: quippe fœtus uentrem sequitur. At seruire, interdum idem est, quod aliter dicimus colere. Et seruitus est cultus, uel religio, quæ Deo impenditur. Hebrei dicũt עבודה & עבר: neq; mihi displiceret, sic de Paulo intelligere, ac si dixisset: fui aliàs persecutor, nunc uerò sum cultor Iesu Christi. Et in hac loquutione agnoscas Hebraicam phrasim, qua Abraham, Moses, Dauid & Iob, alijq; multi commendantur, eò maximè, qnòd fuerint serui Dei. Idq; alijs linguis non solet honori aut laudi uerti: sed Hebræi sic homines eximios commendant. Vnde in Esaia cap. 49. dicitur ad populũ Israel, non esse id parui faciendũ, ut seruus Domini esset. Et profectò uerum Deum agnoscere, & colere, culmen est sapiẽtiæ. Ex eo quòd ait, seruum se esse Iesu Christi, hoc est, nostrę salutis, nostri regis & sacerdotis, consequitur, ut libenti animo suscipiatur, & audiatur ab his, ad quos scribit. Præfigit autẽ sibi alium titulum, quòd sit *uocatus Apostolus*. Multa enim sunt genera seruitutis: nam alij sunt Prophetę, alij Apostoli, alij Euangelistæ, &c. Exponit in presentia qua forma seruitutis ad Christũ pertineat: quòd uidelicet sit eius Apostolus: qui gradus in ecclesia fuit summus: atq; illum non si bi ar

Augustinus.

Impij quomodo seruiant Deo.

Seruire est religioſe colere.

bi arrogat, quasi ab ipso fuerit usurpatus. Nam se uocatum asserit: quò demonstrat uim & facultatem summam uerbi Dei, quo efficit quicquid libuerit potentissimè. Neq; Vocare aliud est quoad Deum, quàm aliquid uel efficere, uel statuere. Vnde per creationem dicitur uocare ea quæ non erant, ac si fuissent. Et prophetæ scribunt, eum interdum uocasse pestem, famem, & gladium, hoc est, effecisse, ut essent, & grassarentur in homines. Illi apud nos dicuntur uehementer posse, qui magna efficiunt solo iussu. Idcirco idem attribuimus Deo, quòd uerbo & uocatione quæcunq; uoluerit faciat consistere. Apostoli dicti sunt Græca uoce missi, quin & Christus in epistola ad Hebræos appellatus est Apostolus, hoc est, à patre missus: Isq; suam dignitatem discipulis communicauit. nam inquit: Quemadmodum misit me pater, ita ego mitto uos. Dumq; Paulus dicit se uocatum, ostendit se aliud agentem fuisse accitum: nam persequebatur Ecclesiam, & in ipso crimine, utq; dicitur à Græcis ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehendebatur. Ex quo loco uideant illi qui opera præparationis asserunt, Paulũ ea non habuisse; nisi quis uelit dicere, persequi Ecclesiam fuisse bonũ opus. Obijcere solent Deum respexisse zelum, propositum, & intentionem eius bonam: ideoq; misertum illius. Scribitur enim ad Timotheum, quòd sit misericordiam consecutus, quòd ignorans feciſſet, & per infidelitatem. Cæterùm Paulus uocationis suæ causam nõ agnoscit meritum, quando ad Galathas inquit: Vbi autẽ placuit ei, quod est Græcè εὐδόκησε. Et ad Timotheum: Sum autẽ misericordiam consequutus, ut in me primò Deus ostenderet longanimitatem, essemq; forma eorum qui crediturí sunt. Ita ut uocationem suam prorsus ascribat diuinę misericordię, non meritis suis. Quod uerò affertur, Quia ignorans feci, & in infidelitate, ideo dicitur, ut ostenderatur ibi opus fuisse misericordia, ubi et ignoratione et infidelitate tam periculosè laborabatur: non quòd infidelitas & ignoratio, quæ peccata erant, mererentur ueniam. Atq; hac prę rogatiua, quòd sit *uocatus Apostolus*, occurrit suis æmulis, qui eum dicebant non esse Apostolum, quòd cum Christo non sit uersatus: illis ait se nihilominus ab eo uocatum esse. Et cõtra illos qui dicebant eum defeciſſe à Iudaismo, excusat se, quòd Deo uocanti paruerit. A quo autem sit uocatus, licet hîc non aperiat, tamen ad Galathas exprimitur. Illic enim habetur: Non ab hominibus, neq; per homines. Quod enim Græci dicunt, Apostoli, Hebræi habẽt שלוחים Hieronymus interpretatur aliquos mitti à Deo, & nõ per homines, ut Mosen, Esaiã, & Paulum: alios à Deo mitti, sed per homines, ut Elizeum per Eliam, Dauid per Samuelẽ, quales etiam plerique fuerunt: alios ab hominibus tantùm mitti, & non à Deo, ut qui præficiuntur Ecclesijs non iusta electione, sed affectu carnis, uel gratia, uel muneribus. Atque hi quum ordinariam institutionis rationem habeant, deijci non possunt, licet non possint appellari electi à Deo: alij tandem sunt qui seipsos obtrudunt, neq; mittuntur à Deo, neq; ab hominibus: quales hodie multi occurrunt Anabaptistæ, qui sua tantùm uoluntate impulsi, ad ministrandum irrumpunt. Hoc fuit munus & Pauli, & Apostolorum, ut pro Christo legatione fungerentur: idq; in Paulo, quum hominibus obscurum esset. Non enim eum uiderant uersatum cum Christo, multis miraculis, ne reuocaretur in dubium, Deus illustrauit. Accedit alius titulus, quo Paulus nomen suum ornat: nimirum, quòd fuerit segregatus in Euangelium, ut ostẽdat uocationem, cuius iam meminit, initium habuisse ex ipsa prædestinatione ac electione Dei. Et in epistola quam scripsit ad Galathas, dilucidè aperit naturam segregationis huiusmodi, quando ait, se fuisse ex utero matris segregatum, hoc est, electum, nõ quidem temerè, sed magna cum sapientia & obseruatione. Hinc discimus, falsum esse quod quidam existimant, homines quosdam natura bonos nasci, alios uerò malos. Omnes certè iræ filij nascimur, neque est disparitas ulla, quoad ortum. Dei uerò prædestinatio & electio est, qua miscemur & inserimur membris Christi. Licet aliqui ex patribus quandoq; dixerint idcirco aliquos à Deo prædestinari, uel secerni à cæteris, quòd eos præuiderit, & gratia, & libero arbitrio rectè usuros, non tamẽ hoc dicunt ex oraculis uerbis Dei. Neq; Paulus unquã usus est hac ratione: imò dixit de Iacobo & Esau: Antequam nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, &c. Quæ ratio debiliter commendasset gratiam electionis, quod tunc facere maximè instituebat, si iuxta horũ interpretationem intelligeretur. Dixisset enim quispiã: Licet hi paruuli nihil adhuc egerint actu, & re ipsa, tamen quoad prouidẽtiam & conspectũ Dei, cui omnia præsentia sunt, & bonum & malum fecerunt: iuxta quæ aut prædestinati, aut reprobati sunt. Atq; ista obiectione argumentum Pauli plurimùm labefactaretur. Deinde hanc causam reddere electionis diuinæ, non erat adeò difficile, ut Apostolus debuerit os oppilare hominis conquerentis de iustitia Dei. Quòd tamen facit, cùm inquit: Tu uerò, quis es,

Deus quomodo aliquid uocare dicatur.

Christus Apostolatũ suũ cõmunicauit discipulis.

Paulus non fuit uocatus ex meritis.

Locus ad Timotheũ explicatus.

Hieronymus multiplicem facit missionem.

Quo fuerit segregatio Pauli.

Omnes in peccato nascimur.

Prædestinatione asserimur Christo, non ex operibus.

ô homo, qui respondeas Deo? Nónne potestatem habet figulus luti, ex eadem massa facere aliquid quidem uas in honorem, aliud uerò in contumeliam? Et exclamat: O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei: quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & imperuestigabiles uiæ eius? Quod utiq; non fuerat dicẽdum, si tam facilè patuisset huius quæstionis dissolutio. Adde quod alibi dicit, Non esse uolentis, neq; currentis, sed miserentis Dei: & iterum, Miseretur cuius uult, & quem uult indurat. Ex quibus liquet, non ex præuisis operibus, sed ex mera benignitate nos deligi ad salutem. Cognitio uerò electionis atq; prædestinationis geminam habet utilitatem: primam ne desperemus in aduersis: sed potius cogitando, quòd fuerimus chari Deo ante iacta fundamenta mundi, quódq; nos non solùm elegerit, sed etiam uocarit, atq; iustificarit, ne dubitemus nos fore illi curæ, ita ut etiam in præsentia non deserat. Valet etiam ad reprimendam superbiam, ne de operibus, aut sanctitate uitæ nostræ efferamur, sciẽtes, hęc nos habere tantùm ex diuina electione. Et hinc etiam patet, Deum ex præuisis bonis operibus nos minimè eligere: quandoquidem illa in prædestinatione comprehenduntur. Quos enim destinauit Deus facere saluos, illis eisdem & gratiam & salutẽ definiuit esse dandam, per quam ad salutem peruenirent. Istæ duæ sunt præcipuæ utilitates, quas cognitio prędestinationis affert electis. Vnde qui de illa ita cogitant, ut desperent, ac si nullum remediũ sint habituri, quo euitent reprobationem: uel ut nimis confidant laxè libereq; uiuendo, dicẽtes id nihil referre, se enim, quum sint prædestinati, damnari non posse: quid aliud faciunt, quàm ut re bona pessimè abutantur? Quælibet res ea parte capi debet, qua teneri potest. Nõ enim gladius stringitur acie, aut mucrone, sed capulo: neq; uas capitur medio uẽtre, sed ansa uel aure. Sic prædestinatio ad commoda iam exposita referri debet: non autem ad illa quę perniciem parare possunt. Hæc insignia, & hos titulos nomini suo Paulus affixit, ne putaremus eum fuisse uagum hominem, qui de religione temerè sereret certamina: utq; intelligeremus magnum esse discrimen inter Apostolos & alios uulgares ministros: licet nõnulli sint qui docere ausint, non minus credendum Romano Pontifici, quàm Paulo Apostolo. Fateor equidem, utrũq; eorum & tonare, & fulminare: sed alia lõgè atq; alia ratione. Ille quidẽ bullis, campanis, bombardis, & militaribus armis: iste uerò uerbo Dei, admonitionib. increpationibus, salubriq; doctrina, & miraculis in ecclesia tonauit, & fulminauit. Videamus autem, quánam ratione isti nitantur. Aiunt: Episcopi successerunt Apostolis: igitur eadem est utrinque authoritas, & utrisq; parendum est ex æquo. Nos uerò ita occurrimus eis. Verum est, Apostolos discedentes ex hoc mundo reliquisse episcopos gubernatores Ecclesiarũ. Sed quòd eadẽ aut pari authoritate prędi ti sint episcopi Apostolis surrogati, enixè pernegamus: atq; id hac ratione probamus: primũ quòd Apostolos uidemus ad id fuisse delectos, ut cultum Euangelij constituerent, & quæ à Christo audiuerant, credentibus promulgarent. At episcopi eò sunt instituti, ut tueantur ea, quæ in Euangelio, & sacris literis continẽtur: quæ sic tuenda suscipiant, ut illis non addant noua, & traditiones fingant pro suo arbitrio. Deinde sancti patres, qui episcopi fuerunt, quando ad scribendum accedunt, fatentur, se tractatores esse diuinæ scripturæ, & nolle quæ scribunt, haberi tanta authoritate, quantam Canoni scripturarum tribuimus: imò sibi credi uetant, si contra diuinas scripturas aliquid proferant. Tertio doctrinæ Apostolicæ astipulata sunt multa miracula, per quę confirmata est eorũ authoritas, quod neutiquã factum uidemus in his ueterũ traditionibus. Præterea certi sumus, Apostolos afflatu Spiritus sancti scripsisse: quod nequaquã attestari audemus de nostris episcopis. Vnde concludimus, Apostolos non potuisse in his quæ scripserũt errare: episcopos uerò sæpe malè statuisse quoad dogmata uidemus, ut patet in Arimineñsi concilio, necnon in secũda synodo Ephesina, & in plerisq; alijs. Quin & in actionib. permultũ quoq; aberrarũt. Chalcedone, & Constantinopoli collectæ sunt synodi, in quibus dãnatus est atq; depositus Chrysostomus: quod etiam illorum episcoporum nomine actum est, qui orthodoxi habebantur, & plęraq; huius generis induci possent. Paulus quoq; ad Timotheũ scribens, orat, ut custodiat suum depositũ, ostendẽs, eum doctrinæ Euangelicę susceptę nihil debere uel addere, uel minuere: hoc est, depositũ iustè seruare. Adijciamus, ita se habere Apostolos ad episcopos, et ordinarios pastores, uti se habuerunt antiquitus Prophetę ad Põtifices & Sacerdotes. Nam illi potuerunt adferre libros, qui Canoni admiscerẽtur. Samuel enim suos libros adiecit Scripturę. Esaias, Ieremias, et alij prophetę scripturę addiderũt sua monimẽta: quod Scribę, Sacerdotes atq; Põtifices nequaquã potuissent efficere. Apostoli uocarũt Gentes, abrogarũt ceremonias legis: quod fuit ultra uires Põtificũ et Sacerdotũ. Idcirco Apostolus se prędicat his titulis, ut

Vtilis est notitia prædestinationis.

Qui prædestinationis notitia abutantur.

Quælibet res capienda qua parte possit teneri.

Papa et Paulus diuersis rationibus tonant & fulminant.

Apostoli & episcopi non sunt paris authoritatis.

Discrimen inter Apostolos et episcopos.

Chrysostomus deponitur.

Cur Paulus hos adscripserit sibi titulos.

ut quando illum legimus, aut audimus, non hominis uoces, sed è cœlo oracula putemus effundi. Interponitur hic laus Euangelij, quæ per parenthesin legenda est: eaq; protenditur usq; ad eum locum, ubi ait:

Omnibus, qui sunt Romæ, &c. Euãgelium, ut in summa dicamus, prædicatio est de Christo nobis oblato ad salutem, iuxta promissiones antiquitùs factas. Commẽdatio hæc à materia, quæ tractatur in Euangelio, deducitur. Quoniam omnis facultas dignitatem nancisci tur à re, circa quam uersatur. Infrà descriptio alia inducetur: sed ea ex efficiẽtia desumetur: nimirum Euangelium esse uim Dei ad salutem: hoc est, organum, quo Christus nos uoluit seruare. Definitiones ab his causis profectę deberent unà coniungi, ut Euangelij pleniorem haberemus notitiam. Quod dicitur: *Quod ante promiserat, &c.* occupatio est, qua declinat inuidiam nouitatis. Nam Euangelium putabatur doctrina recens. Et sic ratiocinabantur secum, qui audiebant Paulum: Veteres Patriarchæ atque Prophetæ salutem habuerunt, & Ecclesiam: & tamen uestro Euangelio caruerunt: igitur hæc doctrina non est necessaria, imò superuacanea. Hîc Paulus fatetur ueteres fuisse seruatos, at non absque Euangelio. Nam quum illud Deus anteà promisisset, fide huius promissionis omnes seruabantur. Nunc autem uobis apparet doctrina recens: quoniam traditionibus humanis hanc promissionem obruistis, uestrisq; inuentis obscuratis. Hoc idem hodie possumus regerere nostris aduersarijs, qui clamant, nos inuehere nouam doctrinam. Certè nos nihil noui molimur: illi prorsus recentia & noua intulerunt, quorum nulla est mentio in sacris literis, imò permulta quæ ab eis asseruntur, scimus recepta fuisse lõgè post Apostolorum tempore, ex decretis, aut sinodis Episcoporum. Et si qua sunt, quorum certa nesciatur origo, eorum tamen sacræ non meminerunt literæ. At hîc Apostolus eo nomine suum Euangelium commendat, quòd anteà promissum fuerit per Prophetas in scripturis sanctis. Omnia hæc miram habent emphasim. Quod enim promissum est à Deo tanto antè tempore, fieri non potest, ut non sit præclarum & eximium. Cœpit autẽ hęc promissio ab eo, quòd Adamus afflatus spiritu, dixit: Hoc nũc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: quod Apostolus ad Ephesios de Christo & Ecclesia dictum accipit. & ab eo item, quod Euæ dictum fuit: Semen tuum conteret caput eius. Deinde extracta est continuis oraculis per Patriarchas, & diuinos uates usq; ad extremum. Prophetę hîc sunt uiri eximij, nimirum interpretes Dei. Et hac uoce significantur scriptores omnes canonis, cuiuscunq; ordinis fuerint. Et quod adijcitur, *In scripturis sanctis*, eò pertinet, ut ostendat, non esse futilia oracula quæ citat, quum extent in sacris literis. Sunt enim consignata publicis tabulis, & instrumento rata & firma. Dumq; ista dicit, seipsum commendat, qui tanti Euangelij erat administer. Eademq; ratione illos reuocat cùm à ceremonijs, tum à philosophia: quibus rebus mirum in modum erant intenti. Sequitur:

Euangelij crassa definitio à materia.

Alia definitio ab efficienti causa.

Doctrina Euangelij non est noua.

Quando promissio Euangelica cœperit.

Qui factus est ex semine Dauid. Filij Dei attingitur incarnatio: & ratione personæ dicitur factus, licet hoc ei non cõueniat, nisi quoad humanitatem. Dicitur autem *ex semine Dauid*: quoniam Dauidi facta est illustris promissio, ita ut Messias uulgò appellaretur filius Dauid: quemadmodum in Euangelijs legimus, Scribas, & Phorisæos esse testatos, quibus Christus obijcit: Quomodo Dauid appellat eum Dominum suum? Conuincuntur ex hoc loco impij hęretici, qui Christum uolunt corpus habuisse non ex natura & substantia uirginis, uerùm è cœlo delatum. Argumentum sibi confingunt, quòd nostra caro damnationi subiecta sit & maledicto. Ideò non est uerisimile, inquiunt, filium Dei eam suscepisse. Quod facilè potest explodi. Nam maledictio & damnatio accidentia sunt: unde illa Deus facilè remouere potuit, salua natura & substantia hominis. Quare non minus potuit Christo elargiri sanctum & mundum corpus ex uirgine, quàm potuit ex feculento limo educere nobile ac mundissimum corpus Adamo. Et quod audimus filium Dei eò se demisisse, ut humanam carnem susciperet, nobis esse debet stimulus haud mollis, ut nihil tam durum se offerat, quod pro Christo nolimus ferre. Quæritur à multis, cur filius Dei humanam carnem susciperet uoluerit. Et licet multæ rationes afferri possint, ea tamen à me referetur, quam Ambrosius hoc loco reddidit: uidelicet, ut in carne quæ peccauerat, supplicium sumeretur: quemadmodum homines malefici ibi consueuerunt luere pœnas, ubi enormia scelera commiserunt.

Quomodo filius Dei sit factus.

Christus habuit uerum corpus & carnem ex Maria.

Cur Christus humanam carnem susceperit. Ambrosius.

Qui declaratus est filius Dei. Hîc nescio quomodo Latina uersio habuit. *Qui prædestinatus est.* Vnde interpretibus magnus labor fuit commodè id exponere. Potuerũt sanè dicere, Christum ad hoc fuisse prædestinatum, ut mediator atq; redẽptor esset humani generis. Sed non consentiunt quæ sequuntur. Quoniam huius prædestinationis nõ potuit esse causa, uel

resurrectio à mortuis, uel effusio Spiritus sancti. Idcirco legendum est, ut Græci codices habẽt, ὁρισθέντος, quod est, ut Chrysostomus interpretatur, ἀποδειχθέντος, ἀποφανθέντος, ληφθέντος, hoc est, demonstrati, declarati, & iudicati. Actum est prius de ueritate humanæ naturæ: quæ ostẽsa est inde, quòd factus fuerit, atq; ortus ex semine Dauid. Nunc diuinam docet Apostolus. Dicit enim Christum fuisse publicatum, declaratum, ac demõstratum filium Dei certis argumentis. Et quamuis hîc nulla mentio est prædestinationis, tamen Latina lectio non est reiecẽda. Nam eius meminit Origenes: qui nihilominus eam non sequitur. Nam interpretatur quẽ admodum Græcè habetur ὁρισθέντος. Sed quomodo ille Latina citet, uariæ sunt opiniones. Quidã hoc attribuũt alacri atq; indefesso studio ipsius, qui omnes uersiones curarit peruestigare. Neq; putandum est, Latinam fuisse illi parũ cognitam: quandoquidem Romæ fuit uocatus à Mammæa matre Alexandri imperatoris. Alij iudicant hæc non ascripta fuisse ab authore, sed interposita ab interprete. Cęterùm & quidam existimant librum eum non esse Origenis, inter quos est Erasmus. Hieronymus uerò exponens primum caput ad Ephesios, apertè indicat, hîc legendum esse ὁρισθέντος, neq; præpositionem adijcit πρό. Et sanè uerbum hoc est in usu, quando magistratus designati publicantur, atq; renuntiantur. Itaq; sensus erit, Christus qui uerè homo fuit, & ex semine Dauid, declaratus, definitus, ac renũtiatus est filius Dei, subiectis rationibus.

Origenes uersionem Latinam citat.

Hieronymus.

Significatũ uerbi ὁρίζομαι.

In uirtute, secundum spiritum sanctificationis, & resurrectionem mortuorum. Loquutio hæc admodũ impedita, diuersas expositiones nacta est. Aliqui sic exponunt, quasi unicum referatur argumentum ad Christi diuinitatem comprobandam, eius, inquam, resurrectio: quam aiunt contigisse per potentiam, & Spiritum sanctum. Vtq; ostendant hoc argumẽtum potissimum esse, inducunt Christum non dedisse aliud signum nisi Ionæ prophetæ, quodq; dixerit: Soluite templum hoc, & in triduo illud excitabo. Videnturq; Apostoli nonnulli de natura diuina idcirco desperasse, quòd uiderent resurrectionem differri, ut Cleophas dicebat peregrino in uia: Sperabamus illum tertio die resurrecturum. Altera opinio est, quæ putat unicum argumentum adduci de Spiritus sancti effusione. Non enim potest, nisi Deus, Spiritum sanctum donare: nam illo efficimur consortes diuinæ naturæ, atq; ingenij Dei participes. Et uerba sic aptant, ut Christus declaratus sit filius Dei in potentia, ideſt, ex eo potens, quòd spiritũ sanctificationis emisit in suos, idq; ex resurrectione à mortuis, id est, postquã ab inferis exuscitatus est. Nam licet antea quoq; dedisset spiritum credentibus, attamen quia hoc non tam largiter & opulenter præstitum fuit, ideò, ut Iohannes quoq; testimonium perhibet, nõdum spiritus erat datus. Et sic argumentum istud sumetur ab effusione Spiritus sancti: quæ, licet quoad miracula hodie non extet, tamen sic durat, ut sine illa Ecclesia non possit existere, Regeneratio enim locum non habet absq; Spiritu sancto. Mitto quòd alij resurrectionem mortuorum acceperunt quoad illos, qui excitati sunt in morte & resurrectione Christi, quum monumenta aperirentur: quod non multùm his, quæ dicentur, consonat. Mihi autẽ uidentur tria potissimùm hîc attingi, quibus probatur Christus esse filius Dei: Vnum à miraculis, atq; id significatur ea particula ἐν δυνάμει. Nam δυνάμεις apud Paulũ significat miraculorũ editionem. Alterũ argumentum est à resurrectione, qua fuit à mortuis excitatus, & in ęternum uiuit, quaq; nos cum eo resurgemus. Tertium argumẽtum est ab emissione Spiritus sancti: atq; hæc tria iuxta temporis ordinem ac seriem edita fuerunt. Christus enim, dum uixit, miracula cõplura edidit: post mortem excitatus est à mortuis: atq; post resurrectionem Spiritum sanctum misit.

Resurrectionem unicum signũ naturæ diuinæ Christi.

Missio quoq; Spiritus sancti non singulare signum naturæ diuinæ Christi.

Tria diuinitatis Christi argumẽta.

Per quem accepimus gratiam & Apostolatum. Dixerat suprà, se fuisse uocatum: sed non adiecit, per quem. Hîc expresè dicit à Christo se hoc accepisse. Gratia significat in sacris literis quum primis beneuolentiam & fauorem, quo nos Deus prosequitur. Vnde nos consueuimus gratiosos appellare qui diliguntur, suntq; grati compluribus. Sed hoc interest: illi quos gratiosos appellamus, aliquid in se habent, quo proliciant homines ad se amandos: siue hoc sit forma, seu uirtus, aut aliquid huius generis. Non enim mouẽtur homines ad quempiam amandum, cui non insit aliquid amabile. At non possumus hoc asserere de Deo: quoniam is ante omnia nos diligit, & quum dilexerit, elargitur sua dona, quibus faciat nos & gratos & amabiles. Quòd si secus uellemus constituere, oporteret Deum non haberi authorem omnium rerum. Nam aliquid in nobis poneremus esse, antequam ab eo amaremur, quod ipsum pelliceret ad nos amandos. Atq; ita ex creatura creatorem faceremus, asserendo nos aliquid habere, quod non penderet à Deo. Significat itaq; Gratia, liberalem fauorem & beneuolentiam Dei, qua cum Christo gratis nos prosequitur. Et hæc potest accipi aut generaliter, sic, ut

Per Christum uocatus est Paulus ad Apostolatũ. Quid sit gratia Inter hominum & Dei amorem quid intersit.

Definitio gratiæ.

postea

postea contrahatur per munus Apostolicum: aut significat hoc loco munus & facultatẽ gratis concessam Paulo: quæ facultas statim exprimitur, quum adijcit:

Et Apostolatum, ad obedientiam fidei. Finem ponit ad quem pertineat facultas Apostolica: uidelicet, ut fidei obediatur. Et hoc potest fieri bifariam: uel suscipiendo fidem: nam ea quum sit firmus assensus, qui adhibeatur uerbis Dei, potest dici obedientia: quomodo Paulus scribebat ad Corinthios, se habere arma spiritualia, quibus captiuaret omnem intellectum ad obedientiam Dei. Intelligi etiam potest de proba uita, & sanctitate morum, quæ fidem consequitur, dum honestis actionibus exprimimus uim nostræ fidei.

Finis Apostolatus.

Obediẽtia fidei.

Pro nomine eius. Non fungimur Apostolico munere ad quæstum uel gloriam nostram: sed pro nomine, id est, pro gloria & laude Christi Iesu in omnibus gentibus. Quod autem *In omnibus gentibus* additur, demonstrat Apostolorum facultatem non fuisse contractam certis limitibus, sed per orbem uniuersum eos ualuisse creditum sibi uerbum explicare, fundare Ecclesias, & discipulos ad Christum adducere.

In quibus estis & uos uocati Iesu Christi. Licet potiamini rerũ, estis nihilominus in censu reliquarum nationũ. Dicit eos uocatos Christi: quoniam extra uocationẽ ad illũ non peruenissent. Neq; participio usus est, quod habet consignificationẽ tẽporis, ut illis bene ominaretur constãtiam & firmitatem in suscepto proposito, quasi nõ habuerint temporariam uocationẽ, sed firmã atq; constãtem. Quũq; utaĩ adeò frequenter Vocationis nomine, satis indicat qualis sit conuersio nostra cùm Christum amplectimur. Est sanè uolũtaria, non coacta, nec uiolenta, Persuademur, quum intimo uerbo Dei efficaciter uocamur. Hîc finis est parenthesis, quæ cœpit ab illis uerbis, *Quod ante promiserat per prophetas.* Nunc secunda pars occurrit salutationis epistolaris, qua homines exprimuntur, quos iubet saluere, dum inquit: *Omnibus qui sunt Romæ, dilectis Dei, uocatis sanctis.* Non salutat omnes Romanos, quoniam Romæ non cõflata erat Ecclesia solùm ex indigenis: uerùm confluxerãt eò innumeri peregrini, partim Iudæi, partim Græci. Idcirco Paulus uult his omnibus, modò Christo crediderint, salutem esse communem. *Dilectis Dei* ait: quæ uox monere debet credentes, ut inter sese ament. Nam illum, quem credo amari à Deo, qui possum ego non amare? Rectè appellat dilectos Dei, non diligentes Deum: quoniam is est prior, qui nos diligit. Atq; hinc nos donamur charitate, atq; aliis nobilissimis uirtutibus. Adiecit *Vocatis sanctis*, qua uoce admonet eos præteriti status. Si uocantur ad sanctitatem, quum non habeat locum motio, nisi appositi fuerint fines, ideò concludere poterant ex immunditia & impuritate se uocatos esse ad sanctitatem. Nec mihi dixeris: Non omnes qui Romæ erant, dici debuerunt sancti, cùm multi ibi essent parùm absoluti, & nondum perfecti: quia hæc non obstãt. Quoniam Paulus primùm coniecit oculos in meliores, & eorum nomine ac laude totam cohonestauit Ecclesiam. Redundant enim in alia membra certe prærogatiuæ singulorum membrorum. Deinde spectauit Apostolus, quò uocati essent, nimirum ut sancti fierent. Videbat illos accitos ad sanctorum communionem: unde & nomen acceperuut. Et Augustinus libro 6. contra Iulianum monet, ne putemus sanctitatis uocem significare perfectionem. Et citat locum Pauli prioris ad Corinthios, ubi dicit: Templum Dei sanctum est, quod estis uos. Et nulli obscurum est, Corinthios plurimis uitijs laborasse. Et si perueștigemus uim significationis huius uocis, Sancti, ut idem Augustinus docet in libro de Symbolo & fide, accipiet ex uerbo sanciendi. Nam id sanctum dicitur quod cõstans & firmum est, ac deputatum ad manendũ. Nihil uerò magis impedit, quo minus æternũ maneamus, quàm peccatũ. dicitur enim, mors stipendium esse peccati. Idcirco efficitur, sanctitatẽ potissimùm esse sitam in condonatione ac remissione peccatorũ. A qua sententia nõ abhorret quod Paulus habet priori ad Corinthios: cùm inquit, postquã recensuisset catalogũ enormium peccatorũ: Et hęc aliquãdo fuistis, nũc uerò abluti estis, sanctificati estis. Condonatio uerò peccatorum per Spiritum sanctũ habetur. Quòd si à præparatione sanctũ quippiã esse dixerimus, uerè poterunt appellari sancti, qui Christo crediderunt, eo quòd ad gloriam, & summam puritatem futuræ uitæ, cùm spiritu, tum gratia Christi præparantẽ. Videtur Ambrosius uestigare quinam sint hi, qui appellantur *dilecti Dei, & uocati sancti*. Et respõdet eos esse qui bene de Christo sentiunt. Quòd si rursus de his quæras, respondet: Illos de Christo benè sentire, qui censent ei soli fidendum, atq; in ipso perfectam esse salutem. Verùm ex eo concluditur à contrarijs, eos de Christo non bene sentire, qui suis uiribus aut operibus cõfidunt. Quod qui sapiunt, habendi non sunt inter uocatos sanctos, & dilectos Dei, ut nunc de illis Ambrosius est loquutus. *Vocatos* appellat sanctos, quoniam homines ad sanctitatẽ

Vocati, non participium, sed nomen.

Qui iubeantur saluere.

Ecclesia Romana ex diuersis gẽtibus constabat.

Romani quare dicantur sancti.

Augustinus. Sanctitatis uox non significat perfectionem. Vnde sanctitatis uox deducatur.

Ambrosius.

Quinã de Christo bene sentiãt.

ſuopte ingenio pertingere non ualent, niſi adducantur cœleſti ui Spiritus. Nec diſsimulandum, non idcirco uocari homines à Deo, quòd ſancti ſint, ſed ideo ſanctos eſſe, quòd eos Deus uocarit. Non temerè utitur Paulus hoc loquutionis genere: quoniam Iudæi, quum originem ducerent à ſanctis Patriarchis, & prophetis, totam ſanctitatem in ſua ſtirpe finiri iactabant: quaſi cæteræ nationes ita eſſent impiæ, ut nefas haberetur communicare illis iſtam proprietatem ſanctitatis. At iam oſtenditur, Chriſti gratia factum, ut æqua lance tam Gētes quàm Iudęi ſanctitatis prærogatiuā nanciſcerentur, modò Chriſti fides interponeretur. Spectes etiam, Paulum in his duabus dictionibus collocandis iuſtum ordinem retinuiſſe. Prius enim poſuit, *dilectis* Dei quàm, *uocatis ſanctis*: propterea quòd ſanctitas non erumpit aliunde, quàm ex charitate & dilectione, qua nos Deus proſequitur. Et potuiſſet Romanos cohonestare aliis ampliſsimis titulis: nimirum, quòd imperarint orbi uniuerſo, & rerum potirentur. Sed his diſsimulatis tantùm perſecutus eſt potiora, & potiſsimùm, quia nō expediebat plus Gentibus, quàm Iudęis blandiri: & præſertim quum ortum eſſet non leue diſsidium inter utramq; nationem. Declinat itaq; illa inſignia, quæ propria erant Romanorum, & attingit cōmunes laudes omnium credentium, quò magis inter ſe coniungerentur in illa Eccleſia, qui erant ex Gentibus, quiq; ex Circunciſione. At nos minimè propterea deterremur, qui principes & ſalutemus, & appellemus propriis titulis. Nam hoc agendo & nos ipſos commonefacimus quid illis debeamus, & eos officij ſui. Nam & Paulus, quando in Actis Apoſtolorum orationem habuit ad Agrippam, regis titulo non uerítus eſt eum appellare. Hucuſq; ſecundam partem explicauimus ſalutationis, hoc eſt, qui nam illi ſint, quos Apoſtolus iubet ſalutare. Nūc uidendum eſt, quæ nam bona illis precetur.

Sanctitas non eſt cauſa uocationis.

Iudæi ſanctitatē ſibi tantum uendicabant.

Pulchra uerborum collatio.

Licet apellare principes titulis ſuis.

Pax quid Hebræis.

Gratia coniungitur cum pace.

Pax non habetur hic perfecta

Pax quæ ſuperat omnē ſenſū.

Argumentū petendi atq; ſperādi quæ oramus.

Quare Chriſtus dicatur Dominus.

Tertullianus.

Gratia, inquit, *uobis, &c.* Nomine pacis Hebraico more intelligit omnium bonorum coagmentationem. Vt enim Ethnici dicunt, χαίρειν, & ſalutem: ita Hebræi dicunt שלום. Et in ueteri Teſtamento frequens eſt hæc ſalutatio. Quin & Chriſtus accedens ad Apoſtolos dixit: Pax uobis. Et Apoſtolis præcepit, ut in quamcunque domum ingrederentur, dicerent: Pax huic domui. Huic ſalutationi uulgò apud Hebræos uſitatæ, Paulus adjicit uocem, *gratia*, quam non facilè inuenias in ueteri Teſtamento additam ſalutationibus. Sed Paulus hîc nihil peccat: nam ſuæ uocationi reſpondet: fuit enim prædicator gratiæ, & interim admonet eos, ad quos ſcribit, non expectandam eſſe pacem, ideſt, cumulum bonorum omnium ex uiribus & meritis noſtris, uerùm ex gratia Dei. Radicem oſtendit, & primo loco ponit, unde ſeſe cætera bona in nos effundant, ut fœtum unà cum matre habeamus. Non tamen perſuadeamus nobis, dum hîc uiuimus, pacem abſolutam atque perfectam haberi poſſe: augetur tamen indies. & Paulus eam precatur, ut nunc illam habeant inchoatam, & ſuo tempore plenam. Eam nihilominus in præſentia per Chriſtum conſequimur, ita, ut Deum habeamus nobis placatū. Nam infrà ſcribitur: Nunc igitur fide iuſtificati pacem habemus erga Deum: ex quo dimanat conſcientiæ tranquillitas, tantumq; ſpiritus, & diuinæ conſolationis, ut quicquid acciderit, boni conſulamus. Quamobrem in medijs tribulationibus atq; tormentis non detrahebatur ſanctis uiris firma pax. Nam gratias Deo agebant, & ſibi in illis afflictionibus iudicabant optimè conſultum. Et hæc eſt illa pax, quæ omnem ſenſum & humanam rationem ſuperat. Quum dicit A Deo patre, *et domino noſtro Ieſu Chriſto*. Fontem & originem oſtendit, unde nam hæc bona præclariſsima ſperari poſſint. Non enim ex noſtris uiribus & operibus prodeunt, ſed ex Dei miſericordia. Et argumentum ſumimus petendi & ſperādi bona, quæ precatur Paulus. Nam quum is Deus, à quo hęc petuntur, & bonus, & pater noſter ſit, citra controuerſiam dabit. Et Chriſtus, quandoquidem mediator noſter eſt, atq; redemptor, haudquaquā negabit. Dominus appellatur, quod ei pulchrè conuenit. Omnia enim illi data ſunt à patre, & pretium pro noſtra ſalute ipſe perſoluit: idcirco iure dicitur Dominus. Quam appellationem inde licet ſuſpicari eum nactum eſſe, quòd Hebræi nomen ſanctum Tetragrammatum, quod eſt יהוה nunquam pronūtiatione expediunt, ſed per alias uoces efferunt, id eſt, per אלהים uel אדני quæ potentiam & dominatum ſignificant. Vnde factum uidetur, ut Septuaginta interpretes, quum occurrebat nomen Tetragrammatum, illud reddiderint per uocē κύριος, ut multis locis apparet, ex quibus unum proferemus: Dixit Dominus Domino meo. Vbi primo loco habetur יהוה quod illi reddiderūt, Dominus. Idcirco cùm Chriſtus appellatur Dominus, perinde eſt, ac ſi Deus uocetur: quamuis Tertullianus aduerſus Praxeam dicat, Dominum appellari Chriſtum, quando coniūgitur cum patre. Tunc enim pater Deus appellatur. Quòd ſi filius adiunctus item

item diceretur Deus, ethnici existimare potuissent, nos plures deos ponere. Vt itaq; obsista-
tur eorum superstitioni, epitheton filij, Dominum facimus. Sed si per seipsum ac solitarie no-
minemus Iesum Christum, facilè appellatur Deus, ut liquet in plerisq; scripturarum locis. Et
utitur quodam simili, quòd radium solis, quum eius fit mentio seorsim, solem appellamus: & *Simile.*
dicimus solem ingredi nostras fenestras. Sed quum incidit ut sol quoque una cum radio sit
nominandus, nequaquam appellamus radium solis nomine, sed esse dicimus solis radium.
Cæterùm prima ratio firmior est: & per id quod Paulus innuit, pacem nobis expectandam
esse tam à filio, quàm à patre, demonstratur utriusq; inter se æqualitas. Salutatio uerò epistola *Aequalitas Patris & filij.*
ris, quam Paulus ubiq; præponit in suis literis, nequaquam est otiosa. Nam si multùm ualue
runt patrum benedictiones, id est, Nohe, Isaaci, Iacobi, Mosis, & aliorum, certè Pauli etiam *Salutationes Pauli non sunt inanes.*
precationes non sunt censendæ fuisse inutiles. Quumq; uideamus & naturam, & spiritū non
abhorrere ab hoc officij genere, ut mutuò salutemus, ille mos retinendus est. Sed tantùm ca-
uere oportet, ne simulatè, & aliud animo sentientes, externa duntaxat uoce, aut scripto ali- *Officium salutādi retinendum inter Christianos.*
cui salutem dicamus. Alioqui salutatio instrumentum est non parùm idoneum, ut nos cha-
ritatis admoneat in proximos: utq; proximus intelligat qua nos eum charitate prosequa-
mur. Dicta sint hæc de prima salutatione. Nunc ad exordium est accedendum: quo Pau
lus plurimū contendit conciliare sibi Romanos eo nomine, quòd uehementer gaudeat eos
accessisse ad Christum.

Primùm quidem gratias ago Deo meo per Iesum Christū super omnibus
uobis, quòd fides uestra annuntiatur in toto mundo. Testis enim mihi est Deus,
quem colo spiritu meo in Euangelio filij ipsius, quòd indesinenter mentionem
uestri faciam semper in precibus meis, orans si quo modo tandem aliquādo pro-
sperum iter contingat uolēte Deo, ut ueniam ad uos. Desidero enim uidere uos,
ut aliquod impertiar uobis donum spirituale, quo confirmemini: hoc est, ut com
munem capiam consolationem ex uobis, per mutuam fidem, uestram simul &
meam. Nolo autem uos ignorare fratres, quòd sæpe proposueram uenire ad uos,
licet præpeditus fuerim ad hunc usq; diem, ut fructum aliquem habere inter uos
quoq;, quemadmodum inter reliquas gentes. Græcis simul & barbaris: eruditis
pariter & rudibus debitor sum: ita, quantum in me est, paratus sum uobis quoq;
qui Romæ estis, euangelizare.

Solent exordia eò spectare, ut audientes, quantùm fieri potest, concilient: quod Pau- *Quo tendāt exordia.*
lus facit, primùm ostendens se gratias agere Deo pro illis. Rationem subdit, quòd iam eorū
fides per totum orbem prædicetur. Et preces asserit à se fieri pro eis perpetuò, ut, quo cœ-
perant, pergant. Deinde ostendit se uehementer cupidum eos uidendi coràm. Et profert cau
sas, cùm ut ipsos consoletur, tum ut seipsum atq; eos confirmet. Additq; illud, ex officio se ista
desiderare. Nam propter Apostolatum, quo fungebatur, agnoscebat se debitorem omnibus
gentibus. Et adiecit, se propterea Euangelium nequaquam erubescere: atque ita concludit
exordium. Hîc primùm obseruabimus, esse Christiani animi, ut pro alienis bonis, ita atque *Quid maximè aduersetur inuidis.*
pro suis Deo gratias agat: quod uehementer inuidiæ aduersatur: cuius ingenium est, quum
maximè uiget, ut propter bonū aliorum ingemiscat: uel si remissa fuerit, parùm saltem curet,
nec lætetur aliorū prosperitate. Ait, *se gratias agere Deo suo.* Dubium non est, Deum natura sua *Sancti Deū uocant suum.*
communē esse, sanctí tamen illum propriū faciunt sibi: non eo studio, ut socios & cōparticí-
pes excludant, sed incitantur quodam priuato sensu diuinæ bonitatis, ut hoc genus locutio-
nis usurpent. Deinde animaduertūt, sibi nonnulla concedi singulariter, quæ aliis non tribuū-
tur. Quibus rationib. legimus, Deum seipsum cognominasse Deū Abrahami, Isaaci, & Iaco
bi: cùm tamē omnium fuerit Deus. Gratias agit Paulus de Romanorū fide: qua de re alij è di
uerso ringebantur. Vnde uidemus in Christianis & impijs admodum esse diuersum sensum.

Per Iesum Christum. Agit gratias: quoniam per ipsum eundem bona omnia in nos de ri- *Gratiæ agendæ per Christum.*
uantur. Et par est, ut in authorem per hoc idē medium redeant. Nos enim dona & charisma-
ta Dei, quum in nos fluxerint, polluimus infirmitate ac debilitate, qua laboramus. Vnde si in
Deum referantur, ut illa in nobis habemus, facilè sordescent: at per Christum repurgantur, &
per illum oblata Deo in gratiarū actione, efficiūtur odor suauitatis. In omnibus ferè epistolis
Paulus incitatur, ut Deo gratias agat pro eorum donis, ad quos scribit: quia nihil ei fuit op-

tatius, quàm ut nomen Dei sanctificaretur, & eius regnum propagaretur. Quod ubi uide bat succedere, statim soluebatur in gratiarum actiones.

Euangeliũ tempore Pauli ualde propagatũ erat.

Romanorum ingẽs idololatria.

Filij Dei reperiunt in unaquaq; creatura de quo gratias agant.

Impij nunquam Deo uerè gratias agunt.

Ecclesia Romana degenerauit.

Ecclesia nõ semper habet easdẽ sedes.

Religio appellatur fides.

Laus Thessalonicensium.

Chrysostomus.

Quæ à credendo potuerint Romanos absterrere.

Fides, inquit, uestra, in toto mundo annuntiatur. Ac si diceret: Non frustra gratias ago Deo, neq; ego solus percipio beneficium Dei erga uos: sed uniuersus mundus iam sentit, quàm Deo chari sitis. Quare oportuit Romanorum fidem uehementem fuisse ac uiuidam, & quę per charitatem operaretur: alioqui non potuisset in toto orbe terrarum tam facilè inuulgari. Neq; fuit hoc leue opus Dei, ut Euangelium tam citò propagaretur, ut Pauli tempestate, quemadmodum hîc ad Romanos, & ad Collossenses attestatur, per totum mundum latè dis seminatum fuerit. Sed per *Totum*, oportet ut intelligamus mundi potiores & nobiliores partes. Et certè fuit ualde mirum, quomodo Romani obruti superstitionib. (nam quum orbem uicissent, numina dæmonum ad se accersiuerant, ex omni parte orbis) tandem resipuerint, & ad ueram religionem animum aduerterint. Deinde quum Paulus ait, se pro illis & gratias agere, & orare, admonet quidnam illis faciendum sit: uidelicet, ut ipsi quoq; pro se gratias agant, & orent. Spectemus hoc loco, ingenium esse filiorum Dei, ut in unaquaq; creatura inueniant, unde Deo gratias agant. Hoc enim laborant, ut perpetuò quærant Deum. Is autem ubiq; est. Ideo quum ubiq; eum sentiant, de omnibus rebus gratias agunt: quando quidem nihil est tam incommodum, quin eis aliqua ex parte commodet. Videas è diuerso impios & diaboli filios nunquam quiescere, nec quicquam habere tam commodum & tranquillum, quod eis non faceslat negotium. Dumq; semper defigunt oculos in molesta & grauia, nunquam ex animo gratias agunt Deo, imò semper & blasphemant, & irascuntur. Commendat illis susceptam fidem, ut eam non parui faciant, aut æstiment. Suntq; admodũ dolendæ uices Romanæ Ecclesiæ, quæ cùm hîc tantopere laudetur ob susceptam religionẽ, postea sic degenerauerit, ut iam facta sit Antichristi sedes. Vnde admonemur, Ecclesiam nõ semper eodem statu ac loco manere. Commutat subinde hospitia, & ex gente in gentem uagatur. Fuerunt olim in Oriente nobilissimæ ecclesiæ, Hierosolymitana, Antiochena, Alexandrina, Constantinopolitana: ubi hodie regnat Mahumetica spurcities: & qui Christiani illic degunt, superstitionibus infinitis addicti sunt, atq; paulatim degenerant in alienam religionem. Vnde uerissima est seruatoris nostri sententia, qua pronuntiauit, nouissimos fore primos, & primos nouissimos. Neq; dissimulandum est, quòd Apostolus uolens Romanos prædicare, qui Christi religionem susceperant, eam appellat fidem: ut intelligamus indepen dere nostram pietatem. Hoc idem genus laudis inuenias ascriptum Thessalonicensibus epistola priore, cap. 1. ubi scribit Paulus, illos formam & exemplar fuisse omnibus credentibus, & in Macedonia, & in Achaia: ita, ut fides eorum iam ubiq; prędicaretur. Verùm de Romanis maior admiratio excitata est, ut Chrysostomus attestatur: quãdoquidem imperio summo potiebantur, diuitijs abundabant, atq; undiq; circũfluebant delitijs: quæ omnia reddũt homines à sana religione abhorrentes. Præterea mirum fuit, eos habuisse fidem Iudæis, hominibus alioquin exosis omnibus nationibus, ijsdemq; piscatoribus & idiotis, quoad mundum abiectissimis: & potissimùm quum sibi prædicari audirent hominem crucifixum, in Iudæa uersatum, quem nũquam uiderant, iuberẽturq; sperare ex eo affecto tam immani supplicio, sibi omnia bona prouẽtura esse: nec eis promitteretur in hac uita ulla fœlicitas: uerùm crux, persequutiones, & aduersa omnia: insuper mandaretur morum grauitas, abdicatio uoluptatum, mundi contemptus, & mortificatio prauarum affectionum. Quæ omnia facilius homines ab aliqua religione abstrahunt, quàm ad illam alliciant.

Quid Spiritus. Ambrosius.

Quare Paulus frequenter se purget.

Testis enim mihi est Deus. Posteaquam indicauit, se pro illis Deo gratias agere, subijcit perpetuam memoriam eorum, quam retinet in suis quotidianis precibus. Atq; hæc omnia huc spectant, ut illi se à Paulo amari intelligant. Non enim sunt hæc, aut inueniri possunt extra beneuolentiam & singularem charitatem. Neq; hæc simpliciter affirmat, sed interponit iuramentum. Eius quippe magni referebat, ut sibi crederetur.

Cui seruio in spiritu meo. Per spiritum intelligit mentem agitatam diuino afflatu. Atq; Ambrosius, dum interpretatur hunc locum, spiritum dicit esse animum, quo debemus quum primis colere Deum. Est enim spiritus: & idcirco par est, ut ei seruiatur spiritu. Traducebant pseudoapostoli Paulum, quasi desertorem Legis, & apostatam à Mose. Vnde illi impietatis crimen impingebatur, quòd uehementer alienasset animos Romanorum ab eo, si illis persuaderi potuisset. Idcirco se purgat, quod etsi ceremonijs Mosaicis, & ritibus legalib. non coleret Deum, ei tamẽ seruiret spiritu. Quod etiam testatus est ad Timotheum, quum scriberet

se

ſeà progenitoribus Deum coluiſſe pura conſcientia. Quibus verbis nequaquam putandus eſt, excuſare peccatum, & perſecutionem in ſanctos: ſed id tantum oſtendit, conſcientiæ non fuiſſe aduerſatum: vt nonnulli, qui per infirmitatem non patiuntur ea locum habere, quæ ſano iudicio conſcientiæ nouerunt recta eſſe. Paulus ignoratione lapſus eſt, quæ contra id, quod animo ſentiebat. Quod autem hîc dicit, ſe ſpiritu ſeruire Deo, Chriſtus expreſsit, cum loqueretur ad mulierem Samaritidem, dicens de veris adoratoribus, quod in ſpiritu & veritate adorent. Atq; id eò ſpectabat, vt explicaretur, quandòque futurum, vt auferretur certi loci deſcriptio, in quo Deus eſſet colendus, & ceremoniæ abolerentur Iudaicæ: ita, vt adorare in ſpiritu ad locum referatur, & ceremonias legales: quod & additur, *Et veritate*, rem demonſtrat excluſis vmbris, quæ in veteri teſtamento prætexebantur. Iuuerunt quidem iſta patres tempore ſuo, quoniam habebant verbum Dei coniunctum, quod in illis fide poterat apprehendi. Quare illis benedicebat Dominus: ita (vt ſi fides affuiſſet) ſuo tempore perutiles extiterint: at cùm Chriſtus venit, debuerunt cedere. De ritibus autem inuentis ab hominibus non item poſſumus dicere, quòd valde profuerint: quoniam verbum Dei non habuerunt. Idcircò meritò expungendi ſunt, atq; tollendi: niſi quantum attinet ad externam politiam, aliquí ex eis iudicentur vtiles. In ſpiritu ſeruimus, quando non amplius circunciditur aliqua pars carnis, verùm animus & vitia: non mactantur pecudes, ſed noſtram ipſorum carnem crucifigimus cum ſuis concupiſcentijs. Quem eundem cultum in ſpiritu expreſsit alibi Paulus, cum diceret: Obſecro vos per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabilem cultum veſtrum. Vtitur verbo λατρεύειν vnde volunt deriuatam vocem λατρείαν, quę ſignificet cultum vni tantum Deo debitum, quo illi nos prorſus addicimus: neque vt Auguſtinus teſtatur libro 5. de Ciuitate Dei capite 1. poteſt à Latinis vna voce ſignari. Nam pietas non ſolùm eſt erga Deum, verùm etiam erga parentes, & patriam. Religio item nõ ſolùm trahitur ad ſacra, ſed etiam ſpectat eam obſeruantiam, qua proſequimur propinquitates, & affinitates humanas. Sed interim putat Græcis vocabulis res varias in hac re diſtinguí: ita, vt dicatur λατρεία cultus qui impenditur Deo: quí verò principibus, & magiſtratibus, δουλεία. Quoad rem, facilè damus eſſe diſcrimen. Aliter enim Deum colimus, aliter obſeruamus principes. Chryſoſtomus homil. 33. ſuper Iohannem dixit: creaturæ eſſe adorare, creatoris verò adorari. Obijcit autem ſibi, Quare igitur adoramus Chriſtum hominem, cùm habeat corpus re vera creatum? Respondet: Nemo veneraturus regem dicit illi, Exuas purpurã, diadema, & cętera ornamenta deponas; quia volo te nudum venerari. Hæc dicere non audet, ſed honore illum afficit, & purpura contectum, & diademate ornatum. Ita nos adorando Chriſtum naturam diuinam non exuimus humanitate, ſed eam cum ipſa adoramus. Ratio tamen, vnde pendet adoratio, eſt diuinitas. Quòd tamen ad Græca nomina attinet, idẽ eſt λατρεία, quod δουλεία. Nam, vt atteſtatur Suidas, λατρεύειν eſt δουλεύειν. Sed poſtea factum eſt, vt eſſet σέβομαι. Et addit, λατρείαν εἶναι δουλείαν ἐπὶ μισθῷ: id eſt ſeruitutem eſſe mercenariam. Et ſignificatio hæc perſpicuè habetur in Xenophonte in tertio libro Pædiæ Cyri: vbi ſic marítus loquitur: ἐγὼ μὲν ὦ Κῦρε κἂν τῆς ψυχῆς πρίαιμην ὥστε μὴ ποτε λατρεῦσαι τούτῳ: id eſt, Equidem, ô Cyre, vel animam redemerim, ne vnquam hæc ſeruiat. Tum vxor, ἐαυτοῦ τῆς ψυχῆς ἂν πρίαιτο ὥστε μὴ δουλεῦσαι. Imò & in ſacris literis legimus, quod in Leuitico dicitur: Opus ſeruile nõ facietis, ἔργον λατρευτὸν. Et λατρὶς in Iobo dicitur ancilla. Quin & ipſemet Auguſtinus in libro loquutionum Deuteronomij agnoſcit, λατρεύειν non ſemper ad diuina referri. Nam quod dicitur in Deuteronomio cap. 28. ſeruies inimícis tuis, Græcè dicitur λατρεύσεις. Et ipſe Paulus, cum ſe cultorem prædicat Ieſu Chriſti, δοῦλον ſcribit. Vnde vides, hoc diſcrimen vocum apud Græcos non ſeruari. Habent attamen propriam vocem θεοσέβειαν. Sed an ſit vſitatum verbum apud bonos & veteres authores, neſcio. Attingit Auguſtinus loco iam citato de Ciuitate Dei aliam vocem θρησκείαν. Sed ea propriè ritus, & myſteria ſpectat. Nam Orpheus dicitur primus docuiſſe Thracas myſteria. Vnde vox ducebatur à Thracibus verſo elemento. ν. ex α. Verùm vt redeamus ad λατρείαν, deriuatur à λα, quæ particula vehementiam notat, & τρεῖν, quod eſt tremere. Nam ſeruí ad iuſſa Dominorum vehemẽter tremunt. Eadẽ ambiguitas eſt in voce Hebraica שאח quod eſt proſternere ſe, ac incuruare. Vnde frequẽter legitur חשׁחאם id eſt, adoraueriũt: & חשׁתאחה id eſt, inclinatio: & numero multitudinis dicitur חשׁתאירה proſtrationes. Et is honor proſternẽdi corpus, ac procumbendi in genua non tantũ corã Deo fit, ſed etiam coram regibus, & angelis. Eſt enim ſymbolum, quo ſubiectionem ac demiſsionem noſtram repræſentamus. Signa item alia adhibuerunt veteres in adorando. Vnde

Locus ad Timotheum declaretur.

Veri adoratores adorant in ſpiritu & veritate.

λατρεία. *Auguſtinus.*

Auguſtini diſtinctio inter λατρείαν *&* δουλείαν.

Chryſoſtomus: Corpus Chriſti creatum. Simile. Ratio cur adoremus Chriſtũ pendet ex diuinitate λατρεία *id eſt* δουλεία *quo ad Græcas uoces idem ſignificant.* λατρεύειν *eſt mercede ſeruire Auguſtinus.*

θυσία. *Auguſtinus.* θρησκεία.

λατρεύω *unde.*

Proſternendum corpus & Deo & creaturis.

Chrysostomus. Symbola ueterum in adorãdo.

Chrysostomus in homelia, quam habuit explicando ea verba Iohannis, veri adoratores in spiritu & veritate adorabunt, ait: Cùm manus ostendis, pectus aperis, faciem in cœlum erigis, & oculos aperis, quid aliud facis, quàm vt totum hominem ostendas Deo? Augustinus de Ciuitate Dei loco iam citato ait, hãc λατρείαν esse religiosam & humilem summissionem: quod ego intelligo ita obseruandum esse, vt, cùm prosternimus nos ipsos coram Deo, significemus nos velle ei subijci prorsus, & quoad omnia, citra vllam exceptionem. Si verò procumbamus coram Imperatore, aut Rege, significamus nos ei subijci, quemadmodũ pertinet ad eorum imperium: non tamen prorsus, quia semper Deum volumus excepturn, & eius verbũ. In istis verò externis signis exhibendis principibus, Christianus obseruabit patriæ mores, animo distinguens inter vtranque subiectionem: & cauebit in primis, ne quid furcatè hic agatur: deinde non exhibebit hæc signa, nisi eis, quos iubetur mandato Domini reuereri: hoc est, omnibus, qui fuerint in aliqua sublimitate constituti, siue ea spiritualis, siue temporalis. At coram imaginibus nequaquam se prosternet: quandoquidem id est dicerte prohibitum. Imò ne sanctis quidem mortuis talem honorem in genua procumbendi, aut inuocandi exhibebit. Nam ea de re nullum verbum Dei extat: neque fide possumus inniti hoc agentes: neque scimus, vtrum nos audiant, aut intelligant quæ apud nos agantur. Estq; videndum, ne, cùm veneramur principes, & coram eis procumbimus, petamus aliquid ab eis per adulationem, quod vires functionis eorum superet: quale est, petere vitam æternam, spiritualia dona, vitę conseruationem, & alia huiusmodi. Sed à Rege petemus auxilium regium: à doctis & sapientibus, vt doctrinam communicent: à diuitibus, vt de suis bonis aliquid elargiantur. His cautionibus erit vtendum. Vtq; in summa dicam, iste Dei cultus, qui est seruire in spiritu, ad quatuor potissimum capita redigitur: quæ sunt, adoratio, fiducia, inuocatio, gratiarum actio. Adoratio est humilis & religiosa summissio, qua nos prorsus Deo subdimus, atque in omnibus. Fiducia est, qua in eo acquiescimus, videntes potentiam, sapientiam, & bonitatem summam, quibus ornatur: propter quæ innitimur ei, neque nos putamus deserendos, aut frustrandos. Inuocatio est, qua confugimus ad Deum in omnibus periculis, & aduersis: vt qui eum sciamus vbiq; præsto esse, & sua defensione iuxtà promissa & posse, & velle succurrere. Gratiarum actio est, qua in eum, tanquam in primum authorem omnia nostra bona referimus. Hæc quatuor debentur Deo in solidum, nec possunt in alias creaturas deriuari, vt eas definiuimus. Diabolus curauit magna fraude obscurare huiusmodi cultum, cùm suaderet mũdo, posse quidem homines vnum summum Deum habere primo loco: & interim adiungere illi turbam minorum Deorũ. Quo factum est, vt diuideretur, quod volebat Deus maximè vnitum & coniunctum esse: atquè ita deceptí sunt ethnici. Deinde nostris temporibus illis, qui relati sunt in sanctorum censum, ita distributa sunt certa munera, & propria officia, vt quàm frequentissimè inuocarentur. Est præterea considerandum hoc, quod Paulus dicit, *Seruire in spiritu*, complecti reuerentiam paternam, id est, filiorum erga patrem, non timorem seruilem: quo adducti ethnici odcrunt iudicium Dei, voluissentq; nullum extare. Vnde semper adiecerunt cogitationes suas ad commentitias religiones, & externa quędam opera præstabant, quibus arbitrabantur se defunctos omni pietate: nec interim à sceleribus abstinebant. At pij homines, cum seruiunt in spiritu, cauent, ne Deum sibi fingant pro suo arbitratu: sed eum amplectuntur, prout voluit semetipsum declarare in verbo scripturarum. Cumq; videant eum nobis proponi à scripturis sanctis, vt Dominum, & patrem eum venerantur, illi obediunt, & eius honorem, quantum valent, promouere student. Ac rursus, cum videant eum instar iudicis declarari, sibi eius tribunal ob oculos proponunt in omnibus actionibus, ne quid transgrediantur, & in sui iudicis iram incurrant. Sed non ita eum timent, vt odio habeant, aut ab illo velint aufugere: atque etiam, si daretur aliquod suffugium, potius eligerent puniẽtem & castigantem amplecti. Et inter ea quæ debent censeri præcipuo loco, quoad hunc spiritualem cultum est obedientia: de qua legimus, quòd præstet victimis. Neque Deus aliud ferè spectauit in vniuersa lege, ac ritibus ceremoniarum, quàm vt haberet homines verè sibi subditos & obedientes. Nos verò, cum vitiatam & corruptam à peccato Adami naturam traxerimus, nihil accuratius, aut exquisitius agitamus, quàm vt nostra inuenta, & ritus fictitios pro diuino cultu obtrudamus: maiorq; adhibetur seueritas in transgressores mandatorum hominum, quàm in eos, qui Dei præcepta publicè violant. Videas passim blasphemos, scortatores, adulteros & periuros à magistratibus rideri: tantum abest, vt puniantur. In eum verò, qui vtraque parte sacramenti Eucharistiæ voluerit vti, sæuiri vsque ad ignes. Et in summa pro humanis traditionibus neglectis accersuntur homines capitis: at de lege Dei violata nec accusa-

Inclinatio seu prostratio quomodo est hominibus exhibẽda. Neq; imaginibus, neq; cadaueribus mortuorũ is honos est exhibendus.

Dei cultus & adoratio ad quæ præcipua capita reuocetur.

Quibus uijs diabolus hunc Dei cultum obscurauerit.

Reuerentia filiali colitur Deus.

Deus colendus ut scilicet uerbo scripturæ declarauit.

Colitur Deus obedientia.

cusantur quidem. Idcirco non temerè præcepit Deus per Mosen in Deuteronomio: Tantũ quæ tibi mandaui, custodies: neque addes, neque minues quicquam. Nosq; aduersus hanc pestem non habemus præsentius remedium, quàm assiduè versari in sacris literis, & inde colligere, quibusnam rationib. Deus voluerit se nobis declarare: & modos elicere, quibus à nobis potissimùm se coli præceperit. ac poterimus non adeò difficulter hoc faciendo seruire Deo in spiritu. Cui sanè spirituali cultui aduersatur, Seruire Deo in carne: hoc est, solùm fictitijs ritibus, & externis ceremonijs, fide, ac pietate interiore sepositа. Hanc antithesin Paulus attigit, cùm diceret ad Galathas: Qui spiritu cœpistis, videte, ne carne cõsummemini. Illi Galathæ rectè fuerant instituti: sed per impostoras Pseudoapostolorum ad ludaicas ceremonias & externos ritus declinarant: quod erat carne consummare sanctum & rectum inceptum. Ad Philippenses quoq; ait: Nos sumus Circuncisio, qui Deo seruimus in spiritu, habentes fiduciam in Christo, & non in carne. Deinde, quid esset in carne confidere, luculenter explicauit, dicens: licet ego, si quis alius, in carne possim confidere: vtpote Israelita genere, de tribu Beniamin, Hebræus ex Hebræis, & secta Pharisæus, per æmulationẽ persequens Ecclesiam Christi, & quoad legis iustificationes conuersatus citra querelam, &c. His omnibus iam vides constare carnalem cultum. Spiritualis verò totus est situs in fide & charitate. Adiecit Paulus:

Remedium contra humanas traditiones.

Seruire Deo in carne.

Quid sit carne confidere.

In Euangelio filij eius: Quibus verbis declarat, hunc spiritualem cultum, si exprimatur opere externo, hunc primum locum tenere, vt Christum annuntiemus, & ad eum pellicíamus pro viribus, quoscunque proximos nacti fuerimus. Exposuit iam, quem Deum testem vocarit: Nunc abit ad rem, quam cupit Romanis testatam. Ea autem est, quòd perpetuò in suis precibus mentionem faciebat eorum. Neque hinc potest colligi, Paulum ita semper orasse, vt alia officia neglexerit. Concionabatur, iter faciebat, manibus laborabat: demumq; obibat omnia, quæ ad eius officium pertinebant. Quare non debemus ad verbum, sed ad sententiam, ea quæ dicuntur, exponere: nec aliò accipere, quàm quòd, quoties Apostolus orauerit, memínerit illorum. Ac distribuuntur sanctorum preces in duo genera. Quædam enim statæ sunt, vtpote cùm habentur in publico cœtu definitis ac præscriptis diebus, dominico, inquam, & si qui alij per Ecclesiam destinantur ad supplicationes publicas. Deinde Christiani hominis est, singulo quoq; die habere statas horas, quibus Deum precetur: idq; ter, quinquies, aut septies prout occupatio patitur. Alterum genus est earum precum quæ vagæ appellantur. nam illis vtimur, quoties præsens aliquod periculum vrget. Paulus verò nunc ait, se istorum mentionem semper facere in suis precibus: & in quibusdam codicibus additur aduerbium πάντοτε, quod est, vbique: licet hoc aliqua exemplaria expunxerint. Fuerunt hæretici, qui Messalliani dicti sunt: atque illorum mentionem facit Tripartita Historia. Illi omnia tribuebant precibus, idq; in tantum, vt prorsus derogarent cùm verbo Dei, tum sacramentis: asserentes, omnia hæc nil prodesse: sed, quicquid habemus, commodi, id ab orationibus prouenire: & aspernabãtur manibus laborare, vel quippiam aliud facere. Quòd si impulisses eos ad opus, aiebant, id nihil conducere, cùm tantum esset orandum: cùm tamen Apostolus diserte moneat, eum qui non laborat, nec debere manducare. Idemq; scribit, suorum, ac præcipuè domesticorum curam non esse negligendam. quòd si quis admiserit, fore perinde, ac si fidem abnegasset. Sed hac superstitione missa, plurimũ debemus tribuere precibus: quandoquidem hoc est ingenium filiorum Dei, vt quàm frequentissimè orationibus vacent. nam illud est Dei prouidentiam agnoscere. Dum enim credimus, nihil posse hominem assequi, quod ei non tribuatur à Deo, frequenter adducimur, vt pro necessitatibus occurrentibus eius auxilium imploremus. Atque dum oramus, non minus Deo submittimus nos ipsos, quàm argilla subditur figulo. nam hoc in primis petimus, vt per voluntatem eius habeamus quicquid cupimus. Cumq; orando mens abducatur à curis, & mundana sollicitudine, prorsusq; in Deum subuehatur, nihil debet esse iucundius, quàm hoc studio se occupare. Atque dolendum est, hodie ita obsoluisse inter Christianos orandi morem, vt adeò sit infrequens: & præsertim in tanta Euangelij, & scripturarum luce. Quare non est mirum, si omnia sic frigent. Certè calor ibi accrescit, vbi lux non facilè pertransit, sed retorquetur, atque ad superna, vt aiũt, reflectitur. Idcirco inferior hæc pars aeris, quæ terram ambit, maximè calet, quòd radij solis, qui terram feriũt, quoniam eam, cùm tam densa sit, penetrare non possint, reflectuntur, & quodammodo geminantur: vnde calor excitatur. Haud secus deberet fieri in cordibus nostris quãdo ad ea affulget lux diuinorum sermonum. Eam enim acceptam retorquere oportebat in Deum, orando, vt quæ mandauit, quæq; nobis dignatus est reuelare, in nobis perficiat. Cùm enim scripturas legimus,

Quomodo seruiatur Deo in Euãgelio filij eius.

Duo genera precum.

Messallianorum hæresis uel Euchitarum.

Filiorum Dei est frequenter orare

Simile.

Vtilis dialogus inter nos et Deũ

Deus nobiſcum loquitur. At cùm oramus, nos alloquimur Deum. Oporteret autem frequẽter inſtituí hunc dialogum: quò cùm audimus in ſacris ſcripturis Deum, vel ſe reuelantem, vel aliqua præcipientem, ipſi rurſus ab eo peteremus, ne illa nobis fruſtra canerentur: ſed cum vtilitate, & fructu exequutionem haberent. Docemur hîc à Paulo ita preces inſtituere, vt non ſolùm nobis, verùm etiam proximis oremus. Ad hæc cùm precatur, vt ſecundum iter ad Romanos habeat, inſinuat opera noſtra auſpicanda eſſe à precibus, ſi ea bene ſuccedere volumus. Abſterrentur autem nonnulli à Deo inuocando, quòd ſe dicant, non audiri.

Si Deus uideatur non audire, nõ tamẽ ab orando eſt deſiſtẽdũ.

Cæterùm hîc deberent confirmari, cùm audiunt, Paulum ſæpius impeditum fuiſſe ne Romam iret, & eundem tamen perſtitiſſe in eodem voto, & eaſdem preces conſueuiſſe repetere. Quin etiam poſteriore epiſtola ad Corinth. ſcribit, ſe bene ter petijſſe, vt ſtimulo carnis liberaretur: cui tamen tandẽ reſponſum eſt, ſatis eſſe, vt Dei gratia frueretur. Itaq; vel tandem audimur: vel ſi, quod petimus, non datur, aliquid eius loco reponitur: quod longè melius, & conducibilius ſit ad noſtrã ſalutem. Deusq; frequenter differt noſtra poſtulata, vt, quemadmodũ dicit Auguſtinus in quadã homelia, diſcamus grãdia granditer deſiderare. Alij reuocantur à precibus, quòd ſecũ ſtatuant, licet iſta nõ petam, tamen Deus id faciet, quod viſum fuerit: neq; meis orationibus eius voluntas immutabitur. Sed iſti nõ intelligunt, Deũ, priuſquã concedat aliquid boni ſuis electis, cõſueuiſſe animos eorũ deſiderio ea cõſequendi vehemẽter accendere. Deinde, cùm velit aliquid agere, ſuos excitat, vt id poſcant: quò eorum precibus tribuat id honoris gratia, quod alioqui facturus erat. Accedit ad hęc, beneficia eſſe gratiora, cùm petita, & deſiderata fuerint. Et præterea mentes noſtræ precando magis cum Deo coniunguntur. Imò nil aliud eſſe videntur hæc vota, & ſancta deſideria, quàm ſcalæ, & gradus, per quos ad Deum conſcendamus. Sed reuertamur ad Paulum, & videamus, quid tandem orauerit.

Cur Dominus poſtulata noſtra differat.

Quare Deus uelit nos petere q, alioqui paratus eſt dare.

Simile.

Vt proſperũ iter, inquit, habeam, quo ad uos accedam, in uoluntate Dei. Optabat ad Romanos proficiſci: quare petebat impedimenta remoueri: quæ partim à ſathana obijciebantur, partim ortũ habebant ex varijs neceſsitatibus Eccleſiarum: quæ vt erũpebant in dies nouæ, ita Paulum detinebant, ne poſſet, quò volebat, progredi. *Proſperum iter* appellat, non tantũ ſecundũ quoad viæ cõmoditatem, ſed etiã fructuoſum: ne profectus in caſſum laboraret. Deinde occurrit, fuiſſe eum nonnunquã diuino oraculo prohibitũ loqui, vel proficiſci, quò deſtinauerat. Vt videre licet 16. cap. Actor. vbi vetitus eſt loqui in Aſia. Et, cùm in Myſiam, atq; Bithyniã vellet ire, impeditus fuit, & nocte monitus in ſomnis, vt ſe cõferret in Macedoniã. Vir enim aſtitit ei Macedo, qui aiebat: Venias, & ſuccurras nobis. Hoc itaq; petebat quoad Romanos, ne ſic impediretur. Et cùm audimus proſperum iter illum petere, ne perſuadeamus nobis, hæc illum referre vel ad ſuã cõmoditatem, vel ad quæſtum. Proſpera itinera, quæ Deus illi conceſsit in Macedoniam, fecerunt ad profectum Euangelij. Nam alioqui ipſe & cæſus ibi fuit, & coniectus in carcerem. Cumq; tandẽ iret Romam, Deus, qui exaudiuit eius preces, effecit, vt cogeretur appellare Cæſarem. Et cùm in naufragio eſſet, iuſsit eum bonum habere animum, quòd etiam Romæ teſtis futurus eſſet Chriſti, quemadmodum fuerat Hieroſolymis. Vnde apparet, quæ ſit expectanda proſperitas, aut ſucceſsus in operibus electorum. Eius certè generis proſperitas expectanda eſt, non in qua caro poſsit acquieſcere, ſed ex qua copioſus decerpatur Euangelij fructus. Et cùm ait Apoſtolus *In uoluntate Dei*, id nõ ita accipiendum eſt, quaſi aliquid cenſuerit extra voluntatem Dei fieri: ſed eam optat voluntatem ſuo conatui, quæ fauens, & propitia ſit, ne fruſtra laboret. Et addit:

Quàm proſperitatẽ itineris Paulus optarit.

Quæ proſpera itinera Deus Paulo conceſſerit.

Quæ proſperitas Chriſtianis expectanda.

Deſidero enim uos uidere. Hoc ſatis intelligi poterat ex precibus: Attamen non additur ſuperfluè. Non enim vult eos exiſtimare, preces eius fuiſſe triuiales, aut communes, ſed quæ à ſolido, iuſtoq; deſiderio manaſſent. Non enim frigidè ſunt optanda, quæ à Deo noſtris orationibus imploramus. Hæc erat Pauli ſollicitudo erga Eccleſias: Vel ipſe proficiſcebatur, cùm opus eſſet: vel, ſi non valuiſſet ire, ſcribebat, aut mittebat aliquos vehementer ſibi charos, atque coniunctos. Semper eius charitas erumpebat in officia, quæ conducerent proximis. Videbat, Romanorum ſalutem iam eſſe paratam: ideo ſua quoque opera voluiſſet eam promouere. Et quod in precibus orat proſperum iter, nihil eſt aliud, quàm poſcere vt mitteretur, quemadmodum Eſaias obtulit ſe ipſum dicens: Ecce Domine, ego preſto ſum: mittas me. Atq; idem Paulus aiebat: Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat. Eſt præterea ſanctorum hominum perpetuus affectus, quo deſiderant mutuò coniungi: cùm eũ habeant Deum ſuum, qui vnitatis, & pacis Deus paſsim nominatur in ſacris literis. Deinde cõgreſſus habent inter ſe non inutiles. Semper enim aliquid ſpiritus, & diuinæ gratiæ accreſcit: videnturq; à Deo explicari vires in membra Chriſti, quando maximè ſunt coniuncta.

Sollicitudine diuinarum Eccleſiarum Paulus habũit.

Sancti homines deſiderent ſimul congredi atq; cõiungi.

Qua

Qua sententia abutuntur nonnulli, quando clamant, Synodis & Conciliis fidem habendã: quasi Deus tam sanctos patres, qui vnà conuenerint, non possit permittere decipi. Non potuit, inquiunt, ille sanctorum congressus absque fructu haberi. Sed oportet, eos tales fuisse, qui, vt Paulus, Deo seruierint in spiritu, vacauerint Euangelio filij Dei, preces fuderint ardentissima fide, nihilq; tẽtauerint ex carne, vel ex humano affectu, sed omnia voluntate Dei fieri permiserint. Quod non ita fuisse factum, satis declarat euentus. Nam multas inuexerũt superstitiones, & nonnunquam, quæ verbo Dei aperte aduersarentur, seueriſsimè decreuerunt. Eos uerò, qui ritu & ordine conueniunt, ea uidelicet ratione, quam iam exposui, minimè negauerim longè maiores fructus edere, quàm cùm separatim atq; seorsim agant. Cuius rei aptissimam similitudinem protulit Chrysostomus. Faces, inquit, accensæ, cùm dissectæ fuerint, aliquid caloris & luminis in se concipiunt, & retinent: attamen non usque adeò multùm. at si conferãtur in eundem locum, uel in caminum, uel in fornacem, & maximam, & ardentissimam flammam excitabunt. Non secus existimandũ est de sanctis hominibus, vel congregatis inter se, vel à se inuicem disiunctis.

Conuentus Episcoporum ad synodos cur non sit inutilis.

Simile.

Vt aliquod impertiar uobis donum spirituale. Exponit, cur tantopere cupiat ad eos venire: nimirũ, vt faciat eos participes donorum Dei. Fuit Apostolus vas refertũ diuinis muneribus: ideò quocunq; se conferebat, illa impertiebat, & distribuebat credentibus. Sed cùm Deus & author sit, & elargitor spiritualiũ charismatũ, cur sibi ipsi videtur Paulus id arrogare? Quia fuit minister Ecclesiæ: & Deus ministerium tanto affecit honore, vt suum propriũ opus ministris quoq; cõmunicet. Non enim sunt abiungendi, quoad suas functiones, à Deo illarũ author: sed potius ita cum illo copulandi, ac si opus idem ab vtrisq; proficisceretur. Atq; hac ratione ministri dicuntur condonare, aut retinere peccata: generare homines Christo, eosdemq; seruare. Quòd si Deum atq; ministrum seorsim spectaueris, tum audies à Paulo: Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus autẽ incrementum dedit. Et, Quis est, qui plantat, & qui rigat? Atq; alibi videmus dici, spiritus sancti esse, charismata cuicũq; voluerit, pro suo arbitratu distribuere. Verùm, vt diximus, ministri non sunt à Deo separandi: qui per hanc dignitatem, qua illos afficit, id maximè curat, vt fideles inter se arctius vinciantur in Ecclesia. Vt enim ciuitas vna est, quòd sese mutuò iuuent homines, cùm alij consilio valeant, alij viribus, alij artificijs præstent, & industria: ita Deus fieri voluit in Ecclesia, vt alij docerent, alij docerentur, alij precibus iuuarent fratres, alij sacramenta dispensarent, ab alijs verò percíperent: vt his mutuis officijs ita colligarẽtur Christiani, vt spiritus, & gratia Dei ex vno membro in aliud per cõmissuras atq; cõpagines, vt habetur ad Colos. & ad Ephesios, dimanarent. Toto hoc sermone intexuntur, quæ vehementer conducant, ad conciliãdos animos Romanorum: vt eum expectarent alacri animo, & accedentem summo amore exciperent, quasi vnà excepturi iuxta eius promissionem aliquod nobile donũ spiritus. Accendunt etiã hæc animos illorum ad epistolam perlegendam. Nam indubitatò eam scripsit non alia de causa, cẽ vt, quod præsentia corporis præstare non poterat, saltem per epistolã exhiberet. Quod etiã ipsum efficit, vt exquisita diligentia à nobis quoq; legi debeat, & audiri, quod hîc scribitur. Nec audiendi sunt illi blasphemi, qui cùm aduersentur pietati, & vero dogmati de iustificatione, ac prædestinatione, exclamare audent: Vtinam Paulus hanc epistolam nunquã scripsisset. Quod licet mitigare conentur, propter hæc difficilia tempora id à se dici, tamen nõ satis iustam excusationem afferunt. Quid enim hoc aliud est, quàm Dei, ac spiritus sancti consilia reprehendere? Obseruabimus ad hæc, Christianos congressus non conuenire inutiles & otiosos esse, vt sunt prophani: sed eos oportere afferre aliquid spiritualis commoditatis. Neque caret significantia Græcum verbum μεταδῶ. Nam eo demonstrat Apostolus, se nihil sui daturum esse, quod ipse prius à Deo non acceperit. Nam inquit, se velle eos facere participes eorum donorum, quæ iam ipse fuerat assequutus. Sic proximos conuenire oportet, vt semper haberemus aliquid parati donorum spiritualium, quod illis communicaremus. Atque è diuerso prompti esse deberemus ad facilè percipiendum, si quid vtilitatis aut cõmodi spiritualis nobis ex eorũ aduentu offerretur. At hodie peregrinationes instituunt ad imagines, & reliquias mortuorum colendas: non ad viua Christi templa instauranda. Scribit quandoque Romanus Pontifex, sed tantùm indulgentias, bullas, execrationes. Mittit homines, qui componant, & dispensent de varijs generibus peccatorum, & vota relaxent. Atq; nihil horum gratis præstatur: totum ad quæstum instituitur, & ad abradendas pecunias.

Opus Dei & ministrorum Ecclesiæ coniungitur.

Per ministerium Ecclesiæ fideles inter se arctius uinciuntur.

Blasphemia horrenda quorundã nostrorum temporum.

Congressus Christianorum nõ oportet esse inutiles.

Quo animo christiani simul conuenire deceat.

Qui peregrinationes & quæ scripta in papatu habeantur.

Ad confirmandos uos. Subijcitur causa, cur adeò cupierit ad Romanos accedere: nimirum, vt eos confirmaret. Hoc est, quod Christus Petro mandauit. Tuq; conuersus tandem

Munus Apostoli cum esse confirmare fratres.

confirma fratres tuos. Ex his verbis innuitur, fluctuasse Romanos. Nam videbantur iam propensi ad religionem Iudaicam recipiendam. Ne tamẽ offenderet illorum animos, quod prius dixerat de illorum confirmatione, statim lenit, ac mitigat his verbis, quæ subijciuntur.

Vt unà uobiscum adhortationem accipiam. Hîc se quoque accenset infirmitati eorum, quasi opus habuerit instauratione. Et certè nullus est in Ecclesia tam alto loco situs, vt non possit ab infirmioribus aliquam confirmationẽ, atque ædificationem accipere. Neque Deus omnia omnibus conferre solet, quin infimi sæpe habeant singulare aliquod & priuatum Dei donũ, quo possint maiores adiuuare. Vnde si Paulus, qui columna erat Ecclesiæ, firmior quouis ferro, & adamante robustior, fatetur se posse proficere per istorum cohortationem, quid ambigemus de nobis ipsis? Cæterùm, si tanta fuit Romanorum fides, vt iam vbique prædicaretur, quid opus habuerunt confirmatione? Respondemus, esse quidem naturam suam fidem certam: &, si iustificare debeat, oportere, vt ab opinione prorsus differat, ne de veritate alterius partis ambigamus: at cùm simus infirmi, & vndique labefactemur, & à carne nostra, & à diabolo, & à mundo, subinde opus habemus accessione fidei. Petrus verè Christo credidit, dum clamaret, Serua me: alioquí pereo. At audiuit à Domino: Modicæ fidei, quare dubitasti? Quibus verbis Petrus docebatur, periculum sibi nequaquam imminere, vel ab vndis, vel à tempestate: sed à defectu fidei. Quare hæc nihil pugnant inter se, Romanorum fidem laudabilem fuisse, & tamen eos habuisse opus confirmatione. Possemus legere, quod intepretati sumus de cohortatione, ac si mentio haberetur de consolatione: quasi Paulus diceret: Ideo ad vos proficiscar, non solùm vt confirmemini, verùm etiam, vt mutua excitetur consolatio, atque id per fidem, quæ cùm in me, tum in vobis inuenitur. Consueuerunt enim qui obuiant sibi, cùm animaduerterint, non esse sensum diuersum inter se, verùm stare vtrobique eandem sententiam, vehementer gaudere. Vnde Chrysostomus & Græca scholia nos admonent, consolationem posse hoc loco sumi pro gaudio. Neque dubitare oportet num ista consolatio dicatur futura inter ipsos Romanos, an inter eos & Paulum. Quoniam verba, quæ subijciuntur, id videntur expedire, cùm dicitur.

Per mutuam fidem, uestram & meam. Neque temerè fidei meminit: quandoquidem eius proprium est, vt sese in alium quenque transfundat instar fermenti: à quo cùm vna pars massæ feruere cœperit, in alteram proximam progreditur. Illi autem frigidè credere putandi sunt, qui pro viribus non enituntur, vt alios efficiant eiusdem sensus, cuius ipsi iam sint. Quod si perfici possit, emendantur procul dubio, quotquot fuerint pertracti eorum monitu. Nam quicquid peccamus, id ex imbecillitate fidei contingit. Atque his verbis Paulus ad ἰσονομίαν redigit ea, quæ dixerat: statuens, fore commune lucrum & sibi, & Romanis ex mutuo congressu. Et fides vtrinque requiritur: quoad Paulum, vt dona, quæ Romanis cupit, impetrare valeat: rursus, quoad illos, vt possint recipere ea, quæ sibi per Paulum ministranda erant.

Nolo autem uos ignorare fratres. Ambrosius legit hunc textum secus: ad hunc modum: Scio, vos non ignorare fratres: atque id exponit, potuisse Romanos de consilio Pauli certiores fieri à credentibus in Christum, qui perpetuò Romam commeabant: vt ab Aquila, Priscilla, & alijs: qui optimè consilia, & cogitatus Pauli nouerant. Sed nos interpretabimur communem lectionem, iuxtà quam videtur Apostolus præoccupare eos, ac si dixissent: Cur itaque distulisti tam diu aduentum tuum ad nos, quando illum tantopere cupis? Respondet Paulus, se quidem frequenter tentasse, vt ad illos iret: sed non processisse: quòd semper fuerit impeditus. Ad Thessalonicenses ait, per satanam stetisse, quò minus Thessalonicam se conferret. Et posteriore ad Corinthios grauem persequutionem commemorat, quam fuerat perpessus in Asia, tentatúsque supra vires, ita, vt de vita ferè desperauerit: & ideò aduentum suum Corinthum fuisse extractum vlterius, quàm designauerat. Hîc verò non exprimit, à quonam fuerit impeditus. Potuerunt autem trium generum obstacula se illi interponere. Primum Deus, qui manifestis oraculis eum quandoque reuocauit à destinatis inceptis: quemadmodum 16. capite Actorum cõtinetur: alterum genus est Ecclesiarum necessitas, prout noua quotidie apparebat: postremum, aduersa, & persecutiones, quę per satanam excitabantur. Chrysostomus annotauit, quia Paulus nõ expressit causam, cur tanta vrbs, quæ imperio rerum potiebatur, multis obscurioribus ciuitatibus, & pro uincijs postponeretur, humanum sensum, atque rationẽ posse offendi. At is reprimit inquisitionem hanc, vt curiosam, & quæ parum deceat pios animos. Satis est, inquit, vt cognoscamus Dei prouidentia omnia fieri. Neque putare debemus, quenquam esse mortalium, qui melius velit suis creaturis, quàm Deus. Neque arbitrabimur, Romanis propterea fuisse pe-

ius

Nullus in Ecclesia tam sublimis quin ab inferioribus iuuari possit

Nostra fides accessione semper eget.

Fides fermẽto cõfertur.

Obstacula quæ potuerunt impedire Paulum ne Romam iret.

Romani uidẽtur à Paulo cæteris gentibus postpositi.

ius consultum, si Paulus ad eos tam serò accesit. Isq; potest nobis exemplo esse, ne multa curiositate hæc inquiramus. Causam reticuit, nec eam fortasse inquisiuit. Vt videbat se impediri, statim parebat, non inquirendo causas: cùm non sit seruorum inuestigare consilia Domini sui. Hæc dum ego mecum reputo, videor mihi deprehendere, non constitisse Chrysostomo, Romanos per Petrum Apostolum primùm fuisse ad Christum conuersos, priusquam Paulus eò concessisset. Nam facilè fuisset respondere: Non erat prorsus à Deo deserta Romana ciuitas, dum Paulus alibi esset occupatus: quoniam Petrus ibi Euangelizabat. Et præterea annotandum est, consueuisse Deum sæpenumero facere, quæ iam destinata sunt, & à sanctis desiderantur, vt fiant: sed longè alio tempore, alioq; modo, & via quàm ipsi apud se statuerint agendum. Audiens Iacob, filium suum Iosephum à fratribus esse adorandum, atque ab ipsomet parente, cogitare cœpit rem eam fore inuidiosam, & quæ sine maximis turbis fieri non posset. Et ideò nequaquam libenter hoc audiebat. Id tamen perfecit Deus: at longè diuersa ratione, quàm ille putarat. Ita, vt Paulus Romam iret, & decretum erat diuina prouidentia, & ab ipso vehementer exoptabatur: sed longè aliter sequutum est, quàm vnquam Paulo in mentem venerit. Nam is, cùm Hierosolymam appulisset, atque ibi tam malè acciperetur, vt in capitis periculo esset, coactus fuit appellare Cæsarem: & ea occasione vsus est Deus, vt eum Romam mitteret: quod posteà indicauit illi per visum, cùm naufragium pateretur. Dixit enim ei: Quemadmodum tulisti mihi testimonium Hierosolymis, ita Romæ quoque feres. Quare debemus perpetuò memores esse illius loci apud Hieremiam cap. 10. Non est hominis via eius, neque viri est, vt ambulet, & dirigat gressus suos. Deus est, qui nos, quocunque voluerit, flectit. Et licet angelos non emittat, qui nos disertè moneant quid à nobis fieri velit, necessitate tamen quadam solet vrgere, & occasiones inducere, quibus impellamur ad id faciẽdum, quod apud ipsum iam anteà decretum & constitutum fuerit. De causa tamen huius dilationis aliquid haberi videtur in penultimo capite huius epistolæ. Significat enim obstitisse sibi necessitates aliarũ Ecclesiarum, & occasiones euangelizandi commodiores, & magis necessarias, quæ se offerebant in alijs locis. Nã ibi cùm scripsisset, iam omnia à se impleta Euangelio per illos tractus, & magno teneretur desiderio videndi eos, nec amplius locum haberet in illis regionibus, futurum pollicetur, vt breui iter ad eos suscipiat.

Non est serui inquirere in consilia heri.

Chrysostomo nõ constitit Romanos primũ fuisse cõuersos ad Christum per Petrũ.

Prædicta, id est, prædestinata Deus alia ratiõe ac tempore perficit quàm sancti putent.

Necessitatibus et occasionibus Deus pro angelis utitur.

Causa cur serò uenerit Romam.

Vt aliquem fructum habeam inter uos quoq;. Queritur Origenes de hyperbato, aut confusa lectione, quam satis implicitè conatur restituere. Sed meo iudicio plana erit & facilis, si totum hoc (Et impeditus fui in hunc vsque diem) per interpositionem, siue parenthesin scribatur. Nam tum sententia erit, quòd ad eos paratus fuerit sæpe proficisci, vt aliquem fructum haberet in eis, sicut & in cæteris gentibus. Non dicit arroganter, quòd eis fructum velit adferre: sed potius habere, & decerpere ab eis. Is autem erat, vt firmarentur, & stabilirentur in Christo. Hæc est nota præceptorum fidelium, si fructum & compendium suum ducant suorum discipulorum profectum. Quanquam non desunt interpretes, à quibus hoc exponitur de mercede Paulo reddenda, pro Euangelio prædicato apud Romanos. Sed prior interpretatio est magis plana, & verbis Christi magis consentiens, quibus ait: Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, vt eatis, & fructum afferatis. Sed videtur Paulus anteuertere suum desiderium voluntatem Dei: quod à frugi seruis fieri nõ debet: Illi enim iussum Domini expectare debent, neque reluctari cùm ille aliquid mandat. Nam Mosi penè succensuit Deus, cùm recusaret ire ad Pharaonem: nec minus Ionæ prophetæ, quòd detrectaret ire Niniuen. Inter hæc duo præcipitia medium debet obseruari. Paulus quicquid videbat, quod existimaret conducere ad gloriam Dei, id statim vehementer cupiebat: quod etiam ingenium est aliorum sanctorum. Interim sinit eos falli Deus: attamen non deserit. Nam statim eorum voluntates flectit, quò ipse vult: hoc est, ad ea, quæ re vera nomen suum illustrãt. Pijs autem hominibus cauendum est, ne impedimenta opponant diuinę vocationi. Oportet, vt se constituant coram Deo instar iumentorum habenis voluntatis eius regendos. Neque omittendum est, fuisse hoc Apostoli desiderium præter institutum. Nam decreuerat, vt habetur penultimo capite huius epistolæ, nequaquam ædificare super fundamento ab alijs iacto: sed ibi potius euangelizare Christum, vbi nomen eius anteà non fuerat auditum.

Origenes.

Quæ sit nota fidelium præceptorum.

Nostra desideria non sunt anteuertẽda iudicio dei.

Deus interdũ pios de uoluntate sua falli sinit, sed statim corrigit.

Non sunt opponenda impedimenta uocationi Dei.

Desiderium eundi Romam Apostolo erat præter institutum.

Græcis simul & Barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum. Nunc addit aliam causam suæ voluntatis. Prior fuit, vt aliquod spirituale donum conferret, eosq; confirmaret, & fructum ex illis caperet. Nunc verò ostendit, se ad hoc necessitate vrgeri, ne possit videri πολυπράγμων. Necessitas hæc à vocatione Dei sumitur: quæ quidem est tanta, vt in priori epistola ad Corinthios scripserit: Væ mihi, si non euangelizauero. Iam enim concredita erat illi prouin

cia. Atq; hoc dicto perstringit Iudęos, qui causabantur, illum indigne facere, quòd gẽtibus Euangelij prædicationem cõmunicasset. Verùm id nõ debuit illi vitio verti, quandoquidẽ cogebatur ex persona sibi imposita hoc facere. Et à Deo consequutus erat præclara charismata: & inter cętera, vt omnib. prędicare posset. Loquebatur linguis omniũ. Hęc expẽdere debent, quicunq; à Deo acceperũt aliqua dona. Per illa enim debitores fiunt iuuandi alios. Nã Deus vult solui ab illis, quod ipse dare decreuerit. Et mirandi sunt, qui volũt haberi successores Petri & Pauli, vt Romani Pontifices, alij q; episcopi, quomodo nõ videãt, se debitores esse prędicandi Christũ. Nam à Gregorio vsq; Magno nemo propemodũ vnquã vidit Romanũ episcopũ cõcionantẽ. In Hispania, in Italia, in Gallia prorsus muti sunt. Hîc in Anglia concionant quidem interdũ Episcopi, sed rarius q; oporteat. Verùm ad Paulum redeamus. Cũ ait, se esse debitorẽ, nõ intelligit se uelle de suo afferre: sed ea se largiturũ, quę Deus ipsi cõmisisset cùm alijs participanda. Est autẽ, ac si diceret: Quales quales vos sitis, sapiẽtes, principes, potentes, vel obscuri, vel ignobiles, vel imperiti, cõstituit me Deus vobis debitorem. Et licet abiectus videar, aut indignus tanta vocatione, id tamen, quod ad vos deferam, nõ est indignum, vt à vobis recipiatur. Perstringit his verbis Iudęos, qui putabant Euãgelij prædicationẽ suę tantùm genti esse debitã. At Paulus hîc demõstrat, illam eandẽ alijs nationibus deberi. *Græcis & Barbaris.* Omnes, qui Iudæi nõ erant, cõmuni voce dicebantur *ἔθνη*. At nunc distinguunt in Græcos & Barbaros. Per Græcos intelligit homines cultiores, qui bonis, & ciuilib. institutis regerent: ac propterea facile esset cũ illis versari. At Barbari sunt agrestiores, & immanitate quadã efferati, vt cõmerciũ cum illis facilè haberi nõ possit. Neq; à numero Gręcorũ excludunt, qui Gręcię nõ erant incolę: modò eorũ legib. & institutis vterentur. Multę porrò nationes exterę fuere, quę Gręcorũ legib. vtebantur. Etenim Romani, vt legimus apud Titum Liuiũ, decẽ viros miserunt in Gręciã, qui leges Atticas ad se perferrent: vnde postea decẽ tabulas conscripserũt. Videt itaq; Paulus hoc loco facere tria hominũ genera, ita, vt post Iudęos Gręcos collocet, & vltimo loco Barbaros. Quare Græci medij erãt inter Iudæos & Barbaros. Alibi verò cùm homines distinguit in Iudęos & Gręcos, per Gręcos intelligit quodcunq; genus hominũ, modò ne essent Hebręi: ita, vt ea voce cõplectat etiã Barbaros. Quòd si Euangeliũ tam latè pateat, vt nulli ab eo excludant, liquet, illud admodũ pręstare philosophię. nam ad illã non oẽs facti sunt. Prestat etiã legi Mosaicę, quę ab vna dũtaxat natione colebatur: Euangeliũ autẽ vbiq; sonuit. Colligit hinc Chrysost. nõ esse opus ad Euangeliũ admittendũ, vel syllogismis Philosophorũ, vel præparatione humanarum scientiarũ. Et certè videmus, aniculas, rusticos, & senes tam ad illud esse idoneos, quàm nobiles, diuites, & philosophos. Et in summa nullus est adeò illustris, & clarus vir, neq; vicissim tã abiectus & imperitus, quin per Euangeliũ seruari possit. Adducit item hoc loco Chrysostomus ad Euãgelij dignitatem asserendã, Platonẽ ornatissimũ atq; cultissimũ philosophũ venisse ter in Siciliã, vt rebus afflictis illic mederet, tyrãnumq; adduceret, vt æquis & iustis legibus vteretur. Quæ illi nequaquã successerũt. Nam Dionysius factus est in dies deterior, ita, vt principatu tandẽ exciderit, neq; illud regnũ per Platonẽ melius habuerit, quam uis Plato ipse ea causa venerit in periculũ capitis, & captus à Piratis in seruitutẽ fuerit redactus. Quo exẽplo manifestè apparet, q; philosophia infirma sit ad res humanas emendãdas.

Ita quòd in me est, paratus sum, & uobis qui Romæ estis euangelizare. Quando ait, Quod in me est, aliquid profectò innuit esse, per quod steterit, quò minus Romam venerit. Id autẽ est vocatio Dei, quæ eum aliò abducebat. Neq; per hanc locutionẽ vult excludere aut gratiã, aut charismata, aut facultates à spiritu sancto sibi collatas: quasi velit Romanis euangelizare tãtùm ita extà id, quod in se est: quemadmodũ nonnulli loquũtur, si homines ante gratiã vel regenerationẽ faciant, quod in se est, Deum illis nequaquã defuturum. At nõ ita loquitur Paulus: sed inquit: Quòd aduentũ meum ad vos differo, non est ex animi mei sententia, sed ex Deo, qui aliter decreuit. Si enim meo ipsius iudicio relinquerer, iam apud vos essem, nec pericula vlla morarer. Fœlix est sanè, qui tam alacri & prompto animo paratus sit, vt Dei vocationẽ sequatur: quẽadmodum se Paulus esse prędicat. Faciebat vtiq; eũ promptum res, q; tractaturus erat: nimirũ, Euangeliũ: deinde ciuitatis nobilitas, per quam, si semel conuerterentur ad Christũ, videbat facilè fore, vt cętęrę partes orbis melius haberẽt. Inter ea quę solent adimere animũ, ne quis capessat aliquod negotiũ, est ignoratio euentus, pericula, quę se opponũt, labores obeundi, quod q; non simus satis instructi viribus & facultatibus ad exequendũ id, quod suscipitur. At Paulus ignorationi euẽtus obijciebat certitudinẽ promissionis, per quã nouerat ad Christũ conuertẽdas esse nationes: periculis, quę illum manebãt, obiecit vbertatem quęstus: quòd Christo esset lucrifacturus infinitos homines. Quantum autẽ hoc valeat

ad

Quare Deus hominibus dona cõcedat.

Episcopi muti.

Qui Græci.
Qui Barbari.

Paulo tria hominum genera.

Euangeliũ cõmunius est, quàm philosophia, ac lex Mosis.

Chrysostomus.
Exemplum Platonis.

Fœlix est q̃ prõptè uocationem Dei sequitur.

Qui soleant homines ab aliquo incepto deterrere.

ad excutiendũ languorem & ignauiã, demonstrant mercatores, qui lucro sibi proposito, tẽpestatũ pericula, difficultates itinerũ, & latronũ incursus nihil morãtur. Labores obeundos mitigabat amor, & charitas, qua pectus habuit accẽsum & inflammatum. De facultatib. autem suis & viribus, non erat sollicitus: quoniam ijs rebus parùm fidebat: sed totus pendebat à Christo, qui eum charismatibus, & spiritus sancti donis, prout loci, ac temporis ratio postulabat, quantum erat satis, ornabat. Addenda est quinta causa, qua solent homines vel à Christi professione, vel à prædicando reuocari: pudor, videlicet: quòd Euangelium caro nostra iudicat rem pudendam esse. Atqui huic impedimento Apostolus occurrit, inquiens:

Non enim me pudet Euangelii. Subditq; rationem. *Quoniã uirtus Dei est ad salutem omni credenti.* Quòd scribit nõ pudere se Euangelij, licet id proferat sub persõna sua, eo tamẽ vult admonere Romanos, ad quos scribit, ne ipsos quidẽ pudere oportere (quãuis excelso loco sint) Euãgelij. Vtitur autẽ tropo Liptote. Minus enim dicit, q̃ significat. Non pudere hîc perinde est, ac si diceret, Vehemẽter glorior. Idq; planè ac sine tropo protulit ad Galathas, dicens: Absit mihi gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. Multi autẽ sunt, qui hodie gloriant, quòd Christiani sint, & Euangelium receperint. Quod vtinã verè atq; ex animo facerent. Nimis enim multi eorũ sunt, qui si excutiãtur, quòd ad mores attinet, quiduis potius viuunt, quàm Christũ. Quoad dogmata verò, si vel à Catechismo cœperis eos examinare, deprehendes, eos nihil vnquã de Christo intellexisse. Pudendũ vulgò ducitur, quod à mundo ludibrio habetur: & honorificum, quod ille habet in pretio. At in iudicãdo Euãgelio caro nostra vehemẽter hallucinatur. Nam putat illud pudendũ esse, quoad mentẽ, quoad animi bona, quoad bona fortunæ, & quoad bona corporis. Nam quoad mentẽ, & intellígẽtiam, arbitratur stultum esse ea sibi persuadere, de quib. non queat rationẽ reddere. Quoad animi autem bona, quòd non possimus nostris virtutib. & actionibus præclaris iustificari. Item fatuũ existimat, bona corporis abijcere, ita, vt crucifigamus carnẽ nostrã cum omnib. cupiditatib. & quod ad fortunæ bona pertinet, velimus tollere crucem nostram, atq; per contumelias & ignominias Christum sequi. Hæc omnia pudenda videnť carni: aduersus quã assiduè oportet ingerere, quod Paulus asserit: Nos minimè pudet Euangelij. Habet sanè hæc doctrina multiplices hostes. Primo loco sunt Epicurei, vel potius ἄθεοι homines, qui existimant, hoc negotium prorsus esse commentũ, & rem fictitiam: nosq; vehementer mirantur, ac naso suspendunt, quòd ita propterea sollicitemur, & anxij simus. Alij sunt ciuiles homines, qui respublicas administrant. Isti arbitrantur hanc doctrinã prorsus seditiosam esse: & indignũ ducunt, vt permittatur concionatorib. sub prętextu pœnitẽtię indicendę, ac prędicãdę, vt vitia magistratus & principũ taxent, & quodãmodo traducãt ad populum. Aiuntq; hoc nihil aliud esse, quàm respublicas conuellere. Post istos accedunt hypocritæ, ac monachi, & exclamãt, nostro Euangelio leges diuinas euerti, sanctas ceremonias temerari, detrahi bonis operib. auferri sacrosancta simulacra, & omnes (vt loquũtur) deuotiones funditus tolli. His ijsdẽ ad uersarijs vrgebatur Paulus. Nam scribæ, pharisæi, pontifices clamabant, per hoc Euangeliũ, quod Apostoli prædicabant, diuinã legẽ abrogari: ceremonias, quas Patriarchę, & Prophętę seruauerant, deijci: tribũ Leuiticã expoliari honore suo: dignitatẽ sacerdotalem exęquari prophano statui: atq; Iudaicã Rempub. omnino extingui. Aduersus quos aculeos oportuit occurrere his vocib. Me non pudet Euangelij: quicquid vos dixeritis, aut contra illud cõminiscamini. Accedebat etiã Augustini, & Chrysostomi temporib. quando totę ciuitates non dũ admiserãt Christũ, sed in eadẽ vrbe & Christiani erãt, & idololatrę, vt si quando vir quispiã clarus & illustris nomẽ dedisset Christo, accederẽt ad eũ affines, cognati, & amici, & dicerent: Tu crucifixo credis? Nõ pudet ei cõmittere tuã salutẽ, qui extremo supplicio fuit affectus? neq; seipsum seruare potuit? Quę tua est amentia? Crucifixo credis? Respondendũ illi fuit, vt inquiunt, credo crucifixo: Non autẽ scortatori, adultero, impudico, parricidę, aut liberorum interfectori, cuiusmodi est vester Iupiter, Saturnus, & cæteri dij, quos vos veneramini. Quare neq; Christi, neq; Euangelij me pudet. Sic etiã occurredũ est hęreticis, quando aiunt, rem esse fatuã, & pudendã, credere filium Dei verè passum esse, aut verè suscepisse humanã carnẽ ex vtero virginis: Cùm hęc in Euangelio habeanť, ea prorsus credimus: neq; pudet nos Euangelij Christi. Hodie quoq; pijs iuuenib. qui studio Euangelij tenentur, exprobrant quandoq; seniores, vel etiam ipsorum sensus, & ratio humana reclamat: Nonne vos pudet huius nouæ doctrinæ? Estisne adeò cæci, vt non videatis, hoc pacto damnari bona opera, interire cultum Dei, ministerium Ecclesiæ conculcari, sacerdotalem dignitatem abijci, ecclesiasticas opes prorsus atteri? Quosnam habebitis posthac Mecœnates, aut patronos? Num maiores vestri, qui vos præcesserunt & in hac Academia, & in alijs

Liptote.

De Euangelio gloriandum si ueré ac ex animo receptũ fuerit.

Caro nostra ut hallucinetur dũ iudicat de Euangelio.

Qui sint illi quos pudet Euãgelij.

Quæ tẽpora Augustini & Chrysostomi.

Ethnici cõuersis ad Christum exprobrant Euangelium.

Hæretici exprobrant catholicis Euangelium

Papistæ nobis exprobrant Euangelium.

& doctores, & insignes viri hæc vestigia sunt persecuti? Istis quoque oportet occurrere. Non pudet nos Euangelij, quantumcunque vos illud insimuletis. Quòd si dixerint: Nos habemus Euangelium: uestra est noua doctrina. Rogeramus illis: Tam est illud, quod habetis, Euangelium, quàm commentitios cultus Dei proponere, syncero & à Deo nobis descripto cultu abiecto & contempto: quàm statuas, & imagines colere: quàm uota obtrudere, per quæ à matrimonio reuocentur homines, qui illo maximè opus habent: quàm peregrinationes ad simulacra instituere, sanctorum ossa colere, mortuos inuocare: & infinita hoc genus alia. Quare uos oporteret pudere uestræ doctrinæ, non autem nos Euangelij Christi. Excutiatur diligenter, quid in eo sentiamus de honore Dei, illi nos soli cuncta tribuimus: ab eo uno in omnibus rebus pendere uolumus. Videte præterea, quid sentiamus de cultu eius. Illum retinere uolumus purum ac sanctum, prout in sacris literis nobis traditur. Quid de bonis operibus? Illa perpetuò urgemus, & tam præclara à nobis exigi contendimus, ut semper aliquid uelimus restare à nobis minimè perfectum, ad quod sit collimandum, & quò debemus nostros conatus dirigere. Quid de sacro ministerio? Illud uolumus in pretio haberi, ut per quod Deus operetur ad nostram salutem. Quid de sacramentis? Vt pura sint, & casta, utq; ad usum reuocentur, quem Christus instituit. Quid de magistratu? Vt obediatur ei, utq; ei subijciamur in omnibus: modò nihil præcipiat contra uerbum Dei. Quid de pauperibus, & miseris hominibus? Vt simus illis adiumento, & eos releuemus. Quid de pace, & tranquillitate publica? Vt conseruetur etiam cum iactura nostrarum facultatum. Quid de scientijs, & bonis literis? Vt manu teneantur, & prouehantur. Quid de uetustate nobis obijcitis? Nihil est, quod magis cupiamus, quàm ut res ad antiquum statum reducantur. Vos noua induxistis: nos primitiuæ Ecclesiæ statum reposcimus, & Apostolica instituta repetimus. Quare non est, quod nos pudeat Euangelij: de quo qui conqueruntur, potius compëdia sua lamentantur, quàm quòd possint accusare doctrinam. Quòd si quid accidat incommodi, aut turbarum, id non in doctrinam reijciendum est, sed in eos, qui sub prætextu Christi & Euangelij, quærunt quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi. Sed iam uideamus Pauli rationem, propter quam illum non pudeat Euangelij Christi.

Collatio doctrinæ papistarũ & Euangelij.

Quænã sit nostra doctrina.

Turbæ atq; incommoda non reijcienda sunt in Euagelium.

Quia uis Dei est ad salutem omni credenti. Est uis, hoc est, organum & instrumentum, per quod suam uim ad seruandum Deus exerit. Nam unà cum uerbo Dei, & Euangelio instillatur gratia & spiritus sanctus, & in primis remissio peccatorum: quibus instauramur, & seruamur. Iusta tamen coniunctio salutis humanæ cum Euangelio non est naturalis, hoc est, necessaria, ut dato ac posito Euangelio ea prorsus necessariò consequatur. Nam opus est, ut Deus intus moueat animos audientium: quod in Actis Apostolicis fecisse legitur mulieri purpuriæ. Idcirco Euangelium habendum est arbitrarium instrumentum, quo Deus pro sua uoluntate utatur. Definitionem hanc Euangelij multi arbitrantur à causa efficiente ductam esse. Nam exprimitur in ea potentia Dei, quæ nos efficit saluos. Deinde additur finalis causa, uidelicet, hanc Dei potentiam esse ad salutem: neque id tacetur, quo capaces reddimur tanti beneficij: nimirum, fides. Adijcitur enim, *Omni credenti*. Nam qui accedunt ad Euangelium audiendum, & fide carent, nihil apprehendunt, nisi uerba: & Euangelium illis non est Euangelium. Quemadmodum in sacramentis, qui destituti sunt fide, symbola quidem sumunt: sed fructum, & rem sacramenti non habent. Hîc iam attingitur cardo totius controuersiæ. Cùm enim dicitur, salutem prouenire ex Euangelio cuiuis credenti, satis declaratur, nos iustificari ex fide: non autem ex operibus, uiribus nostris, philosophia aut ceremonijs legalibus. Potentiæ autem Dei non frustra meminit. Quoniam ut seruaremur, debelandi erant hostes: hoc est, diabolus, mors, infernus, & in primis peccatum. Apparet item ex his discrimen inter iustitiam legis, & Euangelij. Iustitia legis est, ut faciamus, & operemur. Qui faciet hæc, viuet in eis, dicebat Moses, vt ad Galathas inducitur: & in hac epistola posteà suo loco tractabitur. At contrà iustitia, & salus Euangelij est per fidem omni credenti. Nam fides est, quæ apprehendit misericordiam, & promissionem Dei: licet nonnulli fuerint, qui dicere ausi sint, hanc loquutionem, apprehendendi per fidem, esse peregrinam, hoc est, alienam à sacris literis. At illi vehementer decipiuntur. Est quidem inusitata apud sophistas: verùm in scripturis legitur. Ad Galathas enim scribitur: Vt promissionem spiritus accipiamus per fidem. Et vtitur verbo λαμβάνειν, quod nihil aliud significat, quàm apprehendere, & accipere. Item in Actis Apostolicis Paulus loquitur ad Agrippam Regem, se missum idcirco, vt homines accipiant remissionem peccatorum, & sortem inter sanctos per fidem. Vbi etiam eodem verbo vtitur. Et ad Romanos 9. cap. Gentes, quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam: iustitiam autem eam, quæ est ex fide. Verbum Græcum est hoc

Euangeliũ nõ est naturale instrumentũ, sed ad arbitrium Dei.

Definitio habet causam efficientem finẽ, ac instrumentum recipiendi.

Simile de sacramentis.

Summa totius controuersiæ de iustificatione.

Cur iniustificatione potẽtiæ dei præcipuè mẽtio fiat.

Discrimen inter iustitiã legis & Euangelij.

Loquutio apprehendendi per fidem, nõ est peregrina neq; inusitata in sacris litteris.

hoc loco κατ' ἐλλειψιν. Quare conuincitur, nos more scripturarum loqui. Neque dissimulandum est, aliquos esse, qui hanc Euangelij definitionem à materia sumptam putent: quasi exponendum sit, Euangelium esse potentiam Dei ad salutem, quod in eo tradatur, atq; tractetur de potentia Dei, qua seruauit hominum genus. Ea verò potētia est Christus filius Dei, qui factus est ex semine Dauid secundum carnem, quemadmodum antè dictū est. Ita prior definitio, & hæc posterior quoad genus causæ non differunt. Atq; hæc quidem interpretatio minimè displicet. Nam Paulus priore ad Corinthios Christum appellauit Dei virtutē, & Dei sapientiam. Ego tamen priorem interpretationē sequor libentius. Dicat fortasse aliquis: Cùm Euangeliū prędicetur multis ad iudiciū & cōdemnationē, simusq;, vt Paulus dicebat, multis odor mortis ad mortē, quomodo appellatur salus, vel potentia ad salutē? Atq; adeò habetur ad Corinthios, prędicamus Christū crucifixum, ludęis quidem scandalū, Grę eis autē stultitiam. Respondemus, Obest Euangelium illis, qui fidūt suis viribus propriis operibus, & suæ rationi. Cęterū vt eodem loco ad Corinth. Paulus habet, vocatis Dei prædicatur Christus Dei virtus, & Dei sapiētia. Qui locus maximè facit ad interpretationē huius sententiæ. Res enim debent accipere nomen ab eo, quod sortitæ sunt ex ingenio, & natura sua, non ex eo quòd aliunde temerè, atq;, vt dicitur, per accidēs illis annectitur. Habet Euā geliū ex institutione sua, atq; consilio Dei, vt seruet. Quòd autē officit, id aliūde accidit: hoc est, ex infidelitate accipientiū: alioqui Christus ipse appellari non posset Seruator: quòd positus sit in ruinam, & scandalum multorū. Vnde cùm loqueretur de Scribis & Pharisęis, ait: Si non uenissem, & loquutus eis non fuissem, peccatum non haberēt. Sed quoniam ad hoc nō erat missus, verū hæc mala aliūde accidebāt, ideo dictus est Seruator: quāuis permulti occasione aduētus eius perierint. Nam quòd attinet ad illū, verba vitę æternę habuit. Et ipsemet ait: Verba, quæ ego loquor vobis, spiritus & vita sunt. Sed multi ex hîc stantibus nō credūt. Quamobrē non dissentiūt ea, sed pulchrè consentiūt cum ijs, quæ modò à Paulo tradūtur. Excutiendū præterea est, quænam sit ista salus, quæ per Euāgelium nobis affertur. Nam salutem & politici homines pollicētur, bonis legibus, & disciplinę seueritate. Verū ea singularis est, & valde cōtracta: est enim tantū ea, qua salui sumus à ciuium iniurijs. Medici quoq; promittunt salutem: sed ea tantùm ad corpus pertinet, vt bene habeat. Milites quoq; iactāt se ad salutem esse cōstitutos: verùm ea salus tantū spectat ad incursus hostiles. Quin & mechanici prædicant, artificia sua salutaria esse hominibus: sed isti quoq; particulas tantùm salutis adferunt. Qui domos ædificant, ab iniurijs aeris & cœli nos tuentur: qui pannos conficiunt & vestes parant, à frigore corpora nostra aliquo modo defendunt: ista verò salus, quæ est ab Euangelio, totum comprehendit: & summam vniuersam caputq; totius nostræ conseruationis in se continet: hoc est, fœlicitatem ipsam, & beatitudinem. Hæc est ea salus, quæ adumbrabatur in veteri Testamento, quoties per Iephthe, Simsonem, Gedeonem, & Deberam defendebatur Israelitica respublica ab oppressoribus. Et salutem istam, de qua nunc agitur, accipiendam esse generaliter, certa ratione monstratur: quoniam omnes hi defectus, quibus particulæ salutis, quas anteà recensuimus, adiumento sunt, nobis euenerunt propter peccatum. At per Christum & eius Euangeliū eripimur à peccato: quod attestatus est angelus, quando Iosepho dicebat: Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Hoc autem est, restituere nos veræ fœlicitati. Nam fœlicitas est, viuere, vt vulgò dicitur, congruenter naturæ. Nostra verò natura à Deo est instituta, vt simus ad imaginem eius. Additur autem necessariò hæc particula, *Ad salutem*: quoniam alioqui potentia Dei est etiam ad vindicandum, ad vlciscendum, & ad condemnandum. Sed Euangelium ad hæc propriè non est institutum, sed ad salutem. Quòd si hac de re persuasi essemus, in Christo atque in Euangelio nos esse habituros perfectā salutem, non adeò in rebus temporarijs animum defigeremus, sed semper eò contenderemus, vbi fœlicitatem ac summum bonum nos habituros speraremus. Quemadmodum principes, & illustres viri parùm frequenter prodeunt in foro, in vicis, & in plateis non multùm versantur, nec facilè detinentur spectaculis plebeiorum hominum: quoniam domi habent suas delitias, voluptates, paradisos, & insignia bona: ideóque ibi se libenter continent, & si foris fuerint, eò se recipiunt. Ita nos bonis huius mundi solùm ad necessitates corporis vti deberemus: perpetuò verò in Christo atq; Euāgelio eius versari, tanquam in nostra salute ac fœlicitate.

Iudæo primùm & Græco Euangelium ostenditur generaliter omnibus propositū: neq; ullum eximit eius prædicatio hominū genus. Gręcos hîc accipit generaliter, & ea voce cōplectitur oēs nationes præter Iudæos. Et quod inquit, *Primùm*, ordinem significat, sed non maiorem copiā fructus: quasi Iudęi plus habeāt vel cōmodi, vel vtilitatis ex Euāgelio q̄ Ethnici.

Quare Euangelium interdū sit ad cōdemnationem.

Res nominandæ sunt ex natura sua, non ex eo quod illis temerè accidit.

Christus rectè dicitur Seruator licet multis cedat in scādalum & ruinam.

Cuius generis sit salus quā habemus ex Euangelio.

Fœlicitas ac beatitudo nobis ex Euangelio constat.

Per Christū & Euangeliū eripimur à peccato unde omnia mala

Quid fœlicitas ex uulgari definitione.

Potētia Dei est & ad salutē, & ad uindictam.

Simile.

Euāgeliū omnibus indiscriminatim proponitur.

Iudæi quomodo anteponantur Gentibus.

Qua de re Chrysostomus habet pulchrum simile. Quando baptizabantur adulti, qui erant conuersi ad Christum, tempore Paschatis, aut Pentecostes, non poterāt omnes tingi simul; tamen qui priores tingebantur, non magis induebant Christū, nec plus gratiæ accipiebant, quàm posteriores. Significatur itaque ἀναλογία ordinis: & Iudæi primo loco ponūtur. Nam Christus fuit Apostolus Iudæorū, & minister Circumcisionis. Dicebat enim se non missum, nisi ad oues quæ perierāt domus Israel. Et cùm primū mitteret Apostolos, iussit, vt ad Gentes ne irent, neue Samaritanorum ciuitates ingrederētur. Et in postrema legatione, cùm ascenderet in cœlum, iussit, vt testes essent sibi in Hierusalem, in vniuersa Iudæa, atque Samaria: deinde adiecit: Vsque ad fines terræ. Quin & Paulus hunc ordinem seruauit. Primùm enim in Synagogis concionabatur, cùm in aliquas ciuitates ingressus esset. Et vnà cum Syla & Barnaba dixit Iudeis, Vobis primùm oportuit prædicari Christū: quē quoniam respuitis, ecce nos conuertimur ad Gentes. Primi debuerunt esse Iudæi, qui vocarentur: quoniam habuerunt vaticinia, & Prophetas, & de promissione Christi tabulas quodammodo cōsignatas. Idcirco fides primùm ab illis requirebatur. Probat, hanc definitionem positam, non quidem à priori, aut per causam (id enim fieri non potest) sed per effectum, &, vt aiunt, à posteriori, cùm inquit:

Analogia ordinis quoad tempus inter Iudæos & Græcos.

Vocatio Iudæorum prior.

Paulus prius Iudæis quā Gentibus prædicabat.

Posita definitio probatur ex effectu.

Reuelatur enim iustitia Dei in eo ex fide in fidem. Hoc est, effectum Euangelij, & fidei, vt iustificemur. Iam egreditur Apostolus exordium, & accedit ad tractationem disputationis. Est autem hæc propositio capitalis, quæ in summa cotinet id, quod per 11. capita conatur probare: hoc est, Hominem ex fide iustificari. Duabus itaque rebus inseruit hæc propositio. Primùm enim inducitur vt ratio positæ definitionis: deinde, vt propositio summaria totius disputationis. Atque ita Apostolus per transitionem mollem, & suauem, & latētem ducit attentum auditorem ab exordio ad confirmationes & confutationes, quæ sequuntur.

Effectum Euangelij est ut iustificemur.

Finis exordij et intentionis tractationis.

Propositio probāda usq; ad caput 11.

Mollis transitio.

Cùm audimus, iustitiam Dei nominari hoc loco, ne putemus institui sermonem de seueritate diuinorum iudiciorum. Nam ea seueritas non dicitur ab Hebræis צֶדֶק, sed potius מִשְׁפָּט iudicium: & צְדָקָה, quod nostri vertunt iustitiam, significat bonitatem, clemētiam, atque misericordiam, qua Deus se nobis bonum declarat. Et quia hoc facit cùm primis donādo nos iustitia: ideo existimo, sic passim redditā esse eam vocem. Atq; ea quidē vox hoc loco, si recte intuearis, respōdet saluti, quam antea dixerat nobis prouenire ex Euāgelio. Et Prophetæ non semel implorant Dei iustitiam: quod non facilè potest vbique intelligi de seueritate iudicij. Nullus enim, qui sapiat, vellet iuxta eam secum agi. Imò potius sancti clamant: Ne intres in iudicium cum seruo tuo. Declarat autem Deus hanc suam iustitiam, siue bonitatem erga nos tribus potissimùm rebus. Primùm nos recipit in gratiam, condonat peccata, non imputat ea, quæ nos admittimus, ad mortem: sed è diuerso potius imputat Christi obedientiam & sanctitatem. Secundò accendit in animis nostris studium rectè viuendi, instaurat voluntatem, illustrat rationem, nosq; totos propensos facit ad rectè viuendum, quum anteà à iusto honestóque abhorreremus. Tertio loco donat puros & castos mores, probas actiones, & synceram vitam. Omnia ista complectitur iustitia, quæ reuelatur in Euangelio. Sed primum horum trium, & capitale, & summum est, quod alia complectitur, & dicitur esse Dei iustitia, quæ in nos ab illo prouenit. Non enim viríb. humanis eam acquirimus. Vnde Chrysostomus hîc eam vocat, Iustitiam ἀνωθεν, eò quòd nobis concedatur, vt ille loquitur, sine sudoribus atque laboribus. Vnum tamē adiecit, quod nobis est caute legendū: nimirùm oportere nos adferre οἰκοθεν, hoc est, domo nostra, & à nobis ipsis fidem, qua percipiamus istam iustitiam. Qua sententia, si velit intelligere, fidem à nostris viribus, atque natura ortum habere, non esset audiendus: quandoquidem sacræ literæ apertè testātur illam donum Dei esse, non autem ex nobis: quod expressè legitur in epistola ad Ephesios. Sed non arbitror, hunc patrem ita desipere: ideoq; illum ad hunc modum interpretor: Cùm videret istam imputationem Dei quodammodo extra nos esse positam, voluisse illū indicare, si nobis eam volumus applicatam, oportere, vt fidem in nobis habeamus, qua eam possimus ad nos pertrahere. Non autē contēdit hoc dicto, fidem ex nobis ipsis, ceu à prima radice oriri.

Modi quib. Deus in nos bonitatem suam declarat.

Vox iustitiæ quo modo accipiēda.

Interpretatio Chrysostomi lenitur.

Reuelatur in eo. Intellexerunt nonnulli hæc dona bonitatis Dei, quę recensuimus, reuelari in Euangelio, quòd in eo legantur & contineantur. Id ego nequaquā inficior: sed adjicīendum puto Hebraico more, *In eo*, idē esse Paulo, ac si dixisset, per illud. Vt sit sensus, Quòd exhibeatur, aut detur nobis participatio huius iustitiæ ac bonitatis Dei, id per Euangeliū prouenit, modò illud fide percipiamus. Quamobrem in hoc verbo, *Reuelandi*, comparationem duplicem attendemus: vnam quoad pios, qui hæc à Deo accipiunt, vt ipsi ita illa agnoscāt, & sentiant, & certo experimento intelligāt, quoad omnes tres iustitiæ partes, quas distinximus.

Duo modi reuelationis Euangelij.

mus. Non enim sic aguntur à Deo, quasi non sentiant, & experimẽto cognoscant, quæ fiãt. Qui autem spectatores tantùm sunt, & non actores fabulæ, neque primam iustitiæ partem neq; alteram vident: quoniam sunt homines animales, & deus seculi excæcauit mentes eorum, ne hæc spiritualia valeant attingere. Tertia verò iustitię portio, quæ in actum erumpit, & sita est in externis operibus, velint, nolint, eis occurrit, & inuiti cogũtur illi testimonium ferre: quemadmodum legimus Plinium Iuniorem scripsisse ad Traianum de Christianorũ innocenti vita. Satis enim exemplorum sancti viri edebãt, ex quibus impij, si sapuissent, cogitare debuerãt, eos animo prorsus fuisse instauratos, & hoc genus hominum Deo gratius esse, quàm alios. Verùm in his rebus mirabiliter cæcutit humana prudentia, quæ de rebus spiritualibus iudicare nihil potest: sua tamen natura sic inter sese partes istæ iustitiæ coniunctæ sunt, vt vna ex altera pẽdeat. Hoc sensu de iustitia Dei Paulus infra scripsit: Si nostra iustitia iustitiam Dei commendat: Vbi videmus aperte, iustitiam Dei esse bonitatem, atq; clementiam. At nunc videnda est adiunctio, *Ex fide in fidem*: In hæc verba tot sunt expositiones, vt, si omnes velim recensere, tempus me deficiat. Paucas attingã, & ex illis, quæ mihi videatur probabilior, & vero propior, iudicabo. Intelligunt aliqui, Ex fide veterum, in fidem posteriorum: Alij ex fide infirmiori in fidem robustiorem: Alij ex fide vnius articuli, in fidem alterius. Et, vt finem faciam enumerandi opiniones, venio ad illam, quam maximè omnium probo. Apparet, fidem à Paulo bifariam sumi: Vno modo pro illo assensu, quo annuimus Deo quippiam nobis pollicenti: Alio modo pro constãtia dictorum, & promissorum. Atq; hoc pacto prædicatur Dei fides, vt legimus infrà 3. capite. Quid si quidam illorum non crediderunt: Num incredulitas eorum fidem Dei fecit irritam? Quibus verbis cõtendit, Deum præstitisse fideliter, quod erat pollicitus. Iuxta hanc distinctionem exponemus istam reuelationem, seu exhibitionem diuinę iustitiæ erga nos fieri in fidem, videlicet nostram, qua Deo promittenti assentimur: eam verò fidem nostram & roborari, & confirmari ex fide Dei: quòd, scilicet, viderimus eum constanter præstitisse, quæ promisit. Atque interpretationem istam in suis commentarijs attingit Ambrosius: eaq; mihi admodum videtur conuenire. Adijcitur:

Plinius pro Christianis ad Traianum scripsit.

Fidei significatio duplex.

Sicut scriptum est: Iustus ex fide uiuet. Contendit Paulus iustificationem haberi à nobis per fidem: Et Chrysostomus dum huuc locum interpretatur, attestatus est, ea sola nos consequi remissionem peccatorum. Ait enim illam non esse sperandam ἐτέροθεν, id est, aliunde. Quòd si quæsieris, cur nam scriptura citetur hoc loco ab Apostolo, respondet idem Chrysostomus: Quia humanæ rationi videt dissimile veri, vt qui modò fuerit adulter, homicida, & sacrilegus, statim habeatur iustus, modò crediderit, & admiserit Euangelium Christi. Hæc videntur παράλογα, neq; facilè credi possunt. Nam legimus in Tripar. Hist. libro primo, capite sexto, Constantinum magnum, qui Euangelium primus omnium imperatorum publicè recepit, occidisse multos, vel affinitate, vel cognatione sibi coniunctos: atq; authorem, consulatorem ue fuisse, vt filius suus, qui Crispus dicebatur, necaretur. Quorum facinorum quum eum pœniteret, consuluit Sopatrum philosophum, qui Plotino in docẽdo successerat, num quæ esset horum scelerum expiatio? Cui philosophus respondit, nullam esse. Postea consuluit nostros episcopos: atq; illi quidem responderunt, omnia ea peccata expiari posse, modò crederet in Christum, & syncera fide eius Euangelium admitteret. Hinc factum est, vt ille imperator ad nostram religionem accesserit. Author eius historiæ hanc narrationem, vt commentitiam, reijcit: eamq; probat diuersis argumentis, confictam fuisse à maleuolis, qui Christianæ religioni parùm fauebant. Sed, quicquid fuerit, ego hoc specto, illos ad confingendum hoc mendacium arripuisse hanc occasionem, quòd absurdũ iudicarent, & philosophi & ciuilis viri hominem impurũ, & infinitis peccatis onustum, statim & purũ, & iustum coram Deo pronuntiari, vbi primùm Christi fidẽ admisisset. Paulus itaq; ne videretur author huius paradoxi à quo tãtoperè abhorret humana ratio, citat locum è diuinis literis, & eas vult fidem facere, rem ita se habere. Testimonium, quod inducit, desumptum est ex Habacuc propheta cap. 2. licet Chrysostomi interpretatio, vt Græcè habetur, Sophoniam citet nominatim. Sed hoc non est mirum: quoniam fortasse memoria lapsus est. Patres enim, vt homines fuerunt, quandóque errare potuerunt. Nam & Ambrosius, quum paulò antè locum illum tractaret, Iudæo primùm & Græco, asseruit Iudæos ita primũ cœpisse appellari à Iuda Machabæo, qui libertatem suæ genti asseruit, cùm à Græcis adigerentur in seruitutem. Quòd quàm falsum sit, testatur secundus liber Melachim, cap. 25. Hierem. cap. 40. Hester cap. 3. Esdra, Nehemias, Daniel, Zacharias, & alia huiusmodi loca, in quibus Iudæorum cognomẽ apertissimè legitur, lõgè antequã Iudas Machabæus rerum potiretur. Neq;

Chrysostomus ait sola fide nos iustificari.

Historia de Constantino.

Chrysostomus & Ambrosius lapsi memoria.

Patribus non nimium tribuendum.

hæc idcirco à me dicuntur, quòd velim authoritatem Patrum procaciter conuellere: sed vt intelligamus, cùm sæpe labantur, non tantùm fidei scriptis illorum tribuendum esse, quin ea examinanda sint ad gnomonem sacrarum literarum. Quòd verò attinet ad hunc locum Habacuchi, sciẽdum est, hunc prophetam primò capite sui libri, prouocasse Deum satis audacter ad disceptationem de rebus, quæ geruntur in hoc mundo: ita, vt quodãmodo illum arguerèt, quasi parùm illis prouidẽtem. Queritur enim iustos homines ab impijs misserè opprimi, et sceleratos habere miros ac felices rerũ successus. Verũ post multas querimonias tandem in secundo capite recipit se, & inquit: Super custodiam meã stabo: id est, nihil temerè volo pronũtiare de hac re: verùm expectabo, quid in me loquatur Deus. Hoc sancti agũt,

Prophetæ cogitationes interdũ explicant quib. percelluntur.

vt humanas tentationes, & affectus depromant interdum in suis scriptis, & ea diligẽter explicent, quibus consueuimus nonnunquam percelli. Nam homines erãt, & his molestis cogitationibus non rarò fuerunt obnoxij. Tandem illi respõdet Dominus: & in summa hoc dicit: Non oportere homines de suis iudicijs illico sententiam proferre, verùm expectandum esse. Quibus verbis taxatur humana temeritas, quæ vult è vestigio pronuntiare, vbi aliquid à Deo videt fieri: cùm tamen admoneamur, de Comœdijs non esse iudicandum, nisi expectato extremo actu. Si possemus diu expectare, videremus Dei iudicia bene succedere, & sapientissimè distribui omnia, quæ ab eo geruntur. Interea loci dum veniatur ad exitum, expectandum est patienter. Oportet autem, vt expectando nos ipsos sustentemus fide: qua fide iustus viuet: & impius, cùm ea destituatur, omni caret iustitia, ac rectitudine. Verba prophetæ, vt in Hebræo habentur, hæc sunt. לֹא־תָמַר נַפְשׁוֹ יְשָׁרָה בּוֹ וְצַדִּיק בֶּאֱמוּנָתוֹ יִחְיֶה, Nostra versio Latina habet: Qui incredulus est, non erit recta anima eius in semetipso. Septuaginta: Si retraxerit se, non placebit animæ meæ in eo. Sed quoad proprietatem Hebraicam, Vox עֻפְּלָה deriuatur ab עָפַל quod significat munitionem. Vnde postea formant verbũ, quod est, se munire. Hinc duplex habetur expositio. Prima est, vt per munitionem intelligamus eos qui muniunt animum, & cor obfirmant, ne credant. Hi nec rectitudinem, nec iustitiam habent: Vel rursus eos, qui elati superbia se putãt abundè roboris & virium habere: & quasi non egeant ope atque auxilio Dei, non credunt. Quare horum etiam animus rectitudine ac iustitia caret. Hæc expositio de superbo & elato animo, elicitur è Rabbi Dauid Chimij. Et accipitur munitio in his duabus interpretationibus metaphoricè. Sed si eam vocem propriè accipere volumus, docet Rabbi Mose, eos, qui non sunt recto animo, & fide carent, confugere ad munitiones: ibi se tueri, & putare admodum tutos. Qui verò iustus est, & fide syncere præditus, & modesto demisso q animo, is fide viuet, neque pendebit aut ab armis, aut ab humana potẽtia, aut à munitis arcibus: Fuisseq prophetæ satis, hanc primam oraculi partem extulisse. Nam cùm constituisset, hominem fide carentem non habere iustitiam, ac rectitudinem: sequitur à cõtrarijs, hominem fidelem & iustitiam, & vitam fide adipisci. Cæterùm, ne laboraremus, aut hæreremus in colligendo, ipsemet propheta intulit: Iustus autem ex fide viuet. Neque dissimulandum est, Paulum hîc omisisse pronomen possessiuum. Hebraicè quippe habetur: Ex fide sua viuet. Septuaginta verò, Ex fide mea. Symmachus autẽ apertè fecit cum Hebraica veritate. nam scribit ἐκ πίστεως ἑαυτοῦ. Varietas verò translationum est ex quadam similitudine, quam habent inter se ו & י. Distãt enim lõgitudine & breuitate. Aliqui legerũt אֱמוּנָתוֹ, alij verò אֱמוּנָתִי,

Fides nostra est & Dei.

Sed vtraque lectio congruit cum veritate. Fides enim tam nostra dicipotest, quàm Dei. A Deo quidem ortum habet, sed in nostris animis hæret: alioqui ea nõ possemus vti ad Euangelium percipiendum. Hæc ego fusius voluí scribere de testimonio huius Prophetæ, quòd

Apostolus hoc testimonio Habacuchi sæpe usus est.

Apostolus eo frequenter vsus sit: nimirum ad Hebræos cap. 10, & ad Galathas, & hoc loco. Quare permagni refert rectè hæc verba intelligere. Occurrendũ autem hîc est cauillo, quo

Paulus nõ abutitur hoc testimonio.

impij solent Apostolum traducere, quasi peruersè abutatur scripturæ veteris testimonijs. Præsertim autem eum hoc loco insimulant, quòd hunc Prophetam promittentem reditum ex captiuitate Babylonica, Paulus audeat huc adducere, quasi sententia eius pertineat ad iustificationem, & absolutionem à peccatis. Illis respondemus, in omnibus promissis veteris

Promissiones, etiam de rebus temporarijs per Christum intelligẽ.

legis plærunque nominatim expressa fuisse bona temporaria: quæ tamen fuerunt inuolucra, & fundamenta, & caput istius potissimùm promissionis, de qua nunc agitur: de liberatione, inquam, per Christum. Ad quam promissionem eruendam ex illis veteribus, non parùm valet hæc ratio, vt quæramus, illa bona temporaria, quæ tum temporis promittebãtur, quónam pacto Deus voluerit concedere patribus: num placatus, & propitius, an adhuc eis iratus, & infensus. Non sanè dicendum est, quòd infensus & iratus ea dare voluerit. Non enim illi sic voluissent accipere. Nam quæ hoc animo dantur, ad condemnationem, & exitium

tium tandem adigunt. Si autem promittebat, hæc se daturum, quòd illis placatus esset, & conciliatus, quæramus, per quid illis fuerit placatus. Id certè per solum Iesum Christum fieri potuit: qui est vnicus mediator humani generis. Igitur quicquid promittebatur, quantumuis abiectum & vile, per Christum intelligebatur erogandum. Quare in omnibus promissionibus. Veteris testamenti, piorum animi ad hoc fundamentum, & caput recurrebant. Deinde se nobis offert causa finalis: Quare volebat Deus conseruatam Rempublicam Iudaicam vsque ad extremum, nisi vt inde Christus nasceretur? Cur stirpem Dauid curauit saluam esse, vsque ad extremum, nisi vt filius Dei ex ea humanam carnem susciperet? Cur fecit reducem populum illum ex captiuitate, nisi vt Messias, promisso tempore, indicato loco, & definita stirpe tandem nasceretur? Hæc vna fuit causa omnium illarum promissionum: hanc causam intuebantur, quotquot inter patres rectè sentiebant. Non itaque Paulus torquet Prophetarum testimonia, neque illis abutitur absque ratione. Et hæc nobis esto certa & fidelis regula, ad promissa veteris Testamenti sanè accipienda. Cùm dicit, Iustum victurum esse ex fide, intelligit, quòd seipsum mouere poterit ad summa bona, vt credat, vt speret, vt speraturus sit, vt ex charitate amet: ad quæ viribus naturalibus nequaquam possumus assurgere. Quòd vitam æternam fide assequamur, optimè consentit cum his, quæ Christus dicebat: Hæc est vita æterna, vt agnoscant te solum verum Deum &, quem misisti, Iesum Christum. Ista explicatè & expeditè agnoscemus in patria, claro & manifesto aspectu. Nunc verò hæc eadem obscuriori cognitione, id est, per fidem accipimus. Non est diuersa hæc vita ab illa. Sed ea tunc absoluetur: quod nunc habemus, tantùm est inchoatum. Et iustitia, quæ hac fide aperit sese, consistit in eo potissimùm, vt postquam Deo fuerimus reconciliati, sic viuamus, vt & illi suum cultum, & proximo debita officia reddamus. Et cùm Propheta scribit, iustum ex fide viuere, non sunt eius verba in eam partem accipienda, quasi statuat, nos prius iustos esse, deinde per fidem habituros vitam. Sed hoc docet, ex fide prouenire nobis duo commoda, & vt iusti simus, & vt vita potiamur. Videmus etiam hîc nobis proponi discrimen iustitiæ legis, & Euangelij. Iustitia legis perfecta est obedientia mandatorum Dei. At iustitia Euangelij eius imputatio est. Iustitia Euangelij accipitur à Deo. Iustitia verò legis Deo à nobis exhibetur. Iustitia legis operibus nititur. Nam scribitur: Homo, qui fecerit ea, viuet in eis: & maledictus, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis: &, si vis ad vitam ingredi, serua mandata: &, Hoc fac, & viues. Hîc tamen dicitur, iustus ex fide viuet. Quantùm itaque facere, & credere differunt, tantùm hæc loca inter se videntur pugnare. Sed illa conciliabis facilè, distinguendo iustitiã. Cùm enim alia sit ex Euangelio, & alia ex lege, quædam nos testimonia de hac, quædam verò de illa docent.

Diuinarũ promissionũ ueteris Testamẽti Christus est caput & fundamentum.

Causa finalis diuinorũ beneficiorum erga populum Dei fuit Christus.

Quid sit uiuere ex fide.

Notitia quæ nũc est ex fide quæq; in patria erit uita æterna, eadẽ sunt quo ad materiam.

Iustitia quæ percipitur per fidẽ in quo consistat.

Non prius sumus iusti & postea p fidem uiuimus.

Discrimina inter iustitiam legis et Euangelij.

Conciliatio locorum pugnantiũ.

Iam ex his, quæ dicta sunt, proponit Apostolus tria bona, & quidem summa, nos per fidem adipisci salutem, iustitiam, & vitam. Quoniam Euangelium est vis Dei ad salutem omni credenti: &, Iustitia Dei reuelatur in eo ex fide in fidem: &, iustus ex fide viuet. Quòd si quis his bonis plura requirat, est valdè morosus. Deinde in ipso primo adítu causæ videmus, quàm fortiter asserat tribus iam citatis sententijs, per fidem nobis hæc bona contingere.

Salutem iustitiã & uitam adipiscimur.

Annotabimus ad hæc, quanti Paulus fecerit sacram scripturam. Nam primum locum ei tribuit ad probandam propositam quæstionem: nimirùm, quòd iustitia Dei reueletur ex fide. Quòd si tam apertè & Apostolus, & Propheta confirmet, nos fide iustificari, non decet, vt aduersarij sic reclament, quando nos idem testamur. Idcircò si hoc ægrè ferunt, scripturis, Paulo, Prophetæ succenseant: non autem nobis. Et aduersus eos, quando clamitant, Nos dignitate ac honore bona opera expoliare, non est præsentius remedium, quàm rectè atque sanctè viuere, quo bonorum operum abundè habere possimus testimonia, atque aduersarijs dicere: Si fidendum bonis operibus esset, nequaquam vobis cederemus, vt qui in eis vobis longè præstemus.

Cùm dicimur bona opera deprimere, quod remediũ sit adhibẽdũ

Verùm quod dicimus, ac prædicamus de iustificatione, quæ contingat per fidem, id eò tantum spectat, vt veritas oraculis Dei asseratur. Hoc consilio Paulus vsus est, quando ad Philippenses inquit: Si quis in carne confidit, ego magis. ac multis ostendit, quàm in hoc genere gloriæ alios excelleret. Verum subdit, se omnia hæc vt stercora & damna existimasse, vt Christum lucrifaceret: & in eo inueniretur non habens iustitiam suam, videlicet, ex operibus, sed eam, quæ est ex fide Iesu Christi. Hoc egregium Apostoli exemplum imitari debemus: vt licet iustificationem operibus non attribuamus, illis tamen præ cæteris hominibus luculenter abundemus. Nam si vitam exigamus impuram, & ex altera

parte iactemus iustificationem per fidem, ridebimur ab aduersarijs, quasi hanc doctrinam ideò profiteamur, quòd velimus impunè, laxè, & effrenatè viuere.

Prima ratio qua probatur ex Euangelij fide nos iustificari.

Sublato euangelio ira Dei relinquitur, & impurissima uitia grassantur.

Reuelatur enim ira Dei de coelo. Propositionem iam constitutam, quòd ex Euangelij fide iustificemur, vt confirmet, plures adducit rationes. Prima est, Vbi fuerit Euangelium fide perceptum, iustitia emergit. At vbi remoueris Euangelium, & fidem, ira Dei suscitauit, & immundissima vitia homines contaminant. Quare manifestum est, iustitiæ nostræ causam esse, fide apprehensum Euangelium. Minor propositio, Vbi abest Euangelium, ibi & vitia, & iram Dei grassari, probat per distributionem, tam quoad Iudæos, quàm quoad Gentes. De Iudæis dicturus est proximo capite: nunc de Gentibus exequitur. Et iram Dei probat in eas effundi ex vitijs horrendis, & sordidis, quæ referens & asserit, commeritos fuisse eos homines, vt ita desererentur à Deo, & in hæc peccata protruderentur: quia cognitum affecerunt ignominia, & eius honorem creaturis affixerunt. Cognouisse autem illos Deum, commonstrat: quoniam illos creaturæ docuerunt. Commemorat autem adeò crassa & spurca vitia, vt non possint inficiari suam peruersitatem.

ἀμάλυσις apostolicæ rationis.

Nam si traduxisset grauissima peccata, quæ ad animum pertinent, quia minus habent verecundiæ, non ita lectores commouisset. Resoluetur autem Apostoli ratio hoc pacto. Adeò turpiter sunt contaminati, ergo non fuerunt intus reformati, atque instaurati spiritu, & gratia. Vnde nec Deo erant accepti, nec illi reconciliati. Et videmus, Paulum hac ratione non solùm confirmasse, quod proposuerat, verùm etiam eadem opera saluberrimam concionem instituisse: quam auspicatus est à pœnitentia. Proponit enim illis ob oculos grauissima ipsorum flagitia, & ostendit æternas pœnas illos manere, eosque Deo irato ista pati. Vt que eos magis perterrefaciat, excusationem aufert, asserens eos probè nouisse, quomodo viuendum esset. Et summa huius rationis legitur in Euangelio Iohannis capite tertio: Qui credit in filium, habet vitam æternam: qui verò in eum nõ credit, vitam æternam non videbit: & ira Dei manet super eum. Ibi liquidò apparet, nos fide in Christum data iustitiam & vitam consequi: ac è diuerso ea sublata, & iustitiam auferri, & iram Dei manere accensam. A Philosophia & bonis artibus remoueas Euangelium & fidem: quid sani videbis in hominibus, qui ea sibi vendicant? Omnia profectò erunt contaminata: prout Paulus eos depingit suis coloribus. Quærat hîc forsan aliquis, Cur ita deseruerit Deus homines, ut tantis inuoluerentur sceleribus. Respondeo, tum quia hoc merebantur ob idololatriam admissam, vero Deo cognito: tum maximè, ut necessarium auxilium aduentus Christi sentiremus. Nam si tolerabiliter habuissent homines, vix iudicassent, Mediatore Christo se indiguisse. Verùm vbi superabundauit peccatum, ibi gratia quoq; reddita est illustrior: tantæ, inquam potentiæ, vt grauissimum peccati iugum valuerit abrumpere.

Hæc est iusta cõcio, qua pœnitentia prædicatur.

Locus Ioannis declaratus.

A philosophia si remoueas fidem & euangelium, in ea nil sani relinquetur.

Cur deus ita ethnicos deseruerit.

Ira Dei de coelo. Per iram intelligit vltionem tropicè. Augustinus scribit ad Optatum epistola centesima quinquagesima septima. Iram non esse in Deo perturbationem animi, quemadmodum est in hominibus: sed tantum iustam, & fixam vindictam. Quod idem scribit de Trinitate. Idcircò tropus est vsitatus in sacris literis, vt pro diuina vltione legamus iram. Et Aristoteles in Rhetoricis eam definiuit, Appetitum esse vltionis propter neglectum, aut contemptionem. Cùm enim videt aliquis, se contemni, accenditur eius desiderium, vt cupiat vlcisci. Vult ergo Apostolus, hæc nefaria vitia vltionem esse à Deo irato. *De cœlo.* Hæc verba habent magnam emphasin. Significant enim, hanc vltionem conspicuam, latam, & præpotentem esse: vt sunt imbres, & tempestates, quæ de cœlo deferuntur in terram. Est autem, ac si diceretur, iram hanc siue vltionem Dei diuinitus esse inflictam. Nam è cœlo accipere dicimur ea, quæ videntur immitti diuinitus. Vt in Satyra Poeta dixit: Tertius è cœlo cecidit Cato: Et, Tanquam Sacculus è cœlo descendit γνῶθι σε αὐτόν: Et Cicero de Pompeio inquit, Prouincias eum vidisse, non quasi missum ab vrbe: sed tanquam aliquem lapsum è cœlo. Sic Paulus inquit, hanc vltionem nequaquã existimandam esse rem naturalem, sed plagam à Deo inflictam. Vt enim infra dicetur, Deus tradidit eos in reprobum sensum. Et licet corporales calamitates, quibus nos Deus percutit, sint graues, longè tamen hoc est grauius, cùm in reprobum sensum tradimur. Nam ibi homines sibi ipsis mala accersunt, sunt que sui ipsorum carnifices. Neque è diuerso nobis obtingere bonum optatius potest, quàm nancisci mentem sanctam, & animum rectum. Quemadmodum enim hoc est singulare donum, ita alterum est seuerissima vltio.

Quid ira in deo Definitio iræ ab Aristotele.

E cælo quæ dicantur esse aut mitti. Iuuenalis.

Aduersus omnem impietatem & iniustitiam hominum. Non inquit, Aduersus homines: quoniam Deus

Deus illos odio non habet: sed eorum flagitia vlciscitur. Ea verò comprehendit nomine impietatis & iniustitiæ. Flagitia enim partim erga Deum committuntur, partim erga homines.

Qui veritatem in iniustitia detinent. Tantum veri assequuti erant, vt inde intelligerent, quemadmodum erga Deum, & proximos agendum esset. Hanc tamen veritatem detinuerunt in iniustitia. Quod idem fecerunt Hebræi de veritate, quam Deus illis reuelauit per legem. Cùm itaque tam isti, quàm illi grauiter puniti fuerint, quid sperare debent homines professione Christiani, qui tantam lucem Euangelij absque fructu apud se detinent? Certe efficientur sceleratissimi. Et res ipsa docet, eos, qui Christum iactant, & turpiter viuunt, vincere tandem prauitate ac turpitudine omnes homines licet impurissimos. Detinetur veritas quodammodo captiua in eis, qui eam intelligunt, & opere ac vita non exprimunt. Vincitur autem, & constringitur cupiditatum malarum cathenis: quæ, cùm exhalant ex inferioribus animi nostri partibus, mentem offuscant, & caligino so carcere veritatem agnitam concludunt. Accendit illam Deus in mentibus nostris: at cupiditatibus mirificè obtenebratur. Non est, quòd putemus, vt admonuit Chrysostomus, eam per se ipsam aliquid pati. Veritas enim sua natura immutabilis est. Sed quicquid accidit incommodi, menti atque animo nostro nocet. Duobus verbis Paulus attigit ea, quæ Aristoteles in Ethicis, cùm de Incontinente disputat, multis persequitur. Quærit enim, quo modo Incontinens ad vitia deflectat, cùm rectam sententiam in animo teneat. Respondet autem, hoc accidere, quòd nimium afficiatur singulari bono, quod in præsentia obijcitur sensui: quo pondere melior quoque pars grauatur, vt acquiescat desiderijs, neque suo fungatur officio, vt efficaciter consideret verum, quod antea nouerat. Quod & Poeta cecinit de Medea, video meliora proboque. deteriora sequor. Totum hoc Paulus nos docet, quando ait, Impios veritatem Dei in iustitia detinere. Ipsa quidem nititur, quoad eius fieri potest, in actum erumpere: sed à concupiscentia impeditur. Atque hoc est, quod primo Ethicorum scribitur: Meliorem partem animi semper hortari, & prouocare ad meliora. Sic enim diuinitus, atque natura sumus instituti, vt quod nouimus, id actione velimus declaratum. Quod vbi non fit, nostro ipsorum iudicio reprehendimur. Atque hinc sunt admirabiles vires conscientiæ, quæ in grauioribus culpis nunquam potest perfectè sedari. Detinere veritatem in iniustitia, est prorsùs vocationem Dei respuere, qui perpetuò sua veritate nos ad se reuocat. Quare nobis optimè consuleremus, si quandocunque aliquid veri assequimur, aut studio, aut rerum obseruatione, si è vestigio nobiscum reputaremus, ad quid nos Deus vocet per veritatem, quam nostris animis obiecit. Per iniustitiam intellexit Apostolus generaliter, quicquid à nobis, vel in Deum, vel in homines peccatur. Loquitur itaque Paulus de veritate, quæ nobis naturaliter insita est: neque minus de illa, quam studio nostro adipiscimur. Nam vtraque ea nos præclarissima docet de Deo: nec iniustitia, quam admittimus, valet illam ex animis nostris extirpare. Id tamen conati sunt Academici docere: cum contendunt, nil posse à nobis certò statui: Atque ita non patiuntur, vt aliquid amplectamur, quasi de eius veritate securi: sed omnia tanquam incerta & dubia volunt nos habere. Nec secus Epicurei conantur ex animis delere ea, quæ naturali anticipatione de Deo animis nostris impressa sunt. Et tamen neutri horum valuerunt efficere, quod nitebantur. Manent enim, velint, nolint, hæc vera in animis hominum. Sed, quod est dolendum, in iniustitia detinentur. Rogaueris forsitan, qui fiat, vt veritas, quam habemus ex fide, fortior sit ad erumpendum in actum, quàm veritas naturaliter percepta? Hoc sanè minimè ex eo prouenit, quòd vna veritas per seipsam, & seorsim accepta fortior sit altera. Eandem vtrobique naturam habet: cæterùm discrimen ex medio, ac instrumento prouenit, quo illa percipitur. Vires naturæ corruptæ sunt, infirmæ, ac vitiatæ per peccatum. Ideóque veritatem, quam apprehendunt, non habent efficacem. At fides coniunctum habet diuinum afflatum, & vim spiritus sancti. Ideò efficaciter verùm apprehendit. Diuersitas ergo non est in ipsa veritate, sed in medio, atque instrumento, quo illam amplectimur. Hinc est, quòd ibi mutamur: at hîc manemus ijdem, qui prius fuimus. Cuius rei testimonium habemus luculentum in Euangelio. Proposuit Christus iuueni, quid agere deberet ad salutem consequendam. quo ille audito non est adductus, vt cederet: Verùm abijt tristis. Naturalibus viribus nitebatur: ideò quæsiuit à Domino, quidnam agendo posset æternam vitam consequi. At contrà Matthæus, audita vocatione, tanta fide illam apprehendit, vt relictis peculijs & teloneo, illicò sequutus sit Christum. Et Zacheus, qui fuerat alioqui cupidissimus lucri, cum audiuisset à Domino, quòd vellet ad eum diuertere, non solùm alacri animo eum

Veritatẽ qui captiuam detineãt Quibus cathenis uinciatur ueritas

Veritas in seipsa nil patitur. Aristoteles in Ethicis.

Ouidius de Medea.

Pars animi potior hortatur ad meliora. Conscientiæ uis.

Error Academicorum.

Epicureorum error.

An ueritas fortior seipsa ut per fidem apprehensa & ut naturaliter insita.

Diuersitas nõ est in ipsa ueritate sed in medio quo apprehenditur.

Exempla uariæ apprehensionis.

suscepit in domo sua, verùm etiam statim se obtulit ad distribuendum pauperibus dimidium bonorum suorum: & ad reddendum quadruplum illis, quos antè defraudasset. Totum ergo discrimen in facultate consistit, qua veritas apprehenditur. Quod non debet in eam partem accipi, quasi statuamus, non reuelari nobis plura per scripturas, cùm nouas, tum veteres, quàm cognoscamus per naturam. Tantùm collationem fecimus inter veritatem eandem, quando naturaliter agnoscitur, & quando fide percipitur.

Longè plura per scripturas nobis reuelãtur quàm cognoscamus per naturam.

Quod enim notum est Dei, manifestum est inter eos. Græcè legitur τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ: ac si diceremus: Quod est cognobile Dei. Quod ideò dicitur, quia multa sunt diuina mysteria, quæ naturaliter minimè possumus attingere. Vt est, Deum velle nos gratis iustificare: per Christum crucifixum condonare peccata: atque in æterna fœlicitate hęc nostra corpora eadem restituere. Hæc, & alia id genus rerum natura non docet. Ideò Paulus inquit, Quod potuit cognosci de Deo, illis est manifestatum. Declarat hoc loco, quæ nam sit ea veritas, quam illi detinuerunt in iniustitia. Fuit cognitio diuinarum rerum, quam naturali lumine adepti sunt. Redigit autem Paulus ea omnia, quæ cognouerunt, ad duo capita: nimirum, sempiternam Dei potentiam, & diuinitatem. Nam ex ipsa fabrica huius mundi nouerunt Deum esse potentissimum: deinde non latuit eos, ex pulchritudine, specie, ac distinctione rerum, tantam potentiam prouidentia atque sapientia summa fuisse administratam. Et docuit illos commoditas atque vtilitas rerum conditarum, diuinam maiestatem: quæ in eo præsertim consistit, vt omnibus bene faciat. Hæc sunt, quæ Deus largitus erat ethnicis: at illi Dei donis abusi sunt. Vnde pulchrè in eos quadrat simile, quo vtitur Chrysostomus. Ita enim ait: Si rex multum pecuniæ dedisset seruo suo, vt ex ea familiam suam ornaret, & splendorem suum augeret, ita, vt magnificentia & honor suus magis fieret conspicuus, seruus autem nequã omnia hæc impenderet in lenones & meretrices, nónne, inquit, iure ac meritò plectendus videretur iste seruus? Hoc pacto se gesserunt ethnici sapientes. Acceperunt à Deo præclarissimam rerum notitiam: qua cùm debuissent illum colere, & ornare, eam transtulerunt ad saxa & ligna, statuarum veneranda. Quare non immeritò sæuit ira Dei in illos. Et quando scribitur *Manifestum est in eis*, Neque dicitur in omnibus, sapientes, Philosophósque secernit scriptura à Barbaris, & imperito vulgo. Non enim omnibus pariter eadem nota fuerunt. quod tamen accidit culpa istorum Philosophorum. Debuerant enim ea, quæ cognouerant vulgò prædicare, & inculcare plebi. Verùm id illi nequaquam præstiterunt, vt Prophetę & Apostoli, sed elati animo hæc inter sese continebant: imò quodammodò occultabant, ne ab omnibus intelligerentur. Vnde circumfertur Aristotelis epistola ad Alexandrum, qua dicit Physica sua ita esse à se edita, ac si non essent edita. Quæ enim scribebant, visi sunt de industria obscurare, ne ab alijs intelligerentur. Ad hæc suis ratiocinijs contaminabant, quæ pura cognouerant. Vnum Deum esse, cùm intellexissent, eúmque iudicarent esse colendum, ex se ipsis postea colligebant: Cùm vulgus non sit idoneum ad summam, & fusam in omnibus rebus diuinitatem colendam (non enim potest sic eam percipere) operæpretium fore, si eam diuiderent, & statuis, cælestibus signis, & alijs creaturis affigerent. Et ijdem cùm agnouissent, naturam Dei à corporea materia secretam esse, hoc est, spiritum, & ideò spiritu, & animo colendam, existimantes plebem adeò præ se esse rudem, vt hoc præstare non posset, externos ritus, & ceremonias induxerunt ex suo capite confictas: quibus homines defuncti putarent se diuino cultui satis fecisse. Atque ita ratiunculis suis vitiarunt, quod purum hauserant ex creaturis: neque veritati cognitæ fidem, quam debuerant, habuerunt. Alioqui subiecissent se summę potentiæ, quam agnouerant: seque permisissent regendos prouidentiæ Dei, eíque consilij fuissent in aduersis: quod tamen non fecerunt: imò turpiter desperabant. Cicero exclamat suo extremo tempore in epistola ad Octauium: O me nunquam sapientem. Et ab eo inducitur Cotta de Natura Deorum, alioqui Pontifex, qui dicat, cupere se probari sibi ad veritatem, Deos esse. Cumq; non crederent his, quæ naturaliter de Deo nouerant, non solùm fuerunt erga eum impij, sed etiam erga proximos iniurij. Et sæpe, quò fuerunt insigniores philosophi, eò turpiorem vitam vixerunt: Vt poeta eos arguerit, Qui Curios simulant, & Bacchanalia viuunt. Quia ira Dei sęuiebat in eos. Vt enim pręceptor, si perpetuò discipulum instituat, ille tamen interim aliud agat, & alia cogitet, tantam negligẽtiam ferre non possit. ita Deus se gerit erga nos. Semper enim nobis apertum librum rerum conditarum statuit ob oculos: semper nos illustrat & vocat. Nos verò à doctrina eius semper auertimus animum, atque aliud agimus. Idcircò Deus nos abijciet, vt pessimos discipulos, neque tantam iniuriam feret multam.

Diuina mysteria naturaliter intelligere non possumus.

Duo præcipua sunt quæ de Deo naturaliter cognosci possunt.

Maiestas dei quæ in re consistat.

Simile.

Philosophi non prædicarũt vulgo ea quæ de deo nouerunt.

Aristoteles ad Alexandrum.

Philosophi quæ pure cognouerãt naturę beneficio suis ratiocinijs contaminauerũt

Philosophi nõ se permiserunt diuinæ prouidentiæ regendos.

Turpis vita philosophi.

Simile.

Deus

Deus enim illis manifestauit. Hinc colligitur, omne verum à Deo esse. Non enim ex nobis nascitur. Sed quomodo sit à Deo duplex est sententia. Dicunt nonnulli, hoc ideo esse, quòd Deus ea condiderit, per quæ possumus hæc vera percipere: Alij verò, quibus magis assentior, quòd Deus inseruerit animis nostris προλήψεις, hoc est, anticipationes, & informationes, per quas impellimur ad opinandum præclara atque eximia de natura Dei. Atque hæ notitiæ de Deo nobis naturaliter insitæ obseruatione rerum creatarum in dies magis ac magis confirmantur & expoliuntur. Ineptè, nec minus impiè aliqui dicunt, has veritates ab Aristotele, aut Platone se didicisse: ita vt Deo nequaquã propter illas gratias agant. Fuerũt isti quidem organa & instrumenta, non tamen authores. Isti autem perinde dicunt, ac si quis Israelita diceret, se veritates legis, non per Deum cognouisse, sed per Mosen: cùm is mediator tantùm fuerit & internuntius Dei: quique eo authore de his rebus ad populum retulerit. Et annotandum est, cùm Deus natura sit ita seiunctus à materia, vt sensibus minimè percipiatur, consueuisse eum symbolis, ac verbis quibusdam sensibilibus declarare se ipsum. Hæc autem signa, quæ ab initio Deum nobis declararunt, sunt creaturæ: quas dum perpendunt Physici quoad naturæ proprietates & qualitates admirabiles, deducuntur ad notitiam Dei. Nouerunt enim seriem causarum, earumq; coniunctionem cùm suis effectis: &, cùm facilè intelligerent, nequaquam statui oportere infinitum, progressum concludebant ad aliquod primum pertingendum: & ita concludebant esse Deum.

Omnis veritas quomodo sit ex Deo.

Præceptores sũt instrumenta Dei Simile.

Creaturæ symbola sunt quæ Deũ prædicant.

Ista pulcherrimè docuit tum Plato, tum Aristoteles, tum Galenus. Verùm, ne sacras literas abijciamus, illæ quoque nostris hanc viam demonstrauerunt. Quandoquidem nos Christus ad volatilia cœli, ad lilia agri, & fœnum remittit, vt agnoscamus Dei singularem prouidentiam ad ea conseruanda, quæ produxit. Et Salomon proponit nobis formicam imitandam, propter prudentiam, qua sibi per æstatem parat, quæ hyeme futura sint illi necessaria. Esaias asinum ait agnouisse præsæpe domini sui, & bouem magistrum suum: Israelem autem dominum suum non agnouisse. Hinc liquet, nos multa doceri posse ex creaturis. Dauid psalmum cecinit, quo isthuc idem declarauit, Cœli enarrant gloriam Dei. Sed inter alios libros diuinæ scripturæ, qui hac facultate admodum pollent, est dialogus libri Iob. Nam interloquutores, quos inducit, ethnici erant: igitur res agitur duntaxat naturalibus rationibus. Ibi multa de cœli reuolutionibus, de astris, terra, mari, luce, ventis, pluuijs, tonitruis, fulminibus, niue, glacie: item de animantibus, vt de leonibus, capreis, ceruis, equo, & Behemoth, quem elephantum multi putant, ac denique de Leuiathan maris vastissima belua. Hæc omnia sic ibi tractantur, vt Dei æternam vim, ac diuinitatem nobis prædicent. Sed inter alia, quæ Deum nobis maximè ostendunt, est nostra ipsorum natura. Facti enim sumus ad imaginem, & similitudinem ipsius: Quare eum maximè referimus, & potissimum, quo ad animum: vbi relucet futurorum prouidentia, iustitia, sapientia, multique alij nobilissimi habitus: notitia item recti, honesti, praui, ac turpis. Cùmque homo, eiúsque animus ex seipso non sit ortus, verùm à Deo pendeat, supereſt, vt ipsi Deo hæc eadem negare minimè debeamus, sed illi, vt authori præcipuo, ac summo attribuamus: ita, vt hinc ratiocinemur, Deũ prouidentem esse illarum rerum, quę fiunt: iudicem iustũ nostrarum actionũ, cui, vt honesta placẽt, sic turpia displiceãt. Cicero lib. 3. de Natura Deorũ, Rio, hãc rationẽ nititur diluere, quia volumus Deo non esse neganda, quæ in nobis dicimus esse præstantissima. Sed ille finendus est, quicquid voluerit ratiocinari: nobis est satis, vt ex sacris literis in hoc argumento confirmemur. Psalmo nonagesimoquarto scribitur: Qui plantauit aurem, nonne audiet? Qui finxit oculum, nonne videbit? Quo docemur, quæ in nobis perfecta, atque absoluta sunt, non esse diuinæ naturæ subducenda. Videmus præterea conscientias nostras naturaliter abhorrere à facinoribus, quæ ad misimus: & contrà lætari, atque gaudere bene factis. Quod cùm naturaliter sit nobis insitũ, docemur, iudicium Dei supereſse cuius damnationem maximè reformidet animus noster, vt interdum videatur furijs agitari: ac è diuerso exultet, dum sperat, ab eo tribunali se reportaturum approbationem & præmia. Possent & alia commemorari huius generis: sed ex libris cùm sacris, tum Philosophorum ea facilè colligi possunt. Vnde supersedeo plura addere: satisque habeo, dixisse, nihil in mundo inueniri adeò abiectum, & vile, quod Deo testimonium non perhibeat. Iouis, dicebat poeta, omnia plena. Quicquid enim est in mundo, tantisper, dum conseruatur, vim Dei habet sub se contectam: quæ si retegatur inuestigatione, ac naturali notitia, Deum nobis referet. Cum hac Apostoli sententia videntur alia loca scripturæ pugnare: vbi adimitur impijs cognitio Dei. Legimus in psalmis, Dixit insipiens in corde suo, non est Deus: Et rursus habemus, In terris non esse intelligentem, aut requirentem Deum. Et, ne multa recensеam,

Scripturæ sanctè nos remittunt ad creaturarum magisterium.

Liber Iobi de deo ex creaturis multa disputat.

Hominis natura maximè diuinũ Deum refert.

Perfectiones quæ sunt in nobis deo nõ possunt adimi

Nihil est in mundo sic abiectum quod Deo testimonium non perhibeat.

Impijsquomodo attribuatur & quomodo adimatur Dei notitia.

in Esaia dicitur capite primo, Israel autem me non cognouit. Cęterùm hoc diſsidium ita cõciliatur. Fatentur quidem impij, vt Paulus ait, conuicti ex creaturis Deum esse: at postea de illius natura, & proprietatibus ea decernunt, vnde Deum non esse, optimè inferri possit. Epicurus enim dicebat, esse quidem Deos: verùm illos ab omni actione, cura, & prouidentia remouebat, ita, vt fœlicitatem tribueret prorsus ocioſam. Item cùm dicunt, esse Deum, sed qui non prouideat humanis rebus, non puniat, non audiat inuocantes, & alia id genus: ex quibus conficitur, eos ita sensisse, vt Deum nomine tantùm esse concederent. Ideò scriptura negat, eos Deum cognouisse. Verus enim Deus non ita se habet, vt illi fingebant: & quoad ipsos, vt iuuarentur, vel diuina ope fruerentur, perinde erat, ac si Deus non esset, quoniam ad eum inuocandum non confugiebant, neque ab ipso vel opem, vel auxilium expectabant. Addas his, nonnullos fuisse adeò impios, vt conati sint persuadere sibi, Deum non esse: & quamuis hoc perficere non potuerint reclamante animo, & obluctante conscientia, tamen scriptura de illis pronuntiat iuxta eorum conatus: & sic ait, illos Deum non cognouisse. Postremò sciendum, duplicem esse Dei notitiam: vnam efficacem, qua immutamur, ita, vt, quæ nouimus, opere conemur exprimere: & hanc Dei notitiam solis pijs scripturæ sanctæ concedunt: Alteram verò frigidam, qua nihilo reddimur meliores: non enim factis ostendimus, ea nos nosse, quę re vera intelleximus. Atq; de hoc genere notitię infra loquetur Paulus, cùm dicet: Et sicut non probauerũt Deum habere in notitia &c. Et Christus dicet multis, qui eius dona, & notitiam iactabant, Nescio vos. Sed ita nosse Deum, cùm nihil prosit, sæpenumerò scriptura sancta sic reijcit, vt ne dignetur quidem nomine diuinæ notitiæ: & impios, cùm tales fuerint, Deum inquit ignorasse.

Quidam conati sunt persuadere sibi Deũ nõ esse.

Duplex notitia Dei.

Ita ut sint inexcusabiles. Græcè est, εἰς τὸ εἶναι αὐτοὺς ἀναπολογήτους. Non reuelauit Deus in hunc finem hąs naturales notitias: sed id nostro vitio est consecutum. Videtur tamen quod Paulus hîc dicit, repugnare his, quæ sæpe traduntur, cùm de operibus & gratia disputatur. Si enim verum est, nostris viribus, ac libero arbitrio, nos minimè posse legem Dei, quam nouimus, præstare, quomodo isti dicentur inexcusabiles? Nam si, quod dicimus, est verum, facilè possent excusari, se quidem nouisse hanc legem ex naturali lumine: sed tamen defuisse vires, quibus exequerentur, quantum nouerant. Ideò non videntur fuisse inexcusabiles. Verùm Paulus hîc agit de excusatione tantùm, quæ possit afferri ab ignorantia. Nam quod modò inducitur de infirmitate, id Ethnici non prætexuissent. Nam omnia libero arbitrio tribuebant. Idcircò non dixissent, se viribus fuisse destitutos: tantùm supererat, vt excusarent ignorationem. Quam Apologiam cùm Paulus eis præciderit, tantùm supereſt, vt suo ipsorum iudicio dicantur inexcusabiles. Quòd si dixissent, se infirmos fuisse, licet nossent, quid agere oporteret, hoc erat, quod annititur Paulus concludere: Idcircò eos notitiam legis naturalis non reddere meliores, quòd lex, etiã si noscatur, tamẽ nos nõ possit immutare, & suppeditare vires ad rectè agendũ. proinde necessariũ esse, ad Christũ confugere. Sed quia sciebat, Gentes ad eum prætextum nõ confugere, idcircò repellit id, quod videbat, facilè posse obijci. Id autem est ignoratio. Quãuis & altera excusatio de infirmitate viriũ, nõ erat digna, quæ admitteretur. Nã ea debilitas nostro vitio cõtigit, id est, per peccatũ. Præterea nõ essent excusabiles, quia etiã illud pariũ quod fuit in illorũ potestate, nimirũ, quoad externas actiones nõ præstiterũt, prout cognouerãt. Nõ enim ita sumus destituti virib. propter peccatũ, quin multa in externis operibus valeamus exequi: in quib. illi seſe deterrimos exhibuerũt. Quare cõcluditur, omninò fuisse inexcusabiles. Neq; poterãt causari, ea, quę peccauerãt, ab ipsis inuitis extorta fuisse. Quapropter, cùm scientes & volẽtes male egerint, nõ habuerunt excusationẽ. Neq; putandũ est, Deũ propterea concessisse illis præclaram hanc notitiã naturalem, vt inexcusabiles essent. Nam eorum id vitio cõsecutum est: cùm alioqui Dei prouidẽtia illorũ prauitate sit abusa ad suam gloriam, atq; iustitiã illustrandã. Huc proficiunt suis vtijs, vt doctrina, & notitia, quã adipiscũtur, prosit eis ad iudicium, & cõdemnationem. Quũ fit, vt nõ oporteat nos deterreri à docẽdo, si videamus homines nihil effici meliores: cùm istud idem eueniat illi doctrinæ, quã Deus ipse nobis administrat. Saltem hoc vtilitatis inde proueniet: Si homines à Deo nõ cõuertantur, suo ipsorũ iudicio, & testimonio dãnabuntur. Et hoc videtur Deus maximè velle, vt iustificetur, cùm dãnat, aut punit. Iudę proditori cõduxit accepta doctrina Christi, vt demũ seipsum cõdemnaret, dicẽs: peccaui, tradẽs sanguinẽ iustũ. Eò enim adigunt impij, vt suo iudicio tandẽ cõdemnent. Et qui debuerãt proficere doctrina, ea grauiter lędũtur: quod in Esaia Propheta ca. 6. legimus, cùm dicit: Excæca cor populi huius, aures aggraua, & oculos claude: ne fortè videant, audiant, intelligant, & cõuertant, & sanẽ eos. Ita verbis Mosis semper magis ac magis obdurabat cor Pharaonis.

Deus nõ se reuelat ut simus inexcusabiles, uerùm id sequitur nostro uitio.

Si nostris uirib. nõ possumus præstare legẽ, quomodo sumus inexcusabiles?

De excusatione hic agitur quæ sit ab ignorãtia.

Defectũ uirium non prætexuissent Ethnici.

Si ethnici prætexuissent infirmitatẽ, facilè fuisset illos ad Christum adducere.

Excusatio quoque debilitatis non est admittenda.

Deus abusus est illorũ prauitate ad suam gloriã.

Non desistendũ à docendo licet homines uideantur non proficere.

Vera doctrina proficit ad id in impijs ut se ipsos condemnent.

Quia

Quia quum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt. Ratio subditur, quare sint inexcusabiles. Et ne agamus confusè, hæc est Pauli methodus. Cognitionem naturalem commemorauit, quæ debuit Ethnicis esse lex viuendi commodissima: nimirùm, vt moribus exprimerent, quod notitia perceperant. Nunc illos accusat transgressionis huius legis. Et accusatio habet duo capita: primùm accersit eos neglecti cultus Dei, & ingratitudinis erga illum: atq; hæc pertinent ad animum: deinde eos insimulat, quòd simulachris à se confictis, & creaturis honorem attribuerint, qui debebatur vni Deo. Atq; vt hæc peccata exaggeret, ostendit, quonám pacto ea non abierint inulta. Nam primùm illorũ scelus Deus vindicauit hac pœna, vt obscuratum fuerit eorum cor, & mens infatuata: sic, vt qui præ cæteris doctrinam, & sapientiam profitebãtur, maximè omnium stulti apparuerint, & suas rationes, quas acutas existimarunt, frustrati sint, ac reddiderint prorsus inanes. Alterius peccati, hoc est, idolorum inuentionis supplicium fuit, vt turpibus vitijs semetipsos contaminarent. Ex hoc ordine accusationis colligit, idololatriam nequaquam inuehi, nisi prius in mente locum habuerit error, siue, vt apertius loquar, peccatum. Quæq; hîc dicuntur, de duobus his præcipuis vitijs à Hieremia deplorãtur cap. 2. cùm ait: Obstupescite cœli, horrescite, & vehementer exarescite. Duo enim grauia commisit populus meus: Me derelinquerũt fontem aquæ viuæ, & foderũt sibi cisternas non valentes cõtinere aquas. Relinquere Deum, est illi subducere cultũ debitum, & iustã gratiarum actionẽ: Et idola formare, ac venerari, est cisternas facere, vnde auxilij, & gratiæ aquæ non potest hauriri. Idem ordo reperitur in priore tabula decalogi. Iubet quippe Deus, vt ipse primo loco habeatur vnus: deinde secundo mãdato præcipit, ne alios deos nobis accersamus. Et certè si à vero Deo recesserimus, fieri nõ potest, quin statim emergat idololatria.. Quia velimus, nolimus, absq; Deo esse non possumus. Idcirco eo sublato, qui verus est Deus, ex nostris mentibus necessarium est, vt alius fictitius eius loco substituatur. Et annotauit Chrysostomus vtiliter, quemadmodum qui absq; luce noctu vel ambulant, vel nauigant, impingunt sæpe, & miserè pereunt, tantùm abest, vt perueniant, quò decreuerant: ita qui recedũt à lumine doctrinæ propositæ nobis à Deo, in grauissima mala incidant necesse est. Ex his, quæ modo profert Apostolus, facilè agnoscitur, infirmam fuisse hanc notitiam, quam Ethnici de Deo naturaliter habuerunt: quoniam eos nõ immutabat, sed potius vincebatur cupiditatibus, quæ mentem obtenebrant. *Non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt.* His verbis describit cultum, quem debuerunt animo & spiritu præstare: de quo supra multa scripsimus, & ad quatuor capita vniuersum redegimus: videlicet ad preces, fiduciam, gratiarum actionem, & timorem, seu obseruantiam, quam probi filij habent erga parẽtes. Tum enim Deum verè colimus, cùm illi nos omnino subijcimus, ita, vt eum præ omnibus rebus, & nobis ipsis complectamur. Totũq; hoc expressum est in eo mandato, Diliges Dominũ Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis. Et verbum, quo Paulus vtitur, δοξαζειν, quod reddunt glorificare, significat in primis optimè ac honorificè de aliquo sentire. At philosophi quàm tenuiter de prouidentia Dei, de iudicijs eius, præmijs, inquam & supplicijs existimarint, eorum opiniones, quæ circunferuntur, satis declarant. Quòd si ex me quæsieris, quidnam cùm primis Deum glorificet, respondebo, fidem. Quod ego ex me ipso non assero: sed scriptura docet. Nam infra dicetur de Abrahamo, cùm Deus illi promisisset hæredem ex vxore Sara, non consideransse eum suum effœtum corpus, aut Sarę ventrẽ iam penè mortuum, verùm dedisse gloriam Deo. Tam enim magnificè de illo sensit, vt licet, quod promittebatur, non posse fieri videretur humana facultate, nihilominus tamen crederet. Hoc est dare gloriam Deo: putare illum & posse, & scire, & velle omnia ea præstare, quæ pollicetur. *Neque gratias egerunt.* Illi perfectè gratias agunt, qui, quum intelligant omnia bona, quibus fruuntur, se accepisse à Deo, gratias illi agunt. At hoc philosophi non fecerunt, quum non omnia putarent à Deo pendere. Multa quippe retulerunt in casum & fortunam, hoc est, in concursum causarum, quem infra lunam, hoc est, in hac nostra inferna regione quàm frequentissimum esse opinati sunt. Ad hæc asseruerunt, multa euenire nobis necessitudine materiæ. Et ita, quum excluderent permulta à prouidentia Dei, frigidissimi ad gratias illi agendas extiterunt.

Pauli methodus.

Accusationis duo capita.

Peccata exaggerantur à grauitate ultionis.

Idololatria non oritur nisi à mẽte uitiata.

Locus Hieremiæ.

Methodus duorum primorum mandatorum.

Absq; aliquo Deo esse non possumus.

Notitia naturalis de Deo est infirma.

Quatuor capita ueri cultus Dei.

Glorificare Deũ quid sit.

Fides maximè Deũ glorificat.

Qui uerè Deo gratias agant.

Philosophi nõ egerunt perfectè gratias Deo.

Sed frustrati sunt in cogitationibus. Græcè est ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν. Erasmus inquit, frustrati sunt: nam cùm suis cogitationibus putarent, se claræ doctrinæ, & sapientiæ nomen adepturos, prodiderunt mirificè suam stultitiam. Et frustrari, nihil aliud est, quàm quum aliquid expectatur, contingere, vt res cadat longè secus, atque putabatur. Quamuis possemus dicere, vanum esse, vt Aristoteles scripsit, quod ad finem destinatum minimè pertingit. Quod vsu venisse sapientiæ naturali, quoad istos homines, res ipsa declarat. Nam

Quid sit frustrari.

Vanũ quid dicatur.

idcirco reuelata fuerat, vt Deus cognitus, in pretio, & honore apud illos haberetur: quò quum illi non tenderent, ea inanis est reddita. διαλογισμοὶ sunt ratiocinia, quæ fiunt cum expensione, & dijudicatione. Taxantur ergo philosophi, quòd in his non perstiterint, quæ naturaliter de Deo cognouerant: sed ab eo deflexerint suis ratiunculis, & acutis collectionibus. Nam ex vna parte docuerant, creaturæ vnum Deum, quem cognouerãt, summo studio, & puritate colendum. Vrgebant ex altera parte, cupiditates & blandimenta voluptatum: quæ oportuit profligata in illo verò & legitimo cultu Dei. At isti acuti homines excogitarunt, quo pacto vtraq; simul connecterentur. Dei enim cultum inuexerunt, qui tamen constaret auro & argento, splendidis victimis, conuiuijs opiparis, ludis, spectaculis, & huiusmodi rebus, quæ voluptates suas carni administrarent: vt eadem opera & Deum, & sensus oblectamenta colerent. Et in summa illud bonum commenti sunt, quod Augustinus contra Iulianum appellat Scyllæum: propterea quòd humana & beluina parte constet. Quare aduersus hos λογισμοὺς, quum tantùm mali pariant, aduigilandum est. In posteriori enim epistola ad Corinthios cap. 10. Paulus habet: Siquidem arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed potentia Deo ad demolitionem munitionum. Ratiocinia itaque demolientes, & omnem celsitudinem exurgentem aduersus Dei notitiam, oportet vt contentissimus manifestatione, qua se Deus nobis declarat. Toties quippe parimus errores, quoties nostræ rationis aliquid verbo Dei assuimus. Nec minus ad hæc nostra tempora ista faciunt, quę modò Paulus carpit, atquè idololatriæ illorum temporum conuenerunt. Etenim Cœnam Dominicam Christus instituit, vt ibi mors Domini commemoraretur, & communicantes fructum eius perciperent, Christo coniungerentur, & inter sese maiori semper amicitia copularentur, prauas cupiditates mortificarent, diuinoq; cibo nouam vitam etiam atq; etiam instaurarent. Is est cultus quem in hoc sacramento Deus à suis requirit. Quo non contenti homines, vel quòd factu esset difficilis, vel quòd diuinis rebus sua inuenta semper adijcere voluerint, excogitauerunt ornamenta externa, vestes, aurum, argentum, lapides pretiosos, cereos, nolas, & infinitas ceremonias, quibus hoc sacramentum commendarent: suæq; Missæ homines noluerunt astare tantùm spectatores, & auditores, qui suas preculas interim murmurarent: atque ita diuinis mysterijs putarent se defunctos, ita, vt humanis huiusmodi consilijs verus ac legitimus vsus instituti Christi penè sit abolitus. Huc proficiunt humanæ inuentiones. Ita cor insipiens redditur, & infatuatum, vt necessaria & solida leuibus & friuolis postponantur.

Duo quæsiuerũt in cultu Dei philosophi.

Scyllæũ bonum. Contra nostros διαλογισμοὺς aduigilandum.

Accõmodatur hoc ad nostra tẽpora.

De abusu Cœnæ Dominæ.

Cumq; se putarent sapientes, stulti facti sunt. Mirificè placuerunt sibi propter sua figmẽta. Quique sapientiam profitebantur, iusto Dei iudicio stulti redditi sunt. Non dignabãtur continere se finibus sapientiæ ac notitiæ, sibi reuelatæ à Deo per creaturas, qua vocabantur ad colendum Deum: potiusq; voluerunt suis deferre cogitatis, quàm receptæ doctrinæ. Suo acumine delectati sunt, & pro magna laude habuerunt, quòd rationem inuenissent, proponendi oculis vulgi, Deum colendum imaginibus & simulachris conspicuis: quod minimè fieri potuisset absq; rationibus, quæ admodum similes veri essent. Cùm reprehenderẽtur, excusabant factum hoc prætextu, quòd illa, quæ colebant, nequaquam putarent deos esse, sed quòd istiusmodi vterentur adminiculis, quibus ad verum Deum facilius peruenirent. Et simile obijciebant ex ciuili consuetudine: quoniam homines non habẽt aditus liberos ad reges, & monarchas, nisi per comites, & tribunos. Sed hæc quanti momenti sint, detexit hoc loco Ambrosius. Sic enim scribit: Solent tamẽ pudore passim neglecti Dei misera vti excusatione, dicentes: per istos ire ad Deum, sicut per cõmites peruenitur ad regem. Age, nunquid tam demens est aliquis, aut immemor salutis suæ, vt honorificentiam regis vindicet comiti? Cùm de hac re, si qui etiam tractare fuerint inuenti, iure vt rei damnentur maiestatis. Et isti se non putent reos, qui honorem nominis Dei deferunt creaturæ, & relicto domino conseruos adorant? quasi sit aliquid plus, quod seruetur Deo. Nam & ideo ad regem per tribunos & comites itur, quia homo vtique est rex, & nescit quibus debeat rempublicã credere. Ad Deum, quem vtique nihil latet (omnium enim merita nouit) promerendum, suffragatore non est opus, sed mente deuota. Vbicunque enim talis loquutus fuerit ei, respondebit illi. Hæc Ambrosij verba, si valent ad retundendum idololatrarum simile, possunt etiam nostros refellere, cùm eodem commento sanctorum inuocationem defendunt.

Excusatio idololatrarum.

Ad accedẽdum ad Deũ nõ opus est aduocatis.

Stultitia idololatrarum.

Stulti facti sunt. Quoniam pro vero & solido cultu Dei, speciem eius amplexati sunt: quod Paulus non vno in loco reprehendit. In secunda ad Tim. cap. 3. ait: Formã quidem habentes pietatis, sed vim eius abnegantes. Et ad Colos. 2. Hominum mãdata & traditiones speciem quidem sapientiæ habere scripsit, cùm reuera nihil sint aliud, quàm superstitiones.

Mutaue

Mutauerunt q; gloriam Dei immortalis per imaginem, Non solùm ad mortalis hominis similitudinem effictam, verùm etiam volatilium, & quadrupedum, & reptilium. Postquam deferre cœperunt suis inuentis, magis quàm doctrinæ sibi reuelatæ, subsequutum est peccatum idololatriæ, quod ex animi errore nascitur. Et quum dicitur, eos transtulisse gloriam Dei ad creaturas, arguuntur, quòd eam gloriam in Deo reuera deprehenderint: sed oblatam per sacrilegium ab eo alio traduxerint: quod peccatum mirum in modum exaggeratur. Graue fuit Deum expoliare honore decenti: graue item ad hominem corruptibilem illum transferre: grauius ad brutas animantes: grauissimum ad omnium istorum imagines. Neque hoc dicitur, vt annotauit Chrysostomus, quasi re ipsa Deum sua gloria, vel honore priuarint: quod in manu nullius creaturæ situm est. Sed audaciæ accusantur, quòd ausi sint, quantum in ipsis fuit, id tentare. Appellatur Deus hoc loco ἄφθαρτος, quod non tantùm immortalitatem significat, sed etiam cuiusuis corruptionis molestiam, & labem aufert. Ac è diuerso homo, quum dicitur φθαρτὸς, non tantùm mortalis denotatur, sed etiam obnoxius multis incommodis, atque corruptionibus. Hanc loquutionem Paulus transtulit ex Psalmo centesimo sexto, vbi scribitur, fecisse Israelitas vitulum in Horeb, adorasse fusile, ac mutasse gloriam suam in similitudinem comedentis fœnum. Tantùm in eo videtur discrimen esse, quòd hîc perhibetur gloria Dei mutata: ibi verò dicitur, Gloria eorum. Attamen vtrobiq; idem habetur. Etenim gloria eorum fuit Deus: illo gloriabantur Hebræi: & passim Dauid in Psalmis eum appellat gloriam suam. Quòd si forte roges, quibus rebus hæc gloria Dei constet, vt paucis respondeam, his continetur: vt agnoscatur omnium bonorum author, ac distributor: iudex humanarum actionū: & adeò late fusus, vt omnia impleat. Ista, si credantur, pariunt adorationem, fiduciam, inuocationem, gratiarum actionem, timorem, aliáque id genus religionis capita. Impia verò hominum commenta idolis hæc adscribunt, Deúmque alligant certis locis, signis, & statuis. Et quem vbiq; scimus esse, eum tantùm alicubi faciunt habitare. Vtq; sunt audaces hominum rationes, è diuerso nostra tempestate corpus Christi, quod habet certum locum, diffundunt ita, vt re ipsa, non solùm totidem sit in locis, in quot celebrantur inter Christianos Cœnæ Dominicæ, dum suas transubstantiationes, vel, vt ita dicam, impanationes, mordicus retinent, sed etiam, vt illud iam vbiq; disertis verbis esse contendant. Idololatrarum eo tempore studium fuit, Deum, qui vnus est, per varias proprietates vulgò proponere cognoscendum, eas quibusdam simulachris à se inuentis affigendo. Et mirum est quàm sibi in istis placuerint. Plato inducit in Cratylo Socratem disputantem de impositione recta nominum: & imprimis vocabula deorum excutit, atque ostendit, appositè per illa significari diuinarum rerum proprietates. Quem locum & Cicero videtur imitatus de Natura deorum: quando sub persona Stoici hominis ostendit, quid nomina deorum significent, & quo pacto ad numen vnum referri debeant. Voluerunt sanè isti sapientiores esse Deo, qui se per vniuersi orbis fabricam declarauit. Nam, quasi hoc non sufficeret, isti simulachra & multiplicia idola excogitauerunt. Sed aiebat prudenter Athanasius. Quando viuus homo te non permouet vt agnoscas Deum, quomodo id præstabit homo ligneus? Adinuenerunt primùm imagines, vt asserebant, representationis causa. Sed hinc postea pertracti sunt, vt eas adorarent. Vt autem brutorum quoque imagines coluerint, historiæ manifestè declarant. Beli apud Babylonios primùm fuit statua excitata, cui Draco perpetuò aderat, si apocryphis Danielis credimus. Habuerunt Aegyptij Anubin bouem, quem colerent. Et Ambrosius testatur, sacra fuisse coracina. Deinde, quia poetæ fecerant Iouem ad suas explendas libidines, modò in taurum, modò in cygnum, modò in aquilam conuersum, hęc animantium genera numini consecrarunt, atque diuinis affecerunt honoribus. Porrò nil opus fuit vt numen Dei tot figmentis ostenderent: quandoquidem omnes creaturæ illi testimonium perhiberent. Vnde comminisci simulachra, nihil aliud erat, quàm cereos, & faces in sole accendere. Diabolus hoc maximè curauit, vt vis diuina certis locis alligaretur: vt homines ibi tantùm cum Deo agere vellent: ibi nonnihil sanctitatis assumere: demúmque ibi pietatem suam finire: quasi extra ea loca liceret sibi viuere: vt hodie factum videmus de sancto Eucharistiæ pane. Ibi tantùm homines omne genus bonorum erga Deum iudicant profundendum: ad ipsum prosternunt se: ibi pectus tundunt: ibi inuocant: ibi, quicquid habent pietatis, depromunt. Cætera præ illo sunt lusus, nulliúsque momenti. Annotatu dignum est, Paulum istos tam acriter accusare: qui tamen dixissent, se nequaquam illa simulachra, sed vnum Deum per ipsa coluisse, passimque scripturas eos infamare,

Amplificatio peccati.

Deus expoliari sua gloria non potest.

Locus Psalmi 106.

Omnibus rebus gloria Dei constat.

Simulachrorū origo.

Cultus brutorū animalium.

Diaboli consilium circa idololatriam.

quòd opera manuum suarum colant. Ex quibus elicitur à sano iudicio, illas excusationes vulgatas non esse admittendas. Quin & Augustinus in Sermone, qui sextus habetur, to. 10. ita conuincit Ethnicos pro numine habere statuam, quod ad eam extrvant altaria. Nam illi, inquit, quòd numen habeant, & pro numine colant illam statuam, ara testatur. Quid illic faciat ara, si illud non habetur pro numine? Nemo mihi dicat, Non est Deus. Iam dixi, vtinam ipsi sic norint hoc, quomodo nouimus nos. Sed quid habeant, & pro qua re habeant, ara illa testatur. Hic locus Pauli idololatris omnem excusationem adimit. Non fuerunt illi minus acuti ad sua defendenda, quàm hodie nostri sunt ad tuendum sanctorum cultum. Quod qui non credit, legat inter epistolas Ambrosij tricesimam, quæ est Symmachi oratio: qua nomine populi Romani atque senatus à Valentiniano, Theodosio, & Arcadio imperatoribus poscit restitui deorum cultum. Non inficiatur illic Symmachus, Deum esse vbique: sed tamen ait, præstare, aliqua esse loca certa, quæ religioni deputẽtur. Et arcana diuinæ naturæ vult sepolita esse, ad quæ diuersæ nationes aspirant non ijsdem modis, cùm non sint omnes eiusdem ingenij. Miracula iactat, quòd his numinibus Roma fuerit defensa ab Hannibale, & à Senonibus, atque postremò orbem terrarum imperio suo subiecerit: illis autem neglectis, graues calamitates in rempublicam inuasisse. Contendit vnum esse Deum, ad quem omnes respiciunt, & per diuersa itinera ad illum pergunt. Quare concludit, benignitate imperatorum cuique genti suas religiones esse relinquendas. Sed quid Ambrosius ad hæc responderit, nunc non est commemorãdi locus. Qui ea desiderãt, facilè possunt sibi ex epistola tricesima prima comparare.

Ethnicorũ uana excusatio seu defensio statuarũ.

Ad eos qui colunt imagines in papatu hæc spectant.

Symmachi oratio.

Quapropter tradidit eos Deus. Pœna iam describitur, qua Deus vltus est graue crimen idololatriæ. De quo tam graue supplicium ideo sumpsit, quòd suam gloriã maximè velit sibi saluam. Per Esaiam dicit: Gloriam meã alteri non dabo. Et cùm despõderit sibi fideles, vt sponsam & castam virginem, iniquo animo patitur, vt adulteris idolorum cultibus constuprentur. Appellat se in lege Zeloten, quòd hanc ignominiam ferre nolit. Magna præterea incensus est ira, quod ab his hæc facinora edita sint, à quibus minimè fuerant expectanda: hoc est, à doctioribus: qui sapientia cæteris præstabant, quales traduntur fuisse Aegyptij. Vt enim hæc gens habita est scientiarum mater, ita etiam fuit idololatriæ vberrimus fons. Colebantur illic non tantùm homines, verùm etiam boues, Crocodili, porri,, cepæ, feles, & alia id genus permulta. Atque vt Chrysostomus putauit, Plato propter istorum doctrinam, quam peregrinando est assequutus, vehementer sibi placet. Taxaturq; ab eo Socrates Platonis præceptor, quòd ad extremum vitæ amicos rogauerit, vt gallum, quem meminerat, se debere Aesculapio, persoluerent. Astronomi, qui præ cæteris efferunt se notitia rerum cœlestium Vrsam, Geminos, Taurum, Coronam, Aquilam, Scorpionem, Anguem, & huiusmodi alia portenta in cœlum transtulerunt: & astris, quæ Dei præclarum opus extant, sua hæc deliria voluerunt affingere, & illis quodammodo attribuere orbis moderationem. Hoc diabolus procurauit, vt homo se subijceret his rebus, quibus eum præesse, atq; imperare oportuit. Ita qui factus erat, vt ad cœlum subueheretur, se ipso neglecto, bruta & irrationales animantes quod in ipso fuit eò extulit. Ad hæc poetæ, qui præ cæteris in admiratione fuerunt, nonne de dijs quiduis commenti sunt? De illorum cõsilio atq; sententia Plato, qui iudicatus est inter philosophos grauissimus, dubiè loquitur. In libris de Republica censet eijciendos prorsus ex vrbe, quòd indignè loquantur de dijs. Alibi tamen iubet, vt illis, quum de diuinis rebus agunt, acquiescatur: quod res eiusmodi non à se ipsis, sed ex afflatu cœlesti retulerint. Quòd si quæsiueris, cur tam sapientes viri aut Crocodilos, aut serpentes coluerint, fortasse respondissent, se in eis admiratos esse vim efficacissimam, qua nocent hominibus: & in eis expressam esse vltricem iram Dei, quã illis cultibus deprecarentur. Deum venerando vt ἀλεξίκακον, hoc est, depulsorem horum malorum. Atque hoc peccatum ita propagabatur, vt ad Iudæos quoque peruenerit. Etenim in Ezechiele habetur, quum à spiritu per capillos capitis portaretur Hierosolymam, vidisse illum in ea non tantùm idolum, quo ira Dei prouocabatur, sed etiam in templo animaduertisse pictas in parietibus bestias, animantes, & omne genus reptiliũ: quibus venerabundi seniores populi suffitum faciebãt: quod erat diuinos honores illis exhibere. Idem in Papatu hodie signis, imaginibus, statuis publicè datur: & tamè se idololatrię crimine solutos putãt. Vidit deinde Propheta in altera parte mulieres deflentes Tamuz, hoc est, Adonidem. Postremò contemplatus est homines in sanctuario, qui humeris conuersis ad sancta sanctorum, & facie directa ad fores templi solem orientem adorabant. Atque ijs omnibus ira Dei dicitur maximè prouocata. Paulus etiam hoc loco ostendit, quásnam pœnas Deus à Gentibus pro his peccatis sumpserit. Vidit quippe doctrinam suam

Pœna qua Deus ultus est idololatriam.

Aegyptij ut doctissimi sic maximi idololatræ.

Chrysostomus de Platone.

Socrates.

Astronomi.

Varijs iudicium Platonis de poetis.

Cur idololatræ crocodilos et serpẽtes coluerint.

Iudæi quoq; reptilia coluerũt.

In Papatu suffitum faciũt imaginibus.

suam contemni: quòd, quum se reuelasset specie ac magnitudine vniuersi orbis à se conditi, hominibus tam præclarum munus viluisset. Et delegerunt sibi tot simulachra, & peculiaria figmenta, quot regna, prouinciæ, ciuitates, familiæ, ac propemodum viri extabant. Pœna, quam luerunt, fuit, quòd Deus eos tradidit suis ipsorum cupiditatibus vindicandos. Fuit illa pœna talionis. Vt enim illi Deũ, quod in ipsis fuit, sua gloria spoliarũt, sic illos vicissim Deus fœdissimis cupiditatibus vexandos tradidit: vt, non tantùm ad beluas, verùm etiam multò infra illas abijcerentur. Hæc summa est infœlicitas hominis, quando spiritus, & mens, quæ præesse deberent, immanibus & flagitiosissimis cupiditatibus, Dei iudicio subduntur. Non opus est carnificibus externis: domesticos habemus vltores. Quod enim poetæ fabulantur de Acteone, quòd à suis canibus dilaceratus fuerit, id in istis locũ habet, qui ab animi sui cupiditatibus inflammantur, & discerpuntur. Phrasis autẽ ista, qua Paulus vtitur, desumpta est à Psal. 81. in quo legitur: Populus meus non audiuit, nec Israel attẽdit mihi. Et tradidi eum in prauitatem cordis sui: & in consilijs suis ambulauerunt. Videant ex his, qui defendunt humanas vires, & omnia fermè tribuũt libero arbitrio etiam absq; Christi gratia, quàm à vero aberrent. Hìc summa describitur pœna, quum homo deseritur à Deo, & sibijpsi traditur regendus. Neq; iuuat, si dixeris, agi nunc tantummodò de cupiditatibus, & de bruta, siue inferiori animi nostri parte: quando quidem Paulus admiscuit cupiditatibus mentionem cordis, quo melior animi pars denotatur. Et apertè Dauid inquit, Deum illos dimisisse, vt iuxta cor, & consilia sua pergerent. Sed quomodo exponenda est ista loquutio, quòd Deus eos tradiderit suis concupiscentijs? Omnes ferè patres docẽt, Tradere, perinde esse, ac si diceretur sinere, permittere, aut deserere. Abhorrere enim videntur, vt dicant, Deum esse causam peccati. Mouentur autem, quantùm ego colligo, his rationibus: Quòd sacræ literæ testentur, Deum nolle peccatum, quum scriptum sit, Deus non volens iniquitatem tu es: Deinde curant hominum scelera eximi ab omni excusatione: ad quæ si Deus impelleret, illi viderentur posse diuinam voluntatem obtendere. Ad hæc studẽt gloriæ Dei, ne accusetur iniustitiæ, quòd in peccatum homines impellat, & deinde illos eius arguat: postremo loco consultũ volũt libero arbitrio, ne si Deus credat impellere homines ad peccãdum, vel auferat illud, vel imminuatur. His Chrysostomus addit hoc loco duo similia. Vnum de duce, qui in pugna deserat exercitum. Is enim dicitur, milites hostibus prodere, quum reuera tantũmodo suum auxilium ac præsentiam eis subducat. Ita Deus istos dicetur tradere, quòd sua ope et gratia illos exuat. Alterum est de principe aut rege: qui quum perditum videat filium suum, intelligatq;, se nõ posse facere illũ bonũ, abdicat eum bonis suis, & deserit. Ita, inquit, Deus habuit se erga istos. Sed ista non videntur nos adigere necessariò ad hoc genus interpretationis. Quòd enim attinet ad peccatum, fatemur, Deum illud nolle: si eius voluntatem spectemus, quæ nobis legibus diuinis, & sacris literis est declarata. Sed quòd omnino & absolutè peccatum non velit minimè concedemus. Quandoquidem scimus, quòd omnia, quæcunque voluit, fecit: & voluntati eius nemo potest resistere. unde si omnibus modis ipsum nollet, nullo pacto fieret. Excusationem præterea sublatam esse peccantibus, asserimus: quandoquidem conscientia illos redarguit: neq; inuiti, aut coacti peccant. Atque illud parum, quod efficere valuissent, quoad externam disciplinam, minimè præstiterunt. Neque Deus accusari debet iniustitiæ, etiamsi velit, inclinet, aut impellat voluntates impiorum in grauia peccata. Nam hæc, vt ab illo proficiscuntur, pœnæ sunt, & quidem iustissimæ: & quicquid statuit aut decernit Deus, illico iustum est & sanctum: neque debet eius iustitia existimari pro ratione iustitiæ nostræ. Non enim Deus accersendus est criminis, aut iniquitatis, quòd multos patiatur còram se peccare, quos retinere posset, & sua gratia iuuare, ne laberentur, hoc prætextu, quòd nos iure accusemur, si hoc permiserimus. Hæc inter se pugnare, non est credendum: Nos iure accusari, & excusatione prorsus carere, si peccemus: & tamen à peccato non posse abstinere, neque mandatis Dei parere sicut oportet, nisi gratia iuuemur. Et demum esse Deum, qui omnia in omnibus operetur: quandoquidem in ipso viuimus, mouemur, & sumus: Et omnia portat verbo virtutis suæ. Ista nos credere oportet, quoniam sacrarum literarum oracula sunt. Vnde si nostræ rationi minus videntur inter se consentire, acquiescendum tamen est: quia Dei arcana penetrare non possumus: neque Deus opus habet nostris excusationibus. Quas tandem si quis velit ad viuum resecare, nostro iudicio minimè eas satisfacere deprehendet. Si paterfamilias dicatur suos habere domesticos, qui subinde grauissimè peccent, & excusetur, quòd eos non impellat, neque incitet ad prauè agendum, sed tantùm sinat, conniueat, atque permittat, quæ tandem obsecro erit hæc excusatio? Neque liberum arbitrium hac in re periclitatur, quantum quidem i-

Talionis pœna.

Domesticos habemus carnifices.

Multi Acteones.

Locus Psalmi.

Arbitriũ quòd sit nihili absq; gratia.

An tradere sit idẽ quod permittere.

Rationes dicentiũ tradere esse permittere.

Ad rationes adductas respõdet.

pſum oportet concedere. Non enim credendus eſt Deus, ſic tradere homines, vt co gat, vel inuitos violenter adigat. Volentes, vltronei, & ſponte ſua cupiditatibus inſer uiunt. Similia Chryſoſtomi infirma ſunt. Quomodo enim dux, qui ſuum relinquit ex ercitum, cædis eius cauſa non habebitur? Et licet, quando tectum cadit, pondere ſuo ad terram pertrahitur, tamen is, qui fulcrum, aut columnam remouet, quæ illud ſuſtenta bat, quomodo non dicetur cauſa eius ruinæ? Ita quocunque ſe vertunt, quum Deum aiunt deſerere, atq; ſubtrahere auxilium, non efficiunt, quin dicere cogantur, aliquo mo do Deum velle peccatum. Et pater, qui filium, quum eum non poſsit emendare, abdi cat, quid habet ſimile cum Deo, qui poteſt, ſi velit, emendare? Quare non videtur, propter iſtas rationes idonea perſuaſio adduci, vt interpretemur hæc verba, Tradere, obdurare, Ex cœcare, per id quod eſt, ſinere, permittere, deſerere. Sed hac de re Auguſtini ſententia pau cis excutiatur: Deſerendo ne tantum, an etiam aliquo modo impellendo, Deus dicatur im pios tradere cupiditatibus. Is videt fuiſſe in ea re varius. Nam in libro de Prędeſtinatione & gratia, cap. 4. habet hanc interpretationem ſinendi, & permittendi. Et addit indurare, nihil eſſe aliud, quàm nolle emollire: Excœcare, nolle illuminare: repellere, nolle vocare. Verùm idem de Gratia, & Libero arbitrio cap. 21. ſcripſit ſatis, quantum ego exiſtimo, manifeſtè, O perari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates, quocunque voluerit: ſiue ad bona pro ſua miſericordia, ſiue ad mala pro meritis eorum: iudicio vtique ſuo, ali quando aperto, aliquando occulto, ſemper autem iuſto. Hæc verba indicant, non ſolùm de ſerendo, aut permittendo, verùm etiam inclinatione quoque aliqua ad mala, voluntates no ſtras à Deo interdum incitari. Quin & Iulianus Pelagianus, vt aduerſus eum ait idem Au guſtinus, lib. 5. cap. 3. reprehendit, quòd legiſſet ipſum Auguſtinum aſſerere, Deum conſue uiſſe peccatis peccata punire. Et inquit, Si res haberet hoc pacto, tum concupiſcentiam & peccata, quæ tu aſſeris, vt pœnas, eſſe nobis inflicta, oporteret laudare, & commendare, tan quam res bonas. Sed aduerſus illum ibi producuntur inſignia loca ſcripturæ, quibus Deus probatur, peccata inducere, vt pœnas & commerita ſupplicia. Non poſſumus inficiari dia bolum tentando pravas immittere cogitationes: atq; à Deo, vt hoc faciat, poteſtatem acci pere. Deus incitauit Dauidem, vt numeraret populum: vt habetur 2. Samuelis cap. 24. Sed in Paralipomenis Satan, dicitur, Dauidem ad id commouiſſe. Et parui refert, ſiue Deus per ſeipſum, ſiue per diabolum id egerit. Nam tantumdem eſt. In primo מילכים Deus voluit, Re gem Achab decipi à ſpiritu mẽdacij, vt fidem haberet falſis prophetis: quòd indubitato pec catum erat. Et in Eſaia cap. 63. habetur. Quare nos errare feciſti, & obtudiſti corda noſtra ne timeremus te. Et Ioſue cap. 11. Roborauit Deus corda Gentium infidelium. Et quòd Robo am non audiuerit ſeniores rectè monentes, ex eò fuit, quia erat conuerſio à Domino, vt ſta tueret verbum ſuum, quod de illo loquutus fuerat in manu prophetæ. Et 2. Paralip. cap. 25. Amaſias Rex Iuda non audiuit Ioas regem Iſrael, quoniam à Deo erat, vt traderetur in ma nus eius. Et in Ezechiele capite 14. Si propheta ſeductus fuerit, ego ſeduxi eum. In oratio ne quoque Dominica precamur, Ne nos inducas in tentationem. Hęc ferè adducit Auguſti nus: ex quibus apparet non tantùm permiſsione, verùm etiam incitatione quadam, Deum malos tradere concupiſcentijs. Sed Iulianus ad hæc tria videbatur afferre. Primùm, vt ab ini tio dicebam, concupiſcentias laudandas eſſe, quum pœnæ dicantur à Deo inflictę. Deinde, quoad hunc locum, dicebat, ſatis patere, quid Paulus vellet. Nam quum ait, eos tradi ſuis cõ cupiſcentijs, apparet, eos antea illis laboraſſe, easq; in ſe prius habuiſſe: & Deum tradere, nõ eſſe aliud quàm permittere. Tertio loco ait, Deum dici tradere potius per quandam patien tiam, quàm per potentiam. Patitur quidem Deus hæc fieri: ſed vi, & potẽtia ſua non impel lit ad ea facienda. Adhęc Auguſtinus illo eodem capite occurrit, aitq; infirmum eſſe argumẽ tum, ideo laudanda eſſe peccata, quòd per illa Deus nos interdum puniat. Alioqui debere mus & diabolum commendare, cuius propter peccatum mãcipia efficimur, & ab illo grauiter diuexamur. Eſt enim Dei carnifex, atq; diuinę vltionis executor. Legimus præterea Sau lem datum eſſe regem à Deo, in furore ſuo ac ira, vt populi petulantiam, & rebellionem vlciſceretur per tyrannidem mali regis. Non tamen ideo commendandus eſt, aut laudãdus im pius rex. Hæc & ſimilia patefaciunt infirmitatem argumenti. Et ad id, quod ſecundo loco di cebatur, Apoſtoli verba, quæ hîc tractamus, habere ſecum expoſitionem (nam dicuntur tra diti concupiſcentijs cordis ſui. Illas itaque habuerunt in ſe, neq; Deus eas effecit: ſed quum eſſent extarent, illos eis tradidit inflammandos) fatemur quidem vires, & facultates appetẽdi naturaliter inſitas eſſe homini. Author autem earum fuit Deus, quum hominem conderet. Verùm eas ille moderatas dedit, quæ rationi ſubeſſent, & verbo Dei parerent: neque aut in ipſum

Auguſtinus de prædeſtinatione & gratia.

Auguſtinus de gratia & libero arbitrio.

Auguſtinus in Iulianum.

Multa loca ſcripturæ inſignia.

Iuliani tres obiectiones.

ipsum aut in rationem essent rebelles. Sed post peccatū iam effectæ sunt cōtumaces, violentæ, ac rebelles. Quare apparet, falsum esse quod iste dicit, Tales concupiscentias in nobis extitisse ante peccatū, qualibus nunc tradimur puniēdi. Sunt profectò יצרהרע hoc est, malū figmentum, quo cor nostrum perpetuò infectum est. Istud autem malum figmentū à Deo non est in ipsa creatione datum, sed post peccatum successit. Et aduersus id, quod postremò adferebatur, Hæc patientia potius Dei fieri, quam potentia, Augustinus declarat ex Pauli verbis vtrunque haberi: quandoquidem ad Romanos cap. 9. habetur, Quòd si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, tulit in multa patientia vasa iræ aptata in interitum. Habetur in his verbis tam potentiæ, quàm patientiæ diserta mentio. Et licet in eo tertio capite quinti libri contra Iulianum, Augustinus dicat, parui sua referre, vtro modo istę loquutiones exponantur, tamen propensior est in meam sentētiam, vt Deus aliquid aliud existimetur efficere, quum, tradit, indurat, aut excœcat, quàm quòd sinat, permittat, aut deserat. Imò aperte scribit non esse verisimile, quin, quemadmodum puniendo aliquid efficit Deus in corporibus nostris, ita etiam in animis iudicetur aliquid agere, licet occulta ratione. Hæc ex patribus hucusque. Quòd si meum iudicium requiratur, dicerem præter illam desertionem, aut gratiæ subtractionem, quæ contingit propter peccatum, & in confesso est, has loquutiones Tradendi, Obcœcandi, Obdurandi, & Seducendi, aliquid amplius notare. Quia negare non possumus, à Deo multas occasiones proponi, quæ videntur in hominibus, gratia & Spiritu destitutis, malas cupiditates irritare, eisq; in ruinam esse: vt patet de Achabo rege impio, cui sermones pseudoprophetarum fuerunt in laqueum. Et Pharaoni verba Dei proposita per Mosen instrumenta erant indurationis. Et aduersa, quæ contigerunt Israelitis in deserto, occasiones erant & blasphemiæ & incredulitatis. Atque tales occasiones à Deo suppeditari, extra controuersiam est. Quę quidem quando in animum pium, & Dei gratia ornatum incurrunt, cedunt in bonum, & ad salutem conducunt. Sed quum accedunt ad eos, qui deserti sunt à Deo, ruinam, & auersionem maiorem faciunt. Contingunt verò huiusmodi occasiones, cùm extra, tum etiam intus. Non enim solùm persequutiones, aduersa, voluptates, & illecebræ se nobis extrinsecus offerunt, sed etiam cogitata, & motus interiores animo suggeruntur, quæ pijs ad salutem conducunt: impios verò magis ac magis in impietate confirmant. præter istas occasiones, qui iam sunt à Deo alieni, non videntur egere alia præparatione ad peccandum. Satis enim ob vitiatam naturam per nos ad hoc ipsum proni sumus. Vnde Paulus in hac epistola ad Romanos vasa hæc iræ apta dicit ad interitum. Et in libro Geneseos, cogitationes, & consilia nostra ad malum procliuia sunt à pueritia. Sed vt planior fiat res, alioquin obscura, operepretium erit animaduertere, peccatum duo complecti, Actionem, & defectum. Nam illa actio peccatum dicitur, quæ defecit à lege, & à conditionibus, & circunstantijs, quæ illam rectam & commendabilem facerent. Si loquamur de actione, qua extat, & inter naturales creaturas censetur, eam à Deo fieri, non est dubitandum. Defectus autem, quum pertineat ad priuationem, neque reuera existat, non habet opus efficiendi causa: sed satis est, vt remoueatur gratia Spiritus, & vires auferantur, per quas actio illa perduci potuisset ad iustam absolutionem. Et hanc virium & gratiæ subductionem à Deo fieri, quis neget? Is enim moderator est suorum donorum. Verùm semper debemus adijcere, Deum iustè, & ob nostra malè merita sirum auxilium subducere. Vtq; habet Anselmus, De Casu diaboli, Quemadmodum creaturam non veremur fateri à Deo fieri, quæ tamen per prauam hominis voluntatem producitur (nam infantis nati ex adulterio Deum Creatorem dicimus) Cur etiam negabimus, eum esse authorem eius actionis, quæ per malam voluntatem proficiscitur? Et hoc citra omnem controuersiam dandum est, quòd quidquid extat in natura rerum, id oportet vt Deum habeat authorem. Vnde consequitur, non tantùm permissione ista fieri à Deo: sed etiam eius vim & potentiam iuuare, &, vt dicunt, cooperari. Alioqui ea res nihil esset. Nam, quod aiunt de permissione, libenter interrogarem, vtrum Deus volens permittat, an nolens? Si dixeris, nolens, sequetur Deum inuitum, & coactum permittere. Sin autem volens id dicetur facere, quia omnia, quæcunque voluit, fecit, non potest euitari, quin Dei voluntas aliquo modo ad peccatum producendum concurrat. Sed illud semper ob oculos est habēdum, eandem rem, vt à nobis proficiscitur peccatum esse: vt autē à Deo, non esse peccatum. Ideóque in hac quæstione si respondendum simpliciter sit, oportet dicere, Deum non esse causam peccati, quæ peccatum est. Quia ille, quæ in nobis peccata sunt, infligit, vt sæpe iam diximus, tanquam pœnas, & à malè merentibus gratiam subtrahit, occasionesque ad ruinam illis persæpe ministrat, vt iustè puniantur. Quòd si quæ-

Quid Deus faciat præter desertionē peccātibus.

Occasiones interiores & exteriores.

Peccatum duo comprehendit.

Deus est qui gratiam subducit peccantibus.

Deus nō permittit nolēs, sed uolens.

An homo prædi tus gratia Dei poſsit in pecca tum labi.

ſiueris, An homo gratia prędítus, neq; à Deo deſertus labí poſsít, reſponderẽ, Gratiam Dei non ſemper eodẽ modo ſe habere, iuſto quippe Dei iudicio interdũ eſt remiſsior, eaq; non ita efficaciter cor noſtrũ, & animus immutantur. Atq; tunc homo labi poteſt, & ſæpe grauia peccata cõmittit. Sed quum efficax eſt, & potẽs, & noſtris animis plenè domínatur, quantũ in hac vita fieri poteſt, à grauíoríb. peccatís nos præſeruat. Sed, vt redeamus ad id, quod agebatur, non poſſumus inficiari, Deum quoquo modo eſſe cauſam peccati, ſiue cõſideremus actionẽ, quæ naturalis eſt, ſiue gratię ac virium ſubductionẽ: licet ea non accídat, niſi culpa noſtra. Ita enim Oſeas dicebat: Perditio ex te ô Iſrael, ſalus verò ex me. Proínde quũ Deus peccatí cauſa dícitur, fatendũ eſt id non propría locutione affirmari, quũ peccatí ſatis cauſæ in nobís habeamus. Et lícet de alijs peccatís vtcunq; cauíllemur, de Originalí tamẽ quíd tãdem dicemus? Profectò nemo eſt, quí ambígat, illud nobis infligí à Deo, in vltionẽ, & pœnam primí lapſus. Atq; cum illo íta naſcímur, vt proprío alio peccato príore, quo laborauerímus, non dicamur illud cõtrahere. Sed inhis moderatæ eſt agendũ, & in Chriſtiana plebe cautè loquendũ. Si enim ſtatím quís díxerít, abſolutè atq; ſímpliciter, Deũ eſſe cauſam peccatí, non verũ dícet, req; nõ bene percepta multí offendẽtur, & excuſabũt ſua ſcelera, atq; in Deũ conabũtur cauſam trãsferre. Poteſt res per partes declarari, & ita verũ dící, vt offenſio ſcandaloſa vitetur. Quomodo autẽ id ſit faciendũ, iam oſtendímus. Non pauci antehac in íſta quæſtione impegerũt Manichæí ne facerent optimũ Deum authorẽ pecatí, quum ſcípturas aduerſari ſententiæ ſuæ animaduerterẽt, conſtituerũt duo príncipia, fecerũtq; ſibi duos deos: vnum bonũ, alterũ malum: vnum veteris Teſtamenti, alterũ nouí: vnum creatorem huius mundí viſíbilis, alterũ Domíni noſtri Ieſu Chriſti Patrẽ. Exiſtimabãt, ſe hac ratione poſſe cõcíliare ea, quæ paſsim in ſcripturís occurrunt. Bonum Deum prorſus negabant peccatorũ cauſam eſſe. Sed eorum fecerũt authorẽ Deum huíus ſeculi, quem malũ eſſe prędícabãt. Abuſi ſunt loco epiſtolæ poſterioris ad Cor. vbí dícit: In quibus Deus huíus ſeculi excæcauit mentes infidelium. Ecce, aiebant, Excœcatío pertinet, nequaquã ad Deũ bonũ, verùm ad Deum huíus ſeculi. Sed híc locus níhil eos iuuat. Poſſumus eĩm intellígere, Deum excœcaſſe mentẽ infidelíũ, quí huíus ſeculí dícunt. Et hoc pacto Auguſt. legit. Deínde fortaſsis diabolus notat, quí príncepſ huíus mundí à Chriſto dícit, & à Paulo, cũ ſuis collegis, Aduerſariæ poteſtates, & rectores huíus mundí, ac tenebrarum. Nec mírum eſt, ſi Deus nomínetur: quía ſic habebatur, & colebatur ab infidelibus. Conſueuit enim interdum ſcriptura res nomínare, nõ vt ſunt, ſed quemadmodum eſſe exiſtímãtur. Præterea níhil obſtat, quo mínus Deum ſeculi huíus intelligamus verum Deum, qui hoc ſeculum, id eſt, mũdum viſíbilem condídit: ídemq; pater eſt Domíni noſtri Ieſu Chriſti. Quem non eſt abſonum, excœcare mentes infidelíum: quum à Paulo dícatur hoc loco, tradere & cupíditatíbus, & in reprobum ſenſum. Imò Chriſtus de ſeípſo ait, quòd in iudícium venerit: vt vídentes cæci fíant: & quí cæcí ſunt, vídeãt. Cæterùm aduerſus ea, quę díximus de occaſionib. quòd eas Deus interdũ ſubmíníſtret, quíb. homines deſtituti gratía & ſpíritu incítantur ad peccandum, facere vídetur locus Iacobi: quí primo capite ſcribit: Deus intentator eſt malorum. Et quum inficiarí non poſsímus, ſcripturas nonnunquam teſtarí Deum tentaſſe Iſraelítas, Abrahamum, & alíos. Auguſtínus de Cõnſenſu Euangeliſtarum, tentationes díducit in duo genera. Quòd aliæ ſint ad probandum, aliæ verò ad ſeducendum. Concedítq; Deum ad probandum alíquãdo tentare, nunquam verò ad ſeducendum. Sed huic diſtínctíoní nõ admodum acquieſco. Nam eadem tentatio, quando in hominẽ pium incidit, ad eius probationem conducit: At ſi accídat ímpío, & gratía deſtituto, valet ad illum ſeducẽdum. Vt in deſerto tentationes quoad Moſen, Aaronem, Ioſua, & Chaleb, fuerunt probationes: alíjs verò írritamenta erant ad peccandum. Et tamen illorum authorem fuiſſe Deum, ſatís apparet. Sepoſita ígitur diſtínctione Auguſtíní, alia magis probat, quam afferunt Græca ſcholia: quaſdam eſſe tentationes prorſus extrínſecas: quarum in nobis ípſis aut príncipium, aut cauſam non habemus: vt aduerſa, & perſequutiones: alias verò quæ vídent ex concupíſcentíjs animí noſtrí efumpere. Et de hoc genere tentationum, aiunt, nos Apoſtolum Iacobum monere, ne Deum illarum authorem faciamus. Quod accípí debet, non eſſe illarum ita cõſtituendum authorem Deum, vt nos ípſos excuſemus. Atq; hunc eſſe Apoſtolicũ ſenſum, demonſtrant ea quæ præcedunt. Nemo, ínquit, quum tentatur, dícat ſe à Deo tentarí, quaſi velít excuſare peccatũ. Quiſq; enim tentat à concupíſcẽtia ſua. Quam ob rem vult, vt agnoſcamus in nobis ípſis origínẽ malí: neq; reíciamus culpã in Deũ. Is tamen miníme obſtat, quin his cupíditatíb. vítiatę noſtrę naturę inſertís, Deus dícat, quãdoq; occaſiones et írrita mẽta obíjcere, tã íntus in animis noſtrís, quã extra, iuſto iudicio. Sed nos oportet príncipiũ quod

Quid de peccato originali quod primũ eſt dicendum.

Per partes reſpõſio danda eſt.

Manichæi.

Locus poſterioris ad Corinth.

Locus Iacobi.

An Deus tentet homines.

Duplex tẽtatio.

Alia diſtinctio tentationum.

Scholia Græca.

Interiorum tentationum quomodo Deus non ſit author.

quod in nobis habemus, accusare: non autem id prætexere, quod à Deo ingeritur. Deinde addendum est, non esse negandum, concupiscẽtias originalis peccati, nobis inflictas esse, ad vlciscẽdum lapsum primorũ parẽtum, quibus nostrum quisq; tentatur. Hæ cupiditates, quibus traduntur puniendi, qui sunt idololatræ, diuidi poterũt in duo genera: vt aliæ appetant id, quod videtur bonum, aliæ, quod putatur malum, depellant. Et quanquam natura hi affectus homini videri possint insiti, tamen non ita fuerunt iam inde ab initio, quum homo creatus, atque nunc sunt. Verùm, sicuti iam diximus, inserti sunt moderati, & qui rationi acquiescerent: nunc verò sunt effrenes, & rationi, atq; verbo Dei resistunt. Vnde hanc eorum corruptionem quum viderent Stoici, iudicarunt suum sapientem prorsus ab omnibus affectionibus & passionibus eximendum esse, quòd, vt nunc res habet, nõ existimarẽt, sapientiæ posse vnquam cum affectionibus conuenire. Nam vitio, & peccato semper illis apparuerunt affectiones obnoxiæ. Peripatetici autem iudicarunt sapientem minimè affectionum expertem esse oportere: sed eas moderatas approbauerunt. Et rogati, quis esset modus harum cupiditatum, dixerunt, esse mediocritatem à ratione præscriptam. Rectam autem rationem, quę de hac mediocritate iudicaret, sapientis esse respõderunt. Verùm quis iste sit vir sapiens, qui de medio perfectè definiat, monstrare nõ possunt. Vnde Christiani, qui verbo Dei hoc iudiciũ deferunt, nihil errant: cùm certas regulas habeant depromptas è sacris literis, quibus expetẽda, & repudiãda manifestissimè definiunt. Duo sanè cupiditates vitiatas atq; corruptas emendant. Vnum est, vt siue manducamus, siue bibimus, siue aliquid aliud facimus, omnia ad gloriam Dei faciamus. Quod nusquã videas ab Aristotele, Platone, & sapientibus huius mũdi, quemadmodum à Paulo inculcari. Deinde, quum de fine cõstitutum est, videre oportet, ne defectu, aut excessu affectionũ opus deturpetur. Et in summa, appetitus isti, qua sunt à Deo nostræ naturæ inditi, non debent accusari: vt autem illos modo habemus, nequaquam vitio carent.

Cupiditatũ duo genera.

Quales affectus insiti sint homini quando creatus est.

Stoicorum ἀπάθεια.

Peripateticorũ mediocritas.

Duæ regulæ emendandarũ cupiditatum.

In immunditiam, ut ignominia afficiant corpora sua inter se mutuò. Commentaria quæ Hieronymo adscribuntur, docent, hanc ignominiam referendam esse ad sordes, & impuritatem, quæ in sacrificijs Ethnicorum admittebatur. Et ignominiam corporum exponunt cauteria, & adustiones, quibus eorum corpora, qui simulachris initiabantur, turpia fiebant. Sed hæc aliena sunt: & Apostolus ex his, quæ sequuntur manifestè declarat, quid senserit. Omnia quippe refert ad venerem interdictam. Immunda ea dicuntur, quę aspectu ferre cõ possumus: vt est in natura rerum sanies, pus, stercus, & alia id genus: & quoad humana opera crapula & ebrietas, potissimùm quando accedit vomitus: necnon venus, præsertim damnata. De his scribit ad Romanos, quòd ea gens, & omnis alia, quum Christo esset destituta, hoc pestilenti vitio grauiter laborarit. Neque obscurum est, quod adiecit, *Vt corpora sua ignominia afficerent.* Si enim qui scortatur in corpus suum peccat, multo magis, is qui hoc genere scelerum polluitur. Corpora nostra sunt templum Spiritus sancti, Dei organa, & instrumenta sanctificata. Vnde qui sic ea contaminant, ab institutione diuina vehementer desciscunt. Hoc eis vsu venit, qui à iusto Dei cultu recedunt. Ad Ephesios habetur de gentibus à Christo alienis. Quòd in vanitate mentis ambulent, mentem habeant obtenebratam, ac à vita Dei sint abalienati propter ignorantiam, quæ est in illis, & excœcationem cordis. Qui postquam eò peruenerint, vt dolere desierint: dediderunt se lasciuiæ, ad patrandam omnem immundiciam cum auiditate. Posset videri prima fronte, Paulum obscœna & turpia loqui. Sed meminisse oportet omnia munda esse mũdis: & Spiritum sanctum cõsueuisse, quando loquit̃ per electos, nefaria & probrosa flagitia satis libere exprobrare. In Prophetis, & præsertim apud Ezechielem, de Synagoga fit sermo, tanquam de meretrice, quæ omnibus prostaret diuaricatis cruribus: & cuius libido tanta fuerit, vt mercede conduceret amatores, quorum carnes essent asinorum, & qui fluxum equorum haberent. Non abhorruit spiritus sanctus ab his loquutionibus, Neq; id facit, quo minus eloquia Dei, sint eloquia casta. Verba enim alioquin sunt sua natura indifferentia: nostra libido ea turpia, & obscœna facit. Attamen videtur Paulus quandoq; auribus nõnihil peperciss̃e, quum ad Ephesios has Ethnicorum sordes vnico tantùm verbo notauit., inquiens: Quæ clàm ab illis committuntur, turpe est dicere. Verùm Chrysostomus hoc loco inquit, Apostolum inter duo præcipitia temperasse orationem. Nam ex vna parte, quum isti sic essent corripiendi, vt suam turpitudinem inficiari nõ possent, quod fortasse illis difficile non fuisset, si crimina minus atrocia fuissent traducta, oportuit, vt hæc quàm apertissimè argueret, quæ in confesso est, fuisse turpissima. Ex altera parte, aliquis habendus fuit honos legentibus, & audientibus. Vnde mira prudentia verba disposuit. Commemoratione enim naturæ illos reprehendit: quòd naturali vsu contenti non fuerint,

Quæ sint immunda.

Quòd peccent qui libidine sua corpora contaminant.

Non est accusandus Paulus obscœnitatis.

ſed libidine ſuæ naturæ vim intulerint. Admouit præterea verborum aculeos, quando inquit, eos exarſiſſe, contumelijs, & ignominia corpora ſua affeciſſe, & in immunditiam, atque impuritatem prolapſos eſſe. Mirum hæc omnia pondus habent ad animos percellendos. Ambroſius quærit, quomodo iſtuc ſupplicio deputetur, quod eis voluptati fuerit: cùm natura pœnarum hæc eſſe videatur, vt diſpliceant, & à nolentibus atq; inuitis extorqueantur. Respondet, hoc diuinæ bonitati adſcribendum eſſe, quæ iſtos noluerit grauius punire. Sed hoc non multùm facere videtur ad inſtitutum Pauli. Quoniam ille ex pœnæ acerbitate grauitatem peccati voluit augere. Quare magis arridet Chryſoſtomi ſententia: qui ait, grauiſſimum eſſe malum, quando quis gaudet proprijs damnis. Si enim quis, quum ægrotat, vehementer angatur, & doleat, medici de illo non deſperant. At ſi eò ventum fuerit, vt mali ſenſus nullus extet, iam ferè conclamatum aiunt. Et phrenetici, dum ſeipſos dilacerant, ac malè tractant, gaudentes id faciunt, & miſeranda lætitia tenentur, quum ſtercora, lapides, aut carbones comedunt, vel ſe ipſos cœno, aut fecibus deturpant. Neque ex illorum alacritate leuior eſt calamitas. Ita iſti non minus plectuntur hac vitij deformitate, quamuis ea ſeſe videantur oblectare. Potuiſſet ſanè Paulus alia vitia illis exprobrare. Sed non ita fuiſſent pudenda, aut idonea, ad infidelium calamitatem demonſtrandam.

Grauiſsimũ eſt malum gaudere proprijs dãnis.

Qui commutauerunt ueritatem eius in mendacium, & uenerati ſunt, coluerunt q; creaturas ſupra Creatorem, qui eſt laudandus in ſecula, Amen. Tanti ſupplicij cauſam denuò repetit fuiſſe idololatriam. Veritatem idem accipit eſſe, quod antea per gloriam notauerat. Et mendacium appellat idola. Quoniam à lignis & lapidibus conabantur auferre id quod erant: quum nec ligna, nec lapides vlterius ea cenſerent. Et attribuere eis id, quod non erant: numina, inquam, & Dei naturam. Et quum de Deo ait, *Qui eſt benedictus in ſecula*, præclaro epiphonemate ſuam periodum claudit. Quod idem fecit, quando capite nono de Chriſto ſcripſit, quòd ſit Deus ſuper omnia benedictus in ſecula. Amen. Vnde quum eadem, tam de Patre quàm de Filio pronuntiet, oſtendit, Filium Patri æqualem eſſe. Voluit q; Chryſoſtomus, hanc appendicem ideo eſſe adiectam, vt intelligeremus, conatus iſtis hominibus non ſucceſsiſſe. Licet enim tentarent, ſuam gloriam Deo detrahere, eiusq; veritatem commutare, ipſe tamen, vellent, nollent, manſit Deus benedictus in ſecula. Amen. Neque ideo ſic vltus eſt illos, vt in reprobum ſenſum traderet, quaſi eos aliter nõ poſſet à ſe depellere. Nihil ei obfuit illorum impietas: ſibijpſis exitio fuerunt. Sed quia de ſimulachrorum cultu accuſantur Ethnici, non erit ab re, aliqua de imaginibus quàm breuiſsimè attexere. De his primùm dicemus, qui Deum conantur ſimulachris referre: poſtea de imaginibus rerum corporalium nonnihil attingemus: deinde, an in templis & ſacris locis eas habere liceat: poſtremo, num aliquis earum bonus vſus poſsit haberi. Et quod ad primum attinet, expreſſum eſt Dei mandatum in Deuteronomio, vt nullis imaginibus effingeretur. Atq; id ſuadet, quòd dum in Horeb cum illis loqueretur, populus nullam viderit imaginem. Prophetę item hoc frequentiſsimè inculcauerunt: & Eſaias potiſsimùm, à quadrageſimo capite vſq; ad quadrageſimum quintum, nil ferè aliud egit. Et Paulus in Actis Apoſtolicis, quum concionaretur Athenienſibus, homines, ait, genus eſſe Dei: ſed lapidibus, auro, argento naturam diuinam nihil habere ſimile. Præterea, quum Deum nemo vnquam viderit. quomodo eum tentabit quiſquam effingere? Infinitus eſt, & ne mente quidem, nedum ſenſu, comprehendi poteſt. Vnde, qui eum aut pingunt, aut effigiant, eius naturam dehoneſtant: quaſi lineis, aut coloribus finiri poſsit. Et in lege veteri propiciatorium parte media quæ Dei ſedem referebat, fuit vacuum, ne daretur occaſio fingendi ſpectris aut ſimulachris Dei naturam. Nam illum imagine repræſentaſſe, ex infidelitate deriuatum eſt, quòd ſibi non perſuaderet hominum ratio, Deum præſentem eſſe, niſi aliquo ſigno, vel imagine id conſtaret. Quod Hebræi docuerunt, quum in deſerto Aaroni dicerent, Fac nobis deos, qui nos præcedant.

Idola cur mẽdacium,

Deus non eſt ex primẽdus imaginibus.

Imagines Dei fluxerunt ex infidelitate.

Exemplum Hebræorum.

Sed obijcitur, Quum in Prophetis Deus non ſemel variè deſcribatur, cur eodem modo non poteſt pingi? Præſertim quum ſcriptura parùm admodum à pictura diſtet. Eſaias ait, ſe vidiſſe Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & eleuatum, & quæ ſequuntur. Quî ergo fit, vt pictor Deum non poſsit inſtar iudicis, aut regis effingere? Deſcribitur in Daniele, capite ſeptimo, vt Antiquus dierum, ad quem filius hominis adducatur. Quid peccabit pictor, ſi hoc ſolùm lineis & coloribus adumbret, quod Propheta verbis atque ſcriptis expreſsit? Speciosum quidem videtur argumentum: ſed, quod conatur, non efficit. Vbi enim præceptum Dei vrget, ibi ratiocinationes, & ſimilia non poſſunt perſuadere, atque conuincere, ſecus faciendum. Et ſi videatur aliqua collatio

Obiectio à deſcriptionibus prophetarum.

qua cõllatio inter ea, quæ prohibentur, & ea quæ permittuntur, nunquam tamen id nobis debemus vsurpare, vt ea paria faciamus, quæ verbum Dei discreuit. Isti illi sunt λογισμοὶ, qui pariunt superstitiones, & idololatriam inuexerunt. Etsi alia responsio non afferretur, hæc satis esset. Cæterùm inter scripturam & picturam discrimen adducere possumus: quòd licet vna, aut altera similitudo Dei legatur in sacris literis, ibi tamen exponitur, quid ea sibi velit. Et si legendo pergas, inuenies tandem Deum Spiritum esse, infinitum, quiq; cœlum & terram impleat. Quæ pictura non docet, neque seipsam exponit. Quare tandem facilè in errorem induceret homines, eósque redderet ἀνθρωπομορφίτας. Et Augustinus in libello de fide, & Symbolo, capite septimo, Nec ideò tamen, inquit, quasi humana forma circumscriptum esse Deum Patrem arbitrandum est: vt de illo cogitantibus dextrum aut sinistrum latus animo occurrat: aut idipsum, quòd sedere pater dicitur, flexis poplitibus fieri putandum est, ne in illud incidamus sacrilegium, quo execratur Apostolus eos, qui commutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem corruptibilis hominis. Tale enim simulachrum Deo nefas est, Christiano, in templo collocare: multò magis in corde nefarium est. Nunc supereſt, vt videamus de imaginibus corporalium rerum: puta Christi, Apostolorum, & sacrarum historiarum. Certè, quod attinet ad istarum rerum naturam, nihil videtur prohibere, quin signis, & picturis referri possint. Neque Dei mandato statuaria facultas, aut pingendi ars fuerunt vnquam interdictæ. Augustinus asserit, initium imaginum fuisse desiderium mortuorum, Quum enim impatienter ferrent homines, quòd illi essent defuncti, quos charos habuerant, saltem illorum imaginibus sese consolari voluerunt. Quo prætextu vt mox dicemus, diabolus abusus est ad idololatriam. Seruabantur itaque maiorum imagines: idq; honori erat defunctis, & amicis aliquid solatij afferebat. De Alexandro Mammeę Romanorum imperatore scribitur, quòd in Lararío habuerit imaginem Christi, Mosis, & Abrahami. Turcæ imagines nullas habent, neque publicè, neque priuatim: In tapetibus nodos, & flosculos, & quædam alia intexunt: simulachra nusquam. Quæ tamen si absque cultu habeãtur extra sacras ædes, non possunt damnari: modò rectus sit illorum vsus, & non colantur. Damnatur itaque iure Marcellina, quam Augustinus de hæresibus, ad Quoduultdeum memorat Carpocratis fuisse sociam: & imagines habuisse, Christi, Pauli, Homeri, & Pythagoræ, quibus & cultum & suffitum exhibebat. Hoc solùm damnabile fuit. Alioqui habuisse imagines, apud veteres non erat reprehensibile. Eusebius Cæsariensis tradit, se vidisse εἰκόνας Petri, & Pauli apud quosdam fideles conseruatas. Commemoratq; in Cæsarea Philippi, quæ dicta est Paneas, æream imaginem fuisse Domini nostri: ad cuius pedes prostrata erat alia imago eius mulieris, quę tactu fimbriæ vestis eius à fluxu sanguinis sanata fuit. Et addit, herbam quandam pullulasse à basi, quæ quum tantùm excreuisset, vt ad fimbriam stolæ imaginis Christi pertingeret, vim contrahebat medendi omnibus morbis. Et Socrates in septimo libro Tripartitæ Historiæ habet, Iulianum Apostatam hanc statuam remouisse, & eius loco suam iussisse poni: quæ fulmine icta est, vt prorsus disperderetur. Quumq; ab Ethnicis statua illa Christi tracta fuisset per vniuersam vrbem, à Christianis tamen vtcunque rursus collecta fuit & conseruata. Scribit item Eusebius de Domino nostro Iesu Christo, quòd per discipulum suum ad regem Abagarum imaginem sui ipsius miserit. Quod, cũ Apocryphum sit, mihi non facilè persuadetur. Sed in sacris locis, vbi fidelium conuẽtus habentur, an istas imagines Christi, & sanctorum habere liceat, an potius sit interdictum, videndum est. Fuerunt quidam ex Ethnicis, qui hac de re non malè iudicarunt. Numa Pompilius, vt refert Plutarchus in eius vita, nullum simulachrum in sacris ædibus collocauit. Atque ita Romæ perseueratum est ad 150. annos. Pythagoræ placita ille rex didicerat. Is autem docuerat, Deum esse mentem ac spiritum, naturamq; corporis ei dempserat. Vnde secum isti reputabant, indignum esse vt rebus vilioribus præstantiorem naturam effingerent. Quamuis ex historiæ veritate constet, Numam antecessisse Pythagoram, neq; ab eo potuisse discere. Sed quicquid sit, nos cõludemus. Quod illi repulerunt a suis templis, multò magis decet arcere à nostris. Nam quę illic proponuntur, possent mentem auocare à verbis Dei. Animus enim noster ita factus est, vt his quæ sensibus occurrunt, adeò vehementer abstrahatur, vt aliis attentè non possit incumbere. Vnde Lacedæmonij cauerunt, ne in Curia, in qua senatus habebatur, statuæ aut signa starent: quòd oportet, vt, qui de republica decernunt, non aliò vlla occasione auocentur. Et Vergilius in primo Aeneidos tradit, Aeneam ingressum in templum, vbi erat Dido, quum picturas in parietibus conspicatus esset, earum contemplationi cum primis vacasse. Accedit præterea, vt ait Augustinus, in Psalmo centesimo decimo tertio, Concione secunda, multùm honoris ac maiestatis conciliari statuis, quando

Quæ uerbũ Dei discernit, nõ sunt paria facienda.

Discrimẽ inter scripturã & picturam.

Pictura seipsam non exponit.

De picturis Christi, Apostolorũ, & sacrarũ historiarum.

Deus non prohibuit sculpturam neq; picturam.

Initiũ imaginũ.

Alexãder Mammææ habuit imagines in lararío.

Imagines extra tẽpla nõ sunt dãnandæ, modò nõ colãtur, aut non sint obscœnæ.

Marcellina socia Carpocratis.

Aerea imago Christi.

Historia de rege Abagaro apocrypha.

Pythagoræ sententia de Deo.

In nostris tẽplis non sunt habẽdæ imagines.

Lacedæmoniorum mos.

in tẽplis collocatæ fuerint. Quia partim loci dignitate, partim authoritate dedicantium, ſuſpicari homines incipiunt, in eis diuini quippiam latitare. Et licet nonnihil valeat ad eos erudiendos, quòd eas videant, neq; auribus audire, neq; ore loqui, neque oculis videre, neq; vllo omnino vitæ munere fungi, falluntur tamen ob ſacra, quæ vident fieri, & ob honores, quos vident illis exhiberi: vt iam credant, pro anima illis inſitum eſſe numen. Sic autem ſentire, arguuntur ex eo, quòd ſimulachris ita ſeſe ſubijciant. Veriti tamen fateri, numen in ſtatuis deliteſcere: aiunt, ſe colere, quod per illas imagines repræſentatur: hoc eſt, mare, terram, aut cœlum.

Excuſatio eorũ qui colũt imagines.

Quòd ſi eos pergas coarguere, ne iſta quidem corpora digna eſſe, quæ vel colantur, vel adorentur, reſpondebunt, animum ſuum illum ſpectare, qui omnibus his præſidet: vnum inquam, Deum, à quo cuncta iſta reguntur. Cauendum eſt itaque ne ſacer locus exiſtimationem imaginum tantùm augeat, vt fiat idololatriæ certa occaſio. Facilè diabolus ſeſe admiſcet. Eſt enim ſuperbus & fallax. Quare homines decipiendo, cultus illos, qui ſoli Deo debentur, ad ſe pertrahit, dum ſe pro anima, aut numine ſupponit erectis imaginibus. Vtq; merentur hominum pecata, noſtris aſpectibus illudit. Aiunt Romæ in Laterano imaginem ſeruatoris noſtri pictam apparuiſſe in pariete. De cuius hiſtoriæ veritate nõ ita compertum habeo, vt prorſus affirmare liceat. Sed hac, hoc genus miraculi, & alia fortaſſe illuſtriora contigiſſe: Non tamen propter illa debemus à iuſto Dei cultu reuocari: ſed aduerſus ea diuinis oraculis ſatis muniti eſſe. Verum quidem eſt, Gregorium magnũ, vt in eius epiſtolis legitur, corripuiſſe Maſſilienſem epiſcopum, quòd ſtatuam in ſua eccleſia cõfregiſſet. Sed hîc reprehendentis authoritas non oportet, vt oculos perſtringat. :ſed potius expendẽdum eſt, an ita ſta ratione confirmet, quod arguit. Profectò adeò ſumus procliues ad idololatriam, vt fidelibus videatur conſultum, imagines è templis ſummoueri. Quis enim, quum ſentiat ſe libidini deditum, prudenter aſsidebit meretrici? Nonne ſi ita fecerit, exiſtimabitur tentaſſe Deum? Ita imagines habere, vbi ſacra fiunt, adoratur, & conuenitur à fidelibus ad rem diuinam, non poteſt non eſſe periculoſiſsimum. Obijciunt Deum habuiſſe à lateribus arcæ fœderis duo Cherubim. Verùm addere debuerunt, hæc non patuiſſe aſpectibus populi. Nam poſita fuerunt in adyto, quod dicebatur, Sancta ſanctorum, quò ſolus ſummus ſacerdos, idq; ſemel tantùm in anno ingrediebatur. Præterea verbum Dei extabat, præcipiens, vt illa fierent: quod idem alijs imaginibus aduerſatur. Neque fas nobis eſt, ea vſurpare, quæ in Moſaicis ceremonijs licuerunt. Alioqui conſtituamus in hoc regno, vel in hac prouincia, vnum duntaxat templum, vt apud Hebræos fuit: & omnia reſumamus, quæ ad victimas, & apparatum ſacrificiorum tum pertinebant.

Diabolus imaginibus & ſtatuis in tẽplo poſitis ſe admiſcet.

Hiſtoria de imagine Seruatoris in Laterano.

Gregorius reprehendit epiſcopum Maſſilienſem ob ſtatuam confractam.

De Cherubin a ſtantibus propitiatorio.

Quis fuerit mos veteris Eccleſiæ quoad imagines, demonſtrat Epiphanius, qui conſcidit imaginem hominis, quæ pendebat in oratorio. Et epiſtolam ſcripſit ad Epiſcopum Hieroſolymitanum, in cuius dioceſi hoc fecerat, ne talia poſthac in Eccleſia ſua fieri permitteret: cùm religioni & diſciplinæ Chriſtianæ minimè conſentiant. Et iſtam Epiphanij epiſtolam vt dignam cognitu, Hieronymus Latinam fecit. Ex qua verſione apparet, illum cum Epiphanio feciſſe. Quin & in Concilio Eliberino, articulo trigeſimo ſexto, definitum eſt, vt in parietibus eccleſiarum picturæ non haberentur. Et ſub Leone Iſaurico, qui fuit imperator Romanus. Concilium habitum eſt Conſtantinopoli, in quo damnatæ ſunt imagines, & conciſæ, & flammis abſumptæ: licet Irene quæ imperauit poſtea cum filio Conſtantino, ſuggeſtione Tharaſij patriarchæ Conſtantinopolitani, Concilium habuerit ſecundum Nicenum, quod vulgò appellatur ſeptimum, in quo reſtitutæ ſunt imagines, & illarum cultus. Sed quàm friuolis rationibus hoc fecerint, pudet me referre. Verum eſt Carolum magnum per eadem tempora Concilium habuiſſe in Germania: ad quod etiam conuenerunt duo legati Romani pontificis: vbi Nicena decreta de imaginibus fuerunt abrogata. Et nihilominus obtinuit, neſcio quo modo, quòd per Irenem, & Conſtantinum in ſeptima Synodo fuerat decretum.

Exemplum Epiphanij.

Cõciliũ Cõſtantinopol. ſub Leone Iſaurico.

Irene reſtituit imagines in Cõcilio Niceno.

Cõcil. Caroli magni cõtra Cõcil. Nicenum.

Scio Ioannem Damaſcenum tempore Leonis Iſaurici pro imaginibus pugnaſſe, & grauia fuiſſe paſſum. Et refert miraculum, quo imagines videntur confirmari. Sed rationes ex ſcripturis nullas habet. Miracula autem non debent nos adducere, vt verbo Dei repugnemus. Serpens æneus à Rege Ezechia euerſus eſt, qui iuſſu Dei fuerat erectus, & ingenti miraculo comprobatus. Sanati enim ſunt, quotquot in illum intuebantur. Noſtra templa non ideo ſunt extructa, vt picturas in eis contemplaremur. Sed adminiſtratur in illis verbum Dei, ſacramenta exhibentur, & diuinæ laudes celebrantur. Quæ omnia præſtant cunctis imaginibus. Et qui non adducitur hoc doctrinæ genere,

Damaſcenus pugnauit pro imaginibus.

pictu

picturis minimè proficiet. Dixeris forsan, In sacris ædibus non semper hæc proponuntur, quæ commemoras: nam aliquando neque docetur, neque sacramenta administrantur, neque sacri cœtus habentur. Fateor: sed clausę esse deberent, quando hæc nō agitant. Alioqui deambulationibus, & nugis patent. Quam quę sint parui momenti excusationes, quas pro imaginibus adferunt, inde patet, quòd semper dicunt, has picturas libros esse idiotarū. Sed quî factum est, vt præstantiores imagines, ad quas profectiones instituebantur, quæque in maiori reuerentia, & honore erant, tectæ haberentur? ita, vt non possent, nisi prope cariò conspici? Quî oportuit librum claudere, quo volebant homines doceri? Videas præterea, quasdam ab eis imagines eius generis præteriri, atque contemni: alias è diuerso omnibus honoribus cumulari. Habent quandoque domi, vel in platea, vel in foro imaginem virginis. Eam deserunt: & Boloniam, vel in Italiam ad eandem imaginem virginis peregrinantur. Profectò si doceri cupiunt, tam id eis domestica imago, quàm peregrina præstare potuit. Videmus ad hæc, tum potissimùm floruisse vsum imaginum, quando pastores Ecclesiarum destiterunt à pascendo grege sacris concionibus: quasi mutis imaginibus populum sibi commissum erudiendum traderent. Censerem igitur, è sacris ædibus imagines prorsus esse remouendas. Alijs verò in locis posset earum aliquis vsus esse. Saltem afferrēt honestam volup tatem, quæ nonnihil vtilitatis haberet coniunctum, si ea repræsentarent, quæ pietatis monimenta essent. Nunquam tamen ne alijs quidem in locis ferendæ essent, si fierent occasiones idololatriæ. Tunc enim semper imitandus est Ezechias. Nec vnquam plus illis tribui debet, quàm sacris literis. Quis enim procumbit in genua, & librum adorat, aut Noui, aut Veteris testamenti? Nullus profectò, qui piè sapiat. Et tamen in his verius, & expressius & Christus, & opera Dei nobis contemplanda proponuntur, quàm in omnibus statuis. Nec prætereundum est, morem habendi imagines ab Ethnicis potius ad nos peruenisse, quàm à sanctorum hominum consuetudine. In illis tamen priuatim retinendis & alia duo caueri debent. Primùm, ne sint mendaces, ita, vt sanctorum titulo, ac nomine illos repræsentent, qui nunquam extiterunt. Qualia sunt signa Georgij, Christophori, Barbaræ, & similium, qui obtruduntur quasi sancti per imagines, & picturas, cùm de illis nihil compertum habeamus. Non tamen inficior, quin aliqua interdū pingi possint, quæ allegorica significatione spectatores vtiliter possint erudire. Videndum præterea, ne turpia, aut lasciua sint signa, & tabulæ, quibus nos oblectemus, ne prauas cupiditates aspectu irritent. Restat, vt nonnihil de frangendis imaginibus dicamus. Qua in re contentus ero Augustini testimonio: qui in sermonibus, & illo præsertim, qui sextus est ordine, habet hæc verba: Sic præstet Deus, & det omnia in potestate: quomodo dedit, quod fractum est. Hoc enim dicimus charitati vestræ, ne faciatis ista, quando in potestate vestra non est, vt faciatis. Prauorum hominum est, circumcellionum est, vt, vbi potestatem non habent, sæuire, & velle mori properent sine causa. Audistis, quæ vobis legimus omnibus, qui nuper in mapalibus adfuistis. Cùm data fuerit vobis terra in potestatem. Prius ait, terram in potestatem dandam esse: & sic dixit, quæ facienda sunt. Aras eorum destruetis, lucos, statuas &c. Cùm acceperitis potestatem, hoc facite. Vbi nobis non est data potestas, non facimus: vbi data est, non prætermittimus. Multi Pagani habent istas abominationes in fundis suis. Nunquid accedimus, & confringimus? Prius enim agimus, vt idola in eorum corde frangamus, quando Christiani & ipsi facti fuerint, aut inuitant nos ad tam bonum opus, aut præueniunt nos. Modò orandum est pro illis: non irascendum illis. Et de imaginibus hactenus.

Sacræ domus deberent esse clausæ, quum cœtus non habentur.

Contra eos qui picturas dicunt esse libros idiotarum.

Quando primū ceperit in tēplis usus imaginum.

Extra templū et sacrum cœtum imagines licēt.

Nunquā ad imagines pro cumbendum.

Vsus imaginū ab ethnicis.

Mendaces imagines improbātur.

Lasciuæ imagines improbandæ

An liceat imagines frangere.

Deut. 7.

Quamobrem tradidit eos Deus in affectus ignominiosos. Quia repetierat idololatriæ crimen, ita resumit eius pœnas fusius exponendas. Et ait, mares naturalem coniunctionem cum fœminis deseruisse, & contra naturam fuisse inflammatos. Quod idem refert de mulieribus: quas, vt mares, ratio, iudicium, pudor debuit in officio continere. Quod non successit: quia, vt comminatus est Deus Deuteron. trigesimooctauo. Impij amentia, & furore percutiuntur. Et vtitur Apostolus naturæ voce: quoniam aduersus Ethnicos disputabat, qui non ex scripturis, sed ex natura tantùm sapiunt. Et ea contra illos accipit, quæ naturali lumine per seipsa manifesta sunt. Ostenditq; illos ita prorsus desipuisse, vt abiecto instituto naturę, ea persecuti fuerint, quæ cum illa pugnarent: cùm alioquin honestiora, vtiliora, & iucundiora sint, quæ secundum naturam aguntur. Sed iure contigit, vt isti sic fuerint excæcati. Nam quemadmodum contenti non erant doctrina Dei, cùm satis non putarent vt repręsentaretur per mundi fabricam, & simulacra statuasq; introducerent, sic etiam quoad agenda, instituto Dei, quod erat secundum naturam, minimè contenti fuerynt: sed inuenta sua licet tur-

De natura cum ethnicis disputat

pissima, magis probauerunt. Hoc fuit idem agere, quod primi parentes, quando prolapsi sunt. Cupiuerunt enim habere scientiam boni, & mali: hoc est, vt pro suo arbitrio de bono, & malo, iusto, & iniusto decernerent: quod est proprium Deo: cuius definitionibus creaturas oportet stare. Sic isti tentarunt pro sua libidine, non iuxtà decreta Dei, & naturæ in conIunctionibus corporum agere. Dicuntur autem isti affectus ignominiæ phrasi Hebraica: quę Latina lingua effertur per adiectiuum. Vt enim, quod Hebręi dicunt, filius perditionis, Latinè redditur, filius perditus: Ita, quod hoc loco habetur, Affectus ignominiæ, sunt Affectus ignominiosi. Paulus habet πάθη: Quæ vox non significat vulgares motus, aut leuiores affectus: sed perturbationes, & morbos violentiores, quibus incitamur potenti impulsu. Neque aliud sunt hi affectus ignominiosi, quàm quod supra dixerat, Cupiditates cordium. Ex his quæ modo scribuntur, ea, quæ Iulianus Pelagianus obiecerat Augustino, facilè reuelluntur. Aiebat enim, cupiditates in nobis extare, & Deum nos illis tradere, non esse aliud, quam nos illis relinquere. Verùm istos ignominiosos affectus, non poterit Iulianus constituere, in hominis natura fuisse ante lapsum. Et videntur ijdem Pelagiani abusi hoc loco, vt habetur ab Augustino secundo libro De Nuptijs & concupiscentia ad Valerium, cap. decimonono & vigesimo. Nitebantur enim probare, concupiscentiam laudabilem esse per locum à contrarijs. Cùm enim, inquiunt, damnet Paulus coniunctionem, quæ est aduersus naturam, consequitur, eam, quæ est secundum naturam, & rectam, & laude dignam esse. Quare, inquiunt, licet nonnulli in ea modum excedant, ipsa tamen non debet reprehendi: nisi velimus & panem, & vinum accusare, quòd sint, qui eis abutantur. Neque valet, quod ais: Bonum fœtus non excusat crimen adulterij: Nec peccatum originis, quod ex natiuitate contrahitur, nuptiarum bonum condemnat. Quia hoc est obscurè dicere. Videris q; laborare, vt non intelligaris. Commistio naturalis virorum cum mulieribus tandem oportet, vt certa nota exprimatur, vt sciamus, vtrum bona sit, an mala. Bonam esse, ex eo patet, quod Paulus oppositum damnat. Si autem bona fuerit, & bonus est partus, qui inde oritur, per quas rimulas sese insinuat peccatum originis? Hæc illi obijciebant Augustino. Ille autem sic se expedit. Distinguendum, inquit, est inter illa, quę Deus instituit, & ea, quæ per Adamum sunt inuecta post peccatum. Naturalem commistionem maris & fœminę à Deo esse dicimus, & idcircò bonam, nec ex ea prouenire aliquid mali. Sed concupiscentia, quę adhibetur, vt nũc est rebellis aduersus rationem, effrenata, & contumax, & inobediẽtia partium corporis, quæ voluntate nostra non reprimitur, ex vitio & peccato prouenit. Debet q; huiusmodi cõcupiscentia & pudenda, & mala reputari. Quod naturæ sensus attestatur: quando videmus etiam coniuges congressuros sese abdere: quod aliquid pudendi inesse declarat. Deinde Paulus habet: Scio, quòd non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum. Cui potius credendum est, quàm vobis, qui concupiscentiam, vt bonam prædicatis. Et addit: Si nostra natura saluanda est, oportet eam bonam esse: alioquí eam non oporteret seruare. Atque si nihil in se haberet mali, seruanda non esset: quia per seipsam esset salua. Quòd verò attinet ad Paulum, cum damnat impudicos, quòd naturalem vsum fœminæ reliquissent, nullũ tunc verbum facit de coniugio. Sed tantùm ostendit, horribiliter punitos illos idololatras, quòd naturalem vsum reliquissent: qui tamen vsus naturalis adhuc seruari potest inter scorta & meretrices. Quare aliena sunt à Paulo, quæ vos inducitis de concupiscentia. Quomodo verò peccatum originis traducatur per procreationem, præsentis loci non est, explicare.

Peccatũ primorum parentum.

πάθη.

Pelagianorũ paralogismus.

Augustinus Pelagianis respondet. Naturalis cõmistio maris & fœminæ, ut à Deo instituta fuit, est bona. Concupiscentia quæ illi admiscetur post lapsum Adami est mala.

Et mercedem quam oportuit erroris sui in seipsis recipientes. Peccatum manifestum, & à scientibus commissum appellat errorem. Et hæc turpia, quæ cõmemorauit, dicit esse præmium & mercedem. Græcè habetur ἀντιμισθίαν: quod posses vertere, compensationem. Videturq; locutio non dissimilis ab ea, quę dicitur in Euãgelio de hypocritis, quòd acceperint mercedem suam. Et quandoquidem peccata, non mercedem, aut præmium, sed punitionem merentur, ex hoc loco habetur quàm apertissimè, quod ab Augustino sæpius dicitur, Deum peccata peccatis vlcisci. Et grauitas sceleris contra naturam admissi ex eo apparet, quod respondet, & redditur grauissimo peccato idololatriæ. In libro primo, contra aduersarium legis, & Prophetarum capite vigesimoquarto dicit Augustinus, iniuria taxari à Manichæis locum, qui habetur Deuteronom. trigesimooctauo. Vbi perhibetur Deus inflicturus hanc pœnã impijs, vt suos ipsorum liberos quandoque occidant, & comedant: quod citra controuersiam peccatum est, neq; vt inquiunt, deberet existimari à iustitia Dei proficisci. Et hinc volebant Manichæi concludere, Deum veteris Testamenti malum esse, quòd mala infligeret, id est, peccata. Sed inquit Augustinus: Idem posset etiam dici de Deo Noui testamẽti: cùm is hoc

Hic euincitur Deum peccata peccatis vlcisci.

is hoc loco scribatur à Paulo, tradere in has ignominiosas affectiones. At longè secus est. Quoniam verus Deus hoc pœnarum genere impios afficit: quæ supplicia non sint tormenta peccantium, sed incrementa peccatorum. Ratio Pauli sic habet. Qui sunt absq; Christo, & eius Euangelio, talem super se iram Dei experiuntur: Igitur à Christo & remedium petendum est, & iustitia. Vnde apparet, quàm malè aliqui sic tueantur liberum arbitrium, vt dicere ausint, eius viribus, & eo, quod in nobis est, omnia peccata posse caueri. Quod si verum esset, leuiter concluderet Paulus ad Christum, & ad Euangelium accedendum esse. Diceret enim quispiam, etiam absque Christo, per meipsum & ex libero arbitrio possum ab his peccatis resilire. Et annotandum est, iam ter Apostolum in hoc capite vsum esse hac locutione, Deum homines tradidisse. Propter quam si quis velit censuram ferre de iustitia Dei, quasi admittat iniquitatem, is iam esse vult Deus Dei. Tantum abest, vt eum pro Deo velit habere. Hactenus egit Paulus de probroso scelere, quod committitur aduersus naturam, eamq; vitiatam, & corruptam. Ac si diceret, Ne hoc quidem parum, quod supereſt in ea rectitudinis, & probitatis, diuinitq; instituti, voluistis retinere. Nunc ad alia transit vitia recensenda, quæ minimè fusè tractat, sed tantum per species enumerat, Aitq;, priusquam ad enumerationem descendat:

Contra defensores liberiarbitrij Ter Paulus dixit homines tradidisse.

Et quemadmodum non probauerunt Deum habere in agnitione, tradidit eos Deus in reprobam mentem. Diligenter aperit, quomodo pœna conuenerit peccato. Probare hoc loco, est Græcè δοκιμάζειν. Quod nequaquam significat, tentare, aut, argumentis confirmare: sed potius, firmiter, solide, & constanter statuere. Reprehensionis autem hæc est sententia: Deum cognouerant ex creaturis: sed eũ agnoscere noluerunt: hoc est, notitiã eius perpetuò habere ob oculos, qua potuisset aliqua mutatio vitę sequi, & frenum quoquo modo imponi cupiditatibus. Et hoc innuunt cõmentaria ascripta Hieronymo: vbi legimus, Istos noluisse Deum ob oculos habere. Nam vbi hoc fit, non facilè ad peccandum descenditur. Multi sanè inueniuntur, qui egregio præditi ingenio complura cognoscunt rectè, ac probè deliberant: sed cognita & decreta seponunt: & cùm ad opus ventum fuerit, frustra videntur & cognouisse, & deliberasse. Vnde opportunè videtur Erasmus hoc loco annotasse discrimen, inter cognoscere, & agnoscere: istosq; concedit, Deum cognouisse: sed negat agnouisse. Quia cognito Deo nõ tribuebant, quod debuerant. Et in summa, quod hîc dicitur, idem est, quod superius habetur: Cùm Deũ cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerũt: idemq; cũ eo, quod reprehenderat, veritatẽ detentam fuisse ab illis in mendacio. Licet Ambrosius hoc videatur exponere, quasi isti, licet Deum ex creaturis cognouissent, tamen visi sint nõ approbare, quòd Deus notitiã habeat eorũ, quæ fiunt à nobis. Putabant enim, illum nõ esse curiosum nostrarum actionum. Et ideo sibi ipsis spem faciebant impunitatis. Nõ est hæc absona expositio: & Pauli verbis aptari rectè potest. Sed quod Chrysost. hoc loco tradit, est etiam attentione dignum. Mens, inquit, hominis cum auriga comparatur: ideò in cursu non continget error, nisi ipsa fuerit turbata. Inde sunt omnia mala. Neq; illorum caro arbitranda est præcipuus fons. Ideò traduntur in reprobam mentem: quia notitiam Dei, quam habuerãt, non sunt iusta ratione complexi. *Vt facerent quæ non conueniebat.* Hoc est, quæ officium, & decorum prorsus exploderent.

Deum cognouerunt sed non agnouerunt.

Repleti omni iniustitia. Catalogus recensetur peccatorum, quasi carnificum, & vltorum Dei. Miramq; habet emphasin quòd isti dicantur repleti. Neq; absolutè dicitur, iniustitia: sed adiectũ est, omni, per ἐπίτασιν. Quoniã fieri potest, vt etiã pij homines interdũ aliquantulum prolabantur, & istorũ vitiorum in seipsis experiantur initia. Sed isti dicuntur & repleti, & vniuersa horum malorũ natura referti. Primùm ponitur iniustitia, nimirum, qua proximus afficitur iniuria. Additur scortatio, tacuit adulteriũ: quia, vt inquit Ambrosius, ex leuiori grauius euincitur. Nam si scortatio peccatum est, multò magis adulterium. Et, si prętermisisset scortationem, & adulterij tantùm meminisset, illi fortasis putassent, scortationem non esse peccatum. Quod ait fecisse Romanas leges: quæ præterita scortatione, adulterium puniebant. πονηρία. Significat studium, quo laboramus, vt alterum afficiamus malo. πλεονεξία. Vox deriuatur à πλέον & ἔχειν: & illi dicuntur πλεονέκται, qui in omnibus commodis satagunt, vt cæteris plus habeant, & cum damno proximi, atque iactura plus, quàm par sit, vsurpant: siue quoad opes, siue quoad voluptates, siue quoad honores. Κακία. Si generaliter sumatur, notat vitium, & opponitur τῇ ἀρετῇ. Quandoque est ignauia: vnde ἐκκακοῦμεν est dicere. Atque ita κακία illud vitium est, quo statim bene agendo defatigamur. Significat etiam afflictionem, quam ingerimus proximis. μεστοὺς φθόνου, φόνου, ἔριδος. Rursus ostendit, eos non vtcunque infectos esse malis, sed redundare. Inuidiam, & cædem rectè coniunxit.

Peccata carnifices Dei.

Humanæ leges non puniunt scortationem.

Primum enim homicidium Cain ortum est ex quadam inuidia. Rursus contentiones sequũtur perpetratis cædibus. Δόλου. Significantur fraudes: quos enim non possunt vi occidere, aut opprimere, eos dolis & astu circumueniunt. κακοηθείας. Hic taxantur asperi, morosi, atq; difficiles mores. Illi autem sunt eorum, qui ferè cum nemine versari possunt. Ψιθυριστὰς. Susurrones. Isti clam deferunt, quę audiunt, aut vident, & potissimum amicitijs insidiantur, vt eas pro viribus dirimant, atque dissoluant. Καταλάλους. Obtrectatores. Isti eo differunt à susurronibus, quòd palàm obloquuntur: illi verò clam deferunt. Θεοστυγεῖς. Isti Deum habent inuisum, vt de quo nollent vnquam audire, cogitare, aut loqui. Et Iulius Pollux in Onomastico suo ait, esse epitheton impiorum: dicitq; vocem esse tragicã. Sunt enim illi, qui dicunt Deo, Recede à nobis: scientiam viarum tuarũ nolumus. Ὑβριστὰς. Sunt contumelioſi, qui opprobrijs, & contũitijs, & turpibus iniurijs afficiunt proximos. Ὑπερηφάνους. Hi volunt vbique esse illustres, superbi, & fastuosi. Ἀλαζόνας. Iactabundos, notat Thrasones, milites gloriosos, qui sibi tribuunt, quæ nusquam aut visa, aut scripta, aut picta sint. Ἐφευρετὰς κακῶν. Isti sunt adeò mali, vt nihil boni, solidi, aut firmi possis eis proponere, quin aliquid mali ineſſe reperiant: Vel sunt, qui non contenti formis, & generibus vitiorum, quę nunc extant, noua genera scelerum machinantur. γονεῦσιν ἀπειθεῖς. Per parentes accipit, non tantùm progenitores, verùm etiam magistratus, præceptores, & pastores. Ἀσυνέτους. Qui nullo iudicio, aut ratione agunt, sed omnia per stultitiam, & furorem administrant. Ἀσυνθέτους. Isti pactis, & conuentionibus & fœderib. non manent. Sunt perfidi, & fœdifragi, Ἀσόργους. Qui nullo mouentur affectu erga eos, quos habent sibi coniunctos aliqua necessitudine. Non afficiuntur parentibus, non liberis, non fratribus, non patriæ, non amicis: & tandem nemini. Ἀσπόνδους. Hos dixeris Inconciliabiles, & implacabiles, cùm semel irritati fuerint, aut bellum susceperint. Ἀνελεήμονας. Demùm commemorat adeò crudeles, vt nulla tangantur misericordia. Sed hæc quatuor vitia postrema sic disponit Chrysostomus, vt per ἀσυνθέτους intelligat eos, qui neque illis conciliantur, cum quibus natura conueniunt. Equus equo, bos boui sese adiungit: sed isti nemini. Ἀσοργους facit, qui non afficiuntur necessarijs. Ἀσπόνδους, qui nulla fœdera, aut societates firmas habent. Ἀνελεήμονας, qui nullis misericordiam impendunt. Recensentur adeò diligenter hæc vitia, quòd illis, ceu notis quibusdam impietas deprehendatur. Nobisq; idcirco etiã referuntur, partim, vt videamus eorum calamitatem, qui extra Christum, & eius Euangelium viuunt: partim, vt ob oculos habeamus, contra quos hostes pugnandum sit.

Notæ impietatis.

Qui cùm Dei iustitiam nouerint, quod hi, qui talia faciunt digni sint morte, non solùm ea faciunt, verum etiam assentiuntur facientibus Per exaggerationem adhuc istos deprimit: cùm inquit, & prauos esse ipsos, & prauis impensè fauere: cùm tamen iustitiam Dei nossent. Nam & prudentes, & scientes peccant. Vnde Dei leges hominibus sint compertæ, non docet: quia omnibus patet id Naturæ lumine contingere. Et iustitiã hanc, quam homines naturaliter percipiunt, appellat iustitiam Dei: vt naturæ legẽ, Dei quoq; legẽ esse memineris. Non sunt ignari, quòd qui hæc, & id genus alia agunt, digni sint morte: quia lumen Naturæ monstrat, quod Paulus docuit, stipendium peccati mortem esse. Draco Legis lator omnia scelera capite puniuit. Et cùm moneretur, non esse paria omnium peccata, respondit, se quoque id scire: sed non habuisse aliquod grauius, acerbiusq; supplicium morte: & idcircò atrocioribus flagitijs nõ potuisse addere grauiores pœnas. Non tamen propterea fuisse committendum, vt leuiora peccata, quæ mortem commerebantur, ea non punirentur. Consentire facientibus, est eos foue re, amplecti, non reprehendere: imò collaudare, &, cùm aut docendi, aut concionandi, aut admonendi functio tibi commissa fuerit, ista dissimulare: vel, vt fit in Romana Curia, dispẽsare, pecunias accipere, transigere, atque vt loquuntur, componere de his, quæ ipsi pro manifestis flagitijs habent. Conatur Apostolus, vt annotauit Chrysostomus, huic hominum generi os prorsus oppilare. Nam si causati fuissent ignorationem, scribit, cùm Dei iustitiam cognouissent: sin verò infirmatem, adhuc rei sunt: quòd alijs idem facientibus consenserint, & applauserint. Sed cùm Paulus hic inuehat in eos, qui Deum cognitum non glorificauerunt, vt debuerant, atque sese idololatriæ addixerunt, num hos vniuersos reos peragemus tot atque tantorum criminum, quot, & quanta enumerari iam audiuimus? Certè fuerunt in Republica Romana aliquot satis præclari, & integri viri: vt Valerij, Catones, Scipiones: & apud Græcos vt Aristides, Phocio, Socrates: quos nõ legimus, tot ignominiosis turpibusq; sceleribus fuisse coopertos. Fuere, qui respondeant, quòd licet hi non omnibus his peccatis contaminati fuerint, tamẽ ex eis nemo extitit, quin saltem compluribus esset pollutus. Superbi sanè fuerunt, & nimis gloriæ, ac nominis appetentes. Deinde, quod citra controuersiam est, de Deo malè senserunt. At facilior videtur explicatio, si dixerimus, istos eosdem

Lex naturæ est lex Dei. Lumine naturæ notum est, peccata morte puniendo. Draco peccata omnia morte puniuit.

An omnes ethnici fuerunt totes tantorum criminum.

insignes

insignes viros, quod ad cor, & animum attinet, impuros & contaminatos fuisse: vt, qui Christum & mediatorem & propitiatorem non habuerint, per quem natiuæ cupiditates illis nō imputarentur ad peccatum. Neq; spiritus sanctus, aut gratia Christi aderat, quibus & reprimerentur à peccando, & etiam opera, quæ facerent ad gloriam Dei, ederent. Quare hæc illorum cordis immunditia, & naturalis inimicitia erga Deum, quantum in ipsa fuit, in omnia hæc scelera potuit erumpere: nisi Deus curasset, ne Respublicę sus q; deq; verterentur, neue omnis politica disciplina periret, vt aliqui subinde præclari viri fulgerent, quorum legibus, & puriore vtcunq; vita reliqui in ciuilibus officijs continerentur. Et licet istorum eorundē, quod attinet ad Deum, actiones peccata essent, tamen externo aspectu nón erant adeò cōmaculatæ, vt non possent alijs exemplo esse, & regula quædam ciuilis honestatis. Cæterùm isti tam pauci fuerunt, vt in maxima Philosophorum turba vnum, aut alterum vix posses recensere: & in infinita ciuilium hominum multitudine vix pauca, vt videmus, exempla moralium virtutum inuenire. Paulus q; de hominibus loquitur, vt sese passim offerūt. Quare perstat, quod ab eo dicitur, neque hac obiectione vacillat.

CAPVT SECVNDVM.

QVARE inexcusabilis es, ò homo, quisquis es qui iudicas. In eo enim, quod alterum iudicas, teipsum condemnas.

Duplex notitiæ genus.

Notitiæ genus in duas partes diducitur: quarum vna tantùm ad contemplationem pertinet: de qua iam inde ab initio satis superq; scripsit, ex obseruatione creatarum rerum istos potuisse ad vniuersi authorem, Deum Optimum max. pertingere: à quo per idololatriam cùm turpiter defecissent, probrosis affectibus traditi sunt puniendi. Altera notitia est, quam vocant practicē, quòd circa res agendas versetur. Hac quoque notitia Paulus hoc loco docet, eos fuisse abusos: quòd cùm nossent fas & ius rerum agendarum, partim alijs indulserint, & fauerint, cùm limites transgrederentur: partim quòd, si in alios animaduertebant, in seipsis tamen eadem peccata dissimularint. Et ita illos arguit, vt doceat, non euasuros esse iudicium Dei, licet alio rum hominum iudicium interim subterfugiant. Conatur itaque omnem illis adimere excusationem. Sumus adeo φίλαυτοι vt sæpè in alios non malè iudicemus: sed nos ipsos eadem, & grauiora peccantes facilè præterimus. Propterea inquit, Inexcusabilis es. Ex his, quæ dixerat, hoc infert: quia, quod attinet ad vtranque notitiam, deprehenduntur, & scientes, & volentes peccare. Opinatus est Origenes, hanc non esse satis congruam capitis distinctionem, cùm tam apertè, quæ hic dicuntur, à superioribus pendeant. Et Ambrosius existimauit, hoc loco esse occupationem in eos, qui fortasis excusarent, se licet prolabantur, non tamen consentire agentibus iniustè. Quos vult admoneri, vt cùm seueriter in alios animaduertant, in seipsos tandem fore idem iudicium. Cur autem videatur Apostolus, solùm præcidere excusationem ignorationis, iam antea causam exposuimus: quòd alteram excusationem infirmitatis Ethnici, qui omnia libero arbitrio tribuebant, nunquam prætexuissent. Ideò ab hoc latere fuerunt vrgendi, vt intelligerent, notitiam sibi minimè satis fuisse. Præterea, propositum Apostoli est, eos à lege, & Philosophia reuocare: quarum duarum rerum munus est potissimum vt doceant. Ideò, cùm ostenderit, notitiam per seipsam non fuisse satis ad iustificandum, apertissimè statuit, neque à Philosophia, neq; à lege, id expectari posse. Naturali lumine istos cognouisse, quæ agenda erant, hoc signo patefacit, quòd de illis iudicare potuerint. Nemo autem de his, quę prorsus ignorat, ferre potest iudicium. Sed quàm Ethnicorum sapientes acumine iudicandi excelluerint, declarant pulcherrimæ leges, insignes libri, quos ediderunt, & definitiones, quæ ad eorum tribunalia, cùm dicerent ius, ab eis constitutæ sunt. Arbitratur Chrysostomus, idcirco hæc ad Romanos scribi, quòd tum rerū potirentur, & iudicia ferme omnium prouinciarū illuc pertraherentur. Sed certè ea, quę hîc scribit Apostolus, omnes attingūt. Nullus enim inuenitur sana ratione præditus, qui de his vel secum ipse, vel cum alijs non disserat, quæ publicè, aut priuatim geri viderit, eaq; aut laudet, aut vituperet, prout à naturali iustitia vel abhorrēt, vel cum ea consentiunt. Sed cùm de alijs iudicent, de seipsis inprimis iudicare debuerūt: quoniam illis constat, non solùm, quid agant, verum etiam, quo animo agant: quod in alijs haud facilè possunt intueri. Verùm sibi ipsis parcunt, & eadem faciunt, quæ iudicant. Illis ergo quò terrorem incutiat, Paulus inquit:

Ethnici acumine iudicij ualuerūt

Melius quisque de seipso iudicare posset quàm de alijs.

Scimus autem quod iudicium est secundum ueritatem aduersus eos, qui talia faciunt. Cogitas autem, ô homo, qui iudicas eos, qui talia faciunt, & facis eadem, quòd tu effugies iudicium Dei? Suaipsorum peccata dissimulabant, vel quòd putarent, Deum, quæ ab hominibus aguntur, parùm curare: aduersus quem errorem Apostolus inquit, certissimum esse, Deum hæc iudicaturum, & quidem secundum veritatem. Alioqui, vt dicit Ambrosius, malus artifex haberet, vt qui suum opus negligeret. Cumq; optima sint, quæ fecit, eaq;, vt constantia, & ordo rerũ demonstrat, à sua curâ non abiecerit, quomodo putare audent, hominem, qui est omniũ rerum conditarum præstantissimus, extra Dei curã, & præsentiam degere? Alij fortasse ideo persuadebantur, vt contra suum ipsorum iudicium peccarent, & impunè se laturos id putarent, quòd animaduerterent, Deum supplicia differre. Quam erroneã opinionẽ postea cõuellit, dicendo: Num diuitias bonitatis eius, patientię, & longanimitatis contẽnis? Sed quoniam videntur taxari, quòd alios iudicent, & quidem non malè, cùm tamen ipsi versentur in eisdem sceleribus, videndum est, an illi rectè sentiant, qui opinantur, iudices, quãdo sunt rei eiusdem criminis, non posse, nec debere iudicium in alios exercere, qui accusantur. Sed hoc esset Respublicas euertere, ac iudicia funditus tollere. Neq; huic sententiæ Paulus astipulatur: sed tantùm ostendit, eos maximè peccare, qui iusta securitate animaduertunt in alios, & seipsos prætereunt. Deberent sanè corrigere, atq; emendare seipsos. Non tamen iubet Paulus, vt deserant commissam sibi prouinciã. Solent huc citare & Christi dictũ, ad eos, qui persequebantur adulteram: Qui vestrum sine peccato est, primus in illam lapidem mittat. Verùm hæc Christi sententia non aduersatur iustis pœnis, & legitimis iudicijs. Neq; præcepit illis, vt mulierem, quam deprehenderant in adulterio, non pergerent accusare. Ipse non erat magistratus, sed summus Dei concionator. Ideo, quod sui muneris fuit, exequutus est, suadendo illis hypocritis pœnitentiam. Voluitq; prius vt id curarent, vt semeipsos à peccatis, quibus obstringebantur, eximerent, per vitam fidem, & pœnitentiam. Neque prohibebat, quin, quod lex Mosis præcipiebat, exequerentur. Videbat impios in his punitionibus duplici vitio laborare. Primùm enim iuuabat eos pœna, & suppliciũ, quod sumebatur de proximo: quem persequendo ad tribunalia & iudicia, sua priuatim odia, & inimicitias exaturabant. Alterum erat crimen hypocriseos: quòd cùm ipsi alioqui ab eisdem sceleribus non abhorrerent, peccatores accusando, simulabant studium legis. Hęc Christus emendata voluit. Mulierem non condemnauit: quia iudicijs politicis non præfuit. Non accusauit magistratibus: quia illam in adulterio non deprehẽderat. Quare cũ testis non esset idoneus, lege nõ astringebatur, huiusmodi accusationẽ persequi. Sed quod suę functionis erat, non prętermisit: quippe illã monuit, vt postea à peccato abstineret. Item cùm nobis occurrit aliquod proximi nostri flagitium, Deus minimè requirit, vt de illo ex eius natura ne iudicemus. Nam vę nobis, vt Propheta dicebat, si bonum malum dixerimus. Quod malum est, prout est, iudicetur oportet. Nec minus debemus, aut iudicium suspendere, aut oculos auertere ab his, quæ re vera mala sunt. Quòd si senserimus nos quoq; vitio eodem teneri, in nos ipsos descendamus, nosq; debita castigatione redarguamus. Atq; hinc fiet, vt ipsi per pœnitentiã correpti, fratrẽ peccantem & dexterius, & fructuosius admoneamus. Neq; pugnat cum his Matthæi sententia cap. 7. Nolite iudicare, & non iudicabimini. Quia illic nõ agitur de fraterna admonitione tollenda: sed tantùm impiorum curiositas reprimitur: qui, cùm omni vitiorum genere scateant, aliorũ peccata diligentissimè vestigant: non quò illa emendent, sed quòd multitudine peccantium se oblectent, & putent societate suã causam releuari. Pij nõ laborant ista curiositate: vt qui in sua peccata, & quotidianos defectus perpetuò habeãt oculos defixos: ita, vt eis non vacet, nisi sese offerant, aliena delicta considerare. Prętera non gaudent, neq; se oblectant proximorum damnatione, præsertim quæ temerè fiat. Nam sciunt fratrem suũ, cùm Dei sit, domino suo vel stare, vel cadere. Verùm de priuatis hominibus nunc agimus, non autem de magistratibus, aut pastoribus: quibus incumbit ex officio in vitam, & mores eorum, qui suæ fidei commissi sunt, inquirere. Quare omnes tam subditi, quàm præfecti, peccata, quæ sese obijciunt, iudicare debent, monendo, & puniendo, quisq; pro suo officio, ne vitia propagentur. Id verò maximè obseruandum, vt nunc Paulus docet, ne quæ à nobis perperam fiunt, dissimulemus. Nam, vt ait, quo alterũ iudicamus, nos ipsos condemnamus, eadem sententia, qua plectimus alios, nos ipsos ferit: & cùm nõ possimus iudicium nostrũ effugere, quomodo fugiemus iudicium Dei, quod est secundũ veritatẽ? Nõ enim tum accidet, quod nũc fieri videmus, vt in eodem genere criminis vnus damnetur, alter euadat. Prout erunt facta nostra ita iudicabuntur. Nunc sibi ipsis parcunt homines: & seueri sunt in alios. At in Dei iudicio id minimè fiet. Restat igitur, vt eandem seueritatem in nos ipsos exerceamus,

Rationes cur de us homines sit iudicaturus.

An iudex obnoxius alicui criminis possit iudicare accusatum eiusdem criminis.

Locus Ioannis de adultera.

Quãdo peccata proximi occurrunt quid agẽdũ

Quomodo intelligendum nolite iudicare.

mus, quam alijs iudicandis adhibemus. Quod religionis aduersarij, quàm parùm præstent, inde apparet, quòd passim clamant in matrimonia sacerdotum, quòd illis videantur impura: Seipsos interim transeunt, omni libidinum genere coopertos. Vota clamitant non reddi: & minimè cogitant, quid ipsi Deo promiserint in baptismo. Conqueruntur ieiunia esse abiecta, quæ homines præceperunt: & ipsi luxus ac delitiarum nullum faciunt modum. Lamentantur, sacramenta à nostris indignè negligi: cùm ipsi ea hactenus vendiderint, mutilauerint, & mendacijs suæ transubstantiationis turpiter deformarint.

Papistæ in quib. nos damnant, seipsos palpant.

Summa doctrinæ Pauli est, vt alios iudicantes, in nos ipsos descendamus: cùm certissimum sit, fore Dei iudicium secundum veritatem. Id circò studendum est pro viribus, vt tanto iudici vitam, & mores nostros approbemus.

Sed peccare, & peccantibus consentire, quod anteà impijs obiecerat, cùm eo quod postea dixit, Eos in alios animaduertere, sibi verò ipsis parcere, videtur pugnare, Quomodo enim consentiunt alijs malè agentibus, si iudicio suo illos notant? Sed Apostolus non loquitur generaliter. Atque idem morbus φιλαυτίας eos incitat, vt & sibi parcant, & eis, quibus coniuncti sunt aliqua necessitudine, foueant, et complectantur, cùm laborent eisdem vitijs, quibus ipsi tenentur: alienos verò, & eos, quibus non afficiuntur, suo iudicio seueriùs simè notent, si quando peccauerint. Quod in historia Dauidis perspicuum est. Quia, cùm Nathan Propheta detulisset ad illum crudele factum diuitis, Rex in hæc verba prorupit: Filius mortis est, qui hoc perpetrauit. Cui Propheta ostendit, ipsummet illum fuisse, qui hoc tantùm facinus admiserit, seuerus in alium erat, & seipsum peccantem tandiu dissimulauerat.

Iidē homines & seueri sunt in alios & in suos indulgentes.

Exemplum Dauidis.

An diuitias bonitatis eius, patientiæ, & lenitatis contemnis? In amplificandis insignibus Dei proprietatibus, scriptura diuitiarum vocabulo persæpè vtitur: cùm bona diuina finibus nō sint contracta, sed copiæ cornu, vt Latini dicunt, exuberent. Neque bonitas hoc loco est idem, quod probitas, iustitia, vel temperantia. Sed est propensio & studium ad iuuandum proximum. Nam vox Græca χρηστότης ab vtilitate & commodo inclinatur. Hanc Dei benignitatem partim attigit Christus, cùm diceret, Deum patrem nostrum oriri facere solem suum super bonos, & malos: & pluere super iustos & iniustos: partim verò hîc exprimit Paulus, cùm asserit, Deum tolerantia quadam hominum flagitia ferre. Hoc enim loco Paulus alterum fundamentum demolitur, quo impij nituntur persuadere sibi impunitatem, ex eo, quòd Deus supplicia differt inferre. Non hoc, inquit, eo fit, quòd Deus ista negligat, aut multa velit: sed lenitate, ac patientia fert ad tempus: alioqui ea suo tempore grauiter iudicaturus. Estq; vox admodum efficax ad animos percellendos, Tolerātia: quasi Deus laboret nostras iniquitates ferendo. Non enim tolerare dicimur, nisi ea, quæ sua natura & inuisa, & molesta sunt. Quas easdem loquutiones habemus primùm in Esaia Propheta, cùm ad impium Regem Achab dixit: Num parum est vobis domus Dauid, quòd molesti estis hominibus, nisi Deo quoque molesti sitis? Atque idem Propheta Deum loquentem inducit de sacrificijs & obseruationibus impiorum, quòd eas vlterius tolerare non posset, sed ferendo laboret. Nam absque fide ac pietate ceremonijs incumbebant. Et in Psalmo suo Dauid fecit Deum conqueri, quòd per annos quadraginta generatio Israelis molesta sibi fuerit in deserto, quòd corde semper aberrauerint. Et patientia Dei, quæ debuit istis conducere, vt resipiscerent, eorum vitio nihil proficiebat. Quod nunc exprobrat, dicens:

Diuitiarū uocabulo quomodo scriptura utatur

Fundamentū impiorum quo sibi pollicētur impunitatem.

Ad pœnitentiam hæc te adducunt, si nescias. Annotauit Augustinus, id quoad electos, & prædestinatos locum habere: qui per hanc Dei tolerantiam tandem salutem adipiscuntur: licet, dum peccant, & maturè non resipiscunt, quod ad ipsos attinet, iram Dei sibi coaceruent. Verùm eos ipse non deserit, sine cuius impulsu, spiritu, & gratia frustrà esset lenitas & patientia. Atque Deo ascribendam esse lapsorum resipiscentiam, epistola ad Timotheum scripta satis euidenter docet. Ibi enim Episcopum instituit, vt docendi rationem teneat, quò sine contentione instituat eos, cùm quibus agit, si fortè Deus det illis, vt resipiscant.

Tollerantia Dei electis & prædestinatis prodest.

Hæc tamen suppliciorum dilatio sua natura inuitare homines videtur, vt ad Deum redeant: licet non in omnibus eandem habeat efficaciam. Quamobrem cùm aliquos videmus puniri, dum nobis parcitur, conuenit, vt expendamus hanc Dei beneuolentiam, qua nos ferre vult, vt nos ipsos corrigamus: quod Christus admo-

A Deo est resipiscentia lapsorū.

nuit, cùm diceret, quando nuntiabantur aliquot oppressi ruina turris Syloa: Num putatis, quòd illi soli peccauerint? Ac si diceret: Non illi tantùm id supplicij commeriti sunt, sed multi alij hæc eadem pati debuissent: sed Deus vult exempla quædam particularia edere sui iudicij, quod generale quandoque futurum est. Differtur quidem punitio impiorum: sed omnino aderit constituto tempore. Parabola de ficu, quam paterfamiliâs excindi voluit, cùm fructum non ferret, huius eiusdem rei nos admonet. Impetrauit enim colonus, vt eius excisio nonnihil extraheretur: quòd vellet eam stercore, ac lætamine adhuc excolere: si fortassis fructum produceret. Quod si non contingeret, tunc non solùm futurum erat, vt extirparetur, verùm etiam vt in ignem mitteretur. Docemur hîc, vt fratres nostros, dum peccant, non illicò deseramus: sed patienter aliquantisper expectemus, vt que, quemadmodum Deus ipse facit, beneficijs eos ad resipiscendum prouocemus, admonitione fraterna interim non omissa.

Cur Deus aliquos non omnes puniat.

Erga peccantes fratres quid agendum.

Sed animaduersione dignum est, istos eosdem, quos paulò antè dixerat punitos fuisse, cùm traderentur cupiditatibus cordis sui, & affectibus ignominiosis, & reprobę menti, hoc loco commemorari, denuò plectendos esse. Quod ideo fit, quia primùm illud genus punitionis ad voluptates & delitias traxerint. Ostendit enim, fore quandoque, vt vltionem subeant tum grauem, tum etiam molestam. Sed hoc quo pacto consentit cum his, quæ à Nahum Propheta primo capite dicuntur? Non iudicari, aut puniri bis in idipsum. Cùm semel isti puniti fuerint, cur aliud supplicium rursus adijcitur? Certè ea sententia, quæ adeò vulgata est, Deum bis non punire, nequaquam sic habet in Propheta: Licet in septuaginta interpretibus legatur. Verba sic habent: Quid cogitatis contra Dominum? Ipse consummationem faciet: neque consurget altera vice tribulatio. Quæ interpretantur Hebræi nonnulli, vt Hieronymus refert, de Assyrijs: qui cùm prima vice obtinuissent aduersus regnum decem tribuum, cogitabant, se posse similiter prævalere aduersus regnum Iuda. Quod Propheta negat futurum: & ait, post priorem tribulationem posteriorem non consecuturam. Potest quidem ferri hæc expositio: Verùm dilucidior est altera: vt ista dicantur contra Sinnacherib, qui Hierusalem obsidebat: cui Deus minatus est absolutam perfectámque contritionem. Te, inquit, sic delebo, vt necessarium non sit futurum altera vice in te insurgere. Satis erit vna plaga: tam vehementer ea affligeris. Neque somniauit Propheta, vt multi fingunt, Deo præscribi modum pœnarum: quasi non liceat ei, nisi semel, in eundem animaduertere. Quod si daretur, diceremus Aegyptios, cùm in mari rubro pœnas dederint, nunc à gehenna esse liberos: Et qui in Sodomis, & in diluuio malè perierunt, eos nunc tandem quiescere. Quæ citra controuersiam absurda sunt. Vt enim quidam in hac vita percipiunt spiritum, atque gratiam, quasi arrhabonem venturæ fœlicitatis, vt qui tum hîc, tum in futuro habituri sint remunerationem: ita fieri potest è diuerso, vt aliquorum supplicia incipiant in hac vita, in alio seculo augenda: quemadmodum Herodem, Neronem, atque Saulem existimari potest, pœnas quas hîc gustarunt, nunc experiri longè grauiores.

Deus non semel, sed duplici supplicio punit impios.

Locus Nahũ prophetæ declaratur.

Deo nõ præscribitur modus pœnarum, quasi nõ liceat ei punire nisi semel.

Impiorũ supplicia sæpe in hac uita inchoãtur, grauioresq; in futuro seculo affliguntur.

Non tamen interim negauerim, Deum quoad suos electos, contentum esse his pœnis, atque supplicijs, quæ de illis in hac vita sumit. Vt Paulus dicebat ad Corinthios tradendum esse satanæ quendam, vt spiritus eius in die Domini saluus esset. Et rursus, ait, nonnullos hîc à Domino corripi, ne cum hoc mundo damnentur. Sed quando velit Deus hoc pacto agere, vel vti ea seueritate, vt & hîc, & postea crucíet, nostræ cognitioni minimè subijcitur. Quare iuxta Christi mandatum semper timendus est: cùm habeat potestatem & occidendi corpus, & mittendi animas in Gehennam. Id tamen pronuntiare licet, eos, qui afflicti pereunt, nisi resipuerint, rursus grauius esse torquendos: & eos vicissim, qui admoniti flagellis ad Christum reuersi fuerint, præsentibus pœnis huius vitæ satis castigatos æternam salutem esse consequuturos.

Sancti pœnis huius uitæ solũ affliguntur.

Quare iuxta id, quod diximus, Paulus istos monet, licet vtcunque puniti fuerint, nisi pœnitentiam egerint, eos manere in die iudicij longè grauiora. Vult que Dei patientiam, qua tolerat eos, non portendere impunitatem, sed occasionem illis præbere, vt verè incipiant pœnitere.

Dei patiẽtia nõ portendit impunitatẽ peccãtib.

Prædicatur Deus, & misericors, & bonus: sed ita tamen, vt eius tolerantia & lenitas fines ac terminos habeant. Et coactus est Apostolus propter hanc dilationem pœnarum, quæ in hac vita sese offert, extremi iudicij mentionem facere. Alioqui, cùm

cùm in hac vita multi prætereantur, & cum alijs seuerissimè agatur, posset existimari Deus, iniustè agere. Quamobrem vrget eos timore extremi iudicij: & extractione vltionis vult grauitatem conciliare pœnarum. Quod etiam Valerius Max. scriptor Ethnicus iudicauit, Deum grauitate supplicij compensare puniendi tarditatem. Vnde perspicuum est, Paulum, cùm disputet aduersus Ethnicos, qui sacras literas minimè nouerant, ex his eos coarguere, quæ Naturæ lumine cognosci possint. Est igitur naturalis quædam notitia in animis hominum insita, de iudicio Dei post hanc vitam futuro: quod fabulæ etiam poetarum indicant, qui Minoem, Radamanthum, & Aeacum apud inferos iudices collocarunt. Grauius itaque punientur, qui diutius tolerati fuerint: quòd eorum peccatis nonnihil ponderis adiiciat Dei contemptus: qui illis obrepsisse videtur, dum sic diu lenitatem & patientiam eius neglexerunt.

Notitia futuri iudicij hominibus naturaliter insita.

Tu autem secundum duritiem tuam & impœnitens cor, coaceruas tibi iram in die iræ. Durum est cor, quod beneficijs Dei non emolliatur, neque minis, aut timore pœnarum frangatur. Et hanc rebellionem erga Deum partim ex originali peccato contrahimus, partim uerò ex frequenti usu peccandi: ita, ut quodammodo callum obduxerimus. Probe credere, cùm ad virtutem pertineat, duo habet extrema. Ex vna parte tanta est facilitas, vt quiduis aliqui velint credere: siue humanum inuentum, siue superstitionem, siue Dei verbũ illis proposueris: quod planè vitiosum est. Ex altera parte tanta est difficultas ad credendum, vt ne illud quidem velint admittere, quod perspicuum est statui à verbo Dei: nec omnino velint credere, nisi suæ rationi fuerit satisfactum. Inter hæc duo præcipitia est quiddam moderatum, vt facilè credamus, quæ piè offeruntur credenda religioso adhibito examine sacrarum literarum. Omnia enim ad eam regulam sunt exquirenda. Vtitur Paulus Græco verbo θησαυρίζειν: quod seponere, aut recondere significat. Consueuimus autem ea reponere in thesauris, quibus in præsentia non vtimur, sed alio tempore sumus vsuri. Idq; illis impijs optimè congruit. Iram quippe Dei tunc non experiebantur, quam tamen postea sensuri erant: idq; eò cumulatius, quò maiores fiunt opes, quæ subinde singulo quoque die coaceruantur. Prudenter ait, istos sibi ipsis iram congregare: ne in Dei crudelitatem istas pœnas reiiciant. Docet hac locutione, illos ipsos esse, qui malum sibi accersant. Estq; hæc vox thesaurizandi satis familiaris sacris literis. In Deuteron. cap. 32. de transgressionibus Israelitarum, Deus ait, eas conditas esse in suis thesauris. Et Hieremias cap. 50. Deum comminatur effusurum esse thesaurum iræ atque indignationis suæ. Quodq; subditur,

Durum cor. Vnde rebellio aduersus Deum.

In credendo medium tenendum & duo cauenda præcipitia.

Thesaurizandi metaphora frequens in sacris literis.

In die iræ, Quãdoq; cõtingit in hac vita, cùm Deus videt, nolle amplius ferre, & aliqua suæ seueritatis edit specimina: quod factũ videmus in captiuitate Babylonica, euersione Sodomę, & Aegyptiorũ exitio. Et Prophetę passim acerbissimas vltiones Dei hoc titulo describũt, q; in die iræ sint repositę. Et accipit ira hîc pro vltione, eo tropi genere, quo cõsequẽs in eo, quod antecedit, exprimit. Sed cõmodũ est, vt quę hic describunt, ad extremũ iudicij diẽ referant: quod trib. notis exprimit. Primùm per irã, deinde per reuelationẽ, postremò per iustitiam. Vltionem Deo vendicat: ne putetur parui momenti: Reuelationem quoque addit, quòd hîc res occultæ sint: ibi verò omnia occulta patefiant. Adiecit & vocem δικαιοκρισίας: ne, vt Chrysostomus annotauit, aliqui sibi persuadeant, iudicium Dei ex animo iracundo profecturum esse. Grauis certè declarabitur vltio: sed quę iustitiam coniunctam habeat. Quare nos oporteret illud tribunal extremum perpetuò habere ob oculos: neque vnquam officia atque actiones obire, nisi mentis aciem in illud habeamus conuersam. Atque hoc est ambulare coram Domino: quod vt faceret, Abrahamo imperatum est: & à nobis persæpè requiritur. Neque aliud est, ambulare coram Deo, quàm illum putare quàm intentissimè intueri quæcũque agimus. Sed mirum est, proh dolor, quàm sublata sit è conspectu impiorum iudicij quandoque futuri cogitatio.

Quid sit dies iræ

Tres notæ extremi iudicij.

Ambulare corã Domino.

Reddet unicuique iuxta opera sua. Quando cuique ait reddendum esse, perspicuè significat, nullos hoc examen euasuros. In hominum iudicijs frequenter accidit, vt vnus puniatur, alter verò ne accusetur quidem. Subdit, *iuxta opera sua*, vt intelligamus, non fore personarum acceptionem. Causarum tantùm ratio, non hominum habebitur. Cuiuscunque fuerint status, aut conditionis, prout eorum opera, & facta fuerint, iudicabuntur. Est quidem nunc ampla Dei misericordia: sed ita, vt iustitiæ seueritas non desit. Moses, licet audierit multas Dei proprietates, quæ ad eius bonitatem, & clementiam exprimendam facerent, hoc est, quòd esset misericors, clemens, tardus ad iram, diues misericordię, & veritatis, qui reseruaret pietatem, seu misericordiam in millia posterorum: attamen ad finem sensit addi, quòd nocentem hominem non esset pronuntiaturus innocentem: & quòd visitet peccata patrum in filios in

Rationem causæ Deus habet non hominum.

Moses intellexit misericordiã dei cum iustitia temperandam.

tertiam, & quartam generationem. Quoniam verò hunc locum, qui nimium tribuunt operibus, & illis confidunt, se adepturos vitam æternam, sæpius adducere solent, constitui pauca exponere, de operibus quid sentiendum sit. Vberiorem verò doctrinam hac de re posthea videbimus, cùm disputatio de iustificatione inducetur. Quæ autem in præsentia dicentur compendiò, fusius deinde per singulas partes excutiemus. In primis cogitandum est, nos minimè differi, quòd hîc habetur, reddendum esse cuique iuxta opera sua. Sed nõ tantùm inest boni bonis operibus, quãtum est bonum æterna felicitas. Imò longius hæc à se mutuò distant, quàm cœlum à terra. Præterea nulla censenda sunt bona opera, quæ fidei non innituntur, eamq; habeant pro radice, vnde pullulent. Idcircò, quod operibus promitti videtur, id re vera per fidem consequimur, quæ illis operibus circumuestitur. Quoniamq; fides apprehendit Dei misericordiam, & promissiones in Christo, ideò per misericordiam & Christum, quæ sunt obiecta fidei, felices erimus. Hæ sunt causæ verę, atq; potissimę vitę æternæ: Clementia, inquam, Dei, Electio, prædestinatio, & Christi merita. Sed addit sæpe Deus in scripturis opera, quò nos alioqui ignauos, & pigros excitet ad rectè viuendum. Et opera dignatur hoc honoris genere, vt illis præmia insignia repromittere videatur. Quam rem si exactius volumus inspicere, expẽdamus, quę summus iudex dicturus sit extremo die. Examinẽ quippe bonorum operum habebit: dicetq; se cibatum, potatum, visitatum &c. Sed post hanc operum approbationem, adiudicãdo sanctis regnum, & vitam æternam, exprimit potissimam causam, quæ nos felices ac beatos facit. Ait enim, venite benedicti patris mei, & possidete regnum, quod vobis paratũ est ab origine mundi. Has causas asserit beatitudinis nostræ, quòd chari simus Deo, & benedictione prædestinationis, & electionis donati. Et ideò inquit, paratum esse nobis regnũ ab origine mundi. Opera quidem interueniunt: at nõ vt causæ. Idcircò monebat Christus, Cùm feceritis hæc omnia, dicite, serui inutiles sumus: quæ debuimus facere, fecimus. Neq; moramur cauillum quorundam dicentium, Ideò nos esse seruos inutiles, quòd nostra bona opera Deo nihil commodent. Siquidem non egeat Deus nostris bonis. Verùm, inquiunt, negari nõ debet, quin simus per bona opera nobis ipsis vtiles. Fatemur enim, vtile nobis esse, quòd bene viuamus. Sed ea vtilitas nõ tribuenda est nostris operibus, vt causę sint futuræ beatitudinis. Nihil eñ habemus in nobis, quo Deũ nobis obligatum & obstrictũ reddere possimus. Nam quicquid agimus, id omne Deo debemus, & longè plura, quàm possimus præstare. Vnde, quemadmodum Christus monuit, dominus seruo suo, cùm ille officium suum fecerit, nequaquam agit gratias. Quòd si seruus non potest dominum suũ sibi obstringere benefaciẽdo, vt sibi gratias agat, quomodo eum obligabit ad magna præmia reddenda? Ideò meriti nomen, si propriè loqui volumus, debet ab ore nostro prorsus abesse. Scio, patres quandoque vsos esse ea voce: non tamen propriè. Sed in sacris literis vox ea omninò non habetur. Nam natura meriti est, vt inter id, quod datur, & id, quod accipitur, sit iusta proportio, & æquabilis ratio. Verùm inter bona, quæ exspectamus, & ea, quæ vel patimur, vel facimus, non est vlla conuenientia. Paulus enim dicit, Non esse condignas passiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Præterea meritum habet coniunctum debitum: quod Paulus testatur, cùm inquit: Ei, qui operatur, merces redditur secundum debitum: & non imputatur secundum gratiam. Qui tamen idem diserte scribit, gratiam Dei esse vitam æternam. Postremò exigitur ad rationem meriti, vt id, quod datur, ad largientem pertineat, neque debeatur ei, qui accipit. At opera minimè sunt ex nobis. Dicuntur enim dona Dei, quæ ipse in nobis faciat. Quare Augustinus prudenter aiebat, Deum in nobis coronare dona sua. Iam si opera nostra illi debentur, quod non possumus negare, profectò meriti ratio prorsus tollitur. Dicitur quandoque in sacris literis vita æterna merces. Sed tunc non est ea, quam Paulus scribit, secundum debitum dari: sed est idem ac si dicatur, recompensatio. Voluit Deus, istam connexionem, vt ad bona opera sequatur beatitudo: non tamen vt effectus causam, sed vt aliquid coniunctum cum illis ex Dei constitutione. Idcircò non oportet operibus fidere, quòd imbecilla, & infirma sint, & semper vacillent, ac nutent. Quare promissiones Dei ab illis non pendẽt: neque habent ea in seipsis, quà sunt ex nobis, quo possint mouere Deum ad nos beandos. Dicemus ergo, Deũ, iudicare secundũ opera: quia prout illa fuerint, vel bona, vel mala, aut ętернã vitã consequemur, aut ętetnã damnationẽ. Sed nõ inde sequit, opera causas esse nostræ salutis. Sensus noster iudicat, hæc duo inter se pugnare, quòd aliquid gratis detur, & opera nihilominus requirantur. Quod non est verum. Nam secum optimè congruunt: quod suo loco demonstrabitur. Abundè nunc diximus, quoad hãc loquutionem Pauli & scripturæ. Quæcq; modò sunt allata, ea diligentius per se singula suis in locis examinabuntur.

De operibus.

In bona opera nostra & æternam felicitatẽ non est iusta proportio.

Nulla sunt bona opera extra fidẽ

Quæ operib. promittũtur per fidẽ consequimur.

Causæ nostræ salutis.

Cur Deus operibus honorem habeat.

Verba extremi iudicij expenduntur.

Nõ sunt causæ felicitatis opera.

Locus ex Luca quomodo serui inutiles dicamur

Non possumus operibus nobis obligare Deum.

Meriti nomen abdicandum.

Meriti natura.

Vita æterna quomodo aliquando merces appellatur.

Quomodo beatitudo sequatur ad bona opera.

Ista non pugnant beatitudinẽ gratis dari et opera bona requiri.

His

His qui secundum patientiam boni operis gloriam, & honorem, & immortalitatem quærunt, uitam æternam. Ambrosius legit, Gloriam, & honorem, & immortalitatem reddenda esse his, qui vitam æternam inquirunt. Quod non faciunt impij homines: qui potius satagunt, vt seipsos admoueant ad honores, diuitias, & voluptates huius mundi: quod est perdite viuere. Sed pij & sancti vitam æternam quærunt, vt prompte seipsos moueant ad cognoscendum & amandum Deum, ad eum colendum, & de proximis bene merendum. Quod ipsum est æterna vita, sed inchoata: perficietur autem in alio seculo. Solet scriptura per vitam æternam, beatitudinem, quam expectamus, denotare. Nam inter alia vita existimatur, vt Aristoteles tradit in Politicis, multa habere commoda in se ipsa. Ideò multa, & grauia ferunt homines, vt eam sibi retineant: nisi fortassis pondere calamitatum vincantur, vt optent mori. Sed planior est lectio, vt dicamus, Deum vitam æternam dare his, qui per patientiam boni operis quærunt gloriam, honorem, & immortalitatem. Certè bene viuendo quærunt sancti instaurationem ad imaginem Dei: quam consequitur gloria, honor, & immortalitas. Adiecta autem postremò immortalitas est, ne putentur quærere gloriam, & honorem huius mundi. Nam illa citò pereunt: & ab his offeruntur, qui facilè mutantur: & nos, qui ea hîc accipimus, citò sumus morituri. Sed ea, quæ inquiruntur à nobis, sempiterna sunt, & immortalia.

Vita res præclara.

Iuxta patientiam boni operis. Hoc ideò dicit, quia, vt alibi scribit, qui piè volunt viuere in Christo Iesu, persequutionem patientur. Et bonis operibus non tantùm diabolus & caro nostra, sed etiam praui homines aduersantur. Cùmq; inter opera bona illa primas habeant, quibus proximos nostros ad vera, solida, firmaq; bona consequenda iuuamus, docendo, monendo, corripiendo, ijs præ cæteris operam damus. At illi vicissim interdum grauiter ferunt, & persequutiones aduersus nos excitant, vt Prophetis, Apostolis, & Martyribus contigit. Nos tamen haudquaquam oportet ea re desistere. Augustinus epistola quinquagesima monebat, Donatistas, licet in Catholicos impiè & crudeliter sæuirent, tamen non esse deserendos. Et simile affert de equis, & mulis, qui calcitrant, & mordent, quando eorum vlcera curantur: non tamen homines cessant ab eis medicandis. Quod officium si iumentis præstatur, certè multò magis debetur hominibus. Res est sanè difficilis, forti animo perferre impedimenta, quæ bonis operibus obstant. Sed omnia pulchra difficilia. Et cùm omnes fermè vitam æternam appetamus, suscipere deberemus hanc bonorum operum tolerantiam. Sed à proposito non est alienum, videre, quomodo sancti valeant, hanc tolerantiam sibi vendicare, cùm subinde peccemus: & si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus. Respondemus duplex esse lapsuum genus. Quidam sunt quotidiani ferè, à praua concupiscentia nobis ingenerata ex originali peccato: Quæ ideò etiam nunc in regeneratis viget, quòd non sint adhuc prorsus instaurati, neque semper agant ex principio suæ regenerationis. Rapiuntur interdum ex infirmitate, & imprudentia ab illecebris huius mundi: sed semper dolent, reluctantur, atque expediri cupiunt. Idcircò vnà cum Paulo dicunt: Iam non ego operor illud, sed, quod habitat in me, peccatum. Quare dum sic sunt affecti, & à studio implendæ voluntatis Dei non cessant, dicuntur perseuerare, ac tolerantiam boni operis exercere. Sin autem labantur in crassiora scelera, vt Dauid, & Petrus, interrumpitur quidem nonnihil ista tolerantia: sed quia, cùm ad electos pertineant, reuocantur ad pœnitentiam, eis, quod amiserant, condonatur, & coram Deo non amplius existit. Ideò iudicantur secundum bona opera, quæ ante lapsum fecerunt, & post lapsum faciunt: ita, vt illa perseuerantiæ intercisio deleta per pœnitentiam non extet. Agendum quoque de his est, qui extremo tempore vitæ resipiscunt: qui nec iuxta sua opera bona videntur posse iudicari, quæ nulla prius habuerint: neque illis attribui potest boni operis tolerantia.

Quare patientia in bene agẽdo sit necessaria.

Simile.

Quæ sit sancta tollerantia.

Duplex genus lapsuum.

Qui moriẽdo resipiscũt an iuxta opera sua iudicentur.

Sed sciendum est, fidem nusquam posse vacuam esse bonis operibus. Idcircò isti licet extrema hora redeant, si credunt, profectò absque bono opere non erunt. Quod factum Latronis, qui extremo ferè vitæ momento resipuit, & seruatus est, indicat. Is enim ad Deum conuersus confessus est Christum, agnouit peccata sua, admonuit proximum, & vehementer orauit pro sua obtinenda salute. Ex quibus omnibus licet cernere, si ille viuendi spatium habuisset, quàm studiosè cupideque bona opera fuisset confectaturus. Restant infantes, qui moriuntur in Christo. Hi cùm per ætatem nihil adhuc agere valeant, ex eorum censu eximendi sunt, quibus iuxta opera sua reddendum sit. Nam Paulus de adultis loquitur, à quibus bona opera potuerunt exprimi. Quodq; habet Chrysostomus, hunc locum nos docere, soli fidei nequaquam fidendum esse, quandoquidem ad tribunal Dei opera e-

Latro non caruit bonis operibus.

tiam examinanda sunt, cautè accipiendum est. Siquidem vera fides nunquam iustis operibus caret. Sed accipit Chrysostomus fidem hoc loco, pro ea credulitate, quam sæpenumero homines scelerati iactant: quæ opinio potius est, aut vana persuasio, quàm vt fides appellari possit: quam eandem Iacobus appellat mortuam. Quæ cùm mortua dicatur, re vera fides non est. Vt, quem constat esse mortuum, is non amplius homo esse asseritur. Vnde Ambrosius hoc loco rem explicuit, dicens, Non tantùm professione, sed & vita opus esse. Quare vbi praue agitur, & fides iactatur, est potius inanis professio, quàm Christiana fides.

Fides mortua nõ est fides.

Iis uero, qui sunt ex contentione, & qui ueritati non obediunt, sed obtemperant iniustitiæ. Hîc altera iustitiæ pars exponitur, qua de peccatoribus meritæ sumuntur pœnæ. Duabusq; notis impios exprimit: quòd sint contentiosi quoad dogmata: quòd veritati non obtemperent, sed iniustitiæ, quoad mores. Contentio, quæ hîc attingitur, est, qua aliquid sine causa, & vehementiori concertatione suscipitur defendendum. Ac sæpe accidit, vt homines contentiosi tueri annitantur, quod animo & conscientia verum non credunt: sed tantùm student victoriæ. Ideoq; nihil remisse, sed omnia vehementissimè agunt, & animi perturbatione sic agitantur, vt à vero semper magis ac magis recedant. Est tamẽ aliquod genus contentionis, quod meretur veniam, cùm veritatis defendendæ causa suscipitur. Estq; contentio huiusmodi absque obstinatione: quod in Paulo licet cernere. Is vt se deceptum cognouit, pertinax in proposito nequaquam perstitit: sed illicò dixit, Domine, quid me vis facere? In rebus autem agendis isti, qui sic à Deo puniendi erunt, nihilo sunt meliores, quàm fuerunt in dogmatis: quia veritati, quam nouerunt, non obtemperant: imò eam captiuam apud sese, vt iurprà audiuimus, detinent: obsequuntur autem iniustitiæ. Nam hominibus perpetuò assistũt & veritas & concupiscentia, vt consulant, & persuadeant de rebus agendis. In impijs deterior consultrix præualet cupiditas: atque ita illi miserè decipiuntur. Quod Apostolus expressit in epistola posteriori ad Thessalonicenses capite secundo, Vbi scribit, Antichristum venturum cum potentia, quum signis, ac prodigijs mendacibus, & cum omni deceptione iniustitiæ in ijs, qui pereunt: pro eo, quòd dilectionem veritatis non receperunt, in hoc, vt salui fierent. Propterea mittet illis Deus efficaciam illusionis, vt credant mendacio. Hæc autem iniustitia, cui parent, appellatur postea in septimo capite, Lex membrorum: nimirum, quòd praua concupiscentia à lapsu primorum parentum sit hominibus ingenerata, obijciatur que nostræ menti opera satanæ: qui ea, vt instrumento sibi aptissimo vtitur. Istis, inquam, hominibus erit *Indignatio, & ira, & afflictio, & angustia aduersus omnem animam hominis perpetrantis malum, Iudæi primùm, simul & Græci.* θυμὸς & ὀργὴ differre videntur, eo quòd θυμὸς vehementior sit impulsus, ὀργὴ verò lenior: quæ tamen in supremo iudice locum non habent. Non enim Deus his affectibus perturbatur. Sed hoc tropo scriptura vtitur, vt vltionem, quæ hæc sequitur, indicet: quæ postea exprimitur, cùm subdit, Afflictio, & angustia. Et de angustia, quæ Græcè dicitur στενοχωρία, sciendum est, animum hominis libertate delectari. Vnde, cùm in arctum res nostræ contrahuntur, vt non possimus nos vllo pacto vel mouere, vel exitum inuenire, id nobis molestissimum putamus esse. Atque his vocibus extrema pœna, & desperatio futuræ infelicitatis describitur.

Duæ notæ impiorum.

Cõtentio uitiosa

Contentio quædam laudabilis.

Duo perpetui hominum consultores.

Aduersus omnem animam, Sunt qui argutentur hoc loco, ideò animæ fieri mentionẽ, quòd eius afflictio longè grauius feratur, quam corporis. Verùm mihi videtur, simplicius dicendum, Hebraica phrasi per animam ipsum hominem significari: vel, vt rectius loquar, omnes facultates, & partes hominis. Neq; obstat, quòd in textu additur genitiuus casus hominis, quodq; Iudæus, & Græcus exprimitur. Id enim eò spectat, vt totum humanum genus comprehendatur: quod à Paulo distinguitur in has duas partes, vt alij appellentur Iudæi, alij verò Græci, nempe Gentes, quotquot legi Mosis non fuerunt obnoxij. Atque hîc incipit Apostolus illi reprehensioni, quam instituerat contra Ethnicos, Iudæos admiscere: quoniam vult eos quoque redarguere. Sensimq; ac molliter ad eorum causam transfert orationem: quos nominatim conueniet, cùm non multò post dicet, Ecce, tu Iudæus nominaris, requiescis in lege &c. Primùm locum idcircò Iudæis assignat, quòd notitia & cognitione Dei, & iustitiæ principatum habebant, si cum alijs Gentibus fuissent collati. Deinde, cùm Paulus ex eorum genere prognatus esset, priores illos recenset, ne videatur suis parcere, cùm Ethnicos acriter reprehenderit. Merentur etiam ante Gentes nominari, quòd grauius essent accusandi, & duriora supplicia experturi: quòd non essent ignari & veri Dei, & religionis ei debitæ.

Anima hominem significat.

Accedit ad Iudæos reprehendendos.

Cur Iudæis prior locus assignetur

Gloria

Gloria verò & honor & pax omni operanti bonum. Iudæo primùm, ſimul & Græco. Hæc adeò perſpicua ſunt, vt expoſitione non egeant. Tantùm notabimus, hanc repetionem felicitatis, quæ pios manet, eò ſpectare, vt allecti ſpe illius cupidius reſipiſcant.

Non enim eſt reſpectus perſonarum apud Deum. Quod attinet ad artem & rationem Paulini ſermonis in hac ethnicorum increpatione, ſic habet: Quoad priorem partem notitiæ, quæ contemplatio dicitur, probauit, illos Deum ex creaturis intellexiſſe, ſed cognitum, vt debuerant, non coluiſſe. Idcirco cùm Dei gloriam idolis affixiſſent, ab eo traditos fuiſſe cupiditatibus cordis ſui, probroſis affectibus, & in reprobam mentem. Deinde, quoad alteram notitiam, quæ de gerendis rebus eſt, oſtendit, illos pulchrè nouiſſe Dei iuſtitiam. Idq; inde probat, quòd rectè iudicauerint, cùm ſententia in alios ferenda eſſet. Verùm quod tam bene nouerant, minimè præſtiterunt. Nam & ipſi ſceleratè agebant, & partim aſſentiebantur peccantibus, partimq; ſeueriter in alios animaduertendo ſeipſos præteribant: quos perterrefecit, quod iudicium Dei non eſſent euaſuri. Et quia diuinũ iudicium futurũ eſſe, prouidentiamq; Dei res humanas curare non credebãt, quòd experiẽtia viderent, Deum ceſſare à flagitijs puniendis: aduerſus primã rationẽ obiecit, nos certò ſcire iudicium Dei fore omnino in eos, qui talia agunt: quoad alterã dixit, illam Dei cunctationem acerbitate recompenſandam eſſe: quæ tamen illis eò interim conducat, vt ſpacium habeant reſipiſcendi. Quod ni fecerint, in horrendum Dei iudicium incident. De quo ait, quòd vnicuiq; reddet ſecundũ opera ſua: & in partes diſtinxit, quid pijs, quidue impijs expectandum ſit: adiecitq; gratiam aut fauorem non eſſe illic valiturum: æquauitq; Iudæos Gentibus, & Gentes Iudæis. Cuius rei nunc affert rationem, quòd apud Deum non ſit reſpectus perſonarum. Hæc altius repetere libuit: vt methodus eorum, quæ dicuntur, perſpicuè teneretur. At modò videndum eſt, num hoc ſit omnino verum, Deum perſonas non accipere: quod eſt cauſam ipſam pro ſua dignitate, aut indignitate agere, non reſpiciendo conditiones aut ſtatus eorum, qui iudicandi ſunt. Videtur ſanè Deus, in eo reſpicere perſonam, quòd Iudæis multa contulit bona eo nomine, quòd ad Abrahamum, Iſaacum, Iacobum pertinerent, eorúmque ſemen, & ſtirps eſſent. Imò cùm populus vitulum feciſſet, ac meritò exterminandi omnes eſſent, orat Moſes Dominum: & licet fateatur, cauſam mereri exterminationem, tamen per Abrahamum, Iſaacum, & Iacobum, ex quorum genere illi erant, pro eis veniam petit. Atque ita non cauſam, ſed perſonam obijcit Deo. Quin & de ſemine Dauid in Pſalmo octogeſimo nono legimus, quòd etſi teſtamentum Dei profanauerint, & vias eius dereliquerint, in virga quidem ſit viſitaturus eos: attamen propter ſeruum ſuum Dauid ſublaturus ab eis non ſit miſericordiam ſuam. Nonne hoc eſt perſonas accipere? & cauſas ipſas non expendere? Atque in Decalogo habetur, quòd his, qui ſe timuerint, & mandata ſua ſeruauerint, velit bene facere in mille generationes. Eratque Deus contentus parcere Sodomis, ſi decem iuſtos habuiſſent. Et omnes nautas donauit Paulo, cùm de naufragio periclitarentur. Neque merito cauſæ parcit illis, ſed quòd veherentur in eadem naui cum Paulo. Vt hæc enodatius intelligi poſſint, præponendum eſt, quid nomine perſonæ hoc loco intelligamus. Ea verò nihil aliud eſt, vt modò de illa loquamur, quàm vel conditio, vel ſtatus, vel certa qualitas nobis impoſita aut à Deo ex ipſa natura, aut electione ſuſcepta. Primi ordinis ſunt, marem eſſe, vel fœminam: patrem vel filium: huius gentis, aut illius: principem naſci, aut ſubditum: liberum, aut ſeruum: & alia id genus. Voluntatis inſtituto ſuſcipiuntur, miniſtrum eccleſiæ agere, militem, aut opificem, & quæ ſunt huius ordinis. In ſumma conſtat perſona ex comparatione hominis, vel ad alium hominem, vel ad aliquas res, & facultates. Si enim referatur Abraham ad Iſaacum, eſt eius pater: ſi Salomon ad Iſraelitas, eſt eorum rex: ſi comparetur Ariſtoteles ad ſcientias, eſt & doctus, & philoſophus: ſi Cræſus ad opes, eſt diues: ad quas eaſdem ſi referatur Irus, eſt pauper. Iam habemus, quid perſona ſignificet. Nunc videamus perſonarum diſcrimina. Quædam ſunt, quæ ſine bonis operibus omnino eſſe poſſunt: vt perſona patris, aut fratris, diuitis, aut pauperis. Quædam verò bonis operibus carere non poſſunt perpetuò: vt ſunt electi, prædeſtinati, membra Chriſti, fideles, partes Eccleſiæ, atque id genus alia. Non enim fieri poteſt, vt qui tales ſunt, licet interdum labantur, prorſus bonis operibus vacui ſint.

Tertio loco quædam ſunt perſonæ ita coniunctæ cauſis ipſis, vt non poſsit cauſa iudicari, niſi perſonæ ratio habeatur. Vt quum quis hominem percuſsit, dum gereret magiſtratũ: aut ſi is, qui perditè viuat, paſtor ſit Eccleſiæ, & ſimilia. De his perſonis, quę bonis operibus

Methodus reprehenſionis prætæritæ.

An Deus perſonas accipiat.

Exemplũ Moſis

Dauidis.

Locus decalogi.

Exemplum de Sodomis.

Quid perſona.

Quædam perſonæ bonis operibus poſſunt carere, aliæ verò non.

non carent omnino, quæ q; nostræ saluti sunt necessariæ, ita Deus illas respicit, vt si ad eius tribunal apparuerimus absq; illis, seruari non possimus. At de hoc genere personarum Pauli sententia intelligenda non est. De his verò personis, quæ bona, vel mala opera necessariò non habẽt cõiuncta, respõdemus: quòd si causæ ita annectantur, vt eam vel aggrauẽt, vel releuẽt in iudicio, necesse est, vt accipiantur. Quia grauius punietur iuxta sententiã Euãgelij seruus, qui voluntatẽ Domini nouit, & eam trãsgredit, quàm qui ignoãs peccat. Restat itaq; vt locus Apostoli intelligatur de his personis, quæ à causa sunt absolutæ. Est præterea distinguẽdum inter id, quod est accipere personam in iudicio & id quod est præter iudicium donare aliquid alicui gratis alio præterito. Nã hoc posterius nemo potest iustè accusare. Vt si quis, cũ duos habeat debitores, ab altero exigat, alteri velit cõdonare: is, à quo exigit, nõ habet, q; possit iustè cõqueri de creditore. Et Deus, cũ vnũ vocat, alterũ nõ vocat, quia nulla merita in alterutro præcesserunt, acceptor personarum non dicetur. Neq; si in reddẽdo præmio his, qui laborarũt in vinea vna hora, voluit æquã mercedem dare his, qui totum diem se in ea exercuerant, reprehendi debet. Quia istos nõ fraudabat pretio, de quo cum illis cõuenerat. Et alteris voluit gratis dare, quod non merebãtur. Tunc autẽ esset rationabilis querela, si vni daretur quippiam, & alter, cui idem deberetur, fraudaretur. Atque eodem modo, cùm Deus nulli sit obstrictus, quum varia dona distribuit, licet ei facere de suo, quod libet. Quia largiendo aliquibus gratis, eos, quos præterit, nulla re debita expoliat. Hæc sunt. quę Augustinus habet contra duas epistolas Pelagianorum, ad Bonifacium libro secundo, capite septimo. Vbi sic ait, Acceptio personarum ibi rectè dicitur, vbi ille qui iudicat, relinquens causæ meritum, de qua iudicat, alteri contra alterum suffragatur: quia inuenit aliquid in persona, quod honore, vel miseratione sit dignũ. Et statim simile duorum debitorũ, & parabolam de vinea, de qua iam dixi, subijcit, & addit: Sicut ergo hîc nulla est acceptio personarũ, quia sic alius gratis honoratur, vt alius debito non fraudetur: sic etiam, cùm secũdum propositũ Dei vocatur alius, alius nõ vocat, vocato datur gratuitũ bonum, cuius boni vocatio ipsa est principium: non vocato redditur malum, quia omnes rei sunt ex eo, quòd per vnũ hominẽ peccatum intrauit in mundum. Hæc Augustinus: quibus vt diluantur argumẽta, quæ antea recitauimus, addendum est, Quicquid boni hominibus elargitur Deus, id planè ab eius misericordia & clementia proficisci. Et licet interdum asserat, quòd aliquibus bene facere velit aut progenitorum gratia, aut precibus, ista idcirco dicit, vt nos ad rectè viuendum inciteret. Neque promissa illa de toto genere posteritatis, aut in vniuersum intelligenda sunt. Habet enim Deus, iuxta arcanam prędestinationem suam, delectum in semine sanctorum, & precibus audiendis, quæ pro alijs effunduntur: quod satis exemplis confirmari potest. Siquidem Abrahæ semen benedicitur: sed in Isaaco: at in Ismaele benedictio ea locum non habuit. Isaaco idem promittitur: sed in Iacobo redditur non in Esau. Respublica Iudæorum promissionem habuit suæ conseruationis: at in regno domus Dauid, non in regno decẽ tribuum pręposita est. Quam ob rem, quum iste delectus, qui iuxta prædestinationem habetur, sit nobis prorsus ignotus, non debemus personæ inniti. Atq; etiam perpetuò fit, vt qui à Deo sic delecti fuerint, bonis etiam operibus ornentur. Quare Deus personam non respicit: sed, vt diximus, iuxta opera iudicat. Vtq; interdum harum personarum habeat paruam rationem, locus Ezechielis in decimo quarto capite indicat. Vbi dicitur, Terram esse disperdendam, quum planè vitiata fuerit & corrupta. Et si steterint in ea Noha, Iob, & Daniel, certè illam nõ eripient, sed animas tãtummodo suas liberabũt. Ad hæc, beneficia Dei vel temporaria sunt, quæ ad hanc vitam pertineãt: vel æterna, quæ spectẽt ad summam fœlicitatem, de qua nunc agitur à Paulo. Et eam pronuntiat absque personarum acceptione vel reddenda esse, vel neganda ex iusto Dei iudicio. De temporarijs autem commodis, non dubitamus, Deum solere illa interdum ad sanctorum virorum preces vel maturare, vel remorari: quod idem & semini sanctorum tribuit. Sed hoc agendo vel prouocat homines ad pœnitentiam, vel exlenitate maior eis conciliatur pœna. De æterna verò atq; suprema fœlicitate, iam præfati sumus, Dei promissionem de posteritate seruanda, quæ generalis sit, non haberi. Ideò Iudæi meritò taxandi fuerunt, quòd sibi tantum pollicerentur: quasi, quum semen Abrahæ essent, operire non possent. Paulus in hac eadem epistola, cap. 9. quàm apertissimè declarat, non omnes, qui sint ex Israele, Israelitas esse: neque quòd sint semen Abrahæ, statim omnes esse filios. Sed per Isaac, inquit, vocabitur tibi semen. Hoc est, Non qui filij carnis, hi sunt filij Dei: sed qui sunt filij promissionis, recensentur in semẽ. Hæc Apostoli sentẽtia testatur id, quod diximus, singulares, ac non vniuersales fuisse Dei promissiones in hoc genere. Et certũ est in il-

Personæ absolutæ à causa. Extra iudicium potest quippiam dari gratis alicui, altero eiusdem ordinis præterito.

Deus nulli est obstrictus.

Quæ Deus dat hominib. ex misericordia largitur.

Delectus qui prædestinatione constat, & nobis ignotus est, & personis non innititur.

Duo genera beneficiorum Dei

De posteritate quoad æternam uitam seruanda nulla est generalis promissio.

in illis qui ad salutem delecti sunt, bona opera omnino inueniri, si ad ætatem adultã peruenerint. Quocirca hæc nihil obstant prolatæ sententiæ, Apud Deum non esse acceptionem personarum. Et quoties in precibus Mosis, aut prophetarum legimus, mentionem fieri patriarcharum, quà Deum niterẽtur prouocare ad misericordiam, putandi sunt, duo spectasse. Primùm, cùm in ea gente Deus aliquos habuerit sibi delectos, rogabãt, vt eorum gratia multitudini parceretur. Deinde non hæc meritis tribuebãt sanctorum: quæ, vti diximus, nulla sunt: sed promissiones factas his patribus commemorabant. Liquet igitur ex his, quo pacto dilui possint, quæ obijciebantur. Sed nunc ad expositionem verborũ Pauli redeundum est.

Electi si adulti fiant, omnino habituri sunt bona opera.

Quid Moses & prophetæ spectarint quando in precibus nomina quorundã electorum interponebant.

Quicunq; enim sine lege peccauerunt, sine lege & peribunt: & quicunque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur. Re ipsa docet, Deum non habere respectum personarum, neq; in iudicio cuipiam facturum esse iniuriam. Aequat Iudæos Gentibus: quandoquidem ex vtraque natione, qui malè se gesserint, peribunt. Et quod attinet ad formam iudicij, Iudæi, qui damnandi erunt, iudicabuntur per legem Mosis: quia eam habebunt se accusantẽ, & condemnantem: Gentiles verò improbi à lege illa neq; accusabuntur, neque condemnabuntur: sed à naturæ lumine, & suis ipsorum cogitationibus. Per legem hoc loco Mosaicã oportet accipere. Nam ea tantùm perfecta est: & propter eam contentio suscipiebatur. Alioqui nullæ aut perpaucæ gentes erant, quæ aliquibus institutis, aut legibus non regerentur. Duæ subduntur occupationes. Prima est, quòd Iudæis potuisset mirum videri, si causa eorum nihilo redderetur melior, cùm ornati fuerint à Deo legis beneficio. Quibus respondet Paulus, hoc potius magis eos grauari, quòd apud Deum, non qui audiunt legem, sed qui faciunt, iustificãtur. Altera occupatio est, quòd ethnicis durum videretur, si perirent, cùm lege Dei caruerint. Quibus ait, Non prorsus vacastis lege. Et duplici ratione probat eos legem habuisse: primùm, quòd natura fecerint ea, quæ sunt legis: deinde quòd in se ipsis habuerint cogitationes, mutuò sese accusantes, & defendentes. Quod attinet ad Iudæos, grauiter eos perstringit, qui tam parùm sani fuerint, vt iudicarẽt, se ideò iustificari, quòd legem acceperint. Iamq; cum illis incipit congredi sensim: quod paulò pòst faciet apertius.

Non, inquit, auditores legis, sed factores iustificabuntur apud Deum. Propterea dicit Apud Deum, quòd illi coram hominibus magnificè iactarent legem, quam acceperant. Deus, inquit, hoc non morabitur. Exigetur enim à vobis, non admissio, sed executio legis. Sermo, qui nunc habetur, est de iustitia legis, quam vnam illi tunc recipiebãt. Nam de iustitia fidei posteà luculenter eos docebit. Nunc eos iugulat suo ipsorum gladio, illam iustitiam legis definiendo, quòd facta exigat, & opera se implentia requirat. Vnde reuocat eos, vt suam ipsorũ vitam intueantur. Neq; interim dicit, homines non aliter iustificari: sed tantùm illis ostendit, quòd à iustitia legis, de qua gloriabantur, exciderint. Quod itaq; dicit, hunc habet sensum: Si quis ex iustitia legis deberet apud Deum iustificari, oporteret, vt is legem faceret, iuxta illud: Maledictus qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis. Hæc facilis, & plana est expositio. Augustinus autem in libro de Spiritu & litera, ad Marcellinum in telligit, factores legis iustificari, sed ita, vt iustitia præcedat bona opera, quæ sancti faciunt. Prius enim iusti sunt, quàm opera iusta faciant. Sed quia videt verbum Iustificandi esse futuri tẽporis, & idcirco innui homines non esse iustificandos, nisi opera bona prius habuerint, ideò addit, iustificari hoc loco non esse, iustitiam primùm accipere, sed iustum haberi: vt sit sensus, Illi pro iustis habebuntur, qui fuerint legis factores, sed hos oportuit prius fide percipisse iustitiam, vnde fuerint iusti: sed posteà per effecta innotescẽt, & iusti, quemadmodum erant, habebuntur. Et simílem loquutionem ostendit, quando precamur, Sanctificetur nomen tuum. Vbi non petimus, vt nomen Dei sanctũ fiat, quasi antè sanctum non fuerit: sed rogamus, vt pro sancto ab hominibus habeatur. Hæc est Augustini expositio,

Iustitia legis facta & operare quirat.

Sanctificetur nomen tuum quomodo sit exponendum.

Nam cùm Gentes, quæ legem non habent, naturà quæ legis sunt, fecerint, &c. Nunc Gentibus occurrit: quæ non debent conqueri, si pereant cùm legem Mosis non habuerint. Ostenditq; illas non prorsus caruisse lege: quòd natura fecerint, quæ legis erant. Quando autem dicit, Natura, non prorsus excludit Dei auxiliũ. Nam omne verum, quod homines agnoscũt à Deo, & Spiritu sancto est. Et natura hîc significat vim cognoscendi mentibus insitam. Quemadmodum oculis corporis à Deo insita est facultas videndi. Neq; Paulus hoc loco agit de viribus, quibus adiutę Gẽtes ista præstiterint: Hoc enim posteà declarabitur, quomodo à spiritu & gratia Christi suppeditetur regeneratis copia rectè viuendi. Sed nunc tantùm loquitur de quibusdam externis actionibus honestis & rectis, quæ, quod attinet ad ciuilem iustitiam, naturaliter ab hominibus præstari possint. Neque dicit, Ethnicos planè legem præsti

tisse, ita vt vniuersam seruarint, aut propter eam iustificati fuerint: sed tantùm intellígit, eos quædam fecisse. Vnde infert eos potuisse inter honestum & inhonestũ, inter iustum & iniustum naturę acumine discernere. Imò si spectemus Catonis, Attici, Socratis, Aristidis mores, videbimus iustitia, & decoro ciuili eos vicisse permultos Christianos, ne Iudæos dixerim. Non ergo se possunt excusare, quòd legem non habuerint. Ambrosius hoc loco, cùm accipiat, facere quæ sunt legis, pro absoluto legis complemẽto, & non videat, quî fieri possit, vt quis id præstet, qui in Christum non credat, quando quidem Christus est finis legis: statuit hîc sermonem esse de his Gentibus, quæ iam conuersæ fuissent ad Euangelium, & Christo credidissent. Hoc hominum genus absq; ope legis Mosaicæ faciebat, quæ sunt legis. Augustinus de Spiritu & litera ad Marcellinum, descendit in eandem sententiam, vt Gentes intelligantur Christiani ex Ethnicis conuersi. Quoniam ille discrimen statuit veteris ac noui testamenti in hoc, quòd in veteri lex fuit descripta in externis tabulis: in testamento autem nouo in cordibus, & visceribus hominum erat inscribenda, iuxta vaticinium Hieremiæ cap. 31. Cùm itaq; Paulus hîc dicat, Gentes, quæ legem faciebant, naturá ostendisse opus legis scriptum in cordibus suis, ait non potuisse ad nouum testamentum non pertinere. Et quia videt sibi obstare, quod dicitur Natura, ait eam vocem legem Mosaicam excludere: at non gratiam & spiritum Christi, quo natura non euertitur, sed ad pristinam conditionem instauratur. Accipit igitur Gentes legem facere natura, quæ à spiritu, & gratia sit reformata. Sed nunc videndum est, vt congruant sententiæ Apostoli, quæ Ambrosius, & Augustinus adferũt. Certè quod Ambrosium mouit, admodùm est infirmum: cùm permulti esse potuerint ante Christi aduentum, qui crediderint in eum, atq; iustificati fuerint, quantumq; humana infirmitas patitur, quæ sunt legis, obseruarint. Iobus Ethnicus fuit, qui Christum non ignorauit: atque etiam prædicatione Danielis rex Babylonis, &, vt facile creditu est, cum eo ex Chaldæis complures ad Deum conuersi sunt: &, vt habetur in Iona, Niniuitę in viam redierunt. Hi omnes cùm salutem sint assecuti, citra controuersiam Mediatorem venturum expectarunt, & sic præstare voluerunt ea, quæ ad legem pertinebant. Neq; Augustini ratio multum roboris habet. Nam licet promissio noui testamenti sit, spiritus sancti beneficio leges diuinas in animis hominum describendas esse, id tamen haud ita est intelligendum, quasi ante aduentum Christi nemini cõtigerit. Siquidem optimi patres, & sancti prophetæ, qui & fide Christi prędíti fuerunt, & spiritu sancto donati, legem non tantùm in lapídibus, sed etiam in suis visceribus exculptam habuerũt. Et licet viuerent, priusquàm filius Dei carnem suscepisset, tamen cùm in illum crederẽt, ad Euangeliũ pertinebant. Quod non ideo Nouum testamentũ dicitur, quòd res sit recens: sed tantum quòd postremis temporibus inuulgatum fuerit, & publicè receptum. Quamobrem licet inter Gentes ante prędicationem Apostolorum non fuerit eius publica professio, attamẽ apud multos Ethnicos viguit, in quorum cordibus lex Dei obsignata fuit: vt quanuis Mosaica doctrina caruerint, nihilominus tantum rectę institutionis habuerint, vt præceptis diuinis suas actiones aptare potuerint. Quanquam idem Augustinus in libro iam citato, cap. 7. expositionem eam afferat, quã primo loco posui: videlicet, hæc intelligi posse de quibusdã illustribus actionibus ethnicorũ, qui adhuc impij essẽt. Præclara eorũ opera, licet quoad ipsos peccata essent, tamen ex sua natura, vel genere cùm accederẽt ad illa, quæ Deus in lege præcepit, damnari non poterant humano iudicio. Coram Deo tamen praua ea fuisse, ideo non est dubium, quòd ad congruum finem minimè referrentur. Augustinus id annotauit, adiecitq;, ideò his infidelibus opus legis dici scriptum in cordibus, quia lineamẽta primæ conditionis adhuc permanserunt. Colligitur itaq; duplicem esse inscriptionem diuinæ legis in animis hominum. Vnam, quæ tantùm facit ad notitiam & iudicium: alteram, quæ præter hæc addit & propensionem, & uires ad agendum id, quod cernitur iustum atq; honestum. Atq; imago Dei, ad quam homo est conditus quoad hoc, per lapsum omnino non est deleta, sed obfuscata: & ob id opus est illius instauratione. Sic notitiæ naturales nõ sunt planè in animis extinctæ: sed adhuc multum earum supereſt: quod nunc à Paulo attingitur. Quocirca manet saluũ discrimen noui ac veteris testamẽti: licet Paulus ita loquatur de impijs ethnicis, quòd opus legis scriptum habuerint in cordibus suis. Neque propter ista, quæ faciebant, aut cognoscebãt, veram iustitiam consecuti esse traduntur. Imò cùm ea vacui demonstrentur, eos Paulus incitat ad Christum. Verum quidem est, Chrysostomum hoc loco scribere, Deum fecisse hominem αὐτοδεκτον, hoc est, sibi ipsi sufficientem ad vitia fugienda, & virtutem consequendam. Quòd si accipiat de prima hominis institutione, verum est. Sed post lapsum nequaquam est concedendum: Quandoquidem sine Christo nihil possumus à nobis ipsis: imò

Aliquot ethnici iustitia ciuili Christianos uicerunt permultos.

Discrimen ueteris & noui testamenti.

Multi ethnici ante Christi aduentum per fidem eius sequuti sunt salutem.

Sancti patriarchæ & prophetæ legẽ in uisceribus habuerunt inscriptam, quia pertinebant ad Euangelium.

Euangelium nõ dicitur testamẽtum nouũ quòd sit res recens.

Opera ethnicorum quanuis speciosa, sunt peccata.

Lex potest esse inscripta in cordibus, nõ per spiritũ sanctum datũ fidelibus, sed per insitam notitiã naturalem.

sis: imò nostris viribus ne cogitare quidem quicquam boni possumus, nedum efficere. Nisi forte hoc intelligat, quoad notitiam iusti & honesti ex genere, de qua nunc sermo est instrutus. Quin & idem iste pater alibi non semel perhibet, gratia Christi omnino esse opus. Quod Apostolus modò cõmemorat de Gentiũ notitia, oportunũ est ad depellendã impiorum calumniã, qui dicere solent: Cur Christus non prius venit? quomodò consulebatur humano generi ante eius aduentum? quid tunc agebat eius prouidẽtia? Ex his, quæ modò dicuntur, iam intelligis, humano generi fuisse consultum. Nam quod attinet ad notitiam, satis eius habuerunt, siue de illa agendum sit, quæ ad contemplationem pertinet: siue de illa, quę ad faciendum & agendum dirigitur. Quare ante Christi aduentũ iniustè conquerebantur, se desertos, cùm habuerint notitiam, & vires sibi putarent non deesse.

Cõtra quærimoniam de tardo Christi aduẽtu.

Cogitationibus se mutuò accusantibus & defendentibus. Iam inducit alteram rationem, qua probat Ethnicos habuisse legem: quia non deerant illis conscientiæ, increpationes, & excusationes. Illæ fuerunt luculentissimi testes insitæ à natura cognitionis. Et ex hoc eodem argumento potest probabiliter inferri iudicium Dei futurum. Nam si noster animus de his, quæ agimus, apud semetipsum iudicat, quid tandem facturus est Deus, qui hęc iudicia mẽtibus hominum ingenerauit?

Probatio futuri iudicij.

Secundum Euangelium meum, Suum dicit, partim quòd multũ in eo laboraret, partim quòd vehementer erga illud afficeretur, & ad illud prædicandum esset destinatus.

In die Domini. Tunc nostræ illę cogitationes & accusatrices, & testes erunt nostrarum actionum: & per illas Ethnici iudicabuntur. Nunc abstracti illecebris & cupiditatib. huius vitæ illas non audimus: verùm tunc à Domino proferentur in lucem: qui, prout scribitur in priori epistola ad Corinth. illuminabit abscondita tenebrarum. Habemus ex hoc loco, iudicium Dei partem esse Euangelij: quando quidem facit ad pœnitentiam excitandam: deinde quoad pios est suaue nuntium. Christus enim dicebat, cùm incipient hæc fieri, exporrigite frontem: appropinquat enim redẽptio vestra. Et quanquã Deus redditurus sit cuique iuxta opera sua, non tamẽ faciet paria. Quia longè plus accipiemus, quàm opera nostra merita sint. Et qui damnabuntur, minus puniẽtur, quàm pro peccatorũ eorum magnitudine. Et de his cogitationib. defendentibus, habet Augustinus libro iam citato, quòd absolutionem minimè obtinebũt. Poterunt tamen supplicio mitius consequi. Non enim pares erunt damnandorũ pœnæ. Et vtitur hoc simili, Quòd sicut inueniuntur quædã peccata venialia, quæ minimè obstare poterũt, quin pij felicitate potiãtur: ita opera quædã erunt splendida, & ex genere bona, quę tamẽ damnandos non absoluent. Et vt vita sanctissimi cuiusque peccatis leuioribus non potest carere: ita nullius perditissimi hominis vita tam turpis est, quin aliquod præclarũ opus interim admixtũ habeat. Hoc pacto claudit Apostolus gentiũ accusationem, denuò extremũ iudicium cõmemorando. Et cùm subdit: *Ecce tu Iudæus cognominaris,* instituit accusationẽ Iudæorũ, quæ constat his capitib. Primùm præclara dona explicat, quibus eos Deus ornauerat: deinde adijcit, quomodo illis abusi fuerint: tertio loco exponit, quid sit verè Iudæũ esse, & quænam vera sit Circuncisio. posteà declarat illa dona Dei Iudæis collata, non potuisse ab eis ita cõtaminari, vt nõ fuerint suspicienda, & celebrãda. Sed tamen per ea nõ habuisse Iudæos, qd̃ se Gentib. præferrẽt, cùm malè vixerint. Turpis enim vita eorũ ęquauit illos Gentibus: qd̃ postremo loco scripturarũ testimonio patefacit. Prius reprehendit Gentes, q̃m Iudęos, vt castigatione priore viam sibi muniret ad posteriorem. Erant enim Iudæi supercilioſi, neque reprehensorem facilè ferebant. Adhęc Apostolus, si primò in eos inuasisset, videri potuisset suæ Genti plus æquo infensus: præsertim cùm traduceretur à pseudoapostolis, quòd apostata esset à lege, & à Iudaismo turpiter defecisset. Summa reprehensionis est, quòd illi professione ac non vita meterentur suam iustitiam. Commemorat ab initio dona Iudæis collata, & ea ad tria fermè capita redigit. Primum est honestas appellationis, quæ illis ex genere & sancto semine patrũ accesit. Alterum caput est, quòd voluntatẽ Dei nouerint per legẽ maioribus suis latam: Tertium, quòd fuerint deputati, vt alias nationes docerent. Fuerunt hæ quidem res præclaræ: sed quæ eos non iuuerint: quòd & à patribus degenerarint, quod ad probitatem & iustitiam attinet: & quòd suis peccatis legi acceptæ repugnarint: & quòd se ipsos neglexerint, nedum alios populos docuerint. In his autem ea potissimùm Apostolus conmemorat, quæ gratis acceperant. Non enim vllo illorum merito fuerãt eis collata. *Ecce tu Iudæus cognominaris.* Duplex hoc loco est lectio. Latini videntur legisse, ἰδὲ, quod est, si autem. Sed in Græcis codicibus habetur per simplex iota, ἴδε: quod est ecce, aut vide. Vtrum autem legeris non multum refert: nisi quòd ad Apostoli propositum, & sermonis connexionem magis

Iudicium Dei pars Euangelij.

In iudicio Deus non paria operibus nostris faciet.

Pœnæ damnandorũ non pares.

Accusatio Iudæorum.

Accusationis Iudæorũ capita.

Cur prius gentes reprehenderit.

Summa reprehensionis Iudæorum.

Ad tria reuocãtur dona Iudæis collata.

magis videtur accommodari quod Græci habent. Non minus tribuebatur eo tempore Iudaico nomini, quàm hodie defertur Christiano. Honorificũ sanè fuit genus illud. Sed Paulus ait prudenter, Cognominaris: non enim cõcedere vult illis, quòd veri Iudæi fuerint. Neque poterat, cùm infrà dicat, illum esse verè Iudæum, qui in abscondito est Iudæus: & illam germanam esse Circuncisionem, quæ non in carne, sed in corde fuerit inusta.

Requiescis in lege. Hoc non est aliud, nisi placere sibi propter legem inani quadam iactatione, ad quam fortassis mouebantur ob illa, quæ in Deut. cap. 4. habẽtur: Admiraturas esse cæteras nationes Rempublicam Israeliticam, quæ tam nobiles, & insignes leges haberet. Et Dauid aiebat, Non ita factum esse cæteris nationibus.

Et gloriaris in Deo. Quòd iuxta cap. 17. libri Geneseos, cum Abrahamo & vniuersa eius potestate fœdus inierit. Sunt ista sanè in summo honore ac pretio habenda, si ea illi fructuosa esse passi fuissent. Nam maiores habuisse pios est non cõtemnendum Dei donum. Deinde in lege requiescere, ita vt ei prorsus acquiescas: sisq; diuinis mandatis ita contentus, vt alia tibi non effingas, laudabile est. Nec minus, quòd verum Deum pro Deo habeas, gloriæ & quidẽ solidæ verti potest. Sed illi tantùm his gloriabãtur, titulis inanibus sibi plaudẽtes.

Nosti uoluntatem, probas eximia, instructus ex lege. Scire voluntatem Dei amplissimum est eius beneficium. Prouenit autem id ex institutione scripturæ. Neque enim alibi quærenda est notitia voluntatis diuinæ. Inde discimus exímia probare, ita vt ea secernamus à turpibus & abiectis. Græcè legitur διαφέροντα. Augustinus de Spiritu & Litera legit, Distantia: quòd ea, quæ sunt eximia, distent à vulgaribus. Interpres Latinus vertit vtilia: quia fortassis, vt monuit Erasmus, διαφέρειν Græcis est interesse. Verbum præterea δοκιμαζειν alio modo hîc sumitur, quàm in primo capite. Quandoquidem hîc refertur solùm ad iudicium: illic autem ad approbationem, qua id, quod iudicamus, re ipsa & factis declaramus.

Confidisq; te ipsum esse ducem cæcorum, lumen in tenebris uersantium, eruditorem insipientium, doctorem imperitorum. Non ait istos hæc præstitisse: sed inquit, conatos esse id sibi arrogare. Nam per summum contemptum & sentiebant, & loquebantur de alijs nationibus: quas præ se cęcas, demgentes in tenebris, insipientes, & imperitas prædicabant. Atque etiam alios docendi munus ita sibi vsurpabãt, vt Christus diceret eos circũire mare & aridã, vt sibi proselytos adiũgerent, quos non Dei, sed Gehennæ filios faciebant. Quodq; fuit deterius, vt Christus eis exprobrat, clauem scientiæ abstulerant sibi eam vendicãdo: cùm nec ipsi in regnum cœlorum introirent, nec alios in illud ingredi paterentur. Exhibebant se ipsos magistros, quum tamẽ cæci essent. Quibus aiebat Dominus: si cæcus cæco ducatũ præstet, ambo in foueam cadent. Et in Esaia cap. 42. legimus, Quis est cæcus, nisi seruus meus? Et Ioannis 9. cap. Si cæci essetis, peccatum non haberetis. Nunc verò, quia dicitis, Videmus, peccatum vestrum manet.

Habentem formam cognitionis. Placet Chrysostomo, vt μόρφωσις sit hîc nõ vera cognoscendi ratio: sed tantùm species, quæ nihil sordidi habeat.

Schema interrogandi. *Qui igitur doces alium, te ipsum non doces?* Schema hoc interrogandi in reprehensionibus est efficacissimum. Sed num tales fuerunt omnes Hebræi? Non sanè. Sed Paulus hîc de illis loquitur Christo excluso, prout Legi Euangelium opponitur. Fuerunt nonnulli sanctissimi ex patribus, qui sic versabantur in Iudaismo, vt tamen in Christum perfectissimè crederent. Illi autem tales non erant: quales Paulus hîc describit. Beati profectò, nõ quòd legem accepissent, sed quòd in ea diù noctuq; versarentur. At isti, de quibus nunc agitur, legem quidem nouerant: sed non, vt oportuit, eam sciebant. Summa Paulinæ rationis hæc est, accepisse legem, non iustificat. Nam si iustificaret, profectò omnes Iudæi & iusti, & sancti essent: cùm omnes legem acceperint, & eam profiteantur. Sanctos autem eos & iustos non esse, partim iam dictum, partim fusius exponetur: Igitur legem accepisse, non iustificat.

Quomodo Paulus hic loquatur de Iudæis.

Explicatio rationis Pauli contra Iudæos.

Habentem formam cognitionis & ueritatis in lege. Oporteret sanè, vt in nobis ipsis, non in lege, aut in libris formam haberemus nostræ doctrinæ, vt Chrysostomus hîc annotauit. Vtenim parùm docti sunt, qui tantùm sapiunt ex commentarijs: ita illi habendi non sunt iusti, qui vel in legibus, vel in Decretis iustitiam suam collocarunt. Ioannes enim ait, In hoc nouimus, quòd Deum diligimus. si mandata eius obseruamus.

Forma doctrinæ ubi habenda sit.

Iudæi non patiebantur se ab alijs doceri. *Qui alium doces, te ipsum non doces?* Non sustinebant, vt ab alijs docerentur, vt ex his patet, quæ dixerunt cæco nato: Tu in peccato natus es totus: & nos doces? Debuerunt saltem docere se ipsos: quod cùm non facerent, ac tantùm alios curarent institui sua opera, erant vt ficus, quæ habuit folia sine fructibus: & execratione Christi exaruit. Quod suprà dixerat de

rat de Gentibus, alium iudicas, & eadem facis, quæ iudicas: nunc effert de Iudæis, quòd alios docerent, & se ipsos præterirent. Certè in rebus ad hunc modum pertinentibus non ita sumus cõparati. Nullum enim videas ita eleemosinas distribuere, vt sibi ex suis bonis non velit prius consultum. Quî fit igitur, vt nostram doctrinam inculcemus alijs, quam ipsimet non recipimus? Chrysostomus cõfert hoc hominũ genus cum pictore, qui ob oculos insignem tabulam habeat, quã perpetuò contempleť, neque tamen ex illa quippiã vnquam exprimat. Dixerat antea Paulus, non auditores legis, verũ factores iustificari. Nunc verò taxat prædicatores, qui minimè præstant, quæ docent. Quamobrem concluditur, non esse satis vel prædicare, vel audire sanam doctrinam, nisi eius accedat executio.

Simile.

Non est satis audire, uel prædicare uerbũ Dei.

Qui prædicas non furandum, furaris. Obijcit Iudæis ea, quæ vulgò passim fiebant: & ad illos arguendos vtitur notissima parte legis, nimirum Decalogo. Et quod attinet ad furtum, id est, quando aliena detinemus inuito domino, vel aliena per iniuriã ad nos pertrahimus, vel nostra, cùm opus est, non distribuimus. Ac multæ aliæ sunt furti species. Sed in Decalogo illud seruatur institutũ, vt summa tantùm proponatur, eaq; pinguior & crassior, in qua intelligere debemus omnes eius partes. Caput & summa furtorũ est πλεονεξία: quemadmodum in voluptatibus turpioríb. exprimitur tantùm adulteriũ: sub quo species omnes immunditiæ cõprehenduntur. Et quod attinet ad idololatriã, interdicitť omne genus falsi cultus: cùm tantum exprimatur is, qui crassior est. Prohibeť enim alienus Deus, & interdicunť sculptilia, & varia signa. Quare nostrũ est, cùm præceptũ ex Decalogo nobis offertur, vt videamus, quę sub illo vitio cõprehendantur. Deinde radix perquirẽda est, & cõtra eam pro viribus pugnandũ. πλεονεξία vel furtũ inde oritur, quòd Deo diffidimus, veremurq; semper, ne quippiam desit. Adulteriũ verò omnisq; carnis immunditia ex cupiditate voluptatum oritur: vt Christus expressit, cùm diceret, Si quis viderit mulierem ad concupiscendã eam, iam mœchatus est in corde suo. Et aduersus istam concupiscentiã luctari nos oportet: atq; de homicidio Christus itidẽ nos monuit, vt irã, quasi eius radicẽ, excinderemus. Superest vt de sacrilegio videamus, quid Apostolus cõqueratur. Id autẽ est sacra temerè, attrectare aut vsurpare sibi, quæ Deo sunt dicata, aut nomine voti, seu anathematis debita. Edictum erat Iudæis lege, ne parcerẽt idolis. Nam omnia debuerũt euertere & demoliri. At illi ducti auaritia, sibi ea reseruabãt, atq; in propria cõpendia vertebãt. Ita peccauit Acham, necnõ & Saul, cùm vicissĕt Amalech. Contrà Moses dedit virtutis præclarũ exemplũ, quando vitulũ aureũ non solùm cõfregit, sed etiam cõminuit in puluerẽ, atq; proiecit in torrentem. Nam si reliquiæ idoli extitissent, fortasis Israelitæ, vt insaniebant, eas coluissent. Potest quidem Respub. & magistratus noster ea, quæ superstitiosa sunt, auferre, & eorũ pretia in vsus pios & bonos cõuertere. Priuatis verò hominib. hoc minimè concedit. Sed Hebræis generaliter interdictũ fuit, ne res huiusmodi conseruarent, & præsertim quas anathemate deuouissent.

Furtum quid.

Forma doctrinæ Decalogi.

Quid in quoq; præcepto Decalogi spectãdum sit.

Sacrilegiũ quid

Lex lata Iudæis de idolis demoliendis.

Magistratus nostri quid facere possint de superflitiosis donarijs

Detestaris idola, & sacrilegium facis. Notat eos tantæ auaritiæ, vt etiã ea, quæ pertinebãt ad cultũ idolorũ, modò pretiosa essent, surriperẽt, & sibi vsurparẽt. Quãuis hoc intelligi possit de rebus vero etiã Deo cõsecratis. De filijs Heli legimus, quòd carnes crudas Deo dicatas abstulerint ab offerẽtibus, priusquã adolerentur coram Domino. Et iam eò peruentũ erat, vt gradus ministerij, & pontificatus pecunijs mercarentur. Noui, Origenẽ & Ambrosium, hæc allegoricè interpretari: quòd Iudæi è sacris literis furẽtur Christũ, adulterẽt vetus testamentũ, & magno sacrilegio Christũ negent. Sed magis mihi placet sententia planior.

Gloriaris in lege: & per transgressionem legis Deum dehonestas. Hoc profectò aduersatur fini nostræ conditionis. Quia creati sumus, vt nomẽ Dei sanctificemus. Et Paulus asserit, ideo nos esse creatos, vt in laudem gloriæ, & gratiæ ipsius viuamus. Christus etiam aiebat: Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui est in cælis. Illudunt Deo, qui gloriantur de illo, & operibus suis eius voluntati perpetuò aduersantur.

Finis conditionis hominum.

Nomen Dei per uos malè audit inter Gentes, Sicut scriptum est. Solent homines ex moribus & vita docentis metiri doctrinam: & ex mala Christianorum vita Iudæi, ac Turcæ Christum execrantur. Et eadem causa Papistæ hodie Euangelium insectantur. Nam si videant nos libidinib. nõ minus, quàm se inseruire, lucris inhiare, vltiones persequi, timidos esse ad mortem, cupidos vitæ, & de cõmodis carnis ferocius inter nos cõtendere, ac digladiari, q; ipsi soleant, statim aiunt nostram doctrinam esse illa deteriorem, quam ipsi profitentur. Et citra controuersiam, quæ hîc dicuntur, magis in Christianos competunt, quàm in Iudeos: quum nos insignioríb. donis, quàm illi, ornati fuerimus. Christus dicebat, Ecce plusquã Salomon hîc, & plusquam Ionas. Gloriamur de Christi notitia, requiescimus in Euãgelio, & formam

Hæc in Christianos, & præsertim in Euangelicos congruũt.

doctrinæ habemus ex fidei symbolis, omniaq; contendimus perfectiora esse in Euãgelio, quàm in Iudaismo fuerint: nos fruimur libertate spiritus, cùm illi ceremoniarũ iugo grauati fuerint. Tamẽ his tot tamq; præclaris donis prædíti sic viuimus, vt Euãgeliũ Christi per nos malè audiat. Quòd si quispiã dixerit, Doctrinę veritas, ac dignitas nõ pendet ex dignitate, moríb. ac vita docẽtis, quoniã Christus dixit de illis, qui sedebãt super cathedrã Mosi, Quæ dicunt, facite: quæ aũt faciunt, nolite facere: hoc verũ esse, noui. Sed videamus interim, Christũ dixisse de pseudoprophetis, & impostorib. A fructib. eorũ cognoscetis eos. Distinguemus igitur, q; ex hominib. alij iam instituti sunt de religione, alij sunt instituendi. Quocirca qui sana doctrina sunt eruditi, eam verã agnoscũt, & pro verbo Dei habẽt, licet is, qui docet & tradit eam, purus non fuerit: Qui aũt instituendi sunt, neq; adhuc illam perceperũt, de ea iudicãt ex morib. & vita docentiũ. Non q; re vera ministrorũ morib. doctrina vel vera, vel falsa efficiat: sed q; sic ab imperitioríb. iudicari soleat. Atque in summa Deus titulis & ceremonijs externis nõ vult honorari. Hæc est diaboli solertia, vt dona Dei, quæ fructuosa esse debuerãt, & inania reddant, & nostrã causam magis grauẽt. Est magna infelicitas, ea deformare, quibus honorari debueramus. Et ingratitudo nõ vulgaris est, Deũ, qui nos ita honore affecit, dehonestare. Accusat istos Paulus, quòd non tantũ ipsi transgrediunt leges, verùm etiam alios quoq; ad idem pellíciãt, inducantq; ad nomen Domini blasphemandum. Et per antithesin id exaggerat, quod prius dixerat: Aliũ doces, te ipsum nõ doces? Locus autem, qui citatur, est in Esaia cap. 52. Habeturq; locus ex Græca editione ita descriptus: δι' ὑμᾶς διὰ παντὸς τὸ ὄνομα μου βλασφημεῖται ἐν τοῖς ἔθνεσι. Hebraicè verò, מְנַאֲצִ֥ים כָּל־הַיּ֖וֹם שְׁמִֽי׃ Vnde apparet, inter Hebraicam veritatẽ, & Græcam editionẽ non multùm interesse. Paulus autem vsus est Græca editione, partim quòd in manibus esset eorum, ad quos scribebat, partim quòd institutò erat accõmoda. Nam habet, in Gentib. quod Hebraica non habẽt. Verùm non leuis scrupulus nobis obijcitur, quòd propheta videatur totã blasphemiæ causam in alienígenas reijcere: nimirum, quòd cùm Israelitas captiuos abduxissent, Deo illorum insultarint, quasi non valuerit eos eripere. Quod expressius habetur ab Ezechiele capite trigesimo sexto. Vnde hæc videri possunt desumpta. Nam illic apertè habetur, eos per irrisionem dixisse, Ecce populus Dei isti. At considerandum est, quidnam captiuitati Hebræorum causam occasionemq; dederit. Aliud autem nihil inueniemus, quàm illorũ scelera, & legis transgressionẽ: quibus Deum quodãmodò impulerunt, vt se traderet in illas calamitates: vnde consecutę sunt ethnicorũ blasphemię. Inter duo constituebat Deus. Nam ex vna parte nisi castigasset illos, cũ sceleratè viuerent, malè audiuissent ab alijs nationib. q; adeò scelestis hominib. faueret. Ex altera parte si corriperet eos, deserendo atq; tradendo exteris nationib. malè erat auditurus, vt debilis, & infirmus. Atq; istorũ malorũ fons & origo erant Hebræorũ scelera. Quare in Ezechiele subdit, q; tactus misericordia sui nominis, illos tandem liberare decreuerit: vt & ipse posteà declararet, & illi emendatione vitę se melius gererent. Ex hoc loco possumus colligere, grauiter lapsos esse Iudęos. Nam quò maior fuit eorũ dignitas, eó atrociora fuerũt ea, quę cõmiserũt: ita vt cuiusuis iudicio nullo pacto tuerí possent. Id circo in Esaia aiebat Dominus, cùm omnia cõmemorasset ornamẽta, quæ vineæ suę impenderat, Iudicate, domus Israel, inter me, & vineã meam. Quam parabolã & Christus in Euangelijs vsurpauit.

An doctrina iudicari debeat ex moribus & uita docentiũ.

Non in gentib. sed in Iudæis hæ sit causa blasphemiæ.

Nota Dei gloriam in duplex discrimen adductam.

Nam Circumcisio quidem prodest. Cùm recensuerit hactenus beneficia Iudæis collata, ostenderitq; vt illis abusi fuerint, interponit modò expositionem dilucidam veræ Circuncisionis, & Iudaismi legitimi. Ob circuncisionẽ arroganter sese efferebãt. Vnde Paulus per occupationẽ ostendit, eam nihilo illos facere meliores Gentib. cùm adeò turpiter viuerent. Magnũ quidem fuit circuncisum esse: modò in corde quoq; præputium fuisset recisum. Alioqui circũcisio corporis, vt parũ ad eorũ iustitiã cõduxerit, satis declarãt eorũ vitia, quæ paulò antè expressit. Cõmemorabant frequẽter, circũcisionis opera Mosen fuisse à periculo mortis ereptũ. Angelus enim volebat eũm interficere, nisi vxor filium eius circũcidisset. Et post generalem circuncisionẽ celebratã à Iosua, populus inductus est in promissam terram, idq; non absque mirabili prodigio. Compulsæ enim sunt aquæ Iordanis ad suum fontẽ retrocedere. Et in libro Geneseos cap. 17. apparet, quàm grauiter, & seriò hoc sacramentum à Deo institutum fuerit: cui vt insignes promissiones, ita etiam horribiles minas adiecit: quòd anima eius, qui octauo die non esset circũcisus, exterminanda esset è populo. Vnde Iudæi videbantur argumentari à contrarijs. Quòd si circuncisio intermissa hominem perdit, ita è diuerso adhibita hominem seruat. Sed hoc argumenti genus nequaquam est necessarium. Probabile quidem est: at non semper bene colligit: vt multæ instantiæ docent, & Augustinus quandoque asseruit. Et quæ hîc dicuntur, non ita sunt acci-

Laus circuncisionis.

Hominẽ si circũcisio cõtempta perdit, adhibita seruat.

accipienda, quasi sacramentorũ dignitas à nostra fide, vel probitate pẽdeat. Quando quidẽ hic agitur nõ de natura, vel præstãtia sacramẽti, verùm de eius fructu atq; vtilitate: quam fatendum est, & à fide, & à pietate sumentium pendere. Discimusq; ex hoc loco, res externas per seipsas parum ad salutem prodesse, nisi mutatio, vel facta fuerit antè, vel dum vsurpãtur per spiritũ sanctum fiat in cordibus nostris. Nec mihi obijciat quispiã puerorum baptismũ, quòd res externa sit, & tamen salutẽ infantibus largiatur. Quia nõ habent paruuli cõmodum ex vi tinctionis externæ, nisi quippiã spirituale, & quod ad animos pertineat, interceserit. Augustinus putat, ex offerentiũ, aut Ecclesiæ fide salutem illis cõtingere. Scio equidẽ, fidem piorum hominum posse impetrare aliquibus gratiam, conuersionem, & præclara dona spiritualia. Sed salus non contingit adultis, nisi per propriam fidem: & paruulis per spiritum & gratiam, quæ latenter in eis operatur regenerationem: cuius baptismus est extrinseca obsignatio. Quare apparet, quàm miserè Iudæi errarint, dum suæ Circucisioni tantũ tribuerent. Et fuerunt nõnulli, si credimus Augustino de Ciuitate Dei, qui tantundem asserebant de Baptismo: hominem semel tinctum, quanuis malè viueret, non esse prorsus perirum. Patietur quidem, aiebant, multa: sed tandem seruabitur fortasse per ignẽ. Verùm hunc errorem & Augustinus ipse explosit, & nos illi subscripsimus in expositione epistolæ prioris ad Corinthios. Propositum Apostoli est hoc loco, vt ostendat, Circuncisionis externæ, si desit pietas & sanctimonia, Deum non esse habiturũ rationem: & vicissim Gentibus, modò piè senserint, ac vixerint, non obfuturum præputium. Notabimus, vt cœperam dicere, quàm parum externis rebus, si per se ipsas accipiantur, tribuendum sit. Et tamen adeò erratum est nostra ætate, vt preculas aliena, & ignota lingua recitatas, peregrinationes, & ieiunia quædam temere susceptа, homines proram & puppim salutis suæ facerent. Imò eò pò ftremò peruenerunt, vt his nugis interdum remissionem peccatorum attribuerent. Clamant vbiq; prophetæ, Deũ cultus absq; fide, & pietate aspernari, odisse, ac detestari. Sciendum tamẽ est, vt licet ex verbis Apostoli colligere, si accesserit fides, & pietas eorũ, qui accipiunt sacramẽta, res externas habere suas quasdã vtilitates. Nam cùm à Deo sint institutæ, oportet eas fateri bonas esse: nisi cõtingat, vt nostro vitio efficiãtur noxiæ. Sunt autẽ bonæ & vtiles iustis, in quibus per fidem iustificatio præcessit. Sacramẽta enim, vt in genere dicã, signa sunt visibilia: quę significãt, & per quę spiritus sanctus exhibet his, qui credẽtes ea sumũt, & gratiã & cõiunctionẽ cum Christo promissiones de salute obsignat. Et vt de Circũcisione aliquid attingamus, ea signũ fuit, vel, vt apertius dicã, obsignatio promissionis, et fœderis cũ Deo per Christũ initi. Inurebatur autẽ genitalib. partibus, vt Christus intelligeret, quà homo fuit ex humano semine nasciturus. Eoq; signo refricabat perpetuò illis memoria fœderis cũ Deo initi: eoq; profitebant legis obseruationẽ. Vnde ad Galat. dicitur, eum, qui circũcisus fuerit, debitorẽ esse totius legis seruãdę. Fuit etiã loco tesserę, qua populus ille à cæteris nationib. discernebat. Vnde cùm in deserto iter facerẽt, nõ sunt circũcisi: quòd nullę aliæ nationes illic essent, à quibus eo signo discernerent: vt habẽt cõmentaria, quæ ascribũtur Hieronymo: quãuis eius rei possit alia causa probabilior assignari. Hoc item sacramẽto mortificatio carnis & cupiditatũ notabat, & à pijs omnia superflua esse recidẽda. Superflua verò sunt, quæcũq; Deo displicẽt. Erat iste ritus vetus ab. loco Baptismi, & habebat pro sacramẽto regenerationis. Vnde apparet, nostros infantes esse baptizandos, quandoquidẽ deteriori sorte non vtũtur, quàm filij Hebręorũ: imò multis partib. feliciore. Non enim, vt hoc modò cõmemorem, Baptismus noster ad octauũ diem alligat, vt olim Circũcisio Iudæorũ: quoniã à circunstãtijs temporis, & loci per Christũ sumus absoluti. Et sacri ritus professiones externæ quædã sunt pietatis. Easq; non tantũ Iudæi habuerũt, verũ etiam qui primo naturę statu piè vixerunt. Idcirco symbola quidem rituũ propter diuersitatẽ temporũ subinde mutata sunt: res verò manent eædẽ. Ex verbis præterea Pauli colligitur, Circuncisionẽ prodesse, modò accedat legis obseruatio. Est enim perutile, regenerationẽ cõsequi, signum habere fœderis, & perpetuam admonitionẽ de carnis mortificatione, atque diuinæ promissionis, & collati doni cælestis obsignationem.

Sacramentorum dignitas nõ pẽdet à nostra fide ac prpbitate.

Fructus sacramentorum pendet à nostra fide

Paruuli quinam fructum habeãt ex baptismo.

Baptizati possunt perire.

Externæ res per se ipsæ parũ prosunt, imò obsunt si desit spiritus, aut fides.

Si fides interueniat sumentium, sacramenta utilitatem habent.

Quid circuncisio.

Circuncisio loco baptismi.

Pueri baptizadi

Ritus sacros habuerunt pij & ante legem.

Si transgressor legis fueris. Hìc non intelligit, nisi eos, qui data opera transgrediũtur: non autem eos, qui labuntur ex infirmitate, rapiunturq; vel imprudẽtes, vel nolentes, atque ingemiscunt, dicentes vnà cum Paulo, Quis me liberabit de corpore mortis huius?

Circuncisio tua præputium facta est. Fieri præputium hoc loco est, reputari præputiũ: quemadmodum infrà declarabitur, cùm dicet, Nónne Circuncisio illius in præputium reputabitur? Et legem seruare, eodem modo accipiendum est, quo suprà exposuimus. Ambrosius hoc loco dixit: Hìc ergo seruat legẽ, qui credit in Christo. Si autẽ nõ credit, trangressor legis

est. Quæ verba, etsi ad expositionẽ loci nõ multũ faciũt, tamẽ vtília sunt. Quia intelligimus credentẽ in Christũ seruare legẽ, quòd per fidẽ cõcedatur nobis vis & facultas spiritus, per quã legi obedimus. Et si quid ad eius obseruationẽ defuerit, quemadmodũ re vera semper deest, id resarcit ex imputatione iustitię Christi. Deinde quod asserit, eum, qui nõ credit in Christũ, trãsgressorẽ esse legis, aperte indicat, actiones eorũ, qui Christo nõ credũt, peccata esse, ac legis trãsgressiones. Iudęi de circũcisione tãtopere gloriabãt: quali data esset illis ex meritis, & quasi testimoniũ esset certũ iustę ac sanctæ vitę: qd' ostẽsum est falsum esse. Digerit hoc loco Chrysost. pulcherrimũ ordinẽ, & quoad legẽ, & quoad circũcisionẽ. Ponit lex externa, in corde etiã statuit: & medio loco sita sunt bona opera. Ea procedũt ex lege cordis, suntq; cõformia legi externę. Itidẽ circũcisio est in carne, & in corde. In medio collocat iusta & sancta vita. Procedit em à cordis circũcisione, & cõsentit cũ circũcisione carnis. Paulus inducit circũcisionis duplicẽ cõtentionẽ. Prima est, qua opponit' pręputio. i. Ethnicorũ statui. Atq; de hac loquit' in presentia: & ostẽdit nihil hinc hominib. præiudicari quoad salutẽ. Altera est, qua circumcisio cõparatur cum fide: & de illa infrà erit disputatio: cùm ostẽdet Apostolus, Abrahamũ prius credidisse, & propterea assecutum fuisse iustitiam: deinde eam iustitiam circumcisione fuisse obsignatam. Vnde posterior est, & indignior fide carnis Circumcisio. *Ergo si præputium iustificationes legis seruauerit, Nonne præputium eius in Circumcisionem reputabitur?* In iudicijs ciuilibus cùm aliquis condemnandus est, qui fuerit ornatus aliqua dignitate, uel magistratu, prius illo exuitur, deinde condemnatur. Sic Apostolus prius Iudæos exuit vero Iudaismo, & iusta circumcisione: deinde illos damnat, quòd turpiter vixerint. Hoc ferè simili Chrysostomus vtitur. Cui vicissim possumus addere, quòd sicut in Republica qui habendi sunt in honore, si obscuriores, & abiectiores fuerint, prius ornantur aliquo insigni magistratu, aut publica dignitate; sic Paulus euecturus gentes, quæ videbantur abiectæ, illis attribuit veram Circumcisionem, & syncerum Iudaismum: quando ait, illarum præputium imputari pro Circumcisione, quam habeant in corde. Atq; in his vocibus, præputio, inquam, & Circumcisione, est tropus metonymiæ. Per hæc enim signa totus denotatur status atque conditio Iudæorum, & Gentium. Iustificationes legis: Græcè legitur δικαιώματα: quod multi putant esse ceremonias ab Hebręis dictas חקים. At non est facile videre, quomodo Ethnici seruauerint ceremonias legis: nisi dicere velimus, Hebræos in suis captiuitatibus docuisse Gentes ritus Mosaicos: quod non est facilè credendũ: cùm illi præstandi fuerint nõ nisi in terra repromissionis. Fortasse volunt, istas iustificationes notare ritus, quos Ethnici habuerũt in lege naturæ pios & castos. Nõ enim loquimur de idololatricis: sed de his, quos ex traditionibus patrũ aliqui seruabãt, qui in Mediatorẽ venturum speraverunt. Nã huiusmodi ceremonijs & Deũ profitebãtur, & se vt peccatores accusabãt: ad quas posteà explicatio sanctę vitæ cõsequebatur. Tales huius generis fuisse permultos, nõ inficiamur. Nõ tamẽ ob id possumus asserere, aut Socratẽ, aut Phocionem, aut Aristidẽ ex horũ numero fuisse: cùm de pietate & fide illorũ nihil cõstet: sed potius ex historijs idololatræ appareant. Approbant nihilominus scripturæ Iobum: cui multi absq; dubio fuerunt similes. Verùm nostro iudicio, vt diximus, nõ possũt exprimi aut definiri. Sed Apostolus de illis ritibus legis naturæ nõ loquitur: cùm per legẽ hîc intelligat Mosaicã. Nã agit cõtra Iudæos. Ethnicos autem non seruasse ritus Mosaicos, ex eo patet, quòd erant incircuncisi, & appellãtur præputiũ. Quare verius dicemus, iustificationes legis hîc significare partẽ moralem, quã naturæ lumine Gentes non ignorabant. Scopus Apostoli est, vt ostendat, iustitiam nõ esse necessariò coniunctã cum ritibus & ceremonijs legis: nihilq; obesse Gẽtibus ad salutẽ, quòd circũcisæ nõ fuerint, modò adsit pietas. Atq; è diuerso Iudęos fide & sancta vita destitutos nõ adiuuari Circumcisione, vt sint præferẽdi Gentibus. Quodq; habetur in nostra lectione, λογιδήσεται, Chrysostomus legit προϋπαρχήσεται, aut μεταπαρχήσεται. Nec solùm legit ita, verùm etiam ita interpretat': ita vt dicat, Apostolũ non dixisse, λογιδήσεται. Vultq; eum omninò ita hîc loqui, vt suprà cùm diceret, Circũcisio tua pręputium facta est. Voluit, inquit, dicere qd' potius & maius est, vt efficaciter loquerẽ. Hãc lectionis diuersitatem Erasmus nõ expẽdit. Non tamẽ propter eam pugnandũ est, cùm sensus vtrinq; saluus maneat. *Et iudicabit, quod ex natura præputium est faciens legem, &c. qui per literam, & circumcisionem transgressor es legis.* Iudicare trifariam potest accipi: vel quòd sententiam Ethnici de Iudæis prolaturi sint: vt Paulus dicebat ad Corinthios: Non ignoratis, quòd Angelos quoque iudicabimus: vel per collationem: vt de Sodomis dicebat Dominus, & de Niniuitis, & de Regina Saba, quòd essent iudicaturi Israelitas: vel iudicare est coarguere, accusare, & aduersus aliquem testari. Quemadmodum enim suprà cogitationes inducuntur sese mutuò

Qui nõ credit secundum Ambrosium, transgressor est legis.

Circũcisione gloriabãtur Iudæi.

Duplex contentio circumcisionis.

Mos ciuilis in dãnandis illustribus uiris.

Tropus metonymiæ in circumcisione & præputio.

Ceremonias in lege naturæ quasdam pias & bonas habuerunt Ethnici sancti.

Per iustificationes legis intelligit partes morales legis.

Iudicare tribus modis accipitur.

mutuò accuſaturæ (nam bonæ accuſabunt malas, quòd hominem corruperint: malæ viciſſim bonas, quòd non adiuuerint) ſic Ethnici ſancti, & iuſti prauos Iudæos accuſabũt, quòd ornati tot donis & ſpiritualibus gratijs Deo nõ ſeruierint. Appellat præputium ex natura, vel, vt rectius puto, præputiũ ex natura eſt Ethnicus homo, qui tãtùm ducitur naturæ lumine. Per literam intelligit quicquid externum eſt, & in corde non inſeritur, ita ut impellat ad bene agendum. Auguſtinus de doctrina Chriſtiana lib. 3. cap. 5. habet, illos hærere in litera, qui ſigna pro rebus accipiunt: & quod eſt figuratè dictum in ſacris literis, perinde accipiũt, acſi propriè diceretur: atq; ita humi repunt, vt cùm nomen ſabbati audiunt, nihil illis aliud in mentem veniat, quàm ſeptimus dies, qui à Iudæis obſeruabatur. Nec non, cùm audiunt ſacrificium, de victimis tantùm cogitant, quæ mactabantur. Et licet ſit aliqua tolerabilis ſeruitus, tamen illam appellat miſerrimam, cùm habemus ſigna pro rebus. Qua in re multùm peccatur hodie in ſacramento Euchariſtiæ. Quotum enim quenq; reperias, qui conſpectis externis ſymbolis huius ſacramenti animo repetat Chriſti mortem, ac paſſionem, cuius hæc ſigna eſſe conſtat: vel, qui cogitet ſecum, corpus & ſanguinem Chriſti cibum eſſe ſpiritualem animorum per fidem, quemadmodum panis & vinum alimenta ſunt corporum? Aut qui expendat coniunctionem membrorum Chriſti inter ſeſe, & cum capite? Hæc negliguntur, & tantùm hæretur in aſpectu ſignorum. Satisq; habent homines, ſi contemplati fuerint, genu flexerint, atque adorauerint. Hoc eſt amplecti literam, & nolle audire eundem Auguſtinum, qui loco iam citato, ſed paulò pòſt apertiſsimè affirmat, Manducare corpus Chriſti, & bibere ſanguinem eius, figuratas eſſe loquutiones. Ita Iudæi accuſantur, quòd literæ ac Circumciſioni tantùm inhærentes tranſgreſſores legis eſſent.

Præputiũ ex natura.

Litera quid.

Seruitus eſt miſerrima, cùm habẽtur ſigna pro rebus.

Error circa euchariſtiam.

Manducare carnem Chriſti, & bibere ſanguinẽ eius, ſunt figuratæ loquutiones.

Non enim is, qui in manifeſto Iudæus eſt. Indicat hîc apertius, quis verus Iudaiſmus, & quæ germana Circumciſio habẽda ſit. Et vtitur quadruplici antitheſi, Manifeſti, & Occulti: Carnis, & Cordis: Spiritus, & literæ: Laudis ex hominibus, & Laudis ex Deo. Eſt autẽ obſeruãdum, cùm inquit, Nõ eſſe Iudæũ, qui eſt in manifeſto: neq; Circumciſionẽ eſſe, quę ſit in carne, hęc debere accipi per Excluſionẽ, vt loquũtur: ita, ut addatur Solũ, vel tantũ. Nã Circumciſio tãtùm in carne, nõ eſt Circũciſio. Et qui ſolũ in manifeſto Iudęus eſt, nõ eſt Iudęus. Paulus autẽ ſimpliciter negare videtur, quod tantũ ex parte negandũ fuerat: quoniã ad exaggerationẽ hyperbolicè loquitur. Quale etiã illud eſt, cùm dicit, ſe nõ miſſum eſſe ad baptizandum, cùm inquit, Nõ eſſe Iudæũ, qui eſt in manifeſto: neq; Circumciſionẽ eſſe, quę ſit in carne, hęc debere accipi per Excluſionẽ, vt loquũtur: ita, ut addatur Solũ, vel tantũ. Nã Circumciſio tãtùm in carne, nõ eſt Circũciſio. Et qui ſolũ in manifeſto Iudęus eſt, nõ eſt Iudęus. Paulus autẽ ſimpliciter negare videtur, quod tantũ ex parte negandũ fuerat: quoniã ad exaggerationẽ hyperbolicè loquitur. Quale etiã illud eſt, cùm dicit, ſe nõ miſſum eſſe ad baptizandum. Neq; aliter accipiẽdi ſunt patres, quãdo Euchariſtiã aiunt nõ eſſe panẽ. Hyperbolicè agunt, & intelligũt, non eſſe panem tantùm, aut ſolùm, aut cõmunem: quia pani verbũ Dei additũ eſt. Quare ſacramenti naturam induit. Valetq; hęc ratio aduerſus Anabaptiſtas, qui ſemper in ore habent illud Pauli ad Corinth. Circumciſio & præputiũ nihil eſt: ſed obſeruatio mandatorũ Dei. Sic illi aiũt, Baptiſmũ, & Euchariſtiam, & miniſteriũ Eccleſiaſticũ nihil eſſe, ſed ſolam mandatorũ Dei obſeruationẽ prętendunt. At nos reſpondemus, vt nunc de Paulo diximus, alia nihil eſſe, ſi ſola fuerint abſq; fide, & pietate, & ſancta vita. Quid autẽ ſit Spiritu, & nõ Litera conſtare, ſic exponitur, vt per ſpiritũ intelligamus animi renouationẽ: qua vltro amplectatur, & cupiat id, qd̃ in externo legis iuſſu cõtinetur. Nam ſpiritus quãdoq; eſt animi noſtri pars eminẽtior, interdũ verò eſt vis, & facultas, qua Deus immutat & regenerat hominẽ. Nos verò hîc accipimus per ſpiritũ ex vtriſq; cõcretam humanã mentem, diuino afflatu inſtauratã. Litera verò ſignificat quicquid externè proponitur nobis, quantũlibet ſpirituale ſit, cùm in animo noſtro non inhæreat, aut vrgeat. Quare Circumciſio carnis, ſimulachrum eſt Circumciſionis cordis & animi. Idcirco curandum fuit, ne inane aut ſupervacaneũ eſſet. Hanc phraſin de Circumciſione cordis, Paulus mutuatus eſt è veteri ſcriptura. In decimo capite Deuteron. erat mandatum, vt circumciderent præputia cordium: & in eodem libro, cap. 30. Moſes pollicetur, Deum quandoq; circumciſurũ præputia cordium eorum: vt oſtenderet, vtrunq; verũ eſſe, Deum in nobis agere quæ bona ſunt: & nos etiam eadẽ agere: ſiquidẽ Deus vtitur opera noſtra ad bona opera edenda. Quãdiu itaq; animus noſter verbo Dei, quod proponitur, aduerſatur, licet aliquid exterius aſsimulet, verſatur in litera. Verùm quando propenſus efficitur ad mandata Dei, tum regitur ſpiritu. Idcirco quo ad rem, quę proponitur, aut legitur, nõ eſt diſcrimẽ inter ſpiritũ & literam, ſed quoad animi affectũ. Id Paulus indicauit in epiſtola poſteriori ad Cor. cap. 3. cùm ait: Epiſtola Chriſti elaborata, inſcriptaq; nõ atramẽto, ſed ſpiritu Dei viuẽtis: nõ in tabulis lapideis, ſed in tabulis carneis. Vbi docet apertè, hoc eſſe miniſteriũ ſpiritus, quãdo in tabulis cordis imprimũtur quæ Deus mãdat, & vult à nobis credi & fieri. Neq; miremur, Paulum dicere, huiuſmodi epiſtolam à ſe ſcriptã: cùm id ſit opus Dei, Qui ſe ſcripſiſſe nõ intel-

Negatur interdũ ſimpliciter qd̃ ex parte ſolum negatur.

Quid patres ſentiant, cùm inquiunt euchariſtiam nõ eſſe panem.

Contra Anabaptiſtas.

Quid per ſpiritum & literam.

Circũciſio carnis, eſt ſignũ circumciſionis cordis.

Circũciſio cordis in libris legis

Et Deus agit in nobis quæ bona ſunt, & nos agimus.

Spiritus & litera diſcernuntur per animi affectum.

Qui ministri spiritus.

ligit, nisi vt instrumentum actioni diuinæ coniunctum. Proinde illi habendi sunt ministri Spiritus, qui verba Dei non solùm exponunt, sed etiam cordibus auditorum imprimunt. Quod qui non faciũt, quanquã bona, & salutaria loquuntur, tamẽ sunt ministri literæ: neq; aliud eorum opus consequitur, quàm mors audientium. Nam intelligentes voluntatẽ Do-

Quod pastores orare debeant.

mini, & non facientes, grauissimis pœnis afficientur. Ideò Paulus dixit, literã occidere, spiritum autem viuificare. Pastorum igitur est, atq; eorum qui docent, orare Deum etiam atq; etiam, vt sese faciat non literæ ministros, sed spiritus. Expressit item Paulus ad Philipenses,

Quæ sit uera circuncisio.

quænam sit vera Circuncisio, his verbis: Nos sumus Circuncisio, qui seruimus Deo in spiritu, gloriamur in Christo, & in carne fiduciam non habemus. His tribus conditionibus spiritualem Circuncisionem explicuit. Et ad Colossenses cùm dixisset, nos in Christo circumcisos: verùm circũcisione nõ manu facta, quænam ea esset, declarauit compluribus circumstantijs: quòd exuerimus corpus peccatorum carnis: quòd Christo simus cõsepulti per baptismum: quòd condonationẽ habeamus peccatorũ: quodq; deletũ sit chirographũ, quod

Baptismus quã do est in spiritu, est uera circuncisio.

nobis per decreta aduersabatur, & principatus atq; aduersariæ potestates per Christum victæ & superatæ. Quo loco prætereundũ nõ est, baptismum appellari verã circuncisionẽ. modò is quoq; sit in spiritu & corde, non autẽ in litera & carne. Hęc itaq; Iudæus occultus & manifestus: circuncisio in carne & in corde, accipienda sunt, quã inter sese opponuntur: hoc est, seorsim, & disiuncta à se inuicem. Nam si ea cõiunxeris, Pauli sententia minimè ad ea pertinet. Nõ enim dubitandũ est, permultos fuisse Iudęos antiquiores, qui & in manifesto, & in occulto Iudæi fuerint: & non solùm carne, sed etiam corde circuncisi. Possunt hæc tri-

Multi uixerunt sub lege, qui simul erant in Euangelio.

fariam accipi: vt vna sit circuncisio carnis, altera spiritus, tertia verò coniuncta ex vtrisque. Non enim putandum est, vetus Testamentum ita fuisse ab Euangelio separatum, vt qui in eo vixerint, Euangelium simul habere non potuerint. Sunt quidem hæc duo inter se discreta: ita tamen, vt in eodem homine coniungi possint. Manichæus ita vetus testamentũ reiiciebat, quasi prorsus nobis inutile. Atq; vtebatur hoc rationis genere: Cùm hæreditas illa

Manichæorum error.

terræ Chanaan ad me non pertineat, & testamentum, & tabulas, quibus ea legatur, reiicio. Quin etiã si mihi afferret possessionẽ illius terræ, tamen adeò nos Christus ad meliora prouexit, vt ista nõ curem. Hæc obiecit Faustus, & habentur in quarto libro eius operis, quod

Vetus testamentum etiã ad nos pertinet.

Augustinus aduersus eum cõscripsit. Quo loco sic illi respõdet: Quæ scripta sunt in veteri testamento, nostrarum rerum typi fuerunt. Quandoquidẽ Paulus in epistola priore ad Corinth. habet: Hæc illis in figuram contingebãt: Scripta sunt autem ad correctionẽ nostram, in quos fines seculorum deuenerunt. Et ad Romanos habemus: Quæcunq; scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. Et in veteris testamẽti oraculis promissio habetur de Christo. Quare is excitatus à mortuis, cum duob. discipulis de se ipso disserẽs, testimonia citauit ex Mose, & vniuersa scriptura. Idemq; aiebat, bonũ patrem familiãs ex thesauro suo proferre noua & vetera. Non igitur testamentũ vetus ita opponitur nouo, vt Manichęi fingebãt. Et ideo Paulus cùm legi videtur quippiã detrahere, hoc non facit, nisi quatenus ea seorsim

Paulus cùm uidetur legi detrahere, nõ damnatue tus testamẽtũ.

à Christo sumebatur. *Cuius laus non est ex hominibus, sed ex Deo.* Laus ex hominibus à Paulo non deijcitur, nisi quatenus seiũcta est à laude, quæ proficiscit à Deo. In summa, licet sacramenta nõ solùm fuerint professiones fidei, sed etiam obsignationes externæ promissionũ, & donorũ Dei, tamẽ in eorũ externis symbolis non erat solida iustitia collocãda. Hinc colligimus, neminẽ debere sua externa iactare. Tantũ se quilibet esse putet quantũ se esse videbit in cõspectu Dei, qui nõ solũ, quæ videnť, attendit, sed etiã est καρδιογνώστης. Hinc etiã ha-

De sacramentis rectè iudicandis.

Tanti se quisq; faciat, quanti se uiderit esse in cõspectu Dei.

bemus, & verba Dei, & sacramẽta, si tantũ externa percipiant, ad literã pertinere, quæ non viuificat, sed interficit. Et per hæc adæquauit Apostolus Gentes Iudæis. Quod etiam ipsæ & Iudaismum in occulto, & Circuncisionem in corde habere potuerunt non minus, quàm Iudæi: & quæ Deus maximè attendit.

CAPVT TERTIVM.

QVID igitur habet, in quo præcellat Iudæus? aut quæ utilitas Circuncisionis?

Perstat Apostolus in instituto suo, vt accuset Iudæos. Et nũc tractat quartũ, quod proposueramus declarandum: perditam illorũ vitam nõ obstetisse, quin dona eis cõcessa & præstãtia, & eximia fuerint. Admodum deiecerat illos ob corruptam vitam. At quia negari non poterat, Deum eximiè dilexisse illorũ gentem, cùm in Psalmo habeatur, Non fecit sic omni nationi, distinctione vti videtur: qua, si Deum respiciamus, concedit, eum illis fuisse admodũ benignũ, cùm illis ea tribuerit, quæ alijs populis non cõcesserit. At

Distinctio.

rit: At si de ipsis cogitemus, nihil ea profuerunt, nisi fortasse ad iudiciũ & condemnationẽ: idq; ipsorum culpa, non donorũ vitio. Atque expositurus Hebræorũ dignitatẽ, eam in eo maximè positã fuisse docet, quòd illis cõmissa fuerint verba Dei: Quæ, licet in se multa cõprehendãt, tamen promissionẽ in primis de Christo, & salute offerebãt. Quibus spretis Iudæi ad circuncisionẽ & externos ritus ostentandos omnẽ operã collocabãt. Quemadmodum & nostri hodie faciunt: qui, cùm proponũtur sacramẽta, & præsertim Eucharistia, tantùm attendunt symbola, quæ sunt obsignationes promissionũ & donorũ Dei: res autem ipsas non animaduertunt, nedum illas mirentur. *Multum per omnem modum.* Non refertur hoc ad proximum nomen vtilitatis. Tum enim dixisset, Multam, in fœmineo genere. Id cir co referendum est ad id, quod primo loco posuit, cùm diceret: Quid eximiũ habet Iudæus præ Gentibus? Voluit & Iudaismo, & sacramentis eius concedere, quantum liceret per verbum Dei. Habetq; magnam emphasin, quòd respondet, Multum per omnem modum.

Dignitas Hebræorũ ex eo quòd illis Deus et uerba & sacramẽta commiserit.

Quid enim si quidam fuerint incredduli, num incredulitas illorum fidem Dei faciet irritam? Absit. Ponuntur hæc per antipophoram: quasi sint Gentes, quæ velint obscurare hanc dignitatem Iudæorũ, ex eo, quòd verbis Dei sibi commissis nõ crediderint. At è diuerso subditur, eorum vitium nequaquam inuertisse veritatem Dei. Nam cùm veritas ipsa sit is, qui promisit, pollicitusq; sit, fore se illorum Deum, & illos fore suum populum, nõ potuerunt impedire illorum peccata, quin succederet, quod promissum fuerat: quoniam in eo populo semper aliquot boni viri fuerunt, qui & promissionibus Dei crediderunt, & incorruptè vixerunt. Vnde in illis, licet non in omnibus, quod erat promissum, præstitum est. Tantumq; abest, vt vitæ prauitas veritati eloquiorum Dei quippiam detraxerit, vt potius per eam illustrata sit, & magis emicuerit. Quod probatur sententia Dauidis, vt patebit. Et quod ad verba attinet, quod Apostolus dixit, Primùm, non spectat ad ordinem, quasi alia permulta Dei beneficia Iudæis exhibita velit commemorare: Sed est quodammodò sermonis inchoatio. Aut significat summum præcipuumq; eorum, quæ concessa sunt. Fuerunt sanè eloquia Dei veluti ditissimus thesaurus, qui diu inter Hebræos tantùm fuit reconditus, neque Gentibus communicatus vsque ad Apostolorum tempora. Illi enim hoc munus habuerunt, vt eum thesaurum in Gẽtibus disseminarent. Verum est, Ptolemæum Philadelphũ per septuaginta interpretes voluisse conuerti in Græcum sermonẽ Hebræorum leges. Non tamen ille propterea cognouit, ad Gentes quoq; ea pertinere, quæ illic tradebãtur. Apostoli tantùm cæperunt vniuerso orbi patefacere, promissiones de Christo, & æterna salute Gentibus quoq; cõmunes esse. Animaduertes autem hoc loco, eas tantùm cõmemorari prærogatiuas, quæ gratis datæ fuerãt, neq; ab vlla virtute accipientium pendebant. Et particula, *Absit*, qua frequentissimè vtitur, ijs fermè rebus vbiq; adiungitur: de quibus ne cogitare quidem fas est: cùm ab illis abhorre debeat, quicunq; pietatem profitetur.

Verba Dei opulentißimus thesaurus.

Esto Deus verax: omnis q; homo mendax. Multis rationibus homo est mendax: partim quòd obstantiam non retinet idem propositũ: partim, q; non præstet, quæ pollicitus fuerit: partim, q; mendaciũ sæpè proferat, idq; vel ex infirmitate, dũ non valet assequi quod est verum, vel ex malo animo fallendi. Habetur hæc sententia in Psalmo 116. In festinatione mea dixi: Omnis homo mendax. Et quidã Hebræorũ interpretes volunt, Dauidẽ tunc respexisse ad Samuelẽ. Cùm eũ vndiq; circundaret exercitu Saulis, vixq; se speraret posse euadere à carnis infirmitate cogitationes huiusmodi se offerebant: quasi Propheta emẽtitus esset, quę de regno pollicitus ei fuerat. Vel, potuit contra seipsum hęc dicere: q; cùm iuxta humanum sensum spem euadẽdi abiecisset, & à Deo quodammodò desertum se putaret, in viam rediens protulerit hanc sententiam, Omnem hominem esse mendacem: quòd ipse quoque seipsum fefellisset de bonitate Dei. Et ex antithesi patet, Mendacem hîc significare, incõstantẽ. Nam prius dixerat: Esto Deus verax. Concluditur itaque à nostra fide, aut perfidia dignitatẽ scripturę aut sacramentorum non pendere. Nam siue credamus Deo, siue diffidamus, ea suo loco habenda sunt: quia pendent ab instituto Dei, qui verax est: neque veritas eius nostris vitijs immutatur: vt Dauid habet.

Homo multis modis mendax.

Dauidis locus ex psal. 116.

Verbum Dei & sacramenta non pendent à nostra fide.

Vt iustificeris in sermonibus tuis, & uincas cùm iudicaris. Septuaginta interpretes ita verterũt: quos Paulus nunc sequutus est: cùm Hebraicè sic habeatur. למען תצדק בדברך תזכה בשפטך. Et, quod verterũt septuaginta, Vt iustificeris, Hebraicè potest esse, propterea iustificaberis. Quodq; habetur, Soli tibi peccaui, Rabbi Dauid Chimi exposuit: Clàm sum transgressus, & in occulto: ideò, tibi soli. At tu iustificatus es, & iudicio vincis: qui hæc per Nathan Prophetã ostendisti te scire. Sed hęc expositio verbis Pauli non admodum quadrat. Quare seponatur. Alij interpretantur: Licet Dauid peccarit in Vriam, & in Bersabeem, & in exercitum Israelis,

tamen hæc peccata non erant, nisi quatenus à Deo lege prohibebantur. Hinc enim pendet iusta peccati ratio. Sed melius est, Dauidem tantopere doluisse, quòd videret, Deum propter suum peccatum blasphemari, & haberi ludibrio, qui tali regi faueret: qui, quò libidini suæ satisfaceret, victoriam hostibus permisisset. Hæc, inquam, illum tam malè habebant, vt in eo æstu animi tantùm hæc intueretur. Ideò dicit, Tibi soli peccaui, per hyperbolen. Vt nos, cùm multis aduersis rebus coarctamur, de summa, & præcipua earum, qua magis affligimur, dicere consueuimus, Hoc vnum me malè habet. At postea seipsum consolatur, spe firmè concepta: & ait, Vt iustificeris in sermonibus tuis. Ac si diceret: Equidem peccaui graui-
ter: sed ea est tua bonitas, vt hinc videam eam magis exerendam: ita, vt semper, cùm dice-
ptaueris iudicio, futurus sis causa superior hominibus. Neq; putandum est, Dauidem, cùm
peccaret, id habuisse in animo, vt bonitatem Dei illustraret. Nam ibi tantùm quæsiuit, suæ
cupiditati atque libidini satisfacere. Vnde particula, vt, non Dauidem, sed Deum respicit,
cuius beneficio contigit, vt ex malo aliquid boni emergeret illum diligentibus. Quippe o-
mnia illis in bonum cedunt. Non itaque peccatis, verùm misericordiæ diuinæ accepta refe-
renda sunt bona, quæ sequuntur post admissa peccata. Neq; mireris, Deum iudicari, vt Pau-
lus ait. Nam sæpè fit, vt homines, cùm putent se ab eo malè accipi, de iudicijs illius disceptẽt
& quamuis non verbis, tamen cogitationibus aduersus illum agant. Sed tum si reuocarent
in animum, quot, quamq; grauia peccata admiserint, semper intelligerent, Deum in sua cau-
sa iustificari, & vincere. Vox ea, sermones, quod Hebraicè est בדבריך significare post iudicia-
les actiones: quo sensu ego sum interpretatus. Quanquam ab alijs vox ea accipitur pro ser-
monibus promissionum, & potissimùm de Christo. Dauid enim cùm se grauiter lapsum a-
nimaduerteret, Deum rogabat, vt se purgaret, nec propter scelus admissum vellet promis-
sionem non implere, ne non de semine illius Christus nasceretur. Quam interpretationem
habet Ambrosius. Sed præter adductas expositiones illorum verborum, aliæ etiam duæ oc
currunt: quarum vna est, Quia rex erat Dauid, & suprema potestate fungebatur in populo
Dei, iudices non habuit, à quorum vel tribunali, vel iudicio, vel sententia metueret. Sed tan
tùm iram Dei sibi videbat imminere. Ideò dicebat: Soli tibi sum reus, licet homines me pu-
nire non possint. Altera est: Malè quidem per me affecti sunt Vrias, Bethsabè, & pars exer-
citus: sed illi, vt homines erant, haud dubie habuerunt peccata, quibus ea commerebantur,
quæ passi sunt, atque illis multò grauiora. Verùm tu, Deus, nihil in te habes, propter quod
ita debueris à me offendi: quem tantis beneficijs ornasti, & summa dignitate affecisti. Fue-
runt etiam, qui putarent, quod additum est, vt iustificeris in sermonibus tuis, referendum el
se ad id, quod anteà dictum est: Miserere mei Deus: laua me: & munda me: quò in gratiam
receptus obtineam ea, quæ mihi pollicitus es: atque ita iustificeris, vincasq; vel ipso homi-
num iudicio. Hîc habemus, iustificandi verbum significare, non aliquam nouam iustitiam
adipisci, quod non potest Deo tribui: sed iustum haberi, aut pronuntiari. Non est cuiusuis,
dum affligitur, bonum Deum agnoscere. Ita affectus erat Daniel, cùm diceret, Tibi iustitia,
nobis autem confusio faciei. Siuit Deus Petrum Apostolum, Dauidem Regem, & Mosen
peccare: vt eos ad se reuocando, & quæ promiserat illis reddendo, bonitatem suam magis
declararet. Sed quia possent aliqui arbitrari, ex verbis ijs colligi, homines qui pietatem co-
lant, licet perditè viuant, tamen adepturos esse promissiones Dei, si id generaliter verum sit
nostram incredulitatem, aut prauitatem Dei promissa non remorari, distinguendę sunt pro-
missiones Dei. Aliæ quippè sunt de rebus externis, & bona temporaria spectant, vt Rem-
publicam seruandam, regnum in stirpe Dauidis propagandum, & Christum de semine illi-
us carnem assumpturum. Hæc quin fierent, hominum peccata & incredulitas minimè obsti-
terunt. Captiuitates quidem, & afflictiones interceſſerunt: tandem tamen locum habuit,
quoad hæc omnia, Dei promissio. Alterum genus est illarum rerum, quæ ad salutem nostrã
pertinent. Atque has quidem non assequuntur impij. Neque tamen propterea licet inferre,
nostris prauis actionibus Dei promissa frustrari. Nam illæ non pertinent passim ad omnes
homines: sed tantùm ad vocatos ex Dei prædestinatione secundum electionem: vt habe-
tur in hac epistola, capite nono. Vbi dicitur, Non quasi exciderit verbum Dei: & subditur:
Nunquid filij carnis, qui filij Dei? & respondetur: Qui sunt filij promissionis recensentur in
semine. Quocirca illi, ad quos promissiones pertinent, si lapsi fuerint, ad pœnitentiam reuo-
cabuntur. Atque ita eorum peccata, quæ antea commiserunt, non irritas facient promissio-
nes Dei. Quod quidem ad ipsos attinet, merebantur frustrari. Nam cùm fœdus fregerint,
optimè illis conueniret, vt Deus pactis ne staret, iuxta vulgatam sententiam: Qui frangit fi-
dem, fides frangatur eidem. Deus autem ita non agit, vt sua bonitas declarẽtur. Quæq; mo-
do à

Boni euentus nõ peccatis, sed misericordiæ Dei accepti referendi. Deus ab hominibus iudicatur.

De uoce iustificandi. Perfectorum est Deum bonum agnoscere dum affligantur.

Distinctio promissionum Dei.

Ad quos pertineant Dei promissa.

dò à Paulò dicta sunt de Iudæis, ad nos quoque pertinent. Sunt enim insignia Dei erga nos beneficia, quòd Euangelium sit nobis concreditum: quòd Baptismum, sanctam Eucharistiam, & alia id genus habeamus: quæ certè Turcæ ac infideles non habẽt. Verùm posset quispiam obijcere: Quid hæc prosunt, cùm interea permulti deterius habeant? & maior pars ijs abutatur? Cum Paulo respondebimus, hinc Dei bonitatem colligendam esse, quòd velit multos homines malos & Hypocritas tolerare, propter aliquot bonos viros, qui istis donis rectè vtuntur: & potius diutissimè perferre velit multos iniquos, quàm vt Ecclesia sua dissipetur. Dixeris forsan, Igitur vult eorum peccata, si tolerat. Quid ni aliquo modo velit? Alioqui minimè toleraret, nisi vellet, nil enim Deus fert inuitus. At hinc elicere non potes vllam hominum excusationem, aut, nobis quoque peccata semper esse ferenda. Non enim habet vllam sibi præscriptam Deus legem. Idcirco dum pro sua bonitate, quæcunque vult, agit, non est accusandus. At nobis lata est lex, qua cauetur vt moneamus proximum quem peccare viderimus: neque id semel, aut solùm, sed bis, & tertiò, ac testibus adhibitis: ita vt si nos tandem non audierit, prodatur Ecclesiæ: Quam etiam si neglexerit, pro publicano, & Ethnico habeatur. Hæc nobis præscripta sunt, & ideò fieri debent: modò peccata sint manifesta, & sine schismate possit agi. Alioqui si euellendo Zizania, triticum quoque eradicaretur, differendum esset vsque ad finem, vt sensit Augustinus. At interim impij nonnulli solent dicere: Vtinam nunquam habuissemus, aut verbum Dei, aut Baptismum, aut Eucharistiam. Nam quando ista non prosunt, sunt nobis ad grauius acerbiusque iudicium. Verùm isti scire debent, Non esse à Deo, sed à seipsis hoc malum. Quæ collata sunt diuinitus, bona sunt: ascribant sibi quicquid mali ex eis prouenit: & sciant, illa semper aliquibus prodesse: licet sæpius maiori parti sint ad condemnationem. Vnde bonus pastor non debet suum ministerium deserere, vt desistat vel à concionando, vel à sacramentis distribuendis hoc prætextu, quòd suam operam parum prodesse videat: imò fieri homines cernat deteriores. Quandoquidem stat inconcussa veritas huius loci: nimirum, ista multam vtilitatem habere. Neque est, cur vereatur, ne à Deo missus non sit: modò quoad alias rationes iusta sit eius vocatio. Nam Prophetæ citra controuersiam à Domino mittebantur, quando captiuitas Babylonica impendebat. Et cùm nullum, aut saltem minimum fructum ex suis concionibus haberent, & quoad maiorem partem verba eorum & ad iudicium, & ad condemnationem essent, non tamen à commisso sibi munere desistebant. Dominus vnam duntaxat causam fecit, propter quam liceret ministris verbi tacere: cùm amplius homines audire nollent, & apertè riderent, haberentque ea ludibrio, quæ dicerentur. Tum sanè puluis decutiendus de pedibus, & abeundum. Dum autem patiuntur audire, & si reluctentur, ferendi sunt. Neque verbum Dei statim edit suos fructus: Vt semen iactum in terram nequaquaquam è vestigio germinat. Et plærique sunt, qui sermone Domini audito, nihil tum fructificant: Verùm postea & castigati à Deo, & vehementius afflati, apud sese cum fructu repetunt, quod aliàs inutiliter audiuerant. Quod idem accidit in sacramento Baptismi. Infinitos enim reperies, qui ipsum apud se diutissimè habuerunt absque fructu. Cæterùm postea conuertuent. Obijcitur hîc nobis & alius scrupulus à papistis. Promissiones Dei, aiunt, non irritantur, vt dicit Paulus, per vitia & incredulitatem nostram: Igitur, cùm habeamus promissionem Dei, quòd spiritu sancto velit nobis adesse ad regendam Ecclesiã, id omnino præstitit. Quare vos malè agitis, discedendo à nostris placitis, nostráque communione. At isti vehementer hallucinantur: Cùm promissio de spiritu sancto, non illis, sed discipulis Domini facta fuerit. Primùm probent, se discipulos esse Christi: deinde nos eis credemus. Qui autem sunt discipuli Christi, non addunt verbis eius, neque statuunt quippiam contra sacras literas: quod isti planè faciunt. Clamant, spiritum sanctum datum Ecclesiæ. Fatemur: Sed quæ tandem est hæc Ecclesia? Num episcoporum Concilium, aut mitratorum synodus? Fuit semper in Ecclesia spiritus sanctus, & aliquos bonos viros afflauit, vt istis reclamarent, cùm aduersus sermonem Dei sua decreta constituerent. In summa vult Apostolus, exhibitionem diuinarum promissionum, non à nostris meritis, verùm à Dei bonitate pendere. Vt que liquet ex verbis Dauidis, quando inquit, Tibi soli peccaui, Nos quando oramus Deum, nihil nisi peccata ad illum afferimus. Ideo rogamus, vt nos audiat, quò iustificetur in sermonibus suis. Hypocritæ propter sua merita & bona opera audiri volunt: quia peccata sua non agnoscunt. Qui verò ea intelligunt, magnam consolationem hinc capiunt, quòd se audiendos confi-

Ad nos item pertinent quæ modo Paulus docet.

Non debemus ad exemplũ dei ferre peccata cũ illa possumus emendare.

Pastores etsi uideant se non multũ proficere, ministeriũ suum deserere non debent. Exemplum Prophetarum.

Quãdo liceat discedere à ministerio.

Semen uerbi Dei non statim suum fructum edit.

Baptismus interdum habetur aliquandiu sine fructu.

An papistæ promissionẽ habeant de spiritu sancto

Ecclesia spiritũ sanctũ habet, at non cœtus aduersariorũ Euãgelij

Ad deum nõ afferimus ex nostro nisi peccata

dant propter ipsam Dei bonitatem. Nam cùm in se omnia referta videant impuritate, nihil quam audèrent aut oculos, aut vota ad Deum attollere. Obseruabimus præterea, parcere Apostolum donis Dei, solumq; eos perstringere, qui illis abutebantur. Quia vidit, non cõsequi, vt si homines affecti à Deo magnis honoribus erga eũ ingrati fuerint, propterea honores illi habendi ne sint in pretio. Coloni vineæ Domini mali sanè fuerunt. At eorum improbitas non effecit, vt vineæ ornamenta, quæ à Christo & Esaia commemorantur, non fuerint mirificè illustria & vtilia.

Donis Dei parcendum est, & inuehendum in abusus.

Quod si iniustitia nostra Dei iustitiam commendat, Quid dicemus? Diuertit hîc Paulus nonnihil ab instituto: sed non est digressio à causa, quæ agitur, aliena. Extulerat plurimum Dei misericordiam: dixeratq;, incredulitate hominũ promissa Dei non labefactari: imò potius ex nostris peccatis Dei bonitatem illustrari. Hinc vidit, sibi posse obijci (vt carnis prudentia semper est parata ad traducenda verba Dei, eaq; detorquenda in prauum sensum) & Deum esse iniustum, qui animaduertat in nostra vitia, cùm per illa reddatur illustrior: & nullo habito respectu esse peccandum, cùm nostris sceleribus Deus magis iustificetur, atque ita semper constituatur victor, meliorq; illius causa reddatur. Commendat, inquit: quòd Græcè est, συνιστησι: quod etiam significat confirmare, & constabilire: quæ optimè conueniunt commendationi. Qua loquendi forma Apostolus infra quoq; vsus est, cum diceret, Deum commendasse nobis charitatem suam, quòd cùm adhuc essemus peccatores, filium suum pro nobis tradiderit. Hoc verò genus obiectionis admittit paralogismum accidentis. Siquidem peccatis propriè & per se non conuenit, vt Dei gloriam illustrent. Quod item dicendum est de eo, quod habetur in hac eadẽ epistola, Ex Iudæorum lapsu consequutã esse Gentiũ salutem. Non enim sentiendum est, causam salutis Gentium veram propriamq; fuisse lapsum Iudæorum. Nam ea ex diuino consilio nata est. Statuerat quippe Deus, reijcientibus Iudæis Euangelij prædicationem, transferre illam ad Ethnicos. Quicq; peccato laxant habenas, hoc prætextu, quòd velint Deo authores esse victoriæ, eumq; iustificare, non sunt illis absimiles, qui cùm ægrotauerint morbo difficillimo, & deinde à medico restituti artem eius effecerint magis perspicuam, rursus velint dare operam, vt in idem genus morbi recidant, quò magis medicus nobilitetur: aut si pauperes & mendici statuerent, ideò se velle aut egere, aut mendicare, vt munificentiam diuitum magis magisq; declararent. Non oportet esse culpabile, & turpe, quod per se conducat ad gloriam Dei. Virtutes, quæ veræ laudi coniunctæ sunt, gloriã Dei per se promouent. Non debemus mirari, nostram doctrinam calumnijs interdum premi: cùm istud idem Apostolis videamus vsu venisse. Vera prædicabant: & tamen ex illorũ verbis argutia sophistica pernicioſæ conclusiones ab impijs inferebantur. Dixerat ea Paulus, quæ modò legimus, sæpiusq; inculcauerat, gratiam ibi copiosam esse, vbi peccatum exuberasset: docueratq;, legem ideò subintrasse, vt augeretur delictum. Ex istis dicebãt impij, sequi, liberè peccandum esse, quòd ad assequendam gratiam, & promissiones diuinas maligna opus esset. Dolent quidem omnes, cùm nomen suum, atque famam traduci audiunt. Intelligunt enim boni nominis, & integræ famæ laudem donum Dei esse præclarum. Sed aliquanto alios molestè ferunt pastores, & ministri sermonis Dei hoc genus incommodi. Quia facilè animaduertunt infamiam suam, possimùm quoad doctrinam, & in Dei veritatem transfundi, & populis ministerio suo concreditis non vulgare damnum afferre. Idcircò subinde Apostoli calumnias huiusmodi à se depellebant. Quod idem patres quoque factitasse, scripte sexto res fusius disputabitur. Solùm in præsentia depellit à sua doctrina falsas calumnias. Hæc autem ideo consueuerunt ab impijs obijci: quia, cùm accusantur, semper sunt parati, vt suorum peccatorum causam, & culpam in Deum reijciant: non quidẽ apertè, sed per circuitiones. Nonnulli cùm aguntur, aiunt, se à stellis adigi ad ea committenda, quę faciunt. At quis fecit astra? Deus. Igitur Deus accusatur. Ita primo parẽti contigit, cùm à Deo reprehenderetur. Mulier, inquit, quam dedisti mihi, ipsa me decepit. Atque his verbis sui peccati causam in Deum retorquebat. Eodem pacto isti se gerunt, quos modò Paulus inducit. Peccamus, inquiunt: verùm doctrina Apostolica indicauit nobis, peccata nostra Dei gloriæ nõ officere: sed potius ad eius veritatem, fidem, & promissionum constantiam pertinere. Et hoc quid aliud est, quàm Dei verbum accusare? Quoad primam obiectionem Paulus ait:

Peralogismus accidentis.

Apostoli doctrina fuit calũnijs obnoxia.

Omnes dolent, cũ se traduci audiunt & præsertim ministri.

Impij suorũ peccatorum causam in Deum reijciũt

Num iniustus Deus, qui inducat iram? Ac si diceret: quod vobis fingitis, iniustè puniri peccata, si eorum occasione Dei bonitas effulget, absurdum est: quia tunc Deus iudicaret iniquè. At nulla id potest recta ratio suspicari, vt qui iudex est omnium, sit iniustus. Ideò addit:

Secundum hominem loquor. Hoc est, Hæc dico, non quòd ita re ipsa sentiam: sed ea refero, quæ

quæ homines & sæpè cogitant, & nobis frequenter obijciunt. Quod autẽ ad verba attinet, operæpretium est notare cùm dicitur: Si iniustitia nostra iustitiam Dei commendat, per iustitiam Dei bonitatem, & misericordiam intelligi. Nam quod Hebræis est צדק nostri vertũt iustitiam: cùm re vera significetur misericordia. Item scribitur veritas Dei, quod nihil aliud est, quàm fides. Dixit enim antea, Numquid incredulitas nostra fidem Dei faciet irritam. Ibi, fides, & hîc, veritas, non est nisi constantia pactorum & conuentorum. Et docemur, cùm legimus. *Iuxta hominem loquor*, cuius generis ea sint, quæ nobis non regeneratis, sed à Deo alienis in mentem veniunt. Origenes hoc loco sectatus est aliam lectionem. Nam habet, κατ' ἄνθρωπον. Idq; coniungit cum his, quæ præcesserunt: vt hæc sententia eliciatur: Num iniustus est Deus, qui inducat iram aduersus hominem? Absit. At lectio vulgata & plana est, & instituto bene conuenit. Modus, quo Apostolus vtitur in respondendo, cùm inquit, Absit, nos docet, quàm promptè debeamus à nostris cogitationibus repellere, quicquid absurdi aduersus Deum ex scripturis ratio infert. Debemus è vestigio respondere, iuxta hominem hæc sunt, & ideò non sunt audienda. Sæpè fit, vt sensus noster existimet, Deum crudelem esse, oblitum suorum, personarum acceptorem, & alia id genus. Sed tunc in mentem veniat, Dei rationes non esse metiendas humano iure. Nam est supra omnes leges, neque ab alijs iudicari debet. Hoc adulatores tribuerunt Romano Pontifici, quòd habeat plenitudinem potestatis, vt dispensare possit & humana iura, & diuina: ita, vt ipse à nemine iudicari debeat. Quam plenitudinem potestatis Baldus iurisperitus suorum temporum non postremus scripsit, esse plenitudinem tempestatis: vt quæ omnia iura, & leges inuertat. Tantùm Deo ista conueniunt. Quare blasphemum est, vt homini tribuantur. Solùm de rebus diuinis nefas est inuestigare causas, & rationes. Quicquid autem vel à Philosophis, vel à quouis hominum genere nobis proponitur, ad amussim verborum Dei examinandum est.

Absit quid Apostolo.

Rationes Dei nõ sunt metiendæ humano iure.

Ac non potius, quemadmodum de nobis male loquuntur, & sicut quidam aiunt, nos dicere, Faciamus mala, ut ueniant bona: quorum damnatio iusta est. Altera obiectio opponitur, qua dicebant aduersarij, peccandum esse, vt consequeretur eximium bonum, nimirum Dei iustificatio, & eius misericordiæ commendatio. Vno verbo occurrit, cùm inquit, damnationem istorum iustam esse. Nam sic fatetur, à sua doctrina alienum esse tam grauem errorem, quando vnà cum ipsis illum condemnat. Licet id aliqui exponant passiua significatione, quasi condemnatio sit, qua ipsi damnentur, quòd tam malè de Euangelio senserint. Diluuntur istorum obiecta, cùm ad absurda deducuntur, quæ non debent concludi ex his, quæ à Paulo dicta sunt, verùm ex falso istorum figmento, quo putabant, peccata veram esse causam iustificationis Dei. Apostolus verò cùm illis inquit, facienda non esse mala boni euentus ergo. Itaque nemo prætexat suæ culpæ bonam, vt loquuntur, intentionem. Proposita nobis est lex à Deo: illi pareamus oportet. Ne sectemur ratiocinia humana, cogitando apud nosmetipsos, Cùm obediero præceptis Domini, hoc vel illud sequetur incommodi, aut absurdi. Hoc est se præferre Deo: quasi non fuerit ab ipso perspectum, quid nobis ex obseruatione mandatorum eius euenire posset. Multus est Augustinus in hoc loco obtrudendo, cùm scribit ad Consentium contra mendacium. Certè nobis quoque hoc tempore lucta est cum his, qui multa mala defendunt prætextu boni finis. Sacramentum Eucharistiæ ausi sunt mutilare, quòd suspicarẽtur, calicem effundi posse, si laicis distribuatur. Volunt item populum precari ignota lingua, quod verbo Dei est interdictum: & aiũt, satis esse intentionem laudabilem, & bonum finem. Et sic audent infinita, non expendentes, quid hoc loco à spiritu sancto dicatur. Quin & nobis eadem impingunt, quæ nunc Paulo obijciuntur. Dum enim prædicamus iustificationem gratis, & absque operibus, aiunt, nos patefacere aditum laxiori vitæ, & damnare bona opera: cùm tamen ista nos minimè doceamus. Remittit quidem Deus peccata gratis: sed non propterea licentiam peccandi suis indulget: sed vnà cum iustificatione spiritus sanctus datur, & vitæ innouatio: vnde studium bonorum operum non vulgare oritur. At si vellemus aduersus eos vrgere cauillos huius generis, fortasse deprehenderentur ipsi, longè magis laxiori vitæ causam dare: quando-quidem statuunt confitendo sua peccata, & absolutionem Ecclesiasticam accipiendo, & si non habeantur in animo boni ac sancti motus, iustificationem offerri, modò obicem, vt loquuntur, non opponamus. At istud admodum facile est, & peccatis viam aperit: quod etiam non minus eorum facit purgatorium. Nos vero iustificationẽ haud pollicemur, nisi vbi fuerit germana & solida fides, quam perpetuò bona opera comitantur. Quare cùm obijciantur nobis eadem, quæ Paulo, apparet, & nostram, & illius eandem esse causam. At his hu-

Peccata nõ sunt uera causa iustificationis Dei. Contra bonam intentionem.

Iustificatio gratuita non aduersatur bonis bonis operibus. Figmenta Papistarum bona opera eneruant.

Vnde nouatianorum lapsus.

manis ratiocinijs non est indulgendum. Sic Nouatiani lapsi sunt: qui, dum prætexerent, se nolle occasiones peccandi suppeditare, pœnitentiam tandem negauerunt. Consimilia exempla possent induci permulta.

Quid igitur præcellimus eos? nullo modo. Redit ad institutum, à quo nonnihil diuerterat. Et quamuis videatur, nonnulla Iudæis præsentibus tribuere, tamen non vult inde concludi, illos Ethnicis præstare. Sed potius id contendit, vt eos æquet cum Ethnicis. Neque pugnat, quod modò habet, cum his, quæ prius dixerat: licet prima fronte nonnihil contradictionis in verbis esse videatur. Siquidem antè scripserat, multò præstantiorem esse conditionem Iudæorum: & circuncisionem magnam illis vtilitatem attulisse. At hîc videtur, ea, quæ posuerat, negare. Distinctio tamen, cuius antè meminimus, ista facilè conciliat. Si enim Deum respexeris, certè is complura Iudæis contulit, quæ alijs nationibus non dedit. At si Iudæos ipsos contempleris, adeo sunt illis bonis abusi, vt nihil præ alijs gentibus habuerint. Quo fit, vt vtraque sententia veritate non careat. Admonent Græca scholia, duplicem hîc esse lectionem. Cùm enim audiant efferri, quæ Hebræi peculiariter obtinuerant à Deo, interrogant, Quid igitur? Num vincimur nos, aut superamur ab eis? Ita, vt προεχόμεθα passiue accipiatur. Altera lectio est, vt illud verbum actiuè significet, quasi hæc sub Iudæorum persona dicantur. Cùm enim iam audiuissent celebrari sua dona, inferunt, Quid igitur? Non ne dignitate Gentes superamus? Quibus Paulus per negationem respondet: Nullo modo. Atque habet hoc responsum magnam emphasin: ac si dixisset: Quæ à me prius cõmemorata sunt, ad personam attinent vobis à Deo positam: non autem sunt vestra. Et quòd admiscet seipsum, dicendo, Præcellimus, reprehensionem facit leniorem, magisq; tolerabilem. Neque interim mentitur, cùm & ipse fuerit pars Israelitici populi secundum carnem. Est in Ecclesia tanta

Connexio inter bonos & malos.

connexio eorum qui in ea versantur inter sese, vt quemadmodum mali, qui versantur inter bonos, eorum laudes, & beneficia in quibusdam rebus participãt (etenim propter eos diutius à Deo tolerantur, & nonnullis cùm temporalibus, tum etiam spiritualibus bonis perfruuntur.) Sic è diuerso, non parua incommoda propter impios homines redundant in sanctos: quandoquidem pœnas eorum experiuntur, & eisdem cum eis calamitatibus inuoluũtur non rarò: neque habent, quod iustè conquerantur, cùm ad illos aliorum peccata aliquo

Peccata improborum ad bonos quomodo pertinent.

modo pertineant. Non enim aut monuerunt, aut reprehenderunt, aut increpauerunt eos, quantum debuerunt. Neque seipsos semper præbuerunt vitæ melioris exemplum, vt parerat: neque quantum debuissent, pro eis orauerunt. Quare in se agnoscentes peccatorum hu iusmodi communionem sancti Prophetæ, cum alijs dicebant: Peccauimus: iniquitatem fecimus: Tibi iustitia: nobis autem confusio faciei. Rationem modò reddit, quare Iudæi nihil præstantius habeant, quàm Gentes.

Quoniam, inquit, criminati sumus, causasq; reddimus ostendendo, tam Iudæos quàm Gentes sub peccato esse. Atque nunc præter suas accusationes testimonia quoque scripturarum adducit, in quibus manifestissimè Iudæi comprehendebantur. Non enim fit verisimile, Prophetas, & scripturas aliorum crimina reprehendere, & eorum tacere, ad quos cum primis pertinent. Si quando Gentes arguuntur in scripturis, nominatim eas expressas videas. Onus Damasci, inquit Esaias: Onus Aegypti, Onus Tyri: & alia id genus. Non est iustus, ne vnus quidem. Habetur hoc testimonium Psal. 14. & Hebraicè legitur, אין עשה טוב faciens bonum. Græci interpretes verterunt ποιῶν χρηστότητα: quod est, bono, aut commodo proximum afficere. Expoliat eos charitate. Sequitur:

Non est intelligens, non est requirens Deum. Habentur hæc psal. 53. Et est oraculum generale tam aduersus Gentes, quàm aduersus Iudæos. Quoniam antè hæc verba illic scribitur: De cœlo prospexit Dominus super filios Adam, vt videat, num sit intelligens, & requirens Deum. Quæ dicuntur per ἀνθρωποπάθειαν: quasi Deus ijsdem proprietatibus afficiatur, quibus

Cur tropus ἀνθρωποπάθειας Deo attribuatur

eos affici solemus: valetq; id ad efficaciam affigendam his, quæ dicuntur. Deus alioqui habet omnia percepta: neque illi opus est aut aspectu, aut inuestigatione. Hoc tropi genere in libro Geneseos dicitur ad turrim descẽdisse, cùm extrueretur: et in eodem libro dicit se profiscisci ad Sodomã, vt videret, num res ita esset, vt clamor, & fama ad se pertulerat. Licet Au-

Deus quomodo spectare homines dicatur.

gustinus tractans hunc locum scribat, Deum homines contemplari, atque dispicere, quando ad id faciendum incitat eos, quos afflauerit spiritu suo, iuxtà eas loquutiones, quibus dicitur tentare, vt sciat, num diligatur. Nouit quippe etiam citra experimenta: sed per illa tamen efficit, vt ipsi admoneamur, & cognoscamus, quod antea compertum non habuimus.

Quomodo spiritus scrutetur profunda Dei.

Ita Paulus ait, spiritum scrutari profunda Dei. Porrò cùm spiritus sanctus sit Deus, ad scien-

dum haud quaquam eget perscrutatione. Verùm sic Apostolus loquitur, quòd eius impul-

sus nos

sunos ad perscrutandum ea, quæ Dei sunt, excitemur. Verùm, quia additum est, De cœlo, ne id obstet, asserit Augustinus, neminem posse hanc hominum corruptionem intelligere, nisi mente versetur in cœlo, diuinoq; spiritu agitetur. Sed prior interpretatio & facilior est, & expeditior. Cumq; dicantur homines, non esse intelligentes Dei, non agitur de simplici, vulgariq; notitia: verùm de potenti, atque efficaci: vt idem sit intelligere, atque sentire, vel sapere.

Homines an uere dicantur Deũ non intelligere.

Nec exquirens Deum. Etsi omnia Deo plena sint, pijs tamen hominibus exquirendus est, ob tenebras, quæ propter originale peccatum mentes nostras circumfundunt. Nam & caro, & sensus, & terrenæ affectiones obstant, ne illum cognoscamus, quamuis præsentem. Atque hoc secundo testimonio mortales omnes exuuntur fide. Subditur.

Si Deus ubique cur dicitur exquirendus.

Fides hominibus, non est naturalis

Omnes declinauerunt simul inutiles facti sunt: Non est, qui exerceat bonitatem: non est usque ad unum. Hæc proferuntur quasi ex ore Dei, postquam contemplatus esset de cœlo mores hominum. Estq; id sanè consequens, vt, qui fide, & charitate destituuntur, retro abeant, & à Deo discedant. Sic enim Hebraicè sonat, quod hîc dicitur, Declinauerunt. Quodq; hîc habetur, Inutiles facti sunt, est apud Hebræos, computruerunt, ac fœtentem odorem ediderunt: quod fit, cùm & publicè, & assiduè peccatur.

Non est usque ad unum. Aliqui per vnum interpretantur Christum. Quod is solus à peccato fuerit immunis. Quod licet verùm sit, eorum tamen interpretatio his verbis minimè conuenit: cùm Hebraicè sit אין גם אחד hoc est, Ne vnus quidem. Atque ita valet hæc sententia plurimùm ad exaggerandum commune hominum scelus. Miraberis forsan, quare non excipiantur sancti Prophetæ, vt Dauid, & alij similes. Respondent aliqui, hanc esse hyperbolen: quòd maior hominum pars ita esset affecta. Sed rectius mihi esse videtur, spiritum sanctum loqui de hominum ingenio, cuiusmodi sit per seipsum. Nam qui comprehendebantur in Christo, fuerunt hoc numero exempti. Quod tamen eis concessum non est ex suis viribus, aut quà homines erant: sed quòd essent regenerati, & in stauati per Christum.

Sepulchrum apertum est guttur eorum: Linguis suis dolosè egerunt. Hæc leguntur psalmo quinto. Hactenus ostendit, eos non fuisse vtiles proximo, neque Deum exquisisse. Nunc verò indicat, eos cùm lingua tum etiam factis perniciosos fuisse erga proximos. Confert sepulchro os illorum, quòd turpia loqueretur, & fœteret, vt sepulchrum solet. Sepulchrum etiam mortuos, quos semel absorpsit, non remittit. Ita isti linguis & ore impuro homines vexant absque modo & fine. Ad hæc sepulchrum dicitur, nunquam exaturari. Ita isti non sunt contenti vnius, aut alterius exitio: prompti sunt, & parati ad omnes, si fieri posset, deuorandos. In summa tales eos facit, vt qui retibus sermonum eorum fuerit semel inuolutus, de eo prorsus actum sit, non minus, atque de illis, qui iam humati fuerint. Nec emphasi caret, quòd additum est, Apertum. Quia sepulchra clausa non excipiunt ea, quæ inferuntur: patentia autem nihil respuunt. Linguis dolosè agere, est apud Hebræos יחליקון quæ vox est à verbo חלק quod est partiri, & distribuere. Idq; vitium describitur, quo, non, vt res habet dicitur, sed quo sermo temperatur ad gratiam & ad commodum. Cum vno enim loquuntur longè aliter, quàm cum alio loquuti fuerint. Bilingues dixeris. Iacobus eos taxabat, quòd ex eodem ore dulcia proferrent, & amara.

Sepulchri metaphora.

Venenum aspidum sub labijs eorum. Hęc habentur Psal. 140. Confert istorum sermones cum præsentissimo veneno serpentum.

Quorum os execratione, & amarulentia plenum est. Execratione, Ἀρᾶς Græcè. Competit hoc in eos, qui præ iracundia adeò sunt impotentes, vt nil valeant loqui, nisi execrando, imprecando, aut mala ominando. Acerbos habent sermones, vt lanceas, & enses loqui videantur.

Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Esaiæ capite 59. Trucia verba consequuntur cædes. Et videntur potissimum ista dici propter necem Prophetarum, qui miserabiliter ab impijs obtruncabantur.

Contritio & calamitas in uiis eorum. Nonnulli per contritionem, & calamitatem intelligunt peccata. Sed potius videtur esse phrasis, qua per eorum vias, intelligas quicquid agunt, moliuntur, conantur, ac tentant. Id autem nihil est, nisi afflictio, & oppressio aliorum.

Viam pacis non cognouerunt. Nihil enim suscipiunt faciendum, quod ad commoditatem, & salutem proximorum conducat.

Non est timor Dei coram oculis eorum. Psalmo trigesimosexto, ista leguntur. His verbis attingitur summa, & caput omnium malorum: quod est, Deum non reuereri. Potuisset Paulus adducere alia etiam certissima testimonia contra Iudæos. Vt quæ habentur apud Esaiam capite primo. Vbi eos Propheta vocat, semen nequam, filios sceleratos: principes eorum, principes Sodomæ: & populum eorum, populum Gomorrhæ. Et infinita extant in hanc sententiam. Sed Apostolo libuit hæc tantùm proferre. Vnde addiscimus, quæ sit hominis conditio, qui extra Christum degat. In primis Deo caret: imò ira Dei manet super eo: deinde mancipium est satanæ, & organum factum ad omne prauum opus.

Caput malorum

Scimus autem, quòd quæcunque lex dicit, his, qui in lege sunt, dicat: Vt omne os obstruatur, & obnoxius fiat totus mundus Deo. Ne cauillentur Hebræi, hasce scripturas ad se non pertinere, Apostolus hæc intulit. Nec Iudæi poterant ire inficias, se sub lege esse, cùm ea illis præcipue lata fuerit, atque ipsi in fœdere polliciti sint, se omnia facturos, quæ Deus præceperat. Circuncisi deinde professionem ediderunt legis obseruandæ. Quin & nos ipsi quodammodo sub lege sumus. Nam moralia præcepta, cùm ex lumine naturæ cognoscantur, efficiam suam perpetuò retinent. In ceremonijs quoq; semper aliquid spectandum est precipuum, quod nucleum, succum, & nexum dixeris: id'que perpetuò manet. περισσότερον tantùm, quas circunstantias appellant, subinde mutantur. Iudicialia item honesta & iusta continent, quæ à nobis etiam conseruantur: licet modus pœnarum, & alia quædam singularia liberè immutentur. Et quàm latè pateat Lex, cui subdimur, declarat epistola ad Philippenses: in quà scribitur: Quod reliquum est, fratres, quæcunque sunt vera, quæcunque accommoda, quæcunque boni nominis, si qua virtus, & si qua laus, hæc cogitate: quæ & didicistis, & accepistis, & audistis, & vidistis in me: hæc facite. Hinc patet, vtili decipiantur, qui ex præceptis consilia faciunt: & inde grauius peccant, quòd opera constituant, vt ipsi loquuntur, supererogationis. Igitur, quæ hîc dicuntur, nos quoque tangunt, si à Christo exciderimus. Notæ vniuersitatis expendendæ sunt, quibus Paulus, vtitur, cùm ait.

Nos aliquo modo sub lege sumus.

Lex sub qua degimus quàm latè pateat.

Nõ licet ex præceptis cõsilia facere.

Opera supererogationis excluduntur.

Omne os, & totus mundus. Quia non parum momenti habent ad iustificationem rectè definiendam. Non temerè vult, os oppilari, cùm plus æquo omnes proni simus ad excusationes, nullusq; inueniatur, qui non de se magnificè sentiat. Cùm egerit Apostolus scripturarum testimonijs, illi conueniendi sunt, qui sacras literas è manibus fidelium excussas volunt. Hinc facilè apparet illarum vtilitas, cùm ita & ad omnes pertineant, & peccata ob oculos ponant. Chrysostomus in Homelia de Lazaro & Diuite, omnes promiscuè hortatur ad eas legendas: & illos nominatim, qui versantur in foro, mercantur, & familias aluunt. Affirmatque, non posse fieri, vt salutem assequantur, nisi diurna nocturnaque manu versent sacros libros. Quin & addit, illis magis opus esse lectione sacra, quàm sanctioribus hominibus, quòd perpetuò versentur in maiori discrimine. Vox illa αὐτάρκεστος ab eodem Chrysostomo exponitur de eo, qui sibi ipsi nihil potest de suo ad defensionem suscipere: sed opus habet alio. Illi subiecti fiunt Deo, qui non habent, de quo glorientur. Et confessio peccatorum nos maximè tales reddit. Laborauit multum Apostolus vsque ad hunc locum in accusandis criminibus, quò homines ad Christum impelleret. Quem nos etiam pro viribus imitari debemus, dum agimus cum proximis. Reperiuntur, qui nolint à pastoribus, & concionatoribus audire, nisi tractationes de rebus diuinis, & subtilium quæstionum definitiones. Sed illi longè falluntur. Prius enim expedit, vt sua ipsorum peccata perspecta habeant. Quemadmodum medicus solet ab vlcere putrido prius corruptam carnem resecare, quàm lenientia remedia velit abhibere. Atque hoc pacto fit, vt Lex Euangelio viam aperiat. Neque mireris, hoc loco per legem intelligi Prophetas, & Psalmos. Nam quicquid habetur in tota scriptura, ad institutionem vitæ facit: quod peculiare ac proprium est legis.

Scripturæ omnibus necessariæ.

A pastoribus oportet ante omnia coargui peccata. Simile.

Quid sit proprium legis.

Quia ex operibus Legis non iustificabitur omnis caro in conspectu eius. Ratiocinatus hactenus est Paulus, iustificationem ab his rebus expectandam non esse, quibus adeptis turpiter viuitur. Philosophiam ac legem sic habere indicauit: siquidem ab illo traductæ sunt tam Gentes, quàm Iudæi, quòd sceleribus vehementer contaminati essent. Vnde conclusum est, tam istis, quàm illis obstructum esse os, ita vt totus mundus Deo factus sit obnoxius. Quod vltimo loco potissimùm inferebatur ex testimonijs varijs scripturæ sanctæ, quia aduersus Hebræos acrior dimicatio erat cõserenda. Nã Ethnici facilè cesserunt. Palàm quippe turpiter viuebant: neq; poterant ex Philosophia, nisi hominũ inuenta, & opiniones adferre.

Cõtra Iudæos acrior dimicatio quàm contra ethnicos.

adferre. Hebræi verò legem & ceremonias prætexebant, quæ diuinitùs acceperant: & ideo videbantur, iure illis posse confidere. Et quæ contra eos ex scripturis diuinis prolata sunt, fortasse dixissent, ad suos maiores, & ad eos, qui tempore Prophetarum turpiter vixissent, non ad suum vniuersum genus pertinere. Ideo Apostolus inducit sententiam, qua illos omnino reprimat: & asserit, neminem hominem coram Deo ex operibus legis posse iustificari. Vbi non hominibus, aut personis tantùm vim iustificandi subtrahit, verùm ipsis etiam operibus legis: ita, vt sequatur, necessarium esse illis non confidere. Prout enim à lege imperabantur, ea præstare nemo potuit. Cùm enim duo requirerentur, primùm, vt opera ex fide, gratia, charitate proficiscerentur, deinde, vt per omnia, & ad amussim cum lege congruerent, cùmque, vt ea fierent, lex vires non suppeditaret, superarant tùm externæ obseruationes, & ceremoniæ: de quibus Apostolus ait, quòd vim iustificandi non habuerint. Deinde firma ratione concludit, iustificationem legi non esse acceptò ferendam, quòd per illam agnitio peccati præbeatur. Cùm itaque Lex damnet, & accusat, non absoluit, neque iustificat. Nam contraria sunt hæc duo munera, & inter se pugnantia. Atque his ita dispositis, summam propositionem constituit, de qua in hac epistola disputandum est: Iustitiam sine lege prouenire. Vnde fit, illam ab ea non pendere. Asserit posthæc, iustitiam Dei, quæ à lege ac Prophetis testimonium habet, ex fide Iesu Christi dimanare. Atque hoc idem est cum eo, quod ab initio proposuerat: Euangelium esse potentiam Dei ad salutem omni credenti: & in eo reuelari iustitiam Dei ex fide in fidem: atque iustum, vt Habacuc dixit, ex fide viuere. Hæc ad dispositionem pertinent. Modò singula excutienda sunt. Quòd ait, in conspectu Dei non iustificandam ex operibus legis omnem carnem, requirit, vt videamus, de quibusnam operibus legis Apostolus hîc agat. Vbi affirmamus, eum in vniuersum loquutum esse: ita, vt quæ hîc dicantur, non debeant priuatim ad ceremonias contrahi, cùm vniuersam legem includant. Fatemur quidem, controuersiam ortam fuisse propter ceremonias. Nam eas Pseudoapostoli tonabantur vt necessarias credentibus in Christum obtrudere. Ac si Christus non posset absque his afferre salutem credentibus. Quod fuit blasphemum, neque minus à pietate alienum, quàm Christum negare, fuisse Christum: quod illos necesse est fateri, qui asserunt, eum absque operibus legis non posse homines seruare. De moralibus autem mandatis non contendebatur. Tam enim Apostoli, quàm impostores illa vrgebant. Neque controuersia fuit de ciuilibus, vel, vt loquuntur, de iudicialibus: quia illa pertinent ad Rempublicam. Quæ cùm suos haberet magistratus, Ecclesia & Apostoli harum rerum curam non subierunt. Sed licet ob ceremonias orta fuerit dissensio, tamen spiritus sancti beneficio contigit, vt Paulus quæstionem à specie & parte ad genus vniuersum reuocaret. Nam si genus per negationem euersum fuerit, consequitur, vt species quoque & pars quælibet interimatur. Si enim generaliter lex non iustificat, certè nec ceremoniæ iustificabunt: cùm illæ sint species quædam & pars legis. Cæptum verò esse dissidium rituum causa, Apostolorum Acta testantur, capite decimoquinto. Et non multò post in hac eadem epistola. Apostolus probaturus, Abrahamum non fuisse iustificatum ex Lege, rationem à Circuncisione desumptam adducit. Necnon ad Galathas, vbi refert eandem sententiam, & ferè totidem verbis, atque hîc, cùm ait: Nos natura Iudæi, & non ex Gentibus peccatores: quoniam scimus, non iustificari hominem ex operibus legis: nisi per fidem Iesu Christi. Et nos in Christum Iesum credidimus: vt iustificaremur ex fide Christi, & non ex operibus legis. Quia non iustificabitur ex operibus legis omnis caro. Et citra controuersiam est, Paulum non reprehendisse Petrum, nisi de ceremonijs. Et ibidem habet tertio capite: Ex operibus legis spiritum accepistis, an ex prædicatione fidei? Adeò stulti estis, cùm spiritu cæperitis, nunc carne consummamini? Vbi per opera legis, cùm ea per carnem exponat, manifestè ceremonias Mosaicas intelligit. Sed quamuis controuersia ex eo nata fuerit, commodissimè tamen factum est, vt eam Paulus reuocaret ad genus. Quandoquidem futurum erat, vt ceremonijs explosis, permulti iustificationem voluerint successu temporis moralibus operibus tribuere. Quod satis euidenter ex ratione Pauli sic elaborata confutatur. Et notandum est, argumentum esse reciprocum. Nam quemadmodum licet inferre: Nulla opera legis iustificant: igitur, nec ceremoniæ. Sic possumus è diuerso concludere: Si ceremoniæ non iustificant, igitur nec alia pars vlla legis: quandoquidem illæ erant potissima pars legis. Sunt enim officia primi & maximi præcepti. Ego sum, inquit Dominus, Deus tuus: quare par est, vt abs te colar, & spiritu, & externa confessione: non tantùm vocis, verùm etiam rituum à me constitu-

Propositio vniuersalis ex operibus legis neminem iustificari.

Cùm lex damnet & accusat non absoluit. Iustitia sine lege contingit.

Iustitia ex fide Iesu Christi.

Qui dicunt ceremonijs fuisse opus ad iustificandum, affirmant Christum nõ esse Christum.

Opera sunt accipienda in vniuersum quãdo affirmãtur non iustificare.

Quæstio mota est propter opera ceremonialia

Si ceremoniæ nõ iustificant neque pars moralis iustificat.

torum. Neque minus obligabant illę ceremoniæ veteres patres, quàm nos hodie Baptiſmus & Euchariſtia. Vnde ſicut illi grauiſsimè peccabant, quando non erant contenti cultu à Deo ſibi præſcripto, ſed nouas quærebant ceremonias, & ritus ab hominibus inuentos (id enim erat diuinæ ſapientiæ velle addere: & ſapientiam præcipuam fuiſſe cultum à Deo inſtitutum, habes in Deuteronomio capite quarto,) ſic noſtri grauiſsimè peccant, cùm præter Baptiſmum, & Euchariſtiam, & quæ à Chriſto habemus nobis tradita, ſtatuunt alia, quæ homines inuenerunt, vt Dei cultus, & vt ad ſalutem neceſſaria. Cuiuſmodi ſunt Miſſa, inuocatio ſanctorum, & alia id genus. Quodq; per opera legis intelligantur etiã moralia, docet Auguſtinus per id, quod ſequitur:

Per legem enim agnitio peccati. Licet enim aliæ quoq; partes legis vtcunque peccatum demonſtrent, id tamen cum primis pars moralis præſtat. Atque capite ſeptimo id habetur diſertè, cùm ſcribitur: Nam concupiſcentiam ignorabam, niſi Lex dixiſſet, Non concupiſces. Eſt præterea notandum, opera legis, vt antea dixi, cùm propriè ſumuntur, habere conIunctam ſecum fidem, & charitatem: & idcircò non eſſe ea abſque iuſtificatione. Vbicunque enim vera fides eſt, iuſtificatio conſequitur. Sed intelligit Apoſtolus per opera legis, prout ab illis fiebant inutilia, & ex hypocriſi. Alioqui Lex quidem ſpiritualis eſt. Quare opera eius oportet eſſe bona, ſi tota, & integra conſiderentur. Atque hoc pacto conciliare poterimus, quæ in ſcripturis hàc de re videntur pugnare. Moſes dicebat, ſe proponere Iudæis vitam, cùm ageret de Lege. Et in pſalmo centeſimo decimonono. Sæpè orat Dauid, vt Deus ſe viuificet mandatis, & lege ſua. Et in hac eadem epiſtola Lex & bona, & ſpiritualis dicitur: & mandatum ſanctum, bonum. At è diuerſo illam Paulus appellat miniſterium mortis: & in proximo capite eam dicit iram operari: &, rurſus peccatum oſtendere: & idcirco damnare & accuſare. Sic etiam patres intelligendi ſunt, cùm operibus tam exImia tribuunt. Nam illa ſumunt cum fide, gratia, ſpiritúque coniuncta. Atque ita æternam ſalutem, atque alia id genus illis aſcribunt: quæ propter fidem & ſpiritum intelligenda ſunt illis concedi. Simile eſt ſatis appoſitum. Dicimus, hominem eſſe rationalem: cui tamen rationem tribuimus, non propter corpus, ſed propter animum in corpore incluſum. Sic operibus cùm iuſtificatio videtur aſcribi, propter fidem hoc fieri ſentiendum eſt, cui maximè innituntur opera, quæ verè ſunt bona. Verùm nos de iuſtificatione loquuturi perſpicuè ac diſertè dogma proferre debemus. Vnde per fidem ſolam dicimus iuſtificationem contingere: quam tamen nunquam ſolam eſſe fatemur. Nam ſi vera ſit, bona opera perpetuò ſecum habere coniuncta debet. Sancti verò patres hyperbolicè de operibus loquebantur, vt homines ad illa magis magiſque accenderent. Sed ita, vt dixi, accipiendi ſunt, niſi eos velimus abſque Chriſto relinquere. At obijciunt nonnulli, fidem quoq; ipſam opus eſſe legis. Ideò reſpondemus, vt noſtrum opus eſt, à voluntate & intellectu expreſſum, non iuſtificat. Quia infirmum eſt, & debile. Nullus enim credit, quantum debet, neque vt par eſt, fortiter aſſentitur. Sed cùm fides iuſtificare dicitur, pro obiecto ſuo ſumitur, videlicet Chriſto, & promiſsionibus Dei. Neque eſt fides id, quod iuſtificat: ſed inſtrumentum, quo iuſtificatio percipitur. Neque intelligendum eſt, quòd ſuo merito ſufficiat ad hominem iuſtificandum. Simile affertur ſatis euidens de mendico, qui manu infirma, vel etiã fortaſſe leproſa eleemoſynam accipit. Beneficiumq; illud, non penes manus, quæ accipit, vel debilitatem, vel morbum expenditur, ſed pro quantitate pecuniæ, quæ datur. Cùm itaque rogamur, num opera legis iuſtificent, reſpondebimus: Si ea intelligas truncata & mutila, nihil habent cum iuſtificatione commune. Sin autem intelligas opera legis integra, non ſunt à iuſtificatione aliena: quandoquidem ſecum habent fidem: cui tanquam radici innituntur. Non tamen ſatebimur, opera bona hoc pacto ſumpta iuſtificare: quoniam ex iuſtificatione prodeunt, illámque ante ſe requirunt neceſſariò: atque ideò ab ea non ſunt aliena, quòd ab ipſa pendeant. Dixeris forſan, cur Paulus per opera legis intelligit illa mutila, & imperfecta? Quia more aduerſariorum illis vtitur: qui tantùm hæc reſpiciebant: erantque cùm à Chriſto, tum à fide in eum alieni. Quòd autem re vera Paulus non putet hæc opera legis, ex eo apparet, quòd ſupra ſcripſerit: Non qui in manifeſto eſt, Iudæus: nec quæ in carne eſt Circunciſio. Vbi vides illum apertè naturam Iudaiſmi, & Circunciſionis, ab ea obſeruatione, quæ tantùm externa ſit, auferre. Et certè ſimulachra bonarum rerum, ſi tantùm ſpeciem habeant, & ſint inania, inter vituperanda cenſentur: Vt Sophiſtica facultas, cùm ſcientiam præſeferat, & illa re vera careat, damnatur. Et hypocriſis deteſtanda eſt: quæ, licet ſimulachrum ſanctitatis exhibeat, ab ea tamen eſt quàm remotiſsima. Vnde ſi quis contra propria, & vera opera legis ijs teſtimonijs velit vti, quæ modò Paulus

habet,

Propria opera legis quæ habeant principia.

Diſtinctio operũ legis, Conciliatio locorum pugnantiũ.

Si à patrib. iuſtitia tribuitur interdũ bonis operib id eſt intelligendum propter fidem quam ut radicẽ habẽt. Per ſolam fidem iuſtificamur quæ tamen nunquam eſt ſola. Patres de operibus hyperbolicè loquuntur. Fides quà opus eſt nõ iuſtificat. Vis iuſtificandi ad eius obiectũ referenda eſt. Simile.

Opera non iuſtificãt quòd ex iuſtificatione prodeant. Cur Paulus opera legis uocet quæ mutila ſunt & imperfecta. Simile.

habet, quæ que ab illo in consimili argumento alibi scribuntur, profectò eis abutetur. Vt si quis in veram nobilitatem ea conuicia faciat, quæ iure in eos dicuntur, qui cùm præclaros maiores habuerint, ab eis in turpissima vitia degenerant: Aut, si illis modis eloquentia traducatur, quibus solemus eos iure vituperare, qui tantùm politis, & ornatis verbis inepta fucant argumenta: cùm solidæ veritatis sint prorsus ignari. Verùm de hoc satis in præsentia. Id iam exponendum est, quare adiecta sit ea particula.

Alterum simile.

Coram Deo. Ideò videlicet, vt per ἀντίθεσιν agnoscas, nonnullos posse coram hominibus iustificari interdum ex operibus Legis. Quia, cùm humanus intuitus ad intima cordis non pertingat, ex operibus consueuit ferre sententiam. At Deus, vt Augustinus exponit, in libro de spiritu & Litera, cor intuetur: & interdum videt eos, qui exterius legem seruant, maluisse potius aliter agere: nisi vel pœnæ illis imminerent, vel suam æstimationem perituram, arbitrarentur: cùm re vera & fide, & charitate destituantur. Nec prætereundum est, nomine carnis totum hominem intelligi. Quæ loquutio scripturis est quàm familiarissima. Verbum caro factum est. Corruperat omnis caro viam suam. Videbit omnis caro salutare Dei. Atq; alia permulta id genus. Cur autem sic appelletur, ideo fit, vt homo suæ conditionis miseræ atque infirmæ subinde admoneatur: vtq; se intelligat, nisi Dei spiritus renitatur, iuxtà carnis appetitus victurum. Iustificare, vt antea præfati sumus, trifariam sumitur. Quandoque est adhærentem iustitiam animis nostris adipisci. Atqui sic Paulus hoc loco non loquitur. Alioquin ex veris operibus legis si frequenter exerceantur, bonos, & sanctos habetus ingenerari, minimè inficiamur. Est etiam iustificari, pronũtiari, aut haberi iustum. Quod etiam potest ex operibus contingere. Sic enim consueuit quispiam alterum iustificare, cùm eius benefacta intuetur. Nec non Deus in extremo iudicio iuxta opera sententiam profret: ac bonos ex rebus eorum piè gestis iustos pronuntiabit. Est tertio loco iustificare, idem quod peccata condonare, absoluere, atque imputare Christi iustitiam, quod opera suo merito non impetrant. Atque in hunc sensum accipienda ea sunt, quæ scribit Apostolus. Sequitur:

Coram Deo.

Quid nomine carnis intelligendum.

Iustificari tribus modis.

Per legem enim agnitio peccati. Hæc ratio est, cur ex operibus legis non iustificemur. Quia longè aliud est munus legis, quàm vt iustificet. Sunt, qui per occupationem dici hæc, arbitrentur: quasi Iudæi obstarent, dicendo: Si lex non iustificat, cur lata est? Num frustrà eam accepimus? Non frustrà eam accepimus, inquit Paulus: officium eius est vt peccata ostendat. Quòd si quæras, de qua lege hæc dicantur, fatemur, Paulum de Mosaica priuatim agere: Sed proprietas, quæ inducitur, communis est omnibus legibus, Naturali, Mosaicæ, atque ciuilibus, quibus in rebus publicis nostris vtimur. De Mosaica, & nostris, citra controuersiam est. De naturali, apertissimè docet liber Geneseos, quòd in ea peccatum fuerit cognitum. Id in præsentia deducit Ambrosius ex historia Iosephi. Et Paulus declarabit infrà, cùm dicet: Vsque ad legem enim peccatum erat in mundo: sed non reputabatur. Nimirum, quia lex naturæ in dies magis ac magis obfuscabatur. Quare oportuit, vt per legem Mosaicam, atque alias denuò illustraretur. Et peccatum fuisse ante Mosen, ex eo declarat, quòd mors dominabatur toto eo tempore in vniuerso hominum genere. Et hoc loco Græce legitur ἐπίγνωσις, quod Latinè agnitionem dixeris: quæ est, cùm res aliàs cognita rursus ad notitiam reuocatur. Qua autem ratione Lex dicatur agnitionem peccatorum efficere, videtur antea docuisse, cùm multiplicibus scripturæ testimonijs accusauit vniuersos mortales. Quare dum illis, & consimilibus verbis à lege accusamur, agnitio peccatorum inducitur. Quod etiam contingit aliter: id est, cùm legem Dei contemplamur. Nam ea, dum recta iubet, & inhonesta prohibet, satis nobis ostendit, quid in vita peccemus. Continet etiam scriptura minas à Prophetis prædictas: & supplicia, quæ Deus passim de transgressoribus sumebat. Quæ vniuersa non parum faciunt ad peccati agnitionem. Sed mirum est, cùm lex non solùm peccata, verùm etiam honesta, & iusta ponat ob oculos. (Nam hæc quoque præcipit, & ideò ad eandem facultatem pertinent: quemadmodum eiusdem artificis, Geometræ, inquam, est, & curuum, & rectum indicare) mirum, inquam est, quid mouerit Apostolum, vt solùm peccati meminerit. Ad quod respondeti potest, ita scripsisse Paulum, partim, quòd Iudæi, qui Christum respuerant, & eius fidem, cum iustitia, & honestate legis nihil amplius haberent commercij: partim etiam, quod est verisimilius, quòd hæc altera pars ad argumentum Pauli non attineret. Nam probare instituerat, opera legis non iustificare: Quia cùm ea & accuset, & damnet, non est expectandum, vt iustificet: cùm hæc & contraria sint, & inter se vehementer pugnent. Neque legi temerè accidit, vt peccatum demonstret. Sed ea est eius proprietas, quæ ab ipsa nequeat auelli. Verùm occurrit dubium: quia le

Quãuis lex non iustificat non tamen frustra est lata.

Proprietas ostendẽdi peccata cõmunis est omnibus legibus.

Agnitio.

Cur lex non dicatur ostendere honesta & bona

Legislatores qd ſpectent. gislatores non uidentur, cùm leges ferunt, id ſpectare ſolùm, ut peccata, aut rectè facta intelligamus: ſed potius id agunt, vt ſuis legibus ciues bonos faciant. Quòd ſi id hominibus tribuitur, multò magis videtur conuenire Deo. Sed reſpondemus eſſe diſcrimen inter diuinas, & humanas leges: quòd humanæ à nobis non requirant, niſi quæ in noſtra poteſtate ſita ſint. Nam de motibus animi non ſunt ſolliciti: externa tantùm corrigunt. At diuinæ leges ea etiam iubent, quę nos vt infirmi ſumus, præſtare non poſſumus. Ideo adducta ſimilitudo minimè concludit. Deinde conſiderandum eſt, humanas quoque leges, declarando quæ agenda ſunt, promittendo, ac minitãdo inuitare poſſe homines ad iuſtitiam. At animum immutare non poſſunt. Quare non oportet plus illis tribuere, quàm legibus diuinis. Et quod dicitur de conſilio & voluntate legislatoris humani, idem concedimus de Deo, quòd is quoque in animo habuerit ferendo legem, ſeruare homines per illam: qua ſcilicet, non ſolùm peccata monſtrabat, ſed etiam Chriſtum, qui eſt eius finis. Ideoq; legem hominibus ad ſalutem conducere, minimè negabimus. Quę tamen iuſtificare non poteſt: quia eius nõ eſt, aut fidem, aut charitatem in noſtros animos afflare. Vnde aſtutia ſatanæ ſpectanda eſt mira bilis: qua conatus eſt ab hominibus auertere legis fructum. Et ſanè præter agnitionem peccati, duo alia præclara bona per eam inuehebantur. Primùm ſeruatorem noſtrum oſtendebat: deinde præſcribebat, quid eſſet optimum factu. Quoad primum obſcurauit diabolus corda hominum, ne Chriſtum finem legis intuerentur, impoſito velamine illorum cordibus. Et quoad executionem bonarum actionum remoratus eſt illos per vanas quæſtiones, genealogias, & logomachias: vt his tantùm intenti, & externis ceremonijs nil præterea curarent: verbis quidem confiterentur, ſe noſſe Deum: factis autem negarent. Conſequitur præterea ex eo, quòd per legem peccatum agnoſcitur, per illam vtcunque culpas aggrauari. Quod Apoſtolus dicebat, cùm ſcriberet, virtutem peccati eſſe legem. Et in hac epiſtola habetur capite ſeptimo. Vt ſupra modum fiat peccans peccatum per mandatum.

Lex ad ſalutem conducit.

Præter oſtenſionem peccati duæ cõmoditates legis

Diabolus eſt inſidiatus legi Dei

Lex peccatũ aggrauat.

Principiũ legum mens diuina.

Leges iniuſtæ nõ ſunt leges.

Duplex cognitio peccati.

Per legem, inquit, cognitio peccati. Principium omnium legum diuina mens cenſenda eſt. Quicquid enim aut iuſti, aut honeſti in vllis decretis habetur, id vniuerſum inde profluxit. Vt dicere poſsimus, omnes leges dictata diuinæ mentis eſſe. Vnde fit, vt leges, quę iuſtę nõ ſunt, pro legibus haberi non debeant. Duplex eſt notitia peccati, quæ habetur à lege: vna prorſus inefficax, ac debilis, qua non perterrefiunt animi, neque conſcientiæ proſternuntur: vt quandoque videmus ebrios, qui inter ipſa pocula damnent ebrietatis vitium. Poetæ quoque graphicè admodum ſuis carminibus, & Satyris vitia traduxerunt: ſed tamen ipſi nihilò magis, quàm cæteri, ab illis abhorrebant. Quæ verò terrifica eſt agnitio peccatorum, ſalutem nõ ſemper affert. Quia ſi ſpe remedij fruſtretur, pernicioſa eſt, vt in Iuda, Eſau, & Caim vſu venit: qui cùm ſcelus ſuũ cognouiſſent, deſperarunt. Sed quoad electos, notitiæ peccatorum adiungitur, vt comes perpetua, ſpes de ſalute conſequenda per Chriſtum. Peccata quæ cognoſcuntur per legem, ſi per capita recenſere volumus, occurrit primo loco ingenitum nobis, quod originale vocatur, eſtq; totius noſtræ naturę vitium atque corruptio, de qua in pſalmo edocemur: In iniquitatibus conceptus ſum, & iniquitatibus concepit me mater mea: deinde motus atque impetus, quos Græci ὁρμὰς vocant, perpetuò ex eo dimanant, aduerſantúrque diuinæ legi. De quibus habet Paulus, quòd ſentiret aliam legem in membris ſuis repugnantem legi mentis ſuę, & captiuum ſe abducentem in legem peccati. Deinde tertio loco adiungit ſe conſenſus voluntatis, redditúrque peccatum grauius. Et de hoc legimus: Ne regnet peccatum in veſtro mortali corpore. Succedit præterea conſuetudo: atque eius vinculis arctius obſtringimur ſub ditione peccati: ita vt impoſsibile quodammodo ſit, vſum iam inductum vincere: Cùm Eſaias dixerit, Aethiopem non poſſe mutare pellẽ ſuam. Detruduntur poſtremò impij nõnunquam eò, vt peccent in ſpiritum ſanctum: cuius criminis condonatio prorſus negatur, vt Chriſtus in Euangelio docuit. Et Hieremiæ præceptum fuit, ne pro populo vlterius oraret. Poſſet etiam diſtingui peccatum in cogitata, dicta, & facta contra legem Dei. Atque de his omnibus Lex nos inſtituit. Eſtq; peccatum in genere, à Legis inſtituto aberrare: vt ſagittantes cùm à ſcopo diſcedunt, quancunque in partem id contingat, aberrant, & peccant. Quare cùm homo factus ſit ad imaginem Dei, vtnaturam eius & ingenium vita & moribus exprimat, quicquid hinc aberratur, peccatum eſt. Sed hoc beneficium, vt moneamur, accuſamurq; de noſtris flagitijs, non habet abſolutam vtilitatem: cùm per nos ipſos non valeamus euitare ea, quę accuſantur, vel ea de quibus monemur perſequi. Ideo videndum eſt, vt ad Chriſtum reſpiciamus, ad quem per legem adducimur. Et animaduertendum eſt, hæc præcipuè de lege ſcribi per ἀντίθεσιν ad fidem. Nam ſi

Quotuplex eſt peccatum quod per legem agnoſcitur.

Quid peccatum

Ab imagine Dei recedere peccatum eſt.

per

per seipsam sumatur, tantùm abest, vt iustitiam & honorem nobis elargiatur, vt denudet, & aperiat, quicquid fœdè admisimus: ita, vt nihil inde, nisi confusionem hauriamus. Quod nequaquam culpa legis accidit, sed vitio animi nostri: quia lex in illum incurrit, & corruptum, & in mala propensum. Proclíues enim sumus ad omnia facienda, quę diuinę legi aduersantur. Siquidem illa iubet, vt Deo fidamus: At nos nobis ipsis innitimur. Illa mandat, vt proximo nostro obsequamur: At nos cupimus, vt omnes nobis inseruiant. Cúmque in hæc similiaq; laxis habenis irruamus, opponit se diuina Lex, vt obex valido torrenti: qui eius occursu magis intumescit, & fit violentior. Vt enim dicitur, Nitimur in vetitum, & cupimus negata. Quibus tamen non obstantibus, eximium est Dei beneficium, quod nobis per illam exhibetur, ne ignoremus nos ipsos. Neque putandum est, nos eo iam carere, quia dicimur in sacris literis per Christum à lege liberati. Id enim nequaquam simpliciter accipiendum est, Nam duplex est abrogatio legis. Vna, qua non obstringimur præstare ea, quæ mandantur: Sicuti factum videmus de iudicialibus præceptis & ceremonijs. Quod de moralibus intelligendum non est. Christus ait, se non venisse ad legem dissoluendam: sed magis vt illam impleret. Et Paulus inquit: Quid igitur? Num per fidem abolemus? Absit: imò legem constabilimus. Alia est abrogatio, qua lex impeditur, ne peragat nos reos. Et sic etiam moralis pars intelligitur antiquata. Verùm, si rectius loqui velimus, non lex abrogata est: sed dominatio, quæ illam consequitur: vt potius aculeus ei excussus intelligatur, quàm ipsa sublata existimetur. Verum quidem est, quod ad Timotheum scribitur, Legem iusto non esse positam. Quia, vt Augustinus in libro de Spiritu, & Litera scripsit, Quis legem imponat ei, qui sponte facit, & vltro exequitur quod ad iustitiam pertinet? Vnde ille sentit, iustos homines vti lege erga alios, quos instituunt, dum illam inculcant, & diligenter proponunt ad pœnitentiam excitandam. Cumq; videatur Apostolus dixisse pugnantia (nam ex vna parte asserit, iusto legem non esse positam: ex altera verò dicit, illam bonam esse, modò quis ea legitimè vtatur: At nullus ea, nisi iustus, legitimè vtitur) ea Augustinus ad hunc modum componit: quòd legis bonum vsum habeat quis non adhuc iustificatus, sed qui ad iustificationem tendat eius auxilio. Idque duobus similibus conatur patefacere. Accidit, inquit, vt aliquis ad aliquem locum tendens, vehatur curru: quò cùm peruenit, vehiculum relinquit. Et pædagogum damus rudibus pueris: cæterùm quum eruditi fuerint, illum remouemus. Ita, inquit, dum aliquis à peccatis reuocatur, & ad iustitiam proceditur, Lex ei prodest. At quum iustitiam fuerit assecutus, ea absoluitur, & erga alios vsum eius extendit. Sed tamen inficiari non debemus, etiam conuersos ad Christum per legem magis ac magis perpetuò erudiri. Adhuc multum supersest carnis: & tenebrarum plus satis sensibus & menti offunditur, dum hîc viuimus. Idcirco non superfluit vsus legis, etiam quoad iustificatos. Et quum non toti simus instaurati, qua parte supersest nonnihil veteris hominis, & lapsus obrepunt & nolentibus, & imprudentibus, inuenit in nobis Lex & quod reprehendat, & quod accuset: Licet beneficio Christi progredi ad damnationem non possit. Quod sanè faceret, quod ad ipsam quidem attinet, nisi iam per fidem essemus iustificati. Ex hoc loco annotabimus, quid sit cum fructu legere scripturas, præsertim qua parte Legem continent. Non enim satis est curiosa perscrutatione illas pertractare: nisi tanquam in speculo in illis intueamur, quot quantisq; peccatis grauemur. Alioqui perinde erit in illis versari, atque annotare, quæ Liuius, Aristoteles, Sallustius, Plutarchus, cæteríque scriptores literis commendarint.

Beneficium legis non uulgare.

Duplex abrogatio legis.

Quo sensu lex dicatur abrogata.

Iusto non est lex posita quomodo

Conciliatio.

Duo similia.

Etiã ipsi iustificati lege diuina erudiuntur.

Quomodo sit à nobis lex Dei legenda.
Simile.

Nunc uerò absque lege iustitia Dei manifestata est, dum comprobatur testimonio legis ac prophetarum. Disertè iam proponitur quæstio, de qua posthac disputandum est. Ac duæ constituuntur eius partes. Quarum vna est, Iustitiam Dei absque lege manifestari: Altera est, eam per fidem Iesu Christi haberi. Asseritque Paulus, istam Dei iustitiam testimonium habere tum à lege, tum à prophetis. Hoc est, quod ab initio proposuerat, per Euangelium reuelari iustitiam Dei ex fide in fidem. Et quum scribit, manifestationem hanc sine lege fieri, intelligit, absque adminiculo legis obseruatæ: sed tantùm per auditum fidei. Quod idem ad Galatas affirmauit, quum diceret: Num Spiritum sanctum accepistis ex operibus legis, an ex auditu fidei? Iustitia Dei, vt aliàs docui, triplex est. Prima, qua per Christum in gratiam recipimur, & condonantur peccata, & Christi iustitia nobis imputatur. Ad hanc altera consequitur: vt spe Spiritus sancti reformet animus noster, totq; intus per gratiã instauremur. Tertiò consequuntur sanctæ & piæ exercitationes. Nam, qui huc peruenerũt, magno studio flagrãt bene operandi. Nunc itaq; Paulus circa primã iustitiã versatur: quã dicit, sine lege in nobis declarari. Et iustitiã Dei vocat: qd' eius vi, & bonitate, nõ aũt nostris operib. acquiratur,

Iustitia Dei triplex.

Et si quis eam propius intueatur, est Dei misericordia, quam nobis per Christũ impertitur. Et aliâs monui, quod Hebræi dicunt .צדק. & nostri vertunt iustitiam, potius bonitatem, & misericordiam significare. Ideoq; in hunc vsq; diem ea voce Iudæi appellant eleemosynã.

Ambrosius. Neque Ambrosius hoc loco ab hac sententia dissidet. Ait enim, Ideo autem iustitia Dei dicta est, quæ videtur esse misericordia: quia de promissione originem habet: & cùm promissum Dei redditur, iustitia Dei dicitur. Iustitia enim Dei est, quia redditũ est, quod promissum est. Et cùm suscipit confugientes ad se, iustitia dicitur: quia non suscipere cõfugientem ad se, iniquitas est. Hæc Ambrosius. Illi autem nõ sunt audiendi, qui hoc loco, Sine lege, interpretantur, Sine ceremonijs. Superius enim demonstratum est, licet quæstio propter eas mota fuerit, tamẽ eam à Paulo tractari generaliter: ita, vt omnes partes legis complectatur. Illi non videnẽ à scopo aberrasse, qui iustitiã Dei, Christũ ipsum intelligunt: quoniã ab illo quicquid est iustificationis, ad nos prouenit, dum in ipsum credimus. Inter iustitiam Dei, & nostram Paulus apertè discrimen ponit: quando inquit in hac eadem epistola: Ignorantes Dei iustitiã & suam volentes statuere, iustitiæ Dei nõ sunt subiecti. Vt autẽ intelligi possit, quænam sit hæc manifestatio iustitiæ Dei, quæ tum potissimùm cõtigerit, cùm hæc Paulus scriberet, ita accipiendum est, vt spectemus cuiusmodi fuerit Apostolica prædicatio. Quantum licet ex Apostolorum concionibus assequi, prout in Apostolicis Actis referuntur. Primùm pœnitentiam prædicabant, ob oculos ponendo peccata, & damnationẽ, quà homines inuoluebãtur: deinde colligebãt proprietates atque conditiones Christi, qui his malis esset medicaturus, idq; ex sacris literis: tertio loco illas ad Iesum Nazarenũ applicabãt, quo pellicerent homines ad eius fidem. Et qui hæc audiendo credebant, remissionem peccatorum à Deo impetrabant. Intus refingebãtur, & extrà quàm sanctissimè viuebant, referendo imaginem Dei, ad quam nostrum genus institutũ est. Perseueranter inuocabãt Deum, cõmunicantes simul precibus, fractione panis, & omnibus sanctis operibus. Confidebant Deo vehemẽter, vt qui omni alio præsidio destituti essent. Mundanas opes flocci faciebãt, pretio suarum rerum, & pecunijs positis ad pedes Apostolorum. Fortiter Christo bonum testimonium reddebant, gaudentes se pro eius nomine grauia pati. Demumq; hac de causa sanguinem & vitam alacriter profundebant. Hæc mundus videns non poterat non moueri, & agnoscere iustitiæ nouum genus in terris apparuisse. Et quia in his erant ethnici, qui ne legis quidem notitiam habuerunt, ideo Apostolus inquit, Absq; lege. Vocati etiam fuerant nonnulli ex Hebræis: qui etsi legẽ nouerant, eam tamen prorsus nihil curarunt. Et perinde fuit, acsi non habuissent. Accesserunt & nonnulli, qui satis iustè viuebant, & studium legis non vulgare habebant: vt Nathanael, quem Christus pronuntiabat verum Israelitam, in quo non esset dolus. Sed hi iustificati sunt absque lege: quoniam illa eius obseruatio, quam præstiterunt, non fuit causa, cur iustificarentur. Potest quidem lex inseruire iustificationi: quoniam monet & accusat: vnde ad Christum impellimur. Sed cùm non sit eius facultatis, cõdonare peccata, spiritum afflare, & cordibus fidem suggerere, à Paulo rectè dicimur, absque lege iustificari. Augustinus de Spiritu, & Litera, ait, Apostolum videri pugnantia dicere. Asserit enim, iustitiam Dei, de qua nunc loquitur, habuisse testimoniũ à lege & prophetis: & tamen eam ait absque lege manifestatam esse. Sed respondet, re vera nihil esse cõtradictionis, si rectè distinxeris ea, quæ dicuntur. Nam idcirco Paulus legem remouet, quia illa gratiam non infundit, neque causa est iustificationis: licet per eam hæc iustitia, de qua loquimur, testimoniũ habeat. Quare in libro de gratia Christi cõtra Cælestium, & Pelagium primo, capite octauo, indicat sententiam ita pronũtiandam, vt dicas, Iustitia Dei sine lege: Deinde seorsim addas, Nunc manifestata est: ita, vt, sine lege, ad iustitiam referatur, non autem ad manifestationem. Verùm hoc nõ multùm quadrat verbis Pauli: licet, quod dicitur, verissimum sit. Sed annotatione dignum est, quòd aduerbium temporis, Nunc, eodem loco Augustinus dicit, non ita accipiendum esse, quasi veteres patres in lege naturæ, atq; Mosaica salutem non habuerint per Christum, & iustitiam hanc absque lege non obtinuerint. Pelagiani sanè censuerunt, multos habuisse salutem ante Mosen, per legem naturæ, quæ in eorum cordibus effulgebat: quæ postea cùm obscuraretur, lex Mosaica successit instar Lunæ: quia lucem attulit, sed non vndequaq; absolutam. Postremò venit Christus, cuius lux vt sol refulsit. Atque ita statuebãt, antiquos patres absq; Christo, & eius gratia seruatos fuisse: quia Christus nondum venerat. Sed illi vehementer decepti sunt: quandoquidem putãt rei futuræ fidem ad salutẽ non facere, Cùm tamen hodie nos credamus, resurrectionẽ mortuorum, iudicium postremum, & vitam æternam, quæ futura sunt, & hac fide iuuemur. Sic veteres fide in Christum venturum tantundem habebant quoad iustificationẽ, atque nos, qui

Quare Dei misericordia dicatur iustitia.

Christus iustitia Dei.

Manifestatio iustitiæ Dei tempore apostolorum potissimũ contigit. Methodus & successus prædicationis apostolorum.

Cur dicatur absq; lege manifestata iustitia Dei.

Lex iuuat ad iustificationem sed non est eius causa. Conciliatio.

Varia distinctio in sententia.

Nunc aduerbiũ temporis quomodo ab Augustino accipiatur.

Pelagianorum error. Veteres non sine Christo sed per eum sunt iustificati.

quí poſt eius aduentũ natí ſumus. Nam merita crucis Chriſti, & ſanguinis eius nequaquam temporaria ſunt. Vnde Chriſtus de Abrahamo dixit, quòd deſiderauerit diem ſuum videre, viderítq;, & gauiſus ſit. Paulus præterea dicit, Vt ín Adamo omnes moriũtur, ita in Chriſto omnes viuificantur. Et apertiſsimè habet ad Timotheum, Chriſtum eſſe vnum mediatorem inter Deum, & homines. Itaque tunc quoque ante ſuum aduentum in carnem homínibus, qui credebant, iuſtitiam abſque lege præſtitit. Et quod Apoſtolus ait, Nunc, reſerendum eſt ad manifeſtationem. Quoníam antea quídem fuit iſta iuſtitia, verùm ea occultè delitescebat, & ín paucís habebatur. Nunc verò publicè ac palàm innotuit per vniuerſum orbem. Et hoc eſt, quòd morte Chriſti velum conſciſſum eſt, & apertum, ita, vt patuerint, quę antea fuerint occultata. Cùm Apoſtolus hoc loco quæſtionẽ proponat diſputandam ſuſsíma tractatione, magna vtitur perſpicuitate. Et id quod proponit, duarũ partiũ eſt, Vna. ſiquidem negat, per legem contingere noſtram iuſtitiam. Altera verò affirmat, eam per fidem Ieſu Chriſti nobís dari. Vult itaque fidem inſtrumentũ eſſe, quò hæc iuſtitia comprehendatur. Et legem excludit, à qua ſententia mundus vehementer abhorret: cùm illi non conſtet de alía iuſtitia, níſi quæ per bona opera proueniat. Verùm cogitare debent homínes, hæc bona opera, quæ volumus iuſtitiam parere, vndénam ſint. Dicent à ratione, & voluntate. At ſi hæc vitiata & corrupta fuerint, à quo corrigentur? Non habent, quod dícãt, níſi à Deo. Is autem oportet, vt id faciat, nobís propitius ac placatus ſit. Non autem placatur níſi morte ac ſanguine Chriſti. Quæ à nobís cùm per fidem comprehenduntur, verè dícimur, vt Paulus aſſerit, iuſtificari fide ſine lege. Exiſtimant vulgò Chriſtum eſſe legislatorem, qui & ſublímiora ſanxerit, & commodíora legíbus ſuís decreuerit. Quámque ſint præſtantia, quę mandauit, ex quinto, ſexto, ſeptímo capite Matthæi eliciunt: Vbi habetur, non ſolùm homicidiũ prohíberi, ſed etiam, iram & indignationẽ aduerſus proximum. Et mandatur, vt, qui habuerit aduerſus alterum quancunq; offenſionem, munus ſuum ad altare relinquat, & abeat, ac ſibí reconciliet fratrem ſuum. Iubet inſuper, vt cum aduerſario conſentiatur ín vía. Neque ſolùm periurium interdícit, verùm etiam iuramentum. Ac licet permittatur in lege, Oculus pro oculo, Dens pro dente, tamen Chriſtus iubet, vt malo ne reſiſtamus. Lege quoq; prohíbetur adulterium: At Chriſtus interdíxit etiam aſpectum mulieris líbídínoſum. Et repreſsit eos, qui quacunq; de cauſa volebãt vxores dimittere. Ex his ínferunt, Chriſtum ſuís legíbus perfectiora mandaſſe, quàm lex Moſaica præceperit. Cõmodíores aũt fuiſſe leges eius legib. Moſaícis, ex eo probãt, quòd ceremonías abrogarit, quæ difficillímæ erant obſeruatu, neque potuerunt omnibus nationíb. facilè accõmodari. Fatemur quídem per aduentũ Chriſti ſublatas ceremonias, quoniã ſignificatio earũ impleta iam erat. Sed quòd Chriſtus nouas leges tulerit, prorſus negamus. Interpretatus quídẽ eſt legẽ Moſaicam, & errorem ſcribarum & phariſeorum traduxit: qui non putabant aduerſari legi níſi craſsiora peccata: docetq; longè aliter accípienda fuiſſe Dei mandata, quàm illi vel intellexerint, vel alíjs expoſuerint. Reliquit itaq; legẽ ſuo loco, & ſuum munus eſt exquutus. Id autem erat, vt fieret victíma & hoſtia pro peccatis, vtq; remíſsionem peccatorũ daret, & iuſtitiam imputatã, & ſpíritum, & gratiam. Quare Ioannes Baptiſta declarans munus Chriſti, quum illum oſtenderet dígito, dícebat, Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Hæc faciunt contra Anabaptiſtas, qui Euangelium faciunt tantùm bona opera, & abſolutiſsimam conuerſationem. Hi non agnoſcunt ſummum ac præcípuum Chriſti beneficium: neque diſtíngunt ínter Legem & Euangelium. Lex quídem præcípit: ſed Euangelium vires ſuppeditat faciendi ea, quæ mandantur. Lex accuſat: Euangeliũ abſoluit. Lex ínſonat exterius: Euangeliũ inſculpitur ín viſceribus. Lex íram operatur: Euangelium placatum & reconciliatũ nobis Deum reddit. Lex terrendo proſternit animũ: Euangeliũ cõſolando erígit. Lex eſt miníſterium mortis: Euangeliũ vitæ. Lex eſt pædagogus: Euangelium abſoluta erudítio. Lex tota in eo eſt, vt faciamus: Euangelium ínprimís in eo eſt, vt credamus. Lex maledictũ affert hís, qui ſub ea degunt: Euangelium affert benedictionem. Lex ſeruitutem ingerit: Euangelium ſpirituálem líbertatem. Lex eſt litera: Euangelium ſpíritus Lex habet promíſsiones, verùm cum hac conditione, ſi omnía feceris: Promíſsiones Euangelij liberæ ſunt, & ídeò firmæ. Poſſent alía quoque diſcrímina recenſeri, quíbus hæc duo à ſe mutuò abſunt, & diſtant plurímùm. Sed hæc volumus eſſe ſatis. Quæ tamen vera non iudicantur ab humana ratione. Neque mirum eſt, quía, vt dicebat Plato in 2. de Legibus, Quícquíd è longínquo contemplamur, non bene cognoſcimus. Intercedit enim vertígo, atque ex longínquitate offunduntur tenebræ. Sed cùm acceſſerimus, & propius contẽplati fuerimus, tum de ſingulis rectè ſtatuimus. Hæc ille dicebat, quód hominib.

Erat antiquitus iuſtitia perfidẽ, ſed nunc eſt latius & apertius declarata.

Fides inſtrumẽtum eſt, quo iuſtitia cõprehenditur.

Offenditur mũdus, quòd lex excludatur à iuſtificatione.

Principia bonorum operũ ſunt in hominib. corrupta.

Vulgò exiſtimatur Chriſtus legislator præſtãtiſſimus.

Quidnam autẽ fuerit munus Chriſti.

Anabaptiſtarũ error.

Diſcrimina inter legẽ & Euangelium.

voluptuosis,& corruptis persuaderi non possit, probam & innocentem vitam esse iucundissimam. Iudicant enim de ea longè aliter: quia distant ab ea plurimùm. Quòd si accederet ad eam,& periculum facerent, rectè iudicarent. Ita nos de his in præsentia dicimus: Cùm à longè salutent sacras literas, neque attentione digna Euangelium ac legem expendant, in de fit, vt de illis tam malè iudicent. Adiecit Apostolus de hac iustitia, quam prædicat, quòd testimoniũ habeat à lege, & à prophetis. Quod ideo dicit, quia recens nouaq; doctrina videri potuisset, quam proponit. In Euangelio autem in primis vitãda est nouitas. Ideo vbiq; de Euangelio testatur, quòd antiquũ sit,& à seculis fuerit à Deo institutum. Et ab initio huius epistolæ scripsit, Deum illud promisisse per prophetas suos in scripturis sanctis. Hodie quoque certamen est inter nos, & aduersarios de doctrina, dum illi contendunt, nos noua introducere, se verò insistere doctrinæ veteri. Sed nunc ab Apostolo discimus, quomodo possit hæc controuersia finiri. Illa sanè doctrina vetus est, & antiqua, quæ testimonium habet à lege, & à prophetis: hoc est, à sacris literis. Illa verò iudicabitur noua, cuius ibi nulla sit mentio. Illi statuunt missam, vbi vnus tantùm cõmunicet pro alijs, qui astant. Hoc nullum habet testimonium in omnibus scripturis. Nos asserimus cœnam Domini debere fidelibus esse cõmunem: Quod institutione eius, prout in Euangelijs, & in Paulo habetur, clarissimè demonstrat. Illi porrigunt laicis sacramẽtum Eucharistiæ mutilatum. Illud verò non solùm non habent è scripturis, sed planè contra scripturas. Illi mortuorum inuocationes tuentur: quod quò confirmẽt, nihil habent è scripturis. Clericos arcent à matrimonio, defendũt purgatorium, imagines retinent, lingua peregrina vtuntur in sacris actionibus, ciborum delectum, vestes, rasuras, vnctiones, & alia sexcenta huius generis obtrudũt vt necessaria ad cultum Dei: idq; prorsus absque vllo testimonio scripturarum. Discant ex Paulo, qui iustitiam per Christum docere volens, eam ait habere testimonium à lege & à prophetis, non autem esse à se confictam. Istorum autem dogmata impietatem promouent. Hominum enim cõmenta ingerũt, vt cultus Dei necessarios. Quæ cùm testimonium ex scripturis non habeãt, vt noua sint, necesse est. Ratio verò, cur oporteat in religione cauere nouitatem, est, quòd Dominus iusserit in Deuter. vt suis mandatis, ac ritibus nec detraherent quicquam, nec adderent. Quin & Plato ipse in Legibus, & in Republica sua interdicit, ne quid in rebus ad religionem attinentibus innouetur. Leges quidem humanæ interdum mutari possunt, quòd forma Reipublicæ quandoq; varietur. Neque inseruiũt eædem leges Regno, Optimatum administrationi, & Reipublicæ populari. Deinde Legislatores, cùm homines sint, non omnia videre possunt. Et multi subinde casus incidunt, propter quos & corrigere, & mutare leges oporteat. Vtq; artibus per ætates aliquid accedit, quò magis perficiãtur, sic leges quoque subinde temporum successu emendantur, & ad meliorem formam rediguntur. Verùm nihil horum locum habet in legibus Dei. Nam quòd attinet ad Ecclesiã, non mutat formã, est semper eadem Respublica: & Dei authoris legum intelligentiæ nihil est occultum: omnia prouidet, neq; successu temporis notitia eius augetur. Vnde non est, quòd in eius legibus tentent homines aliquid immutare. Sed iam videndum est, quæ sint ex lege ac prophetis testimonia huius iustitiæ, quam Paulus asserit. Et licet Christus generaliter dixerit, Mosen de se scripsisse, & à Luca narretur, quòd habitu peregrini, dum in itinere cõfabularetur cum duobus discipulis à Mose cœperit, & deinde per prophetas. & psalmos illos docuerit, nullus tamen certus locus producitur, in quo de Messia diserte fiat mentio. De Christo nihilominus si peculiariter dicendum sit, habemus ex Genesi, mulieris semen contriturum caput serpentis. Et Abrahamo dictum est, In semine tuo benedicentur omnes gentes. Et de eodem scribitur, Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Accedit ad hæc, quod etiam Paulus citat, Ne dixeris in corde tuo, Quis ascendet in cœlum, aut quis descendet in abyssum? Propè est verbum in ore tuo, & in corde tuo. Addit Paulus, Et hoc est verbum fidei, quod prædicamus, Si corde crediderís, & ore confessus fueris. Non auferetur sceptrum de tribu Iuda, neq; dux de femore eius, donec venerit, qui mittendus est: & ipse erit expectatio Gẽtium. Hieremias habet de Christo: Ipse vocabitur Deus iustitia nostra. Et in eodem propheta legimus, Deum instituisse dare nouum Testamentum: nõ iuxta illud, quod cum patribus pepigerat, sed in scribendo legem suam in cordibus & visceribus eorum. Abacuc ait, Iustus ex fide viuet. Esaias ait, Inuentus sum à non quærentibus me. Itẽ, Deus in eo posuit iniquitates omnium nostrũm. Et Dauid, Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui nõ imputauit Dominus peccatum. Aliud quoq; genus testimoniorum habetur ex antiquorum patrum gestis, quæ præludia quædam fuerunt Christi venturi ad humani generis redemptionem. Vti enim dicitur in nobis

Causa cur multi adeò malè iudicant de lege ac euangelio.

Ab euangelio remouenda est nouitas.

Quæ doctrina dicatur noua, & quæ uetusta.

Doctrina Papatus est noua, cùm ex diuinis literis testimonium non habeat.

Quare nouitas cauenda sit in religione.

Leges humanæ possunt mutari.

Ecclesiæ politia nõ mutat formã.

Testimonia peculiaria de Christo & illius fide iustificante.

Aliud genus testimoniorũ sunt patrum gesta.

nobis viuere(sumus enim membra eius)ita in veteríb. patríbus & fuit,& vixit. Vnde illi nõ minus,quàm nos,membra eius fuerunt. Caput autem quemadmodum patiatur, & recreetur in suis membris,multò apertissimè indicatũ est Paulo, cùm diceretur, Saule,Saule,quid me persequeris:Et in vltimo iudicio Christus profitebitur, præstitũ esse sibi, quicquid suis minimis datum fuerit. Quare,quoties legimus,veteres victos,in captiuitatẽ adductos,calamitatibus oppressos,ista eadem Christum in eis passum fuisse,intelligamus. Et rursus, cùm vincentes restitutos,& liberatos audimus, Christũ quoque in eis affectũ itidem credamus. Et in altero habebimus speciẽ inchoatæ mortis illius,in altero verò vmbrã atq; initiũ resurrectionis. Quod ita esse,docemur exeo,qd Christus dixit, futurũ se in corde terræ trib. diebus,tribusq; noctib. instar Ionæ prophetæ. Assimilauit etiam se æneo serpenti à Mose sublato, in quẽ respiciẽtes assequerent sanitatẽ, alioqui è veneno interituri,Et in Osea prophetalegimus, Ex Aegypto vocaui filiũ meum. Quod oraculũ Hebræi cõtendunt torquendũ esse ad Pharaonẽ deletũ,& populum Israeliticũ à tyrannide ipsius ereptũ. Quod interim vt demus,tamẽ rogandi sunt,vndénam ea gens habuerit,vt nomine filij Dei censereẽ. Id profectò non aliunde poterit ostendi,nisi perChristũ,qui filius est Dei primogenitus in multis fratrib. Per quẽ alij,quotquot filij Dei numerant, ad eiusmodi adoptionẽ diuinã aspirarũt. Quare Apost. Christũ dixit primitias,eumq; prædicauit in omnib. primatũ habere. Ideoq; non immeritò noster Euãgelista hunc prophetę locũ de Domino citauit,cùm is quoq; monitu Angeli ex Aegypto reuocatus fuerit. Postremò testabant hoc genus iustitiæ sacrificia, & victimæ,ceremoniæq; veteres. Nam in his animantib. quæ occidebant, Christi mors cõspicua fuit patrum fidei. Vt enim victima,quæ alioqui nihil peccauerat, occidebat pro alterius peccato,qui euadebat incolumis, ita demonstrabat Christus pro nobis, qui rei mortis eramus,occidendus, vt per cælestis patris placationẽ, ipsi supplicia cõmerita effugeremus. Neque mihi dixerit quispiam,Non habuerunt veterũ sacramenta coniunctã salutem.Nam id nos quoq; fatebimur,quoad externũ opus, quod vulgò opus operatum appellatur. Verùm fides,quæ in illis ritibus Christum amplectebatur, salutẽ veteribus attulit: quemadmodum hodie quoq; nobis externæ sacramẽtorũ agitationes,aut præceptiones nihil prosunt: sed tantũ fides,quæ videt sensibiliũ symbolorũ integumẽtis proponi sibi cælestia dona, salutem affert. Et si quando Apost. ad Hebręos,vel alibi secus videatur statuere, cogitandum est,illum agere cõtra Iudæos, qui & à lege, & à ceremonijs Christũ eiusq; fidẽ seiungebãt. Quib. sepositis,firmiter robusteq; cõcludit, eos non habere salutẽ per huiusmodi ritus & sacrificia. *Iustitia uerò Dei per fidem Iesu Christi.* Quid sit fides, conuenit exponere. Est ergo fides assensus,& quidẽ firmus,verbis Dei,non ex ratione,aut euidẽtia naturali,sed ab authoritate dicẽtis,vi spiritus sancti afflatus. Neq; discrepat hæc definitio ab illis,quæ Paulus tradit in 11. ad Hebr. Cernere licet ex his, circa quæ versetur fides, nimirũ circa sermones Dei. Et patet,quodnam sit primũ principiũ,ad quod omnia Theologica resoluuntur. Id aũt est, Dominus dixit. Sed authoritas dicẽtis non potest apud nos valere, quantũ oportet,nisi spiritus sancti suasio interueniat. Græcè dicitur πίστις,quæ vox à πείθομαι deducitur. Quia nõ solemus credere,nisi quod habemus persuasissimum. De fide scribit Basilius, exponẽs illum locũ psalmi,Credidi,propter quod locutus sum: Ne contende iam videre ea,quæ proponuntur,neque ea, quæ sperantur, ambigua statuas. In quibus verbis duo indicat cauenda: Vnum est,ne curiositate nimia incitemur ad quærendam euidentiam credendarũ rerum,quæ,dum hîc viuimus, haberi non possit: alterum est, ne,quoniam obscura sunt,ambigui simus de illorum veritate. Idemq; scriptor de fidei cõfessione agens,ita loquitur: Manifesta est elapsio à fide,& superbiæ crimen,aut reprobare ex his, quæ scripta sunt,aut superinducere aliquid ex non scriptis: Cùm Dominus noster Iesus Christus dixerit.Oues meæ vocem meam audiunt: & ante hoc retulerit, Alienũ autem non sequent,sed fugient ab ipso,quia non nouerũtvocẽ eius:&Apostolus in exẽplo humanovehemẽter interdixerit,apponere aut detrahere aliquid diuinis scripturis,dum ait: Tamẽ hominis cõfirmatũ testamentũ nemo reprobat,aut aliquid addit.Quo in loco animaduertis,quàm cautè iste vir quoad fidem, asserat nil aut addendũ,aut detrahendũ sacris literis. Quod potissimũ facit aduersus eos,qui humana cõmenta,&traditiones necessariò credendas obtrudũt. Prętereà nõ tacuit ipse idem, fidei certitudinẽ,quando tradit eius propriũ in Moralib. 80. Summa, 22. capite. Vbi scribit,Quid est prorprium fidei? Respondet,Indiscreta certitudo veritatis verborum Dei, quæ nulla ratiocinatione, neque ex naturali necessitate inducta, neque ad pietatẽ efformata concutitur: Et addit, Credentis esse in tali certitudine coaffici ad potentiam dictorum, & nihil audere reprobare,aut insuper addere. Si enim omne, quod

Vmbræ mortis & resurrectionis Christi

Veteresnon erãt filij Dei,nisi per Christum.

Tertium genus testimoniorum sunt sacrificia.

Veterũ sacramẽta quomodo uel habuerint, uel nõ habuerint cõiunctam salutẽ. Pauli ad Hebræos quæ mens fuerit de ritibus Iudaicis.

Quid fides.

πίστις unde.

Duo præcipitia cauenda.

Basilius inquit eos à fide aberrare,qui aliquid addunt scripturis.

non est ex fide, peccatum est, vt ait Apostolus, fides autem ex auditu est, auditus autem per verbum Dei, omne, quod extra diuinitùs inspiratam scripturam non ex fide est, peccatum est. Astruit hic pater vnà nobiscum fidei certitudinem: & ostendit vnde ea pendeat, cùm eam appellat indiscretam: quòd credendo non examinemus nostris ratiocinationibus, quid possit, quidúe non possit fieri: & alludere videtur ad ea quæ dicuntur à Paulo de Abrahami fide, quòd non hæsitarit ob incredulitatẽ. Vbi verbo διακρίνεσθαι vsus est. Quare indiscretio erit oppositũ hæsitationi: quæ cõtingit ex humanæ rationis examine. Deinde rursus, quod in alia sententia monuerat, planè repetijt, quę extra scripturam sunt, nõ esse credenda. Et locum Pauli, Omne quod nõ est ex fide, peccatum est, natiuo & proprio sensu vsurpauit, vt nos quoq; vtimur: quod aduersarij nostri ferre non possunt. Distat fides ab opinione: nam ea etsi propendere nos faciat in alteram partem, attamen id & cum ratione facit, & non sine metu veritatis alterius partis. Et suspicio debiliorem adhuc assensum parit: quia & ratione caret, & ambiguos de veritate alterius partis relinquit. Scientiam quidẽ verum est, firmum assensum generare: sed id efficit demõstrationibus adhibitis. Cùm itaq; iam constet, & quid sit fides, & quo pacto distet ab opinione, scientia, & suspicione, videndum nunc est, quàm sit multiplex. Vna enim est potẽs, integra, & efficax, qua iustificamur: altera verò inanis, temporaria, & vana, quæ iustificationem non affert. Quod satis patet ex Euangelij parabola, vbi semen, Verbum, inquam, Dei cadere scribitur nonnũquam in terram bonam: interdum verò in petrosam, in spinas, & secus viam, vbi perit, & fructum non adfert. Rursus quæ bona est, & vtilis fides, non est in omnibus æqualis: sed pro maiore, aut minore carnis infirmitate gradus habet. Vnde Paulus ait: Sicut vnicuiq; diuisit Deus mensurã fidei. Et in eadem parabola semẽ in terram bonã cadens non eam fortitur æqualem in omnibus partibus. Verùm alibi dat fructum trigesimum, alibi sexagesimũ, alibi centesimũ. Vult in summa Paulus, hoc loco iustitiam Dei, de qua agitur, fidei propriam facere, vt eam prorsus adimat nostris tam meritis, quàm operibus. Miror attamen, quomodo, cùm iste sit scopus, Græca scholia asserant, non ita nos iustificari, vt ad iustitiam assequendam nihil ipsi contribuamus. Fides, inquiunt, à nobis affertur: eo quòd animo forti opus sit ad credendũ. Et istud idem Chrysostomus innuit. Ista cautè sunt accipienda: neq; in eum sensum admitti possunt, quasi à nobis ipsis fides prodeat: cùm apertè ad Ephesios donum Dei esse declaretur: neq; si à nobis esset, omnis gloriatio excludi posset. Multum siquidem conferremus, si ex nobis manaret credendi facultas. Et locus iste apertè docet, rem non sic esse accipiendam: quia Apostolus subdit, Iustificati gratis. Atqui id nõ esset gratis, si fides, quà opus nostrum est, iustitiam nostram pareret. Concesserim quidem, nostrum intellectum, & voluntatem assentiri diuinis promissionibus. Sed id vt faciat, aut facere possit, à Deo proueniat necesse est.

Basilius peccatũ esse inquit, quod extra fidem est, & scripturas.

Nota ut Basilius intelligat omne quod non est ex fide peccatũ est.

Fides ab opinione & suspicione distat.

Quotuplex fides.

Fides iustificans non est æqualis in omnibus.

Scholia Græca, & Chrysostomus notantur.

In omnes & super omnes, qui credunt. Tria in propositione iam sunt collocata, quæ Apostolus dilucidè vult exponere. Primum est illud, Manifestatam esse Dei iustitiam: alterũ, Absq; lege: tertium, Per fidem. De primo inquit, hanc Dei iustitiam declaratam in omnes, & super omnes. Quod non accipiendum est, vt generaliter dictum: cùm in omnibus hominibus huiusmodi iustitia neq; sit, neq; appareat. Sed contrahitur sermo ad eos, qui credunt, ad electos, inquã, & sanctificatos: quod Apostoli verba satis declarant. Quòd si accipienda esset sententia prorsus vniuersaliter, manifestatio hæc non posset referri nisi ad prædicationem, quòd omnibus proponatur, nulla ratione habita aut personarum, aut conditionum: ita enim Christus monuit Apostolos, vt Euangelium prædicarent omni creaturæ: & generaliter subiecit, Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Sed prior sensus & verus est, & dilucidus. Subijcit postea rationem, cur in omnes, & super omnes credentes iustitia hæc manifestata sit. Quoniam, inquit,

Nõ in omnib. est iustitia, sed tantùm in electis & in credentibus. Vniuersitas ista respicere potest prædicationem.

Omnes peccauerunt, & destituti sunt gloria Dei. Vt, cùm iustitia carerent propria, diuinitus eam acciperent. Nulli sunt adeò sancti, quin, vt ait Ambrosius, conuincantur ex hoc loco peccasse, cùm in omnes, & super omnes iustitia hæc à Deo collata locum habuerit. Sed notanda est phrasis,

Destituti sunt gloria Dei. Per illam nonnulli arbitrãtur intelligendam inhabitationẽ Dei: quòd homines ab eo separati fuerint, neq; per gratiam habuerint cum sibi coniunctum. Et quòd gloria Dei hanc inhabitationem exprimat, inde apparet, quòd Arca fœderis gloria Dei appellatur. Vnde, cùm esset capta à Palæstinis, gloria Dei sublata dicebatur. Alij putant, Paulum per gloriam Dei intelligere solidam, veramq; iustitiam: quæ à Deo gloria iudicatur, siue per quã nos Deũ glorificamus. Et cùm gloria non sit aliud, nisi laus effusissimè celebrata,

Gloria Dei quãdoque significat eius inhabitationem.

celebrata, figurata locutione Paulus appellat Dei gloriã singulariſsima Dei dona, propter quæ nomẽ eius & laudamus, & celebramus: ita vt materia μετονυμικῶς habeat, nomen consequentis proprietatis. Mihi tamen magis videtur Paulũ voluiſſe oſtendere his verbis, omnes homines in natura ſua corrupta fuiſſe reiectos, eumq; in primis perſtringere ritus, ſacrificia, & opera legalia, in quibus illi putabant maximè ſitam fuiſſe gloriam Dei. Oſtendit enim, eos re vera Dei gloria fuiſſe deſtitutos, quantuis toti eſſent in ceremonijs. *Quid ſit gloria.*

Iuſtificantur gratis per gratiam illius. Hinc habemus, quid ſit, abſque lege manifeſtari Dei iuſtitiam, nimirum id gratis fieri. Ad oſtendendũ autem, nullam haberi operum noſtrorũ rationẽ in iuſtificando, nunquã videtur Paulus ſibi ſatisfacere. Tot voces coaceruat idem oſtendentes. Vidit enim, quàm id nobis creditu ſit difficile, qui nihil gratis facere volumus, & noſtra menſura iuſtitiã Dei metimur, quaſi ille quoq; nolit ſuam iuſtitiã gratis conferre. Exiſta locutione elici debet vulgata ſententia, quòd ſola fide iuſtificamur. Et quanquã vox illa ſola in ſcripturis non habeatur, nihilominus ex his, quæ ibi legimus, neceſſariò infertur: quemadmodum hoc loco dilucidè Ambroſius annotauit in hæc verba ſcribens: Nihil, inquiens, facimus, non rependimus vices, ſola fide iuſtificamur dono Dei. Non fuit contentus dixiſſe, nos ſola fide iuſtificari: ſed alias quoque adiecit clauſulas, quibus id luculentius patefaceret. Idem Baſilius quoq; ſcripſit de Confeſsione fidei: Nos, inquit, non habemus, vnde quicquam gloriemur de iuſtitia, cùm ex ſola fide in Chriſtũ iuſtificemur. Quę non ita accipienda ſunt, quaſi fides, qua iuſtificamur, ſit ſola, id eſt, non comitata bonis & ſanctis actionibus: ſed quòd actiones noſtræ, quantumuis ſanctæ, non ſint cauſæ veræ iuſtitiæ. Simile oſtenditur in aqua, in qua humiditas & frigiditas coniunguntur. Abluere autem maculas humiditati propriè conuenit, non autem frigori. Quare admittitur paralogiſmus accidentis, cùm ex eo, quòd inter ſe duo coniuncta ſunt, quod vni conuenit, id alteri quoq; aſcribitur. Quod attinet ad lectionem, δικαιούμενοι participium nominatiui caſus, referendũ eſt ad id, quod paulò antè dicebatur. Omnes enim peccauerũt, & deſtituti ſunt gloria Dei: acſi diceretur, Qui erant huiuſmodi, iuſtificantur gratis. *Iuſtitiã Dei metimur noſtra mẽſura. Ambroſius ait ſola fide. Idem ſenſit Baſilius. Paralogiſmus accidentis.*

Per illius gratiam, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem. Hîc ea Paulus exponit, quæ per fidem amplectimur, cùm iuſtificamur: oſtenditque ſe per fidem intelligere obiecta, quæ per illam comprehenduntur. Et, quum ait, Per gratiam, oſtendit, ſe de longè alia iuſtitia agere, atque illa ſit, quæ operibus acquiritur: & excludit quàm apertiſsimè conditiones legis. Quumque audis, nos gratis, & per gratiam iuſtificari, id ne putes temere confingere, quum regula electionis diuinæ temperetur. Cuius rationes licet à nobis ignorentur, Deo tamen cognitæ ſunt. Cúmque penes illum id ſortitò non fiat, nos non debemus aſſerere, homines fortuitò iuſtificari. Vtque caſus eſt remouendus, ita oportet etiam vt faceſſat neceſsitas, ne videamur fatum ponere. Non enim cogitur Deus, vt magis hunc, quàm illum eligat. Sed quicquid dat, liberè ac ſponte dat. *Nõ iuſtificamur temerè, aut caſu.*

Per redemptionem. Hinc apparet, nos eſſe à Chriſto manumiſſos, & factos eius libertos. Fueramus enim vincti, cõiecti in carcerem peccati, mortis, diaboli. Chriſtus autem pro nobis pretium perſoluit: neque id quidem leue, Sanguinem enim ſuum pro nobis effudit, & vitam poſuit. Redimi dicitur, quod antea & liberum fuit, & ad nos pertinebat. Nos peculium Dei eramus, & noſtra culpa ſub peccato venundati fuimus. Demonſtrat hîc non obſcurè phraſis Apoſtolica, quàm parum tribuendum ſit Libero arbitrio, antequã Chriſti redemptione aſſerti ſimus in libertatem. Et quia tantum pretium impenſum eſt pro noſtra ſalute, non debemus pati, vt tantum beneficium nobis è memoria leuiter elabatur. Quod vt ne fiat, adiuuamur non tantùm doctrina & ſcripturis, ſed etiam ſacramẽtis. Nam ſicut apud veteres victimæ frequentes Chriſtum adumbrabant, venturum, ita nunc eius mortem, & ſanguinẽ pro nobis effuſum frequens vſus myſteriorum in memoriã reducit. Atque ex hoc redemptionis pretio grauitatẽ peccati poſſumus agnoſcere, quòd tantũ eius pondus fuerit, vt iuſtam & non temere ſuſceptam iram Dei in nos accenderit: quæ quum ſit appetitus vindictæ æquiſsima ratione illuſtriſsimam victimam poſtulauit, in quam omnia noſtra delicta transferrentur. Cumq; ea nulla re alia ſedata ſit, niſi ſanguine & morte Chriſti, grauiſsimæ blaſphemiæ accuſandi ſunt, qui id aut operibus noſtris, aut ritibus externis velint tribuere. *Quirediműtur. Vſu ſacramentorum iuuatur memoria beneficij accepti. Peccati pondus ex pretio redemptionis æſtimandum.*

Quem propoſuit Deus propitiatorem. Cùm à Deo Chriſtus dicatur nobis propoſitus, oſtenditur Euangelicũ inſtitutum non eſſe recens, neque ab hominibus adinuentũ. Quo autem pacto nobis propoſitus ſit Chriſtus, ex duplici capite demonſtratur. Primùm quia Deus ex

Deus nobis Christum duplici ratione proponit credendum.

A prædestinatione Dei pẽdet meritũ mortis Christi.

reuelatione proponit nobis credenda, quæ naturæ lumine nullo prorsus modo potuisse-mus cognoscere. Deinde, quod facit, vt nobis ostensa placeant, vtque illis assentiamur, animum permouet, atq; excitat, fidem afflando. Potest etiam hoc referri ad beneplacitum, & beatam Dei prædestinationem, vnde pendet meritũ mortis Christi. Alioqui potuisset Deus quauis alia re nos redimere, à peccatisq; liberare. Vnde tãtùm eius consilio acceptũ referendum est, quòd Iesu Christi filij sui mortem gratam habuerit, & per illam sanctos sibi reconciliarit. Propositi huius & beneplaciti mentio habetur ad Ephesios primo capite: vbi ita scribitur, Iuxta beneplacitum suum, quod proposuerat in seipso, vsque ad dispensationem plenitudinis temporum: vt recapitularet omnia in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt in ipso. in quo etiam & nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum eius qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ, vt simus nos in laudem gloriæ illius, qui priores sperauimus in Christo, in quo speramus & nos audito verbo veritatis Euangelio salutis vestræ, &c. Et alibi sæpius: & in ista eadem epistola mentio est προθέσεως Dei. Quanquam huius diuinæ voluntatis atque consilij hæc ratio non contemnenda, sicuti ego censeo, potest afferri, quòd per eum par fuerit mundum instaurari, per quem omnia fuerant condita. Vox quæ ponitur ἱλαστήριον potest hæc tria significare, propitiatorem, propitiationem, & propitiatorium. Ego postremum libenter amplector, quia Paulus videtur alludere ad veteris Testamenti oraculum, arcæq; operculum, quod propitiatorium ibi vocatur. Habebatur enim super arca fœderis pro arcæ oraculo tabula seu mensa: ad cuius duo extrema capita duo Cherubin stabant: medius verò locus eius fuit vacuus: vnde responsa petentibus reddebantur, & Deus populo fiebat propitius, atque illic habitare dicebatur. Omnia hæc, neque obscurum, neque dubium est, quàm commodè ad Christum referri possint, vtpote in quo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter (vt Paulus ait ad Colossenses) & de voluntate diuina quoad nostram salutem inde certissima redduntur oracula. Per illum autem nobis placari ac reconciliari Deum, nulla est ambiguitas. Licebit etiam Propitiatorem interpretari, quasi ea vox genere masculeo posita fuerit, vt, quemadmodum Christum appellamus σωτήριον, hoc est, seruatorem, sic eum appellemus ἱλαστήριον, hoc est, placatorem. Neque fortasse abhorret à legitimo sensu, si Christum intelligas placationem nostram esse. Nam Ioannes in epistola sua capite secundo, Christum appellauit ἱλασμόν, hoc est, placationẽ nostram, vbi sic inquit, Filioli mei hæc scribo vobis, ne peccetis. Sed & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem, Iesum Christum iustum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi. Verùm, vti dixi, prima expositio mihi magis arridet, ea potissimùm de causa, quod paulò pòst dicitur,

Ratio probabilis consilij Dei. Christus ut sit nostrum propitiatorium.

Per sanguinem ipsius. Siquidem pontifex Hebræorum solebat semel singulo quoq; anno propitiatorium imbuere sanguine, cùm in sancta sanctorum ingrederetur. Neque temerè est, quod hîc subiecit noster Apostolus, *Per fidem*: quandoquidem etiam aduersarij nostri fatentur, per Christum nobis contingere iustitiam: verùm tacent, qua ratione illam nobis applicemus, nostramq; faciamus: quod Paulus modò disertè expressit. Videntur illi eò semper tendere, Christum nos ideo redemisse, quòd sit habendus caput nostrorum meritorum: quasi, vt illi solent dicere, Christus primam tantùm gratiam nobis meruerit, deinde nos nobis ipsis totos relinquat. Sed hoc est nimium parce atq; malignè vti beneficio Dei. Idcirco nos ipsum intelligentes, perpetuò volumus diuinæ iustitiæ Christi mortem, vt plenam peccatorum nostrorum satisfactionem semper opponere.

Quomodo à Papistis Christus dicatur noster redemptor.

Ad ostensionem iustitiæ suæ. Hactenus efficientem causam iustificationis vidimus, quæ est Deus, & eius misericordia. Hi verò, qui iustificantur, & ad causam materialem pertinent, sunt homines cuiusuis generis, peccatis obnoxij, & destituti gratia Dei. Instrumenta etiam sunt exposita. Vnum quoad Deum, & is est Christus, quo vsa est diuina bonitas pro victima: alterum instrumentũ quoad nos, est fides qua Dei misericordiam, & promissiones percipimus. Nunc de fine agitur. Non aliorsum Deus voluit ita nos iustificare, nisi vt suam ipsius iustitiam declararet: quod non fit, nisi eam cum alijs communicando. Tum enim quispiam declarat suas diuitias, quando alios ditat: tum suam scientiam, quum alios erudit: tum fortitudinem, quando alios roborat: sicut & Ambrosius dicit, Iustitiam Dei nos iustificando manifestari, quòd reddat iuxta promissiones factas. Sed vis est non parua in eo, quòd iustitiæ adiecit, *Suæ*, vt ostenderet nostram nullam prorsus esse. Chrysostomus hoc loco dicit, Ne timeas, quia non ex operibus, sed ex fide constat hæc iustitia: & addit, in ea duo præclara inesse bona: primum, quòd sit facilis: alterum, quòd ea Deus propriã ipsius

Methodus iustificationis.

Finis iustificationis.

Iustificatio ex fide habet duo commoda.

ipsius iustitiam declarat. *Per remissionem præteritorum peccatorum.* Nescio quid Ambrosio occurrerit, vt non legat, Remissionem, sed propositum. Et in interpretatione inquit, Quia proposuit Deus eripere non solùm eos: qui habitant apud superos, sed & eos, qui in inferno erant. Non videntur hæc ad locum istum facere. Deinde Erasmus suspicatur, eum non legisse πάρεσιν, sed πρόθεσιν, quod est propositum: idq; etiam sequitur Augustinus in libro de Spiritu & Litera, capite 13. Sed rectè est, vt legamus, quemadmodum vulgò habetur. Nam sic nobis exponit, quanã in re præcipuè sita sit iustificatio, videlicet, in remissione peccatorum. Quod à Dauide habetur expresè, cùm inquit, Beati, quorum remissæ sunt iniquitates. Beneficio quidẽ spiritus sancti fit, vt præter condonationem peccatorũ, succedat totius hominis instauratio. Sed in priore capite sita est summa iustificationis, vt peccata condonentur. Partícula, quæ adijcitur,

Ambrosij aliena lectio & interpretatio.

Iustificatio in quanam re præcipuè sita.

Præteritorum peccatorum, iuxta quorundam sententiam posita est, vt licentia peccati adimatur, nè putent homines, adepta iustitia ex Deo, laxè viuendum esse. Sed Apostolus potius credendus est, voluisse hinc ostendere infirmitatem legis & philosophiæ, & humanarũ virium, vt quæ non valuerint peccatũ amouere. Perstat quidẽ, & manet, quoad iustitia per fidem cõmuniceť. Mansisse aũt á Paulo postea audiemus, cùm infrà dicet, peccatũ regnasse ab Adamo vsq; ad Mosen: idq; ex eo probat: quòd mors in omnes grassata fuerit. Non tamen ex hoc loco probari potest, post iustificationẽ lapsus non posse contingere, qui repetita iustificatione per fidem condonentur. Idcirco hinc Nouatiani ineptè colligebant, non dandam esse lapsis remissionem peccatorum post baptismum. Quanquam illi vi argumentorum adaucti, falsi sunt, Deum quidem remissionem scelerum post baptismum admissorum posse dare: nobis autem in Ecclesia non esse fas eiusmodi condonationem vel exercere, vel polliceri. Verùm isti malè expenderunt, quod Petro dictum fuit, vt fratri pœnitenti remitteret non modò septies, verùm etiam septuagies septies. Pauli consiliũ hoc loco fuit declarare statum hominis, antequam iustificationẽ assequatur: nimirũ quòd in peccatis versetur. Tales nos apprehẽdit iustitia, vt nihil à nobis ipsis afferamus ad Deum, nisi peccata condonanda. Quæ profectò cùm remittuntur, necessarium est, vt præcesserint. Vnde ex hoc loco reuelluntur potius præparationis, vt vocant, opera, quàm vt pro Nouato aliquid concludatur. Et est sanè illorum prorsus reijcienda opinio, qui arbitrantur primam quidem iustificationem gratis nobis contingere, neque vt per baptismum regeneremur, opera bona, quæ antecedant, requiri. Sed si postea, inquiunt, peccauerimus, necesse est, vt satisfaciamus: quasi Christus alius mediator sit vno tempore, quàm alio. Ioannes apertissimè istos refellit, inquiens, Filioli, hæc scribo vobis vt non peccetis: quód si peccauerimus, aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum, quem appellat ἱλασμόν, id est, propitiationem nostram. Ex quibus verbis colligas, etiam post baptismum si labamur, Christum esse nostram iustificationem, non autem nostra opera. Neque fas est, putare, meliorem esse conditionem eorum, qui á Christo auersi sunt per graues lapsus, quàm eorum, qui ad eum nondum sunt conuersi: ita, vt, si antea non potuerint se ipsos iustos efficere, id postea præstare valeant. Quamobrem sentiendum est per pœnitentiam eandem rationẽ iustificationis repeti, quæ antea fuit in Baptismo, Vel, vt rectius dicam, quum primùm regenerati sumus per fidem. Vnde satis mirari nequeo, quid Colonienſibus maximis illis defensoribus abusuũ in suo Antidídagmate venerit in mentem, cùm discrimen ponere voluerint inter pœnitentiã, quam prædicamus infidelibus, & eam quę agenda est à Christianis in grauia scelera prolapsis. Concedunt, quod attinet ad infideles, vt per legem Mosis exprobremus ea, quæ grauiter admiserunt: deinde, vt Christum ostendamus, quasi remedium ac medicinam tantorum malorum. Verùm ijs, qui, dum Christiani essent, contaminarunt se peccatis, asserunt, inculcanda esse dona & beneficia, á quibus exciderint: & proponenda esse spiritus exercitia, quibus releuentur. Et pro hac sua sententia nonnulla loca scripturæ citant. Primùm quod in Apocalypsi dicitur, Memento vnde exciderís, & prima opera fac: alioquí ad te venio. Et ad Galatas Paulus ait: O insensati Galatæ, quis vos fascinauit, vt veritati non obediretis, ante quos Christus proscriptus est, & ob oculos vestros crucifixus. Deinde ad Hebræos legimus, Quòd si quis irritam fecerit legem Mosi, sub duobus, aut tribus testibus absque vlla misericordia occidítur. Quantò grauiora supplicia merent illoś, qui sanguinem filij Dei conculcauerint. Postremò locum adducũt ex posteriori ad Corinthios capite septimo, vbi Paulus videtur meminisse satisfactionis, post admissum crimen exhibendæ. Ambrosium etiã putant pro se facere, dum interpretatur hæc verba ex 11. capite ad Romanos: Sine pœnitentia sunt dona Dei: Quia, inquit, gratia in baptismate

Post iustificationem adhuc lapsus intercedunt.

Error Nouatianorum.

Quales nos deprehendat iustitia Dei.

Contra opera præparationis.

Christus perpetuò est idem mediator.

Eadẽ ratio iustificatiõis post baptismũ quæ ante.

Colonienſiũ antidídagma.

non quærit gemitum aut planctum, aut opus aliquod, nisi solam ex corde professionem. Et paulo pòst ait, inter primordia fidei non requiri pœnitentiam: donum enim Dei gratis donare peccata in baptismo. Atq; hæc se fingunt dicere, ne socordiæ, aut ignauiæ, neue aliqui fingãt iustificationem otiosam, & pœnitentiam sine fructu. Pœnitentia, inquiunt, quæ post baptismum adhibetur, est eius generis, vt habeat preces quàm vehemẽtissimas, & luctum, & gemitum, & eleemosynas, in proximos, & exercitia spiritualia, quibus abluantur admissa peccata. Sed quicquid illi dicunt, vna est ratio veræ pœnitentiæ, vt ex animo doleamus admissa peccata, quæ Deum à nobis abalienauerunt. Cui dolori adiungitur desiderium condonationis, & preces, vt eam obtineamus, cum certo proposito non amplius incurrendi in eadem peccata, & voluntate mortificandi veterem, & induendi nouum. Quæ omnia fide niti oportet, quia sine illa constare non possunt. Atq; in homine Christiano perpetuum est, dum hic viuit, hoc genus pœnitentiæ: quanquã eam fatemur esse maiorẽ, cùm grauiora peccata intercesserint: quod euenire certum est, cùm post semel acceptã gratiã relabimur. Sed, vt vulgò dicitur, magis & minus rerum naturã & speciem non mutant. Quod q; isti sibi fingunt in baptismo pœnitentiam non requiri, potissimùm verò quando tinguntur adulti, et vanum est, & scripturis palàm aduersatur. Siquidem in Actis Apostolorũ, cùm populus audisset Petri concionẽ, compuncti sunt corde, & dixerunt, Viri fratres, quid nos agere oportet? Quibus Petrus respondit, vt pœnitentiam ageret. Cumq; Iudæi baptizarẽtur à Ioanne, eo pœnitentiæ dolore percellebãtur, vt vltro etiam peccata sua confiterentur. Quod idem Ephesij fecerũt, cùm libros maleficos producerẽt, vt cõburerentur. Et, quod attinet ad Ambrosiũ, nisi intelligatur de satisfactionibus Ecclesiasticis, quòd eas Ecclesia de peccatis ante baptismũ non requireret, quod scribit, non est verum. Quia re vera fieri non potest, vt quis ad Deum ex animo conuertatur, & ad Christũ accedat, vt baptismo tingatur, quin eum vehementer pœniteat anteactæ vitę. Neq; possum videre, cur non cõueniat vti legis ministerio, ad concionandum his, qui à Christo desciuerũt, quemadmodum & illis, qui adhuc non sunt conuersi. Nam certum est, Christum egisse cum Apostolis de lege in cap. 5. & 6. Matthæi, cùm iam & credidissent, & illum sequerentur. Paulus quoq; in hac ipsa epistola, quam ad fideles dedit, capite septimo, testimonio legis vtitur ad concupiscentiam explicandam. Et in priore ad Timotheum legem prędicat esse bonam, modò quis ea legitimè vtatur. Neque loca Apocalypseos, ad Hebræos, & ad Galatas aliter docent. Nam exprobratio beneficiorum acceptorum, cùm ingratitudinem arguat, legis transgressionem obijcit. Nihil enim aliud est peccare, nisi mandata Dei, quæ continentur in lege, violare. Neque in posteriore epistola ad Corinthios, vt isti fingunt, habetur vlla mentio satisfactionis. Nam ea vox, qua Paulus vtitur, Græce est ἀπολογίας. Neque aliud eo loco sibi vult Apostolus, quàm vt declaret, se gauisum esse, quòd suæ priores literæ in Corinthijs peperissent studium, ἀπολογίαν, indignationem. Quandoquidem incestum hominem à Paulo notatum excommunicauerant, ostenderantq; id sibi non vulgariter dolere, quòd Paulus reprehenderat. Omnino longè abest, vt ille locus Ecclesiasticas satisfactiones nobis commendet: de quibus tamen non oportet, vt isti homines tantoperè sibi blandiantur, cùm in ipsorum Ecclesijs iam olim prorsus obsoleuerint: neque nunc alias habeant, quàm quas imponunt post auricularem confessionem, easq; nemo persoluat, nisi iam ante à sacerdote absolutus, quod omnino rationi veterum aduersatur. Et, si quando patres legantur remissionem peccatorum, aut iustitiam eleemosynis, aliisue bonis operibus tribuere, aut prorsus non sunt audiendi, aut intelligendi sunt de operibus loqui, vt sunt effecta fidei. Possunt etiam quandoque nomine peccati pœnas, atq; supplicia intelligere, quæ peccatis debentur: quæ accidit sæpe, vt aut mitigentur, aut tollantur, si fructus digni pœnitentiam consequantur.

Vna est ueræ pœnitentiæ ratio.

Christianis perpetua comes pœnitentia, maior tamen interdum & minor.

In baptismo adultorum pœnitentia requiritur.

Ante baptismũ non requirebãtur satisfactiones ecclesiasticæ

Locus ad Corinthios posterior.

Veræ satisfactiones ecclesiasticæ ab ecclesia Papistarum exulant. Quomodo à patribus remissio peccatorum assignetur.

In tolerantia Dei. Significatur his verbis, Deum illa peccata remittere, quæ diu anteà tolerauit: cùm alioqui mereãtur puniri homines, quod ad ipsos attinet, illicò vt peccauerint. Verùm Deus misericors est, & tardus ad iram: quod ostendit, cùm diluuium inferret. Sodomam deleret, & Rempublicam Iudæorum euerteret. Atq; etiam in singulum quenq; nostrùm talẽ eum esse intelligimus. Diu enim expectat, vt nos pœniteat. Quod si nõ facimus, thesaurizamus nobis iram in die iræ, ac reuelationis iusti iudicij Dei. Et ex hac Dei patiẽtia verum esse agnoscimus, quod in Ezechiele dicitur, Deum nolle mortem peccatoris, sed potius vt conuertatur & viuat. Neq; hìc spectare oportet arcanã Dei voluntatem, quæ nobis incomperta, & obscura est. Iudicare enim debemus de illa, prout ex sacris literis, & quotidiana experientia nobis proponitur, & cognosci potest. Diu enim tolerat, & scripturis, concionibus, flagellis, denique omnibus rationibus & vijs peccatores ad se reuocat.

Tolerat Deus peccata.

Ex uoluntate Dei reuelata iudicandũ, non ex arcana.

In

In præsenti tempore. Chrysostomus interpretatur hoc de aduentu Christi in carne: quòd tum maximè sit exhibitus, & Dei patientia eò maior sit declarata, quòd omne vitium iam esset in præcipiti: cumq; homines viderentur grauissimè puniendi, tum Dei misericordia illis maximè affulserit. Et videtur sanè Paulus, vbicq; meminisse quàm honorificè huius temporis, quo Deus erga homines benevolentiam suam tam singulariter declarauit, vt filium suum vnigenitum pro nostra salute daret. Eamq; tempestatem, qua filius Dei se ad nos cõtulit, appellat plenitudinem temporis.

Cũ peccata magis uidebantur puniẽda tum misericordia magis affulsit.

Plenitudo temporis.

Vt ipse sit iustus iustificans eum, qui est ex fide Iesu Christi. Hîc ratio attingitur, cur statuerit Deus ita peccata remittere: nimirũ, vt iustitia ipsius magis appareret. Dicere solemus, in aliquo esse qualitatem eximiam, quum illam ex eo fonte alia participant. Sed emphasis est in ea loquendi formula,

Vt ipse sit iustus: qua intelligamus, eum per se ipsum iustum, neque audeamus id nobis vendicare. Et adiecit,

Ex fide Iesu Christi, quòd ita melius appareat Dei iustitia, quàm si eam nobis ipsis ex operibus vendicaremus.

Exclusa est igitur gloriatio tua. Per quam legem? Per legem operum? Non. Sed per legem fidei. Explicata propositione sua, nunc quasi per epiphonema definit id, quod ab initio capitis proposuerat, quum diceret, Quid amplius habet ludæus? aut quæ vtilitas Circuncisionis? Respondet hoc loco, Quòd attinet ad iustificationem, ludæos nihil habere præ alijs, de quo possint gloriari, quum per ea, quæ iam dicta sunt, eorum gloriatio excludatur. In Græco codice non habetur, *Tua*. Et Ambrosius indicat, hæc aduersus ludæos dici. Nam contra illos peculiare certamen modò instituitur. Lex operum tantùm abest, vt gloriationem excludat, vt potius materiam gloriandi suppeditet. Voce autem Legis, intelligit Apostolus doctrinam: quoniam ea vim habet moderandi, ac regendi vires nostras, & voluntates ad aliquid agendum: quantum ad notitiam & doctrinam seu institutionem attinet. Et alibi transfert Legis vocabulum ad multa, vt dicat, Legem spiritus, Legem carnis, Legem membrorum, Legem mentis, & alia huiusmodi. Lex operum est, quæ dictat, iustitiam acquirendam esse operibus. Lex autem fidei docet, eam sperandam esse à Dei misericordia. Et Chrysostomus Legem fidei esse dicit, quòd per gratiam seruemur: & vult Apostolum vti legis nomine, quò Iudæos, qui ea voce delectabantur, minus offenderet. Ita enim videbatur, aliquem honorẽ legi deferre, quæ pessimè non est merita de hominibus. Gloriatio, si definiatur, est iactatio de aliquo bono. Vtq; pugnent inter sese duæ istæ leges, apertè docemur in Euangelio: vbi pharisæus Deo sic loquitur: Gratias tibi ago, quòd non sim sicut cæteri homines: ieiuno bis in sabbato, & quæ sequuntur. Hic tantùm operum meminit: prætereundo gratiam Dei, quantum potuit. Alter verò publicanus ex fide inuocabat: Deus propitius esto mihi peccatori: quibus verbis nullam prorsus operum mentionem facit. Et quum exclusam Deus velit gloriationem, patet, quàm illi aberrent, qui merita defendunt. Quia vbi ea locum habent, gloriatio non deest. Qui gloriantur, putant sibi deberi & salutem, & iustitiam, & vitam æternam. Sed qui lege fidei nititur, talia sibi nequaquam deberi persuasum habet. Licet possemus distinguere, debitum posse quandoque accipi prout refertur ad nostros labores, & sic mercedem respicit, vt infrà luculenter docebit Apostolus, quando ait: Illi, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum: alio modo, vt respicit promissionem, quando alicui debetur quippiam: non quòd id sit promeritus, verùm quia promissione nostra illi nos id obstrinximus. Cuius rei specimen habemus in donationibus, quæ contractu, & syngraphis confirmatæ fuerint. Atque huic generi debiti non aduersatur lex fidei. Sed nulla ex eo nascitur gloriatio. Verùm aduersarij nostri gloriationem nequaquam excludunt, quando aiunt, pœnitentibus remissionem peccatorum concedi, modò pœnitentia fuerit idonea, &, vt illi loquuntur, sufficiens. Hæc dicendo ex professo aduersantur voluntati Dei: quæ omnino id curat, vt omnis à nobis excludatur gloriatio. Imò Chrysostomus asserit, non alia de causa Christum distulisse tam diu aduentum suum in carne, nisi vt humanum supercilium reprimeret. Si enim ab initio ad nos accessisset, facilè dicturi erãt homines, se non vsque adeò illo opus habuisse, vt salui sine eo esse non potuerint. Voluit itaque genus hominum tam diu premi seruitute peccatorum, & legis onere, quoad intelligerent, se omnino opus habuisse redemptore. Cur autem tantoperè satagat Deus, vt gloria nostra excutiatur, abundè satis indicant sacræ literæ: scilicet, quò gloria ipsius magis emineat. Quare patet, quicquid nobis gloriæ vendicamus, totum id ex Dei gloria decidi.

Epiphonema.

Lex operum suppeditat materiã gloriandi.

Lex quid significet.

Gloriatio quid. Pugna inter legem fidei & legem operum.

Vbi merita ibi gloriatio.

Debitum dupliciter possimus intelligere.

Cur filius Dei tã diu aduentũ suũ distulerit.

Cur Deus gloriã nostram uelit repressam.

Neque indiget multa expositione, quidnam Paulus intelligat per Legem operum. Accipit enim per eam vocem tam legem naturæ, quàm legem Mosis, & humanam. Siquidem omnia hæc pariunt gloriam, si quis vendicauerit sibi eorum executionem.

Arbitramur igitur fide iustificari hominem, sine operibus legis. Ea, quæ suprà dixit, breui conclusione cõfirmat: quam ratione adiecta probabit. Et quod ait, Arbitramur, Græcè est λογιζόμεθα: quod non significat opinari, aut suspicari, sed hoc loco est Concludere, inferre, ac certò conficere: nimirum ex his quæ dicta sunt. In qua significatione capite 6. accipitur, cùm ait Apostolus, Ita & vos reputate vos ipsos mortuos esse peccato, viuentes autem Deo per Christum Iesum Dominum nostrum: Vbi Reputate est λογίζεσθε, atque id quod significatur, est pro certò habere. Et Ambrosius nobis quoad hoc astipulatur, & hominem iustificari absque operibus, de Gentili intelligit. At Chrysostomus è diuerso putat, hominem dicendo, vocem positam esse naturæ, vt latior, & amplior sit Apostoli sententia. Quod mihi non displicet: tam enim conueniebat Iudæis, quàm Ethnicis, vt solidam iustitiam ex operibus non haberent, sed ex fide. Deindè, quum tam diserte Apostolus dicat, Hominem iustificari absque operibus legis, infertur hinc, quod etiam suprà docebamus, Fidem solam esse quæ iustificet. Id agnouit hoc loco, non solùm Origenes, verùm etiam Chrysostomus, qui ait, Fidem tantummodo requiri ad iustitiam hanc adipiscendam. Sed audio aduersarios dicere consueuisse, quando legimus apud patres,

Fides sola iustificat, vt Origines & Chrysostomus hic fatentur.

Solam fidem iustificare, intelligendum esse præcipuam, eo quòd priores partes habeat. Et vnum alterumque locum inducunt, vbi solum id significet. Sed certè, si quis Pauli verba expendat, cum hac interpretatione non conuenient. Nam ponit iustitiam absque operibus legis: quod non est verum, si opera ita fidem comitantur, vt cum ea iustificationem electis Dei pariant. Clamitant qui aliter sentiunt, si hoc pacto doceatur, ignauiæ ac socordiæ fenestram aperiri. Quibus eorum fucatis prætextibus consenserunt quandoq; simpliciter, & candidè nonnulli ex nostris: qui cùm viderent veram fidem, quæ iustificat, semper habere adiuncta sibi bona opera, abstinuerunt in concionibus ab illa voce Sola. Verùm postea intellecta fraude aduersariorum, qui hoc obtruserant, vt populum tandem iuxta fictiones suas docerent, non tantùm per fidem, sed etiam per opera homines iustificari, redierunt ad pristinam formam: ne populus deciperetur. Cumq; Paulus cautissimè semper caueritscandala, & offensiones audiẽtium, quantum per veritatem scripturarũ licuit, eumq; videamus tam apertè docere illa, vnde planissimè sequitur,

Obiectio aduersariorum. Simplices viri quandoq; in hoc cesserunt Papistis, sed intellecta fraude in viam redierunt.

Solam fidem iustificare, Non debemus timere huiusmodi pericula, quibus facilè potest occurri, si dextera interpretatio eius, quod dicitur, commodè adhibita fuerit. Opponunt rursus nobis, Opera legis hoc loco significare Ceremonias. Quibus respondemus, vt iam superius dictum est, quæstionem quidem ortam fuisse ob ceremonias: sed Paulum dissoluere illam in vniuersum, & ita respondere, vt concludat de omni operum genere. Idcirco ratio, quam inducet primo loco, Deum non esse Iudæorum Deum tantùm, sed etiam Gentium, ceremonias respicit. Quandoquidem Ethnici Iudæorum ceremonias non receperant. Sed postea cùm subdit, per fidem legẽ non aboleri, sed potius cõstabiliri, declarat, suam propositionẽ intelligendã esse potissimũ de moralib. quæ fides non abolet, sed potius confirmat: quod non possumus dicere de ceremoniis, quas videmus per Christum, & eius fidem sublatas esse. Deinde quod superius dixit, Omnes peccasse, ac destitutos esse gloria Dei, & ita obstrui omne os, atque subditum fieri mundum vniuersum Deo, satis indicat, de qua lege loquatur. Neque minus id, quod ab eo habetur, legem indicare peccatũ, & quod citat è Dauide, Non iustificabitur in cõspectu tuo omnis viuens, atque alia permulta, quæ postea suis locis videbimus, satis indicant, Apostoli verba moralia præcepta complecti. Excluduntur itaque opera, sed excluduntur vt à causa iustificationis: non autẽ vt ab effecto. Quod Christus vt demõstraret, in Luca dicebat: Cùm feceritis hęc omnia, dicite, Serui inutiles sumus, quibus ne id quidem debeatur, vt gratiæ nobis agantur. At si ex operibus iustificationem consequeremur, neque inutiles essemus bene agendo, & nobis longè maiora deberentur, quàm vt agerentur gratiæ.

Periculis occurri potest dextera interpretatione.

Probatur, hic etiam de moralibus agi.

Opera excludũtur à causa iustificationis, non ab eius effecto.

An Iudæorum Deus tantùm? Nonne & Gentium? Imò & Gentium. Probat id, quod propositum fuerat, Absque operibus legis homines iustificari. Nam si ex illis penderet iustitia, Deus videretur tantummodo fuisse Deus Hebræorum, & reliquisse Gentes absque spe salutis, quasi non esset illarum Deus. Ratio hæc deducit ad absurdum, quasi Deus esset partium sectator, quod illi nullo modo tribuendum est: vt suis idolis Ethnici ascripserunt, quum facerent ea alia Troianarum partium, alia Græcarum, ita vt etiam inter se certarent, & lamen-

Idola ethnicorũ fuere diuersarũ partium.

lamentarẽtur, cùm res ad votum non succederet. Sed apud Deum verum non est hęc πρωτο πλαγία. Verum quidem est, aliqua singularia dona collata fuisse Iudæis, at non ita, vt cęterę nationes desererentur. Ausus tamen est Aben Esdra definire, Deũ prouidentiã non habere singularium hominum, nisi quoad Israelitas: alia vult ab eo prospici tantùm generaliter: sed Iudæorum peculiarem habere curam quoad singula, quæ ab illis agantur. At Paulus hîc testatur, Deum tam Gentium, quam Iudæorum esse Deum. Cumq; Deus sit, vt constat, summum bonum, se optimo modo, quo fieri potest, suis communicat: quod potissimum fit eos iustificando. Quare Dauid aiebat, Beata gens, cuius Dominus est Deus. At quæ beatitudo esse potest, absq; iustificationis dono? Et certe Deus illos, quibus est Deus, eripit ab omni malo. Quare non sinit eos vel peccato perpetuo grauari, vel ęternis supplicijs esse obnoxios. Hoc pacto cõcludit Christus Resurrectionem mortuorum, ex eo, quod in scripturis habetur, Ego sum Deus Abrahami, Isaachi, & Iacobi. Nam si erat eorum Deus, à malo, & à pœna mortis oportet, vt eos tandem eripiat: quod per Resurrectionem illis elargietur, cùm illos à morte redimet. Et manifestum est, omnibus id oportere concedi, per quod omnes iustificantur. Quod cùm Dei beneficio fiat, Deus cõcludetur omniũ illorum esse Deus, quos donat sua iustitia, à quibus Gentes excludi non possunt: cùm temporibus Apostolorũ et ad Christum accederent, & quàm manifestissimè spiritum sanctum, sicut alij, qui crediderãt ex Iudæis, acciperent. Cumq; Deus vniuersitatem rerum condiderit, omnia sua prouidẽtia regat, & vnum formauerit primum hominẽ, vndè nostrum vniuersum genus propagatũ est, non ne putabit omniũ esse Deus? Quod etiam inde continetur, quòd in scripturis habemus, Omnis qui inuocauerit nomẽ Domini, saluus erit, & rursus dicitur, qui crediderint, & baptizati fuerint: Salui erunt. Et quod à Propheta dicitur, Videbit omnis caro salutare Dei, huc tendit, cùm per carnẽ intelligimus hominẽ. Testantur hoc idẽ omnia oracula, in quibus de vocatione Gentiũ agitur: vt illud, quod ad Abrahamũ dictum est: In semine tuo benedicẽt omnes Gentes. Et Iacob asserebat, nõ auferendum sceptrũ de Iuda, donec veniret, qui mittendus erat: & ipse, inquit, erit expectatio Gentiũ. Apud Esaiam quoq; legimus, de radice vel semine Iesse, quòd in eo Gentes essent speraturæ. Et infinitum est, omnia loca recensere, quæ ad hoc faciunt. Iactabant Hebræi, legem pro se fuisse latam. Sed tamen vt quoad hanc partem, Gentes non fuerint neglectę, attestatur, quòd proselyti poterant accedere ad Iudaicam Rempublicam, & leges, quotquot voluissent. Et cùm Israelitę reuocarẽtur ex Aegypto, sequuta est eos non vulgaris multitudo Aegyptiorum: quibus Deus eadem munera & dona contulit per desertum, quæ Iudæis tribuebat. Et legibus cauit, vt ad Pascha comedẽdum alienigenæ pariter admitterentur, modò circuncisionem recipere voluissent. Ex quibus omnibus liquet, Gentes à Deo non fuisse neglectas, etiam quoad legis beneficium. De inde non ignoramus, Melchisedech, cuius in lege singularis laus extat, celebratum esse, vt iustum, & Dei altissimi sacerdotem. Necnon Iethro socer Mosis, & Iobus, Gentiles in sacris literis honorificè commendantur. Constat etiam Reginam Saba laudatam esse, quòd ad sapientiam Salomonis audiendam accesserit. Nec omissi sunt Niniuitæ, qui, cùm egissent pœnitentiam, seruati sunt. Ex his patet, ante Christi aduentum ex Gentibus aliquos verũ Deũ habuisse, & coluisse pro Deo. Deinde cùm Christus iam aduenisset, nemini dubium est, vt declaratum fuerit, Gentes Deo cordi esse. Non dedignatus est Sammaritidem & Chananeam Ethnicas mulierculas & Cornelius Centurio ante baptismum susceptum gratus fuit Deo: cúmque credidisset, spiritum sanctum visibili specie accepit priusquam tingeretur. Neque Petrus accessit ad illum sine certo Dei oraculo, cùm ei ostensum fuisset vas è cœlo demissum, vbi & serpentes, & omnia genera immundorum animantium continebantur: de quibus dictum est illi, vt occideret, & manducaret. Offert se postremò historia de Eunucho Candaces Reginæ Aethiopum, qui singulari miraculo à Philippo edoctus, & baptizatus est. Hoc mirabiliter torquebat Iudæos, quòd Ethnicos viderent ad gratiam admitti sine lege. Sed eos meminisse oportuit, vt ait Tertullianus in libello aduersus Iudæos, cùm legem tantoperè iactarent, non sibi primò legem fuisse latam. Accepit quippe eam in paradiso ante eos primus Adam: ac in ea, quæ illi fuit lata, continebatur, quicquid postea per Mosen in moralibus præceptum fuit, præsertim quoad summa capita. Nam si dilexisset Adamus Deum toto corde, quomodò transgressus fuisset mandatum? Et si ei credidisset comminanti mortem, non adeo fuisset incogitans, vt causam mortis admitteret. Idem'que, si dilexisset proximum vti deberat, sua transgressione mortem non immisisset in vniuersam suam posteritatem. Et si iustè voluisset agere, fructum alienum, & ad se non pertinentem minimè surripuisset.

Deus fauit Iudæis sed cæteras nationes non deseruit.

Error Haben Ezre.

Beatitudo esse non potest absq; iustificatione.

Vnde resurrectio mortuorum concludatur.

Loca quibus ostẽditur etiã ad gẽtes uerum Deum pertinere.

Gentes à lege nõ excludebantur.

Ethnici laudati in scripturis.

Lex Adamo posita est, unde Iudæi non habuerunt legem soli sed omnes in Adamo.

Hæc Tertullianus pulchrè annotauit de lege in paradiſo lata primis hominibus. Idemq; aſ-

Lex naturæ. ſerit, huic legi eam, quæ naturę dicitur ſucceſsiſſe. Mitto quòd Noe nonnulla præcepta, quę

Lex data Noho. cõmunia fuerunt vniuerſo hominum generi, accepit. Quòd ſi Deus poſtea per Moſen vo-
luit leges, quas prius tulerat, magis explicare, non eſt, quòd Iudęi Gentes contemnant, qua-
ſi illæ ſine lege relictæ fuerint. Nam apertiſsimum eſt, quòd cùm Chriſtus acceſsiſſet, doctri-

Iudæorum temeritas. næ, quæ in omnes homines euulgata eſt, & legum omnium perfectiſsimam explicationem
propoſuerit. Vnde patet, quàm decipiantur Hebræi, qui eò rapiuntur amore ſui generis, vt
potius Deum velint carere ſuo honorę, ne ſit omnium Deus, nec omnium prouidentiã ge-

Quare Deus aliquorum dicatur Deus. rat, quàm vt ſe fateri velint ſolos non eſſe, qui à Deo curentur, & diligantur. Annotabis hoc
loco, aſſeri ab Apoſtolo rationem, qua Deus potiſsimùm dicatur aliquorum eſſe Deus: ni-
mirum quòd illos iuſtificet. Nam ſtatim ſubdit.

Qui iuſtificabit circumciſionem ex fide, & præputium per fidem. Quid intelligatur per Circumciſio-
nem, & præputium, aliàs oſtenſum eſt. μετονυμικῶς accipienda ſunt, ita vt per ſignum ea, quæ
illo notantur, accipiamus. Prępoſitiones iſtę Per, & Ex, idem hoc loco ſignificant. Faciunt
autem ad rem exaggerandam, vt aliàs Paulus dixit de Deo, Omnia ex ipſo, & per ipſum fa-

Contentio Græcorum & Latinorum de ſpiritu ſancto. cta eſſe. Peperit quandoque diſcrimen harum præpoſitionum grauem contentionem inter
Græcos & Latinos. Dicebant iſti, ſpiritum ſanctum non ſolùm ex patre, ſed etiam ex filio
procedere. E diuerſo autem illi aſtruebant eum ex patre procedere, ſed per filium, non ex fi-
lio. Verùm poſtquam certamen diu extractum eſt, animaduerterunt tantùm verborũ eſſe
contentionem. Ex his, quæ dicta ſunt, iam intelligimus, quoad iuſtificationem Gentes & Iu-
dęos æquari: quod eſt maximæ conſolationis. Neq; debemus quicquam moueri, quòd Pau-
lus verbo futuri temporis vſus ſit, cùm diceret, Iuſtificabit. Quia licet antiquitùs tam ex Iu-
dæis, quàm ex Gentibus permulti ſic iuſtificati fuerint, attamen quia id rarò contingebat,
& inter paucos, quaſi non factum reputatur, ſi reſpexerimus ad generale beneficium, quod
poſt Chriſti aduentum contigit. Neque prætereunda eſt emphaſis huius ſententiæ.

Quandoquidem unus eſt Deus, qui iuſtificabit &c. Nam ſignificatur, quòd quemadmodum v-
nus eſt Deus, ita etiam vno modo, nimirum *Per fidem* vſus eſt ad omnes iuſtificandos. Quæ

Vnus Deus uno modo ad oẽs iuſtificãdos utitur. hîc dicuntur, permultum nos permouere debent, ne proximos contemnamus. Cùm enim
reputauerimus, Deum noſtrum illorum etiam Deum eſſe, non poterimus eos non magna

Ratio cur proximi ſint amandi. charitate, honore, ac beneuolentia proſequi. Neque oportet, vt blandiamur nobis de ſingu-
laribus beneficijs acceptis: quandoquidem ſacræ literæ admonent, multos primos nouiſſi-
mos effici, atque è diuerſo nouiſsimos primos. Et admonet Auguſtinus in libro octoginta

Error ex uerbis Pauli natus. trium quæſtionum, quæſt. 66. hanc Pauli ſententiam, quæ modò probata eſt, Hominem iu-
ſtificari ſine operibus legis, fuiſſe à multis perperam intellectam: qui putarent, homines, cũ
crediderint, & iuſtificati fuerint, nihil amplius opus habere, vt ſanctè & iuſtè viuant: non ex

Opera excludũtur quæ antecedunt non quæ ſequuntur. pendentes, Paulum hîc loqui de operibus iuſtificationem antecedentibus: non autem de
his, quæ illam conſequuntur. Hoc quidem verùm eſt, nulla prędedere opera, quę cauſę ſint,
vt iuſtificemur. Sed poſt iuſtificationem iam adeptam, bona opera conſequi neceſſariũ eſt.

Cur Petrus aliqua difficilia in Paulo dixerit. Et hinc ait factum eſſe, vt Petrus dixerit, in Paulinis epiſtolis quædam eſſe difficilia, quæ ho-
mines pro ſua libidine peruerterent. Iacobus etiam videtur eò fuiſſe adductus, vt quoda-

Iacobus cũ Paulo uidetur pugnare. modò pungantia ſcripſerit, Hominem, inquam, ex operibus iuſtificari, qui etiam requiſuit,
vt fidem noſtram ex operibus declaremus. Quò etiam tendere videtur & Iohannes, & Iu-
das in ſuis epiſtolis. Verum hæc omnia bene habent, nec inter ſe quicquam pugnant. Quia

Conciliatio. Paulus loquitur de operibus, quæ ante iuſtificationem fiunt: Iacobus verò de illis, quæ iam
ſequi debent. Hæc ex Auguſtino loco citato, & ex libello de fide & operibus cap. 14. Qui
tamen in quæſtione iam adducta 66. quiddam habet, quod oportet dexterè accipere, alio-
qui verum non eſſet. Inquit enim, impoſsibile eſſe, vt præcedentibus operibus iuſtificatio-
nem nobis adipiſcamur: at, inquit, poſt illam neceſſariũ eſt, vt conſequantur, modò vita cõ-
ceſſa fuerit. Quòd ſi quis credere incipiat extrema hora vitæ, quando ſtatim eſt moriturus,

Locus Auguſtini declaratur. neque præcedentia habet bona opera, neque ſubſequentia: ſed illum tantùmmodò iuſtitia
fidei comitatur, & ea ſeruatur. Videtur Auguſtinus iſs verbis aſſerere poſſe fieri, vt vera fi-
des, quæ iuſtificat, abſque operibus habeatur: quod re vera falſum eſt. Cùm enim quis ſub
extremum momentum vitæ crediderit, non poteſt fieri quin amet Deum, & proximum, in
uocet, & de his quæ antè perperam egerit, doleat. Quare bona opera huius generis, quæ ſal
tem in animo locum habent, fidem eius comitabuntur. Sed Auguſtinum puto per bona o-
pera intellexiſſe ea, quæ fiunt exterius, & ab hominibus conſpici poſſunt.

Legem igitur irritam facimus per fidem. Abſit, imò Legem ſtabilimus. Eſt hîc ἀντιπροφορὰ vel occupatio.

Potuiſſet

Potuisset enim quispiam dicere, Si Lex ad iustitiam non confert, quid eam tulit Deus? Cur non liceat laxè viuere? & cupiditatibus obtemperare? Minimè verò, inquit Paulus. Siquidem Lex non aboletur per fidem, sed potius confirmatur. Expedit quidem se paucis, sed in fra de hac re agit fusius. Opinabantur isti à Paulo soluí legem, cùm ceremonias abrogaret. Ille verò eas abolendo fruebatur libertate sibi concessa in Euangelio: Legi verò non faciebat iniuriam. Nam Deus re vera ceremonias veteres noluit vlterius perseuerare. Attamen Paulus non mentitur, quando ait, se nequaquam Legem irritam facere per fidem. Et qui argumentantur eam aboleri, quòd ceremoniæ irritentur, admittunt paralogismum Accidentis. Nam si accidentia cuiuspiam rei tollantur, non consequitur, rem ipsam statim aboleri. Id autem censetur accidens Legis, quòd non quoad omnia loca, & omnia tempora, & omnes homines habeat vim suam. At ceremonias ita esse, non est dubium. In captiuitate enim non seruabantur. Vnde Israelitæ inter Chaldæos dicebant, se non posse canticum dicere in terra aliena. Et Daniel conquerebatur, in ea captiuitate & ducem, & sacrificium populo deesse. Circuncisio per desertum non obseruabatur: & Sabbato pugnatum est, vt in libris Machabæorum legimus. Quos si reiscias, in libro Iosua rursus habes, iussisse Deum Israelitas, vt per septem dies circumirent Hiericuntinam ciuitatem, & secum arcam gestarent, & tubis clangerent. Ad quæ opera necesse fuit, & Sabbati diem decerni. Sed si quæsiueris, Si hæc accidentia sunt legis, quid nam fuit in his ceremonijs præcipuum, firmum, & solidum, quod semper manere oportebat. Ad singula respondere prolixum esset. In genere hoc dicam: Voluit Deus, ne homines sui obliuiscerentur. Ideo curauit per quædam externa signa, vt semper illis in oculos, & in cogitationes incurreret, quò eum semper & colerent, & inuocarent. Si corpus suum respexissent, occurrebat Circuncisio: si vestem, habuerunt fimbrias: si ad mensam accessissent, offerebatur delectus ciborum: si domum ingrederentur, superliminaria, & postes inscribebantur Dei mandatis: si procreassent liberos, primogenitus fuit redimendus, & puerpera diutius erat immunda: si ad armentum, aut greges se conuertissent, primogenita Deo fuerunt offerenda: si ad agros iuissent, primi fructus, & decimæ colligendæ erant, & offerendæ: si fructus collecti reponerentur, festum tabernaculorum celebrabant: si hebdomada mensis, aut annus, aut septimus annus, aut quinquagesimus reuolutus esset, ritus certi designabantur. Quod itaque præcipuum in lege, ac summum fuit, fide confirmabatur, & nunc etiam retinetur à pijs hominibus, vt in quaque re Dei meminerint, & de illo cogitent: quod nunc sine signis externis seruari debet, neque à Paulo, vel à fide abrogatur. Quòd verò Deus noluerit vlterius externas ceremonias obseruari, ex eo colligi potest, quòd politiam Iudaicam euertit, & Hieresolymorum Ciuitatem dirui fecit, ita vt iam neque templum, neque tabernaculum extet: nec inueniatur propitiatorium, vnde vox diuina solebat dare oracula: & pectorale amissum sit, vbi lapides erant pretioli, ex quibus de futuris respondebatur: Vnctio etiam perierit, qua homines nonnunquam immutabat, cùm ad functiones inaugurarentur. Nam Saul Prophetauit, cùm iam esset vnctus. Nec ignis nunc habetur de cœlo, quo sacrificia deuorabantur: Et Prophetiæ iam prorsus obliteratæ sunt, quod non siuisset Deus, si ceremonias Mosaicas diutius voluisset prorogatas. Et durationi earum id potissimum obstat quòd tantùm in terra patribus promissa illas exercere licuit. Et quando Apostolus prædicat, se legem constabilire fide, hoc intelligit potissimùm quoad partes morales. Quia fides obedientiam legis secum affert. Quare hoc animo infigendum est, legem non posse absque fide obseruari: ac è diuerso per fidem inchoata obedientia posse compleri. Quod rationibus ita potest confirmari. Præcipit Lex, vt amemus Deum, id'que toto corde, tota anima, & omnibus viribus. At quis hoc præstare possit, nisi eum bene agnoscat, quod citra fidem non contingit. Et si quis Deum sibi proponat vt Legislatorem, seueriſsimum iudicem, & vltorem, ab eo potius abhorrebit, & refugiet ex odio, tanquam à carnifice, quàm vt in animum inducere possit, vt eum diligat. Atqui Deum, vt patrem, vel propitium, vel clementem sine fide in Christum quis possit sibi persuadere? Præcipit deinde Lex vt inuocemus: quod si fide fuerimus destituti nunquam præstare possumus. Nam dicitur, Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt? Ad hæc præcipitur, vt proximos diligamus, tanquam nos ipsos. Quod cùm sit difficillimum factu, non complemus, imò sæpè deficimus. Vnde ergo habebimus condonationem, vt nobis imputetur ex Christi iustitia, quod nostræ deest, nisi vtamur beneficio fidei? Augustinus duobus modis censuit fide Legem constabiliri, Primò, quia per

Deus ipse ceremonias aboleuit non Paulus.

Paralogismus accidentis.

Ceremoniæ accidentia legis.

Aliquid solidi erat in ceremõijs quod semper manere oportuit.

In omnibus rebus Deus est agnoscendus.

Vnde colligit deum suas ceremonias amplius noluisse obseruari.

Lex non potest absq; fide obseruari.

eam ſpiritum ſanctum adipiſcimur: vnde vires nobis ad obediendum legi ſuppetunt. At poſſet quiſpiam ambigere, quî hoc fiat, vt per fidem habeamus ſpiritum ſanctum, cùm is neceſſariò præcedat fidem? Quandoquidem fides & donum eius eſt, & ab eo in nos proficiſcitur. Sed reſpondemus, inter cauſas & effecta quoſdam videri circuitus, vt patet de nubibus & pluuijs. Ex nubibus pluuiæ exprimuntur, & ex aquis, quæ ſunt in inferioribus locis, vapores aſſumuntur à cœleſti calore, qui concreſcũt in nubes: ex quibus rurſus aquæ in terram depluunt. Sed in iſto circuitu ad primum iuxta naturę ordinem recurrendum eſt: quod fit, cùm ſtatuitur humor, vnde nubes concreſcere poſsint. Ita hîc faciendum eſt. Concedemus, beneficio ſpiritus ſancti fidẽ in nobis oriri. Per quam copia eiuſdem ſpiritus augetur: cuius incrementum fides anterior præuenit: & ex fide maiori adhuc maior acceſsio fit ſpiritus. Sed tamen vnum cum primis ſtatuimus, vnde omnia hæc bona fluunt, nimirum ſpiritũ ſanctum. Deinde ait Auguſtinus, fidei ope aliter cõfirmatur Lex. Quoniam per fidem precamur, & precibus inuocando, non ſolùm remiſsionem peccatorum, verùm etiam tantam ſpiritus & gratiæ portionem impetramus, vt vires habeamus ad obediendum legi. Certè Lex ſi per ſe ipſam accipiat, & nos incertos reddit de beneuolẽtia Dei, & quodammodo affert deſperationem, niſi ſuccedat fides, quæ & certos nos reddat, Deum nobis placatum eſſe & propitium, & virium per gratiam inſtaurationem impetret. Et Apoſtoli phraſis, qua dicit ſe per fidem conſtabilire legem notanda eſt. Quia illa innuitur, legem, ſi relinquatur ſibi ipſi, abſque fide debilem eſſe, ita vt conſiſtere non poſsit. Idcircò niſi per fidem ſuffulciatur, facilè cadet. Et hoc eſt ſingularis artificis, non tantùm id, quod obijcitur, à ſe depellere, ſed etiam illud ipſum oſtendere maximè cõducere ſuo propoſito. Lex & fides iuuant ſe mutuò, vtq; dicitur, mutuò dant ſibi manus. Quoniam Lex vt Pædagogus ad fidem Chriſti hominẽs adducit, & cõtrà fides illud efficit, vt Lex quoquo modo impleri poſsit. Statim enim vt quis Chriſto crediderit, iuſtificationem aſſequitur, & copia ſpiritus, & gratia liberaliter donatur. Conſilium & propoſitum Legis fuerat, vt homo & fieret bonus, & ſeruaretur. Verùm id præſtare ea nequiuit. Succeſsit fides, & iuuit: quia per illã inſtauratur homo, vt Deo, & mandatis eius obediat. Chryſoſtomus ait, tria hîc à Paulo agi. Primùm poſſe hominẽ iuſtificari abſque lege: Secundò Legem iuſtificare non poſſe: Tertiò fidem & Legem inter ſe non pugnare. Docet Ambroſius idcircò fide legem ſtabiliri, quoniam quæ in lege dicta ſunt facienda, per fidem oſtenduntur facta. Et iam audiuimus ſuprà, iuſtitiam hanc, quã Paulus prædicat, habere teſtimonium cùm à Lege, tum à Prophetis. Et ſi quis obiecerit, idcircò legem irritari fide, quòd per illam aboleantur ceremoniæ, reſpondet, ideo iſtud contingere, quòd Lex ipſa ita fieri voluerit, & ſic faciendum prædixerit. In Daniele habemus, poſt aduentũ Chriſti, atq; illius occiſionẽ iuge ſacrificium debuiſſe tolli, & ſacrã vnctionẽ, & alias huius generis ceremonias. Vnde non immeritò Chriſtus dicebat, Lex, & Prophetæ vſque ad Iohannem Baptiſtam. Hieremias quàm apertiſsimè dicebat, aliud fœdus ineundum longè diuerſum, atq; fuerit illud antiquum. Epiſtola ad Hebræos inde concludit, id, quod erat vetus, & ſic appellabatur, quandoque fuiſſe antiquandum. Zacharias Propheta ſecundo capite dicebat, ciuitatem Hieroſolymorum abſque muris habitandam. Quod ſignificabat, credentium Eccleſiam ita fore fuſam & latam per vniuerſum orbem, vt nullis terminis, aut limitibus finiretur. Quod idem Eſaias videtur atteſtatus, cùm diceret, fore montem Sion, & domum Domini in vertice montium, ita vt Gentes ex omnibus locis ad eam venirent. Et Malachias Propheta denuntiabat, inuocandum eſſe nomen Domini ab ortu Solis vſq; ad occaſum, ita vt מנחה vbique Domino offerretur: quod multi tranſtulerunt, ad Euchariſtiã, quaſi ea ſit ſacrificium: cùm tamen Propheta per id intelligat preces & noſtrum ipſorum oblationem: vt Tertullianus teſtatur in libro ſuo contra Iudęos. Necnon Hieronymus cùm eũ locum interpretatur. Quare, cùm Prophetę videntur aſſerere, ceremonias ad Ethnicos eſſe transferendas, accipiendi ſunt, quaſi pro ſignis res ipſas intelligant. Suſceperunt Ethnici ad Chriſtum conuerſi id, quod Hebræorum ceremonijs repræſentabatur. Signa verò externa reiecerunt: & hoc fuit Legem per fidem confirmare, cumq; Prophetæ ceremonias abolendas prædixerint, id accipiendum eſt vt á lege dictum, cùm Prophetæ legis interpretes fuerint. Chriſtum verò, cùm veniſſet, mutaturum eſſe ceremonias, Iudæi ipſi non dubitabant, quod patet ex Iohannis Baptiſtę hiſtoria, quę legitur in Euangelio. Cùm enim homines ad Deum conuerſos expiare vellet, non eos remittebat ad ſacrificia, & ceremonias Moſaicas, quibus peccata dicebantur expiari: Sed baptizabat eos in pœnitentiam ad remiſsionẽ peccatorum, doctrina adhibita, in qua & patris, & filij, & ſpiritus ſancti mentionem faciebat. Quod procul dubio videbatur & pontificibus, & ſcribis, & Phariſæis intolerabile, vt reiectis

Spiritus ſanctus in nobis præcedit fidem.

Inter cauſas & effecta eſt circuitus.

Spiritus ſanctus & antecedit fidẽ & ſequitur.

Lex nos incertos de beneuolentia Dei reddit.

Lex abſq; fide debilis eſt & cõſiſtere non poteſt. Acumen Pauli.

Lex & fides mutuò ſe iuuant.

Lex uoluit & prædixit irritandas ceremonias. Teſtimonia perhibentia ceremonias Hebræorum de ſituras.

Quomodo ethnici Hebræorũ ceremonias receperint.

Iohannes baptiſta ceremonias abrogandas oſtendit.

ctis ceremonijs, quæ receptæ fuerant, pro illis aliam rationem substitueret. Vnde legationẽ mittebant ad illum, qua rogabant, num Messias esset, aut Elias, aut Propheta: quasi fatentes sub Messia futurum esse, vt Legales ceremoniæ mutarentur: At id alijs non licere. Quòd si quæsieris, cur Deus ceremonias dederit, quæ posteà essent abrogandæ, habet Chrysostomus pulcherrimum simile: Si quis vxorem habeat propensam ad impudicitiam, eam certis locis concludit, cubiculis, inquam, & conclauibus, vt ei nõ liceat vagari pro arbitrio. Addit præterea Eunuchos, pedissequas, & ancillas, qui eam diligentissimè custodiant. Ita Deus egit cum Iudæis. Sibi eos ab initio vt sponsam adiũxit: vt in Propheta dicitur: Desponsaui te mihi misericordia, & dilectione. Voluitque tempore congruo per hanc gentem vniuersum orbem instituere: quod per Apostolos factum est, cùm iam Christus è terris abijsset. Verùm ille populus admodum fuit infirmus ac debilis, & ad adulteria idololatrię vltra modum pro cliuis. Quare Deus eum separauit à cæteris nationibus, & in terra Chanaan seorsim habitare voluit, & ceremonijs ac ritibus vndiq; ceu à Pædagogis custodiri, quoad ea sponsa roboraretur, & confirmaretur, vt fides eius nõ amplius esset suspecta. Quod in vxore sua vbi mariti deprehenderint, iam sinunt illas pro suo arbitratu ire, quò libuerit, & cum hominib. cõuersari, neque amplius custodes adhibent. Ita Deus cùm iam spiritum sanctum per Christũ Ecclesiæ donasset, custodiam ceremoniarũ ab ea remouit, & suos fideles per vniuersum orbem prædicatum dimisit. Probat idem pater alibi, ceremonias, & ritus Iudaicos, non fuisse à Deo institutos precipuo consilio, atq; proposito. Voluisset enim Deus habere populum, qui se coleret in spiritu, & veritate. Sed Israelitæ, qui versati fuerant in Aegypto, & se idololatria contaminauerãt, omnino & sacrificia, & ceremonias habere voluerunt: ita, vt si illis hæc permissa non fuissent, parati fuerint ad idololatriam se conferre. Quare Deus ita se gessit, vt sapiens medicus solet, qui nactus ægrotum febricitãtem, qui præ nimio æstu omnino frigidam petat, & nisi ea detur, paratus sit ad laqueum fugere, vel seipsum aliquo modo perdere, ibi medicus necessitate coactus phyalam aquæ plenam à se præparatę iubet afferri, & mandat ægroto, vt bibat, sed caueat, ne aliunde quàm ex ea phyala potum hauriat. Sic Deus Hebræis concessit sacrificia & ceremonias, sed ita, vt ea non aliter, quàm ipse mandasset, exercerent. Rem autem sic habere, ex eo probat, quòd Deus ceremonias non præscripserit, nisi cùm furorem suum patefecisset in Israelitas, qui proijciendo monilia, inaures, & annulos, curarant vt vitulus sibi conflaretur, quem adorarent. Quod cùm ita sit, Paulo concedendũ est, Legem per fidem non aboleri, quamuis sublatæ sint illæ ceremoniæ. Cui sententiæ Christus quoq; subscripsit, cùm diceret, se nõ venisse vt legem tolleret, sed vt impleret. Quorum verborum sensus ex his, quæ superius dicta sunt, facilè potest elici. Rationes, quæ posthac sequentur, inducentur ad confirmandam propositionem iam allatam, videlicet, hominem iustificari ex fide, idq; sine operibus Legis. Hactenus cùm ab initio proposuisset Apostolus, per Euangelium & fidem Christi salutem & iustitiam contingere, vsus est hac ratione, quòd vbicunq; Euangelium & fides desunt, ibi summa est iniustitia, & vitæ impuritas: at è diuerso vbi hæc locum habent, & iustitia est, & vera sanctitas. Ideo per illa ait cõtingere salutem, & iustificationem. Minor probata est potissimùm quoad priorem partem. Primùm enim Gentes turpissimè vixerunt, licet Deum per naturam rerum cognouissent. Deinde Iudæi sua conuersatione nihilo fuerunt meliores Gentibus. Quibus ita dispositis, adiecit, vndenã petenda esset vera iustitia: nimirum ex fide sine operibus. Quod priusquam probaret, diluere voluit obiectionem, scilicet, se per fidẽ non euertere Legẽ, sed eã potius per fidem cõfirmare. Ista huc ipsum hodie nobis obijcitur, quòd per fidem, quam cum Apostolo, asserimus iustificare, euertamus omnia honesta & sancta opera. Hoc clamitãt, qui opus operatum defendunt, qui opera supererogationis iactant, qui purgatorium tueri, sanctorum inuocationes, & vota, & cœlibatum habere volunt. Quid ad hæc respondemus? Paulus ait, se per fidem non abrogare legem, sed potius eam confirmare. Quibus verbis honorem defert ceremonijs à Deo institutis, quæq; pro suo tempore necessariam habuerunt obedientiam, præsertim cùm niterentur verbo Dei. At nos hoc non possumus dicere de his, quæ traducimur euertisse. Quoniam illa sunt abusus, & meræ superstitiones, quæ cùm verbo Dei omnino pugnant. Ideo fatemur, nos hæc fide Christi, & Euangelica doctrina euertere. Iam audiuimus propositum, & statum quæstionis tractandæ, quem oportet perpetuò habere ob oculos, vt quicquid hac tota disputatione dicitur, eò referatur. Atq; hoc erit cum fructu audire ea, quæ Apostolus tradet,

Simile.

Deus non dedit ceremonias nisi post uitulum cõflatum.

Methodus repetitur hue usque seruatus.

In hac disputatione Pauli conditio & natura diuersa est.

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

Summa dicendorum in isto capi.

SVMMA eorũ, quæ in hoc quarto capite continentur, in has sentẽtias distribuitur. Prima est, nos eodem modo iustificãdos esse, quo Abrahamus iustificatus est. Altera, Iustificationẽ esse ex imputatione Dei. Tertia, Eam consistere in remissione peccatorum. In quarta examinatur tempus, quo Abrahamus iustificatus est, & inuenitur, cum assequutum fuisse iustitiam, priusquam opus aliquod, nimirum Circuncisionis, adhibuisset. Deinde ostenditur, ideo iustificationem haberi ex fide, vt firma, & cõstans sit Dei promissio. Adhæc exemplum Abrahami amplificatur, ostendendo, illum non cogitasse de sua infirmitate, nec de his, quæ per naturam valuissent impedire id, quod illi Deus promiserat. Postremo loco declaratur, hęc non tantùm propter illum fuisse conscripta, verùm etiam propter nos, qui vestigia eiusdem patris Abrahami credendo sectamur. Chrysostomus inducit ea, quæ hîc dicuntur, hac ratione: quòd alicui potuisset videri, si iustificemur ex fide sine operibus, parùm id esse honestum, & gloriosum. At, inquit, res longè secus habet. Quia partim possumus videre, quàm hoc sit decorum, quòd Paulus id, quod assequimur per fidẽ, appellauit iustitiam, & hîc declarat, Deum hoc pacto bonitatem & iustitiam suam ostendere, ac declarare: partim quòd Abrahamus tantus Patriarcha hac ratione iustificatus sit. Non immeritò fecit Paulus inter argumenta primum locum exemplo. Nam quod hîc maximè quæritur, est vt illustretur proposita veritas. Hoc autem proprium est exemplorum, vt rem manifestissimè ob oculos ponant. Et quamuis magna esset copia exemplorum, tamen Paulus hoc sibi de Abrahamo delegit, quòd ille fuisset & vir Dei, & præclarissimis virtutibus instructus, & quòd is ab Hebræis perpetuò iactaretur, vt quem agnoscerent & prædicarent patrem ac principem sui generis. Tantique apud eos fuit eius authoritas, vt beatorum locus appellatus sit sinus Abrahæ. Quam appellationem Christus in Euangelio non vsurpasset, nisi vulgò fuisset recepta. Neque mirari debemus, Apostolum tam operosè accurateq; de hac iustificatione disputationem instituere. Non enim leuis res est, aut parui momenti, sed caput nostræ fœlicitatis: de quo, dicere ausim, si quis bene fuerit edoctus, eum omnes abusus facilè reiecturum. Et quia nostri aduersarij in eo, tanquam in limine turpiter impingunt, ideo in cæteris quoque partibus religionis fœdissimè labuntur. Sed in hoc exemplo id cum primis attendendum est, quòd, cùm tractetur Circuncisio, & prædicetur Abraham iustificatus antequam illam susciperet, nonnulli existimant, hinc se habere firmum argumentum, nõ omnia opera à Paulo excludi à iustificatione: sed tantummodò legales ceremonias. Quibus respondemus, Paulum cum primis idcirco de ceremonijs istis argumẽtatum esse, quòd propter illas controuersia incidisset. Sed tamen multa in cursu orationis admiscet, quæ faciunt, vt quæstio necessariò definienda sit generaliter: quod suo loco annotabimus. Fatebimur itaque argumenta potissimùm eò spectare: sed ita tamen tractari, vt pariter de omnibus operibus in vniuersum concludat. Ad hęc sciendum, tempore Abrahami, & veteris Legis, cùm istæ ceremoniæ nitebantur verbo Dei, non minus illis fuisse obediendum, quàm alijs præceptis. Et tamen Apostolus asserit, per illam obedientiam non fuisse homines iustificatos. Quare conficiemus, illos eosdem obedientia cæterorum mandatorum non potuisse iustificari. Deijcitur hoc loco dignitas bonorum operum, sed non in vniuersum. Quapropter ea, quæ hîc dicuntur, non sunt trahenda ad laxiorem vitam, & peccati licentiam, sed potius reuocanda sunt ad scopum. Paulus id tantùm agit, vt ostendat in bonis operibus non esse positam causam iustificationis nostræ. Alias dignitates, & honores abundè illis relinquit. Neque enim putandus est, nobilissimas virtutes tanti viri sua doctrina voluisse contẽnere. Nam, vt Iudæi cõmemorant, Abrahamus fuit sæpissimè tentatus, & nihilo minus perpetuò vicit. Acciuit eum Deus extra terram et cognationem suam, vt peregrinaretur in terra Chanaan. At ibi viuere non potuit propter famem: vnde coactus est in Aegyptum descẽdere, vbi Tertiam expertus est tentationem, cùm illi Pharao eriperet vxorem. Quartam perpessus est, cùm cogeretur à Lotho discedere ad contentiones euitandas. Quintam in bello gerendo aduersus complures reges, & victoriosum exercitum, cùm ipse secum paucos admodum haberet. Sexta fuit, cùm ipse admodum iam senex iuberetur accipere Circuncisionem. Septima, cùm Rex Abimelech in Gerara rursus illi vxorẽ abduxisset. Octaua, cũ Agara, quæ ex ipso conceperat, fugere cogeretur à Sara, quæ ipsam grauiter affligebat. Nona, quando filium Ismaelem iam grandem natu cogeretur cum matre dimittere. Decima, quando Deus ab illo requireret, vt filium suum vnigenitum Isaacum sibi sacrificaret. His & alijs consi-

Honorificum est per fidem iustificari.

Exemplo rectè utitur Apostolus.

Abrahæ dignitas

Quanti momenti sit iustificatio.

Abrahami uirtutes & bona opera non contemnit Paulus.

Tentationes & victoriæ Abrahami.

consimilibus præclarissimis rebus gestis ornatus erat Abrahamus: quæ Paulus nequaquam abijcit: sed tantùm ostendit, hæc talia non fuisse, vt iræ, ac iudicio Dei potuerint opponi, ita vt propter hæc Deum habere posset propitium. Nam hoc loco agitur, non de iustitia per actiones adepta, quæque sit in nobis qualitas inhærens: sed tantùm de ea, qua coram Deo iustificamur. Apostoli demonstratio ita potest contexi: Eo modo iustificamur, quo Abraham iustificatus est: At ille ex fide sine operibus iustitiam est assequutus: Quare nos oportet ex fide sine operibus iustificari. Minor propositio declaratur. Quia si Abrahamus ex operibus iustificatus esset, haberet gloriam, vel meritum, quod perinde est, apud Deum. At illud fieri non potest, vt quis gloriam habeat apud Deum: Quare neque id, vnde hoc deducitur. Abrahamum non fuisse iustificatum ex operibus, scriptura nobis proponit. Ea enim ait, ex imputatione Abrahamo iustitiam contigisse. Nam dicit, Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Hæc est summa Paulinæ rationis. Ex Chrysostomi sententia notandum est: Si quis non habens opera bona iustificaretur, magnum id sanè videri posset. Cæterùm longè maius est, si is, qui ditissimus bonorum operum fuerit, tamen ex illis iustificari non potuerit. Certè hinc maximè apparet dignitas fidei.

Demonstratio Pauli.

Abrahamo nõ ex opere sed ex imputatiõe iustitia contigit.

Vnde fidei dignitas maximè appareat.

Quid dicemus inuenisse Abrahamum patrem nostrum. Cùm argumentum sumatur ab exemplo, hoc fundamento nititur, quòd omnes eodem modo iustificari oportet, quo iustificatus est Abraham. Est enim idem Deus, qui iustificat, & natura eadem illorum, qui iustificantur, & eadem iustitia, quæ & tunc dabatur, & nunc datur, & idem Christus, per quem & illi, & nos iustitiam consequimur. Quare sequitur eodem modo quoad omnes iustificationem contingere. Potest quidem ad illam Deus instrumentis vti varijs, tam veteris, quàm noui Testamenti literis, & symbolis tam recentium, quàm veterum sacramentorum: cùm res, quæ datur, omnino sit eadem. Adhæc necesse est, vt res quę consequunt, cum typis & præludionibus, quæ antecesserunt, similitudinem habeant. Et patres formas nostrorum temporum fuisse, nemo dubitat. Veniat hîc nobis in mentem, quo animo putemus scribas, & Pharisæos hæc Pauli verba accepisse, quibus videbatur illustribus factis Abrahami iustificandi vim subtrahere. Non dubito vehementer eos fuisse offensos, & fortasse se interposuisse, quasi depulsuros iniuriam à tanto Patriarcha, & defensuros pulcherrima eius gesta. Specimen furoris eorum hodie habemus in illis, qui statim, vt audiunt, nos dicere quippiam secus atque patres tradiderint, excandescunt, nósque iudicant minimè audiendos. At Paulus nihil moratus est Scribarum sui temporis obloquutiones. Nam distinctione facili & aperta illis occurri potest: vt alia sit iustitia ciuilis, externa, & acquisita per opera, & qualitas in animis nostris inhærens: alia verò sit à Deo nobis imputata. *Patrem nostrum*, inquit, fortasse ad nomen alludens. Abraham enim est pater multarum gentium. Et quamuis in libro Geneseos, vbi hæc traduntur, nondum appellaretur Abraham, sed Abram, attamen cùm iam Apostolus hæc scriberet, eum nominare voluit, vt vulgò appellabatur. Quando ait, *Nostrum*, seipsum includit, ne putetur vt degener filius patrem abijcere. *Inuenire*, hoc loco est adipisci, quocunque modo id fiat, siue per donationem, siue aliqua alia ratione. *Secundum carnem*, potest adiungi vel ad hanc dictionem, *Patrem*, vt is intelligatur progenitor Iudæorum, quod ad naturalem originem attinet: atque ita videtur taxare Iudęos, quòd tantùm iactarent carnis nobilitatem, non autem fatagerent, vt Abrahami pietatem, & religionem imitarentur. Quare Christus in Euangelio dixit, eos non Abrahami filios esse sed diaboli. Nam si ex Abrahamo fuissent, eius opera fecissent. At illi contrà mendacijs & homicidijs prorsus incumbebant, quæ constat esse opera diaboli. Atque hoc modo dicitur pater secundum carnem, quo intelligatur, vt nonnulli voluit, tantummodò corpora, non autem animos ab eo fuisse traductos. Vel, vt alij volunt, ea verba *Secundum carnem*, adiungenda sunt ad verbum, inuenisse: vt sit sensus: *Per carnem*, id est, per opera carnis: cuiusmodi sunt ceremonię, & Circuncisio. Hanc interpretationem sequitur Ambrosius, qui peculiariter Circuncisionem intelligit. Neque ego multum resisto, modò intelligamus, licet hæc quæstio, & argumenta proposita sint de ceremonijs, tamen diuinitùs factum esse, vt ea generaliter tractarentur, quemadmodum suo loco monstrabitur. Ea quæ inuenit Abrahamus, præcipuè fuerunt, vt iustus appellaretur, & pater omnium credentium. Nam hoc est patrem esse multorum populorum: postremò vt hæres esset mundi. Sed hîc præcipuè agitur de iustitiæ assequutione, quæ dicitur non contigisse illi, nisi per fidem. Nam iustitiam imputari, & iustificari ex operibus opponuntur. Quod ideo probatur, quoniam iustificari ex imputatione, est gratuitò habere iustitiam. Et iustificari ex operibus, est iustitiam non habere gratuitò. At iustitiam habere gratis, & eam gratis non habere, perspicuè inter se pugnant. Et quod ait,

Quæ præcipuè inuenerit Abrahamus.

Iustitiam imputari, & iustificari ex operibus opponuntur.

Gratis & nõ grátis pugnant.

Si Abrahamus fuisset iustificatus ex operibus, gloriationem haberet, sed non apud Deum. Perinde est ac si dixisset, eum non fuisse habiturum iustitiam apud Deum, aliamque omnem iustitiam nullius esse momenti. Nam Deus est, cuius nos oportet sententia vel stare, vel cadere. Iustitiam igitur, quæ habetur ex hominibus, nihil moramur, potissimùm quoad præsens institutum. Stultumq; esset aliam agnoscere iustitiam pro vera & solida, præter illam, quam ipse Deus, & Scriptura sancta iustitiam nominat. Ideo iam non potest dubitare quisquam, Apostolum non loqui de ciuili iustitia, quam operibus acquirimus, & quæ in animis nostris ceu qualitas inhæret: sed tantùm de illa, quæ gratis nobis donatur, & imputatur credentibus. Ideo Paulus disertè adiecit illam particulam, *coram Deo*. Ex qua manifestè elicitur, opera hominum non eius esse rationis, vt ira, & seueritati Dei opponi possint, & eum placatum, atque propitum nobis reddere.

Porrò *habere gloriationem apud Deum*, Est aliquid nanciscì, vt præclarum eximiumque donum, quod nos à Deo habuisse gloriemur: non autem id ex nobis, aut viribus nostris obtinuisse. Nam qui operibus innititur, seipsum, & sua commendat. At qui fide iustificatur, ille liberalitatem Dei celebrat, & dona illius prædicat. Vnde Chrysostomus annotauit, maiorem habere gloriationem homines, cùm innituntur fidei, quàm cùm operibus volunt glorificari. Dona Dei, quæ fides apprehendit, longè nostra opera excellunt. Qui de operibus gloriantur, rem, quæ videtur, & sentitur, celebrant: at qui gloriatur in fide, magnificam de Deo concipit opinionem, vt illum iudicet, etiam illa, quę fieri non possunt per naturam præstaturum: neque iactat, quæ ipse fecerit: verùm ea effert, quæ Deus ipse præstitit: nimirum, quòd se amet, quòd condonarit peccata, & se in iustorum numero habuerit. Hæc fermè tota est piorum gloriatio. Ex hoc loquutionis genere videmus, Apostolum per gloriationem intelligere iustitiam à Deo liberaliter concessam. Vnde facilè explicatur, quid nam sibi Paulus voluerit, cùm suprà diceret, Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei. Quo loco per gloriam nihil aliud intellexit, quàm iustitiam à Deo gratis datam: quòd inde gloria Dei maximè splendeat. Oraculum in libro Geneseos capite 15. habet. והאמין ביהוה ויחשבה לו צדקה: Credidit Abraham in Deum, & imputauit ei iustitiam. Credere hoc loco est firmiter putare, se à Deo amari ex misericordia, quæ mera promissione illius nobis proponitur: neque sinere, vt ab hoc assensu ob nostram impuritatem vel immunditiam auellamur. Quare totum id situm est in amplectenda gratia, & promissione Dei nobis oblata. In compluribus locis Abraham laudibus est commendatus: Sed nunquam dictus est iustus, nisi tum solùm, cùm crederet. Hinc agnosci potest, quanta cum diligentia Paulus & tractauerit, & excusserit sacras literas. Non deflexit in allegorias, & hominum inuenta. Duas voces expendit, eásque inter sese componit: vnde tota argumentatio est contexta. Eæ verò sunt, Credere, ac iustitiã imputari. Historia verò libri Geneseos, quæ nũc in manibus est, sic habet. Abrahamo apparuit Deus, seq; dixit, esse Clypeum, vel protectionem eius, & mercedem copiosam. Quæ ille audiens cœpit conqueri de orbitate. Vehementi quippe desiderio veteres tenebantur suscipiendæ prolis: idque duplici nomine: partim, quia desiderabant augeri populum, qui Deum coleret, partim, quia audierant, Messiam carnem susceperum ex sua gente. Ideo cupiebant liberos propagando in eum tandem incidere. Deus verò non tantùm ei posteritatem recepit se daturum, sed etiam iusit, vt stellas cœli numeraret. Quod cùm ille non posset, adiecit, tantam futuram esse copiam seminis eius. Credidit Abraham Deo, & imputatum est illi ad iustitiam. Quod Græci passiua significatione conuerterunt ἐλογίσθη, habetur in Hebræo actiuè & reputauit, nimirum Deus illi iustitiam. Sed in sententia nihil est discriminis. Et Paulus ideo septuaginta interpretes sequi voluit, quòd illorum versio Ethnicis non erat incognita. Vbi annotabis, quod Hebraicè est in Deum, id & Paulum, & septuaginta transtulisse τῷ θεῷ. Quare non obseruarunt illud Augustini discrimen, De credendo Deo, & credendo in Deum. Sed hîc occurrit scrupulus, quomodo Abraham videatur assequutus iustitiam per fidem. Non enim erat illa fides de Christo, sed tantùm de sobole, & posteritate numerosa. Verum ad hoc multis modis responderi potest. Primùm Abrahamum credidisse non tantùm de sobole, sed præcipuè de illis, quæ ab initio capitis ei proposita sunt, nimirum, quòd Deus illi futurus esset & clypeus, & merces. Quibus addas illum in sua posteritate præuidisse Christum. Quare in Euangelio dicitur de ipso, quòd diem Christi viderit, & gauisus sit. Et Paulus ad Galatas totum hoc ad vnum semen refert qui est Christus. Adhæc, ille, qui cum eo loquebatur fuit filius Dei. Quia Deum nemo vidit vnquam: ideo quæcunque de illo vidimus, aut cognouimus, filius, qui est in sinu patris, ipse enarrauit.

Quæ sit piorum gloriatio. Gloriatio est iustitia liberaliter concessa.

Quid sit credere

Tantum hoc loco dictus Abraham iustus. Quàm diligẽs & acutus tractator scripturarum Paulus.

Cur ueteres adeò posteritatis cupidi,

Quomodo illa fides Abrahami fuerit in Christum.

Vnde

Vnde si credidit Deo, in Christum credidit. Docuimus etiam non semel, in omnibus promissionibus, tanquam radicem, & fundamentum, eam promissionem inuolutam atque implicatam fuisse, quæ de Christo fuit. Neque malè sentire videntur, qui affirmant, semper obiectum fidei esse misericordiam, & bonitatem Dei, quæ singularibus donis, vel temporalibus, vel spiritualibus se declarat. Vnde cùm veteres fiduciam concipiebant de victoria, liberatione ab hostibus, & ab alijs calamitatibus, confidebant in primis diuinæ bonitati, quòd ea Deus adduceretur, vt propitius ac placatus dona hæc singularia illis concederet. Placatus autem illis non nisi per Christum reddi potuit. Quare credendo quibusuis Dei promissis in Christum credebant. Quod nobis etiam in mentem venire oportet, cùm petimus panem quotidianum, & credimus non defutura quæ ad victum pertinent. Argumentationi Pauli aliqui id aduersari putant, quod in Psalmo 106. habetur de Pinhas filio Eleazari, qui cùm confodisset scortum Madianiticum & Israelitam, non tantùm represit inflictum supplicium à Deo, sed etiam effecit, vt eadem totidem verbis de ipso scriberentur, quæ Paulus hîc citat de Abrahamo ex libro Geneseos:

Radix omnium promißionum Christus.

An Phinees iustificatus sit ex opere.

Et imputauit ei iustitiam. Quæ cùm pronuntientur de eo propter opus, iustificatio videri non potest adeò propria fidei, vt Paulus constituere possit, Iustitiam nobis per eam solummodò contingere. Verùm respondemus, nos haudquaquam negare, post fidem & iustificationem præclara opera à sanctis fieri, quæ à Deo pro iustis habeantur, præsertim cùm ex fide ortum habeant. Vnde Augustinus in Psalmum trigesimum primum, cùm factum Abrahami commendaret, quòd vnicum filium sacrificare voluerit, dicit se ædificationem commendare, sed interim fundamentum fidei videre: se probare fructum, sed interea radicem animaduertere. At Paulus nunc de his non agit, quæ iustitiam consequuntur: verùm de ipsa radice, ac capite: quid nam id sit, propter quod iusti habeamur. Psalmus itaque de opere loquitur, Paulus verò de prima iustitia. Neque mirari debemus, quòd sancta opera dicantur imputari pro iustitia: quandoquidem id fieri necessarium est. Non enim tantùm habent in se perfectionis, vt legi diuinæ vndequaque satisfaciant. Quare opus est, vt Deus illa pro sua misericordia vt grata suscipiat, imputando eam bonitatis partem, atque iustitiæ, quæ in eis deest. Nec illi sunt audiendi, qui hanc sententiam interpretantur ita, vt fidem accipiant à Paulo dictam, qua opus est: vt hîc sit sensus, Deum imputasse ad iustitiam actionem illam Abrahami, qua credidit: quasi eam voluerit habere pro iusta. Non id agitur in præsentia, vt de iusto opere disputetur. Verùm id demonstratur, vnde nos iustificemur. Vtque res magis adhuc euadat perspicua, imputari ad iustitiam, sumitur bifariam. Quandoque significat haberi ratum & probatum aliquem actum, atque vt vno verbo dicam, pro iusto acceptari: atque hoc pacto damus rem illam gestam à Phinees, & sanctorum hominum bona opera imputari à Deo ad iustitiam. Alio modo significat id, per quod nos ipsi habemur in censu iustorum: atque id Paulus tantummodò fidei tribuit, ac si diceret: Credidit Abrahamus, se gratum esse Deo, atque apud eum habitum iri pro iusto, & postremò beatum fore: & sicut credidit, accepit. Factum enim illi est iuxta eius fidem. Accepit igitur per illam, quod sibi à Deo offerebatur, vt habetur ab initio capitis decimiquinti. Dixerat enim illi Deus, Ego sum protector tuus, & merces tua ingens valde. Quod autem dicitur de Pinhas, deque sanctorum operibus, ad officia pertinet, quæ iustificatos consequuntur. Verùm ex eo, quòd multæ fiunt promissiones operibus, & Deus hoc loco se mercedem appellat, & vita æterna non semel in sacris literis dicitur merces, quasi reddatur operibus, quomodo non poterimus & iustitiam itidem consequi ex operibus, cùm non minus sit glorificare, quàm iustificare? Verùm duo hîc sunt considerenda: primùm bona opera antecedere posse glorificationem, at non iustificationem. Quia postquam iustificati sumus, quę grata Deo sunt, agere possumus. At priusquam iustificemur, nihil valemus agere, quod verè bonum sit, & Deo placeat. Deinde non concedimus, vitam æternam haberi ex operibus, quasi sit eorum meritum. Sed cùm appellatur merces, id eò spectat, quòd post opus factum redditur. Sicuti id quod meremur aliquibus actionibus ciuilibus, non consueuit reddi, nisi opere perfecto. Et quoad hoc quidem potest habere vita æterna aliquam similitudinem mercedis: à cuius tamen propria ratione & natura tribus de causis longè abest. Primùm, quia non sunt paria quæ dantur, & quæ recipiuntur: id autem ad iustam meriti rationem exigitur. Deinde quia opera, quæ offerimus, nequaquam sunt nostra. Nam illa nobis Deus elargitur, & in nobis operatur & Velle, & Perficere. Quare, si quid esset meriti, non esset tribuendum nobis, verùm Deo vt authori bonorum operum. Postremò quando merces aut meritum propriè sumuntur,

Post iustificationem opera fiunt à sanctis quæ à Deo pro iustis habentur.

Paulus agit de prima iustitia, Psalmus de illa quæ iustificationem sequitur.

Et sancta opera dicuntur imputari pro iustitia.

Fides non hic accipitur qua opus est.

Duplex ratio imputandi.

Si uita æterna dicitur operibus reddi, cur non item dicitur deiustitia

Bona opera possunt antecedere uitam æternam, sed non iustificationem.

Vita æterna dicitur merces per similitudinem non propriè.

oportet, vt id quod à nobis datur, non sit obstrictum illi cui datur. At nos, licet non essemus assequuturi fœlicitatem, tamen omnia nostra facere debemus ad gloriam Dei. Quare vita æterna dici non potest merces, nisi per quandam similitudinem. Sed multi volunt has Pauli sententias accipere per tropum, quasi sit synecdoche: vt fides idcirco dicatur iustificare, quòd ea in iustificando priores partes obtineat: atque ita bona opera, quæ cum fide coniunguntur, omnino volunt excluſa à vi iustificandi. Concedunt quidem nobis, vt fidem commendemus: sed vt ita commendemus, vt eam dicamus iustificare vná cum alijs bonis operibus, quæ in ea per synecdochen volunt à Paulo intelligi. Et hoc pacto existimant, permulta loca in sacris literis conciliari posse. Nam certè in vigesimo capite Geneseos. Deus propter opus multa promittit Abrahamo. Quia, inquit, fecisti rem hanc, semen tuum augebitur, obtinebit portas inimicorum suorum, & in semine tuo benedicentur omnes gentes: & alia huiusmodi. Et Iacobus videtur hanc synecdochen explicare, cùm asserit, Abrahamum operibus fuisse iustificatum. Istis nos respondemus, verba Pauli nequaquam admittere huiusmodi tropum: cuius verba tam perspicua sunt, vt nec violari, nec expugnari possint. Non enim tantùm dicit, fide nos iustificari, sed etiam excludit opera. Nam ait, *absq; operibus*: vtq; planius, & facilius intelligatur, adijcit, *Gratis*: & alia, quę aperte pugnant cum tropica oratione: Et sanè videndum est prius, vt homo, vel, vt ita dicam, vt persona ipsa & iusta sit, & Deo grata: deindè bona opera consequentur. Quæ autem in capite vigesimo Geneseos habentur, minimè aduersantur huic sententiæ. Quia illic monstrari non potest, Abrahamum propter illud factum habitum fuisse iustum coram Deo. Id enim prius fuerat consequutus. Sed promissiones accepit de posteris suis, Deum illis quoq; multa & præclara velle conferre. Id autem non inficiamur, Deum persæpè bonis operibus promittere varia præmia, cùm spiritualia, tum temporalia, & quoad ipsos electos, & quoad illorum posteritatem. Nec; Iacobus voluit, Abrahamum iustificatum esse ex operibus eo modo, quo Paulus hîc de iustificatione loquitur. De ea enim iustificatione ille loquitur, quæ agnosci possit ab hominibus, & iuxta quam pronuntiamur iustificati. Nam hanc spiritualem iustificationem, de qua nunc agimus, agnoscere in alijs non possumus, nisi ex his, quæ ab illis exterius geruntur. Et in summa, quæcunq; loca scripturæ iustitiam tribuunt operibus, de ea iustitia loquuntur, quæ iustificationem sequitur.

Synecdoche qua utuntur aduersarij.

Excluditur synecdoche.

Locus Geneseos.

Locus Iacobi.

Ei uerò, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Id modò conatur ostendere, Abrahamum non potuisse iustificari ex operibus, cùm iam constet ex sacris literis, illum habere iustitiam ex imputatione. Nam ista sic opponuntur, vt vtrunque simul constare non possit. Et cùm audimus à Paulo, *Operanti, & non operanti*, nequaquam sic accipere debemus, quasi illi, qui credunt, non operentur. Nam de illa tantum operatione loquitur, qua mereamur, aut mereri velimus iustitiam. Et hoc loco consideratu dignum est, quod apud Theologos Scholasticos iam inueterauit: vt dicant meritum à Paulo appellari debitum. Quare cùm hîc Paulus à iustificatione debitum auferat, necessariò etiam tollit meritum, si propriè ac verè de illo velimus loqui. Nunc autem ita de eo loquor, non vt ad promissiones Dei refertur, sed vt cum nostris operibus comparatur. In summa Paulus vult imputationem, & debitum esse omnino inter se pugnantia. Et ex hoc loco possimus intelligere satis apertè, hoc esse Apostoli fundamentum. Verùm id apparebit luculentius infrà: vbi dicetur.

Scholasticorum dictum.

Imputatio & debitum pugnant.

Quòd si ex Gratia, iam non ex operibus: & vicissim: si ex operibus, non iam ex gratia. Tresq; hoc loco habentur antitheses. Vna est, operantis, & non operantis: altera, debiti, & gratiæ: tertia, mercedis, & imputationis. Quas antitheses nullo pacto oportet nobis excidere. At ex hoc loco satis liquet, quæstionem de ceremonijs institutam generaliter tractari. Hîc enim Apostolus sine vlla contractione agit de Operante, & non operante: de gratia, & debito: de mercede, & imputatione iustitię. Quæ multò latius patent, quàm ceremoniæ. Nam complectuntur omnia bona opera, quæ fieri possunt.

Tres antitheses.

Ratio ista Pauli est uniuersalis.

Credenti in eum, qui iustificat impium. Per, Impium, peccatorem intelligit à Deo alienum: quia caput omnium scelerum est impietas. Cumque Deus dicatur iustificare impium, hoc non est intelligendum quoad maneat impius: aut quasi Deus impiè facta pro bene factis accipiat, aut ea iusta pronuntiet. Hoc enim vetuit fieri in Lege: neque etiam id vnquam se facturum pronuntiauit. Sed impium iustificare dicitur, quia peccata condonat, & ex impio facit pium. Habemus hactenus, Abrahamum iustificatum fuisse ex fide: præterea iustitiam eius sitam fuisse in imputatione. Nunc sequitur.

Caput omnium scelerum impietas.

Quid sit iustificare impium.

Quemad-

Quemadmodum & Dauid ait beatitudinem hominis, cui Deus imputat iustitiam sine operibus: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus uir, cui non imputauit Dominus peccatum.

His item ex verbis manifestum est, per Opera generaliter intelligi omnia rectè facta, non solùm ceremonias. Hoc antithesis declarat. Cùm enim dixisset, nos habere beatitudinem sine operibus, illis opponit peccata & iniquitates, quæ in iustificatione remittuntur. At iniquitates, & peccata non solùm in ceremonijs locum habent. Quòd autem hoc loco Dauidem inducit, id eius proposito plurimum expedit. Etenim Dauid, quemadmodum etiam Abrahamus, prædítus fuit multis bonis operibus. Et tamen ex eis non putauit se posse iustificari: sed tantùm ex eo, quòd peccata sibi remissa essent. Atque ex hoc testimonio scripturæ apparet, Iustificationem, & Beatitudinem idem esse. Alioqui efficaciter non concluderetur. Et certè Iustificatio, si quis eam rectè consideret, nihil aliud est, quàm inchoata fœlicitas. Testatus autem Dauid, hanc beatitudinem, siue iustificationem, non tantùm in eo sitam esse, vt peccata non imputentur, sed etiam vt rem magis exprimat, in eo, inquit, vt remittantur peccata. Et qui potest apud se statuere, Iustificationem esse remissionem peccatorum, is facilè intelliget, nõ bona opera adferri ad Deum, ex quorum operatione ac merito nos iustificet, sed potius peccata, quæ condonet. Basilius disertè ostendit, ea, quæ agimus, dum sumus alieni á Deo, non posse illi placere. Ex professo id quærit in secundo libro de Baptismo, quæstione septima, & adducit illud Prophetæ: Peccator sacrificans mihi vitulum, est veluti qui occidit canem: & offerens similaginem, velut qui offert sanguinem suillum. Opera verò, quæ nos agimus nemo dubitet esse instar sacrificiorum. Vnde si à peccatoribus offerantur Domino, ei displicent. Addit etiam aliam rationem, Qui facit peccatum, seruus est peccati: quod, cùm illis seruimus, nos non patitur aliquid agere, quod probetur Deo. Postremo argumentatur, Christum dixisse, Neminem posse duobus dominis seruire: nec vllo modo posse fieri, vt & Mammonæ seruiamus, & Deo. Vnde concludit, non posse fieri, vt bona opera edantur ab impijs. Quare præparationes, quas isti fingunt, excluduntur. Augustinus, dum interpretatur Psalmum trigesimum primum, ait, Peccata esse contecta, nihil significare aliud, quàm Deum non aduertere. Quòd si non aduertit, inquit, non animaduertet. Vnde peccata dicuntur esse contecta coram Deo, quòd ea Deus nolit punire. Non ita debent intelligi tecta, quasi cooperiantur, & nihilominus viuant in nobis. Eorum obligatio, & reatus, quo nobis pœna debebatur, per remissionem aufertur. Et hoc Propheta orabat, cùm diceret: Auerte faciem tuam à peccatis meis. Cùm Dauid hoc carmen ederet, ægrotabat, vehementique morbo diuexabatur. Ossa enim sua memorat contabuisse, seque grauem Dei manum sensisse: & corporis sui succum penè omnem exhaustum fuisse: & alia id genus permulta. A morbo itaque de suis peccatis, & de ira Dei commonitus, in hæc verba prorupit: quibus testatus est, illos beatos esse, quibus culpæ à Deo sint condonatæ. Et beatitudinem accipit pro iustificatione. Iustificatio enim vt diximus est inchoata beatitudo. Nam peccata tantùm obstant, quò minus iam simus beati: quæ, cùm prorsus amota fuerint, non amplius beatitudinem remorabuntur. Sed homines quantumuis probi & sancti, dum hîc viuunt, non prorsus peccato carent. Ideo semper ad beatitudinem, id est, ad remissionem peccatorum aspirant. Vnde in hoc eodem Psalmo subditur: pro hoc orabit ad te omnis sanctus. Quod idem docuit etiam seruator noster. Nam in oratione à se instituta, quæ ab optimo, & sanctissimo quoque dicenda est, iussit vt diceremus, Remitte nobis debita nostra. Et qui pro alijs rebus orant, & huius non meminerunt, viderint, ne sibi id accidat, quod illi Pharisæo, quem Lucas tradit ad hunc modum orasse: Gratias tibi ago Deus, quòd non sim sicut cæteri homines &c. Et ob id, ait Christus, non descendit in domum suam iustificatus, quòd tantùm bona sua opera coram Deo commemorasset. At è diuerso publicanus malè sibi conscius, vix oculos audebat ad cœlum attollere. Atque ita animo prorsus deiecto, Domine, inquit, propitius esto mihi peccatori. Atque hac confessione agnoscebat, se nihil afferre ad Deum, nisi peccata, eóque orabat, vt ea sibi condonarentur. Is, inquit Christus, iustificatus redijt in domum suam. Cùm hîc à Dauide, quantum Apostulus citat, nulla fiat mentio bonorum operum, tamen aliqui volunt eam nobis obtrudere ex his, quæ sequuntur: Et in spiritu eius non est dolus. Verùm illis pulchrè occurrit Augustinus, In eo, inquit, non est dolus, qui vt peccator est, ita se esse agnoscit: cúmque se malis operibus videt dehonestatum, ea non dissimulat, sed manifestè confitetur. Ideirco subditur in eodem psalmo, Dixi, confitebor aduersum me iniquitatem meam. Sed rursus occurrunt nobis, qui hanc Pauli argumentationem cupiunt infirmare. Volunt enim esse synecdochen, vt cum

Hæc quoq; ratio est generalis.

Quare utitur Dauidis testimonio.

Beatitudo & iustificatio ac si idem sint accipiuntur.

Iustificatio est inchoata fœlicitas

Basilius affirmat quæ fiũt ante iustificationẽ esse peccata.

Quid sit peccata esse contecta.

Peccata tantùm obstant quo minus beati simus.

Dũ uiuimus hîc semper pro iustificatiõe oramus.

Qui nõ orat pro cõdonatione peccatorũ malè orat

Quid sit non inesse dolum.

his, quæ Dauid prædicat, etiam bona opera coniungamus ad iustificandum. Vt que sententiæ suæ fidem faciant, alia testimonia ex Dauide colligunt, in quibus beatitudo etiam operibus tribuitur: vt, Beati immaculati, qui ambulant in lege Domini: Beatus vir, qui timet Dominum: Beatus vir, qui non abijt in consilia impiorum: & alia complura huius generis: in quibus aiunt, beatitudinem tam diserte ascribi operibus, quàm in eo loco, quem modò Paulus citat, remissioni peccatorum. Sed isti, quoniam idem fere argumentum reuocant, quod modò dissoluimus, eandem etiam responsionem habeant: videlicet, nequaquam hîc agi de beatitudine, aut fœlicitate, quæ primam consequitur, sed de ipsa prima summáque institutam esse disputationem. Et cur synecdoche non possit admitti, tam ante diximus: quòd Paulus diserte prædicet, hanc iustitiam sine operibus contingere. Et, ne dicas, tantùm de legalibus eum ista pronuntiasse, infra addit, idcirco ex gratia promissionem constare, vt ea firma sit, néue vacillet: quòd non tantùm ceremonias excludit, verùm etiam moralia. Et paulo ante habuimus, Cùm ex imputatione iustificatio detur, eam ex operibus esse non posse. Id que per generalem rationem operandi, & non operandi confirmauit: quæ certè multò latius patent, quàm ceremoniæ. Non minus enim operamur in moralibus, quàm in legalibus. Voluit præterea, eos, qui iustificantur, gloriationem habere apud Deum: quasi ex eo, non autem à suis operibus, iustitiam nanciscantur. Quæ ratio vtrunque genus operum à iustificatione remouet. Quare apertissimè videmus, synecdochen non posse cum Pauli rationibus conuenire. Ambrosius, dum hæc verba exponit, bis habet, nos iustificari *Sola fide*: & addit, sine labore, & aliqua obseruatione. Sed quod postea adijcit, cùm interpretatur Dauidis sententiam,

An beatitudo attribuatur operibus.

Hîc de prima nõ de postrema beatitudine agitur.

Ambrosius ait sola fide.

Beati quorum remissæ sunt iniquitates, Ait, Quibus sine labore, vel opere aliquo remittuntur iniquitates: & peccata teguntur, nulla ab illis requisita pœnitentiæ opera, nisi tantùm vt credant. Id si ita velimus intelligere, quasi à prima fide, qua iustificamur, pœnitentia absit, absurdum erit. Quomodo enim potest quisquam vera fide, qua iustificetur præditus, carere pœnitentia, vt de anteacta vita nihil doleat? At si Ambrosius intelligat, vel satisfactiones Ecclesiasticas non requiri, vel eam pœnitentiam, quæ necessariò sequitur fidem, adesse quidem oportere, sed non requiri, vt causam iustificationis, rectè dicit. Certè adeo illi placuit ista sententia, vt & supra, vt monuimus, eam scripserit, & in vndecimo capite, vt deinceps videbimus, eandem repetat. Hinc videmus, quàm caute legendi sint patres. Multa enim interdum dicunt, quæ nisi dextrè accipiantur, constare non possint. Imò quædam illis interdum excidunt, quæ vix possis dextrè interpretari: Vt quod in hunc locum idem Ambrosius scribit. Temporis ergo, inquit, beatitudinem prædicat, quo natus est Christus: sicut Dominus ipse ait: Multi iusti & Prophetæ voluerunt videre, quæ vos videtis: & audire, quæ vos auditis: & non audierunt, nec viderunt. Quasi verò non etiam ante aduentum Christi Deus suos eodem modo iustificarit, quo nunc nos iustificat. Satis liquet, hanc temporis diuersitatem ex diametro pugnare cum sententia Pauli. Is enim ait, Abrahamum iustificatum fuisse ex fide. Quin & Dauid cuius hoc testimonium est, ita contingere iustificationem sensit. Atque idem suprà, cùm eum locum exponit.

Ambrosius locus explanatur.

Patres cautè legendi.

Ei uerò, qui operatur merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum, Ita scribit: Absolutum est, ei, qui legi factorum, id est, Mosi subiectus est, aut naturali, non imputari meritum ad mercedem, vt gloriam habeat apud Deum. Debitor enim est facere legem, quia necessitas imposita est per legem, vt velit, nolit, faciat legem, ne damnetur. Sicut alio loco dicit: qui autem contemnunt, ipsi sibi damnationem acquirunt: quia ad præsens rei sunt. Credere autem, aut non credere voluntatis est. Neque enim quis cogi potest, ad id, quod manifestum non est. Sed inuitatur, sed suadetur: quia non extorquetur. Hoc discrimen inter opera, quæ præcipiuntur à lege naturæ, & Mosis, & fidem, nullum est. Nam non minus ex necessitate diuini præcepti tenemur ad credendum, quàm ad rectè operandum. Vt que illud non extorquetur ab inuitis, ita ne hoc quidem. Et vt ex transgressione Legis naturæ, aut Mosaicæ imminet damnatio, ita etiam ea impẽdet ex transgressione fidei. Ita videmus, cuiusmodi sint, quæ nobis quandoque occurrunt in patribus. Et ne taceam de Chrysostomo addam, quemadmodum illum eundem locum interpretetur.

Ei uerò, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum, Ita scribit: Atqui hoc magis fuerit, dices. Nequaquam. Etenim credenti imputatur. Nunquam autem imputaretur, nisi & ipse aliquid attulisset &c. Hîc vult, eum, qui iustificatur ex fide, aliquid

aliquid ex se afferre: Idque fuit, vt suprà annotaui in eius dictis, fides. At hoc non esse verum, idem ipse ostendit hoc loco. Ait enim, Hoc potissimum est, quod fidelem facit illustrem, quòd tanta nimirum á Deo gratia præditus est, vt tantam queat ostendere fidem. Hoc loco non à nobis ipsis facit fidem prouenire, sed à gratia Dei. Suprà verò non rectè scripsit, nos vel contribuere, vel afferre aliquid, vt iustificemur, & Deum habeamus debitorem. Hæc ideo commemoro, ne putemus à patribus semper omnia firmiter & constantur dici: aut ab illis semper petendam esse expositionem scripturarum. Primùm oportet, vt ex ipsis scripturis de dogmatis solidè constituamus. Posteà patres cum iudicio legi possunt. Vt autem scripturas velimus necessariò illorum expositionibus subijcere, fieri nec potest, nec debet. Absurdum enim esset, iudicijs hominum subdere iudicia Dei. Et quum ipsi quoque sæpe obscuri sint, & in exponendo varij, atque multiplices, hoc esset à scripturis certis discedere ad incerta. Hæc obiter quidem dicta sunt, sed nostris temporibus, spero, non inutiliter. Augustinus in præfatione enarrationis in Psalmo trigesimo primo habet. Multi gloriantur de operibus, & inuenis multos paganos propterea nolle fieri Christianos, quia quasi sufficiunt sibi de bona vita sua. Bene viuere opus est, ait: quid mihi præcepturus est Christus? Vt bene viuam? Iam bene viuo. Quid mihi necessarius est Christus? Nullum homicidium, nullum furtum, nullam rapinam facio: res alienas non concupisco, nullo adulterio contaminor. Nam inueniatur aliquid, quod reprehendatur: & qui reprehenderit, faciat Christianum. Habet gloriam, sed non apud Deum. Vide quomodo ignoratio huius occultæ iustificationis, quæ non est ex operibus, homines reuocauerit à Christianismo. Quare hodie quoque qui eam ignorant, & operibus se iustificant, & à Christo procul absunt, & eius beneficium non intelligunt. In hac sententia Dauidis id nobis ne excidat, consideremus, nullam esse mentionem bonorum operum: quod etiam innuit vox Beatitudinis. Dum enim quippiam adipiscimur, in quo plurimùm sudemus, non iudicamur admodum felices, At si consequamur idem absque labore, nullaque fermè opera nostra, tum felices, & beati habemur.

Patres non semper constanter loquuntur.

E scripturis constituendũ est de dogmatis.

Qui hanc iustificationẽ ignorant, à Christianismo abhorrẽt.

Felicitas potissimũ dicitur, quæ citra laborẽ cõtingit.

Beatitudo igitur hæc in Circumcisionem, an in præputium? Versio Latina adscriptum habet vertum Manet: quod in Græcis codicibus non habetur. Neque verbum hoc, quod Latini habẽt, multùm cõsentit cum locutione per accusatiuos casus, & prępositionem ἐπί. Potius, vt Theophylactus monet, subaudiendum est πίπτει: quod est, incidit, aut competit, aut aliquid simile. Neque mihi improbatur Erasmi coniectura, qui existimat pro Manet, scriptum fuisse Manat. Atque hæc quidem de verbis. Sententia autem hæc est. Potuisset quispiam existimare, licet Dauid non meminerit operum, quum prædicaret felicitatem illorum quibus peccata remittuntur, quoniam tamen ipse & circuncisus erat, nec aliter gebat sine sacrificijs, sensisse eum hanc remissionem peccatorum per hæc obtineri, quanquis ea non expresserit. Idcirco Paulus resumit Abrahami exemplum, quod ab initio proposuerat. Atque ita recurrit ad caput, & originem Circuncisionis, & tempus ipsum considerat, quo ab Abrahamo suscepta est: probatque, eum longè anteà & iustificatum, & pronuntiatum fuisse patrem multarum gentium, hoc est omnium qui credunt, quàm circuncire, & ascisendos esse in populum Dei, & inter membra Christi cooptandos. Argumẽtum sic potest fieri euidentius. Quod nondum erat, non potuit Abrahamo conferre iustitiam: Sed cùm Abraham pronũtiaretur iustificatus, circuncisio nondum erat: Quare ea non potuit Abrahamum iustificare. Constituatur hoc pacto series inter causas & effecta. Primùm Deus proposuit Abrahamo suas promissiones. Secundo loco consecuta est fides: tertio iustificatio. Postremò accessit obedientia, vt sese circunciderat, & alia multa præclara faceret. Non licet hunc ordinem peruertere, vt ex obedientia, & circuncisione, quæ vltima sunt effecta, produci velis iustificationem, quæ antecessit. Rursus hoc loco docet nos Apostolus, quanto studio & diligentia legendæ sint scripturæ, & tempora momentaque expendenda sint in historijs. De Circuncisione agit, quia omnis illa controuersia nata primùm erat propter ceremonias: deinde etiam, quia illi Circuncisionem non minoris faciebant, quàm nos Baptismum. Habuerunt enim eam pro præclaro opere, & eximio cultu Dei. Quare licet inferre, si non iustificamur illo genere operum, in quibus est cultus Dei, certè alijs multò minus iustificabimur. Nam illa præstantiora, & Deo gratiora habentur, quàm cætera.

Cur ad Abrahamũ redit Paulus

Argumenti forma.

Series causarum & effectorũ in iustificatione Abrahami.

Quantũ momenti sit in obseruatione diligenti scripturarum.

Circuncisio fuit in summo pretio

Dicimus enim quòd imputata fuerit Abrahamo fides ad iustitiam. Conducunt hæc mirificè ad fastum superciliúmque Iudæorum deprimendum: qui perpetuò clamabant, iustitiam

cum præputio nullo modo posse coniungi. At Paulus è diuerso asserit, eam in Abrahamo fuisse antequam circumcideretur. Abrahamus enim habuit adhuc præputium, cùm prædicaretur iustificatus. Vnde non est mirum, si multò plures deinde seruati sunt post aduentum Christi ex incircumcisis, quàm ex Iudæis. Videntur hîc nobis poni ob oculos duo patres: vnus Incircumcisorum, alter Circumcisionis. Et si penitius introspicias, videbis priorẽ locum habere patrem incircumcisorum. Abrahamus enim nondum erat circumcisus, quum iustus á Deo haberetur. Quid iam superest Iudæis, quò se iactent præ Gentibus? Nihil fanè, nisi signum. Et quemadmodum Abraham non est pater præputiatorum, eo tantùm nomine, quòd illi præputium habeant, sed propter fidem: ita etiam non est pater circumcisorum, quòd circumcisi sint, sed quòd credant. Ex his liquet tam circumcisionem, quàm præputium aduentitias esse conditiones, & ad iustitiam adipiscendam per se ipsa non facere. Percommodè Apostolus duos induxit homines, Dauidem, & Abrahamũ. Quorum alter, hoc est, Dauid, cùm iam esset circumcisus, testimonium perhibuit de iustificatione. Abrahamus verò, cùm nondum esset circumcisus, tamen assecutus est iustificationem. Quare satis apparet, Circumcisionem non esse necessarium instrumentum ad assequendam iustitiam.

Circumcisio & præputium aduentitiæ conditiones.

Et signum accepit circumcisionis. Accepit, inquam, circumcisionem, quæ signum erat.

Signaculum iustitiæ fidei. Occupatio est. Potuissent enim hæc audientibus venire in mentem superfluam fuisse circumcisionem, si Abrahamus ante eam fuerit iustificatus. Huic obiectioni Paulus occurrit, non fuisse, inquiens, circumcisionem otiosam, aut inutilem: fuisse enim eam signaculum iustitiæ fidei. In hac oratione Paulus habet duo verba, σημεῖον, & σφραγίδα, quæ quanuis sunt finitima, non tamen idem significant. Latius enim patet σημεῖον, quàm σφραγίς. Statua signum est, sed non potest esse sigillum. Sed σφραγίδες addi solent his rebus, quas volumus summa fide conseruari, & intactas manere. Ea de causa literæ obsignantur: & diplomata principum sigillis muniuntur, ne quis de illorum authoritate, aut fide possit ambigere. Ita Deus tradit nobis sacramenta, vt obsignationes suarũ promissionum. Circumcisio igitur duo significabat & amputandas esse ex animo prauas cupiditates, & filios Israel discretos esse ab alijs nationibus: Deinde fuit signaculum diuinæ voluntatis & promissionis, quæ oblata est Abrahamo de iustitia, remissione peccatorum per Christum, & fœdere cum Deo, & bonis hoc genus compluribus. Ista, inquam, promissio symbolo circumcisionis obsignata fuit. Accedunt etiam ad has sacramentorum significationes alia duo non contemnenda cõmoda. Nam & res, quæ ita notantur, asseruntur suis dominis, vt in equis, bubus, & alijs huiusmodi rebus, characteres, & notæ inustæ indicant, ad quos pertineant. Ita sacramenta suscepta attestantur nos Dei esse. Adhæc indicant huiusmodi notæ externæ, quanti pretij ac dignitatis habenda sit res signata, vt patet in monetis aureis, atque etiam in equis. Alia enim nota equi generosi insigniuntur, alia ignauti. Præterea sacramenta, quæ Deus nobis cõmendauit, indicant quanti nos Deus faciat. Nam circumcisionis, & aliorum sacramentorum notæ sunt instar monitorum de voluntate & promissionibus Dei. Quoniam enim infirmi sumus, nec facilè credimus promissionibus Dei, opus fuit, vt eius erga nos voluntas non solùm verbis significaret, sed etiam rebus, quæ sentirentur, obsignaretur. Vnde Augustinus prudentissimè dixit, Sacramenta esse verba visibilia. Et Chrysostomus hoc loco scribit, Circumcisionem prædicasse iustitiam. Voluit ergo Deus, vt & verba sua haberemus in sacris literis, quæ proponerentur nobis, dum agitantur mysteria, & ad illa vt extrinsecus notæ visibiles adderent: quò firmius resisteremus, si quando animus inciperet dubitare. Ex his apparet, quàm illi decipiantur, qui putant ex vi actionis, vel, vt dicunt, ex opere operato sacramẽta adferre salutem. Certè, vt verba scripturæ nihil prosunt sine fide, ita nisi eadem adsit, nihil prosunt sacramenta. Nec admittenda est illa opinio, cuius Augustinus meminit de Ciuitate Dei, eos damnari non posse, qui sacramenta Christi semel perceperint. Vix puto vllum extare locum in sacris literis, quo tam breuiter, & tam explicatè natura sacramentorum proponatur, quàm his Pauli verbis, quibus Circuncisio appellatur signaculum. Et ne intelligas, cuiusuis rei, additur Iustitiæ, hoc est, condonationis peccatorum, quæ pertinet ad voluntatem Dei. Postremo loco adiecit, Fidei, vt intelligamus quidnã id sit, quo ea iustitia à nobis comprehẽdi possit. Id autem est fides. Quibus ergo videre potest, quàm illi decipiantur, qui sacramenta tantùm esse putant tesseras, & notas religionis, qua homines sese mutuò agnoscãt. Sic enim nihilo plus tribueretur sacramentis, quàm vestibus, aut coloribus, quibus familiæ, & factiones à se inuicem discernuntur. Neque illi satis dicunt, qui arbitrantur, sacramentis signa tantùm, & professiones earum rerum, & actionum, quæ requiruntur à nobis, qui Christo sumus initiati: vt Circum-

Non fuit otiosa circumcisio.

Sacramẽta non tantũ signa sunt sed obsignationes.

Quid significauerit circumcisio, & quid obsignauerit.

Sunt item sacramenta notæ, quibus Deo, ut domino nostro asserimur.

His notis itẽ demonstratur, quãti Deus nos faciat.

Opus operatum excluditur

Hi fallũtur, qui putant neminẽ perceptis sacramentis posse dãnari.

Isto loco præcæteris natura sacramentorum explicatur.

Sacramenta nõ sunt tantùm tesseræ.

cisionis significationem faciant mortificandi prauas affectiones: Baptismi verò, fortiter, & æquo animo ferendi detrimenta, iniurias, & res aduersas: quod in eo significetur, nos vnà cum Christo crucifixos & sepultos esse. Cœnam autem Domini signum tantùm esse Christianæ beneuolentię, & officiorum mutuæ charitatis. Hęc omnia in sacramentis ineſſe, nos minimè negamus. Sed caput, & summam eorum significationis in hoc ponimus, quòd obsignent nobis Dei dona, & promissiones, quas ille offert fide apprehẽdendas. Scholia Græca disertissimè hoc loco posuerunt, Circuncisionem ob tres causas fuisse datam: vt signum esset fidei, atque iustitiæ: vt Abrahæ genus discerneret ab alijs nationibus: vt esset nota, & inuolutum indicium puræ ac temperatæ conuersationis. Hic locus apertissimè declarat id, quod Augustinus tradidit ad Bonifacium: Sacramenta habere nomina earum rerum, quas significant. Idęq; ille multis probauit similibus: inter quæ Eucharistiam quoq; cõmemorauit, quòd eam appellemus Corpus Christi, cùm sit illius sacramentum. Et nos docemus, panem in sacris mysterijs ideo esse corpus Christi, quòd sit illius signum. Hæc nonnulli ferre non possunt. Sed eos meminisse oportet, in libro Geneseos Circuncisionem fœdus Domini appellari: quod nihil est aliud, quàm promissio iustitiæ, & condonationis peccatorum per Christum. Atque hoc fœdus Dominus iussit, vt Iudæi gestarent in carne sua. Id nunc Paulus exponit, eam fuisse signum eius iustitiæ, inquam, ac fœderis. Quare apparet, interpretationes huius generis, quibus nos vtimur, ab Apostolo fuisse introductas, & eas consectari nihil aliud esse, quàm vestigijs Apostolicis inhærere. Quòd si quæsieris, quum habeamus remissionem peccatorum, & iustitiam ex fide simus consequuti, quid nobis conferant sacramenta, respondemus, permultum: quia in oculos incurrunt, & nos admonent. Fides enim nostra excitatur, non quidem ab illis, sed vi spiritus sancti, qui hoc organo sacramentorum vtitur: quemadmodum & verbi, quod prædicatur. Fides autem excitata magis ac magis iustitiam ac remissionem peccatorum complectitur. Non enim ista sita sunt in atomo, aut in indiuisibili puncto, sed habent aliquam latitudinem. Nam si peccatum perfectè à nobis remotum esset in hac vita, nunquam amplius peccaremus. Verùm sæpe multa se offerunt mala, quorum condonatione ac remissione opus habemus. Ita quãuis regenerati, & instaurati sumus, nunquam tamen deest in nobis aliquid, quod regenerari oporteat, & instaurari. Idque vt magis intelligatur, vtar hoc simili. Quòd perfectissimè est album, nihil nigroris, aut obscuritatis admixtum habere potest: Iustitia verò nostra multum adhuc admixtum habet impuritatis, & immunditiæ, quod repurgari oporteat. Quare in Resurrectione habebimus perfectam & absolutã regenerationem. Ideoq; Christus Resurrectionem appellauit hoc nomine, quum Apostolis diceret, sessuros eos esse in Regeneratione super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Ob eam causam Paulus, quum iam esset iustificatus, iubetur baptizari. Et Abrahamus, de quo nunc sermo est, post iustitiam imputatam, iubetur circuncidi: non quidem frustra, sed ob eam causam, quam iam exposui. Nunc res admonet, vel flagitat potius, vt aliquid de Circuncisione dicamus. Verùm, quoniam nihil de ea statuere possumus, nisi bene cognita sacramentorum natura, idcirco decreui primùm de illis in genere, quid mihi sentiendum videatur, exponere. Vox, quæ sacramentum significat, Hebraicè est סוד & רזי Harum vocum prior communis est ad omnia secreta, & arcana, & magis est vsitata. Altera verò vsus est Esaias, quum diceret. רזי לי רזי לי Secretum mihi, secretum mihi, capite vicesimo quarto. Daniel quoque in secundo capite, quum agit de mysterio cognoscendo, vtitur eadem voce. Talis est sacramentorum natura, & conditio, vt contineant res arcanas, aliquibus tamen notas, verùm non omnibus. Atque ab hac etymologia non longè abest Græca vox, μυστήριον, deducta ἀπὸ τοῦ ἐντὸς μύσαντας τηρεῖν: Hoc est, quod oporteat intus occludentes obseruare. Inde erant mysteria Eleusineæ Cereris in Attica regione, quæ nullis patebant, nisi initiatis. Et μυσταὶ dicuntur, qui hæc apud se habent obsignata, & clausa. Chrysostomus dum interpretatur vndecimum caput huius epistolæ, vbi Paulus dicit se mysterium scribere de Israelitis partim excæcatis, & partim restituendis, ait, Mysterium significare rem incognitã, & ineffabilem, & quę multũ in se habeat admirationis, quæq; sit præter opinionem. Idemq; dum interpretatur caput secundum prioris ad Corint. vbi legitur, Sapientiã loquimur in mysterio ita scribit. Diuinum & integrũ non esset mysteriũ, si quicquã ex te adderes. Ex quibus verbis apparet, quàm illi sint accusandi, qui pro sua libidine & arbitratu sacramẽta statuunt, & ab illis, quæ Christus ipse statuit, quicquid volunt detrahũt. Eos manifestè Chrysostomi verba coarguũt. Neq; se putent releuari, si dicant eum loqui de eo mysterio, qd̃ inuenit̃ in sacris literis, cui neq; addendũ ait quicquã esse, nec detrahendũ,

Quid præcipuũ & summũ sit in sacramentis.

Scholia Græca.

Tres significationes circuncisionis.

Circũcisio quia signum fuit fœderis, ideo rei nomen habuit.

Paulus est qui docet sacramenta res promissas & significare & obsignare.

Qd̃ sacramenta dicimus esse signa, ex diuinis literis dicimus.

Post iustificationem sacramenta nõ inutiliter sumuntur.

Sacramenta nõ excitant fidem, sed spiritus sanctus.

Simile.

Iustitia nostra multũ habet admixtum impuritatis.

Resurrectio erit perfecta regeneratio.

Locus de sacramentis.

De nomine Hebraico & Græco.

Mysteria Eleusineæ Cereris,

Diuinis mysterijs nihil addendum.

Sacramenta æquanda diuinis literis.

Quandoquidem sacramenta, de quibus agimus, nihilo minoris sunt momenti, quàm scriptura sancta. Nam & hæc, quemadmodum appositè Augustinus dicit, sunt verba Dei visibilia. Porrò Chrysostomus locum iam adductum exponens, ait, nos in sacramentis aliud videre, aliud credere, aliud sensu intueri, aliud mẽte intelligere. Vnde sequitur, non eodẽ modo affici omnes circa mysteria. Nam infidelis audiens Iesum Christum crucifixũ, & stultum existimat, & infirmum esse. Fidelis autem in eo mysterio agnoscit summam Dei virtutem, & sapientiam. Si audiat ethnicus Christum excitatũ à mortuis, putabit esse fabulam. Christianus verò non modò id factum credit, verùm etiam se ipsum, vt Christi membrũ à mortuis aliquando excitandum esse, non dubitabit. Accedit postea Chrysostomus ad sacramẽta visibilia, & inquit: Si videat infidelis Baptismũ, iudicabit ibi aquã tantùm esse. Fidelis autem intuetur ablutionem animi per sanguinem Christi. Et in Eucharistia sensibus agnoscitur tantummodò panis & vinum. Credentes verò ad corpus Christi animum referũt. Huc accõmodat simile de libro: Nam si quis imperitus literarum, & rudis incidat in librum, apices tantùm, & figuras, & colores spectare & mirari potest: sensum autem & intelligentiam deprehendere non potest. At qui literas didicit, is inde vel historias, vel res alias dignas cognitu, & iucundas hauriet. Nunc post interpretationem nominis Græcam, & Hebraicam, supereſt, vt dicamus de Latina. Apud veteres sacramentum obligationẽ significabat, quæ per iusiurandum intercedebat. Vnde dicere solemus: Sacramento cum aliquo contendere, & sacramentum militare. Et fortasse hæc nostra ea de causa dicuntur sacramenta, quòd ibi Deus obstringat se pactis & promissionibus quodammodo obsignatis, nosq; illi vicissim nos ipsos dedamus. Non agimus itaque de mysterio, aut sacramento generaliter, quo significatur, vt Chrysostomus ait, aliquid incognitũ, & ineffabile, quod multum habeat admirationis, & sit præter opinionem. Ad hunc enim modum ingens erit numerus sacramentorum. Nam sic Natiuitatem Christi, eius Resurrectionem, Euangelium, excęcationem Iudæorum, vocationem Gentium, & alia multa dicemus esse sacramenta. Sed ita loquimur de sacramentis, vt nunc Paulus de circuncisione loquitur. Nunc quoniam de voce dictum est satis, addemus definitionem sacramenti. Hæc autem est receptissima, Sacramentum est forma visibilis, aut signum visibile inuisibilis gratiæ. Signum verò id esse dicitur, quod præter speciem, quam ingerit sensibus, aliud quippiam in cognitionem nostram inducit. Id autem distinguitur, vt Augustinus tradit, & Magister Sententiarum refert, in Naturale, & Datum. Fumus signum naturale est ignis, & nubes pluuiarum. Signum verò datum & à voluntate profectum, est multiplex: vt literæ, sermones, gestus, nutus, & plura hoc genus. Possuntq; ista signa pertinere ad varios, diuersosq; sensus. Res verò quæ significantur, sunt aut præteritæ, aut præsentes, aut futuræ. Præterita significabant tabulæ legis, Man, & virga Aaron seruata. Voluit enim Deus hæc extare, & monimenta quædam præteritarum rerum. Alia designant futura, vt arcus in nubibus temporib. Noe datus, vellus Gedeonis, & vmbra Solis, quæ Regis Ezechiæ tempore retrocessit. Nonnunquam significãtur præsentia, vt in vestibus sacerdotalibus in cultu Leuitico, in magistratuum insignibus, in miraculis Christi. Hæc enim omnia vim Dei præsentem significabant. Nostra sacramenta signa sunt visibilia, non quidem ex natura sua, sed Dei voluntate nobis concessa: & ad plures sensus pertinẽt. Nam verba, quæ in sacramentis proponuntur, auribus percipiuntur: notæ verò, & externa symbola aut visu, aut tactu, aut odoratu, aut gustu sentiuntur. Res verò demonstrant & præsentes, & præteritas, & futuras. Mors enim Christi in eis repręsentatur, quæ iam præcessit: & promissio ac donum Dei, quod animo & fide tanquam præsens amplectimur: & vitę puritas, & mortificatio, & charitatis officia, quæ à nobis postea necessariò præstanda sunt. Ex his liquet, cuiusmodi signa ponamus esse sacramẽta. Sed satis videri possit accipere definitionem ex Paulo, vt dicamus, Sacramenta esse σφραγίδας, id est, obsignationes iustitiæ fidei. Consignant enim promissiones Dei, quibus adhibita fide iustificamur. Quòd si quę siueris, quidnam sit, quod nobis Deus polliceatur, vt vno verbo respõdeam, hoc est, vt nobis sit Deus. Quod vbi contigerit, seruat nos, beat nos, & reddit felices. Hæc promissio est, quæ diuersis symbolis externis consignatur in sacramentis. Quod habemus in libro Geneseos cap. 17. vbi circuncisio datur, qua pactum inter Deum, & Abrahamum confirmatur. Eius promissionis summa fuit, vt diximus, Deum fore Deum illius, & seminis eius. Quod idem Hieremias etiam testatus est de nouo fœdere Euangelij: vbi ait, non tantùm scribendas esse leges in visceribus, & in cordibus credentium, sed etiam Deum futurum esse illis in Deum: & illos vicissim ei fore in populum. Illud etiam admittimus, quod vulgò dicitur sacramenta ex duabus rebus constare; signis externis, quæ scholastici habent pro materia, &

Variè afficiũtur fideles & infideles erga sacramenta.

Simile.

Quid Latini significarint uoce sacramenti.

Non agitur nũc in uniuersum de sacramentis, sed contracte.

Definitio sacramenti.

Quid sit signum

Distinctio signi.

Res significatæ per tria tempora distinguũtur

Definitio sacramenti ex hoc loco Pauli.

Quæ potissima sit promissio, quæ cõsignatur sacramento.

Sacramẽta constant duabus rebus.

re significata, quæ per verba maximè exprimitur symbolis adiuncta: vndè possumus elicere formam. Quod non sic est accipiendum, quasi ea quæ significantur, symbolis externis alligata sint, aut sub illis delitescant: alioquin quotquot elementa externa sumerent, res vnà significatas perciperent. Et necessariũ est, vt inter signum, & rem significatam aliqua cõseruetur analogia, hoc est, proportio, & conuenientia. Nã si signa nihil haberent simile cum illis, quæ ostenduntur, non viderẽtur iusta ratione esse illorum signa. Et tamen cum ista cõformitate retinenda est diuersitas inter id, quod significatur, & ea quę significãt. Quod Augustinus apertissimè docet aduersus Maximinum Arrianum, lib. 3. vbi ait, sacramenta aliud esse, & aliud significare. Vnde sępenumerò fit, vt ea, quæ de signis enuntiãtur, eorum naturæ minimè conueniant, sed tantùm referenda sint ad significata. Citat autem locum ex epistola Ioannis, vbi hoc demonstratur. Ait enim, tria esse, quæ testimonium perhibeant, sanguinem, aquam, & spiritum: & hæc, inquit, tria vnum sunt. Hoc nullo modo potest esse verum, si spectemus naturam sanguinis, aquæ, & spiritus. Non enim ista vnum sunt, vt loquũtur, essentia seu specie. Id autem conuenit Patri, Filio, & Spiritui sancto, quæ significantur. Quodcp hîc Augustinus demonstrat, id facilè in sacramentis, de quibus nunc agimus, videre licet: in quibus proprietates inter symbola, & rem sacramenti commutantur. Iam cùm satis dictum sit de nomine ac definitione, decp materia, & forma sacramentorũ, superest, vt de finali, & efficiente causa dicamus. Finis, propter quẽ instituta sunt sacramẽta, est, vt animus noster excitetur admonitus per sensus, & fide apprehendat promissiones Dei, atcp ita desiderio inflammetur ad eas persequẽdas. Videmus enim, signa non aliò spectare, quàm ut ea quæ in animis ipsi habemus, transferamus, atcp imprimamus in animo alterius: quò de nostro sensu & voluntate reddatur certior. Idcp fieri nõ solet, nisi in rebus grauioribus. Nam si leuiculæ fuerint, eas nõ solemus cõfirmare signis. Adhibentur autẽ fere in rebus magnis: vt cùm inaugurãtur principes, cùm ineuntur matrimonia, cùm emptiones, donationescp, aut alia pacta similia magni momẽti contrahũtur. Volumus enim ea esse testatissima, vt nõ modò ratione cognoscãtur, verùm etiã sensu. Efficiens verò causa sacramentorũ nulla cõstitui potest, nisi aut Deus, aut Dominus noster Iesus Christus: qui etiã verè est Deus: oportetcp, vt ex sacris literis de illis habeamus euidens testimonium. Quod ostenditur clarissimè ex definitione iam explicata. Sic enim definiuimus, sacramenta esse signa, non quidem naturalia, sed data, idcp ex voluntate Dei. Non potest autem hæc eius voluntas nobis esse conspicua, nisi ex sacris literis. Atcp ideò nõ est obscurum, quis illorum in Nouo testamento sit numerus. Baptismum & Eucharistiam videmus Christum instituisse: alia verò, quę à Theologis scholasticis recensentur ex verbo Dei sacramenta esse probari non potest. Non hæc dicimus, quasi negemus matrimonium esse colendum, aut ordinationes ministrorum retinendas, aut agendam pœnitentiam: quanuis auricularem confessionem, & alios eius abusus repudiemus, & sacramentum esse inficiemur, alioquin ista ipsi quoque prædicamus: verùm non vt sacramenta. Nec displicet, vt ea confirmatio habeatur, qua pueri adultiores cogerentur fidem suam in Ecclesia confiteri, & externa professione comprobare, quod in Baptismo illis non sentientibus factum est: ita tamen ne ex eiusmodi actione fabricemur sacramentum. De extrema verò vnctione manifestum est, eam nihil ad nos pertinere: præsertim quum non amplius vim vllam habuerit, quàm dum dona sanationum extarent in Ecclesia. Quæ quum iam olim sublata sit, ridiculum fuerit signum eius inane retinere. Neque verò Christus præcepit, vt id in Ecclesia perpetuò fieret. Illa verò altera quæ modò commemorauimus, etsi vtiliter retineri possunt, ideó tamen sacramenta propriè non sunt, vel quòd symbola externa non habeant: vel quòd illis verba aperta promissionum, quæ visibili signo consignentur, desint: vel quòd præceptum Dei nullum extet, quo ad hæc facienda obstringamur. Basilius in libro de Spiritu sancto, vbi commemorat Ecclesiæ traditiones, recenset signum crucis, quo nos ipsos munire oporteat: & adorationes in die Dominico, & à resurrectione vsque ad Pentecosten faciendas esse ab erectis, & stantibus. Inter alia numerat etiam sacram vnctionem. Ex his videmus, hunc patrem non statuere ex sacris literis haberi illam vnctionem, quod aduersarij nostri temerè faciunt. Deinde ex eius verbis colligimus, quanti ea momenti sit, quum numeretur in earum rerum censu, quæ res iam olim fieri desierunt. Nunc sacramentorum effecta videamus. Magister Sententiarum in quarto, distinctione prima, tria posuit effecta sacramentorum. Vult enim homines, quemadmodum voluptatis gratia subiecerunt se ipsos sensibilibus rebus, & se inferioribus, ita nunc idem faciant ex pietate, vt modestia quadam, vel, vt illi loquuntur, humilitate, se patiantur subdi his visibilibus sacramentorum signis.

Cõsideranda est analogia signi ad rem significatam.

Seruanda etiam est diuersitas inter signũ & rem significatam.

Sæpe de symbolis dicuntur, quæ illis cõuenire nõ possunt.

Locus ex epistola Ioannis.

Sacramentorum finis.

Rebus magni momenti adduntur signa.

Causa efficiens sacramenti est Deus.

Quot sint sacramenta noui testamenti.

Excluduntur adiuentitia sacramenta.

Quære præter baptismũ & eucharistiã reliqua nõ sint propriè sacramẽta.

Basilius unctionem inter traditiones collocat, neq; dicit è scripturis haberi.

Effecta sacramẽtorum.

Per sacramenta non subdimur creaturis.

In sacramẽtis erudimur de rebus diuinis.

Per sacramenta in nobis à spiritu sancto accenditur fides. Alia effecta.

Quæ pugnẽt cũ sacramentis. Sacramẽtis quã doq; tribuuntur quæ sunt rei significatæ.

Qui sint sacramentarij. Non sunt nuda signa.

Sacramentũ per se non est sacrificium.

Sacrifici nõ offerunt Christum Deo patri. Instrumentũ quo res sacramenti percipitur, est fides.

Verbi ui abluimur, non quia dicitur, sed quia creditur.

Beneficia Dei nõ cõferuntur ex prolatione uerborum.

Vt Christus instituit sacramẽta, sunt administrãda.

Verùm id non videtur rectè statui. Non enim per sacramenta subdimur creaturis. Neq; ea à nobis adorari debent. Tantum ibi animus erigitur ad Deum, vt homo restituatur pristinę dignitati. Is enim omnibus præest rebus, quæ videntur, non autem illis subditur. Alterum effectum statuit eruditionis, vt per symbola externa, de rebus diuinis erudiamur. Quod contra controuersiam nos quoq; affirmamus. Postremò, ait ea idcirco fuisse instituta, ne simus otiosi, sed vtiliter exerceamur in veris ceremonijs, abiectis superstitionibus. Atqui hoc nisi declaretur, non est apertum. Nam satis est occupationis in credendo, orando, tractando verbo Dei, & benefaciendo, proximis. Externæ autem ceremoniæ, quanuis à Deo institutæ, sine fide nihil prosunt. Quare illarum exercitium per se Deo nõ placet. Attamen, si fides adsit, superstitiones locum habere non possunt, quandoquidem illa perpetuò ad verbum Dei respicit. Vnde hoc pacto exercitia fidei & pietatis dici possunt, ac Deo esse grata. Cæterùm nos melius ponemus sacramentorum hæc effecta. Primum, vt nos erudiant, quod iam dictum est: alterum, vt accendant in nobis fidem, & desiderium promissionum Dei: tertium, vt arctiore charitate inter nos vinciamur, cùm simus ijsdem mysterijs initiati. Huc etiam accedũt alia duo. Nam sacramentis & discernimur ab alijs sectis, & de vitæ sanctitate admonemur. De gratia verò, an ea conferatur per sacramenta, pòst videbimus. His ita constitutis, duo contraria se offerunt, quæ cum natura sacramentorum pugnant. Primum est, si illis nimium tribuatur. Sic enim idololatria facilè inducitur: cùm quod Dei solius est, ascribitur creaturæ. Quod si quando sacramenta dicuntur, aut seruare, aut peccata remittere, aut huiusmodi quippiam, id de re significata intelligi debet, non de symbolis. Hæc enim tantùm à Dei promissione, & liberalitate proueniunt, quę nobis signis visibilibus obsignantur. Et sæpe fit, vt & scripturę, & patres, id, quod tantùm ad promissiones pertinet, pronuntiare videantur de symbolis. Iam verò, qui ad hunc modum plus æquo tribuunt sacramentis, dici possunt Sacramentarij: quòd illis nimium sint affixi. Alterum est, quod diximus naturæ sacramentorum aduersari, si illa nuda signa esse statuantur, & vacua. Sic enim nihil different à Tragicis Comicisq; significationibus, & coloribus, & vestibus. Neq; tantùm signa sunt nostrarum actionum, sed etiam promissionis, & voluntatis Dei, eiusq; obsignationes. Et spiritus sanctus non minus istis vtitur ad animos nostros excitandos, quàm diuinis verbis sacrarum literarum. Atq; hinc hoc etiam videre possumus, illos quoque aduersari sacramentis, qui ea volunt esse sacrificia. Natura enim sacrificij est, vt à nobis offeratur Deo: sacramenti autem natura est, vt nobis offeratur à Deo. Fateor equidem in actione cœnę Dominicæ concludi gratiarum actiones, eleemosynas, preces, & alia id genus: quæ rationem sacrificij habere possunt. Ipsum autem Eucharistiæ sacramentum, negamus propriè vocari posse sacrificium. Multò verò minus ferendum est, quod Sacrifici iactant, se corpus Christi offerre Deo. Dominus noster seipsum obtulit, nec opus habet alijs offerentibus. His omnibus bene animaduersis, non est opus multis explicare instrumentum, quo res sacramenti percipitur. Nam id Paulus apertissimè docuit, cùm diceret, Circũcisionem esse signaculum iustitiæ fidei. Fides enim est, qua iustitia, quæ significatur in sacramento, à nobis percipitur. Neq; eñ eò pertingit vel sensus noster, vel ratio. Et Augustinus exponẽs illa verba Ioãnis, Iam vos mundi estis propter sermonem meum, ait, quòd sacramenta nos mundãt, id ea habere ex verbo Dei. Nam si detrahas, inquit, verbum ab elemento, nihil supererit, nisi aqua. Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum. Nam quid est, inquid, quòd aqua corpus attingit, & cor abluit? Respondet id fieri vi, & potentia verbi, non quia dicitur, sed quia creditur. Ex his apparet, fidem esse, qua ablutionem, & sanctificationem apprehendimus. Quod etiam scribitur in Actis Apostolicis: Fide purificans corda illorum. Et Paulus ad Ephesios ait, Christum dilexisse Ecclesiam, eamq; mundasse lauacro aquæ. Sed additur, In verbo, hoc est per verbum: quod, ut Augustinus ait, intelligendum est fieri, quia creditur: non autem, quia dicitur. Non enim ex prolatione verborum vel naturæ mutantur, vel Dei beneficia conferuntur. Nam sic videri posset incantatio. Fides, inquam, instrumentum est, quo Dei verba recipimus, & in animos dimittimus. Iam verò modus administrandorum sacramentorum non alius introduci debet ab eo, quem Christus ipse autor sacramẽtorum nobis commendauit. Nam si ceremonias veteris legis Iudæi non aliter tractare ausi sunt, quàm illis erant à Deo præscriptę, multò magis nos oportet ea, quæ nobis Christus præscripsit, eo modo, quo præscripta sunt, obseruare. Adhæc, cùm ista signa à voluntate Dei profecta sint, sua autem natura non significent, quid æquius est, quàm ad eius voluntatem, qui ea dedit, omnia referre? Voluntas autem eius non aliunde, quàm ex sacris literis, cognosci potest. Et certe nemo audet obsignationes regiarum promissionum immutare. Multo magis

gis id cauendum erat in sacramentis Dei. Minister verò, à quo hæc tractanda, & distribuenda sunt, etsi conuenit, vt sit pius, & vitæ probatæ (Talis enim est diligendus, quumq; aliter se gerit, ac deprehenditur, ferri amplius non debet) tamen quanuis sit malus, quoad functionem eam retinet, sacramenta vitiare non potest, modò ea faciat, quæ Christus fieri iussit. Habet Augustinus pulcherrimũ simile, de lapideo canali, per quem aqua defertur in hortum. Etsi enim illo aquę fluxu canalis nihilo sit fœcundior, hortus tamen per eum irrigatur, & fructificat. Dignitas sacramentorum non pendet à ministro, sed ab institutione Dei. Quod Donatistæ non intelligẽtes, multùm tumultuati sunt aduersus Ecclesiã. Verum est, quod solent dicere in animantib. per membrũ aridum spiritũ vitæ non posse ad aliud membrum transmitti. Extincto enim & arefacto brachio, vita, & spiritus non potest ad manum peruenire. Verùm in Ecclesia non est inter homines tanta cõiunctio. Nec aliter se habet vis sacramentorũ erga nos, quàm lux Solis: quæ tametsi per loca fœculenta & sordida spargatur, non tamen ea causa contaminatur, aut inficitur. Tempora autem sacramentorum distribuemus in duas partes. Alia enim erant ante, alia post aduentum Christi. Atque hæc ab illis distinguuntur, quod attinet ad notas externas & symbola. Neque id temere, aut sine magna ratione factum est. Nos enim ipsi, vt ait Augustinus, aliter significamus facienda, aliter pronuntiamus facta: quòd duæ istæ voces iam prolatæ satis indicant. Sed hîc nobis cauendi sunt errores, quod idem pater aduersus Faustum, pulchrè monet. Primùm, ne signis mutatis, res ipsas putemus esse diuersas: aut, quum eadem sit res, signa non debuisse, nec posse mutari. Nam si paterfamilias potest duriora imperare illis seruis, quibus videt expedire, vt grauiore seruitute premantur: illis autem faciliora imponere, quos habere velit loco filiorum, cur idem Deo non liceat erga homines? Medici etiam solent pro varia ægro tantium affectione, varia & multiplicia pharmaca exhibere: quorum tamen omnium eadem sit vis, nimirum vt restituant sanitatem. Vtrum autem symbola Veteris Testamenti prorsus iam cesserint, nec ne, Augustinus respondet in libro de Vera Religione: manere quidem ea interpretatione ac fide: re verò ipsa esse remota. Sed quod attinet ad res ipsas, eædem erant apud Veteres, quæ nobis nunc in nostris sacramentis proponuntur. Et si quæras, quænam illæ res sint patribus nobisque communes, paucis respondemus, Deum, Christum, Reconciliationem, Gratiam, Remissionem peccatorum, & alia id genus. Hæc olim significabantur, & ad credendum proponebantur in sacramentis Veterum: eadem ipsa hodie in Nouo testamento significantur, & proponuntur in nostris. Signa verò, & symbola, quibus patres vtebantur, mutata sunt per aduentum Christi: cuius etiam secundo aduentu, ea quoque, quæ nos nunc habemus, auferentur. Nam quum summa illa felicitate, quam expectamus, perfruemur, nihil opus erit sacramentis. Adhæc præter mutationem signorum, colliguntur ex Augustino nonnullæ etiam aliæ conditiones: per quas nostra sacramenta monstrantur esse potiora, quàm fuerunt sacramenta Veterum. Nostra enim, inquit, sunt virtute maiora, vtilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora, intellectu augustissima, obseruatu castissima, & significatione præstantissima. Hæc quidem magna sunt, non tamen mutant rerum significatarum naturam: Nec efficiunt, quo minus Sacramenta nostra & veterum, quod ad substantiam attinet, sint eadem. Paulus in epistola ad Romanos ait, Iudæos tanquam inutiles ramos esse resectos ab arbore sancta, & nos eorum loco esse insertos. Et radix, inquit, portat te, non tu radicem. Vnde constat, & nos, & patres, quod attinet ad substantiam salutis esse in eodem trunco, & in eadem radice. Quare melior & potior pars sacramentorũ est eadem. Et quicquid est discriminis inter nos & illos, id totum situ est in aduentu Christi præterito, & futuro. Idcirco Augustinus ait contra Faustum, nostra sacramenta esse signa rerum completarũ, veterũ verò fuisse rerum complendarum. Et super Ioan. cap. 6. Signis, ait, ea fuisse diuersa à nostris, rerum significatione paria. Scio equidẽ, & memini, patres interdũ solere sacramenta Veterum supra modum extenuare. Chrysostomus hom. 27. in Genesin negat, Circuncisionẽ ad salutem quicquã fecisse: sed Israelitas illam, vt gratitudinis indicium, & quasi signum, & sigillum circuntulisse, ne permixtione cum cæteris gentibus cõtaminarentur. Idem homel. 39. eam ait fuisse frenum, & compedes Iudæorum, ne cæteris gentibus admiscerentur. Deumq; asserit, eam Abrahamo, & eius posteritati imperasse, vt externo signo monstraret, se illum possidere. Eamq; ob causam nomen illius immutauit. Sic enim etiam nos agimus, quando in possessionem nostram, aut iumentũ, aut seruum, recipimus. Illis enim nomẽ imponimus, & signum nostrum inurimus. Et in eundem librum hom. 40. ait, Iudæos per Circuncisionem fuisse cognobiles. Huc addere possumus Ambrosium exponentem locum hunc ipsum, quem habemus

Ministri malitia non uitiat sacramenta.

Simile.

Soluitur argumentum oppositum.

Sacramentorũ alia præcesserũt alia sequũtur aduentũ Christi.

Sacramenta uetera & noua cõgruè distinguũtur symbolis.

Duo errores in sacramentis uitandi.

Aliud simile.

Quomodo symbola ueterũ sint remota, & maneant.

Quæ sint res sacramenti.

Secundo aduentu Christi auferentur symbola nostra.

Nostra sacramẽta potiora sacramentis ueterũ.

Rerũ significatarũ natura est eadem.

Nos cum Iudæis ueteribus cundẽ habemus truncum, & eandem radicem.

Temporis diuersitas ea distinguit.

Patres extenuãt sacramenta ueterum.

præmanibus. Indicat enim, Circuncisionem posteros Abrahami tantummodò discreuisse à cæteris nationibus. Veruntamen non vbiq; loquuntur eodem modo. Idem enim Ambrosius, cùm interpretatur locum illum ex 10. capite Prioris ad Corint. Veteres fuisse baptizatos in mari, ait, peccata illis non fuisse imputata, eósque planè fuisse purificatos. Hæc multò potiora sunt, quàm separatio aut discretio ab alijs gentibus. Et Augustinus contra Faustum libro duodecimo, capite vicesimo nono, expresè ait, mare, & nubem fuisse Baptismum Christi sanguine consecratum, & per ea Iudæorum remissa fuisse peccata: quæ omnia nostris sacramentis sunt cõmunia. Deinde sentiunt omnes Theologi scholastici, in Circuncisione subuentũ fuisse originali peccato. Ex quo intelligi potest, eos non sensisse Circuncisionem fuisse vacuum, & inane signum. Possunt etiam huc adduci loca scripturę, quæ idem docẽt. Nam in 10. cap. prioris epistolæ ad Corinth. veteres dicũtur fuisse baptizati, & manducasse eundem cibum spiritualem, & potum eundem bibisse, quem nos hodie manducamus, & bibimus. Et vicissim in secundo capite ad Coloss. nos, ait, esse circuncisos circuncisione non manufacta: & additur, Per ablationem peccatorum carnis: vbi ostenditur signo Circuncisionis, ablationem peccatorum fuisse donatam per Christũ. Et in lib. Genes. cap. 17. apertissimè demõstratur, Circuncisionem signũ fuisse fœderis, quo Deus pollicitus est, se fore Deũ tum Abrahami, tum seminis eius. Verùm aduersus ea quę dicta sunt, obijcitur nobis de cap. 10. prioris ad Corinth. Paulum ibi non asserere, sacramẽta veterum eadem fuisse cum sacramentis nostris: sed illum hoc tantùm scribere, veteres habuisse eadem sacramenta inter sese, & tamen multos ex eis malè periisse, & prostratos fuisse in deserto: quãuis cum alijs pijs hominibus in sacramentis communicassent. Vnde aiunt, Paulum à minori, aut à simili concludere voluisse, nos quoque si malè vixerimus, perituros esse, quanuis Christo initiati simus, & ijsdem sacramentis vtamur cum electis Dei. Sed huic expositioni diserti simè Apostoli ipsius verba reclamant. Ait enim, veteres in suis sacramentis habuisse eandem escam nobiscum, hoc est, Christum. Sic enim scribit: Bibebant autem de spirituali consequente eos petra: petra autem erat Christus. Iam verò, si Christum habuerunt, certè non destituebantur esca nostrorum sacramentorum: quæ alia dici non potest, quàm Christus. Deinde videmus, Apostolum expresè posuisse nomina nostrorum sacramentorum. Nam Baptismum nominat, & cibum, & potum spiritualem. Præterea si sequamur aduersariorum nostrorum expositionem, infirmabimus Pauli argumentum. Voluit enim castigare securitatem Corinthiorum, qui videbantur sibi polliceri salutem, ob eam solam causam, quòd Christiani essent, & sacrorum mysteriorum participes, quanuis interim laxè, ac dissolutè viuerent. Quare ostendit, Deum seuerè animaduersurum esse in eos, nisi resipuerint, quemadmodum legitur animaduertisse in patres veteris Testamenti, quum illos varijs modis affligeret in deserto. Quòd nisi eadem sint sacramenta illorum, & nostra, Paulus nihil concludit. Corinthij enim potuissent respondere: Imò Testamentum nostrum longè aliud est, quàm fuit veterum patrum: & sacramenta nostra longè sunt illorum sacramentis potiora. Quare Deus non affliget nos: nec te oportuit nos conferre cum illis. Ita Pauli argumentum eluditur, si tollimus similitudinem, & proportionem rerum nostrarum cum rebus veterum. Ad hæc Augustinus quoque tractatu vigesimo sexto in Ioannem clarissimè docet, veteres quod ad rem spiritualem attinet, idem habuisse in sacramentis suis, quod nos habemus. Specie quidem, inquit, aliud illis datum fuit, aliud nunc datur nobis: sed penes rem significatam nullum prorsus agnoscit discrimen. Quare locus Apostoli, quem nobis suis expositionibus aduersarij nostri conati sunt extorquere, his rationibus est asserendus. Obijciunt præterea, patres passim dicere, sacramenta veterum fuisse vmbras & imagines eius veritatis, quæ in nostris sacramentis exhibetur. His respondemus, imagines posse bifariam intelligi. Aliæ enim prorsus inanes & vacuæ sunt, & nihil rei continent: aliæ rem quidem ipsam habent, sed inuolutè & obscurè, si cum alijs imaginibus apertioribus conferantur. Atque hoc secundo modo facilè dabimus, sacramenta veterum imagines, atq; vmbras fuisse nostrorũ: non quòd res ipsas, quas nos in nostris sacramentis percipimus, veteres in suis non habuerint, sed quòd eas illorum sacramenta implicatius, atque obscurius adumbrarint. Ad hoc explicandum appositum videtur illud simile, quod à Chrysostomo inducitur, in Homelia, quam habuit in illa verba Pauli: Patres nostri in Mosen baptizati sunt: & in Homelia decima septima super epistolam ad Hebræos. Pictores, inquit, quando instituunt Regem pingere, primùm tabulam delineant vmbris, & coloribus obscuris: ita tamen, ut illa quanuis obscura delineatione facilè intelligas regem pingi, & equites, & currus, & alia id genus: quæ tamen non statim ab omnibus

Patres nõ loquũtur eodem modo ista de re.

Verũ baptismũ ueteribus cõcedit August.

Theologi scholastici.

Circuncisio non fuit uacuum signum.

An ueterum sacramenta & nostra sint eadem.

Veteres manducarunt & biberunt Christum, ergo eodem cibo nobiscum fruebantur.

August. eadem patrũ & nostra dicit esse sacramenta.

Imagines duplicis ordinis.

nibus cognoscuntur. Postea verò cùm pictor floridos colores induxerit, & opus absoluerit, quæ antea primis illis lineis vix inchoata, & rudia cernebantur, iam clara & expressa cognoscuntur. Huius modi, ait, fuisse veterum sacramenta, si conferantur cum nostris. Ex his verbis apparet, sensisse Chrysostomũ, rem eandẽ in nostris, & in veterũ sacramentis repræsentari: licet in illis obscurius, in nostris apertius. Quanta autem coniunctio sit inter vtrunque hoc genus sacramentorum, ex eo videtur Paulus docuisse, quòd illorum nomina permutat, eáque illis facit communia. Nam in decimo capite prioris ad Corinthios, asserit, veteres fuisse baptizatos, & habuisse eandem escam spiritualem, & spiritualem eundem potum, quem nos habemus. Et ex altera parte ad Colossenses, nostrum Baptismum appellat Circumcisionem. Ait enim, nos in Christo esse circumcisos, sed circumcisione non manu facta in expoliatione corporis peccatorum carnis. Quo loco Circumcisioni asscribit expoliationem peccatorum. Sed arbitrantur aduersum nos facere id, quod habetur ad Hebræos capite octauo, Per hoc, quod dicit, Nouum, antiquauit id, quod erat prius. Quod autem antiquatur, & senescit, propè est, vt euanescat. Ex his concludere volunt, vetus testamentum prorsus esse antiquatum. Quod fieri non posset, inquiunt, si eius essentia eadem fuerit cum essentia Noui. Sed istos considerasse oportuit, nequaquam abolitam esse substantiam Veteris testamenti. Ceremoniæ quidem abrogatæ sunt, quod attinet ad notas externas: significatio tamen illarum manet eadem, quæ fuit. Iudicialia quoque præcepta, etsi non omnia hodie sint in vsu, summa tamen illorum, & scopus præcipuus adhuc retinetur, nimirum vt peccata puniantur, & iustitia in Rebuspublicis conseruetur. Moralium autem præceptorum sensus, & obseruatio integra retinetur: Licet ea non amplius aut accusent, aut damnent conscientiam ad pernitiem electorum. Ataiunt, Augustinum quoq; oppugnare nostram sententiam. Nam in Præfat. in psal. 73. sic scribit: Veterum sacramenta promisisse seruatorẽ, nostra verò salutem exhibere. Verùm his verbis Augustinus tantũ distinguere voluit modum, quo veterum sacramenta aliter significabant Christum, aliter nostra. Nam illa ita repræsentabant Christũ, vt aliquando venturũ: nostra eum ita repræsentant, vt qui iamvenerit. Nam quomodo potuisset Augustinus existimare, veterum sacramenta nullo modo dedisse Seruatorem, cùm ipse apertissimè testetur, patres in manna habuisse eundem Christum, quem nunc nos habemus in Eucharistia. Et idem in libro de Nuptijs & Concupiscentia ad Valeriũ, & alibi non semel fatetur, Veteres per Circumcisionem liberatos fuisse à peccato originis. Idem Beda quoque statuit in Lucam, aitque omnino Circumcisionem non alienam fuisse à Baptismo, quantum quidem ad peccati remissionem attinet, nisi quòd ianuas regni cælorum non aperiebat. Nam ad id præstandum Christi mors expectabat. Hac de re non equidem multùm cõtendam, modò hoc concedatur, patres illos defunctos, quocunque loco fuerint, felices Dei præsentia & conspectu fuisse. Omnino enim Deo fruebantur: neque putandum est, illos eo, in quem crediderant, destitui potuisse. Supra cælum autem eos fuisse euectos, antequam Christus ascendisset, scio patres id negare, nec ego contra eos quicquam contendo. Sed redeamus ad id, quod ab istis patribus nobis vltro datur, videlicet Circumcisionẽ sustulisse peccatũ originis. Quomodo ergo possunt dicere, Christum per circumcisionẽ prorsus non fuisse datum? Nam quæ potuit esse remissio peccati sine Christo? Ineptè admodùm sensit Magister Sent. Circumcisionẽ habuisse vim remittendi peccata, non autem cõferendi gratiam: quasi verò remissio peccatorũ obtineri possit sine gratia. Cõminiscuntur etiam, Euangelica sacramenta vim suam habuisse à morte Christi: quæ quum iam præstita sit, esse ea efficaciora, & potentiora quàm sacramẽta veteris populi: vt quorum tempore mortis Christi pretium nondum erat persolutum. Sed hæc illorum sententia, qua vim meritumq; passionis Christi statuunt fuisse temporarium, non potest non esse absurda. Quid enim nunc plus valet ad seruandum mors Christi, quum iam præterierit, quàm antiquitus, quum expectabatur futura? Porrò fide vtrobique opus est, qua certè non minus futura, quàm præterita comprehendimus. Quòd si dicere volumus, Deum spectare sacrificium filij sui oblatum in cruce, id haud dubiè ratum acceptissimumq; habuit ab omni æternitate, etiam ante iacta fundamenta mundi. De Christo quoque scribitur in Apocalypsi, Agnum ab origine mundi fuisse occisum. Quódque dicunt, Circumcisionem habuisse vim auferendi peccatum originis, vnde quæso ea tantam vim habuit, nisi à morte Christi? Certè adeò conuenit nostro Baptismo cum Circumcisione, vt Augustinus contra literas Petiliani libro secundo, capite 72. & alibi, probet sacramentum Baptismi non esse repetendum, quòd Circumcisio antiquitus nõ fuerit repetita, si quis eam accepisset á Samaritanis, & postea ad sinceram re-

Nomina sacramentorũ ueterũ & nouorũ inter se permutãtur.

An uetus testamentum prorsus antiquatũ sit.

Error Magistri sententiarum.

Mors Christi fuit efficax, etiam priusquã persolueretur.

ligionem Hierosolymitarum se contulisset. At inter cætera id quoq; videtur, non parùm

Quomodo sacramenta ueterum infirma & egena elementa mũdi.

mouisse aduersarios nostros, quòd legitur ad Galatas de veteribus ceremonijs, fuisse ea infirma, & egena elementa mundi. Verùm hæc verba Pauli intelligenda sunt de sacramentis illis antiquis iam per Christum abrogatis. Aut, si id nõ placet, intellige Paulum ita loqui de sacramentis veterum, vt eo tempore accipi ea videbat à Iudæis, videlicet sine Christo, aut promissione eius. Sed prior responsio & verior est, & planior pro eo loco. Quòd si quis rogauerit, quî factum sit, vt veterum plura sacramenta fuerint, quàm nostra, facilè potest huic

Cur in lege plura sacramẽta fuerint quàm in Euangelio.

quæstioni satisfieri, Ecclesiam tunc sub initijs fuisse, neq; eam de Christo tam multa nouisse, quàm multa patefacta sunt nobis, postquam iam in mundum venit, & sacrificium diu expectatum absoluit. Quare conueniebat, vt Deus rem eandem & vnam tum temporis pluribus ceremonijs & imaginibus adumbraret: nunc autem illa operosa pædagogia non est opus. Etenim sacramentorum notæ idcirco datæ sunt, vt antea diximus, vt promissiones Dei confirmarent: non quasi promissiones illæ non sint per se ipsas satis firmæ, sed vt animi nostri alioquí increduli, ac nutantes sensibilibus notis corroborentur. Chrysostomus in Homelia 60. ad populum Antiochenum, Si nostra, inquit, natura prorsus esset spiritualis, & absque corpore, spiritualia nobis tradita fuissent absque symbolis corporalibus. Ex his apparet, quàm illi absurdè faciant, qui visibiles notas sacramentorum videndas prostituant omnibus: promissionem verò, quæ illis notis confirmanda fuit, & animis nostris hærere debuit, & peregrina lingua pronuntiãt, & clam, ne ab alijs audiatur, submurmurãt. Sacramẽta verò legis, quæ numero tam multa erãt, obsignationes fuisse promissionũ Dei, potest exinductione cognosci. Tabernaculum & arca Domini obsignabãt promissionẽ habitationis Dei in illo populo, quodq; in medio eorũ esse vellet. Sacerdotalis cõsecratio, & vestiũ ornamenta Christũ adumbrabãt vnicum sacerdotẽ, eumq; perpetuũ & æternum, quemadmodũ autor epistolæ ad Hebræos probat. Atq; huius ipsius promissionis Dauid apertè meminit, cùm sub persona Christi dicit, Tu es sacerdos in æternũ secundum ordinem Melchisedech. Sacrificia quoq; prædicabant oblationem Christi in cruce. Sed hîc dixerit fortasse quispiã, ergo sacrificia fuerũt sacramenta. Quomodo ergo dicimus, multũ interesse inter naturã sacramẽti, & naturã sacrificij? Id equidẽ antè diximus, & nunc iterũ constãter affirmamus. Verùm hoc nõ efficit, quin vtraq; ratio possit quãdoq; in rem eandẽ cõuenire. Ratio sacramẽti, & sacrificij positũ in rem eandẽ cõcurrere. Duo em̃ spectãda erãt in sacrificijs: primum, vt Deo aliquid offerretur: & in eo sita erat omnis vis sacrificiorũ: alterũ, vt victima quę macta-

Quàm errẽt qui uerba consecrationis mutãt. Explicatio quorundam sacramentorum ueterum.

Duo spectabantur in sacrificijs.

batur, & cremebatur, Christum pro nobis occidẽdum referret, per quẽ Deum placatũ atq; propitium haberemus. Atq; hoc pacto sacramentũ ibi fuisse non ambigimus. Quemadmodum autem hęc omnia certas promissiones consignarint, declarari facilè possit ex singulis: vt, de obseruatione sabbati, de circuncisione, de delectu ciborum, de lauacris, & aspersionibus aquę lustralis, de voto Nazarẽorũ, de ceremonia zelotyporum, & de purgatione puerperæ à partu, de omnibus deniq; hoc genus mysterijs. Sed, vt essemus breuiores, satis esse putauimus, pauca ea, quæ dicta iam sunt, explicasse. Verùm scrupulus vnus adhuc restat,

An populus antiquus intellexerit promissiones, quæ ceremonijs obsignabantur.

Num populus Iudæorum, cùm haberet sensibiles illas notas ceremoniarum, promissiones quoque Dei intellexerit, quæ per eas obsignabantur. Agit hac de re multis Augustinus in quarto libro contra Faustum, & in tertio de doctrina Christiana: aitq;, patriarchas, & prophetas, insignioresq; viros in veteri Testamento, magno spiritu illustratos probè cognouisse ceremoniarum & sacramentorum significata: ita vt signa pro rebus non acciperent, quam ait esse miserrimam seruitutem: plebem verò, & inferioris notæ homines putat hisce signis tanquam rebus ipsis vsus esse, cùm hoc tantùm intelligerent, vnum esse Deum, quem hoc genere cultus & seruitutis reuereri deberent. Nam si qui fuissent, qui, cùm agnoscerẽt illa signa esse aliarum rerum, tamẽ ea voluissent pro suo arbitratu interpretari, fuisset ille error malè vagantis animi. Ex hac doctrina Augustini triplex ordo constitui potest eorũ hominum, qui signis vtantur. Quidam enim sunt, qui verè intelligunt, quid significetur, ideoq;

Triplex genus eorũ, qui signis utuntur.

nõ in signis herent, sed ad res signatas oculos conuertunt: Alij verò signis vtuntur: sed quo ea referenda sint, non intelligunt: atq; hoc Augustinus putat ad seruitutẽ pertinere: Postremò sunt alij, qui signa ea esse, quibus vtuntur, non ignorãt: sed ea tamen peruersè, proq; sua libidine interpretantur. Hic error est, isq; nõ parùm noxius. De primo tertioq; ordine mihi cum Augustino conuenit. In secundo autem, quod ad populũ plebemq; Iudaicam attinet, non vsq; adeò illi assentior, vt facilè admitam, nihil aliud à vulgo Hebræorum fuisse cognitum de sacramentis, & ceremonijs legis, nisi quòd illis vnus verusq; Deus colendus esset. Docebantur em̃ petpetuò à scribis & sacerdotib. & prophetarũ oracula subinde audiebãt.

Vnde

Vnde facilè colligere poterant saltem generalem sacramẽtorum suorum significationem, cùm de Christo, tum etiam de alijs rebus ad vitæ puritatem, morumq; sanctitatem pertinẽtibus. Doctrina de expectatione Messiæ ita inter eos vulgata fuit, vt ea, quantùm arbitror, latuerit neminem. Philippus, vt habetur in Euangelio Ioannis, ita ait Nathanaeli: Inuenimus Messiam, de quo Moses, & prophetæ scripserunt. Et vulgus ludeorũ ad miracula Christi obstupescẽs, ait, Scimus, quòd veniet Messias, atque hæc omnia nos docebit. Huc etiam facit, quòd prophetæ perpetuò docuerint, Ceremonias exterius tantùm, & sine fide agitatas, Deo fuisse ingratissimas. Et fides ea, quã ad ritus externos adhiberi oportuit, nisi Christum, etsi non plenè, tamen aliquo modo, saltem generaliter respexerit, cuius momenti esse potuisset. Cumq; prophetæ tam diligẽtes fuerint in obtrudendis, & passim inculcandis significationibus ceremoniarum, putamus, eos nihil de Christo docuisse? Dauid satis apertè cecinit de sacrificijs, Deum illis non oblectari. At sacrificium, inquit, Deo est spiritus cõtribulatus, & cor cõtritum, & humiliatum. De Lauacris & Baptismatis Esaias eos instituit, Lauamini, inquiens, & mundi estote. Hieremias quoque, Laua, inquit, ab iniquitate cor tuum. Et Ezechiel illis aquis designari ostendit vim spiritus sancti, cùm Deum inducit promittentem, se aquam mundam effusurum super eos. De Circuncisione etiam persæpe moniti sunt in sacra scriptura, vt ceruices, & corda sua circunciderent. Néue putarent, se id per se ipsos, suisq; viribus præstare posse, Moses in cap. 30. Deuteron. ait, Deus circuncidet cor tuum, vt eum diligas. De purificationibus, & lotione vestimentorum, & alijs id genus, ita moniti sunt in Leuitico cap. 11. Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti. Sancti mihi eritis, quoniam ego sanctus sum. De Sabbato quoque non semel audierunt, ibi requiem Dei, & ipsorum sanctificationem fuisse denotatam. Quòd si omnia hæc tam luculenter fuerint demonstrata, quæ bona & illis vtilia fuisse, ambigi non potest, & illi ignorare non potuerunt, per Christum, siue Messiam, quicquid esset boni obtinendum esse, persuaderi mihi non potest, illos in sacramentis suis Messiam significare non vidisse. Accedit huc alia etiam ratio. Esaias manifestissimè testatus est, Deum in Christo posuisse delicta omnium nostrũm, nosq́ue eius liuore ac morte fuisse sanatos. Quare, quum in sacramentis mentio fiat, Deum per sacrificia nobis reddi propitium, non potuit illis in mentem non venire de vno mediatore Christo, per quem solum Deus nobis placatus redditur. Non tamen asserendum est, rudiores Israelitas mysteria singulatim omnia nouisse. Tantùm id contendimus, eos generalem quandam notitiam habuisse de Christo in sacramentis legis, cùm alioqui nos ipsi non possimus, de illis ceremonijs rationem singillatim reddere. Apostoli eas nobis tantùm generaliter tradiderunt illustratas. Et si qui ex nostris, vt Origenes, & alij complures eius similes tentauerunt singulis quibusq; ceremonijs allegorias proprias attexere, operam propemodum perdiderunt. Nihil enim operæpretij ex suis inuẽtis ad nos transmittere potuerunt. Nam planissimè destituuntur verbo Dei. Nec mirum est, illis talia commenta non displicuisse. Nam vt vbique nostris inuentis mirificè fauemus, ita ibi humanæ curiositati mirum in modum applausum est. Iam ea, quæ diximus, planè ostendunt, quàm procul sophistæ à scopo aberrarint, qui inter sacramenta Vetera, & Noua hoc constituerunt esse discriminis, quòd vetera gratiam & Christum solum significarint, nostra verò vtrunque largiter, & copiosè præstent. Nam veteres, inquiunt, ex opere operantis iuuabantur. Quum enim quis fide, pioque motu cordis atque animi accederet ad ea sacra, habebat ex eo meritum. At opus, vt loquuntur, operatum nihil ibi, quod attinet ad salutem proderat. In nostris autem secus esse volunt: vt non tantùm fides, & spiritualis animi motus, quod Opus operantis vocant, nos iuuet, sed etiam ipsum sacramentum externum, Deique institutum, quod appellant Opus operatum, & remissionem peccatorum, & salutem nobis conferat. Sed ex istis percontabimur, quidnam illud sit, quod opus externum, & sacramentum vsibile nobis præstet, quod nos per fidem non consequamur? Si respondebunt esse Christum, illum fide comprehendimus: si remissionem peccatorum, illam quoque fide assequimur: si reconciliationem, per quam cum Deo in gratiam redimus, illam non obtinemus nisi per fidem: si denique gratiæ ac spiritus augmentum, ne ista quidem alia vlla ratione adipiscimur, nisi fide. Quid ergo supereſt, quod istud opus operatum adferat? Vox ea peregrina est, nec auditur vsquam in sacris literis. Nec ego hoc tempore ea vterer nisi pugnaretur in aduersarios. At fortasse dicent, Cùm præter fidem opus etiam externum accedit, nihilne illi tribuendũ putas? Equidẽ multùm tribuo, quando ex fide proficiscitur. Scio enim huiusmodi opus Deo placere, eumq; multa consueuisse rependere bonis operibus. Sed quidhoc ad præsens negotium? Nonne & veteres ad fidem suam ad-

Doctrina de expectatione Messiæ uulgata erat

Prophetæ docuerunt significationes ceremoniarũ quàm diligentissimè.

Intellexit populus Hebræus Messiã in sacramentis illorũ tẽporũ significari

Populus generaliter non singillatim nouit rationes omnũ ceremoniarum.

Allegorijs nõ indulgendum.

Error scholasticorum.

De opere operato, & opere operante.

Opus operatum uox peregrina.

iungebant etiam illa opera, quibus sacramenta suæ legis agitabant, & percipiebant? Quare, quod attinet ad hanc partẽ, totidem ibi extitisse videmus, quæ Deo placuerint, quot habemus in nostris. Nisi fortè contendere velint, agitationem perceptionémque nostrorum sacramentorum aut melius, aut nobilius opus esse, quàm fuerit veterum. Quod ego illis non facilè dederim: præsertim quum operis perfectio ex fide spectanda sit, & charitate, vnde proficiscitur. Idcirco si Abrahamus & Dauid plus fidei habuerunt, quum sacramenta sua perciperent, quàm infirmus aliquis Christianus, quum baptizatur, aut cõmunicat, quis non iudicet illorum opus magis eximium atque illustrius esse, quàm istorum? Atque etiam loquutionem illam, qua isti frequenter vtuntur, Sacramenta remittere peccata, aut conferre gratiam, non facilè admittimus: nisi fortè in eam sententiam, qua Paulus prædicat, Euangelium esse vim Dei ad salutem: vtque lectio sacrarum literarum ad Timotheum dicitur, seruare. Quod sanè nihil aliud est, quàm vim, & potentiam Dei, qua peccata remittit, gratiam largitur, & denique seruat, his instrumentis & mediis vti ad salutem nostram. Ad quod efficiendum, quemadmodum vtitur verbo Euangelij, & prædicatione sacrarum literarum, ita etiam adhibet sacramenta. Per vtraque enim prædicatur nobis liberalis Dei promissio. Quam si fide complectimur, & salutem, & remissionem peccatorum obtinemus. Hic est iustus sensus, ad quem etiam exigendi sunt patres, quum dicunt, gratiam esse virtutem sacramentorum. Quod perinde est, ac si dixissent, Intelligentia & sensus, est virtus sermonis atque verborum. Quámque parum commodè Scholastici de obice suo loquantur, ex eo patet, quòd eum dicunt non ponere obicem, qui licet actum vel diligendi, vel credendi non habeat, attamen contrarium, siue oppositum gratiæ non obijcit: puta infidelitatis, aut odij actum. Tunc aiunt, sacramenta Euangelica conferre gratiam. Atqui hoc nihil aliud est, quàm creaturis tribuere causam nostræ salutis, nosque nimium obligare symbolis, & elementis huius mundi. Hoc fixum & constitutum maneat oportet, nihil sacramentis plus concedendum esse, quod ad salutem faciat, quàm verbo Dei. Ideóque si interdum audimus, quod etiam Augustinus dicit, nostra sacramenta meliora esse sacramentis veterum, id hoc pacto debet accipi, vt referatur ad perspicuitatem. Concedimus enim nostra sacramenta de Christo clarius & loqui, & concionari, quám veterum. Quare quum clarius & illustrius instruamur, fides plenior est, & plus gratiæ spirítusque nobis adfert. Et libenter id admittimus, quod idem Augustinus ait, Quandoque fieri, vt sacramentum absque re accipiatur. Sic enim impij, & infideles sacramenta vsurpantes, externa tantùm symbola capiunt, & salutis, & gratiæ penitus expertes. Interdum etiam è diuerso accidit, vt pij excludantur, si aliqua necessitate à sacramentorum vsu, re tamen ipsa & significato minimè fraudentur. Neque obstrepat hîc quispiam, statuere nos, sacramenta pendere à fide nostra. Neque enim hoc docemus. Imò verò sacramenta affirmamus esse sacramenta, quantumuis aut infirma, aut etiam nulla sit fides tua. Et Augustinus optimè sensit de eo, qui sacramentum carnaliter tantùm vsurpet, quum inquit, Non propterea desinit esse spirituale. Et vt aliquando finiam, nunquam eò deueniendum est, vt gratiam salutémque nostram existimemus in sacramentis, ceu in sacculis quibusdam contineri, quæ in communicantes, & percipientes effundatur. Sunt enim sacramenta, ceu nuncij quidam nostræ salutis: quibus qui crediderit, eam assequitur. Atq; hæc in vniuersum de sacramẽtis dicta sint satis. Nunc superest, vt de Circuncisione aliquid dicamus: quæ vt plenius intelligeretur, Hæc omnia à nobis fusius, & pluribus verbis dicta sunt. Sed hîc non ita longa tractatione opus erit. Nam si ea omnia, quæ de sacramentis generatim iam dicta sunt, tenebimus, non erit difficilè omnia, quæ de circuncisione dici possunt, intelligere.

Perceptio sacramentorũ non est nobilius aut melius, quàm fuerit in ueteribus.

An sacramenta conferant gratiam, & remittant peccata.

De obice scholasticorum.

Sacramentis nil plus tribuendum quàm uerbo Dei

Quomodo sacramenta nostra sint meliora ueteribus.

Quãdoq; sacramenta tantùm, quandoq; res tãtùm sumitur.

Gratia nõ est colligata in sacramentis, ut in sacculis.

Est autem Circuncisio, vt ne à verbis Apostoli discedamus, Signaculum iustitiæ fidei, quòd prædicet, & corroboret promissionem de iustitia, quam veteres per fidem accipiebant. Atque hinc sequitur, Veteres per eam habuisse peccatorum remissionem. Quum enim iustitia, vt suprà copiosius disputatum est, in peccatorum remissione maximè consistat, quicunque promissioni demonstratæ, & per Circuncisionem consignatæ credidisset, cum remissionis peccatorum participem esse, necesse fuit. Quærunt nonnulli, vtrum Circuncisio, & Baptismus, qui illi succesit, remissionem adferat illorum solùm peccatorum, quæ iam præterierint, an etiam illorum, quæ postea committuntur. Istos nosse oportet vsum Circuncisionis, & Baptismi non esse momentaneum, sed perpetuum. Nam vt labuntur sæpe fideles, ita ad se subinde redeuntes cogitant de promissione Euangelij, quæ est de remissione peccatorum. In qua etiam eo nomine confirmantur, quòd

Quid sit Circũcisio.

Quomodo Circuncisio dicatur habuisse remissionem peccatorũ An remissio habeatur futurorũ delictorum.

quòd meminerint, se vel baptizatos, vel circuncisos: atque ita fidem adhibentes à peccatis absoluutur, & Deo reconciliantur. Hîc apparet, quàm illi antiquitus decepti fuerint, qui tin gi noluerunt, nisi iam instante morte, & animam quodammodò agentes. Neque quisquam hoc putet aduersari clauibus Ecclesiæ, per quas recipiuntur pœnitentes. Nam vt bene rem intelligant, hoc statuant necesse est, claues istas Ecclesiæ nihil esse aliud, quàm prædicatio- nem Euangelij, qua ministri suadent credentibus peccata condonari. Qui autem persua- dendi sunt, illis beneficio spiritus persuadetur, & fides de promissione fit, etiam inde, quòd notam baptismi, aut Circuncisionis, quam olim receperunt, in mentem reuocant. Et Pau- lus, cùm dixit, In remissionem præcedentium delictorum, intelligit, Iustificationem, cùm no bis applicatur, semper depellere ea peccata, quæ antea commisimus. Id autem nihil impe- dit, quin promissio de remissione peccatorum, eiúsque consignatio sæpius in mentem vti- liter reuocari possit. Sed quoties inde condonat peccatum id vt præcesserit necesse est, ve- rùm, quod dicimus eò spectat vt demonstremus vtilitatẽ sacramentorũ non esse momenta- neam, sed ad totum vitæ cursum pertinere. Differebat Circuncisio ab alijs sacramẽtis, quòd esset initium, & primus gradus, & visibilis accessus ad fœdus Dei. Quales autem habiti fue- rint incircunciſi, Apostolus exposuit in epistola ad Ephesios: Memẽtote, inquit, quòd vos aliquãdo gentes in carne, qui vocabamini præputiũ à circuncisione in carne manufacta, fue ritis aliquando absq; Christo, alieni à Republica Israelis, extranei à testamentis promissio- num, sine spe in mundo, & absque Deo. Et in epistola ad Philippenses docet, quæ sit iusta, & spiritualis Circuncisio. Nos enim, inquit, sumus Circuncisio, qui seruimus Domino in spi ritu, gloriamur in Christo, in carne autem fiduciam non habemus. Idem etiam scribit ad Co lossenses. In quo, inquit, Circuncisi estis Circumcisione non manufacta, in expoliatione cor poris peccatorum carnis. Ex quo loco videmus, vt superius etiam notauimus, ponendam tam in Circuncisione, quàm in baptismo peccatorum condonationem. Vnde Augustinus contra Iulianum Pelagianum libro, in ea parte, in qua multas patrum authoritates conge- rit, Pelagianos arguit ex his Apostoli verbis, quòd cùm peccatum originis inficiarentur, ta- men parulos suos tingerent. Nam cùm in eis nullum peccatum esse statuerent, qui potuit ille baptismus esse, vt Paulus ait, Circuncisio non manufacta per expoliationem peccati in carne. Faciunt hæc Apostoli loca permultùm ad explicationem ingenij ac naturæ Circun- cisionis. Sed in Deut. cap. 10. Dominus ait: Circuncides præpututiũ cordis tui: & ne obdu- rauerís ceruicem tuam. Loco præputij Chaldaicus interpres habet טמשית quod est stultitia, significans primum caput peccati situm esse in eo, quòd sumus ad omnia diuina cœci, & ig- noratione Dei, quàm maximè laboramus. Septuaginta habent σκληροκαρδίαν, id est, cordis duritiam. Promissiones, quæ se circuncidentibus offerebantur, sunt istę: Deum effici Deum nostrum, & Deum seminis nõstri: qua vna in re habemus cornu copiam, id est, summam om niũ bonorũ. Inde eñ oritur nostra fœlicitas, & consolatio in omni afflictione: Admoneban tur etiã de carne mortificanda: hoc est, de superfluis voluptatibus rescindendis: profitebar- tur insuper synceram religionem: Et in summa fœdus significabatur cum Deo initum. Hæc erant significata, & res huius sacramenti, & verè pertinent ad eius naturam atque substan- tiam. In Baptismo quoque eędem res omnes manent. Signa tantùm mutata sunt. Quare li- cet ex his concludere, Sicut olim Circuncisio dabatur infantibus, ita nunc Baptismum eis- dem negari non posse. Nam si rem habent, quæ ratio est, cur signum habere non possint? Et ne dubites, num Circuncisio & baptismus paria sint, & eandem habeant rationem, Pau- lus hoc apertissimè demonstrat ad Colossenses, quo in loco Baptismum appellat Circunci- sionem Christi. Et qui statuunt, Hebræorum infantes debuisse circuncidi, nostros verò non posse baptizari, Deum faciunt equiorem Iudęis, quàm Christianis. Quærunt nonnulli, cùm nesciamus, vtrum infantes rem sacramenti habeant, cur apponamus signum, & id, quod no bis incertum sit, obsignemus? Quibus respondemus, hanc quæstionẽ non contra nos addu ci, sed contra verbum Dei. Is enim diserte præcepit, & voluit, vt pueri circuncíderentur. De inde respondeant ipsi nobis, cur adultos ad baptismum, aut communionem admittãt, cùm de animo illorum sint incerti. Etenim qui baptizantur aut communicant possunt simulare, ac Ecclesiam decipere. Respõdent, satis esse, eorum habere professionẽ. Si mentiunt, quid hoc ad nos? inquiunt. Ipsi viderint. Ita nos dicimus de infantib. nobis esse satis, quòd Eccle- się offerantur, vel à parentibus, vel ab illis, in quorum sunt potestate. Quòd si cum actione sacramenti electio, & prędestinatio concurrat, ratũ est, quod agimus: sin minus, irritũ. Salus enim nostra pendet ab electione ac misericordia Dei. De illa verò, cùm nobis occulta sit, nihil iudicamus. Ea tantùm sequimur indicia, quæ habere de illa possumus: qualia sunt,

Error corũ q̃ nolebant baptizari nisi extrema hora.

Quæ sit spiritualis Circuncisio.

Primum caput peccati.

Promissio quam circuncisio obsignauit.

Vt circũcisio dabatur infantibus baptismis illis negari non potest.

Deus non est æquior Iudæis q̃ Christianis.

Cùm de re simus incerti, cur obsignatio adhibetur

Quæ sequamur indicia electionis diuinæ in sacramentis cõferẽdis

quod pueri infantes offeruntur Ecclesiæ baptizandi, quodque adultiores verbis confitentur se Christo credere: quę indicia etsi non adeò certa sint, vt fallere non possint, nobis tamen satis sunt ad sacramenta conferenda. Neq; omittendum censeo, cùm initiantur infantes, intelligentiam significationis, quæ illos non mouet, mouere tamen atque erudire Ecclesiam, quæ adstat. Ipsi verò infantes beneficia consequuntur à Deo, quæ occultè in eis per spiritũ sanctum operatur. Sacramenti verò significationem, cùm per ætatem licebit, percipient, atque intelligent. Neque est, quòd multum nos moueat symbolorum discrimen, Circumcisionis, inquam, & Baptismi: quia in sacramentis pars ista minoris est momenti. Ea enim mutari potest, vt iam experientia docuit. Et sine ea Deus potest potiorem illam partem cõcedere. Neque enim eius vis, & misericordia allígata est sacramentis. Quare cùm vtimur sacramentis, animum adijcere magis oportet ad partem, quæ longè est potior, & melior. Idcirco Dominus apud Hieremiam cap. 4. ad hunc modum Iudæos increpat: Circuncidite præputia cordis vestri, ne accendatur furor meus, neque sit, qui restinguat. Illi autem, qui neglecta fide, & re significata, toti hærent in signis, perinde videntur facere, atque illi, qui in Regijs diplomatibus sigilla magna diligentia conseruant, literas autem ipsas, & donationes, aut lacerant, aut negligunt.

Cùm infantes tinguntur Ecclesia eruditur.

Deimisericordia & gratia non alligatur sacramentis.

Res magis attendenda quàm signa.

Iam mihi duo præterea supersunt excutienda. Alterum, cur Circumcisio imprimi iussa sit in membro genitali: alterum, cur fieri iussa sit octauo die. Ex Augustino diuersis in locis colligimus, Deum idcirco id fieri voluisse, vt moneremur de peccato originis, id à parentibus ad nos traduci per generationem: vtq; præputium resectum in parente, tamen redit in prole, quæ generatur, ita peccatum Originis parentibus remissum, in filijs, qui procreãtur, repullulare. Monemur etiam, quod sæpè iam diximus, fœdus Dei non tantùm ad nos, sed etiam ad liberos nostros, quos suscipimus, pertinere. Denique eo signo Christus maximè significabatur ex illo semine Abrahami esse oriundus. Neque hîc sensum nostrum, aut humanam rationem sequi debemus, vt id putemus ridiculum aut leuis momenti esse, quod Deus instituerit. Nam alioqui crux Christi, & Euangelium Iudæis scandalum sunt, & Gentibus stultitia. Neque enim debemus de rebus diuinis iuxta id, quod foris ostenditur, iudicare. Alioqui Iulianus & Celsus ridebunt, pomum primis parentibus fuisse interdictum. Et Naaman Syrus rem ridiculam putauit, in Iordano flumine septies lauari. Nec dubito, non defuisse, qui Mosen riderent, cùm proijceret lignum in aquas Marath, ad earum amaritudinem medicandam. Hodie quoque permulti mirantur, quî fiat, vt vnius oboli defraudatio æternũ exitium pariat. Verùm istos oportuit cogitare, res istas nequaquam ex vi sua spectandas esse: sed adhibendũ etiã esse pondus verbi Dei: quod certè tanti momẽti est, vt orbi terrarum vniuerso præponderet. Neque quicquam est tam vile aut abiectum, quin eius accessione illustre ac splendidum efficiatur. Curant quidem Reges, & Principes huius mundi, vt habeãt sigilla quàm maximè egregia, & honorifica. Promissiones autem, & donationes, quæ illis consignantur, non raro fallunt. Deus tamen, cùm notis abiectioribus vtatur, neminem fefellit vnquam. Nunc de octaui diei ratione paucis dicam. Hebræi asserunt, eam esse diei septimi dignitatem, vt ex eo res omnes, nescio quam, consequantur vim & fortitudinem. Quare volunt, post septimum diem infanti recens nato accedere tantum vigoris, vt facilè possit perferre dolorem Circumcisionis. Nos verò ista commenta illis relinquamus: & hoc potius sentiamus, octauo die Resurrectionem Christi, et nostram fuisse designatam. Id autẽ ex Paulo non obscurè potest intelligi: ait enim in Circumcisione significari peccatorum carnis amputationem. Nunquam autem à nobis vitia carnis perfectè possunt resecari, nisi vbi ad sanctam Resurrectionem ventum erit. Totum hoc sęculum, ac vitæ huius vniuersæ tempus septimanam dierum refert. Octauus autem dies significat Resurrectionem. Est etiam præterea non contemnenda ratio, quòd puer tam recens natus, nihil per se ipsum efficere possit, quod ad iustitiam assequendam conferat. Hinc ergo admonemur, iustificationẽ ex nostris operibus non constare. Et quamuis ita se res habeat in Circumcisionis ritu, in Baptismo tamen ad certum dierum numerum non adigimur. Quoniam ab hoc obseruationis genere Christus nos voluit esse liberos. Non defuerunt tamen, qui vellent in Baptismo quoq; Christianos ad octauum diem adigere. Verùm illos concilium à Cypriano habitum repressit. In primitiua Ecclesia ad aliquod tempus seruata fuit Circumcisio. Augustinus quoque in epistolam ad Galathas ait, non omnem Circumcisionem post Christum fuisse damnandam: sed eam tantùm in qua spes salutis poneretur: eam verò quæ ea causa tantummodo acciperetur, vt pax retineretur, & rursus Euangelij magis promoueretur, ferri potuisse. Nam hac causa Paulus passus est Timotheum circundi. At si hoc officium, vt necessarium ad salutem requiratur,

Cur membro genitali circũcisio inusta fuerit.

Circumcisio non est ridicula.

Diuinæ res ex aspectu externo iudicãdi nõ sunt

Verbi Dei est maximum pondus.

Dei sigilla nõ cõstant rebus honorificis.

Octauus dies notat Christi Resurrectionem.

Tempus huius uitæ est septimana

In baptismo non adigimur ad certum dierum numerum.

Circumcisio in primitiua Ecclesia potuit ad tempus retineri.

quiratur, nullo pacto est concedendum. Ideoq; Paulus vehementer restitit, ne Titus circumcideretur, vt habetur in epistola ad Galathas. Aiunt, permultas hodie esse Ecclesias in Oriente, seu meridie quæ in hunc vsque diem Circuncisionem vnà retinẽt cum Baptismo. Quàm id rectè faciant, ipsæ viderint. Verisimile certè est, illos, cùm illam tam diu, & quidem mordicus retineant, in ea spem aliquam salutis suæ collocare. Quare multò rectius facerent, si illã omitterent. Sed interim operæpretium est explicari, quomodo Paulus ad Galathas dicat, eum qui circuncidatur, debitorem fieri totius legis obseruandæ. Nam cùm Abrahamus circuncisionem acciperet, Lex nondum fuit lata. Quare Circuncisio non videtur id habere ex sua ipsius vi & ingenio, vt ad obseruandam legem homines astringat. Sed meminisse debemus, id, quod Apostolus dicit, ex alio capite prouenisse: nimirùm, quòd Circuncisio repræsentarit Christum, vt venturum, & se daturum in crucem. Lex autem tam diu vim suam erat habitura, quoad Christus veniret. Quare cùm circuncisione testarentur, illum non dum venisse, necesse erat, vt sub lege detinerentur, cùm tantum per Christi aduentum posset abrogari. Quanta verò cum obseruatione Deus voluerit, illud sacramentum custodiri, ex eo liquet, quòd in libro Geneseos capite decimoseptimo contestatur: Animam, quæ non fuerit circuncisa octauo die, excindendam esse de populo suo. Ambrosius in libro de Patriarcha Abrahamo mirari videtur istam tantam seueritatem. Deus enim inquit, constituerat ciuitates refugij, vt qui fortuitò, aut imprudens hominem occidisset, haberet, quò se reciperet, ne ab hominis interfecti cognatis, aut affinibus occideretur: si non ex professo & data opera, sed casu ac fortuitò homicidium commisisset. Quare, cùm infantes sua voluntate non repudiarent circuncisionem, cur fuerunt excindẽdi? Respondet ille, idcirco fortasse vitã corporalem pueris fuisse auferendam, vt in eis parentes impietatis suæ pœnas luerent. Alios autẽ ait sensisse illam sententiam ad infantes non pertinere: verùm ad eos in quorum essent potestate: ac si illi dicantur excindendi. At huic sententiæ verba ipsa sacrę scripturę aduersantur. Quare ad allegoricam expositionem se confert: quasi illa comminatio pertineat ad eos, qui non circuncidunt mentem: quæ est animi nostri virilis ac præstantissima portio. Verùm istius modi allegoriæ quæstioni non satisfaciunt. Quamobrem duo mihi videntur ad hunc nodum dissoluẽdum rectè posse accommodari. Primum est, comminationem pertinere ad illum, cùm adoleuerit, si parentum negligentiam approbarit, & Circũcisionem, ad quam lege astringebatur, non admiserit. Alterum est, Deum accusandum non esse, iniustitiæ, si quãdoq; infantem sic neglecta circuncisione educatum interficeret. Posset enim valere huiusmodi seueritas ad homines admonendos, quàm Deus indignè ferat sacramenta sua cõtemni. Et si fortè queras, quid oporteat iudicare de anima pueri sic occisi, nõdum recepto sacramento, respondeo, nos de eius vel salute, vel condemnatione nihil posse alterutram in partem affirmare. Nam si pertinebat ad numerum electorum, vt ad vitam ęternam prędestinatus fuerit, nihil impedit, quo minus seruari possit: quandoquidem gratia non est alligata sacramentis. Sin autem erat vas à summo fictore idcirco conditum, vt iram suam in eo declararet, atque ita sit condemnatus, quid conqueri possumus de seueritate Dei? præsertim cùm omnes nascamur filij iræ & condemnationis? De illo tamen bene sperandum iudicarem: quòd cùm promissio data sit semini Abrahæ, isq; puer nullo suo actuali peccato se à promissione subtraxerit, verisimile sit, eum ad regnum Dei esse admissum. Neque ad æternam condemnationem putandus est interfectus esse à Deo, sed potius ad salutem, ne malitia immutaret cor eius, vtq; morte sua parentibus & maioribus, aliisq; testaretur, quàm illi grauiter peccauerint eius negligentes circuncisionem, & toti Ecclesiæ prodesset indicium præ se gerẽs iræ diuinæ aduersus sacramentorum contemptores. Præterea non est difficile creditu, pios homines, qui vixerunt ante Circuncisionem institutam, habuisse alias quasdam notas, quibus illorũ iustitia habita per fidem obsignaretur. Nam eos & obtulisse primitias, & sacrificasse legimus: sed quo symbolo primã regenerationem suam notarint, sacrę literę non tradunt. Vrebantur autẽ Hebræi in pueris circuncidendis gladio lapideo, quod tñ Deus non præceperat. Verùm ad hoc faciendũ inducti sunt exemplo vxoris Mosis Zipporæ, quæ huiusmodi gladio vsa est in filio suo circuncidendo, cùm mortis discrimen, immineret ab angelo. Et quãuis hoc sacramentũ inter Iudæos diligẽter obseruatũ & cultũ fuerit, tñ dimanauit etiã ad exteras nationes. Nam si credimus Ambrosio lib. 2. de Patriarcha Abrahamo, Aegyptij, Arabes, & Phœnices circuncidũtur. Idq; ab illis ea causa putat fieri, quòd arbitrentur, huiusmodi sanguinis primitijs arceri malos dæmones, ne lædant eum, qui circuncidítur. Ita diabolus Dei sacramenta semper molitus est vitiare. Nam superstitio fuit vim salutis, aut liberationis à satana naturæ sanguinis effusi ascribere. Et hodie Iudæi non multùm ab-

Multæ Ecclesiæ Christianorũ circuncisionem retinent.

Quare circuncisio ad legem seruãdam obligauit

Quomodo anima incircuncisi dicatur excindenda.

De pueris pereũtibus absq; circũcisione quid iudicandum.

Ante circuncisionem fuerunt aliquæ notæ sacramentorum.

An gladius circũcisionis fuerit lapideus.

Circuncisio dimanauit ad exteras nationes.

Sacramenta Dei pro uiribus diabolus uitiat.

Mos ineptus Hebræorum in circũcidẽdis pueris

esse videntur ab hoc genere stultitiæ. Nam dum infantem circuncidunt, astat quidam cum vasculo pleno vel terræ, vel pulueris, in quod præputium abscissum infodiunt, quasi diabolus videatur eo pacto suum habere cibum. Dixit enim Dominus serpẽti iam inde ab initio: Super pectus tuum gradieris, & terram comedes. Videntur existimare, diabolum sic nactũ cibum suum discedere à puero, nec illi postea facesser negotium. Alia quoque ratione, vtidem author est Ambrosius, apud Ethnicos seruabatur vitiata Circuncisio: quòd Aegyptij,

Aegyptij 14. anno circuncidunt filios.

non octauo, vt Deus præceperat, sed decimoquarto anno circunciderent, quòd ea ætate Ismael circuncisionem acceperit. Quod Arabas quoque factitasse credibile est. Nam hodie

Aegyptij fœminas circuncidũt.

Turcæ etiam ea ætate circuncidũtur. Quanquam Aegyptij, vt idem author est Ambrosius, fœminas quoque soliti sunt circuncidere, idq; anno 14. vt mares. Eius rei hanc rationem reddiderunt, velle se hoc symbolo notare, restinguendam esse libidinem, quæ illa ætate maxi-

Femelle Hebræorum incircuncisæ non peribant.

mè in vtroque sexu incipit accendi. Atqui Deus masculos tantùm iussit circuncidi: neque tamen ea causa fœminæ Hebræorum vel ab Ecclesia, vel à fœdere habebantur alienæ. Illæ enim semper vnà connumerantur cum viris: innuptæ quidem cum patre: nuptæ verò cum maritis. Non defuerunt, qui captiosis argumentis detraxerint circuncisioni, & quodammodò Deum veteris Testamenti coarguerint. Primùm enim dicebant: Vel præputium est se-

Cauillus contra Circuncisionem.

cundum naturam corporis, vel eius naturæ aduersatur. Si est secundum naturam, cur vult Deus, vt abscindatur? Sin pugnat cum natura, cur sinit Deus, vt nascatur? Respondet Ambrosius in epist. 77. ad Constantium, præputium esse secundum naturam nostri corporis: sed non esse absurdum, vt ea, quæ cum corpore, aut carne nostra conueniant, rescindantur, si ex eo spiritus possit adiuuari. Quod videmus in ieiunijs, & alijs carnis mortificationibus fieri, & in ferenda cruce, quam omnibus fidelibus Deus imposuit. In quibus multa, quæ carni aduersantur, cogimur tolerare. Adhæc dicere solebãt, Deum cæteras nationes à lege Mo-

Alter cauillus.

saica absteruisse, cum illis hoc iugum Circuncisionis imponeret. Quæ nisi fuissent, multi extitissent Christum ipsum, quòd mundum videatur deterrere à sua religione, partim propter seueritatem doctrinæ, partim propter persequutiones, & martyrium, quod primo tempore erat subeundum à multò maxima parte credentium. Sed qui verè ad numerum electorum pertinent, minimè resiliunt ob difficultatem vocationis. Qui autem retro abeunt, ex nobis non erant, & idcircò defecerunt. Mirantur etiam, quid Deus in puerili ætate voluerit eiusmodi ceremoniam suscipi, quæ sæpè infirma corpuscula possit in discrimẽ adducere. Quod

Omnis ætas idonea sacramento.

ad ætatem attinet, inquit, Ambrosius, vt omnis ætas obnoxia est peccato, ita etiam est idonea sacramento. Infantes autem peccato obstrictos esse, abundè ostendunt eorum morbi, fletus, dolores, mortes. Quòd si fortè in vitæ discrimen adducebantur, nihil tamen erat causæ, cur quererentur, cùm eam omnẽ deberent Deo. Et tamen, vt traditur, paucissimi ea causa moriebantur. Dolor autem ille, & discrimen nonnihil attulit vtilitatis. Nam quemadmodum strenui milites, cùm meminerunt, se antea multa passos, ne fugerent, magis animantur

Pauci pueri propter circuncisionem moriebãtur

ad perstandum, ne quod dedecus inurant cicatricibus & vulneribus, quæ anteà passi sint ibi infligi, potius quàm vt locum ac stationem desererent, Ita voluit Deus, vt Hebræi iam adulti, & facti viri professionem suæ legis etiam contra omnia pericula tuerentur, cùm memi-

Cur Deus uulnere ac dolore pueros uoluerit affligi.

nissent, se iam inde ab infantia religionis causa fuisse vulneratos. Nunc autem Circuncisionem ait, á Christianis meritò repudiari, quòd cùm Christus sanguinem suum effuderit, pretium nostræ redemptionis, iam opus non sit, vt singuli homines sanguinem suum priuatim effundant. Atque hæc de sacramento Circuncisionis ad præsens institutum putamus esse satis. Iam ad Paulum redeundum est.

Non enim per legem promissio Abrahæ, aut semini eius, Illum hæredem fore mundi. Probauit suprà, Abrahamum non habuisse suam iustitiam ex Circuncisione: quòd eam antè adeptus fuerit, quàm circuncideretur. Nunc idem probat à maiori. *Per legem non est*, inquit, illi facta promissio: igitur, nec per circuncisionẽ. Ratio ex eò manifesta est, quoniam Lex latius patet, quàm

Lex latius patet quã circuncisio.

Circuncisio. Non enim illam solùm, sed alia quoque innumera pulcherrima præcepta continet. Quòd autem per legem non fuerit promissio, quasi ex conditione data, bifariam confirmari potest. Primùm, quemadmodum habetur ad Galathas, Lex posterior fuit promissione per quadringentos annos. Cùm itaque nondum extaret, esse non potuit conditio promissionis tunc factæ. Testamentum hominis, inquit Paulus, nemo facit irritum, aut quippiam superaddit. Sed hanc rationem sumptam à tempore Paulus hîc omittit: partim quòd ea

Quære promissio non est per legem.

vsus sit paulò ante, cùm Circuncisionem diceret datam, postquam Abrahamus esset iam iustificatus: partim etiã, quia alia vult vti ratione, quæ sit euidẽtior. Lex, inquit, si promissioni adderetur,

adderetur, faceret eam irritam, & aboleret fidem: quoniam incurrens in animos nostros perditos nihil aliud quàm proponit iram Dei. Fieri autem non potest, vt promissionem aut hæreditatem fœlicitatis adferat. Quòd autem ex lege sit ira Dei, ex eo probat, quòd vbi Lex non fuerit, nec transgressio vlla erit. Ambrosius ait, ideo latam legem, vt reos faceret delinquentes. Qui autem rei sunt, aut condemnantur, aut minus idonei fiunt ad accipiendas promissiones. Nam filius, qui propter transgressiones exhæredatur, non accipit hæreditatem: Ita nos quoque per Legem Gehennæ potius ac maledictioni addicimur, quàm vt capaces per eam reddamur hæreditatis, & promissionis consequendæ. Hæc de contextu rationum. Nunc singula sunt expendenda. *Per Legem*, ait, non esse promissionem: quia talis conditio adiecta non fuit, cùm Abrahamo promitteretur hæreditas ordis, vt Legem obseruaret. Ratio ista ducit ad absurdum. Quia hoc pacto & promissio, & fides irritaretur. Scholia Græca hæc loca habent, *Sola fide nos iustificari*. Et additur sententia sub nomine Seueriani, Eum, qui hæret in Lege, ac si ea salutem præstare posit, salutem eam, quæ per fidem est negligere. Et Chrysostomus ait, potuisse fieri, vt aliqui dicerent: Quamuis habeamus fidem, volumus tamen etiam Legem seruare. At hoc ille ostendit fieri non posse. Quia fidei virtutem, inquit, dehonestat, quisquis legem tanquam salutem exhibentem seruat. Quare cùm Lex vt conditio requisita diuinæ promissioni non sit adiecta, sequitur, audacem eum esse, & temerarium, qui eam velit addere. Nam iurisperiti dicunt, priuilegia, & principum indulta non esse contrahenda, sed potius digno fauore amplificanda.

Lex si adderetur promissioni eam irritaret.

Scholia Græca sola fide nos iustificari affirmant.

Priuilegia nõ cõtrahenda, sed amplificanda.

Vt hæres esset mundi. Nullibi habetur disertis verbis talis promissio Abrahamo facta: ea tamen in eis, quas habemus, comprehensa est. Dixit enim illi Deus, multiplicandum esse semen eius instar arenæ maris, & stellarum cœli. In eo ergo sita erat promissio, quòd semen eius impleturum esset orbem terrarum. Non enim semen eius censentur, qui iuxta carnem tantùm ex eo prodierunt: Sed qui imitantur eius fidem. Et cùm tales per orbem vniuersum sint diffusi, per eos Abrahamus habet hæreditatem totius orbis. Quod idem satis expresse dicitur, cùm Deus illi promittit: Et in semine tuo benedicentur omnes Gentes. Et quamuis hæc omnia vera sint, ego tamen ad Christum potius puto hanc hæreditatem esse referendã. Is enim ait, sibi à patre tradita esse omnia. Et Dauid scribit, habere illum hæreditatem suam omnes Gentes, & fines orbis terræ. Et fides in Christum, qui ita sit hæres vniuersi orbis, ea est, quæ iustificat: omnesque promissiones Dei, vt aliâs docuimus, ad hanc vnam sunt referendæ. Prophetæ sæpius hanc promissionem de regno Christi expresserunt prosperitatibus, & conditionibus mundani principatus, & carnalis fœlicitatis. Nam spiritualia non alia ratione à crassis ingenijs intelligi possunt. Interdum dicunt, futurum esse aliquando, vt filij Israel dispersi & exules nauibus reuehantur à gentibus in locum suum. Prædicant etiam Reges & principes alumnos, & nutritios fore Iudæorum: Et euersionem minantur illis regnis & gentibus, quæ Israelitis non fuerint obsecutæ. Verùm omnia hæc Regi nostro maximo Iesu Christo in primis tribuenda sunt: de quo in Euangelio legimus, Hic est hæres, Venite occidamus eum. Dauid Dei patris voce de Christo scribit: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam: & possessionem tuam terminos terræ. Et in Daniele habetur, de lapide sine manibus exciso, quòd principatus huius mundi esset euersurus, cumque in montem ingentem creuisset, omnia esset occupaturus. Nos autem, cùm simus Christi membra, ab hac hæreditate excludi non possumus. Nam in hac ipsa epistola Paulus scribit, nos futuros esse hæredes Dei, & cohæredes Christi, cùm ille sit primogenitus in multis fratribus. Ipse etiam Christus ait, Sicut me misit viuens pater, & ego mitto vos: & dispono vobis regnum; sicuti disposuit mihi pater. Vbi ego sum, volo vt ibi sit etiam minister meus. Rursus alio loco, vt nos declararet ab hac hæreditate non alienos, Beati, inquit, mites: quoniam ipsi possidebunt terram. Et Paulus ait, omnia vestra sunt, & vos Christi, & Christus Dei. Imo etiam angeli inseruiunt electis. Angelis inquit, suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis. Adhæc per Christum instauratur, quicquid in Adamo fuerat amissum. Homo, cùm conderetur, factus est ad imaginem Dei: quod è vestigio scriptura interpretatur, vt præesset omnibus rebus creatis. Quòd si Christus hanc imaginem restituit, dominatum quoque amissum reddidit: atque ita reddidit, vt ille dicatur nobis iure restitutus, iure, inquam, hæreditario. Neque de hac promissione desperandum est, licet nunc longè diuersa rerum facies appareat. Infirmi sunt admodum, qui ad Christum pertinent. Et diabolus contra illos concitat principatus huius mundi, & tyrãnos. Quare videntur omnium rerũ egentissimi, & abiectissimi;

Quomodo Abrahamus sit hæres mundi.

Christus hæres totius orbis.

Prophetæ Christi regnũ expressere conditionibus mundani principatus.

Nos principatus Christi sumus cõsortes.

Species abiecta nil detrahit de nostro principatu.

cùm tamen re vera sint domini omnium. Latent ista oculos carnis: tunc autem apparebunt, cùm Christus ipse, in quo vita nostra abscõdita est, apparebit. Quod nõ est dictũ, quasi nũc Christus non regnet. Multis fortasis videtur otiosus. Verùm illũ pij sentiunt regnare potẽtissimè in cœtu electorum, qui est Ecclesia. Regnat autem per spiritum, & verbum: id est, per fidem, quæ manauit à spiritu, & pendet à verbo Dei. Quam fidem cùm electi obtinuerint, victoriam de mundo consequuti sunt. Nam Iohannes ait, Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides vestra. Cumq; fideles omnia sua esse intelligant, victu & vestitu contenti sunt: alijs rebus vtuntur, quantùm vocationi suę expedit. Nihil denique in mundo est, quod in illorum vtilitatem non cedat. Chiliastæ, quos Latinè dixeris Millenarios, hanc totius orbis hæreditatem putant esse declarandam ante finem huius sæculi, cùm Christus, vt illi putant, per mille annos regnabit in hoc mundo cum sanctis suis, impijs omnibus perditis, & profligatis. Videntur autem illi sequi oraculum, quod ab Elia proditum dicitur: Mundum per sex millia annorum esse duraturum. Atque istos annos ita describunt, vt bis mille dicant fluxisse ante legem, bis mille sub Lege, & totidem fore sub Euangelio. Postea mille addunt annos quibus aiunt fore summam quietem: ita vt mille postremos annos appellent Sabbatum. Atque ita constituunt hebdomadam, cuius singuli dies pro singulis mille annis accipiantur: iuxtà id, quod habetur, mille annos apud Dominum esse vt diem vnum: & vicissim diem vnum, vt mille annos. Meminit huius opinionis Augustinus de Ciuitate Dei libro vigesimo capite septimo, aitque eam vtcunque fuisse tolerabilem, secq; ipsum aliquando idem sensisse. Quod autem addunt de voluptatibus, delicijs, & mundanis honoribus, quibus aiebant, omnes fideles per illos mille annos cum Christo fruituros, id vehementer improbat. Testimonia illi quædam scripturarum vsurpabãt, quibus putabant figmentum suum confirmari. Nam in Apocalypsi capite vigesimo scribitur, Christum mille annos regnaturum cum sanctis, victo interim & profligato satana. Nituntur etiam Christi dicto apud Lucam capite vigesimosecundo. Vt edatis, & bibatis super mensam meam. Sic dispono vobis regnum, vt disposuit mihi pater. Denique Prophetarum oracula, quæ per temporarias descriptiones Christi regnum adumbrant, sic accipiunt, vt non aliter intelligenda sint, atque præ se ferunt. Et hac de re ita loquuntur, quasi postremo tempore Aureum sæculum, quod à Poetis describitur, rediturum sit. Fuerunt in hac opinione non contẽnendi homines, Papias, qui vixit tempore Apostolorum, Irenæus, Apollinarius, Tertullianus, Victorinus, Lactantius, & Methodius Martyr. Vnde Hieronymus libro quarto, in Hieremiam scribit, non audere se eam sententiam damnare, quòd multi Ecclesiastici viri, & Martyres in eam discessissent. Idem tamen alibi istos Millenarios apertè deridet, & satis facete naso suspendit. Eusebius Cæsariensis in tertio libro suæ Historiæ, ait hanc opinionem originem habuisse à Cherintho hæretico: de quo Dionysius Alexandrinus Episcopus exponens Apocalypsin Iohannis ita scribit: eum prorsus libidini, & ventri fuisse deditum, ideóque ad Christi regnum, quod per mille annos erat declarandum, ista carnalia oblectamenta reuocasse. Neque solùm contendebat coniugia, & liberorum procreationes fore toto illo tempore, verùm etiam Circuncisionem, sacrificia, & alias ceremonias Legis. Cùm autem videamus Irenæum aduersari Cherintho, non facilè putandum est, eum ad eundem omnino modum de hac fabula sensisse. Et certè potest fieri, vt Millenarij alij atque alij de eadem re aliter atque aliter senserint. Verisimile enim est propter locum Apocalypseos aliquos sanctos viros deductos fuisse in eam sententiam, vt existimarint, Christum in mundo cum suis per mille annos regnaturum: de Lege autem restituenda, gemmata Hierusalem instauranda, delicijs, & voluptatibus huius mundi reuocandis prorsus dissenserint. Nam quí fieri potest, vt Lex, quæ neminem perduxerit ad perfectum, locum habitura sit tum maximè, cùm status piorum erit perfectissimus? Certè viris adultis nihil opus est Pædagogo: quique maximè profecerunt, ad prima elementa non sunt retrahendi. Lactantius autem, quod attinet ad voluptates, & delicias, nihil aliud habet, quàm tellurem eo tempore ostensuram esse fœcunditatem suam, & fruges vberrimas sua sponte producturam. Nam rupes mellesudaturas, vina per riuos decursura, & flumine lacte redundatura. Verùm ista omnia sunt hominum commenta, & ea ipsa ita ficta, vt cum verbo Dei apertissimè pugnent. Christus cùm agit de Resurrectione cum Sadducæis, affirmat, sanctos futuros instar angelorum Dei, vt qui nec vxores ducturi sint, nec nupturi. Et Paulus cùm ad Thessalonicenses Resurrectionis nostræ historiam recenset, huiusmodi nugarum nihil meminit. Hoc tantùm ait, nos minimè præuenturos esse eos, qui dormierunt in Domino, sed cum illis rapiendos esse obuiam Christo in aere, & sic semper cum Domino futuros. Ad hæc Seruator noster testatus est,

Pij sentiunt Christum etiam nunc regnare.

Christus regnat uerbo & spiritu id est, fide.

Oraculum Eliæ.

Magni uiri qui fuerũt chiliastæ.

A Cherintho orta opinio chiliastarum.

In regno Christi Lex non renouabitur.

tus est, regnum suum non esse ex hoc mundo. Et Paulus ad Corinthios ait, nos post Resurrectionem fore spirituales, necnõ ventrem & escas destruendas, & ad Romanos, Regnum Dei non esse escam, & potum. In libro Apocalypseos mille anni accipiuntur pro diuturno tempore: quemadmodum ait, velle se sua miracula testata esse in mille generationes, hoc est in omne tempus. Ita numerus Centenarius significat absolutam remunerationem. Ita enim Christus ait, se Centuplum redditurum his, qui omnia sua reliquerint eius causa. Et sæpè in sacris literis numerus certus pro incerto, & infinito ponitur. Quodque in Apocalypsi diabolus scribitur ad mille annos vinciendus, id Augustinus refert ad statum præsentis temporis, quo Christi beneficio fortis ille ita exarmatus, & victus, & spoliatus est, vt non possit electos ad exitium vsque seducere. Et mensam Christi, ad quam esuri, & bibituri sunt sancti, Ambrosius in Lucam interpretatur communicationem æternæ vitæ, & summæ fœlicitatis. Prophetæ quoque sæpè vsi sunt similibus ductis à regnis huius mundi ad describendum regnum Christi: vt rudiores facilius, quæ dicerentur, intelligerent. Atque hac de re satis. Cùm autem Paulus dicit promissionem ex Lege non constare, verum ex fide: & rationem adducit, quòd alioqui & promissio inanis, & fides irrita futura sit, possit quispiam ambigere, si tam parùm conuenit promissioni cum Lege, quomodo factum sit, vt Deus Legi suæ, ac præceptis tot promissiones affixerit. Pollicitus enim est, se benefacturum in mille generationes obseruatoribus Legis suæ: & vitam diuturnam se daturum illis, qui parentes honore afficiant. Et Christus ipse ait, Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Date, & dabitur vobis: remittite, & remittetur vobis. Hîc distinguendæ sunt promissiones. Alia enim earum est Euangelica de iustificatione, & æterna salute. Ista non pendet ex conditione Legis, vt Paulus testatur. Esset enim irrita, cùm nullus nostrûm Legem possit absoluere: idque partim propter infirmitatem nostram, partim propter Legis ipsius eximiam præstantiam. Infirmitatem nostram Paulus declarat in hac epistola, cùm ait, Quod impossibile erat Legi, in quantum infirmabatur per carnem, &c. Ex quibus patet, per carnem stare, quo minus absoluere possimus ea, quæ in Lege præcipiuntur. Et in septimo capite ait, In carne nostra non habitare bonum, ita, vt quæ nolimus, ea faciamus. Legis verò sublimitas ex quinto, sexto, & septimo capite, Matthæi intelligitur: & præsertim ex illo præcepto, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, &c. & ex altero, Non concupiscas. Simul autem has duas causas Paulus coniunxit, cùm in septimo capite huius epistolæ diceret: Lex quidem spiritualis est: ego autem carnalis sum venundatus sub peccato. Hæc est ratio, cur ex Lege non constet Euangelica promissio: quam etiam Paulus expressit in eo, quod ait, Legem iram operari. Aliæ verò promissiones adiectæ sunt ad Legem, & ad singula mandata: eásque dicimus non frustra esse positas. Postquam enim aliquis iam iustificatus fuerit, inchoatur in eo aliqua obedientia mandatorum, eáque Deo placet: quæ quamuis non absoluta sit, atque perfecta, tamen ita imputatur credentibus, ac si esset perfecta. Atque ita consequimur promissiones mandatis affixas: quæ tamen sine iustificatione & promisso Euangelico frustra sperarentur. Estque locus iste insignis, & dignus, qui nunquam excidat è memoria: Promissionem ex Lege non constare. Quòd si quis per Legem intelligere velit ceremonias, è vestigio obijcere oportet ea, quæ sequuntur: Lex iram operatur: & illud, Vt firma sit promissio. Quibus locis ostenditur apertissimè, Legem non tantùm pro ceremonijs accipiendam esse, sed etiam pro Morali parte. Nam & illa vel neglecta, vel non obseruata, incidimus in iram Dei. Quanquam sunt qui conentur vim huius rationis eludere. Nam inquiunt: Si ex ceremonijs constaret hæreditas, promissio esset incerta. Illæ enim ceremoniæ Gentibus non erant communes, quibus tamen promissa erat salus. Quare saltem, quod ad Gentes attinet, nutaret fides, atque promissio. Atqui si ita esset, Apostoli argumentum esset ridiculum. Aduersarij enim & Pseudoapostoli dixissent: Idcirco, ne incerta sit promissio, accipiant ergo Gentes ceremonias. Atque ita Paulus petijsset principium, & sumpsisset sibi id, quod ab initio probandum fuit, videlicet, Gentes non debere adigi ad ceremonias. Apertissimè verò refelluntur ex eo, quod additur, Legem iram operari: quod certè Moralibus præceptis magis conuenit, quàm ceremonialibus. Potuisset Apostolus probare argumentum suum ex eo, quod paulò antè commemorauimus, Neminem nostrûm posse Legem seruare. Verùm id in præsentia omittit: Vtque euidentius concludat, subdit, Legem iram operari. Ac si diceret: Tantùm abest, vt Lex hæreditatem afferat, vt potius iræ Dei nos reddat obnoxios. Quòd si quæsieris, cur Lex nobis ita accersat iram, responderi debet, Quia nos eam seruare non possumus. Nam per iram Paulus

Locus Apocalypseos.

Cur Deus Legi promißiones affixerit.

Distinctio promissionum aliæ sunt legales, aliæ sunt Euangelicæ

Credentes assequuntur promissiones affixas legi.

Cauillus contra rationem Pauli.

nihil aliud intelligit, quàm diuinam vltionem, idque per metonymian. Etenim homines, cùm irascuntur, consueuerunt vindicare. Quod etiam Deus facit, quamuis humanis affectionibus non perturbetur. Hoc idem Paulus ad Galatas alijs verbis extulit, Maledictus, inquiens, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro Legis. In sacris autem literis nihil aliud sonat maledictio, quàm calamitatem, afflictionem, miseriam. Miror Origenem accipere dictum Pauli de Lege membrorum. Nam hoc planè est currere extra oleas. Non enim gloriabantur Iudæi de innata cupiditate: quæ Lex membrorum à Paulo dicitur. Sed Legem Dei sibi à Deo per Mosen datam iactabant. Quare vt Apostolus aduersus eos cum fructu ageret, oportebat, vt de ea lege scriberet, de qua illi gloriabantur. Tamen ex Origenis verbis videant aduersarij nostri, quid ille senserit de innata concupiscentia. Profectò cum eam dicat iram operari, primos motus, qui ex ea deriuantur, peccata & transgressiones esse necesse est, vt iudicarit. Scio fuisse nonnullos, qui acceperint iram hoc loco, non Dei, sed nostram ipsorum. Cùm enim propensi simus ad vitia, & Lex aduenies ea prohibeat, Deus illius authorem odisse incipimus: atque ita ea in nobis operatur iram. Sed prior expositio & planior est, & magis conuenit cum clausula, quę subijcitur.

Quomodo se committuntur lex & transgressio.

Vbi enim non est Lex, neque transgressio. Ex his verbis apparet, hoc Apostolum voluisse, iram Dei accendi aduersus transgressiones. Quomodo autem transgressio inferatur ex Lege, natura relatiuorum docet: quæ est eiusmodi, vt vno sublato, alterum quoque auferatur. Ex vna parte Lex ponitur: ex altera verò illi respondet vel obseruatio, vel transgressio. Et cum obseruatio legis absoluta esse nō possit, vna tantùm superest transgressio, quam hoc loco Paulus infert. Quæ autem hîc dicuntur, intelligenda sunt de Lege scripta, & per Mosen lata. Alioqui enim nemo est, qui Lege careat, certè naturæ. Idcirco nemo inueniri potest absque peccato, ne infans quidē vnius diei, cùm illi pro Lege sit imago Dei: cui cū minimè respondeat, vt ex Augustino videre licet in libro confessionū, absque peccato certè non est. Quod ad lectionem attinet, Græca vox ὃν habetur aspirata, & ita Latinè redditur cuius. Vulgatus autē interpres videtur legisse tenue ὸν, ideoque transtulit, Vbi. Sed ad sententiā nihil est discriminis siue hoc, siue illud dixeris. Ne tñ putemus, hęc Legi tribuenda esse, cùm sola per se ipsam accipitur: sed vt in animum nostrū corruptum & vitiatum incidit. Habemus huius rei exemplum satis crassum in puluere bombardico, cui miscetur aut nitrū, aut sal petræ natura frigidissimū. Ideoque fit, vt cùm ignis recipiatur in sulphure, cui aduersatur ei frigus nitri, aut salis nitri, vt tantum concipiat impetum, vt incredibili vi excusso globo obuia quęque concutiat, & euertat. Ita calor nostrę cupiditatis, cùm offendat legē sibi aduersariā, maiore impetu roboratur, vt homines impellat in grauissima scelera. Nam vt vulgò dici solet, Nitimur in vetitū semper cupimusque negata. Pijs tamen & electis Dei vis ista legis nō est inutilis. Nā eos ceu pędagogus quispiā adducit ad Christū. Atque ob eam causam Christus iure ac meritò dictus est finis legis: nō quòd lex per illū sit abrogata, sed quòd ea homines ad illū dirigat. Deniq; Christus legē perfecit atque absoluit, nō tantū in seipso, sed etiā in se credētib. vires impertit, vt illi obediant. Neque mirū est legē homines adducere ad Christū, præsertim cū ipse fuerit eius author. Per filiū em Mosi fuit reuelata. Illā autē idcirco dedit, vt per eam homines ad se pertraheret. Hîc admonemur peruersitatis naturæ nostræ: quæ tanta est, vt quamuis edocti simus voluntatem Dei per Legem, tamen aduersus illam niti nunquam desistamus. Conantur quidā inferre ex hoc loco, illos non rectè facere, qui Leges promulgant, cùm illæ maximè faciant transgressiones augendas. At si isti firmiter ratiocinarentur, efficerent, Deum quoque ad non debuisse Legem scribere. Quare dicimus, Leges eas, quæ feruntur, ve iniustas esse, vel iniustas. Si iniustæ sint, non sunt habendæ pro Legibus. Quis enim Leges appellet impotentes tyrannorum affectus? Sin autem sunt iustæ, diuinarum legum erunt interpretationes. Et ex illis intelligimus voluntatem Dei, vt ita ad Christū adducamur, quò ab eo vires concedantur ad illas implendas. Hæc eadē sententia habet etiā in epistola ad Galatas: legē positā fuisse propter transgressiones, nimirum, indicandas, accusandas, atque damnandas. Ita in posteriori ad Corinthios Lex appellatur ministerium mortis: & in priori ad Corinthios dicitur vis & efficacia peccati. Et suprà in hac epistola per legē dicitur esse cognitio peccati. Vnde non iniuria mirari quis possit, quid Paulum impulerit, vt tam similia tam sæpè de Lege scripserit. Verùm cogitemus, verisimile esse, in primitiua Ecclesia, cùm Christus passim reciperetur, diabolum aliud nouū consiliū astutè excogitasse, vt lex omnib. modis efferret, nec solùm à Iudeis verùm etiā à Gentib. suspiceretur, interim verò Christianismus enerua retur, ac planè tolleretur. Perstrinxit aūt hominū oculos, ne quis in Christū, qui finis erat Legis, respiceret. Neue quis aliquid commodi ex frequenti lectione Legis reportaret, curauit, vt homines

Pueorum Lex imago Dei.

Ista nō operatur lex ex natura sua. Simile.

Finis legis Christus.

Christus author Legis.

An liceat ferre Leges.

Bonæ leges sunt diuinarum legum interpretationes

Epitheta legis.

Quod sit Pauli consilium cū de lege scribit.

homines diuerterent ad λογομαχίας, & anîles quæſtiones. Paulus itaque adductus eſt eò, vt vel Dei Legem reſpueret, vel conniueret ad obſtacula Euangelij. Prudentiſsimo itaque conſilio tria præſtat. Primùm enim Legem Dei ſi per ſe ipſam conſideretur, dignis laudibus celebrat &, vnà oſtendit, quæ mala noſtro vitio nobis ex ea prouenîant: Deinde finẽ Legis Chriſtum eſſe docet: poſtremò rixas, λογομαχίας, & quæſtiones inutiles, & ad rem non facientes reſecat. Hæc eadem fermè noſtris etiam temporibus accidunt. Clamant aduerſarij, Bona opera, Bona opera: quaſi nos ea deprimamus: Deinde non ſinunt, vt populus Dei miſericordiam, & gratiam, & Chriſti beneficium intelligat: poſtremò rixantur perpetuò, vt iuſtam Eccleſiæ reformationem impediant, atque ita tempus perpetuò extrahant, ne ad executionem vllam venîri poſsit. Sed nos ex Paulo diſcamus, quomodo illis prudenter ſit occurrendum. Bonis operibus dignitatem ſuam relinquamus: non ita tamen, vt plus illis tribuamus, quàm aut veritas, & ſacræ literæ patiantur, aut noſtræ infirmæ naturæ conueniat. Deinde Dei gratiam & Chriſti beneficium, quàm maximè poſſumus perſpicuè, ex ſacris ſcripturis oſtendamus: poſtremò à ſuperfluis, & contentioſis quæſtionibus abſtineamus. His vîis, & rationibus diabolo occurrî poteſt. Neque verò ille per ſe ipſum iſta facit: ſed malitiæ ſemper miniſtros accommodatos inuenit: quos Paulus appellat doloſos operatores, qui ſe transformẽt in angelos lucis, diſsidia & ſcandala paſsim diſſeminent, faſcinent homines rectè currentes, atque in ſui admirationem à Chriſto traducant: Appellat eos inſuper concisionem, canes, Inimicos crucis Chriſti, quorum Deus ſit venter, finis verò exitium: qui velint eſſe legis doctores: interim tamen, quæ affirment, & loquantur, ignorent: qui brabeum ſalutis interuertant hominibus per fictam modeſtiam, & carnis afflictionem, Angelorum cultus, & ἐθελοθρησκείαν: qui poſtquam deſciuerint à dilectione, quæ proficiſcitur è puro corde, bona conſcientia, & fide non ficta, conuertant ſe ad vaniloquia, & depaſcantur ac ſerpant, vt cancer: qui cùm verbis dicant, ſe noſſe Deum, factis ipſum negent. His coloribus Apoſtolus depingit falſos miniſtros, à quibus illi negotium faceſſebatur: Quorum diſsimiles non ſunt, qui hodie inſtaurandæ religioni ſe opponunt. Hactenus rationem duxit ab abſurdo. Si ex Lege conſtaret hæreditas, vana eſſet fides, & irrita promiſsio: quorum vtrumuis dicere, abſurdum eſſet. Argumentationem probauit: quia Lex iram operatur, & ſemper cum aliqua tranſgreſsione coniuncta eſt. Nunc recta ratione probat, hæreditatem conſtare ex fide, nimirum quò ſit ex gratia, vt firma ſit promiſsio. Ac ſi diceret, Oportet, vt natura diuinæ promiſsionis conſeruetur. Ea verò eſt natura eius vt certa ſit, & gratuita. Certa autem & gratuita eſſe non poteſt, niſi nos fide, non ex Lege conſtituamur hæredes. Ex hoc loco videmus.

Vt tamen legem defendere ſe prætexebant ita hodie bona opera.

Quæ de operibus docenda ſunt.

Qui ſint inſtrumenta diaboli.

Haberi ex fide eſt haberi gratuito.

Aliquid *ex fide haberi*, apud Paulum non aliud eſſe, quàm *Haberi gratuito*. Quare mirum videri non debet, quod ſæpè inculcauimus, *iuſtificari fide* eſſe intelligendum de obiecto fidei, hoc eſt, miſericordia, & promiſsione, vt gratuitò iuſtificemur. Chryſoſtomus ait, ſi ex Lege promiſsio conſtaret, nihil nobis opus eſſet ea ſalute, quam per fidem & gratiam adipiſcimur. Iam verò, cùm Apoſtolus dicat, promiſsionem certam eſſe debere omni ſemini Abrahami, id intelligi debet & de Iudæis, & de Gentibus: quaſi ſit in Abrahamo duplex poſteritas. Et in primis annotandum eſt, quod hîc de certitudine promiſsionis adducitur. Neque enim illam aut nutare, aut dubiam eſſe conuenit. Nam certum eſſe oportet id, quod fide apprehendimus. Id autem tantùm eſt verbum Dei: cui ſoli oportet, vt fides innitatur. Quare extra ſacra ſcripturas nihil eſt, quod credi poſsit. Non enim poteſt conſtans & firmum eſſe. Et omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt. Nam, ſi conſcientia ex fide non credat, id, quod agimus, placere Deo, aut ſi etiam ſuſpicetur, id illi ingratum eſſe, nos tamen interim illud ipſum facimus, certè quod facimus, peccatum eſt. Atque ita Baſilius in ſuis Moralibus ſumma octogeſima fermè ad finem libri locum, quem adduximus, interpretatur. Oportet ergo nec addere quicquam verbo Dei, nec detrahere, vt in quo ſolo habeãtur promiſsiones. Alioquin & fides, & conſcientia noſtra certitudinem, qua niterentur non haberent. Hæc autem certitudo, de qua loquimur, pendet ex duplici capite. Quorum prius eſt, quod conſtat verbo Dei: quo nihil eſſe poteſt conſtãtius, aut firmius. At dicet aliquis: Deus per Ionam Prophetam dixit fore, vt Niniue ſubuertereture, idq; poſt quadraginta dies. Et per Eſaiam Prophetam indicauit Regi Ezechiæ illum eſſe moriturum: quæ tamen non, vt prædicta ſunt, contigerunt. Imò etiam Dominus ipſe apud Hieremiam capite decimo octauo ita loquitur: Si ego loquutus fuero de aliquo regno, aut gente, vt euellam, & diſperdam, & ipſi pœnitentiam egerint, me quoque pœnitebit. Et è diuerſo ſi loquutus fuero vt plantem, & ædificem, & illi ſe male geſſerint, ea, quæ dixi, non

In Abrahamo duplex poſteritas.

Extra ſcripturas nil ex uera fide credi poteſt. Declaratur q. non eſt ex fide peccatum eſſe.

Duplex caput unde pendet certitudo promiſſorũ.

Nõ loquitur Paulus de promißione quæ fiat ex conditione.

perficiam, ſed reſpondemus, promiſsionem, de qua Paulus hîc loquitur, ex conditione non eſſe, vt ſunt permultæ legales, ad quas iſtę comminationes pertinent, quæ ſunt allatę. Imò ipſe Apoſtolus ſatis explicat, de quónam genere promiſsionum loquatur, cùm dicat, *Perſidem, ut ſit ex gratia.* Nam ſi gratis conſtat, non eſt ex conditione, aut ex hypotheſi. Atque hoc pacto promiſsio nullo pacto poteſt irritari. Hoc facilius ex ſimili intelligetur. Si quis medicus ex aliquo pharmaco polliceatur ſanitatem, ſed ea lege, vt ipſi innumerabiles pecuniæ numerentur, vtq; ægrotus dietam difficillimam obſeruet, vir pauper facile poſsit reſpondere, vanam eſſe eam promiſsionem ſanitatis, tum quòd non habeat, quod numeret, tum etiam quòd, cùm ſit infirmus, dietam, quæ imperatur, obſeruare non poſsit. At è diuerſo ſi quis exhibeat medicinam, quam dare velit gratis, nec opus aliquod ęgrotantis requirat, niſi tantùm vt bibat, aut aliquo modo accipiat, facile rata eſt hæc promiſsio. Ita prorſus nunc agitur: promiſsio nobis offertur, eaq; gratuita. Tantum enim requiritur, vt eam fide admittamus. Atque hoc primum caput eſt, vnde certitudo pendet: nimirum, quòd promiſsio ſit ex verbo Dei, & gratis oblata. Alterum caput eſt natura fidei. Ea enim eſt aſſenſus, non incertus, aut dubius, verùm fixus & conſtans: vt pòſt Apoſtolus fuſius declarabit, cùm tractabit exemplum Abrahami. Ex hoc duplice fonte apparet, quàm illi indignè faciant, qui docent homines de promiſsione ſalutis perpetuò dubitare. Nam ſi, vt ſacræ literæ nos admonent, ſperandum eſt, ſpei autem ea eſt natura, vt non confundat, aperte concluditur, nobis de ſalute noſtra non eſſe hæſitandum. Sunt, qui prætexant, dubitationem ſuam ex eo naſci, quòd incerti ſint, an ſint in finem vſque perſeueraturi. Sed iſti cogitare debent, pro perſeuerantia ſemper nobis orandum eſſe. Nam, vt author eſt Cyprianus, & eum ſequutus Auguſtinus, in omnibus, quæ petimus in oratione Dominica, Perſeuerantia includitur. Vt autem locobus docet, abſque hæſitatione petendum eſt. Quare liquet, de perſeuerantia nullo modo dubitandum eſſe, & præſertim cùm in cordibus noſtris habeamus ſpiritum ſanctum ſempper nobis ferentem præclarum de ea teſtimonium. Nam quemadmodum Paulus ait in hac epiſtola, Spiritus eſt, qui teſtimonium perhibet ſpiritui noſtro, quòd ſimus filij Dei. Et, qui non habet ſpiritum Chriſti, hic non eſt eius. Et Paulus ipſe de ſe ſcribit, ſcire ſe neque vitam, neque mortem, neque principatus, neque poteſtates, poſſe ſe auellere à charitate Dei, nimirum, qua eum Deus proſequebatur. Friuolum autem eſt, quod quidam afferunt, hæc à Paulo de ſe ipſo tantum dici, idq́ue ex peculiari quadam, & certa reuelatione. Nam ſuo loco docebimus, hæc ad omnes in vniuerſum pertinere. Alij dicunt, peccata nos deterrere à certa fiducia de noſtra ſalute. Atqui dum ſumus in hac vita, non poſſumus eſſe abſque peccato. Iohannes enim ait, Si dixerimus, nos peccatum non habere, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Quare hoc docere, non erit niſi homines in deſperationem adigere. Denique cùm Paulus dicat, Iuſtificati gratis pacem habemus ad Deum, ſatis indicat, fideles de ſalute ſua certos eſſe. Alioquin tranquillitas, & pax in conſcientia eſſe non poſſet. Nihilominus cauenda quædam ſunt, ne in hac certitudine periculoſè fallamur. Primùm enim ſcire oportet, eam non oriri ex aliqua iuſtitia, quæ in animis noſtris inhæreat: deinde eos, qui maximè certi ſint, tamen tremore atque timore non carere, ſed lapſus, & offenſionem Dei maximè vereri. Nec certitudo ea, quam ſtatuimus, adiuncta habere poteſt illud genus peccati, quod, vt Auguſtinus loquitur, conſcientiam deuaſtat. Et in primis eſt videndum, ne hæc certitudo ad licentiam, & libertatem carnis accipiatur. Sic autem nos oportet eſſe comparatos, vt de nobis ipſis deſperemus: ac è diuerſo omnem fiduciam in vno Deo collocemus. Poſtremò ſciendum, non poſſe fieri, dum hîc viuimus, vt ita ſimus in fide certi, vt nihil vnquam ſuboriatur dubitationis. Neque iſta inter ſe pugnant, quin & credere & certi eſſe poſsimus, & tamen interim aliqua hæſitatione commoueri. Iſta enim ex diuerſis proueniunt principijs. Vt, ratio iudicat orbem Solis tota terra maiorem eſſe: at interim ea de re ſenſus & dubitat, & ſecus atteſtatur. Iohannes etiam ait, Qui natus eſt ex Deo, non peccat: è diuerſo tamen ait, Si dixerimus, nos peccatum non habere, mentimur. Non enim ſemper agimus, ex eo principio, quo ſumus regenerati: ideóque ſæpe labimur, & peccamus. Ita de certitudine, & dubitatione ſentiendum eſt, eas non ex iiſdem manare principijs. Nam dubitatio proficiſcitur à carne noſtra, ab infirmitate, & prudentia humana: Certitudo autem ex fide, quam habemus erga Deum. Quoniam autem non ſemper ex illa operamur, inde fit, vt nonnunquam hæſitemus. Poſtremò tamen vis fidei prævalet, & nubem hæſitationis diſpellit. Iam videndum eſt, quomodo Paulus certitudinem promiſsionis nobis demonſtret, ex altero capite, nimirum exinge-

Fidei non eſt aſſẽſus incertus aut dubius

De certitudine ſalutis.

De perſeuerãtia non dubitandum

Teſtimonium ſpiritus ſanctus eſt certum.

Qui credũt peccata ſua obſtare promiſsioni facilè in deſperationem adiguntur.

Qui nõ ſunt certi de ſalute, neq; pacati neq; tranquilli eſſe poſſũt

Quæ ſint cauenda quo ad certitudinem ſalutis.

Peccatum conſcientiam deuaſtãs.

Nunquam ſimus tã certi quin ſuboriatur dubitatio

Non pugnant in homine ut ſit certus & tamen nõ nihil dubitet.

Certitudo & dubitatio ex diuerſis principijs.

Certitudo præualet.

ex ingenio, & natura fidei. Id facit tractando exemplum Abrahamí: de quo ita scríbit.

Qui est pater omnium nostrum. Sicut scriptum est, patrem multarum gentium constituí te. Abrahamus est pater multarum gentium: hoc est, omnium eorum, qui credunt, quocunque loco terrarum fuerint. Dicitur autem pater credentium, quòd & exemplum fidei fuerit credentibus, & prædicationem illam docuerit. Hæc est illa Sanctorum communio quam profitemur in symbolo. *Sãctorũ cõmunio*

Ad exemplum Dei. Græcè est κατέναντι: Quod Chrysostomus interpretatur per aduerbium similitudinis, ὡς, quasi Abraham fuerit instar Dei. Et hanc similitudinem idem Chrysostomus explicat duplici ratione. Primùm quòd, sicut Deus non est vnius gentis pater, non autem alterius: Ita Abrahamus non est ita quorundam credentium pater, quasi non sit etiã aliorũ. Deinde quòd cognatione carnis Deus non sit nobis pater, sed ratione spirituali. Sic Abrahamus non est ita pater omnium credentium, quasi eos iuxta carnem genuerit: sed cognatione, vt diximus, spirituali. Vox illa Græca significare potest, Coram: vt credentium omnium sit pater coram Deo: nimirùm, quia sensu ac ratione humana percipi non potest, Abrahamum esse patrẽ omniũ credentiũ, sed tantùm coram Deo, id est, vi spiritus hoc intelligitur. Potest etiam illud κατέναντι significare coram eo modo, quo in libro Geneseos mulier facta dicitur adiutorium viro, vt esset כנגדו quasi dicas, aptum, & quod proportionem habeat, & debitam ἀναλογίαν ad virum: quodque ei præsto sit, cuiusmodi adiutorium inter cæteras animantes non potuit Adamo inueniri. Quòd si roges, cùm nos infinito perfectionis interuallo distemus à Deo, quam ἀναλογίαν siue proportionem ad illum habere possimus, respondeo, id fieri opera fidei. Nam per illam recipimus dona, & promissiones, quas Deus in nobis implere decreuit: cùm tamen nostra vis, & potentia Deo no possit vllo modo æquari. Simile quiddam Philosophi habent de Deo prima omnium rerum causa: cui proportione, & ἀναλογία quadam volũt materiam quam primam vocant respondere: quòd sua potentia apta sit, ad recipiendas omnes formas, quas ille productur us est. Ita nos per fidem idonei rẽddimur ad promissa Dei capienda: atque ita coram eo, aut è regione ipsi constituimur. Videndum autem cuique est diligenter, vt tantum habeat fidei, quantum satis sit ne à diuinis promissionibus vincatur. Hęc illa lucta est Iacobi cum Deo. Noluit enim ab eo superari, sed contrà luctatus est, & benedictionem accepit. *Abrahamus Dei similis.* *Quomodo per fidem cõferri possimus cum Deo.* *Simile.* *Lucta Iacobi cum Deo.*

Cui credidit. Ambrosius legit, Credidisti, quasi apostrophe sit ad Ethnicum. Sed planior est lectio vulgò recepta.

Vocat ea, quæ non sunt, quasi sint. Hoc apparuit cùm orbis crearetur. Cùm enim Deus tantùm iuberet, vt aliquid extaret, statim extitit. Qua loquutione facilitas ostenditur creandi. Non enim in eo Deus magis laborat, quàm nos solemus, cùm aliquem vocamus. Ostenditur etiam per filium, qui est verbũ patris, omnia & facta esse, & fieri. Nos quoque, cùm regeneramur, vocari dicimur. *Cur Deus uocare dicatur creaturas.*

Qui præter spem sub spe credidit. Videtur hæc loquutio prima fronte absurda. Quî enim fieri potest, vt aliquis præter spem, tamen spem habeat? Chrysostomus hoc pulchrè explicat, παρ' ἐλπίδα, inquit, τὴν ἀνθρωπίνην· ἐπ' ἐλπίδι τῇ τοῦ θεοῦ. Est autem ac si dicas, sperauit etiam rebus desperatis: aut, cùm nulla spes esset, tamen sperauit. Est autem in ea voce μετονυμία. Per spem enim hoc loco intelligimus ea, quæ sperantur. Sententia est: Contra ea, quę sperari possent humanitùs, expectauit ea, quæ diuinitùs proponebantur ad sperandum. In hoc Abrahami exemplo, quod Apostolus tractandum suscepit, natura, & ingenium fidei appositè describitur. Est enim fides donum Dei, quo promissionibus eius firmiter assentimur, carni, & humanæ prudentiæ reluctantes. Donum Dei esse, Paulus ad Ephesios disertis verbis testatur: cùm ait, Fide nos seruatos esse, atque id non ex nobis: donum enim, inquit, Dei est. Et quemadmodum Philosophi non arbitrati sunt, facultates, & vires hominis esse satis ad absolutè perfectéque agendum, & idcirco habitibus opus esse statuerunt, vt in repentinis casibus expediti esse possimus ad rectè faciendum, ita vt diuturna deliberatione non egeamus, vtque, quod facimus, facilè & iucundè faciamus: Ita nos quoque oportet ad percipienda ea, quæ Dei sunt, vi aliqua externa, & superaddita, mentem, ac intellectum nostrum habere corroboratum: cùm ad Dei arcana vitio primi lapsus redditi simus multò ineptissimi. Cumque illa, quæ fides nostra respicit, diuina sint, omnino, vt ad ea percipienda diuino etiam afflatu iuuemur, necesse est. Verùm quid in primis illud sit, in quo fides nostra fertur, dicendum est. Id autem, si vno verbo dicendum sit, est promissio Dei, cui credendo assentimur. Est ea in primis promissio, qua pollicetur, se nobis fore placatum atque propitium per Christum. Et licet in sacris literis permultæ legantur, nobisque offerantur Dei promis- *Fidei & naturæ ingenium.* *Simile.* *Quid nã sit primũ obiectũ fidei*

siones, vna tamen est præcipua, propter quam cæteræ nobis præstantur, ad quam eandem omnes aliæ cogendæ sunt. Ea est, quam modò diximus, placatum fore nobis Deum propter Christum. Et quamuis permulta sint, quæ debemus credere, vt comminationes, historiæ, adhortationes, laudes Dei, & alia id genus, tamen hæc omnia ad illam vnicam promissionem persuadendam referri debent. Hinc patet, quod nam sit obiectum præcipuum fidei. Commune autem obiectum, siue, vt loquuntur, adæquatum, est verbum Dei nobis in sacris literis declaratum. Vltra hoc obiectum fides se non extendit. Nam, vt Paulus ait, fides est ex auditu, auditus autem per verbum Dei. Hoc aduersarij nostri ferre nullo modo possunt. Contendunt enim esse, quædam, nescio quæ, credenda, quæ in sacris literis non contineantur. Nos autem dicimus fidem esse assensum, qui exhibetur scripturæ sanctæ, & his, quæ necessariò & euidenter per illam concluduntur. Solent nobis inter alia obijcere perpetuam virginitatem Matris Christi: quam aiunt credendam esse, cùm in sacris literis non habeatur. Obijciunt insuper authoritatem sanctæ scripturæ esse ab Ecclesia, & ex ipsis scripturis non posse probari. Quod ad primum attinet, satis nobis est, edoceri ex sacris literis, Christum ex virgine & conceptum fuisse, & natum. Præter hoc autem asserere velle, Beatam virginem fuisse coniunctam viro, commixtione carnis temerarium est. Id enim cùm nec habeant sacræ literæ, nec sit verisimile, cur tandem à nobis credi debet vel affirmari? Contrà autem, quòd virgo perpetuò manserit, cùm id sacræ literæ diserte non affirment, non recipiendum est, inter ea, quæ necessariò credi debeant: qualia illa sunt, quæ in sacris literis expresse continentur. Hieronymus hac de re scripsit aduersus Heluidium. Is enim meritò damnandus erat, quòd temerariè prædicaret, eam perpetuò virginem non fuisse. Et Augustinus pulchrè monet, cùm ad ea venitur, vbi sensus scripturæ non potest certò colligi, ne sententiam alterutram in partem præcipitemus. Quod ad alteram obiectionem attinet, sæpius dictum est, id non esse verum, quod assumunt, scripturam habere authoritatem ab Ecclesia. Eius enim firmitas à Deo pendet, non ab hominibus: & prius est verbum, & quidem firmum, ac certum, quàm Ecclesia. Nam Ecclesia per verbum vocata fuit. Et spiritus Dei egit in cordibus audientium verbum, & illud legentium, vt agnoscerent, non esse humanum sermonem, sed prorsus diuinum. A spiritu itaque accessit authoritas verbo Dei, non ab Ecclesia. Sed aiunt, Augustinum scribere aduersus Epistolam fundamenti: Non crederem Euangelio, nisi me Ecclesiæ authoritas commoueret. Atqui his verbis Augustinus nil aliud significare voluit, quàm multùm tribuendum esse ministerio Ecclesiæ, quæ fidelibus proponit, prædicat, inculcat Euangelium. Quis enim nostrûm accessit ad Christum, aut credidit Euangelio, quin excitatus fuerit prædicatione Euangelij, quæ fit in Ecclesia? Non tamen inde colligi potest, authoritatem Euangelij pendere ab Ecclesia apud animos audientium. Nam si in ea positum esset, vt scriptura reciperetur, certè illam iam olim & Epicureis, & Turcis persuasisset. Verùm longe secus est. Quicquid enim authoritatis habet Ecclesia, aut ministri eius, id totum pendet à verbo Dei. Nam si quæras ex illis, vnde probent authoritatem Ecclesiæ, aut vnde certi sint, eam non errare in intelligendis sacris literis, & secernendis ab alijs, dicent, quoniam regitur à spiritu sancto. At hoc ipsum, ô boni, vnde nostis? Quoniam Christus, inquient, promisit se cum ea futurum vsque ad consummationem sæculi: Et quoniam idem dixit, Vbicunque fuerint duo aut tres congregati in nomine meo, ibi sum ego in medio eorum: Et, Mittam spiritum paracletum, qui vos deducet in omnem veritatem. Hæc, inquiunt, ea sunt, quæ nobis persuadent Ecclesiæ authoritatem. Sed ista vnde, quæso, accipitis, nisi ex sacris literis? Quare è diuerso potius concluditur, Ecclesiam authoritatem suam habere à scriptura. Ad hæc ex hoc loco Pauli declaratur alia differentia fidei: nimirum, quòd sit assensus firmus. Prædicat enim de Abrahamo, nihil eum hæsitasse. Et vtitur verbo διακρίνεσθαι, quod est, secum disceptare, atque ambigere. In quam significationem Acta quoque Apostolica eodem verbo vtuntur. Sic enim Petro dicitur, vt ad Cornelium Centurionem eat, μηδὲν διακρινόμενον, hoc est, nihil ambigens. Respexit Abrahamus ad voluntatem, & potentiam Dei promittentis: non ad suam, aut vxoris infirmitatem. Extra Deum nihil habuit, vnde posset sibi quippiam huiusmodi promittere. Quare, vt inquit Apostolus, roboratus est fide, nec hæsitauit incredulitate. Quod perinde est, ac si dixisset, Ex omni alia parte incredulitas, & dubitatio illi se offerebat. Neq; reprehendi debet hæc sententia, q; non ita in nobis fieri experiamur. Nullus em̃ est, in cuius animo nõ suboriat interdũ aliqua dubitatio de his, quę credimus. Quia hoc non à fide, sed ex nostra infirmitate prouenit. Id nos facilè docere potest, quod videmus in habitu scientię præsertim mathematicę cõtingere. Ibi

Obiectũ fidei cõmune adæquatũ.

Veritates nõ scriptas et tamè credendas obijciunt Papistæ.

Perpetua virginitas Mariæ.

Augustini documentum.

Scriptura nõ habet authoritatẽ ab Ecclesia.

Non crederẽ Euangelio, nisi Ecclesiæ authoritas non commoueret

E diuerso Ecclesia suam authoritatem habet à scriptura.

Fides est firma.

Ibi enim certitudo est, & quidem maxima. Nam conclusiones ex præmissis necessariò & euidentissimè consequũtur. Verùm si quis non perfectè didicerit, nec absolutè scientiã fuerit assecutus, interdum dubitabit. Id autem fit, non propter scientiam, sed propter defectum eius, qui sciẽtia vtitur. Ita quia nos, dum hîc viuimus, infirmi sumus, neq; plenã perfectamq; fidem habere possumus, ideo emergunt sæpe etiam nolentibus nobis dubitationes. Verùm secus esse videas de natura opinionis, quæ talis est, vt nobis imputari minimè debeat, si non nihil inclinamus in alteram partem, ab ea, quam opinamur esse veram. Infirmitas autẽ, quæ nobis circa fidem accidit, duplex esse potest. Quandoq; enim firmiter quidem adhæremus his, quæ credimus: sed alia tamen adhuc supersunt credenda, quæ nondum percepimus. Et hoc pacto qui adhuc seruabant ciborum delectum, & alias ceremonias, vnà cum Euangelio, à Paulo in hac epistola dicuntur infirmi fide: quòd nondum nouissent per Christum abrogatas esse ceremonias Iudæorum. Aliquãdo fit, vt videamus quidẽ, quę credenda sint: fide tamen non ita simus perfecta, vt firmiter & constãter in illis hæreamus. Ita Christus Apostolos appellauit Modicæ fidei, & præsertim Petrũ, cùm fluctib. iam ferè mergeretur hæsitando. Quare semper de vtraq; parte Deus rogandus est, vt nobis fidẽ augeat. Obseruandum est etiam ex hoc loco, vim credendi esse à spiritu sancto: cùm tot ac tantis fluctib. dubitationũ animum impetentibus, non succumbimus, sed illos denicq; superamus: quod sine cælesti, & supernaturali quadam vi fieri non posset. In isto autem assensu fidei examinandũ est diligenter, & quis ille sit, qui dixerit, & quidnam illud sit, quod dicitur, nobisq; ad credendum proponitur. Quia diabolus nihil magis curat, quàm vt Deus credatur dixisse, quod non dixerit. Sæpe etiam illa, quæ ab ipso Deo dicta sunt, ab impostoribus torquentur in diuersum sensum, & deprauantur, atque ita credenda obtruduntur. Quare quum opus sit reuelatione, quod ad vtrunque caput attinet, Deus orandus est, ne nobis imponi sinat. Putauit quidam ex Sentẽtiarijs, si certò constaret Deum quippiam dixisse, in eo fidem non posse habere locum. Nam illico, inquit, naturali lumine cognosceremus, verum esse oportere, quod Deus dixerit: nisi eum velimus mendacem existimare. Sed iste insigniter errat. Non enim dubitamus, prophetas certò cognouisse, Deum in se loqui: & tamen his quæ prædicebant, fidem habuerunt. Nos etiam certò nouimus, Deum dixisse ea, quæ habentur in sacris literis. Et tamen illis fidem habemus. Apostoli nouerunt, se accepisse Spiritum Sanctum. Non tamen ob id carebant fide. Quod autem iste dicit, tum esset verum, si Deum hæc dixisse ratione, aut sensu euidenter cognosceremus: quod fieri omnino non potest. Non enim ista nobis innotescunt, nisi reuelatione. Iste verò pro euidentia posuit certitudinem. Postrema pars, quæ est in definitione, qua dicitur hanc assensionem luctari cum sensu & prudentia carnis, non tantùm hoc exemplo Abrahami perspicuè monstratur, sed alijs etiam permultis. Liberationem Deus promittebat Israelitis: interim tamen augebatur afflictio: maior numerus laterum imponebatur: paleæ ad opus non dabantur: acerbæ & crudeliter cædebantur. Quumque iam essent egressi Aegyptum, se illis obijciebat mare, & ex altera parte rupes insuperabiles: à tergo autẽ magno cum excitu imminebat Pharao: quibus obstacolis carnem oportuit reluctari. Promissioni factæ Dauidi multa identidem refragabantur, ne vnctioni Samuelis fidem haberet: aduersus quæ necesse fuit vt corroboraretur fide. Apostoli quoq; multa in Christo deprehendebant infirmitatis indicia, quæ illos oportuit fide superare. Quare concludítur, eam esse fidei nostræ naturam, vt semper cum aliqua dubitatione certet.

Cur nobis credẽtibus emergant dubitationes.

Duplex fidei defectus.

Deus rogandus, ut fidem augeat

In assensu fidei quæ sint excutienda.

Orandus Deus, ne sinat nobis imponi.

Qui certè nouerunt Deũ quippiam dixisse, an sequatur illos credere.

Exempla.

Fides cum aliqua dubitatione perpetuò certat

Fidei finis.

Gloria Dei in quo sita.

Dans gloriam Deo. Hîc finis proponitur, quem fides spectat: nimirum, vt gloria Dei constet, & augeatur: quæ in eo sita est, vt æstimationem Deo dignam concipiamus. Abrahamus dicitur fuisse ferè Cẽtenarius. Nam, vt habet historia Geneseos capite decimo septimo, nonagesimũ nonum annũ agebat, cùm hæc promissio illi offerretur. Neq; ante se habuit exemplũ simile, quod intuendo confirmaret. Ille enim primus est, cui in scripturis legimus restitutam fuisse vim ad prolem suscipiendam. Neque mirum est ex opere fidei asseri gloriam Deo: quando quidẽ ibi meliorẽ nostri partem in gratiã eius abnegamus: Ea autem est mens & ratio, qua propositis rebus vel assentimur, vel dissentimus. Vnde apparet, nihil præclarius à nobis Deo offerri posse. Est emm hæc ingẽs testificatio diuinæ potentię, ac bonitatis: vt eius causa videamur naturę sensum in nobis extinguere. Mirũ verò est, eos, qui opera tam libẽter cõmendant, quiq; tã multi sunt in castitate, cœlibatu, & alijs operib. efferẽdis, in ornanda fide tanto pere frigere: cùm ab ea sit victoria, qua & nos ipsos, & mundum vniuersum vincimus. Sic enim Ioãnes ait: Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra. Quod non eò dico, quòd, putem nos iustificari fide, quatenus ea opus est. Varijs enim infir

Fide abroganus nostri meliorem partem.

Non iustificamur fide, quae est opus.

Fides nõ meeretur nobis iustificationem.

Fides qua opus est alia opera uincit.

Probatur fides esse nõ posse absque operibus.

Virtutes intellectus non pugnãt cum uitijs.

Sine charitate non potest intellectui iuberi ut credat.

Fides à præcepto uolũtatis nõ pendet.

Diuina reuelatio facit conspicua, quæ alioquin erãt aliena

Fides neq; naturã hominis, neq; rationem extinguit.

Fundamenta nostræ Resurrectionis.

Quæ fides Abrahamũ confirmauerit ad obediẽdum Deo.

mitatis nostræ maculis inquinatur. Et Augustinus ait, non esse admittendam hanc sententiam, Fidem nobis mereri iustificationem. Ea enim, inquit, non est ex nobis: sed vt Paulus ad Ephesios diserte testatur, est donum Dei. Attamen quatenus opus est, multis partibus alia opera vincit. Neque dici potest, quàm hallucinentur Scholastici, dum illam absque bonis operibus extare posse confingunt. Nam iuxta illorum sententiam, fides non accederet ad dignitatẽ prudentiæ: quæ, vt & philosophi scribunt, & ipsi fatentur, absque cæteris virtutibus haberi non potest. Quæ igitur erit fides theologica, si prudẽtiæ perfectionem non attingit? Deinde cùm virtus non patiatur vnà secum coniungi vitium, & ipsi fidem virtutem esse contendant, quomodo in peccatoribus, & alienis à Deo veram fidem esse volunt? At dicent, se illam constituere virtutem intellectus: cui generi virtutum vitia non repugnant. Siquidem in sceleratissimis hominibus scientiæ insignes interdum conspiciũtur. Sed ne hoc illos iuuet, sua ipsorum obstat fictio. Imaginantur enim ea, quæ nostro intellectui proponuntur, obscura sint, nec euidentiam habeant, assensum illis non præberi, nisi quia voluntas intellectui præcipit, vt consentiat, atque in hoc se diuinæ veritati subijciat. Interrogabimus ergo istos, an opus volũtatis, quo mandat intellectui, vt cedat, & assentiatur verbis Dei, bonum sit, an ne malum. Certè velint, nolint cogentur fateri bonum esse. At absq; charitate fieri non potest, vt voluntas adducat intellectum in sententiam rerum credendarum. Quare pugnant inter se istorum cõmenta. Nos verò non ita fieri docemus, vt fides à præcepto voluntatis pendeat. Vnde enim illa moueretur, vt res credendas recipi iuberet tanquam bonas, & dignas fide, nisi id prius per intellectum percepisset? Obscura quidem, & parũ euidẽtia humanę rationi fatemur esse ea, quæ credimus. Sed ea intellectui cõspicua fiunt lumine diuinæ reuelationis, & fulgore spiritus sancti. Quare á iudicio rationis apprehenduntur, atque admittuntur summa certitudine: quibus ita cognitis, atque receptis, vt consequens est, voluntas sese oblectat, & ea tam vehementer complectitur, vt cæteris animi facultatibus opera præcipiat ei veritati, cui mens credidit, cõsentanea. Atque hoc pacto ex fide oritur charitas, & illas spes consequitur. Quæ enim credimus, & vehementer amamus, ea forti & patienti animo præstolamur: quod ad spem potissimũ attinet. Nec suspicetur quisquam, id aut rationi obesse, aut naturam hominis extinguere, quòd credendo videamur sensum humanum abnegare: quasi hoc sit insanire, vt rex Agrippa dicebat Paulo, cùm fidem Christi prædicaret: Multæ literæ te ad insaniam adegerunt. Non ita est: sed potius efficitur per fidẽ, vt ratio nostra doctrinæ Dei, & eius reuelationi se subijciat: potius quàm inferioribus ratiocinijs, & persuasionibus: quæ cùm sint inferiores diuinis scripturis, eruditur illis potius homo, quàm deijcitur. Et si quis dicat, insanire homines credendo, addemus id maximè cum ratione fieri. Memorat Apostolus, Deum mortuos viuificare,, & emortuũ fuisse corpus Abrahami, atque etiam vterum Saræ. Quibus verbis Chrysostomus ait iacifundamenta nostræ Resurrectionis, quam futuram credimus. Nam si Deus hæc facere potuit, illi nec modus deerit, nec facultas qua restituat mortuos. Atque equidem mihi persuadeo, hanc fidem non paruo præsidio Abrahamo fuisse, vt animum induceret sacrificare filium suum, vti Deus ab ipso postulauerat. Licet enim promissionẽ de posteritate susciperet esse. Deum enim posse etiam mactatũ excitare credebat, vt iterũ viueret. Quánque laudabilis fuerit huius Patriarchæ fides, Paulus indicat, cùm illum ait, non spectasse corpus suum emortuum, aut effœtum vterum Saræ, sed gloriam dedisse Deo: id certissimè persuasus, Deum posse præstare atque efficere, quæcunq; promiserat. Ambrosius ἐξ ἀντιθέσεως declarat excellentiam huius fidei, nam eam confert cum incredulitate Zachariæ: cui cùm Angelus denuntiaret Ioannis Baptistæ generationẽ, tamen perstitit incredulus. Et idcirco correptus est à Domino, & lingua eius ita impedita, vt eam explicare nõ posset. Quæ pœna satis fuit illi peccato cõgrua. Nam qui non credunt, ijdem neq; loquuntur, neq; confitentur. Cogitauit secum Abrahamus, quanquã natura iam effœtus, & sterilis effectus sim, tamẽ Dei vis & potentia non subijcitur creaturarum impedimentis. Potest enim Deus citra consuetam rationem, & cursum naturæ, quicquid voluerit efficere. Quare, licet meis viribus procreare non possim, tamen Deus potest ornare promissionem suam miraculo, quod superet naturæ ordinem. Rabini Hebræorum aiunt, Abram non generat, verùm Abraham generat. Quoniam, inquiunt, ה aspiratio interponitur, quod est elemẽtum pertinẽs ad nomen Tetragrammatum. Acsi diceretur, adiecta vi diuina, qui procreare non poterat, liberos iam suscipit. Augustinus in quæstionibus super Genesin hunc locum Apostoli arbitratur non simpliciter intelligendum esse. Quia post mortem Saræ legimus Abrahamum ex Cethura vxore

vxore superinducta multos filios habuisse. Et addit, Physicorum esse sentẽtiam, viros adultioris ætatis ex mulieribus natu grandioribus non posse liberos procreare: eosdem tamen ex puellis posse. Quare vult corpus Abrahami hoc loco intelligi emortuum, quoad Saram vxorem, quę iam erat nonagenaria. Sed hæc expositio non habet causam tam firmam, vt nos possit ad se compellere. Nam quòd Abrahamus suscepérit liberos ex Chetura, Sara cùm iam esset mortua, id ex eo fieri potuit, quòd illi Deus iam vltra naturæ ordinem, vim procreandi restituisset. Neque ad rem facit, quod affert Origenes, qui hoc loco scribit, emortuum intelligi corpus Abrahami, quòd iam cum vxore sua castè viueret, neque amplius cum ea commisceretur. Commendat autem eum, quòd accepto Dei mandato de prole sibi futura ex coniuge rursus ad illum accesserit. Ista, vt videtur, ab eo sunt excogitata, nec ex historia possunt elici. Nunc id agit Apostolus, vt Abrahami fidem commendet, quòd promissioni Dei constanter assensus fuerit, licet reclamante & sua & vxoris natura. An verò Abrahamus quippiam dubitauerit, quum illi Deus promitteret filium, scriptura videtur in suspicione relinquere. Nam capite duodecimo Geneseos risisse dicitur, & dixisse, num centenario nascetur filius? & Sara nonagenaria pariet? Vtinam: viuat Ismael in conspectu tuo. Verba hæc & lætitiam, & admirationem præseferunt, coniunctam nihilominus cum aliqua dubitatione. Atque hæc scriptura idcirco commemorat, vt fides Abrahami, quæ tantopere laudatur, nequaquam existimetur fuisse absque dubitationibus, quæ à carne & humano sensu oriri consueuerunt. Quoniam autem fides Patriarchæ illas vicit, idcirco laudatur. Neque illic legitur Abrahamus accusatus à Deo incredulitatis, quemadmodum Sara, quæ itidem risit. Quòd si risum externum expendas, ambo pares fuerunt. Verùm Deus, qui est καρδιογνώστης optimè intellexit vtriusque fidem. Sancti viri, quanuis Dei promissionibus crederent, tamen interdum ex humana infirmitate sub dubitabant. Idcirco sæpius factum est, vt signa & miracula petierint ad confirmandam suam imbecillitatem: quod à Gedeone, & Ezechia rege factum legimus. At hoc loco remedium ostenditur aduersus huiusmodi tentationes: nimirum, vt reuocemus cogitationes ab humanis obstaculis, & solùm contemplemur potentiam Dei. Hoc Angelus monuit beatam Virginem, Non est, inquiens, impossibile apud Deum omne Verbum. Quanquam ex verbis Virginis non apparet, eam dubitasse, sed tantùm petijsse, quo modo id futurum esset. Non enim dubitabat, se, vt Angelus dixerat, concepturam, idq; statim: sed quum animaduerteret se nondum matrimonio esse coniunctam, quanuis esset desponsata, interrogauit quo nam modo id fieret: expectanda ne esset coniunctio, an id alio pacto futurum esset. Angelus igitur responso suo duo capita complectitur. Alterum, quo dubitationem remoueret, si qua fortè in Virginis animo hæsissét: ait enim, Non est impossibile apud Deum omne verbum: Alterum de concipiendi modo. Spiritus, inquit, Sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Quòd autem quidam comminiscuntur, eam sic interrogasse, quòd vouisset Deo virginitatem, nihil opus est, vt multis refutemus: præsertim quum ex ipsa historia doceamur, eam desponsam fuisse viro, neque tum temporis consuetudo illa fuerit, vt virginitas Deo voueretur. Sed vt ad institutum redeamus, dubitationibus, quæ fidei reluctantur, occurrendum est, consideratione diuinæ potentiæ. Non enim vlla dubitatio ex Dei voluntate oritur. Nam vltro pollicetur, quicquid credendum proponit: neque certè id faceret, si dare nollet. Superest igitur, vt qui huiusmodi dubitatione tentantur, de eius ambigant potentia. Hinc factum arbitror, vt ecclesiæ preces tam frequenter initium sumant ab Omnipotentia Dei, vt animi precantium confirmẽtur, neque quum publicè oretur, quicquam cum hæsitatione petant. Ex his constat, quàm graue sit peccatum, de promissionibus Dei dubitare. Id enim non aliud est, quàm Deum vel mendacem, vel infirmum facere. Et qui ita sentiunt, Deum nec inuocare possunt, nec aliquid ab eo vel petere, vel expectare. Iam verò quum hoc sit ingenium fidei, quod Apostolus nunc describit, satis apparet, Diabolum non habere fidem. Non enim fidere potest se Deo esse gratum, præterea illum omnipotentem esse acumine intellectus naturali satis nouit. Quod autem Iacobus ait, Diabolum credere, & contremiscere, Credere posuit pro Nosse. Fides verò, quæ hîc describitur ad homines tantũ, eosq; non nisi pios pertinet. Repetit Apostolus, hanc fidem Abrahamo imputatam fuisse ad iustitiam. Antea quidem crediderat, & iustificatus fuerat: sed scriptura id nunc exprimi curauit, quando præclarius, & insignius eius fides enituit. Nam quod ad hanc promissionem attinet, & corporis ipsius dispositio, & ętas vxoris vehementissimè reclamabant: quod in superioribus promissis non tam perspicuè demonstratur.

An Abrahamus dubitarit, quum sibi filius promitteretur.

Ambo riserunt Abrahamus & Sara.

Ad suã fidem cõfirmandã sancti miracula interdum petebant. Remediũ cõtra imbecillã fidem. An beata Virgo dubitarit. Beata uirgo non uouit.

Preces Ecclesiæ ab omnipotẽtia Dei incipiunt.

Graue peccatũ de promissis Dei dubitare.

Diabolus nõ habet fidem.

Fides, quæ hîc tractatur solùm ad homines pios pertinet.

Non scriptum est autem propter illum tantùm. Hîc Paulus exemplum Abrahami accommodat ad nos. Ait enim, Quemadmodum illi fides profuit ad iustificationem, ita ea nobis quoq; imputabitur ad iustitiam. Hunc morem seruare nos oportet, cùm accedimus ad lectionem sacrarum literarum: vt cùm locum aliquẽ diligenter excusserimus, oculos animi ad nos ipsos referamus, & diligenter requiramus, quid ad nos, ea, quę legimus, pertineant. Hoc quoque obseruandum est, Apostolum, cùm tractat locum cõtrouersum de iustificatione, ad facienda disputationis iudiciũ, non relegare credentes, nisi ad scripturas. Neq; enim remittit ad patres, quidnam illi sentiant. Siquidem habemus scripturas, in quibus omnia, quæ ad salutem sint necessaria, luculenter continentur. Nam Paulus ait ad Timotheũ, Omnis scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad doctrinam, ad redargutionem, ad institutionẽ, & ad correctionem: vt perfectus, & absolutus sit homo Dei, & ad omne opus bonũ instructus. Hîc quatuor capita numerantur, quæ summã totius Christianismi cõplectuntur. Nã vel de dogmatis, vel de moribus tractandũ est. Et dogmata quidẽ videndum est, vt bona, & vera confirmentur: vitiosa verò, & falsa refallantur. Et de his Apostolus ait, Scripturas vtiles esse ad doctrinam, ad redargutionem. Mores autem vel boni suadendi sunt per admonitiones, vel praui reprehendendi. Atque huc pertinet, quod Apostolus ait, Ad correctionem, & ad institutionem. Hæc autem ita continentur in sacris literis, vt per illa homo reddi possit perfectus. Quòd si aliquid in illis deesset, dici nullo modo posset. Quare negligẽtia nostra vehementer est accusanda, qui ita sacras literas scrutari contemnit. Laici, & idiotę de pastoribus queruntur. Nam cùm illi stertant, mirum non est, si alij dormiant. Huic tantæ negligentiæ pastorum non posset meliori ratione consuli, quàm si laici perpetuò versentur in scripturis, & quicquid ambigunt, ad præfectos suos deferant, interrogent, vrgeant. Ita fiet, vt velint, nolint, cogantur studium & diligentiam adhibere. Puderet enim certè aliquando eos, cùm respondere non possent. Verùm laici dicunt, sibi non vacare, vt sacris literis incumbãt: cùm tamen magna cum iactura temporis lusibus, & inutilibus nugis vacent. Chrysostomus omnes suos perpetuò in sacris concionibus ad lectionem sacrarum scripturarum extimulabat, & alijs permultis rationibus, & denique hoc præclaro simili. Qui nacti sunt, inquit, auri, aut argenti fodinas, nullis parcunt laboribus, humum effodiunt, terram subeunt, & tetram atq; pestilentem exhalationem perferunt, quò possint ad paruas auri, aut argenti micas peruenire. Et nos cùm habeamus copiosissimum thesaurum, & paratissimum scripturarum, in eo nos exercere, & aliquem laborem suscipere detrectamus. Non sunt expectandi hodie pastores, qui ad scripturas legendas nos inuitẽt. Mallent multò potius eas prorsus interdictas esse populo, & à Triumuiris custodiri instar librorum Sibyllæ, vt ipsi à populo consulerentur, & ei tanquam ex tripode responsa darent. Qua ratione ipsorum otio pulcherrimè prospectum esset. Nunc autem, quando id non liceat, aiunt, sensum scripturę petendum esse ex patribus: vt, cùm opus infinitum sit, illos omnes legere, ipsi interim abusus suos pro sua libidine confirment. Semper enim aliquem inuenient inter illos, qui videatur ipsorum figmentis & somnijs astipulari. Neque pudet istos, diuina oracula subijcere hominum sententijs. Sed aiunt, se ibi solùm id facere, vbi loci sunt cõtrouersi, nec ex ipsa scriptura possint exponi. Qua de re operæpretium erit audire Hieronymum. Is in caput 23. Matthæi tractãs illam sententiam Domini, Zachariã filium Barachiæ fuisse occisum inter templum & altare, ait quosdam sensisse, illum Zachariam fuisse patrem Ioannis Baptistæ, qui eo in loco fuerit occisus, quòd esset sacerdos, non alia de causa, quàm quòd Christum prædicasset. Quæsiui sæpius, cuiusnam è patribus esset hæc expositio. Inueni tandem eam esse Basilij. Vtitur enim ea in Concione de Natiuitate Domini, & illam ait fuisse traditionem longa successione ad sua vsque tempora confirmatam. Zachariam, cùm esset sacerdos, asscripsisse Matrem Christi postquàm peperisset, inter virgines, & accusatum à Iudæis, & reddentem facti sui rationem, multa etiam insuper de Christo prædicantem, cùm à Iudæis ferri amplius non posset, fuisse occisum. De hac historia Hieronymus ad hunc modum pronunciat: Hoc quum ex scripturis autoritatem non habeat, eadem facilitate contemnitur, qua probatur. Videmus igitur testimonio Hieronymi interpretationes dubiorum locorum non admitti, nisi ex scripturis petantur, & confirmentur. Si autem volumus difficultatem scripturarum superare, illæ nobis die noctuq; familiariter versandæ sunt. Idq; cogitemus, quod nunc Apostolus morat, eas non propter illos tantùm, de quibus illic agitur, scriptas fuisse, verùm etiam propter nos. Sed cùm addatur particula, *Tantùm*, hoc indicatur, eas propter illos quoque fuisse scriptas. Vult enim Deus, vt nos de suis electis præclarè sentiamus, quod etiam ipsum cedit in nostrũ cõmodum. cùm enim de illis rectè existimemus, ad eos imitãdos accendimur.

Pauli probationes è scripturis.

Declaratur Pauli locus ad Timotheum.

Remediũ cõtra negligentiã pastorum.

Simile.

Astus Papistico rum pastorum.

Scriptura nõ sub ijciẽda hominũ iudicio.

De Zacharia occiso inter templũ & altare.

Hoc

Hoc etiam præterea hinc elicitur, quoties aut dogma nobis aliquod constituendum, aut præceptum aliquod Dei explicandum est, opportunè fieri, si probatio ab exemplis petatur. Nam in locis scopulosis, & exilibus probatio ab exemplis magnam perspicuitatem affert. In illis enim mens & sensus coniunguntur. Ad hæc non leuis consolatio cõtinetur hoc loco, cùm videmus, nos æquari patriarchę Abrahamo, quod ad iustificationẽ attinet. Quãuis enim ille quàm plurimis donis ornatus fuerit, quibus nos caremus, tamen vt adoptaremur in filios Dei per fidem, non minus nobis, quàm illi cõcessum est. Et licet fides nostra instrumentum sit, quo iustitiam & promissionẽ nobis oblatam à Deo percipimus, (Adultis enim eo solo instrumento iustitia cõmunicatur) tamen Christus eam tãti fecit, vt de ipsa nõ aliter verba fecerit, atq; si propriè causa esset iustificationis. Ait enim: Fides tua te saluã fecit. Cumq; fides dicitur ita nobis imputanda ad iustitiam, vt Abrahamo fuit olim imputata, argumentũ firmissimũ habemus de certitudine salutis. Quemadmodũ enim se habuit Abrahamus ad promissionem de prole suscipiẽda: ita nos habemus ad promissionem de remissione peccatorũ. Ille autem certus fuit, nec hęsitauit: quare nos quoq; certos esse oportet de promissa salute, nec vllo pacto dubitare. Retineamus hoc argumentum, nec illud è pectore nostro effluere sinamus. Cæterùm, cùm Abrahamus multa singularia habuerit, neq; nos eũ in omnibus rebus imitari debeamus, quomodo collegit Paulus efficaciter, illud de fide locũ haberet? vt sicut illi vsu venit, ita nobis euenturum sit? Num si arma sumpserimus, & priuati bellũ gesserimus, ita cedet nobis, vt cessit Abrahamo? Et concubitus cũ ancillis an in nobis excusari debet, vt congressus cum Agarra excusatur in Abrahamo? Et an licebit cuiuis sacrificare filium, quia ille paratus erat immolare suũ? Huic scrupulo ita occurritur: vocationẽ aliam esse vniuersalem, aliam singularem: cumq; legimus Sanctorum gesta, prouidendum esse, ne hæc temerè confundamus. Nam quæ ad vniuersalem vocationem pertinent, ea nobis imitanda sunt: quæ verò ad singularem, sunt potius admiranda. Quòd si quæras, qua ratione hæc sint discernenda, non est obscura differentia. Quæcunque enim videris illos fecisse ad præscriptum mandatorum Dei, ea vniuersalem conditionem fidelium respiciunt. Vbi verò quippiam admittitur, quod non videatur conuenire cum lege Dei, totum id in illis priuatum est, ac singulare. Quod tamen non sine fructu legitur. Ibi enim videmus, quemadmodum Deus interdum admirabili ratione suos regat: vtpote qui non sit addictus vni modo seruandi eos, quos elegerit. Deinde semper in hoc actionum genere, si ad radicem & summam peruenieris, multa reperies, quæ possis imitari. Abrahamus voluit filium suum sacrificare. Id etsi tibi facere non liceat, illud tamen facito quod liceat. Ille vitæ vnici filij sui prætulit mandatum Dei. Sic te quoque oportet, omni naturali necessitudini Dei voluntatem anteponere. Ad hæc, ille celauit vxorem suam vniuersum hoc negotium, quòd eam videret impedimento fore, quominus Dei iussa persequeretur. Idem nobis quoque curandum est, vt à rectè institutis omnia obstacula remoueamus. Denique quum scíret, se in Isaaco accepisse promissionem de numerosa prole, & mortem eius immaturam cum Dei promissis videret pugnare, non tamen destitit ab incepto, sed successum promissionis permisit diuinæ prouidentiæ. Sic nos quoque humanis διαλογισμοῖς ne resistamus præceptis Dei. Hæc omnia sic expensa facilè, nos ab infirmitate nostra vocabunt ad obedientiam præstandam Deo.

Argumentum ab exemplis opportunum.

Aequamur Abrahamo quoad iustificationem.

Christus de fide loquitur, ceu causa iustificationis.

Argumentũ firmum pro certitudine salutis.

Argumenta ab exẽplis quomodo ualeant.

Duplex uocatio uniuersalis & singularis.

Quæ ad unã, uel ad alterã uocationẽ pertineãt, quomodo sint discernenda.

Fructuosa consideratio singularium uocationũ.

In singulãribus quoque Sanctorum uocationibus multa imitanda.

Credentibus in eum, qui excitauit Dominum nostrum Iesum à mortuis: qui traditus fuit propter peccata nostra, & resurrexit propter iustificationẽ nostri. Hîc habetur breuissima & paratissima summa Euãgelij. Nã in morte Christi intelligũtur omnia Christi mysteria, quæ illã præcesserũt: vt Natiuitas, prædicatio, labores in docendo, accusationes, dãnatio, crux, & sepultura. Resurrectio verò ex mortuis omnia ea nobis proponit, quę post illã sequuta sunt: vt restitutionẽ ad vitã, & illam quidẽ æternam, gloriam extremã, & summã fœlicitatẽ: omnia deniq; quæ huc spectãt. Appositè meminit Apostolus hoc loco Domini Iesu Christi, quòd ipse mediator sit, & arbiter inter Deũ & homines. Cumq; hactenus de fide sermo fuerit, quæ instrumentũ est, quo iustificamur, pulchrè cõuenit, vt Christus interponatur. Nam is est obiectũ fidei nostrę, vt per quẽ nobis Deus iustitiã suam cõmunicare voluit. Neq; potuissemus de volũtate Dei aliter certiores fieri, nisi Christus ipse nos docuisset. Etenim Ioãnes ait, Deũ nemo vidit vnquã. Filius, qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Quoniã nec prophetæ veteres, nec nos ipsi potuimus aliũde, q̃ per Christũ, nosse, eã esse voluntatẽ Dei, vt per ipsum nobis redderet propitius & placatus. Deinde nemo nescit, hostia & pretio fuisse opus, vt nos à peccatis expiaremur. Quare cùm & Christi mors, & eius pfusio sanguinis hęc prę stiterit, tacere certè nõ debuit. Verũ hic scrupulus occurrit, quónã pacto videat Apost. hęc à se inuicẽ distrahere atq;

Summa Euangelij.

auellere: nimirum peccatorum condonationem, & iustificationem: atque altera ex parte ex dem mortis, à fide Resurrectionis: cùm videatur ex fide vtriusque partis, mortis, inquam, & Resurrectionis, dari non solùm remissionem peccatorum, verùm etiam iustificationem. Augustinus contra Faustum libro decimo sexto videtur afferre hanc interpretationem: Quòd fides nostra in resurrectionẽ Christi potissimùm dirigatur. Mortuũ enim illum fuisse, ethnici quoq; fatentur: resurrexisse autẽ pernegãt. Atq; ideo cùm fides id esse dicat, per quod iustificamur, id Paulus cõmemorare voluit, in quo ea præcipuè versatur. Vtq; sententiam suam confirmet, locum ex 10. cap. ad Rom. citat: Si ore confitearis Dominum Iesum Christum, & corde credideris illum excitatum fuisse à mortuis, saluus eris. Ex quibus verbis apparet, salutem, & iustificationem attribui fidei Resurrectionis Christi. Verùm hæc non ita sunt accipienda, quasi fides nostra non dirigatur etiam in mortem Domini. Verum quidem illud est, Ethnicos fateri, Christum fuisse occisum. At non credunt id propter hominum peccata fuisse factum: sed aut propter aliquod eius crimen, aut per iniuriam. Nos verò credimus, eum propter salutem, & redemptionem humani generis fuisse crucifixum. Quare non tam in Resurrectione, quàm in morte Christi fides nostra exercetur. Quod autem ex decimo capite ad Romanos, adducit, nihil aduersus nostram sententiam facit. Quis enim non intelligat in fide resurrectionis Christi, includi eam etiam, quam habemus de illius morte, atque cruce? Supersunt itaque duæ aliæ interpretationes admodum verisimiles. Quare prior est, re vera Christi morte redemptionis pretium fuisse persolutum. Verùm ad hoc, vt illud nobis applicetur, Spiritu sancto opus fuisse, quo adduceremur ad credendum, Christum, vt eum nobis suppeditaret, à morte surrexisse, Apostolos ad prædicandum, in omnes partes dimisisse: nunc quoque apud patrem intercessorem & pontificem agere. Idcirco resurrexisse dicitur, vt nos iuuaret ad iustificationem adipiscendam. Ad hanc expositionem accedere videtur Chrysostomus. Altera expositio est, fidem mortis & resurrectionis iustificationem afferre: sed Paulum hæc disiunxisse, vt eleganter analogiam atq; proportionem inter hæc ostenderet. Morti Christi optimè respondet condonatio peccatorum: quoniam propter illa nos mori debuimus. Vtq; Christus, quod ad corruptibilem vitam attinet, mortuus est, ita nos oportet, cùm iustificamur, mori peccato. Rursus quia iustificatio in eo videtur declarari, quòd incipimus nouam vitam, ideo ea ad Christi resurrectionem refertur: quoniam ille tum visus est, cœlestem & fœlicẽ vitam inchoasse. Visus est Paulus eadem fermè forma verborũ in hac eadem epistola, cùm ait: Corde creditur ad iustitiam: ore autem cõfessio fit ad salutem. Nam fides cordis & iustitiam facit, & salutem affert. Sed quia salus & instauratio maximè declaratur actione, ideò illam ascripsit confessioni. Vtra autem istarum expositionum verior sit, neq; pugno, neq; facilè dixerim. Ex his, quę dicta sunt, elicitur consolatio iucundissima. Non solùm enim cognoscimus peccati grauitatem, sed etiam intelligimus charitatem Dei erga nos summam extitisse: vt qui filium suum vnigenitum dederit, & quidem ad mortẽ, vt nos à peccatis eriperemur. Deinde cùm Christus dicitur excitatus à mortuis propter nostram iustificationem, facilè videmus, nos ab eo euocari ad nouam vitam: ad quã tamen aspirare non possumus, nisi ab ipso fuerimus electi.

Fides in resurrectionem Domini præcipuè fertur.

Etiam in mortẽ Domini fertur nostra fides.

In fide resurrectionis comprehenditur fides mortis.

Præter solutionẽ pretij opus fuit, vt nobis redemptio applicaretur.

CAPVT QVINTVM.

IVSTIFICATI ergo ex fide, pacem habemus ad Deum. Hîc Apostolus eò accedit, vt per epilogum concludat id, quod antè probauerat, & vnà exponat fidei & iustificationis effecta. Illa enim demũ est absoluta doctrina, quæ non tantùm naturam rerum indicat, verùm etiam effecta demonstrat. Efficit ergo in primis iustificatio, vt à terroribus æternæ damnationis, ac mortis liberemur. Atque hoc Paulus vocat, *Habere pacem apud Deum.* Deinde ostendit ex hac pace oriri quandam gloriationem, non solùm de fœlicitate obtinenda, sed etiam de ipsis tribulationibus: vt idcirco securi simus de benevolentia & charitate Dei erga nos, quòd Christum videamus ob nostram salutem esse mortuum: multò verò magis de illa confirmemur, propter eius vitam, qua nunc fruitur apud Patrem. Deinde confert Christum cum Adamo, & ostendit, eum longè maiora beneficia humano generi, quàm Adamum detrimenta inuexisse.

Fidei & iustificationis effecta exponuntur.

Cùm simus iam iustificati per fidem, inquit, pacem habemus erga Deum. Peccata diuiserant nos ab eo. Ea Deus vt vlciscereturhomines è paradiso eiecit: vnde miseri & calamitosi facti sumus. Et

Et viciſsim, cùm ſimus nobis malè conſcij, ſi Chriſto careamus, neceſſe eſt, vt Deum horreamus, & fugiamus, tāquam vltorem, & vindicē peccati. Et hoc eſt illud odium mundi, quod Chriſtus in ſe, & in ſuos flagrare docuit, cùm diceret: Si mundus me odio habeat, vos quoque odio perſequetur. Et de Iudeis teſtatur, eos odiſſe patrem ſuum. Nunc verò, poſtquàm ita iuſtificati ſumus, pacē habemus erga Deum: quia perſuaſi ſumus, nos ab illo amari. Atque in hoc ſita eſt omnis noſtra felicitas. Ita Dauid nō iniuria canit, Beatos eos eſſe, quibus remiſſæ ſint iniquitates, & quorum tecta ſint peccata. Significatur autem hîc propriè nomine pacis Conſcientiæ tranquillitas. Sunt nonnulli, qui pro ὅμικρον ὦ μεγα ſubſtituant, & pro ἔχωμεν, legant ἔχομεν, hoc eſt, habeamus pacē: quaſi Paulus, poſtquā de dogmate fidei monuerit, nunc agat de vitæ ſyncritate, atq; contendat, vt Romani charitate, & mutua beneuolentia ſeſe inuicē proſequantur. Et Origenes videtur cōcedere in hanc ſententiā: ſed Chryſoſtomus apertiſsimè. Is enim duplicem affert expoſitionem. Vnam, quum ſimus iuſtificati ex fide, reliquum eſſe, vt contentiones faceſcāt, & homines inter ſe pacem colant. Id autem volunt Paulum ideò dixiſſe, quòd eſſent nōnulli, qui contenderent, legem reuocandā eſſe, quaſi ad ſalutem neceſſariam. Paulum verò oſtendere, id nihil eſſe opus, quum iuſtificati ſimus fide. Alteram, vt charitatem exerceamus, neque peccemus. Verùm hæc ſententia ſaluo ſcopo huius loci, & ſaluis Apoſtoli verbis, non conſiſtit. Quia videmus hîc agi per epilogum de concluſione, quæ infertur ex illis, quę prædicta ſunt. Deinde pax, de qua Apoſtolus loquitur, non eſt ea, quam habent homines inter ſe. Significanter enim ait, Erga Deum: & ea, quæ ſequuntur, videmus efferri per modum indicatiuum. Ait enim, Per quem habuimus acceſſum per gratiam iſtam, in qua ſtetimus. Sed Chryſoſtomus in eo etiam aberrauit, cùm interroget, num ſine peccato eſſe poſsimus, cùm iuſtificationem iam habeamus, & ſibi reſpondeat, id eſſe facile. Quoniam, inquit, difficilius fuit, vt qui tam grauibus peccatis eramus obnoxij, ab illis eriperemur, quàm vt iuſtificati peccata caueremus. Longè enim, inquit, maius eſt, adipiſci ea, quæ non habemus, quàm ea tueri, quæ adepti iam ſimus. Verùm antè oſtendimus, id, dum hîc viuimus, non eſſe ſperandum, vt prorſus peccato careamus. Quòd ſi quis cōtendat, id per Dei potentiā poſſe fieri, nihil refragamur. Poſſet enim Deus hominem ornare tanta gratia, vt viueret omnino abſque peccato. Sed nos loquimur iuxta ſententiam ſcripturarum, vt res ipſa habet, vtq; experientia ſemper euenire docet. Si dixerimus, inquit Ioannes, nos peccatū non habere, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis nō eſt. Et Hieronymus aduerſus Pelagianos ridet eam potentiā, quæ neque habeat, neque habuerit, neque habitura vnquam ſit exequutionem. Ambroſius nobiſcum facit, & apertè locum hunc interpretatur de pace conſcientiæ, quam habemus erga Deum. Imò confert in hoc Fidem & Legem: Fidemq; Legi præſtare dicit, quòd pacem faciat, quam Lex præſtare non poſsit. Quanquam ſiue per ο, ſiue per ω ſcribas, hoc eſt, ſiue ἔχομεν, ſiue ἔχωμεν legas, expoſitio noſtra locum habet. Nam Apoſtolus vel dicit, eam pacem nos iam habere, vel hortatur, vt eam habeamus, neque amplius, vt antea, Deum fugiamus. Sed multis partibus potior eſt lectio recepta per ὅμικρον. Addit, *Nos per Chriſtum habere acceſſum ad gratiam, in qua ſtamus.* Si per Chriſtum habemus acceſſum ad Deum, & ad ejus gratiam, infertur à contrario, quòd ſine Chriſto à Deo refugimus. Deinde quorſum inuocatio ſanctorum? quo alio reconciliatore opus erit, ſi nobis per Chriſtū datur acceſſus ad Deum? Quoniam, inquiūt, noſtræ querimoniæ non deferūtur ad Imperatores, & Reges, niſi per Tribunos, Centuriones, & comites ad illos inducamur. Sed vt aliàs docuimus ex Ambroſio, id fit, quoniam noſtri principes homines ſunt, neque vident, quæ in foro, in plateis, in alienis domibus agantur. Itaque apud illos opus eſt multis mediatoribus. At Deus omnia videt: Chriſtum nihil latet. Quare, quod alij tribuitur, eius dignitati, & gratię demitur. Contendūt alij, nos habere acceſſum ad gratiā per dolores, contritiones, lachrymas, ſatisfactiones & opera vera tis. De fide verò, quam Paulus toties inculcat, nihil dicunt. Quòd ſi eos vrgeas, reſpondent eam ſubintelligi. Atque ita in re maximè ſeria, quę q; caput eſt totius negotij, diſsimulanter agunt, & ludunt. Nos autē cum Paulo dicimus, nos per Chriſtū & fidem, habere acceſſum ad gratiam reconciliationis. Pœnitentiam verò & opera charitatis dicimus accedere vt comites, quæ veram fidem ſemper conſequuntur. Quæres fortaſſe, quænam illa ſit pax, & gratia, quam habemus, cùm Deus ſoleat peccata ea, quæ iam ſuis remiſerit, & condonarit, grauiter perſequi. Id enim de Dauide factum legimus. Reſpondemus, Aduerſa ea, quæ Deus infligit electis ſuis, poſt peccata cōdonata, ſi propriè loqui volumus, non habent rationem pœnarū. Sunt enim potius correctiones paternæ: vt ſancti magis admoneātur, ne amplius in eadem recidant, & vt eccleſia doceatur, quàm Deus peccatū odio habeat. Quamobrem

Odium mundi erga pios unde.

Pax hîc quid ſignificet.

An quis poſsit hîc abſq; peccato viuere.

Fides legi præſtat.

Contra ſanctorū inuocationes

Piorū afflictiones non habent rationē pœnarū

in his pœnis non turbatur pax Electorum: nec illi interdum refugiunt huiusmodi flagella. Hoc autem de spiritu loquor, non de carne. Isthuc tantùm Dauid deprecatur, ne se Dominus in furore, aut in ira corripiat. Paternè castigari nō recusabat. Verùm hęc supplicia, quæ Deus sumit à nobis, dum hîc viuimus, nō sunt in potestate Ecclesiæ, vt ea vel cōmutare, vel lenire, vel temperare pro suo iudicio, & voluntate possit: vt sibi finxerunt aduersarij de pœnis purgatorij. Quod suum cōmentum nulla ratione firmare possunt, quæ de scripturis petita sit. Expendenda etiam sunt verba Apostoli. Nam cùm ait nos *Stare in gratia per fidem*, indicat propriū esse fidei, vt animos nostros erigat, atq; cōfirmet. Quod ea certè non habet, nisi quà nititur Verbo Dei. Sic enim per eam impetus, & tempestates in nos incurrentes franguntur: sic stabilimur, ne fluctuemus omni vento doctrinæ, neque pro vario successu fortunæ sententiam cōmutemus. Philosophi, cùm magnificè prædicare vellent constantiam probi viri, eam cōtulerunt cum lapide quadrato, qui quocunq; modo ceciderit, rectè cadit. Sed hoc multò verius fides præstat, quàm philosophia. Chrysostomus addit, Bona huius mundi, quæcunque illa fuerint, parum esse firma, & constantia. Oppugnari enim ea multiplicib. periculis, & non rarò expugnari. Et quanuis ea, dum viuimus, non amittamus, in morte tamē velimus, nolimus, esse ea relinquenda. Hæc autem spiritualia, de quibus nūc agimus, & firma esse, & post mortem ampliora fieri. Sed idem Chrysost. hoc loco cauendus nobis est. Ait enim, Paulum, dum cōmemorat ea, quæ habemus à Christo, multa recensere. At cùm accedit ad ea, quæ sunt à nobis, vnum eum tantùm proponere, nimirū fidem: quam vult, vt nos ipsi de nostro adferamus. At nobis mordicus retinendum est, fidem quoq; donum Dei esse, atque ab illo ad nos deriuari. Ex hoc etiam loco certissimo argumento colligi potest, iustificationem esse ex sola fide. Id autem constabit ex effecto, ad hunc modum: Id per quod iustificamur, oportet vt nos pacatos reddat erga Deum: Hoc opera non præstant, sed sola fides. Ergo iustificamur ex fide, non ex operibus. Maior propositio perspicua est, nos minimè iustificari, nisi reddamur animo ita tranquillo, vt nolimus horrere, ac fugere conspectum Dei. Id autem opera nostra non præstare, ipsorū immunditia, & impuritas declarat. Quare Dauid non immeritò cecinit: Ne intres in iudicium cum seruis tuis Domine.

Afflictiones piorum ecclesia nō potest relaxare

Collatio fidei cū philosophia.

Argumentum, quo probatur sola fide nos iustificari.

Gloriamur in spe gloriæ Dei. Hîc declaratur ingenium istius pacis & tranquillitatis animi: quòd securi simus, ac certi de felicitate perpetua. Non enim gloriamur, nisi de eo, quod iam possidemus. Aeternam autem vitam etiam nunc à nobis possideri, Christus satis ostendit, cùm ait, Qui credit in me, habet vitam æternam. Sed quoniā ea nondum plena est, nec adhuc apparet, ideo Paulus addit: *In spe gloriæ Dei.* Ista gloria, quam speramus, est coniunctio cum Deo, vt ille omnino in nobis habitet, ac vigeat. Quod vbi contigerit, ornabimur exremo ac summo felicitatis decore, neque vllus relinquetur miseriæ locus. Quum autem ait, In spe gloriæ Dei, videtur id per occupationē dicere. Quoniam in his, qui credunt, humana opinio vehementer fallitur. Ethnici enim ridere solent Christianos, quòd se felices prædicent: cùm interim non careant prauis affectionibus, & calamitatibus, rebusq; aduersis crucientur. Volunt illi, expendi à nobis felicitatem nostram penes ea, quæ in nobis inhærent. Nos verò longè aliter sentimus. Eatenus enim nos felices esse ducimus, quatenus ita reputamur apud Deum, & ab illo iustitia nobis imputatur: non quòd interim & animo & corpore non instauremur, cùm adhuc simus imperfecti. Et hanc ipsam iustitiā iam adeptā, & instaurationē, quæ in nobis hæret, haud quaquā eius momēti esse arbitramur, vt per eam assequi possimus præmia æternæ vitæ. Hæc pax, & felicitas, & gloriatio, de qua nunc agit Apostolus, est id, quod Martyres confirmabant, cùm pro Christo vitam, & sanguinem funderent. Hoc est illud centuplum, quod etiam in hac vita redditur, & omnibus mundi opibus, & voluptatibus præponderat. Vnde quum Ethnici nos irridentes suas opes, & voluptates, & potentiam ostentant, moueri non debemus. Eos enim cum his omnibus bonis miseros, & calamitosos esse facilè deprehendimus: Nos verò vicissim experimur felices, quum vno hoc bono præditi simus, etsi illis omnibus destituimur, quæ ab illis maximi fiunt. Obseruandus est autem ordo Apostoli in enumerandis his effectis iustificationis. Primò pacem proponit, qua declaratur compositum bellum, quod peccatum excitauerat. Deleto enim peccato morte Christi, atque imputata nobis à Deo Christi iustitia, per fidem, ex hostibus amici facti sumus. Vnde patefactus nobis est aditus ad illius multiplicem gratiam, & innumera beneficia consequenda. Quandiu enim durauit bellum, procul fuimus alieni à Deo, alieni à testamentis: Nunc autem confecta pace per Mediatorem, facti sumus propè, liber datus est accessus ad Deum: quem accessum Apostolus meritò secundo loco posuit, vtpote qui contingere nobis non poterat, nisi prius impetrata pace.

Possidemus etiā nunc æternam uitam.

Nostra felicitas non est expendēda penes ea quæ nobis inhærent.

Quæ sit ista pax, quæ per fidem habetur.

Methodus effectorum iustificationis.

pace. Deinde tertio loco sequitur gloriatio in spe gloriæ Dei. Quis enim iam non speret se ornandum gloria Dei? Quem lætum ac gloriabundum non reddat tantæ rei, gloriæ, inquam, Dei tam certa expectatio? Quanti verò sit momenti, quantæq; virtutis hæc gloriato de spe gloriæ Dei, declarat id, quod sequitur:

Neque id solum, sed etiam gloriamur in afflictionibus. Ea enim est vis gloriationis, vt, quæ homines, præsertim impij, probro ducunt, & à quibus abhorrent, & per quæ se iudicant infelices, ea Christiani laudi ducant, libenter amplectantur, & de illis in primis glorientur. Nam quemadmodum Planetæ suum cursum instituunt longè aliter, quàm octaua sphæra (ea enim mouetur ab Oriente ad Occasum, Planetæ verò ab Occasu ad Orientem) ita pij homines ea, quæ impij refugiunt, & probrosa existimant, libenter amplectuntur, & in illis, atque de illis gloriantur. Insolita quidem res, & admiratione digna. Nam de promissis quidem, & adeptione gloriæ Dei si quis glorietur, non est mirum. In afflictionibus autem exultare superat omnem humanam rationem. Porrò quia gloriatio non est, nisi de præcipuis, & singularibus bonis, quæ iam ita certò possideamus, vt auferri non possint (alioqui enim non iusta gloriatio esset, sed potius iactãtia) ne inanis videatur nostra gloriatio de spe gloriæ Dei, quòd adhuc ea re ipsa non fruamur, subijcit, quibus bonis interim, dum hîc viuimus, Deus nos afficiat, nempe tribulationibus, patientia, probatione, & spe, quæ non confundat. Pulcherrima certè gradatio, & vtilissima, & omnibus nobis ad dubia formidolosaq; tempora conseruanda. At homines pij gemunt interdum, tristãtur, dolent, querũtur, cùm in res aduersas inciderint. Quomodo igitur gloriãtur? Nulla est hîc pugna. Gemit enim externus homo noster, tristatur, dolet, queritur caro. At spiritus, & internus homo noster exhilaratur, & exultat. In Dauide cùm egrederet ex vrbe à facie Absolonis, nudis pedibus, obuoluto capite, multis cum lachrymis, nullæ nisi miseriæ doloris q; significationes extrinsecus apparebant. In eo enim Semei, qui hanc illi calamitatem exprobrabat, nihil nisi triste, miserumq; deprehendit. Quis verò dubitet illũ, quod ad fidem attinet, & interiorem hominem ingenti gaudio exultasse ob paternam Dei correctionem? Eò enim intentum habuit animum, ac propterea Semei pepercit, cùm eum Abisai occidere voluisset. Quid enim nosti, inquit, an eum Dominus iusserit mihi maledicere? Dauid contrarias affectiones in eodem homine locum habere posse, ostendit: quum inquit, Seruite Domino cum timore, & exultate ei cum tremore. Sed afflictiones, inquies, malæ sunt: quomodo ergo possumus in illis gloriari? Malas eas esse, nemo non dixerit. Sunt enim pœnæ peccati, satellites mortis, hostis nouissimi ex orbe extrudẽdi, & tandem à pijs hominibus amouendi. Deus enim absterget omnem lachrymam ab oculis sanctorum. Afflictiones sua natura malas esse fatemur. Pijs tamẽ electisq; Dei, de quibus est hîc sermo, Dei clemẽtia dicimus, eas fieri bonas, vtilesq;. Illis enim omnia cooperãtur in bonum. Neque enim illi hæc patiuntur ad noxam, sed ad triumphum. Suntq; ista velut mare Erythræum, in quo Pharao mergitur, Israel seruatur. Nam in impijs excitant desperationem: in pijs certissimam spem. Sunt instrumenta, quibus in nobis bonitas, & potentia Dei tum consolandis, tum erigendis exeritur: Sunt occasiones præclarissimorum bonorum. Virtus Dei in infirmitate nostra perficitur. His quotidiani lapsus tanquam paterna castigatione corripiuntur: fastus & superbia deprimitur: caro, & lasciuia retunditur: vetus homo noster corrumpitur: sed interior renouatur: ignauia, & socordia excutitur: fidei confessio exprimitur: imbecillitas virium nostrarum detegitur: nosq; prouocamur ad ardẽtius orandum, implorandumq; diuinum fauorem, & indies melius nostræ naturæ malignitatẽ intelligimus. Adhæc afflictionib. Christo similes efficimur. oportuit enim Christũ pati, & sic obtinere regnũ suum: nobis quoq; ijsdem vestigijs insistendũ est. Nam regnũ Dei vim patitur: & arcta est via, quę ducit ad vitã. Sed sicut ille post obedientiã crucis exaltatus est, & datum est illi nomẽ super omne nomẽ: ita nos quoq; si cum illo patiemur, simul cum illo regnabimus. Est autẽ dulce etiam amanti pro re amata pati. Hinc assuefacimus nos ad tolerantiam, vt quasi adamãtini facti percutiẽtes potius fatigemus, quàm ipsi frangamur. Sunt enim hæc velut exercitia in humano corpore: quibus potius confirmatur valetudo, & conciliantur vires, quàm vt prosternãtur, aut debilitentur. Quare pij meritò gloriantur in afflictionibus.

Similc.

Gradatio pulcherrima.

Quòd homines pij simul & gemant & gloriẽtur non pugnat.

Exemplum.

Afflictiones natura sua malæ.

Scientes, quòd afflictio patientiam efficit. Annotanda est hîc ratio loquendi consueta sanctæ scripturæ: qua id, quod est rei, tribuitur instrumento, vel signo: quod in sacramentis sæpe fieri non semel monuimus ex sententia Augustini: quanuis aduersarij maximè repugnent. Hîc Paulus id, quod est opus Dei, & spiritus sancti, nempe tolerantiam efficere, attribuit afflictionibus: à quibus, cùm natura sua res malæ sint, & odiosæ, non conciliatur, sed po-

Quod est rei tribuitur instrumento.

Afflictiones natura sua patientiam nõ efficiũt.

tius excutitur patientia: quod in impijs videmus fieri: qui vbi grauius affliguntur, in blas-

Simile.

phemias, & sæpe etiam in desperationem prorumpunt. Vt autem medicus ex rebus venenatis, & noxijs componit saluberrima pharmaca, ita Deus Optimus Maximus sua sapientia ex afflictionibus, quantumuis rebus malis, præclarissimas virtutes producit: qualis est

Patientia refertur ad fortitudinem.

patientia. Pertinet hæc virtus ad fortitudinem: ad quam referuntur omnia, quæ sancti patiuntur, siue in fortiter perferendis afflictionibus corporis, siue in vincenda ratione, &

Consolatio ethnicorũ in aduersis.

mortificanda prudentia carnis. Tulerunt etiam multi Ethnici multa animo satis forti: nulla tamen solida cum consolatione ea tulerunt. Tantùm dicebant, ea dolendo nec mutari, nec impediri posse. Ea enim asscribebant necessitati materiæ. Itaque hanc esse aiebant sortem nostram, vt tanquam in Symposio, vel bibendum sit, vel abeundum. Quòd si contingat mori, vel nullum fore sensum post mortem, vel si quis futurus sit, nos meliori loco futuros. Ita illi se ad omnia aduersa vtcunque ferenda comparabant. In pijs autem homi-

Piorum consolationes.

nibus fortitudinis, & patientiæ longè alia est ratio, aliæ causæ, alijque modi se confirmandi. Non enim quasi ista temere contingant, fortiter ea ferunt: sed quòd ea sciant, summa prouidentia à Deo Optimo Maximo proficisci, à Deo, inquam, patre suo, qui animo beneuolo, & dextra manu afflictiones eas immittit, hoc est, ad Electorum salutem. Ac proinde illi quoque dextra manu, hoc est, patienter eas accipiunt, & æqui bonique consulunt. Clamantes cum Dauide: Bonum mihi, quia humiliasti me: & cum Iacobo, omne gaudium existimant situm in his aduersis, quæ optimus, ac sapientissimus Deus ipsorum pater immittit. Semper oculos mentis adijciunt ad has Christi promissiones: Beati, qui lugent, quoniam illi consolationem accipient: Beati, qui persequutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Fortiter omnia ferunt: non quia dolendo mutari non possunt, sed quia fortiter ferendo se ipsos hostiam gratam Deo offere sciunt: sibique persuadent, se aliquando his malis esse eximendos, pro quibus amplissima gaudia, atque perennia sint reponenda: cum quibus nulla fortuna, quantumuis aduersa sit conferenda. Non enim sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Defecerunt sæpe Ethnici in medijs calamitatibus, quòd

Causæ cur ethnici deficiant in tribulationibus, et sancti perstẽt.

eos vires ad persistendum destituerent, nec illi vnde eæ petendæ essent, intelligerent, propter veri Dei, & imbecillitatis suæ ignorationem. Sancti autem viri persistunt, durant, perseuerant: quia quum suarum virium infirmitatem agnoscant, ad Christum confugiunt: quo corroborante omnia possunt: consolante, non tantùm persistunt, verùm etiam in ipso doloris feruore lætantur, & exultant. Ibant Apostoli gaudentes à conspectu Concilij, quòd digni habiti essent pro nomine Christi contumeliam pati.

Patientia probationem. Probatio ista est exploratio quædam, cùm nostri, nostrarúmque virium, tum maximè diuinæ bonitatis, & potentiæ. In ipsa enim tolerantia rerum

Quæ probatio nascatur ex tolerantia.

aduersarum, discimus, quanta sit deprauatio nostræ naturæ, quæ, nisi Spiritus Sanctus subueniat, vbi aliqua impetitur re aduersa, statim prorumpit in blasphemias, & quærelas de diuina prouidentia. Hinc discimus, quàm fractæ debilitatæque propter peccatum sint vires nostræ. Succumberemus enim in afflictionibus, nisi ope diuini auxilij fulciremur. Huius rei pulcherrimam habemus in Iobo propositam imaginem. Ille quum à Deo traditus esset diabolo exercendus, in ipsa afflictione quantas euomit blasphemias? Quantùm conquerítur de diuina prouidentia, atque iustitia? Affulget lux spiritus sancti. Quàm

Exemplum.

mox rursum colligit animum? Quàm piè sanctèque iudicat de Deo? Latet nos nostræ naturæ peruersitas. Imperuestigabile enim cor hominis. At quàm statim è silice percusso excutitur ignis, tam citò premente afflictione peruersitas illa erumpit. Est ista probatio veluti fornax, auro, vt ait Petrus. Idcirco Abrahamo, cùm iam paratus esset ad sacrificandum filium, & ensem haberet strictum, & exertũ, quo illum feriret, Deus respondit, Nunc cognoui, quòd timeas Deum. Deus quidem id antè satis cognouerat. Sed illo facto effecit, vt

Simile.

illa obedientia magis alijs innotesceret. Nos enim sumus tanquam quædam aromata, quorum odor, nisi ea contuderis, non sentitur. Sumus veluti lapides Pyritides, qui non exerunt vim eam, quam habent ad comburendum, nisi cùm premuntur digitis.

Probatio spem. Sic Deus ista sua instrumenta disposuit, vt se mutuò iuuent, & mutuò inferant. Propter spem gloriæ Dei afflictiones nobis non sunt molestæ: sed illas animo forti, Deo vires suppeditante, toleramus. In ipsa tolerantia diuina virtus bonitasque nobis efficitur exploratior. Ex eo spem maiorem concipimus. Sic spes tolerantiã: tolerantia spem vicissim parit, atque infert. Nam quum perpendimus, Deum nobis adfuisse in ferendis æquo animo afflictionibus, in posterum quoque adfuturum, & nos tandem beaturum speramus,

Agro-

Aegrotus quia cõfidit medico, patitur abscessum suum incidi. Pòst vbi videt se releuatum, magis ac magis confidit medico: ita, vt si opus sit pedem etiam incidere, nihil dubitet, se eius fidei committere. Diabolus quantum potest, adigit nos ad desperationem, & ex afflictionibus conatur persuadere Deum nobis inimicum esse. Contrà autem Spiritus Sanctus, quoniam, inquit, afflictionem æquo animo & patienter toleras, id tibi argumento esse debet, Deum in eo declarare erga te fauorẽ suum. Quare cõfide: Nam ille te omnino liberabit. Quanuis autem Iacobus probationem præponat patientiæ, quum Paulus eam postponat, nil tamen est inter eos dissidij. Paulus enim intelligit probationem, quæ tandem post certamen datur, vt nos ipsos exploratos habeamus: Iacobus autem eandem probationem intelligit, sed vt acquiritur & gignitur exercitio tribulationum. Verùm quod additur à Iacobo, Patientia opus perfectum habet, bifariam exponi potest: vel quòd hortetur nos ad perseuerantiam in tolerando, quò absoluta, & perfecta sit nostra patientia, vt pote quæ non exciderit: vel vt perfecto simus animo erga eos, qui nos affligunt, ita, inquam, perfecto, vt iniurias, quas nobis inferunt, illis reponi nolimus.

Simile.

Conciliatio Pauli & Iacobi.

Locus Iacobi.

Spes autem non confundit. Hæc est præclara cathena, & insignis Christianorum graduum nexus. Huius cathenæ primus annulus clauo afflictionum in hoc seculo affigitur. Inde pij ascendunt ad patientiam: à patientia ad probationem: à probatione ad spem. Quæ spes quum non pudefaciat, sed assequatur indubitatò Deum summam nostram felicitatem, illi tanquam supremus annulus annectitur. Hæc eadem proprietas, Non confundendi, est etiam Fidei. Omnis enim, qui credit in eum, non cõfundetur. Et meritò. Quid enim Fidei coniunctius esse potest, quàm spes? Latinus interpres vertit, Non confundit. Magis tamen propriè redderetur, Non pudefacit. Est autem tropica locutio. Voluit enim Paulus significare, pios sua spe non posse frustrari. Solent enim, qui frustrantur, cùm res longe aliter acciderint, quàm sperarint, pudore suffundi. Quare Paulus per pudorem intelligit frustrationem, quoniam eam semper cõsequitur. Latinus verò interpres spectauit eam perturbationem animi, quæ sequitur pudoris suffusionem. Nihil enim aliud est confundere, quàm perturbare. Iam si vera est hæc sententia, vt est verissima, hanc scilicet spem non confundere, consequitur illam non pendere à nostris operibus. Alioquí enim sæpe falleret. Veram autem eam, & certam esse, non vno verbo Paulus, sed tribus valde significantib. ostendit. Primùm enim vtitur verbo Sciendi, quod certam rei cognitionem indicat. Meminit etiam gloriationis, quæ locum non habet apud sanctos, & prudentes viros, nisi de illis bonis, quæ certò, & firmiter possidentur. Postremò addit, Spem non pudefacere. Merito autem istius certitudinis persuasionem sæpius inducit, quòd hinc potissimùm in afflictionibus petenda sit consolatio. Christo in cruce pendenti insultabant impij, dicentes: Sperauit in Deum: saluum faciat eum, siquidem vult eum. Descendat de cruce, &c. Eadem obijciũt nobis non tantùm externi hostes, sed etiam caro nostra, sensus, videlicet, exteriores, & humana prudẽtia. His quomodo occurri potest, nisi hac Apostolica doctrina? Spes non confundit: non pudefaciet spes, quam in Domino collocauimus. Sophistæ ex hoc loco contendunt spem nasci ex meritis, quòd Paulus eam dicat nasci ex patientia: quasi intelligendum sit, spem dari nobis ex merito patientiæ. Sed interim non animaduertunt ea, quæ hìc à Paulo ordine quodam disponuntur, nequaquam vt effecta & causas inter se componi. Quis enim dixerit, afflictiones causam esse patientiæ? Quod si ita non est, cur magis asserunt, patientiam causam esse spei? Scriptura disertissimè docet, illum, qui in homine, aut in vlla creatura confidat, execrandum esse. Homo enim, de quo nobis aliquid promittimus, potest vel mori, vel sententiam mutare, vel etiam impediri, ne bona fide præstet, quod promiserat. Fidere autem vel propter merita, vel propter opera, est spem locare in homine. Quare huiusmodi spes meritò pudefacit: illa verò, quæ in Deo figitur, certa est, nec falli potest. Conantur Sophistæ hanc sententiam eludere ex duobus locis Pauli, altero ad Romanos, altero ad Timotheum. Locus ad Timot. sic habet: Scio, cui credidi, & certus sum. Alter autem ad Roman. sic, Certus sum, quòd neque mors, neque vita, neque angeli, &c. Ex his locis putant sententiam nostram conuelli, quòd opinentur, hæc verba intelligenda esse, non in vniuersum de omnibus credentibus, sed tantùm de Paulo, & alijs similibus, qui de salute consequenda peculiarem habuerint reuelationem. Verùm illi hæc frustra conantur. Agitur enim in præsentia de natura, & ingenio spei: ex qua euincitur, omnes, qui ea sint prædìti de salute sua certos esse: Vt omnino fatendum sit, vel eos spem Christianam non habere, qui de salute sua dubitent: vel si spem habeant, eos omnino de salute certos esse. At dixerit aliquis, Quid si fuero indignus, ac propterea Deus nolit me

Cathena.

Spes & fides eãdem habẽt proprietatẽ ut non pudefaciant.

Tropica locutio

Spes nõ pendet à nostris operib.

Spes est certissima.

Remediũ aduersus insultationes.

Spes nõ pendet ex meritis,

Hic agitur de natura spei in uniuersum.

Qui dubitat de salute, spẽ Christianã nõ habet

donare ſummo premio? Reſpondeo, hanc eſſe luctam conſcientiæ vincendam certa ſpe. Quod vt conſequamur, nitendum eſt verbo Dei. Cuiuſmodi eſt illud: Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari vltrà quàm poſſitis, ſed faciet cum tentatione exitum: & ſimiles loci ſacræ ſcripturæ, quibus Deus pollicetur ſe daturum perſeuerantiã ſuis vſque ad finem. Vtq; breuiter dicam, ſpes piorum vni tantùm Dei bonitati, potentiæ, & miſericordiæ innititur. Hoc Baſilius optimè intellexit in expoſitione pſalmi 32. cùm interpretatur illa verba: Sperantes in miſericordia eius: Qui, inquit, non cõfidit in proprijs ſuis factis, nec ſperat iuſtificari ex operibus, ſolam ſalutis ſpem habet in miſeratione Dei. Vbi enim cogitauerit hęc ſecum, Ecce Deus, & merces ipſius, &c. Verùm Scholaſtici longè ſecus docuerunt. Nam Magiſter Sentent. in tertio ita Spem definit: Spes eſt certa expectatio futuræ beatitudinis, veniens ex Dei gratia, & ex meritis præcedentib. Quæ definitio quàm ſit abſurda, præſertim quod ad poſteriorẽ partem attinet, ſatis patet in his, qui recens ad Chriſtum cõuertuntur ex grauiſsimis & turpiſsimis vitijs. Nam illi certè nulla habere poſſunt merita bona, cùm antea fuerint deſtituti charitate, ex qua ſtatuunt omnia noſtra merita proficiſci. Certo tamen certius eſt, eos qui ad Chriſtũ cõuerſi ſunt, non poſſe carere ſpe. Imò Auguſt. in pſal. De profundis, Hortatur lapſos, & eos, qui verſantur in profundis malis, ne ſpem abijciant, exemplo Latronis, & multorum aliorum. Percontabimur ergo, ex quibus meritis in huiuſmodi hominibus ſpes conſtituatur. Solent reſpondere, Merita non ſemper ſpem præcedere, ſed rem ſperatam ſemper. Atque ita ſententiam ſuam explicãt de hac re, vt ſtatuant, merita præcedere ſpem, vel re ipſa, vel certè cogitatione. Solent enim homines recens conuerſi, dum concipiunt ſpem ſalutis, animo & cogitatione deſignare bona opera, quibus velint mereri præmium extremum. At quam poſſunt ſpem re ipſa extantem iſta bona opera animo deſignata producere, quæ nondum extent? A cauſa enim, quæ non ſit, effectum, quod exiſtat, non producitur. E diuerſo potius ſtatuendum eſt, hanc, ſcilicet, Sanctam voluntatem ex fide, ac ſpe oriri, quàm ſpem, aut fidem ex illa, tanquam ex cauſa proficiſci. Sed operæpretium eſt videre, quomodo iſti ſeſe induant, quum ex vnâ parte dicant, Spem eſſe certam expectationem, ex altera tamen velint eſſe dogma firmiſsimum, neminem poſſe certum eſſe de ſalute ſua, niſi id ei fuerit ſingulariter reuelatum à Deo. Hîc ſentiunt, ſe teneri: fatentúrque difficile eſſe videre, quæ nam ea ſit certitudo ſpei. Hîc miſeri æſtuant, ſudant, & multa comminiſcuntur. Primùm ſtatuunt, omnem ſpei certitudinem manare ex certitudine fidei: atque id quidem rectè. Ideo enim certò ſperamus, quia fide certiſsimam Dei promiſsionem complectimur. Sed progrediuntur longius, & aiunt, nos fide generaliter, & abſolutè credere, omnes electos, & prædeſtinatos eſſe ſeruandos: ſpem autem efficere, vt confidamus, nos eſſe ex Electorum numero: quaſi ſpes habeat particularem cognitionem ſub fide: vt quod per fidem generaliter comprehenſum fuerit, id per ſpem nobis ſeorſim applicetur. Proinde aſſerunt, hanc certitudinem ſpei eſſe ex hypotheſi, ſi ſimus ex Electis, & ſi vſque ad finem perſtiterimus. Conſtare autem volunt hoc genus certitudinis ex veriſimilibus coniecturis. Postremò concludunt, minorem eſſe certitudinem ſpei, quàm fidei. Nos contrà parem facimus vtriuſque certitudinem. Quantum enim habemus fidei, tantundem etiam habemus ſpei. Neque enim fides retinet ſibi aliquid certitudinis, quod ad ſpem non tranſmittat. Figmentum eſt illud, quod afferunt de applicatione, quò per ſpem nobis priuatim accommodẽt ea, quæ per fidem generaliter atque abſolutè credidimus. Non enim tantùm credimus Deum bonum eſſe, aut patrem, aut autorem humanæ felicitatis: ſed etiam quiuis pius ſecum ſtatuit per fidem, Deum ſibi bonum, ſibi patrem, ſibi autorem felicitatis & eſſe, & fore. Hinc eſt illa certitudo ſpei: hinc Paulus ſcribit, eam non poſſe confundere. Cumq; fides Deum reſpiciat vt veridicũ, ſpes vt fidelem promptiſsimumq; ad reddenda promiſſa, ipſeq; Deus non minus fidelis ſit in præſtando, quàm verax in promittendo, perſpicuè conficitur, tantum certitudinis habere ſpem, quantum habet fides. Nec magis eos iuuat, quòd poſtremò argutantur, Spem videlicet habere certitudinem quod ad obiectum attinet, non quod ad ſubiectum. Cùm enim, inquiunt, reſpiciat Dei clementiã, bonitatem, gratiam, potentiam, nihil per iſta ſtabit, quin vnuſquiſq; ſeruetur. Itaque ex hac parte ponunt ſolidam certitudinem. At ſi ſubiectum conſideres, animum, inquam, & voluntatem ſperantis, quum illa ſit flexibilis, & nutet, & mutetur, nunquam certa eſſe poteſt, aut ſecura de ſalute. Verùm iſti mihi perinde facere videntur, atque illi, qui, quum Ciuitatem in obſidione defendant, alias portas omnes diligenter claudant, & muniant, vnam tamen interim relinquant apertam: per quam cùm hoſtes ingrediantur, & omnia diripiant, illi ſe intelligant luſiſſe operam. Ita iſti

Qui conuertuntur ad Chriſtum non carent ſpe, cùm tamen operibus & meritis deſtituantur.

Certitudo ſpei eſt ex fidei certitudine.

Par eſt certitudo ſpei & fidei.

Fides ea quæ credit, ei applicat in quo eſt.

Certitudo quo ad obiectum & ſubiectum.

Ita isti valde quidem laborant, ne qua esse videatur incertitudo ex bonitate, potentia, & clementia Dei, aut merito Christi. Interim tamen nostram voluntatem mutationi ita obnoxiã esse statuunt, vt perseuerantiam sibi polliceri ne ex Dei quidem verbo possit, aut debeat. Atq; ita certitudinem omnem prorsus tollunt, vt locum habere non possit Pauli dictum, Spes non confundit, neq; certitudo, quam conantur stabilire, quicquam prosit. Equidem, si consulamus sacras literas, non tantùm intelligemus, Deum generaliter bonum esse, & potentem, sed etiam eum nobis ipsis esse bonum, & propitium: ideoq; confirmaturum nostram voluntatem, ne vnquam ab eo deficiat. Nam vt paulò antè commemorauimus, Non patietur nos tentari, suprà id quod possimus sustinere: sed faciet cum tentatione exitum. Et 1. cap. prioris ad Corinth. Confirmabit vos vsq; in finem inculpatos in diem Domini nostri Iesu Christi. Fidelis enim Deus, per quem vocati estis. Sunt prętereà alia permulta testimonia in sacris literis, quæ nobis pollicentur & perseuerantiam, & confirmationem voluntatis per Christum. Quamobrem certitudinem istam spei dicimus esse adhæsionem firmam in promissionibus nobis oblatis, & fide receptis, quòd ab extremo fine consequendo non simus aberraturi. Tantæ autem virtutis est hæc spes, vt, teste Augustino ad Dardanum, & in alijs permultis locis, ea quæ futura sint, facta dicat: vt ipse Augustinus pulchrè ex multis locis diui Pauli, maximè verò ad Romanos, ad Ephesios, ad Colossenses ostendit. Nam ad Ephesios dicimur iam excitati à mortuis, iamq; ad dexteram Dei vnà cum Christo in cœlestibus consedisse. Ad Coloss. Si consurrexistis cum Christo, &c. Et alibi, Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis. Ad Romanos autẽ, Spe salui facti sumus. Oritur ista certitudo maximè ex digna existimatione, quam per fidẽ concipimus de cõstantia Dei, quã nulla nostra indignitas potest deijcere: in quam ab hac fiducia nos abstrahentẽ si respicimus, debemus contra spem in spem credere, & illa quantumuis reclamante cõfidere, nos per Christum esse seruandos: proponentes nobis patrem nostrũ Abrahamũ, cuius vestigijs per fidẽ nos oportet inhærere. Ille ad promissionẽ de prole non habuit rationem suæ ætatis, aut fœtæ coniugis: sed promittentem solùm respexit, & illius potentię habuit rationem. Ideoq; secũ firmissimè statuit, futurũ id esse, quod Deus promisisset. Ita nos, quãuis simus indigni, & obstent nobis sordes & peccata, tamen seruãdos esse nos per Christũ, ne diffidamus: nisi velimus infidelitate laborare, quã Abrahamus maximè exhorruit. Non eñ hęsitauit ἀπιστίᾳ, inquit Apostolus. Vnde prorsus tollitur aduersariorũ incertitudo à pijs animis. Propterea enim Deus, vt testis est Apostolus, voluit nos iustificari ex fide, nõ aũt ex operibus, vt certa & inconcussa maneret promissio. Atq; id est verè dare gloriã Deo: quod Abrahamus fecit. Nihil eñ obstãtibus maximis impedimẽtis indubitò sperauit, futurũ, quod Deus esset pollicitus. Iobbus etiã adeò nihili fecit hęc impedimẽta, vt diceret, Etiã si me occiderit, sperabo in eum. Quibus verbis ostẽdit piorũ esse, quãuis à Deo seuerius affligant, & illi odio esse videri possint, tamẽ spẽ nõ abijcere. Quare hũc imitemur: & si lapsus, indignitasq; nostra sese nobis offerẽt, nõ tamẽ diffidamus. Detestemur interea vitia nostra, eaq; quantũ possumus, emẽdemus: propter illa tamẽ à spe salutis nullo modo deijciamur. Nã si, cùm promissiones Dei offerũtur, nostrã dignitatẽ spectare vellemus, ad desperationẽ potius, quàm ad spẽ vllã incitaremur. Nemo enim est, cuius animus multis & grauibus peccatis nõ oneretur. Ad hęc Paulus nos docet, pacem erga Deum per Christum haberi, & per fidem, quæ est erga illum: quæ certè vel prorsus nulla, vel admodum turbulẽta esset, si perpetuò de illius erga nos voluntate dubitaremus. Nonne eum semper in precibus nostris patrẽ inuocamus? At nullus filius, qui naturalem affectionem sequatur, de sui erga se volũtate patris dubitat. Quomodo ergo, eum patrẽ appellamus, quẽ nobis hostẽ esse suspicamur? Possent multæ aliæ rationes huius generis pro spei certitudine afferri. Sed nunc ostendã paucis, patres quoq; eandẽ certitudinem in suis scriptis statuisse. Chrysostomus in hunc locum ita scribit: Noli itaq; etiam si non admodum dignus fueris, animum despondere, cùm habeas tam ingẽs patrocinium, videlicet iudicis dilectionem, seu fauorem. Et idem paulò post: Propterea ipse Apostolus, cùm dicit, Spes non confundit, non rectè factis nostris, sed dilectioni Dei rem omnem fert acceptam. Ambrosius quoque ait, Vt, quia charos falli impossibile est, securos nos faceret de promissione: quia & Deus est, qui promisit, & his, quos charos habere vult, promisit. Augustinus in sermone habito feria secũda in Rogationibus, Quare, inquit, trepidat pulsando manus vestra, & dormitat in mendicitate conscientia vestra. Ego sum ianua vitæ: non horresco sordidum pulsatorem. Idemq; in Psal. 41. Noli, inquit, sperare de te, sed de Deo tuo. Nam si speras de te, anima tua conturbatur ad te: quia nondũ inuenit, vnde sit secura de te. His verbis indicat, securitatem, quam habemus, non ex nobis ipsis, sed ex Deo proficisci,

Diuina testimonia pollicentur nobis perseuerantiam.

Quid sit certitudo spei.

Spes quæ futura sunt dicit iam facta.

Vnde oriatur certitudo spei.

Quid sit dare gloriam Deo.

Cum dubitatione de salute nulla esset pax.

Patres certitudinem salutis docuerunt.

Idem in Psal. 27. exponens verba Pauli ex secundo capite ad Ephesios, Fuimus & nos natura filij iræ, sicut cæteri. Quare dicit fuimus? Quia spe, inquit, iam non sumus: nam re adhuc sumus. Sed illud melius dicimus, quod spe sumus: quia certi sumus de spe. Non enim incerta est spes nostra, vt de illa dubitemus. Et Chrisostomus in hoc quinto capite ad Romanos, ait, nos nō minus oportere πληροφορεῖσθαι de his quæ accepturi sumus, quam de his, quæ iam recepimus. Cyprianus quoque in sermone de Pestilentia, cùm pios videret mortem obire trepidos, multis eos cōfirmat, vt de salute sint securi: & inter alia dicit, eos trepidare, & horrere mortem, qui spe, aut fide careant. Et Bernardus de morte Christi, de eius vulneribus & cruce mirum in modum exultat. In ea petra ait se stare, neq; casurum ad vllos impetus. Multa etiam commemorat præclarissima de hac firma, & constanti certitudine. Quare, quæ attulimus de constantia & securitate spei, non tantùm cum scripturis, & certis rationibus, verùm etiam cum patrum sententijs conueniunt. Nunc operæpretium erit spem definire, quò magis perspicue eius certitudo cognoscatur.

Definitio spei.

Est ergo spes facultas á Spiritu sancto afflata, qua certo & æquo animo expectamus, vt salus inchoata per Christum, & per fidem percepta in nobis aliquando perficiatur, non ex nostris meritis, sed ex misericordia Dei. Primùm à Spiritu sancto dicitur instillari, quòd à natura, aut ab assiduis actionibus non oriatur. Fide posterior est, etsi non tempore, tamen natura: quod intelligi potest ex epistola ad Hebræos: vbi scribitur, fidem esse ὑπόστασιν rerum sperandarum. Cùm enim res, quas speramus, nō sint euidētes, & claræ, sed procul à nobis remotæ, niti debent fide, qua velut fulcro, aut basi quadam sustinentur. Spem autem continere expectationem disertè docet epistola ad Romanos cap. 8. Spes, quæ videtur, non est spes. Quod enim videt quis, quomodo sperat? Si autem quod non videmus, speramus, id per patientiam expectamus. Neq; prætermittendum est, bonum illud, quod spes respicit, arduum esse, atq; difficile. Etenim naturaliter in animātibus affectio spei penes partem animi crassiorem, quam irascentem vocant, consistit: qua erigitur animans, vt bonum sibi propositum persequatur, licet aliquid videatur obstare. Incitatur enim huiusmodi affectione ad superandum, quicquid impediat. Lupo esurienti occurrit taurus: ille appetendi facultate cupit eam prædam. Sed cùm videat grauem difficultatem imminere sibi pugnæ atq; certāminis, ab irascēte animi vi incitatur per spem, audetq; se mittere in discrimen, & dimicare. Atq; ita postremò, remoto omni obstaculo, præda potitur. Sic Deus in animi nostri parte nobiliori constituit spem: qua efficitur, vt cùm offertur nobis bonum summæ fœlicitatis, quod & arduum est, & longè à nobis positum, ne deterreamur, sed audaciam habeamus, & accessum ad Deum per fidem, vt Paulus ait cap. 2. ad Ephesios. Et quatenus quidem hoc bonum in immensum distat à Sanctis, fieri non potest, quin sperando aliqua tristitia afficiantur, & in seipsis doleant præsentem conditionem à fœlicitate adeò remotam. Verùm ex altera parte, cùm certi redduntur, se illum finem esse assecuturos, non possunt non affici incredibili gaudio. Atq; ita facultas ista spei & lætitiæ, & doloris affectibus circunfunditur. Et aliquam quidem eius tristitiam Apostolus significauit ad Rom. eo loco, quem iam citauimus, cùm scribit: Omnis creatura ingemiscit, & simul nobiscum parturit vsque ad hoc tempus: non solùm autem illa, sed & nos ipsi, qui primitias Spiritus accepimus: & nos in nobis ipsis gemimus adoptionem expectantes redemptionem corporis nostri. Lætitiam autem cum eadem spe coniunctam esse, duodecimo capite eiusdem epistolæ docet, Spe, inquiens, gaudentes. Quanuis autem fortitudo, & longanimitas videantur expectationem animis nostris adferre, eam tamen virtutes illæ non habēt, nisi à spe quam descripsimus. Nec mirum videri debet, si virtus aliqua ab alia virtute aliquid accipiat. Norunt enim qui sunt in Ethicis paulùm exercitati, liberalitatem, temperantiam, & id genus alias virtutes à prudentia plurimum habere adiumēti. Eius enim beneficio mediocritatem constitutam habēt, quam sequantur. Hoc discrimine maximè distinguitur spes à fide, quòd promissiones nobis oblatas à Deo, per fidem admittimus, atq; complectimur: opera verò spei patienter expectamus, vt illæ nobis aliquando reddātur. Neq; alia de causa spes data est à Deo, nisi vt ne desistamus à persecutione eius boni, quod intelligimus nostris actionibus nō posse obtineri. Neq; enim vllo modo sunt cum eo conferendæ. Nam, vt ait Apostolus, non sunt condignæ passiones huius tēporis ad futuram gloriā, quę reuelabitur in nobis. Siquidem qui spe præditi sunt, statuunt secum, quod naturæ viribus & operibus nostris deest, id ex Dei misericordia, & Christi obedientia compensatum iri. Quòd si quis quærat, num pura vita, & sancta opera possint aliquid cōducere ad spei certitudinem, id facilè dabimus, modò seponatur meritorum nundinatio. Quippe opera nostra ex seipsis nihil prorsus habent vnde spem producant. Fidei tamen persuasio ex illis lumere potest argumentum

Spes fide posterior.

Spes comprehendit expectationem.

Spes est circa difficilia.

Simile.

In parte nobiliori animi spes ponitur.

In spe tristitia cū lætitia coniungitur.

Expectationem aliæ uirtutes habent à spe.

Cur data sit spes.

Ad certitudinē spei opera nonnihil faciunt.

gumentum ad ſpem confirmandam, & ſic ratiocinari: Iam Deus ex ſua mera liberalitate dedit mihi, vt hoc, aut illud opus præclarum fecerim: vt hoc, aut illud vitium ex animo depulerim: Quare adhuc etiam maiora dabit, & quæ ad ſalutem ſuperſunt, non denegabit. Si Sophiſtæ hoc dixiſſent, ferri potuiſſet: neque enim alienum eſt ab Apoſtoli ratione. Nam, vt paulò poſt videbimus, ex his, quæ Deus iam nobis conceſsit, nos certò vult eſſe perſuaſos de illius erga nos perpetua dilectione. Iſti verò & ſcripſerunt, & docuerunt, Spem ipſam ex meritis pendere, atque ita pendere, vt ſperare ſine illis præſumptionem eſſe dicant & temeritatem. Cæterùm videtur aliquid obiici poſſe ex ſacris literis, quod Pauli ſententiæ aduerſetur, qua ait, Spem non confundere. Nam ad Timotheum ſcribitur, In priore mea defenſione nemo adfuit mihi: omnes me deſeruerunt: ne illis imputetur. Sed Dominus mihi adfuit: & ereptus fui ex ore leonis: & eripiet me Dominus ex omni opere malo. Hîc Paulus ſperauit, ſe euaſurum Neronis perſequutionem: Sed falſus eſt. Nam ſub eo occubuit. Idem ad Philippenſes, cum dixiſſet, coartari ſe ex his duobus, quòd ex altera parte deſideraret diſſolui, & eſſe cum Chriſto, ex altera autem videret, neceſſe eſſe, vt maneret in carne propter illos, hoc addidit: Et certò ſcio, quòd manſurus ſim, & cum omnibus vobis permanſurus, in veſtrum profectum, & gaudium fidei. Hinc etiam rurſus apparet, ſperaſſe Apoſtolum, ſe liberandum eſſe ex illa captiuitate, quod tamen non eſt ſequutum. Vnde ſpes ea videri poteſt, illum confudiſſe. Vt ad hæc reſpondeamus, repetimus id, quod ante dictum eſt, Spem ſuam certitudinem à fide recipere: fidem autem habere certitudinem ſuam ex verbo Dei. Quare conſentaneum eſt, vtranque tam eſſe certam, quàm ſunt promiſſa, quæ offeruntur. Deus autem remiſsionem peccatorum, & vitam æternam promiſit nobis ſimpliciter, iuſsitque vt ea ſine omni dubitatione & crederemus, & ſperaremus. In his ergo nec fides, nec ſpes poteſt fallere. Verùm de periculis, & aduerſis caſibus huius vitæ non habemus promiſsionem ſimplicem, & abſolutam, ſed, vt loquuntur, ſub diſiunctione. Pollicitus enim eſt Deus, ſe nos vel liberaturum, vel in ipſis periculis conſolaturum, ne deficiamus, ſed illud conſtanter confiteamur, vel ſi lapſi fuerimus vt reſtituamur, & ad æternam vitam pertingamus. Quare non oportet, vt certitudo ſpei in altera tantùm parte figatur. Quod ſi quandoque homines ſancti faciunt, id ex affectione humana naſcitur, non ex ſpe Chriſtiana. Eoque mirum non eſt, ſi interdum fallantur. Vt autem ad Paulum redeamus, is ex magna quadam charitate ſperabat ſe poſſe adhuc diutius manere cum Philippenſibus, & illos ædificare. Quod cùm non haberet ex verbo Dei, facilè contigit, vt falleretur. Summa verò Euangelicæ pietatis eſt, vt certò ſtatuamus, Deum nos amare, noſque tandem fœlices eſſe facturum. Quòd ſi quandoque animi ſanctorum perturbantur, quaſi de promiſsionibus Dei, aut ſalute ſua dubitent, id non aut fidei, aut ſpei vitio accidit: ſed quòd, dum hîc viuimus, non ſimus perfectè exornati. Itaque à carne, & humana prudentia hæc dubitatio naſcitur. Conſentimus quidem cum aduerſarijs hæſitationes quaſdam de ſalute ſuboriri etiam in ſanctis. Verùm in hoc ab illis diſcrepamus, quòd illi id ſpei ipſi tribuunt: nos autem id humanæ tantùm infirmitatis eſſe dicimus, idque in dies eſſe corrigendum, vt ſe quiſque intelligat tantùm fide ac ſpe profeciſſe, quantò ſe conſtantiorem, & firmiorem eſſe ſentiat. Quemadmodum autem hæc mala non à fide, aut ſpe, ſed à corruptione noſtra oriãtur, appoſito ſimili declarauimus antè ac modò repetemus. Nemo negare poteſt ſcientias mathematicas eſſe certiſsimas. Itaque qui eas abſolutè nouit, audacter pronuntiat, & de illarum concluſionibus nihil hæſitat. At qui candidatus tantùm eſt huius facultatis, ſæpè vacillat, & hæret perplexus, quòd eas ſcientias nondum perfectè ſit aſſequutus. Ita nos non ex fide aut ſpe, ſed ex eo, quòd non ſperamus, aut credimus, quantum opus eſt, ideo dubitationibus iactamur. Sed dicet aliquis, Nobis ex eo fortaſſe imponetur, quòd loco veræ fidei, aut ſpei, vmbras tantùm earum habeamus. Non enim facilè veram ſpem, & fidem à fucatis, & fictis diſcernere poſſumus. Reſpondeo, hac inſtantia non auferri proprietates fidei, aut ſpei. Quamuis enim vnus aut alter eas diſcernere non poſsit, illæ tamen ſuo loco permanẽt. Quemadmodũ videmus fieri de liberalitate & prodigalitate. Permulti enim ſunt, qui eas à ſe mutuò diſtinguere nõ poſſunt: nec tñ propterea illarũ notæ, & conditiones tolluntur. Agit hoc loco Paulus de ingenio, et proprietate ſpei. Quòd ſi poſtea inquiras, quemadmodum iſtæ facultates à fictis diſcernantur, dicimus eas vi, & numine Spiritus ſancti prodi: qui Spiritus in genere ſpiritualium rerum nullũ habet aliud lumen ſe ipſo clarius, quo illuſtretur. Quod in ſole externo videmus vſu venire. Is enim non declaratur eſſe ſol, niſi ſua ipſius luce. Quamobrem Paulus ad Romanos appoſitè dixit: Spiritus eſt, qui teſti-

An Paulus ſit quandoque fruſtratus ſpe ſua.

Simplex eſt promiſsio de condonatione peccatorum & de uita æterna.

De periculis huius uitæ non habemus promiſsionem abſolutam.

Cur Paulus quandoque ſit falſus ſpe ſua.

In ſanctis quædã hæſitationes de ſalute oriuntur.

Quomodo uera fides et ſpes à fictis diſcernantur Spiritus non alia re ſed ſeipſo cognoſcitur.

monium reddit ſpiritui noſtro, quòd ſimus filij Dei. Sed præter hanc Spiritus ſancti lucem, noſtra quoque requiritur examinatio: de qua Paulus ita loquitur in poſteriore ad Corinth. Voſmet ipſos probate, an ſitis in fide. In qua probatione diſtinguenda eſt ſpes. Alia enim eſt ſpes, quæ ſemper coniunctam habet pœnitentiã, & ſtudium emendatè viuendi: de quo genere Apoſtolus loquitur, cùm eãm ait non confundere. Habet enim perpetuas comites, fidem & charitatem. Vnde cùm eius certitudinem docemus, non aperimus feneſtram vitijs, vt aduerſarij noſtri calumniantur, aut homines ad vitam ſolutiorem adhortamur. Neq; enim ad iſta ſpes vera nos incitat: ſed potius vt illa dignè viuamus, impellit. Alia eſt ſpes, quam potius carnis ſecuritatem dicere poſſumus: de qua Auguſtinus ita rectè loquitur: Ea freti ſperando pereunt. Illi autem ſunt, qui dicunt, Deus bonus eſt, & nos amat: Chriſtus pro ſalute noſtra obijt: quocunque modo vixerimus, conſequemur ſalutem. Ab iſta ſpe in primis cauendum eſt: ea enim à pœnitentia, & à ſtudio bonæ vitæ remota eſt: cumq; ſit eiuſmodi, fidẽ & charitatẽ à ſe procul ablegauit. Hæc homines miſerè fallit. Quare de ea Paulus non loquitur. Nunc videndum ſupereſt, an hac vera ſpe, qua ſancti nunc ornantur, Spiritus beati in patria vti poſsint. Nam ex vna parte ſcimus eos expectare corporum reſurrectionem, & extremum iudicium: quæ illis grata futura ſunt. Ideoq; hactenus non videntur prorſus remoti eſſe à ſpe. Ex altera verò parte Apoſtolus deſcribit ad Corinthios, fidem, ſpem, & charitatem: ſed ex his tribus ſolam charitatem dicitur nõ excidere. Quibus verbis aperte docet, veræ ſpei locum non eſſe in patria. Quodq; de Sanctis diximus, de Chriſto quoq; poteſt vocari in dubium. Nam is quoq; videtur ſperaſſe, ſeſe reſurrecturum, & naturam ſuam humanam in cœlum eſſe ſummouendam. Ad hæc reſpondemus, non oportere negari, & Chriſtum ſperaſſe, & animos beatorum adhuc aliquo modo ſperare. Talem autem negamus eſſe eam ſpem, qualis eſt noſtra, qua vtimur in hac vita. Quoniam vt anteà docuimus ex Apoſtoli verbis, ſpes noſtra comites habet gemitum & triſtitiam: quæ in æterna fœlicitate, qua beati fruuntur in cœlo, eſſe certè non poſſunt. Ad hæc noſtra ſpes nititur fide, quæ parit cognitionem imperfectam & obſcuram. Nam vt Paulus ait ad Corinthios, videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, & cognoſcimus ex parte. Sancti autem in cœlo perfectiſsimè, lucidiſsimèque cognoſcunt. Præterea cùm ſpes in primis reſpiciat extremum ſummumq; bonum, in beatis, qui illud iam tenent, & poſsident, poni ſpes talis, qualis eſt noſtra, non debet. Vera enim, & propria ſpes in æterna fœlicitate non inuenitur. Ea tantùm, dum hîc ſumus, data nobis eſt, vt anchora: ita enim eam appellat epiſtola, quę ſcribitur ad Hebræos. Dum enim fluctibus & tempeſtatibus huius mundi perpellimur, niſi animus noſter firmetur & ſtabiliatur anchora ſpei, facilè nauis noſtra in ſyrtes & ſcopulos illidetur. Chryſoſtomus eam appellauit cathenam auream è cœlo demiſſam: quam apprehendentes in cœlum trahimur. Ideo curandum eſt, vt ea in nobis magis magisq; confirmetur. Hoc autem maximè fiet, vt Paulus mox docebit, ſi expenderimus ſingularia Dei beneficia. Quæ cùm in ſacris literis luculentiſsimè contineantur, earum lectione ſpes noſtra maximè roborabitur. Quod Paulus in hac epiſtola clariſsimè docuit, cùm diceret, Quęcunq; ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt: vt per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus. Quod idem Dauid etiam dicit: Sperant in te, qui nouerunt nomen tuum. Cùm itaq; Dei natura, & nomen nullibi melius, quàm in ſacris literis intelligatur, ſupereſt, vt ex illis in primis ſpem noſtram confirmemus. Quod ſi diligenter fecerimus, animus noſter nõ conſternabitur, cùm Deus, vt ſæpe conſueuit, res noſtras vſque ad pudorem cadere permiſerit: quod in Chriſto ſeruatore noſtro vidimus contigiſſe. Is enim ita à Deo prorſus deſertus fuit, vt in crucem ageretur, & inter duos latrones mortem ignominioſiſsimam oppeteret. Dauid etiam eò redigebatur, vt non ſolùm expulſus è regno Iſrael vagaretur per deſerta, ſed etiã propè in manibus Saulis iam cõcluſus vndiq; teneretur. Idem in alijs Sãctis perſæpè videmus accidiſſe, vt propè falſi iudicarentur, & de ſpe ſua decidiſſe. Sed Spiritus Chriſti addit robur, vt homines in mediis calamitatibus poſsint exultare, & dicere: Hæc in nobis poteſtatem non habent, niſi ea deſuper conceſſa fuerit. Quam ſententiam Chriſtus Pilato, cùm ſuam potentiam iactaret, obiecit. Pſalmus etiam 42. nos pulchrè docuit, quemadmodum nos ipſos debeamus conſolari, & ſpe bona animum erigere. Nam ita ſcribitur: Quare dejecta es ô anima mea? Cur ita cõſternaris? Spera in Deo: quoniam adhuc ei confitebor. Salus mea in vultu eius. Neq; alia de cauſa Deus frequenter ſuos expoliat terrenis opibus, & auxilijs huius mũdi, quàm vt colligat diſperſam eorum ſpem, neq; eam ſinat nitiminis multis auxilijs. Auxilia autem hæc varia, & multiplicia vno præcipuo, & eodem firmiſsimo commutat: vt toti ab illo diſcamus pendêre. Hoc diſcrimine firmæ ſpei Chriſtiani ab Epi-

Noſtra etiam requiritur examinatio ad fidẽ & ſpem probandã.

Noſtra certitudo nõ aperit uiã peccatis.

Noſtra certitudo non eſt ſecuritas carnis.

An Chriſtus & Sancti adhuc ſpẽ habeant.

Spes in hac uita eſt ut anchora.

Spes eſt uti cathena.

Spes corroboratur beneficiorũ cogitatione.

Deus interdum ſuos uidetur deſerere.

Quare ſuos Deus externis auxilijs expoliet.

ab Epicureis & Ethnicis multùm differunt. Nam cùm grauis aliqua calamitas obijcitur, illos audias vociferantes: Si quis Deus hæc curet: Si quis Deus hæc videat. Ita Deum non inuocant: sed desperabundi animum despondẽt. E diuerso verò homines pij cõstantissimè ad Deum clamant: neque dubitant, preces suas ad cœlum vsque pertingere: secũ & omnia sua Deo curæ esse. Sed quia humana prudentia perpetuò reluctatur, & fingit se de potentia quidem Dei non ambigere, tantùm verò de voluntate eius dubitare, propterea videndum est, quemadmodum Paulus hac de re nos certos faciat. *Ethnici ut spe destituantur.*

Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Hæc verba perinde sonant, ac si dixisset, Inde potes colligere spem te non frustraturam, quia Deus te diligit. Quam dilectionem ex eo tibi persuadet spiritus sanctus, quòd filius Dei vnicus tua causa sit traditus in mortem. Quare iam non debes ambigere de voluntate Dei. Gratis hoc tibi concessum est, idq; vt postea dicetur, inimico, infirmo, impio, peccatori. Quæ omnia ostendunt, Deũ te non moderatè diligere, sed effusissimè. Neq; verò solùm ista dedit, sed etiã adiecit spiritum sanctum, vt ea sentires. Id autem fit in regeneratione. Ibi enim dum fide apprehendis Christum pro te mortuum, renasceris, & euadis cõsors diuinę naturæ. Quemadmodum enim spiritus humanus facit hominem, ita spiritus Dei nos per adoptionem facit filios Dei. Qui si datus est nobis, vt ait Chrysostomus, iam inde ab initio priusquam laborare mus, multò sanè iam plura addentur, cùm nos Deo perpetuò conemur approbare. Radicem & fontem bonorum iam tenemus. Ab hoc spiritu est gloriosa illa Resurrectio: vt ex hac epistola docemur. Nam qui suscitauit Christum à mortuis, inquit Paulus, resuscitabit & mortalia corpora vestra propter spiritum eius, qui habitat in vobis. Nec aliunde vita hæc ipsa, quam agimus in Christo, ducitur, quàm à spiritu sancto. Prudentia enim carnis, inquit Paulus, inimicitia est aduersus Deum. Prudentia autem spiritus vita, & pax. Voluit Deus vt in hac vita haberemus arrhabonem, pignus, & specimen futuræ salutis. Ideóque his, qui sunt in Christo, indidit, atque impressit spiritum suum. Neque timendum est, inquit Ambrosius, cùm Deo simus tam chari, ne ab eo decipiamur. Non autem sine causa meminit Paulus spiritus sancti. Nam is est, qui testimonium perhibet spiritui nostro, quòd simus filij Dei: quodq; per illum potissimùm agnoscimus, quę à Deo donata sint nobis. Vt enim habetur in priore epistola ad Corinthios, spiritum non huius mundi accepimus, sed eum, qui est ex Deo, vt sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis. Verùm quoniam hanc dilectionem Dei, de qua spiritus sanctus certiores nos facit, non possumus certis demonstrationibus, aut sensus experimento docere infideles, ideo dicitur in cordibus effusa. Sumus enim in hac vita instar peregrinorum: qui cùm domi nobili genere nati sint, & diuites, tamen dum versantur apud exteras nationes, non habentur in pretio. Illi tamen conscij sibi nobilitatis suæ, gaudent in sinu, & inanes aliorum de se opiniones nõ morantur. Ita nos, quando vt fatui, & miseri ridemur ab impijs, effusam habentes in cordibus nostris dilectionem Dei, nihil illorum iudicio cõmouemur, de nostra sorte impensè contenti. Augustinus hunc locum paulò aliter exponit. Is enim putauit dilectionem accipiendam esse pro ea, qua nos Deum diligimus. Quod mihi nõ videtur. Non enim ideo spem habemus inconcussam, quòd nos Deum diligamus, sed quòd diligamur à Deo. Præterea scopus Pauli est, vt spẽ nostram confirmet ex beneficio mortis Christi: quod nobis, non de nostra charitate in Deum, sed contrà de charitate Dei erga nos fidem facit. Vnde cõcludit rationem suam his verbis: commendat autem Deus charitatẽ suam erga nos &c. Quanquã libẽter etiam agnoscimus cum Augustino, spem hominũ piorum nonnihil confirmari, quòd iam sentiãt per spiritum sanctum se inflammari amore Dei, cùm intelligant sua causa filium Dei ab eo traditum fuisse ad mortem. Dilectionem autem nostram ex ipso amore Dei, quo nos complectitur, deriuari, manifestum est. Quod tamen attinet ad sensum Apostoli, superior est genuina expositio. *Per spiritum adoptamur.* *A spiritu est resurrectio.* *Simile.* *Nostra dilectio ex dilectione Dei oritur.*

Christus enim, cùm adhuc essemus infirmi, pro impijs mortuus est. Vix enim pro iusto quis morietur. Nam pro bono forsitan quis mori sustineat. Rationem explicat, qua, nos amari à Deo possimus cognoscere: nempè quòd filium suum pro nobis dederit, cùm adhuc essemus infirmi, peccatores, impij, inimici. Vnde manifestè colligimus, spem eam non posse nos confundere, qua confidimus, cùm iam simus regenerati, & Deo reconciliati, nos extrema quoque fœlicitate aliquãdo potituros. Nam si pro inimicis & peccatoribus tantum donare dignatus est, longè haud dubiè plura dabit amicis, & filijs. Proponit igitur Paulus primò beneficium collatũ humano generi: filium, inquam, Dei datum in mortem. Secundo loco instituit collationem, qua spes fidelium vehementer confirmatur. Postremò nos non solum sperare, ostendit, verùm *Methodus rationi Pauli.*

etiam de hac dilectione Dei erga nos magnoperè gloriari. Quod ad primum attinet, non frigidè, aut tenuiter narrat, quantum boni Deus nobis cõtulerit, cùm filium suum daret pro nostra salute: sed magna cum amplificatione rem exaggerat, cum, scilicet, non pro quibusuis hominibus datum fuisse, sed pro illis, qui omni misericordia essent indigni. Nam antequam eius redemptionis Dei beneficio facti essemus participes, nos ipsos nulla nostra ope, aut vi potuimus iuuare. Ideóque Christus dicitur datus pro infirmis, qui prorsus omni auxilio egerent. Iidemq; , cùm essent impij, auxilium oblatum à se depellebant. Cumq; essent peccatores, hæc mala indies ingraueſcebant. Nam & infirmitas augebatur, & remedium erat in maiore odio propter impietatem, quæ magis magisq; inualeſcebat. Huc etiam insuper accesit, quòd iam homines hostes erant declarati. Et magni momẽti fuit, ea, quæ essent semel iudicata reſcindere. Hoc sibi volunt illæ particulæ.

Infirmi, impij, peccatores, inimici. Pro iusto, & pro Bono. Cùm homines non libenter moriantur, ex eo apparet, quanta fuerit Christi charitas erga nos, qui pro talibus mori voluerit, quales nos fuisse, iam expositum est. *Pro iusto.* Quidam intellexerunt iustam causam. Vix enim adduci possunt, qui mortem meriti sunt, vt æquo animo moriantur. *Pro Bono,* Id est, pro vtili, & iucundo facilius moriuntur: vt parentes pro liberis: viri pro vxoribus: mercatores pro suis mercibus. Origenes adfert exemplum de Martyribus, qui pro Christo, qui vere bonus est, mortem sustinent. Alij commemorant Decios, Curtios, Codros, & fratres Philenios: qui vltrò vitam pro patria posuere. Nam hi omnes videri possunt ad mortem ferendam & à iusto, & ab vtili fuisse impulsi. Iustum enim fuit, vt patriæ reponerent eam gratiam, vt eius causa vellent mori. Deinde etiam sua morte videbantur seruare eos, qui illis erant charissimi. Equidem cum Chrysostomo intelligerem per *Iustum, & Bonum,* simpliciter homines iustos, & bonos. Quamuis Hieronymus ad Algasiam quæstione septima *Ἀλλαχοῦ πρὸς ἀγαθὸν* accipiat substantiuè pro re iusta, & bona. Cur autẽ Paulus dixerit *Vix pro iusto,* & addiderit *Forsitan pro Bono,* hanc ego arbitror esse causam: quòd illi, qui visi sunt quandoque mori pro alijs, quod tamen perrarò accidit, re probè considerata, dici possint, sua, non aliena causa fuisse mortui: vel quòd gloriam captauerint, vel quòd omnia sibi aduersa cadere viderint: idque cùm ferre non possent, mori maluerint. Quantùm autem Decij, Curtij, & alij illorum similes à pura Christi dilectione abfuerint, multis argumentis ostendi potest. Primùm enim non fuerunt eius dignitatis, vt cum Christo conferri possent. Vnde vita, quæ ponebatur, æqualis pretij non fuit. Deinde vellent, nollent, aliquando morituri erant: & fortasse etiam eo ipso tempore, cùm exercitus ab hostibus cæderetur. Mors autem immines solet homines audaciores efficere: quod de Solone narratur. Is enim cùm ciues vocasset ad arma, aduersus Tyrannum Pysistratum, interrogatus, qua re fretus solus præter cæteros tantùm facinus auderet, respondit, senectute. Cùm enim videret, sibi paulò post esse moriendum, facilè persuasit sibi, vt patriæ causa mori vellet. Christus autem, cùm morti obnoxius non esset, & nostra causa mori statuerit, multò maiorem dilectionem declarauit erga nos, quàm illi erga suam patriam. Præterea illi pro dulci patria, pro vxoribus, pro liberis, pro legibus mortem obierunt: Christus verò pro infirmis, peccatoribus, inimicis occidi voluit. Illis proponebatur gloria. Nam cùm ita morerentur, admirationi fuerunt omnibus, & summis laudibus publicè ferebantur. At Christus mortem ignominiosissimam oppetijt, vt etiam inter latrones numeratus fuerit, quum esset alioqui omnium hominum innocentissimus. Postremò illi moriendo nullam habuerunt rationem Dei. At Christus quicquid fecit, ex obedientia erga Deum æternum, patrem suum fecit. Itaque si nos ipsos respiciamus, siue Christum, qui passus est, nullam causam inuenire possumus mortis eius, nisi meram erga nos Dei charitatem. Nos enim ita miseri eramus, & perditi, vt Deum ad nos amandos non potuerimus vllo nostro merito allicere. Deinde Christus ita fuit perfectus, & ita omni fœlicitate cumulatus, vt illi quò magis proficeret, ea morte nihil opus fuerit. Illa autem singularis habetur, & casta dilectio, quæ nec sua commoda sequitur, nec à rei ipsius dignitate quodammodo violenter trahitur. Et in hoc quidem Christus pulcherrimè patrem suum retulit, & se Dei filium declarauit. Is enim pluit super iustos, & iniustos, & hominibus in se contumeliosis vitam concedit, & benefacit: &, vt ait Iohannes, prior dilexit nos. Quidam Ethnici philosophi arbitrati sunt se multùm profeciſſe, cùm iniurijs non commouerentur. Habitique sunt ea de causa similes Dei. Sed Christus longè illis antecelluit. Is enim impios, & hostes non solùm non est auersatus, sed etiam eos dilexit, atque ita dilexit, vt vitam pro eis posuerit. Quapropter cùm Deus sit constans, nec voluntatem facile mutet, cumque iam nobis tantum dederit, postea certè maiora dabit: cumque semel cœperit

Qui uidẽtur mori pro alijs causa sua moriuntur. Curtiorũ & Deciorum mors lõgè inferior Christi morte.

Quæ sit casta dilectio.

Quàm Christus antecelluerit Philosophos.

perit nobis benefacere, non desistet donec omnibus beneficijs ornauerit. Fidelis inuentus est in multis promissionibus. Recepit, se humanam carnem susceperum: susceperit: Euangelium prædicaturum: prædicauit: pro nostra salute moriturum: mortuus est: A morte reuictu rum: Reuixit: Ascensurum in cœlum: Ascendit: Daturum spiritum sanctum: Dedit: Vocatu rum Gentes: vocauit. Quid nunc superest, nisi extrema Resurrectio, & gloria sempiterna fidelibus reddenda? Certè, si alia omnia bona fide præstitit, in eo vno, quod reliquum est, fidem, non fallet. Duo, inquit, Chrysostomus erant facienda, quæ videbantur difficillima: Vt peccatores iustificarentur, & vt Dominus pro eis moreretur. Cùm autem hæc vtraque iam facta sint, quę supersunt, haud dubiè fient. Et Ambrosius ait, ea, quæ restant facienda, iã redd ita esse facillima. Quod autem Paulus ait, *Secundum tempus*, posset referri ad mortem Christi, quæ non contigit omni tempore, sed certo, & oportuno, & destinato à Deo. Nam si omnia habent certum tempus, multò magis id de morte Christi statuendum est. Vnde Paulus ait, eum fuisse datum, cùm iam venisset plenitudo temporis. Et Christus non semel dixit, horam suam vel iam venisse, vel adhuc non venisse. Posset etiam adiungi illa particula ad id, quo dicitur, Nos fuisse infirmos: Videlicet, prout ratio temporis postulabat. Nam cùm alieni essemus à Christo, vitam infirmam vixímus: quod tamen non ita est accipiendum, quasi ratio temporis excusare potuerit eam infirmitatem. Tempus enim eam nequaquam nobis conciliauit. Nam homines sua potius ipsorum transgressione facti sunt infirmi. Quanquam Ambrosius illa verba, *Secundum tempus*, intelligit de triduo, quo Christus iacuit mortuus in sepulchro. Sed non magni refert ex tribus istis interpretationibus, quam maximè sequaris. In primis verò ex his Apostoli verbis expendere debemus, quis illorum status sit, qui nondum sint regenerati, nec participes effecti mortis Christi. Eos enim Paulus prædicat esse infirmos, peccatores, inimicos, impios. Vbi ergo locum habere possunt opera illa præparatoria, de quibus aduersarij nostri tantopere pugnant? Verùm isti somniant sibi, nescio quem, statum medium: quo homines quidam nec prorsus piè, nec planè impiè viuant. In quo genere hominum Cornelium Centurionem numerant: cuius eleemosynæ gratæ, & acceptæ fuerint, & preces exauditæ à Domino, cùm ille tamen adhuc in Christum non crederet. Atqui ille, si adhuc, vt isti volunt, non erat particeps mortis Christi, neque vllo modo regeneratus, certè Pauli testimonio & inimicus Dei fuit, & impius. Quare nec ipse, nec opera eius Deo potuerunt esse grata. Dicendum igitur est, eum, cùm oraret, & eleemosynas faceret, non omnino fuisse à Christo alienum: quamuis nondum esset tantum institutus de Christo, quantum esse posset ad Christianismum satis. Nobis autem, qui iam Dei gratia, & beneficio ad hanc notitiam euecti sumus, & gratiæ agendæ sunt charitati diuinæ, & vita ad omnem puritatem, & innocentiam instituenda. Idque fuerit inseruire tempori: ne id possit nostræ ingratitudini exprobrari, quod Christus reprehendit in Pharisæis: potuisse eos obseruare faciem cœli: tempus autem visitationis suæ ignorasse. Ita Paulus interpretatur locum Esaiæ: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Quæ autem Paulus hoc loco scribit, eadem repetit quodammodo in octauo capite, vbi ita loquitur: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Cùm proprio filio suo non pepercerit, sed illum pro nobis omnibus tradiderit, quomodo non simul cum eo omnia nobis donauit? Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus est, qui iustificat. Quis est, qui condemnet? Christus est, qui mortuus est: imò qui & resurrexit, & sedet ad dexteram patris, & intercedit pro nobis. Faciunt & hæc mirificè ad spem nostram confirmandam, vt suo loco dicemus.

Deus fidelis in promissis hucusq; inuentus.

Quisnam sit status non regeneratorum.

Contra opera præparatoria.

Commendat autem charitatem suam erga nos Deus. Rectè dicitur Deus dilectionem erga nos suam commendare, cùm traderet filium suum in crucem pro nobis. Nihil enim videntur homines habere charius, aut antiquius, quàm filios. Itaque legimus, impias matres, cùm vellent adulteris ardentissimi amoris, & perpetuæ consuetudinis fidem facere, filios suos occidisse, quòd viderent, se non habere aliud pignus certius, quo suum illis animum testarentur. Ita Deus, cùm filium suum pro nobis ad mortem, eamque ignominiosam traderet, satis immensam illam suam erga nos charitatem comprobauit. Orbem quidem nostra causa condidisse, summum fuit illius erga nos beneuolentiæ argumentum. Quanquam in eo potentia eius, & vis diuina, & sapientia magis enituit. Est enim liberalium, & generosorum dominorum, multa donare ac largiri subditis. Hoc tamen domini nunquam committunt, vt pro seruis suis velint periclitari. Quare cùm Deus filium suum daret pro nobis in mortem, ibi, vt ait Paulus, in primis suam erga nos charitatem commendauit. Quod ideo ab illo factum est, vt nos ad eum redamandum incenderemur. Præceperat Deus in Lege,

Liberis nil charius.

Quare Deus tãtam charitatem in nos ostendit.

vt se toto corde, tota anima, & omnibus viribus diligeremus. Id quò libentius præstaremus, voluit ipse prior suam erga nos beneuolentiam declarare: vt nos magis, quam seipsum amare & curare videretur. Nam pro nostra salute mori etiam voluit: quam tamen nos ita contemnimus, vt nihil pro ea velimus pati, aut ab vllis corporis cõmodis, aut carnis delitijs temperare. Voluit ille, vt omnes bene haberent, vnus interim pati: at nos volumus soli bene habere, etiamsi alijs omnibus sit pereundum. Non autem posset fieri, vt tanta & nostrę, & aliorum salutis neglectio in nobis esset, nisi tantum Dei beneficium vel non crederemus, vel non satis seriò perpenderemus. Nullus vnquã procus tanta ambitione, tamq; flagranti amore sibi sponsam adiunxit, atq; Christus sibi Ecclesiam suã acquisiuit. Nec vllus vxorẽ vnquam tam disparem, & suo cõiugio indignam duxit, atq; Christus Ecclesiam. Cuiusmodi enim ea fuerit, antequam Christo in manum conueniret, ab Ezechiele describitur in 6. cap. Proiectã ait illam iacuisse in terra, nec illi pręcisum fuisse vmbilicum, nec eã aqua fuisse ablutam, nec sale salitam: nec fuisse oculum, qui eam miseraretur. Paulus quoq; quę conditio nostra fuerit antequã ad Christum veniremus, cùm hic, tum etiam alibi sæpè fuse declarat. Ad Ephesios non solùm ait, nos fuisse natura filios iræ, sed etiam addit, Eratis aliquando tenebrę: nunc autem lux in Domino. Ad Titum ait, Eramus vt stulti, non obedientes, sed errantes, & inseruientes varijs concupiscentijs, in malitia, & inuidia degentes, odiosi, & odio inuicem prosequentes. In priore ad Corinth. cùm grauissimorum scelerum catalogum recensuisset, Hæc quidem, inquit, aliquando fuistis: sed abluti estis, sed sanctificati estis. Quare dilectionis diuinæ obsidem habemus filium Dei, nobis datum. Non suppositus Angelum, non Archangelum, cùm tamen potuisset. Ipse venire voluit, & mortem acerbissimam in cruce sustinere. Oportebat vt ad nos redimendos bonum aliquod offerretur Deo, quod aut æquè, aut etiam magis placere posset, quàm omnia mũdi peccata displicuissent. Illud pro nobis Christus obtulit. Quod si quæras, cur Christi mors Deo tam grata fuerit, alia nulla ratio inueniri potest, quàm eius immensa charitas, & dilectio. Potuisset quidem Deus alia quapiam re contentus esse. Sed hanc potius voluit: non quò oculos, aut animũ Christi afflictione, & supplicijs pasceret: id enim fuisset immitis patris: neq; quod præuideret magnam in filio charitatẽ, & modestiam: quamuis etiam hec in Christo summa fuerint, & apud patrem summè valuerint: sed vt ego quidem iudico, quòd hac vna ratione videret, amorem suum erga nos perfectissimè posse declarari, & exemplum sanctissimè viuendi proponi hominibus ad imitandum. Nam si quæsiueris, vtrum necessariũ fuerit, vt filius Dei sic moreretur, respondeo, necessitatem coactionis nullã hic esse statuendã: nihil enim est in Deo violentum. Neq; etiam naturæ necessitas vlla fuit. Quamuis enim in natura diuina multa sint necessaria, quale est, vt sit vnus, trinus, filium genuerit, & cætera id genus, tamen nefas est existimare, vllum effectum externũ ab eo necessitate naturali proficisci: cùm quicquid facit, libere atque vltrò faciat, & illi, quod nolit, liberum sit non facere. Neq; hîc statuimus necessitatem ex hypothesi finis. Nam salus humana multis alijs rationibus, & vijs, modò ille voluisset, parari poterat. Sed necessarium fuit, Christum mori ex hypothesi diuinę prouidentiæ, atq; concilij: quòd Deus ita fore decreuisset. Id autem fecit potissimùm ad suam infinitam dilectionem declarandam.

Ecclesia Christo dispar coniunx.

Quid requirere tur in pretio nostræ redẽptionis.

Cur mors Christi adeo grata fu erit patri.

An fuerit necessarium Christum mori.

Multo igitur magis iustificati sanguine ipsius seruabimur ab ira per ipsum. Nam si cùm inimici essemus, reconciliati fuimus Deo per mortem filij eius, multo magis reconciliati seruabimur per uitam ipsius. Hîc inducitur collatio diuersorum statuum, cùm Christi, tum nostri. Nos antea eramus infirmi, impij, peccatores, inimici. Nunc autem mutata est conditio. Facti enim sumus amici, iustificati, reconciliati Deo. Christus morte sua multùm effecit pro nobis: at nunc viuit, & quidem æternam vitam, qua regnat apud patrem. Maius fuit nos vitę restituere, iustificare, & reconciliare Deo, quàm est iam iustificatos ad fœlicitatem perducere. Illud autem effecit morte sua: quare, quod supereſt, multo facilius efficiet in vita, & regno constitutus. Nam quod restat, minus est: Christus autem, vt id nobis conficiat, est quodammodo se ipso potentior. Iam superest, vt dicamus, quare homines nondum reconciliati appellentur inimici Dei. Huius rei duplex ratio assignari potest. Vna attingitur in epistola ad Hebræos: Impossibile est sine fide placere Deo. Cùm igitur homines à Christo alieni careant fide, cumque oraculis diuinis non credant, Deum testantur mentiri: ideóque illi placere non possunt. Altera ratio est, quòd adhuc vitijs opprimuntur, & natiua cupiditate voluntati ac Legibus Dei omnibus modis aduersantur. Vnde meritò dicti sunt inimici. At Paulus per mortem Christi asserit, nos esse iustificatos: quod primùm intelligitur coram Deo per imputationem. Deinde etiam, quòd indies adijciatur noua iustitia, quam sanctè viuendo acquirimus, per instaurationem virium iam à spiritu sancto perceptarum. Quanquam priori iustificatio-

Maius est iustificare quàm iustificatos beare.

Quomodo ante iustificationẽ dicamur inimici.

Vt per mortem Christi iustificemur.

stificatione tantùm nitendum est. In ea enim est columen nostræ salutis. Altera enim iustitiæ ratio, cùm imperfecta sit, ad tribunal Dei consistere non potest. Cùm Apostolus dicit, *Nos saluos fore ab ira*, Per iram non intelligit permotionem aut perturbationem animi. Hæc enim in Deum cadere non possunt. Sed, vt Augustinus recte interpretatus est, in libris de Trinitate, ira in Deo significat iustam vltionem. Et Deus irasci dicitur, quando edit effecta hominis irati: quæ sunt, punire, animaduertere. Ita dicit pœnitere se, quòd hominem fecisset: quòd instar hominis pœnitentis voluerit opus suum euertere. Reconciliatio autem, de qua Apostolus hic loquitur, refertur ad hoc genus iræ, significatq; vltionē iam finitam esse. E diuerso dicitur in Euangelio Iohannis, Iram Dei manere super eum, qui non credit in filiū Dei. Nos igitur, cùm iam simus reconciliati Deo per mortem filij eius, statuere nobiscum debemus, cùm ira Dei finita, & sublata sit, nihil ab eo nobis immitti, nisi amico paternoq; animo. Alio qui afflictiones, & aduersi casus natura sua possent nobis metū incutere, & persuadere, Deum nobis iratum esse. Quod, cùm per Christi mortē reconciliatio facta sit, fieri nullo modo potest. Reconcilitio aūt ea pertinet non solùm ad eos fideles, qui tū vixerunt, cùm Christus moreretur in cruce, sed etiam ad omnes, tam qui iam inde ab Adamo præcesserant ad illa vsque tempora, quàm etiam ad eos qui ad finem vsque mundi futuri sunt. Fuit autem tanta Dei bonitas in hoc sacrificio, vt, cùm multa ibi ab hominibus perpetrarentur infanda (nam & hominem innocentem condemnauerunt, & Dominum gloriæ contumeliosissimè cruci affixerunt) tamen Diuina clementia hac tanta iniquitate, & ingratitudine nihil fuerit offensa, quin & Christi obedientiam, eiusq; charitatem infinitam, & immensam patientiam gratissimam habuerit, & eam pro redemptione humani generis acceptauerit. Nunc restat videndum, quid hæc tanta Dei erga nos dilectio vicissim à nobis postulet. Sunt autem ea multa. Primùm enim, quemadmodum Christus omnem suam voluntatem, & operam impendit ad nos redimendos, ita nostrum est vicissim, illi nos penitus totosq; addicere. Vtq; ille postpositis rebus omnibus, vnicè curauit salutem nostram, ita nos debemus animum à rebus omnibus abducere, & non amplius nostra, sed tantùm quæ Christi sunt, quærere. Illi nobis exemplo esse possunt, qui cum inimicis redierunt in gratiam. Nam illi ne id simulatè, aut fictè fecisse videantur, nihil prætermittunt officij, quod non in amicos reconciliatos conferant: idq; in primis cauent, ne quas reliquias inimicitiarum, aut simultatis in animo clausas retinere putentur: quod de Cicerone, Crasso, Pompeio, aliisq; multis legimus. Deinde videndum est, vt, cùm Dei misericordia per mortem Christi tam stabili in loco collocati simus, ne inde nos per flagitia, & scelera præcipitem. Nam qui pergunt se vitijs contaminare, postquam semel fuerint reconciliati, non solùm præcipites ruunt è sua præstantissima conditione, verùm etiā, vt scribitur ad Hebræos, filium Dei conculcant, & sanguinem eius pro se fusum polluunt. Docemur etiā ex hoc loco diligere inimicos: non ea vulgari ratione, qua dicere solent homines, se inimico bene cupere: satis esse, si eum non prosequantur odio: interim tamen, vt eum aut emendent, aut seruēt, nullum officium volunt interponere. Quodq; est grauius, non solùm in hostes non sunt benefici, verùm etiam sua ignauia fratres infirmos perire sinunt, nec ad eorum peccata conniuent, nec adhibent admonitiones, aut reprehensiones, vt corrigantur. Sunt præterea alia infinita documenta, quæ dilectio Dei nos docet. Nullum enim habemus librum vberiori doctrina refertum, quàm mortem Christi. Eam si diligenter excutiamus, omnia fermè officia, quæ ad salutem necessaria sint, edocebimur. Postremò annotandum est, ea, quæ hoc loco à Paulo dicuntur, breuius quidem, sed tamen satis plenè, haberi in sexto capite Euangelij Iohannis: Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret: vt omnis, qui credit in illum, non pereat. Hìc quoq; audimus, Dei charitate filium fuisse traditum pro nobis. Quodq; Paulus dixit, *Inimicos, infirmos, impios, peccatores*, id Euangelista, voce vna, *Mundi*, annotauit. Et quod Paulus ait, nos esse *Iustificatos, Reconciliatos, seruandos ab ira per ipsum*, id Euangelista his verbis expressit, Vt, qui credit in eum, non pereat.

Quid sit ira in Deo.

Iustificatis nil à Deo immittitur nisi paterno animo.

Recōciliatio per mortem Christi respexit omnia tempora.

Maxima crucifigentiū Christū dignitatē illius pretij non imminuit.

Quid tanta dilectio Dei à nobis reposcat.

Dei dilectio multa uberrimè docet.

Non solùm autem hoc, uerum gloriantes etiam in Deo per Dominum nostrum Iesum Christum: per quem nunc reconciliationem assequuti sumus. Hæc tertia fuit particula, qua in commemoratione beneficij Christi Apostolus vsus est, postquam illum & exposuisset nobis, & per amplificationem, vt par erat, commendasset. Dicit igitur Paulus, tantùm hoc esse Dei donum, vt de eo summopere gloriemur. Non tantùm, inquit, certi sumus, nos esse seruandos, sed etiam gloriamur: non quidem in nobis ipsis, sed in Deo: non per opera nostra, sed per Iesum Christum, per quem reconciliationem adepti sumus. Cùm ait, nos de hoc Dei beneficio gloriari, perstringit eos, quibus pudendum videbatur Christianam religionem profiteri, & salutem ab ho-

Gloriatio turpitudini & pudori opponitur.

mine crucifixo, & ignominiosa morte affecto expectare. Nihil, inquit Paulus, hîc turpe, aut pudendum est. Imò omnia potius summi honoris, & maximæ dignitatis sunt plenissima. Nihil enim hîc conspicitur, quod non summam Dei erga nos charitatem testificetur. Pulchrè conuenit hæc Pauli sententia cum his verbis Hieremiæ capite nono: Non glorietur sapiens in sapientia sua, neque potens in potentia sua, neque dives in divitijs suis: sed qui gloriatur, glorietur in hoc, quod sciat, & norit me, qui facio misericordiam, iustitiam, & iudicium, & hæc in terra diligo. Idem vult Propheta, quod Paulus, ne quis aut de animi, aut de corporis, aut de fortunæ bonis glorietur: sed tantùm vt de eo glorietur, quòd cognouerit Dominum. Nulla autem ex alia re immensa Dei bonitas melius, aut luculentius intelligi potest, quàm ex morte Christi. Hæc est nostra fides: hanc habemus de Dei bonitate summam scientiam. Hîc intelligimus, Deum fecisse misericordiam, cùm nos hoc pacto voluerit redimi: fecisse iudicium, & iustitiam, cùm nostra peccata noluerit esse impunita, sed ea tam seueriter in Christo vindicarit. Quoniam autem fides nostra nõ debet esse otiosa, sed eadem rependere, quæ à Christo accepimus, ideo Propheta subiecit, Deum eadẽ in terra, hoc est, in nobis & diligere, & requirere. *Gloriamur*, inquit Paulus, & Propheta cognitione, ac fide tanti muneris à Deo collati. Non autem gloriantur, qui hæc frigidè perpendunt: sed qui ea intus in animo sentiunt, & ita sentiunt, vt serio afficiantur. Hoc est in Domino gloriari, non in operibus nostris: Vnde, quod Paulus supra dixit, Electos in tribulationibus gloriari, hinc pendet. Non enim de ipsis per se afflictionibus gloriamur, sed quòd in eis nos à Deo diligi sentiamus. Postremò gloria nostra ea est, quòd Deum ipsum & amatorem, & patrem nacti simus: qua fœlicitate nihil poterat nobis optabilius contingere. Neque prætereundum est, quod Ambrosius hoc loco annotauit: non tantùm gratias agendas esse Deo de accepta salute, & securitate, verùm etiam per Iesum Christum gloriãdum in Deo. Ex quibus verbis intelligimus, eum securitatem salutis nobiscũ asserere: vt gloriatio sit de eiusmodi rebus, quas iam certò teneamus. Præterea etiam hinc euidentissimè liquet, verba illa Apostoli, quibus dixit suprà, *charitatem Dei diffusam esse in cordibus nostris*, intelligẽda fuisse de illo amore, quo Deus nos prosequitur. Eius enim dilectionis indicium ex eo sumptũ est, quòd Deus filium suũ nobis donauerit. Adhęc cũ Apostolus vellet nos de salute nostra certos reddere, & de spe nostra confirmare, non potuit argumentum sumere à nostra dilectione erga Deum. Nam illa semper manca est, & claudicat. Ideoq; si quis esset dubiæ, & incertæ spei, & ea ratione confirmaretur, & iuberetur bono esse animo, quòd ipse Deum amore prosequeretur, responderet statim, se ea causa maximè dubitare, quòd animaduerteret charitatem suam debilem & frigidam esse, nec se Deum pro eo, ac deberet, amare: eoq; ad tantum præmium non posse pertingere. Quare Paulus aliam viam instituit, & spem nostram confirmat à Dei dono. Idq; non satis habuit simpliciter dixisse: sed ab oppositis, & contrarijs pulchrè amplificauit. Ab hoc fonte petendæ sunt afflictorum consolationes, quando propter res aduersas suspicãtur se Deo exosos esse. Hîc illos commemorare oportet, quales fuerint, antequam ad Christum venerint: quid Deus illorum causa, cùm adhuc inimici essent, fecerit, qui pro illorum salute filium suum voluerit crucifigi. Illos caput suum Iesum Christũ habere in cœlo, cuius ipsi sint membra, & partes rogandiq; sunt. An posset Christus se ipsum odio habere, & membra sua perdere? Quare oportere eos existimare afflictiones suas ad æternam salutem conducere, & à beneuolo patre vtiliter infligi.

Quæ sit nostra gloriatio.

Ex morte Christi maximè deus intelligitur.

Quare gloriemur in afflictionibus.

Ambrosius asserit securitatem salutis.

Vnde petẽdæ cõsolationes in afflictionibus.

Propterea quemadmodum per unum peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & sic in omnes homines mors peruasit, ex quo omnes peccauerunt. Existimant nonnulli, hæc ideo à Paulo scribi, quòd postquam firmissimis rationibus probauit, nos non operibus, aut meritis nostris iustificari, sed tantùm per fidem in Christum, & gratiam, nunc velit latius tradere præcipua capita, à quibus omnes illæ adducte argumentationes pendeant, Videlicet, De peccato, de Lege, & de Gratia: Itaque seorsim instituit tractationem, qua robur, & vis superiorum argumentorum explicetur. Quod an ita sit, aliorum erit iudicium. Mihi quidem ista videntur cum illis, quæ iam dicta sunt optimè connecti. Potuisset enim quispiam existimare, Christi passionem, & mortem ipsi tantùm Christo, non etiam nobis profuisse: quòd vnius iustitia non putetur in alterum redundare. Paulus autem vult ostendere, quemadmodum lapsus primi hominis in omnes homines est propagatus, ita iustitiam Christi in omnes credentes redundasse: nec minus valere illius beneficium, quàm Adami peccatum. Atque hoc pacto exponit modum, quo per Christum mortuum, & crucifixum possimus iustificari, & salutem consequi. Neque hoc parum facit ad confirmandam spem nostram, cùm intelligamus, si Christo adhæserimus, nos non minus per illum afficiendos

Methodus Pauli næ tractationis.

endos esse summo bono, quàm per Adamum affecti fuimus summo malo. Multa hoc loco nec sine magna ratione de peccato proponuntur. Id enim efficit in nobis eius notitia, ne ingrati simus de accepto beneficio. Nam qui videt, quibus ipse quantisq; ex malis ereptus sit, videt etiam, quanta sit liberalitas, & bonitas liberatoris, & vindicis. Commendat etiam notitia peccatorum dignitatem iustificationis acceptæ per Christum. Quærit ergo Paulus, vnde peccatum ortum habuerit, quid attulerit, quomodo cognitum fuerit, & postremò, qua ratione fuerit profligatum. Ostendit ergo, Peccatum ingressum esse ab Adamo: attulisse mortem: cognitum fuisse per Legem: explosum autem, & victum per mortem Christi, & fidem in eum.

Peccati notitia ut sit utilis.

Quæ de peccato disputentur.

Quemadmodum per unum hominem peccatum ingressum est in mundum, & per peccatum mors. Videtur esse Anantapodoton, vt ex altera parte reddendum fuerit, sic per vnum Iesum Christum ingressam esse iustitiam, & per iustitiam vitam. Id autem Origenes ait, Paulum noluisse reddere, ne homines socordes, & ignauos efficeret: quasi iam adepta iustitia, & æterna vita, existimaturi fuerint, nihil esse amplius de æterna vita cogitandum. Ideóque dicit, Apostolum alibi hoc ipsum per futurum tempus, non autem per præteritum reddidisse: vt cùm ad Corinthios scribit: Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes viuificabuntur. Verùm hæc ratio non multum momenti habet. Non enim solet sancta scriptura ita leuibus periculis adduci, vt Dei beneficia reticeat. Imò illa passim integra, & ampla prædicat, vt sunt: non autem detruncat, & mutilat, vt Origenes putat. Socordia verò & ignauia ex infinitis alijs locis satis excutitur. Sunt enim in sacris literis cohortationes ex promissionibus, & minis, quibus incendi possimus ad sanctè viuendum, & studium bonorum operum. Atque etiam Origenes ipse fatetur, Apostolum, quod hîc non reddiderit, postea bona fide præstitisse, cùm ita scribat: Itaque sicut per vnius delictum malum propagatum est in omnes homines ad condemnationem, ita per vnius iustificationem bonum propagatur in omnes homines ad iustificationem vitæ. Et paulò antè: Nam si vnius delicto multi mortui sunt, multò magis gratia Dei, & donum per gratiam, quæ fuit vnius hominis Iesu Christi in multos exuberauit. Erasmus verò putat, alio modo occurri posse huic incommodo: vt particula reddítionis substituatur post coniunctionem καὶ. Et similem loquendi modum affert ex Matthæo in oratione Dominica. ὡς ἐν οὐρανῷ, καὶ ἐπὶ τῆς γῆς. Videtur enim in his verbis desiderari οὕτω: vt sensus sit, Quemadmodum in cœlo, sic etiam in terra. Atque hac eadem ratione putat explendam sententiam Apostoli: Propterea quemadmodum per vnum hominem peccatum introiuit in mundum, ita & per peccatum mors. Ego verò libenter dixero esse ἀνανταπόδοτον. Video enim Paulum rapi quodammodo vi spiritus ad explicandam cladem illatam per peccatum. Qua interposita, reddítionem, vt Origenes fatebatur, in secunda interpretatione apertissimè ponit. Vt autem hæc Apostoli verba perspicuè intelligantur, tria nobis excutienda sunt ab illo proposita. Primum, quid Apostolus velit per peccatum: Alterum, quis ille sit vnus homo, per quem peccatum intrauit in mundum: Tertium, qua ratione peccatum propagetur. Quod ad primum attinet, Apostolus fusè largéque vsurpat nomen peccati: vt significet omne id, quod Legi Dei, eiusque voluntati aduersatur. Per hoc enim ab institutione naturæ, & ab idea, ad quam homo conditus est, recedit. Ita enim eum Deus à principio creauit, vt in eo ipsius imago reluceret. Id autem minimè fit, cùm Legi diuinæ reluctemur. Atque hæc vna, & verissima causa est, cur homini permissum non sit, vt voluptatibus quibusque se oblectet. Id enim si faceret ad animantia bruta, non ad Dei creatoris similitudinem accederet. Voluit autem Deus illum in mundo habere vicarium, ideóque quàm maximè sui similem. Peccatum verò sic latè acceptum non solùm complectitur vitium Originis, hoc est, naturam nostram deprauatam, & corruptas corporis animíque vires, verùm etiam mala ea omnia, quæ ex eo sequuntur: primos, videlicet, motus animi ad vetita, prauas deliberationes, mala studia, vitiosas consuetudines. Quamobrem Apostolus vno peccati nomine & radicem ipsam, & omnes eius fructus complectitur. Neque illi audiendi sunt, qui garriunt, hæc non esse peccata. Nam cùm spiritus sanctus ea appellet hoc nomine, nihil causæ video, cur non oporteat, nos etiam ita loqui, & eius doctrinæ acquiescere. Deinde etiam primos istos animi motus, & naturæ corruptelam peccata esse, vocis ipsius etymologia satis indicat. Nam ἁμαρτία ἀπὸ τοῦ ἁμαρτάνειν dicitur: quod verbum significat à proposito scopo aberrare, quocunque tandem modo id fiat. Cùm autem ea sit regula naturæ nostræ, & omnium nostrarum actionum, vt Deo per omnia simus quàm maximè conformes, certè cùm proni simus ad ea, quæ nobis Lege Dei sunt interdicta, & ad

ἀνανταπόδοτον

Vocabulum peccati quàm sit amplum.

Cur voluptates permultæ interdicantur hominibus.

Peccati nomine radicē et fructus Apostolus comprehendit.

Vocabuli peccati ethymologia. Quæ sit regula nostræ naturæ.

ea primo statim impetu præcipites feramur, extra omnem controuersiã dicendi sumus pec
care, hoc est, à scopo, & à fine nobis proposito aberrare. Similis etiam est significatio vocis
Hebraicæ. Nam quod ea lingua dicitur, חטאת ductum est à verbo חטא quod inuenies in li-
bro Iudicum capite vigesimo eodem modo vsurpatum, quo iam dixi Græcum verbũ ἁμαρ-
τάνειν accipi, hoc est, à scopo aberrare. Scribitur enim ibi de septingentis filijs Beniamin, ita
eos solitos fuisse iacere lapides è funda, vt crinem etiam ferirent, & nihil aberrarent. Adhæc
experientia ipsa docet, in nobis regeneratis, quàm grauia hæc mala sint. Ita enim illis impe-
dimur, vt legem Dei non possimus implere: ad quam tamen per omnia obseruandã obstri-
cti sumus. Præceptum etiam nobis est ne concupiscamus: cui præcepto quisq; in seipso sen-
tit, & sibi testis est, per procliuitatem ad peccata, & primos impetus ad vitia, quantũ aduer-
setur. Quòd si patres interdũ scribere videantur, Legem ab hominibus regeneratis in Chri-
sto posse impleri, de obedientia inchoata loquuntur, & de eiusmodi complemento, quod
multum imperfectionis adiunctum habeat. Nam ijdẽ prędicant, eos perfectos esse, ac Dei
legem perficere, qui suos defectus intelligant, vt cum alijs quotidie dicãt, Remitte nobis de-
bita nostra: & cum Paulo, agnoscant sibi longius progrediendum esse. Fatentur etiam ijdẽ
patres, neminem, ne sanctissimum quidem inueniri, qui omnes virtutes absolutissimè colue
rit. Nam vt Hieronymus ait, qui cæteros in vna virtute superat, in alia sæpè deficit. Et eitat
Ciceronem, qui dixit, Non facilè vnum inueniri, qui in Iurisprudentia, aut in facultate dicen
di summus extiterit. At qui simul in vtroque genere summus esset, omninò nullum vnquam
fuisse. Vt itaque Apostolus integrum Dei beneficium per Christum nobis collatum con-
spicuum, & illustre faciat, non tantùm peccatum Originis attingit, sed etiam omnia genera
vitiorum, quæ ex eo manant, vno peccati nomine comprehendit. Nunc videndum est,
per quem vnum hominem Paulus dicat, peccatum huiusmodi aditum in mundum habuis-
se. Is autem fuit primus Adamus, qui fuit tanquam communis quædam massa qua vniuer-
sum humanum genus continebatur: qua vitiata, nos non possumus in lucem, nisi corrupti,
& deprauati exponi. Et quamuis Heua transgressa fuerit ante virum, Adamo tamen initiũ
peccandi ascribitur: quòd successio viris non mulieribus deputetur. Ambrosius tamen per
Vnum hominem intellexit Heuam. Sed cùm illa vox, *Vnum* masculeum tantùm genus defini-
at, non potest, nisi difficulter, & admodum coactè, significatio ad mulierem applicari. A-
lij existimant, vtrunque tam Adamum, quàm Heuam communi voce hominis significari:
vt hæc loquutio non multùm ab ea discrepet, quæ est in libro Geneseos capite secundo:
Masculum, & fœminam creauit eos. Neque multùm morantur adiectiuum *Vnum*, quòd
scriptura testetur, Adamum, & Heuam fuisse eandem carnem. Prima interpretatio simpli-
cior est, & facilior. Ideóque eam libenter sequor. Meminisse autem debemus, quod Pau-
lus scribit ad Timotheum, licet ambo illi primi parentes peccauerint, non tamen in vtro-
que fuisse eandem transgressionis rationem. Ait enim Adamum non fuisse deceptũ. Quod
idem colligitur ex eo, quod illi Deo arguenti responderunt. Nam mulier interrogata, cur id
fecisset, accusauit serpentem: serpens, inquiens, decepit me. Adamus autem, cùm idem inter
rogaretur, non dixit, se fuisse deceptum: sed ait, Mulier, quam dedisti mihi, tradidit mihi po-
mum, & comedi. Hæc non ita accipienda sunt, quasi statuatur, in hominem transgredientẽ
nullum errorẽ incidisse, Nam vt in Ethicis perspicuè docetur, in quouis peccati genere sem
per aliquis error accidit. Hoc tantũ docemur, virũ non ita crassa deceptione seductũ fuisse,
atq; fuit mulier. Et hoc rationẽ Pauli non nihil adiuuabat. Nã eo loco iussit, mulierẽ in Eccle
sia tacere, q̃ esset instrumentũ expositũ ad deceptiones. Id aũt cõfirmauit exemplo primorũ
parentũ. Quę em̃ virũ ad peccandũ impulerit, non videt eum posse rectè instituere: queq; à
Diabolo seduci, & à serpente decipi potuerit, eã non est æquũ in Ecclesia magisterij gradũ
obtinere. Tamẽ liber Ecclesiastici ait, peccatũ initiũ habuisse à muliere. Quod inficiandũ nõ
est, si libri Geneseos historiam expendamus. Sed Paulus, vt iam diximus, scripturæ morem
vsitatum retinet: quę successionẽ, & propagationem viris ascribit, non mulieribꝫ. Non enim
in prẽsentia docere instituit, vter prior peccauerit, Adamus, an Eua: sed radicẽ vult ostẽdere
ex qua peccatũ in mũdo propagatũ fuerit. Atq; ita illud etiã dissoluit, q̃d obijci posset ex lib.
Sapient. Inuidia diaboli peccatũ ingressum esse in mundũ. Ioãnes quoq; scribit, Diabolũ ab
initio peccasse. Non em̃ hic agit̃ de imitatione alieni peccati, aut persuasione ad peccandũ.
Alioqui verum est, primum exemplum peccati à diabolo extitisse: & illũ eundem suasorem,
& authorem fuisse transgressionum. Verùm in eo iam est Apostolus, vt doceat, ex quo tan-
quam ex principio, peccatũ per propagationẽ traductũ fuerit in humanũ genus. Atq; hoc
esse Apostoli consilium, probari potest, ex ea antithesi, quam facit inter Christum & primũ
Adamum.

Quomodo ab hominib. renatis lex impleatur li sunt perfecti q̃ suos defectus intelligunt.

Nemo uel sanctissimus omnes uirtutes habet absolutas.

Per Adamum ut cõmunem radicẽ et massam ingressum est peccatũ.

Non Heuæ corruptio imputatur sed Adamo.

Adamus non est deceptus.

Error fuit in Adamo transgredienti.

Peccatũ habuit initiũ à muliere.

A diabolo peccatum est ortum.

Hic agitur de initio peccati per propagationem.

Adamum. Non enim instaurauit nos Dominus, aut nos iustos effecit, tantùm se proponendo exemplum ad imitandum, aut se exhibendo fidelissimum monitorem: sed nos prorsus immutando, & per spiritũ, gratiamq; instaurando. Vnde Augustinus rectè videtur expressisse incõmodum illatum per Adamũ, cùm illum ait nostrũ genus tabificasse: quo verbo significat, eum contagione quadam nos omnes infecisse. Verùm Pelagiani huic sententiæ hoc argumento solent aduersari: Id, quod non extet, non posse nocere: Peccatum autem originis, si quod sit, per fidem in Christum, & Baptismum iam deletum esse, & non extare: Itaque id liberis, qui suscipiuntur, non posse nocere. Sed quod isti assumunt, In credentibus, & baptizatis vitium originis deletum esse, non est absolutè verum. Nam in quouis peccato duo expendenda sunt: Actio, seu affectio praua, quod se habet, vt materia: & offensa seu obligatio ad pœnam, quam Reatum appellant. Originale autem peccatum eo ab illis peccatis distat, quæ vocant Actualia, quòd in illis materia non perstat. Vbi enim quis aut adulterium admisit, aut blasphemiam dixit, actiones illæ statim, re confecta, esse desierunt, neque amplius extant. Supereſt tantùm offensa Dei, & reatus. Quare quum per fidem, & pœnitentiam obligatio ad pœnam, seu Dei offensa remittatur, facilè concedemus, totum peccatum aboleri. Sed in originali peccato est alia ratio. Quia materia eius non tranſit. Quisque enim nostrûm in se ipso experitur naturæ corruptionem esse reſiduam: quum adhuc quoque in peccata perpetuò ruamus: ad res autem diuinas corpore animóque inepti simus: quæ tamen fidelibus non imputantur. Reatus enim, & offensa Dei per fidem in Christũ in Baptismo condonatur, quamuis adhuc materia peccati superſit. Quæ quamuis in hominibus sanctis fracta & debilitata sit, tamen perfectam eius expoliationem non nisi in morte consequimur. Quumque homines renati, non quà renati sunt, sed natura; & carne procreent, ex eo fit, vt liberi etiam credentium peccato originis obnoxij nascantur. Transfunditur enim in eos vitiata, & corrupta natura, qualis est in parentibus: quum tamen ex altera parte condonatio, seu imputatio, quæ per fidem apprehenduntur, non possint in eos propagari. Ad hoc explicandum Augustinus vtitur duplici simili: Vnum est de granis tritici: quæ quum à folliculis, aristis, paleis, & spicis purgata seminentur, tamen cum illis omnibus renascuntur. Id eò fit, quia purgatio ea granis non natura contingit, sed hominum arte, & industria. Quum autem frumenta non nascantur ab his principijs artis & industriæ, sed naturæ, necesse est, vt nascentia sequantur rationem, non humanæ industriæ, sed naturæ suæ. Alterum simile est de homine circuncíso: qui tamen filium procreat cum præputio. Idque eo fit, quia Circuncisio non fuit natura in patre, sed vi extrinsecus adhibita. Quumque liberi non ex vi illa externa procreentur, sed interna vi naturæ, necesse est, vt illi, quum generantur, sequantur ordinem naturæ. Itaque non suscipimus filios, nisi quales ipsi sumus. Quare quum in nobis contagium originis habeamus, illi eo carere non possunt. Nos autem remissionem & condonationem eius peccati filijs nostris communicare non possumus. Nam ea à solo Deo speranda est. Hocidem videmus vsu venire in scientijs, atque virtutibus: quæ quamuis sint in parentibus, tamen non traducuntur ad prolem. Ex his satis apparet, qua in re Pelagiani decepti fuerint. Neque ob hæc meritò accusare nos quisquam potest, quasi vel fidei, vel Baptismo quippiam detrahamus. Nam Baptismo abundè concedimus, vt remissionem reatus, & offensæ, & gratiam, & Spiritum, & insitionem in Christum, & ius ad vitam æternam nobis obsignet. Non tamen ex eo sequitur, per illum naturæ deprauationem seu peccati fomitem aboleri. Vnde Paulus rectè dicit, Nos spe seruatos esse. Mirum autem est, quomodò Pelagiani negent in paruulis esse peccatum originis, quum illos quotidie mori videant. Nam scriptura apertè docet, stipendium peccati esse mortem: & stimulum mortis esse peccatum. Ideoque à quocunque remoueris peccatum, mortem quoque vt ab eodem remoueas necesse est. Scripturæ enim testimonio hæc inter se, vt causa & effectum, conferuntur. Verùm hîc Christum vnum excipere debemus: qui etsi peccatum non nouerit, nostra tamen causa mortuus est. Sed mors in eo imperium non habuit. Ipse enim eam vltrò pro nostra salute sustinuit. Aliquos autem statuere sine peccato esse, quum omnes moriantur, est res inter se pugnantes, & contrarias coniungere. Sed præter hunc locum alia etiam multa sunt, quæ probare possint, infantes non carere peccato. Nam Dauid ait: Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Et Paulus ad Ephesios appellat nos natura filios iræ. Et in Genesi scribitur, Cor hominis ab ipsa infantia pronum esse ad malum. Sunt etiam in hanc sententiam alia præterea loca permulta: quæ à nobis proferentur, cùm de originali peccato seorsim tractabimus. Nunc,

Contagione quadam sumus infecti per Adamũ.
Pelagianorũ argumentum.
Duo in peccatis consideranda.
Cætera peccata quo differant ab originali.
Materia peccati originis non transit.
Reatus peccati originis remittitur, materia nõ tollitur.
Cur filij renatorum cum originali peccato nascantur.
Simile.
Alterum simile.
Scientiæ parentum nõ traducũtur in prolem.
Quid tribuendũ baptismo.
Peccatum & mors colligata sunt simul.
In Christo tantùm fuit mors absq; peccato.
Testimonijs probatur infantes non carere peccata.

cùm dictum à me sit, quid per Peccatũ Apostolus intelligat, & per quem vnum hominem illud in mundum ingressum sit, superest, vt videamus, qua id ratione fuerit propagatũ. Res quidem obscura est, & perdifficilis: eoq; minus arbitror de ea esse laborandum. Nam cùm peccatum ipsum originis extare, & ad posteros transmitti, Verbum Dei luculentissimè doceat, quanuis modum, & rationem, qua transfundatur, non intelligamus, tamen veritati cedendum est: de modo autẽ, qui difficulter sciri, & sine iactura ignorari potest, non nimis solicitè, atque anxiè disputandum. Non pigebit tamen recensere modos illos, quos apud Ecclesiasticos scriptores obseruaui: quorum de hac re quatuor numerantur sententiæ. Prima est eorum, qui opinati sunt, nos à parẽtibus nostris vnà cum corpore etiam animos accipere: vt, quemadmodum Deus per humanum semen fingit cõrpus, ita ex eodem creet animũ. Hanc sententiam Augustinus refert in decimo super Genesin ad literam, & multis in alijs locis: nec eam, quod ego meminerim, vnquam improbauit. Imò ait, per hanc sententiã nodum istum de peccato originali posse dissolui. Habuit ea fautorem Tertullianum, & ex veteribus plerosq;. Quorum argumenta dum excutio, probabilia iudico: non tamen necessaria. Nam quod afferunt ex libro Genes. cap. 46. de sexagintasex animabus, productis ex femore Iacobi, potest non incõmodè exponi per synecdochen: vt, per animam, quæ pars hominis est potior, intelligatur corpus, quod citra controuersiam ex parentũ semine procreatur. Possumus etiam per animam intelligere partes animæ crassiores, vt vegetantẽ, & sentientem: quas ex semine procreari, dubium non est. Sacras autem literas animã interdum in hunc sensum vsurpare, Christus testatur in Euãgelio: vbi ait: qui perdiderit animã suam mea causa, inueniet eam. Altera autem illorum ratio, vt Augustinus scribit in 10. libro super Genesin, est hæc: In creatione mulieris non scribitur, Deum inspirasse in eam animã viuentem: vnde colligunt, eam non tantùm corpus habuisse ab Adamo, sed etiam animam. Verùm hanc rationem Augustinus iudicat infirmam esse. Posset enim retorqueri. Semel enim dictum fuerat, Deum inspirasse animam in Adamum: & idcirco opus non fuisse repetitione. Nam si nouus modus procreationis animorum fuisset inductus, scriptura eum non fuisset silentio præteritura. Quum autem scriptura de nouo modo nihil cõmemoret, oportere vti eo, quem antè expresserat: præsertim cùm videamus, Adamũ de vxore sua dixisse: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: non autẽ adiecisse, & anima de anima mea: quod & dulcius fuisset, & ad exprimendam coniunctionem matrimonij magis fecisset. Verùm Augustinus fatetur, non propterea solutam esse quæstionem. Nam si statuamus, animas singulo quoq; die creari, & ita creari, vt in corporibus nulla earum præcedat ratio seminalis, vt ipse loquitur, tum Deus nõ videbitur perfectè die septimo cessasse ab omnibus operibus suis: cùm pergat quotidie animas ex nihilo creare. Sed huic argumẽto fortasse respondeti posset, in corpore traducto ex parentib. satis esse, si inueniantur qualitates, & conditiones, quibus capax sit animæ rationalis: atque hanc esse seminalem rationem. Sed quicquid est, de his argumẽtis, & responsionibus, Augustinus omnino inclinat in hanc partem, vt saltem animam Christi nõ putet ex beata Virgine per propagationẽ fluxisse: quod idem dicit etiam alios præter se iudicasse, eosq; id probari posse statuisse ex epistola ad Hebræos. Ibi enim dicitur, Christi sacerdotiũ præstare sacerdotio Aaronico, quòd Christus sit sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Sacerdotium autem Melchisedechi ideo potius esse Aaronico, quòd Leui dederit Melchisedechi decimas. Fuit enim in lumbis Abrahami, qui à Melchisedecho decimatus fuit. Verùm Christus etiã fuisset in lumbis Abrahami, non minus quàm Leui, si & corpus, & animũ ab eo traduxisset. Atq; ita, quod ad hoc attinet, par fuisset vtriusque sacerdotij dignitas, cùm vterq; in Abrahamo fuerit à Melchisedecho decimatus. Atqui hîc respondere possent, qui illi fauent sententiæ, aliquid præterea esse discriminis inter Christum, & Leui: quia licet vterque in lumbis Abrahami & quantum ad corpus & quantum ad animum attinet, fuerit, non tamen vterque eodem modo naturã suam ab eo traduxit. Nam Christus ex virgine natus est, interueniente spiritu sancto. Leui autem cõmuni ratione, qua homines alij propagabantur, generatus, & natus est. Itaque Augustinus missam facit hanc rationem: atque aliam adducit ex libro Sapientiæ: in quo scribitur, vt ille putat, sub persona Christi: Sortitus sum animã bonam. Non enim putat, hanc locutionem locum habere, si anima Christi per propagationem lege naturæ à maioribus fuisset educta: nisi statuere velimus, naturã fortuitò agere. Putat autem nomen sortis ideò in anima Christi locum habuisse, vt intelligeremus ornamenta ea, quæ scimus opulentissima, atque vberrima in ea extitisse, non ex precedentibus meritis, sed ex mera Dei misericordia ei fuisse collata. Ornamentum verò hoc fuisse animæ Christi maximum, vt adiungeretur ad eandem

Modus propagationis originalis peccati est obscurus.

Tertullianus traduci fauit.

Quid è scripturis afferatur pro animæ traduce.

An Deus inspirauerit animam Heuæ.

Deus an cessauerit die septimo ab omnibus operibus.

Christi animam nõ uidetur ex beata uirgine traducta.

Quæ sors in anima Christi locũ habere potuerit

eandem ὑπόστασιν & personam cum verbo Dei. Verùm hoc testimonium, cùm ex sacris literis, quæ numerantur in Canone, non habeatur, parum habet roboris. Postremò quæstionem de animorum traduce relinquit in medio, tanquam vtrinque probabilem. Et quia, qui eam oppugnant, solent citare locum ex 32. Psalmo, Qui finxit sigillatim corda eorum, hoc quoque ait infirmum esse. Quoniam etiam illi, qui traducem asserunt, animos à Deo creari non negabunt: licet id per medium fieri contendant. Sic enim in libro Genes. legimus, volucres non creatos fuisse ex nihilo, sed Dei iussu ex aquis erupisse. Et quisque nostrûm in terram dissolui dicitur ex qua sumptus est: quum tamen corpora non habeamus immediatè à terra, sed ex corporibus nostrorum parentum. Non potest itaque hæc sententia expugnari, & euerti ex sacris literis. Quanquam scio hanc receptam esse opinionem in Ecclesia, animas creando infundi, & infundendo creari. Neque ea causa ista recensui, quod aliquid in hac sententia nouari velim, sed tantùm vt intelligi possit, quis modus propagationis originalis peccati quibusdam Ecclesiasticis scriptoribus visus sit facilimus. Et certè scholastici, quum hanc sententiam respuunt, physicis tantùm rationibus vtuntur: quòd quum anima rationalis natura prorsus sit spiritualis, & impartibilis, non possit decidi, quod tamen ad traductionem requiritur: quúmque eam intelligentem esse statuant, & digniorem, quàm vt ex facultate, atque potentia materiæ possit elici, eam contendunt, non per generationem, sed per creationem oportere existere. Alium modum Augustinus affert de Nuptijs, & concupiscentia, & alijs multis in locis, vbi contra Pelagianos de hoc genere peccati disputat. Is autem est, vt per voluptatem eam, quam parentes in concubitu capiunt, hoc vitium intelligatur manare in prolem. Cæterùm hæc ratio propagationis nititur suspecto firmamento, & meo iudicio parum vero. Voluptas enim ea, quæ ex procreatione percipitur, natura sua nõ est mala, nisi ad eam affectus etiam prauitas accesserit. Nam si actio ea necessariò haberet adiunctum peccatum, Spiritus sanctus neminem ad eam hortaretur: quod tamen facit, quum suadet matrimonium cúmque per Paulum monet coniuges, vt sibi inuicem reddant mutuam beneuolentiam. Esto tamen: demus, ex humana infirmitate aliquid ibi esse vitij. Ex eo sequeretur, huius tantùm generis cupiditatem deriuari in prolem. At contagio originalis peccati non tantùm sita est in illis, quæ ad libidinem pertinent, sed etiam in alijs cupiditatibus opum, honorum, vindictæ, denique in vniuersa naturæ nostræ corruptione. Tertius modus est, Deum creare animam cum huiusmodi vitio, seu defectu, ea causa, quòd futura sit anima hominis, iam execrati, & sub maledicto constituti. Talem, inquiunt, animam Deus creat, qualis ad huiusmodi hominem requiritur. Quemadmodum videmus corpori canis dari animam caninam: & asini corpori animam asininam. Sed hæc opinio durissima videtur: Deum videlicet, animam nondum ad Adamum pertinentem peccato contaminare: præsertim cùm dicere non possint, hoc peccati genus pœnam esse alterius peccati, quod præcesserit. Ideoq; hoc cõmentum vulgò reijcitur: ne videamur Deum simpliciter facere autorẽ peccatorum. Quartus modus magno consensu recipitur, videturq; valde verisimilis: videlicet, animam non creari cum peccato, sed illud statim cõtrahere, cùm primùm ad corpus ab Adamo deductum adiungitur. Cùm enim ea careat gratia, & virtutibus, quibus anima primi hominis prædita fuit, & nanciscatur etiam corpus maledictioni obnoxium, habeatq; organa inepta, & parum idonea ad opera spiritualia, idcirco cùm deberet corpus regere, ab illo grauatur, & deprimitur, & ad cupiditates corpori congruas attrahitur. Nam vtrinque debilitata est: & corporis impuritate, & imbecillitate sua: quòd viribus, quibus naturã superet, destituitur: ex quibus duobus capitibus corruptela, & prauitas totius naturæ pendet. Dixi, quantum putaui fore satis ad præsens institutum, quomodo Apostolus vocem peccati accipiat, per quem illud in genus humanum fluxisse dicat, quidq; de modo, quo transmissum fuerit, scriptores Ecclesiastici tradiderint. Nunc id tantùm addendum est, vt per mundum intelligamus vniuersum hominum genus. Non enim mihi placet philosophari cum Origene, per mundum tantùm significari homines, qui iuxta carnis affectiones viuunt. Sic enim videremur ab hac Apostoli sententia excludere peccatum originis: quod verborum ipsorum ratio non patitur.

Quæstionem de traduce animæ Augustinus relinquit in medio

Etiã creari dicũtur, quæ per media fiunt.

Recepta sententia est, animas infundi creatione.

Opinio de traducæ animarum physicis tantùm rationibus oppugnatur.

Cupiditas originalis, quæ traducitur, non solùm ad libidinẽ pertinet.

Deus non uidetur animã creare cum peccato

Anima dicitur cõtrahere peccatũ originis cũ primùm uitiato corpori coniungitur.

Ex duobus capitibus anima debilitatur.

Mundus, uniuersum hominũ genus.

Et per peccatum mors: & sic in omnes homines mors peruasit. Hîc, quid peccatum attulerit, quod nos quarto loco posuimus, explicat. Attulit autem peccatum mortem. Sed cuius rei mortem intelligat, melius perspici non potest, quàm ex antithesi vitæ. Ea verò duplex est. Altera, qua mouemur ad spiritualia, diuina, atque cælestia bona. Id autem fit, quãdiu sumus cum Deo coniuncti. Nisi enim Dei spiritu agamur, non possumus ad ea, quæ naturam nostram

Duplex est uita

Peccatũ ſuſtulit utranq; uitam.

ſtram ſuperant, contendere. Altera vita eſt, qua mouemur ad perſequenda ea bona, quæ ad naturam conſeruandam, tuendumq; corporalem ſtatum faciunt. Vtranque autem hanc vitam mors inflicta propter peccatum ſuſtulit. Mors enim nihil eſt aliud, quàm priuatio vitæ.

Statim mortui ſunt primi parẽtes cùm peccauerunt.

Quàm primùm enim homo peccauit, auertebatur à Deo: atque ita relinquebatur ab illius gratia, & fauore deſtitutus, vt ad æternam felicitatem aſpirare denuò non poſſet. Hæc etiam vita corporalis dici poteſt ablata per peccatum. Statim enim à peccato mortis initia, & ſatellites hominem inuaſerunt: Cuiuſmodi ſunt fames, ſitis, morbus, humoris, & caloris abſumptio, quotidiana vitæ reſtinctio. Hæc enim omnia hominem deducunt ad mortem.

Simile.

Et Chryſoſtomus in Gen. hanc rem fusè tractans, ait, primos homines vbi primùm peccaſſent, ſtatim fuiſſe mortuos. Nam Dominus è veſtigio tulit in eos ſententiã mortis. Et quemadmodum qui damnati ſunt capitis, quanuis aliquandiu viui retineantur in carcere, tamen habẽtur pro mortuis: ita primi parentes, etſi ex Dei benignitate diutius vixerint, tamẽ erãt re vera ſtatim mortui, poſtquàm Deus cœpit in eos ſentẽtia ſua animaduertere. Ambroſius

Nulla hora nobis eſt morti non obnoxia.

ait, eos à morte ſubitò fuiſſe oppreſſos, quòd nullũ poſtea habuerint aut diem, aut horam, aut momentum, quo non fuerint morti obnoxij. Nec eſt quiſquam mortalium, qui ſibi certò polliceri poſsit, ſe in vnam horam eſſe victurum. Ex his ergo apparet, vtranque mortem

Mors homini nõ eſt naturalis.

per peccatum fuiſſe inuectam. Quare cauendum eſt, ne illis aſſentiamur, qui dicere ſolent, mortem homini naturalem eſſe, quaſiq; quietẽ quandam, qua vitæ motus intercipitur. Hu-

In morte ſenſus eſt iræ diuinæ.

iuſmodi opiniones Ethnicis relinquendæ ſunt. Omnes enim pij ſtatuunt in morte iræ diuinæ ſenſum eſſe. Ideoq; ſua natura dolorem, & horrorẽ incutit. Quod & Chriſtus ipſe, dum oraret in horto, & alij multi ſancti viri declarauerunt. Quòd ſi qui ſunt, quibus iucundum, atque delectabile ſit mori, & è vita ſoluere, id aliunde habent, non à natura mortis. Et Paulus ad Corin. ait, Mortem aculeum eſſe peccati. Nihil enim alioqui in nobis poſſet mors, niſi per peccatum nos conficeret. Quare qui peccatum originis tantùm imbecillitatẽ quandam eſſe prædicant, quæ hominem damnare non poſsit, illi nec peccati naturam intelligunt, nec hanc, quam habemus præ manibus, Apoſtoli ſententiam. Ad hæc ſi ex peccato

Omnia peccata ſua natura dicẽda ſunt mortalia

manat mors, omnia peccata ſua natura dicenda ſunt mortalia. Nam quòd Deus aliqua peccata nobis non imputet, id non ex peccatorũ leuitate fit, ſed ex illius miſericordia. Nullum

Peccata nõ ſunt paria.

enim exiſtere poteſt tam leue peccatum, quod non exitium adferat, niſi ſe Dei miſericordia interponat. Nec tamen idcirco dicimus cum Stoicis, Omnia peccata eſſe paria. Scimus enim Paulum quædam peccata nobis deſcribere, quæ ita ſint grauia, vt homines excludant à regno cælorum.

Eo quòd omnes peccauerunt. Poſſet hoc nimis acerbum, ac durum videri, quòd propter vnius primi hominis peccatum omnes homines moriantur. At id Paulus oſtendit iure fieri: quòd omnes peccauerint. De particula illa, ἐφ' ᾧ, non parua eſt controuerſia, quomodò ſit exponenda. Quidam eam volunt referri ad peccatũ. Sed obſtare videtur Græca vox, quæ præceſsit, ἁμαρτία. Eſt enim fœminini generis. Poteſt tamen fieri, vt Paulus reſpexerit ad aliam vocem πρᾶγμα neutri generis, qua voce poſteà frequenter vtitur, licet videatur vitium orationis, relatiuum referre ad conſequentia. Alij putant ἐφ' ᾧ, referri oportere ad damum. Cæterùm illis etiam aduerſatur ſignificatio præpoſitionis ἐπί, quæ coniuncta cum dandi caſu, vt Eraſmus ait, apud bonos autores nõ inuenit idem ſignificare, quod ἐν. Quare illi deceptus videtur Latinus interpres, qui reddiderit, In quo omnes peccauerũt. Tamen Græca ſcholia ſub perſona Phocij non abhorrent à Latina interpretatione. Nam exponũt ἐφ' ᾧ Adam, διὰ τοῦτο Adam. Verùm de hoc ego non acriter cõtenderim. Admitto enim, ἐφ' ᾧ, particulam eſſe cauſalem: vt ſit ſenſus, Ideo mortem peruaſiſſe in omnes homines, quia omnes

Simile.

peccauerunt. Chryſoſtomus enim ait Adamo cadente, alios quoque mortales, qui non comederũt ex ligno, fuiſſe tactos. Et Paulum arbitratur, vt medicum prudentem, morbo ſibi propoſito, non immorari in his, quæ eum circunſtent, aut ſequantur, ſed ad ipſum caput, & ad primam cauſam recurrere. Ideò moriuntur omnes, quia omnes peccauerũt. Neque accipere debemus hoc loco, eos peccare certa quadam actione: quam in infantibus non poſſumus aſsignare. Sed perinde eſt, ac ſi dixiſſet: Iam tenentur peccato, & eius habentur rei. Dumq; hæc legimus, ſemper oculo mentis reſpicere oportet, vnde pendeant: nimirum, vt conſolationẽ accipiamus, certiq; reddamur de ſalute, ſcientes Chriſti mortem contra hæc omnia præualuiſſe. Poteſt etiam ex his, quæ habẽtur ad Hebræos, explicari, quomodo nos in Adami lapſu peccauerimus. Ibi enim legimus, Leui fuiſſe decimatum in lumbis Abrahami. Eadem ratione hîc quoque intelligi poteſt, nos in lumbis, & in maſſa Adami fuiſſe pollutos. Scholia quæ aſcribuntur Hieronymo, interpretantur peccatum admitti per imitatio-

tionem Adami, quod vulgò appellatur actuale. Et addunt, hoc peccatum Adami non peruasisse in Abrahamum, Isaacum, & Iacobum, qui sanctè vixerunt. Sed quoniam obstare videtur, quod Paulus ait, Omnes peccauisse, dicunt hanc vniuersitatem cum exceptione accipiendam esse. Quod idem statuunt de alijs sententijs huius generis: Omnis homo mendax: Et, Non est, qui faciat bonum, non est vsque ad vnum: quum multi veraces, & sancti homines in orbe fuerint, quum illa scriberentur. Sed quicunque sit ille scriptor, eius autoritate non est recedendum à Veritate. Nam Paulum vniuersaliter dicere, omnes peccasse, ex eo demonstratur, quòd omnes sine exceptione moriuntur. Nam id experientia docet, in vniuersum esse verissimum. Quare nulla hîc adhibēda est exceptio. Neque nos mouere debent similes illę loquutiones, quas adducunt: quoniam illæ quoq; veræ sunt, si de hominibus non regeneratis agamus: in ipsis quoque renatis veræ sunt, si iuxta illorum naturam corruptam, & vitiatam loqui velimus. Deinde non solam esse hîc imitationem, liquet ex antithesi. Quoniam Christus non tantùm iustitiam suam nobis proposuit ad imitandum, verùm etiam vi spiritus in credentibus eam propagat, & diffundit. Origenes visus est prudenter locum exponere. Is ab initio proponit nonnulla, quæ ipse Erasmus fatetur innuere peccatum originale. Nam in eo nos corruptos esse asserit, tanquam in communi principio: & nos omnes fuisse in eius lumbis, ut in Epistola ad Hebræos Leui dicitur fuisse in lumbis Abrahæ. Deinde quædam annectit, quæ ad singulorum hominum peccata, quæ Personalia appellantur, spectant: & nos hortatur, vt cælestis hominis imaginem portemus. Hæc ab Erasmo ita accipiuntur, acsi sint interpretatio antecedentium: quum ea omnia re vera nostram sententiam confirment: qua dicimus, peccatum hoc loco apud Paulum latissimè sumendum, vt & radicem, & omnes eius fructus complectatur. Miror autem quomodo isti conentur vitium originale à peccati ratione auellere. Sed peccatum, iuxta vulgatam definitionem, aiunt esse dictum, factum, aut cogitatum contra Legem Dei. Id autem in infantes minimè posse cadere. Verùm non animaduertunt hac definitione non omne peccatum in vniuersum contineri. Ideoque suprà monuimus, peccatum aliter esse definiendum: vt id dicamus esse peccatum, quod Legi, & Voluntati diuinæ quocunque modo aduersatur. Pergunt isti, & aiunt, si à nobis peccatum originis constituatur esse, Gratiæ subductio, aut pronitas ad peccandū, hæc pœnas potius videri debere peccati, quàm peccata. Atqui debebant meminisse, Deum non semper externis flagellis, & aduersis casibus, sed interdū etiam alijs peccatis peccata punire. Quare prauitatem naturæ, & cupiditatem illam insitam, & procliuitatem ad peccandum, quamuis pœnæ peccati aliquo modo dici possint, tamen re ipsa peccata etiam esse affirmamus. Sed clamant, ista in nobis post Baptismum remanere: ideoque non posse esse peccata: nisi statuere velimus, peccata per Baptismum, & fidem in Christum non remitti. Cæterùm ad hoc suprà respondimus: reatum quidem condonari credentibus: substantiam tamen corruptam remanere: quæ, nisi Christus se interponeret, sua natura nos condemnaret. Nam quum à regula diuinæ Legis nos auertat, peccatum re ipsa dici debet. Neque verum est, quod ab Erasmo dicitur, processum Pauli non pati, vt hæc de originali peccato exponantur. Res enim ipsa secus docet. Nam institutū Apostoli est, ostendere quibus ex malis Christi mors nos liberauerit: At id facere non potest. nisi peccatum ita fusè intelligat, vt originis etiam culpam comprehendat. Quod autem à Paulo subijcitur, Vsq; ad Legem peccatū fuisse in mundo, huic sententiæ nihil aduersatur. Dicimus enim cum Erasmo, peccatum hoc loco eodem modo accipi, quo in antecedentibus, propter causalem particulam, Enim. Perspicuum tamen est, ea, quæ dicuntur, tam ad peccatum originis spectare, quàm ad actualia. Neutrum enim genus, nisi Lex accedat, nec reputatur, nec agnoscitur: quanuis alioqui re vera & existat, & nos morte inuoluat. Ne ergo sinamus extorqueri nobis hunc locum, tum quia firmum propugnaculum est, tum quia Pauli instituto apprime conuenit, & Christi beneficium pulchrè commendat.

Paulus citra exceptionem affirmat omnes peccasse.

Non est hîc sermo de peccato propagato per imitationem.

Paulus uocem peccati quàm latissimè hîc accipit.

Definitio peccati actualis.

Peccati definitio uniuersalis.

Deus quandoq; peccata peccatis punit.

Reatus cōdonatur per fidē, sed substantia corrupta manet. Contra Erasmū.

Nihil reputatur peccatū esse, nisi lege inspecta.

Vsque ad Legem enim peccatum erat in mundo. Porrò peccatum non imputatur, cùm non est Lex. Nunc id explicat, quod tertio loco erat propositum: scilicet, vnde sit cognitio peccati. Eam ait haberi per Legem: peccatum autem & ante Legem, & post Legem extitisse: verùm non omnes homines grauasse eodem modo. Nam priusquàm Lex ferretur, ignoratum fuisse peccatū: ea verò lata cœptū esse cognosci. Conficitur verò manifestissimè ex his verbis, Legem non habuisse hanc vim, vt peccatum de mundo tolleret: sed ea causa fuisse latam, vt peccatum ostenderet. Videtur Apostolus ista dicere per Antipophoram. Paulò enim antè dixerat, Eo quòd omnes peccauerunt: quod minus verum posset iudicari: maximè quum

Vnde sit cognitio peccati.

idem Paulus dixerit, Vbi non est Lex, ibi nec transgressio est. Nam peccatum est, quod discrepat à norma Legis. Quare respondet, Peccatum quidem fuisse ante Legem: sed id tum non fuisse imputatum. Per Legem verò Mosaicã intelligit: Neque enim fuerunt prorsus absque lege, qui ante Mosen vixerunt. Habebant enim lumen naturę, & rationes in cõscientia mutuò se accusantes, & defendẽtes, vt suprà cap. 2. legimus. Ipsa etiam hominis institutio, qua debuit referre imaginẽ Dei, fuit quædam Lex. Nam cùm ab ea imagine discederet, procul dubio peccauit. Lex autem ista tam latè patuit, vt etiam paruulos includeret. Sed cùm inualescente vitio hæc offusc arentur, Deus pro sua insigni misericordia Legem tulit, qua omnia peccatorum genera taxarentur. Debemus ergo omni studio in eam inuerí, nisi velimus nos ipsos ignorare: quod, vt graue malum, philosophi ipsi abhorruerunt. Alioqui enim natura sumus ita facti, vt quum nostra scelera nobis occurrunt, ea non tam emendare, quàm excusare, extenuare, lenire studeamus: vtque impunius peccare videamur, aliorum nobis exempla proponamus. Neque enim spectare solemus, quid à nobis fieri debeat, sed quid alij faciant. At si Legem inspiceremus, statim in oculos incurreret nostra damnatio. Nam in ea scribitur maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quę scripta sunt in libro Legis. Ideoq; Deus singulari beneficio dedit populo prophetas, qui non tantùm Legem inculcarent, verùm etiam eam vehementissimis atque ardentissimis prædicationibus explicarent. Vnde vehementer dolendum est hodie, cõciones aut tam raras esse, aut eas ipsas, quæ sunt, tam negligenter audiri. Quare non est mirum, tantam vbique inueniri cæcitatem, & pernicios os errores tam latè grassari. *vbi non est lex, peccatum non imputatur.* Latinus codex habet, Non imputabatur. Fortasse legerunt, ἐλογεῖτο, à verbo λογέομαι. Hęc imputatio, seu reputatio referenda est ad homines: qui ita miseri ac cæci fuerunt, vt ne peccata quidẽ per se ipsos nosse potuerint, tantùm abest vt ea cauerint. Ita prorsus obscurum erat naturæ lumen. Deus tamen peccata ea illis imputabat: nec immeritò. Nam cæcitas ea ipsorum vitio contigerat. Imputasse autem ea se, Deus ipse multis modis declarauit. Nam & diluuio perdidit orbem terrarũ, & questus est apud Noe, Omnem carnem corrupisse viam suam, & cor hominis ab ipsa pueritia pronũ esse ad peccatum. Caimum reprehendit de parricidio: sumpsit pœnas de Sodomis. Et Caimus ipse respondit, peccatũ suum maius esse, quàm vt possit condonari. Ex quibus verbis videmus, Caimum non prorsus ignorasse peccatum. Imò ne Aegyptij quidem ignorarunt. Nam Iosephum ob suspicionem adulterij coniecerunt in carcerem: & pistorem, & pocillatorem, quòd peccauissent. Neque credendum est pios homines, vt Abrahamum, Iobum, Iacobum, peccatum non intellexisse: præsertim cùm legamus, Iacobum voluisse morti dedi, apud quoscunq; furtum, quod Laban quærebat, inuentũ esset. Sed ista piorum cognitio non erat omnium. Illis tantùm ob singularẽ pietatem cõcedebatur. Neque vulgares pro peccatis habebant nisi crassa, & quæ societatem humanam euidentissimè labefactarent. Neque facilè subscribendum est Ambrosio: qui in hunc locum ait, homines aliquo modo cognouisse peccata: non tamen propterea existimasse, ea à Deo esse vindicanda: Deum enim putabant, scelera nolle vlcisci. Nam Pharao, & Abimelech, cùm essent Reges, reprehenderũt Abrahamum, quòd Saram dixisset esse sororem suam, atque ita ipsos graui periculo exposuisset, ne Deus in ipsos ob stuprum vxori alienę illatum animaduerteret. Posset etiam huc adferri testimonium Ethnicorũ, qui multa de grauibus pœnis malorum apud inferos confinxerũt. Sed, quod ad hanc Pauli sententiam attinet, sciendum est, antequàm Moses tulisset legem, quum multæ ciuitates, & Respublicæ florerent, necessarium fuisse, vt aliquæ receptę fuerint leges publicæ. Nam alioqui homines simul viuere, & inter se societatem, & pacem colere non potuissent. Nunquã tamen eiusmodi leges fuerunt, quæ hominibus omnibus peccatorũ generib. interdicerent: quod Lex per Mosen lata fecit. Nam apud alias nationes furta, apud alias adulteria non habebantur pro peccatis, nec legibus puniebantur. Apud Græcos multa obscœna & fœda concedebantur. Nec Romanę leges, quanuis multò seueriores & castiores, omnia peccata notauerunt. Lex autem ea, quam Moses tulit, integra, & absoluta fuit: præsertim si eam, vt à Christo exposita est, consideremus. Vult ergo Apostolus his verbis, peccata, quanuis re vera existerent, tamen cognita non fuisse apud homines nisi præscripto legis. Possumus etiã ex his videre, aliquid peccatũ esse natura sua, quod tamẽ à Deo non imputetur: vt fieri diximus in credentib. quod ad naturæ deprauationẽ, & propensitatẽ ad peccatum attinet. Hæc per se ipsa peccata sunt: quanuis propter Christũ non imputentur: quemadmodum Apostolus hoc loco dicit, ante Legem multa fuisse peccata, quæ tamen ab hominibus non reputabantur. Quanquam hic aliquid est discriminis. Ibi enim per Dei miseri-

cor-

Qui ante Mosen uixerũt, non prorsus absq; lege fuerunt.

Hominis institutio quædam lex fuit

Lex à Deo per Mosen lata taxat omne genus peccati.

In lege quàm attentißimè inspiciendum est.

Peccata homines ne agnoscebant quidẽ, nedum cauerent.

Deus in ea cæcitate peccata imputabat, & quidem iustè.

Non tamen ante legẽ peccatum prorsus ignorabatur.

Ethnici nõ ignorarũt Deũ peccata ulciſci.

Ante Mosen fuerunt aliquæ leges.

Cæteræ leges nõ interdixerũt omnia peccata, ut lex Mosis.

ricordiam: hîc verò per hominum ignorationẽ imputatio peccati remouetur. Adhęc quãuis dicatur, Vsque ad Legem, tempus tamen Legis haudquaquã à peccato immune constituitur. Lex enim vim non habet ea extirpandi. Hoc autem non parum facit ad supercilium Iudæorum reprimendum. Illi enim se præ alijs omnibus sanctos reputabant, quòd Legem à Deo accepissent. Similis loquendi ratio est in eo, quod ethnici scribunt, vsq; ad decimum annum à Græcis pugnatum fuisse ad Troiam. Quod qui dicunt, decimum certè annum non excludunt. Ita cùm Paulus dicit, Peccatum fuisse in mundo *Vsque ad Legem*, non excludit tempus illud, quod erat sub Lege. Atque hoc Christi gratiã mirificè prædicat: quæ sola peccatum vincere, ac profligare potuerit: cùm id tantam vim haberet ad perdendũ, & tam latè tamq; diu grassatũ esset, vt ne per Legem quidem potuerit coerceri Paulus, cùm dicit, *Mortem regnasse*, vtitur prosopœia: neque propterea debemus in vocabulo, Regni, salutarẽ aliquẽ principatũ suspicari. mortis tamen potestatẽ, ideo Paulus regnum appellat, vt indicet, summam fuisse, cui omnia cederent, & vim excellentissimã, quæ ad obsequiũ omnia redigeret. Eadem loquendi forma iterum vtitur in hac epistola, inquiens, Ne regnet peccatum in vestro mortali corpore: acsi diceret, quanuis prohibere non possitis, ne peccatum sit in vobis, ne permittatis tamen ei regnum, & summam potestatem, vt illi omnia studia, & consilia vestra cedant, & obsequantur. Ideo autem adiecit, Mortem regnasse ab Adamo vsque ad Mosen, vt ostenderet, peccatum fuisse in mundo. Mors enim peccatum indiuulsè comitatur: mutuoq; sese inferunt Peccatum, & Mors. Hinc refelluntur illi, qui paruulos contendunt esse absque peccato: illos autem idcirco mori dici, quòd propter peccatum Adami mortalitatis conditionem subierint, ipsi alioqui innocentes & à vitio puri. Nam si hoc verum esset, Apostolus hoc loco nihil concluderet. Facilè enim responderi posset, etsi homines ante Legem morerentur, tamen peccatum eo tempore non exstitisse. Quare dicemus cum Paulo, hæc duo ita coniuncta esse, vt distrahi no possint.

Peccatorũ imputatio duplex: uel quoad Deũ, uel quoad homines.

Tempus legis nõ excluditur à peccato.

Sola gratia uincit peccatum.

Cur potestas mortis regnum dicatur.

In eos etiam, qui non peccauerunt ad similitudinem præuaricationis Adami. Hæc verba alicubi fuerunt descripta per affirmationem, sublata particula, *Non*. Atque huius lectionis meminit Origenes, & eam Ambrosius tantùm abest, vt improbet, vt solam legitimam arbitretur. Multa autem adfert de Græcorum codicum varietate: eosque videtur propterea habere suspectos, quasi multis in locis deprauatos, postquàm hereticorum dissidia inualuissent. Sed in expositione Lectionis eius, quam sequitur, parum ad rem videtur dicere. Quia in eos tantùm vult mortem regnasse, qui peccando Adamo similes extiterint: idque accidisse, ait in idololatria. Statuit enim, Adamum hoc ferè peccati genere fuisse lapsum, quòd se Deum fore crediderit, & Deo Satanam prætulerit, illius consilium priore loco habens, quàm præceptum Dei. Alios autem, qui fide in vnum Creatorem conseruata, interdum labebantur, non putat, peccasse ad similitudinem Adami: ideoque eos mortem corporis obijsse, & liberam quandam custodiam apud inferos sustinuisse vsque ad Christi aduentum scribit. In illis autem, qui peccatum Adami fuissent imitati, æternam mortem prorsus regnauisse. Hæc, vt quiuis videre potest, & coacta sunt, & Apostoli argumentum infirmant. Quare, si in hoc textu vellemus affirmationem sequi, hanc fortasse congruam sententiam eliceremus, vt mortem intelligamus regnasse in omnes homines, qui peccauerunt ad similitudinem Adami: quoniam eo peccante perinde fuit, acsi omnes præsentes adfuissent, & simul cum eo peccauissent. Verùm nos hac lectione relicta, communem sequemur: & præsertim quum Chrysostomus, Theophylactus, & Græca Scholia hæc verba per negationem efferant. Atque ita hic erit sensus, Eos homines, qui fuerunt ante Legem, etsi ea forma non peccauerint, qua lapsus est Adamus, qui præter Legem naturæ, præscriptum etiam habuit certum mandatum, tamen eos quoque morti fuisse addictos. Augustinus autem hæc verba infantibus accommodat: qui moriuntur, & peccatum habent: licet non peccent eodem modo, quo Adamus peccauit. Atque ita, Non peccare in similitudinem Adami, nihil erit aliud, quàm peccatum actuale, aut personale, vt dicunt, non habere. Ego verò dixerim, his verbis comprehendi posse & paruulos, & adultos, & ante Legem, & post Legem, & sub gratia, quicunque ita rudes sint, & stupidi, vt mandatorum Dei prorsus sint ignari: Cuiusmodi aliquos in mundo inueniri non est incredibile. Atque hîc quidẽ omnes moriuntur: etsi præscriptum à Deo mandatum, vt Adamus non agnouerint.

Contra negãtes peccatum originis in pueris.

Peccatũ et mors ita coniuncta, ut distrahi nõ possint.

Ambrosius habet suspectos Græcos codices.

Quibusdam stetuit Ambrosius apud inferos liberã custodiam, non perpetuam mortem.

Rudes, stupidi. & paruuli non ita peccant, ut Adamus.

Qui est typus futuri. Per futurum intelligere possumus totum id, quod postea euenit in omnibus hominibus, ab Adamo propagatis: qui æquè, atque ille, maledictioni erant, ac morti obnoxij. Sic primus pater fuit omnium posterorum typus, & forma. Simplicius

Adamus typus Christi.

tamen, & cõmodius referemus hoc ad Christũ. Nam ea collatione plurimũ delectatus est Paulus. Chrysostomus etiam discedit in hanc sententiã: aitq; Apostolum magno artificio, & multiplicib. variisq; modis versare has voces, *Vnius*, & *Vnus*: vt intelligamus conferenda ea esse inter se, quæ nobis per vnum Adamũ, & per vnum Christũ euenerunt. Hoc autẽ est in Chrysostomo attẽtione digniſsimũ, quod ait: Quemadmodũ Adamus mortis causa fuit omnibus, quamuis ex ligno non comederint, ita Christus suis factus est Cõciliator iustitiæ, quamuis ipſi iustitiã non fecerint. Quo in loco manifestissimè declarat, nos ex nostris operibus non iustificari. Addit etiã, Hoc Apostoli processu nos bene muniri cõtra Iudęos, si nos rideãt, quòd credamus per vnũ Christũ vniuersum orbẽ redemptũ esse. Regeremus enim, ipsos etiam fateri, per vnum Adamũ omnia fuisse corrupta: quod magis etiam videat abſurdum, si humanã rationẽ consulamus, quàm dicere, per vnum Christũ omnes homines fuisse adiutos. Hoc loco Apostolus incipit id tractare, qđ quarto loco propositũ fuerat: scilicet, per quem peccatũ fuerit exclusum. Id autem confectũ esse docet per Christum, quem facit Adamo simílem. Similitudo hęc accipienda est in genere: quòd sicut omnes ab Adamo, ita omnes à Christo iuxta ordinem suum pendeant: quodq; quemadmodum alter meritus est suis omnibus, ita etiam alter. Sed particulariter, & quoad species magnũ est discrimẽ. Nam Adamus peccatum, mortem, damnationẽ inuexit: Christum verò iustitiam, vitam, & gratiam. Est etiam discrimen in propagatione. Adamus enim mala sua per carnis generationem in homines transfudit: Christus autem per fidem. Ideo Paulus quum dixisset Adamum typum fuisse futuri, quasi per correctionem, subiecit,

Analogia inter Adamũ & Christum.

Pulchra Chrysostomi collatio.

Firmũ argumentum contra Iudæos.

Similitudo Adami & Christi accipiẽda est in genere.

At non ut peccatum, ita & donum. Quamobrem inter Adamum & Christum potius analogia quędam & proportio, quàm vera similitudo constituenda est. Vt autem ea, quę sequuntur, magis perspicua fiant, totam istam collationem, quæ constat Simili, Contrario, & Comparato, in tres partes diuidemus. Primùm Apostolus simpliciter tradit, Non eodem modo se habere Adami noxam, atque Christi donum. Illam enim ab hoc multis partib. vincitam & superatã esse. Secũdo loco exponit, in quo hęc victoria sita sit: nimirũ, in hoc, quòd cùm Adamus nostrum genus vniuersum vno peccato vitiasset, Christus non tantùm illud vnum peccatũ, sed etiã alia multa, quæ nos adiecimus, aboleuerit. Postremò ostendit, quæ nam illa copia bonorũ sit, quam suis electis Christus præstiterit. Quod ad primum attinet sciendum est, ita conferri Christum cum Adamo, vt semper asseratur superior. Neque prætereundum est, peccatum à Paulo duobus nominibus exprimi, ἁμαρτίας & παραπτώματος. Ex quibus nominibus hoc discimus, eos qui peccant, primùm errare, deinde cadere. Sunt enim hæc maximè coniuncta. Vnde vulgò dicitur, Qui cæcum sequitur, necessariò cadit. Obseruabimus etiam, Paulum χάρισμα, & χάριν: ἀδώρημα, & ἀδωρεὰν perpetuò fere in ista collatione vsurpare: quò indicet, non constare nobis salutem nostram, vel ex dignitate nostra aliqua, vel ex operibus, sed tantùm ex mera misericordia Dei. Verba sic habent,

Inter Christũ & Adamũ nõ uera similitudo, sed analogia.

Christus ita confertur cum Adamo, ut semper sit superior.

Qui peccãt primum errant, deinde cadunt.

Nam si unius delicto multi mortui sunt, multò magis gratia Dei, & donum in gratia unius hominis Iesu Christi in multis exuberauit. Quum vnius delicto multos dicit esse mortuos, non tollit, aut mutat id, quod antea scripserat, mortem in omnes peruasisse. Vox enim illa, *Multi*, hoc loco ita accipi debet, atque si dixisset, *Omnes*, teste etiam Origene. Stat igitur firmum, quod antè positum fuit, & *Omnes peccauisse*, & *Omnes* propterea morti fuisse addictos. Per *Gratiam*, intelligit fauorem Dei, quo peccata condonantur. *Donum* fortasse refert Spiritum Sanctum, & alia bona, quæ homines per illum consequuntur. Scholastici autem dixerunt, *Gratiam* esse qualitatem in animos nostros à Deo transfusam, per quam sanctè ac piè viuamus. Atque ex ea homínem iustificari. Atqui eius generis iustificatio ad Legem pertineret. Constaret enim ex his, quæ hærent in nobis. Quamobrẽ vera iustificatio, de qua modò agitur, ex Christo est, quem per fidem, & gratiam, seu Dei fauorẽ, apprehendimus: non quòd alterum genus gratiæ negemus. Vtrunq; enim ponimus: scilicet, & instaurationẽ credentiũ ad bene viuendũ, & imputationẽ iustitiæ per Christũ: qua tota, & perfecta nititur iustificatio: vt verũ sit, qđ in Ioanne legimus, nos accepisse gratiã pro gratia: & per eam gratiã, qua Christus valuit apud patrẽ, in eius gratiã fuisse receptos. Ratio ἀντιθέσεως requirebat, vt, quemadmodũ dixerat, *Vnius delicto multos fuisse mortuos*, ita ex aduerso redderet, *Vnius iustitia Dei fauorẽ exuberasse in multos*. Sed *Gratiam* & *Donum* ponere voluit: quòd ista duo sint fontes & radices iustitiæ, atq; omnis boni, quod inde consequitur. Exuberasse autẽ, quod Græcè est ὑπερεπερίσσευσεν, ideo dixit, vt intelligamus, plus gratiæ collatũ esse hominib. quàm ad extinguendũ peccatũ satis esset. Nã propterea q consecuti sumus veniã peccatorũ, renascimur etiã, & cum Christo resurgimus, & sanctificamur, & in filios Dei adoptamur, & fratres Christi efficimur, & cohæredes cum

Quid gratia, iuxta scholasticos.

Plus habemus gratiæ, quàm sit satis ad extinguendũ peccatũ

cum eo, & in eius membra ascisci mur, & tanquam corpus, cum capite cõiungimur: non secus, atque si cui piam vulnerato exhibeatur pharmacũ, quod non tantùm vulnus curet, sed etiam totum corpus robustius efficiat, illudq; vera pulchritudine exornet. Addit Chrysostomus aliud simile de homine obærato, qui, quum non sit soluendo, coniiciatur in carcerem, cum vxore, liberis, & vniuersa familia: ad quem accedat præpotens monarcha, & non tantùm æs eius alienum dissoluat, verùm etiam è carcere in Regiam suam productum, & in sublimi solio, ac regno constitutum, omnibus bonis cumulet. Ita Christus se gessit erga miserum mortalium genus. Deinde ista duo inter se confert, alijs mereri damnationem, & alijs mereri beneficium. Et longè, ait, videri à ratione alienius, condemnationem alteri mereri, quàm salutem. Vnde commendatur Pauli artificium, qui id ostendat factum esse, quod videbatur absurdius, vt facilius intelligeremus, Christum nobis commeruisse remissionem peccatorum. Id enim frequenter fieri videmus, vt in gratiam alicuius eximij & præstantis viri aliquis à miseria liberetur.

Simile.

Simile.

Alienius est à ratione alteri mereri condemnationem, quàm salutem.

Et non sicut per unum, qui peccauerat, donum: Iudicium enim ex uno in condemnationem: donum uerò ex multis delictis ad iustificationem. Hîc docet id, quod secundo loco proposuimus, in eo sitam esse hanc Christi excellentiam, qua Adamum superauit, quòd non tantùm vnum delictum ab illo inductum aboleuerit, verùm etiam alia infinita sustulerit. Κρίμα hoc loco reatum significat. Quod autem additur, ἐξ ἑνὸς, ambiguum est, vtrum ad peccatum, an ad hominem referri debeat. Sed quia vtrum dixeris, in idem recidit, parum refert, vtro modo exponatur. Paulus videtur κρίματι opponere χάρισμα: & κατακρίματι διαικίωμα, hoc est, condemnationi iustificationem. Neque miremur, eum in hoc loco tam diu commorari, & rem eandem tanta diligentia versare, atque expolire. Præclarum enim est fundamentum nostræ salutis. Ideóque, ne nobis excideret, curandum fuit, vt liquidò, & ad amussim explicaretur. Offert se tamen nobis hîc non contemnenda dubitatio. Nam quum peccatum Adami sic hominem vitiarit, vt nostrum genus natura sua nihil iam aliud possit, quàm peccare, & quæcunque postea consecuta sunt peccata, eius sint transgressionis fructus, non minus videri potest peccatum Adami valuisse ad perdendum, quàm Christi gratia ad instaurandum. Vt dissoluamus hanc dubitationem, fatemur, ex peccato primi parentis, & ex originali culpa in quemlibet nostrûm transfusa, alia peccata esse nata. Obseruandum tamen est, non omnia scelera ita necessariò cum originali peccato connexa esse, vt statim inde consequantur. Nam alioqui omnes admitteremus totidem, atque eadem peccata. Quod verum non esse, re ipsa, & experientia docemur. Considerauit itaque Paulus, nostris consiliis atque deliberationib. primæ illi culpæ infinita quodãmodò peccata adijci: gratiam autem Dei per Iesum Christum non tantùm illud vnum peccatũ genuinum remouisse, sed etiam ab infinitis propemodum alijs peccatis nos ad iustitiam prouexisse: & quodammodò pro vno malo tria bona reposuisse. Nam & natiuum illud peccatum aboleuit: & alia innumera, quæ nos adiecimus, remouit, & nos ad iustam vitam restituit. Adhuc tamẽ obijcitur, Adami peccatũ ad plures esse deriuatũ, quàm iustitiam Christi. Omnes enim in Adamo infi cimur: at non omnes in Christo liberamur. Nam multi ad æternũ exitiũ condemnabuntur. Hîc dicendũ est, Paulũ non exegisse hanc potentiã ad numerũ eorũ, qui uel dãnandi sunt, vel saluandi: sed tantũ ad effecta, quę & ab Adamo, & à Christo, puenerũt. Nisi dixerimus, plures gratia Christi seruari, q̃ peccato originali ex Adamo contracto perire. Nam tantũ paruuli quidã eo pereũt, adulti verò, qui damnant̃, nõ eo solo pereũt, sed & propter actualia peccata, quæ adiecerunt, nec multũ habent, quod de Adamo conquerantur, at qui seruant̃, solo Christi beneficio & gratia seruantur: vnde plures Christus seruat, quàm Adamus perdat. Deinde, quamuis non omnes perducantur ad salutem, tamen Christi meritum, & gratia ex se satis erat omnibus. Cur autem non omnes prædestinati sint ad salutem, rationem reddere particulariter non possumus. Nobis autem de potentia ea, quam Christus habet ad conseruandum, iudicandum est, non ex arcana Dei ratione, quam intelligere non possumus, sed ex forma promissionis, quæ habetur in scripturis. Illa verò generalis est, neque ad hunc magis, quàm ad illum ex loquutionis forma contrahitur. Porrò ea causa Apostolus tam multis verbis Christi beneficium potentius fuisse docet ad conseruandum, quàm Adami peccatũ fuit ad perdendum, quòd hæc doctrina summè sit necessaria. Ideoq; nunquam pati debemus, vt ea nobis excidat. Hæc enim opponenda est grauitati peccatorum, & infirmitati, qua experimur nos perpetuò labi. Nemo enim est, qui non, si ad peccata sua, & ad infirmitatem, qua laborat, oculos adijciat, statim animũ despondeat, & planè desperet: nisi ad Christi potentiam, & victoriam respiciat. Ibi enim solum se consolatur, & de

Paulus cur in hoc loco diu cõmoretur.

Cum originali culpa nõ sunt reliqua omnia peccata necessariò connexa.

Ad plures pertingit Adami peccatũ, quàm Christi iustitia. Ista collatio non est quoad numerum, sed quoad effecta.

Gratia Christi natura sua sufficeret omnibus.

Potẽtius est Christi beneficiũ ad seruandũ, quàm Adami peccatũ ad perdendum.

salute sua spem certam concipit. Duabus autem ex rebus potissimùm apparet vis, & efficacia Christi contra peccatum: primùm quia efficit, vt grauia scelera, quæ admisimus, non imputentur: deinde quia suppeditat vires per Spiritum sanctum, quibus instauremur, & vitij innati impetus infringatur. Pugnauit Christus contra peccatum. Quare illum omnino aut superiorem peccato faciamus oportet, aut æqualem, aut minorem. Minorem, & falsum, & impium est asserere. Sequeretur enim, victum eum fuisse à peccato. Si æqualem statuamus, sequetur, peccatum adhuc non esse expugnatum. Discessum enim esset incerta victoria. Quum autem peccatum dicatur victum, consequitur id, quod Paulus dicit, Christum eo fuisse potentiorem. Duo regna ob oculos constituenda sunt Christi, & Satanæ. Christi regnum vicisse, Christus ipse tradit in Euangelio: vbi ait, Fortem armatum tam diu tranquillè ac pacificè agere, quoad eo potentior superueniat. Tum enim vincitur: & alter, qui viribus pollet, eius spolia, & arma diripit. Quare prudenter cauendum est, ne nimium intenti in ea, quæ peccauimus, desperabundi dicamus cum Caimo, Maiorem esse iniquitatē nostram, quàm vt assequi possimus veniam. Esset enim hæc admodum contumeliosa blasphemia in Christum, dicere aliquod peccatum inueniri, quod ab eo non possit superari. Non est autem hîc dicendi locus, quare peccatū in spiritum sanctum non remittatur. Neque etiam ad rem facit. Quia nos de illis loquimur, qui ad Christū conuertunt. Quod in illis, qui peccant in Spiritum sanctum, non inuenitur. Nec parum facit ad agnoscendam Christi victoriam, quòd peccatum adhuc in renatis aliquo modo remanet. Illud enim, quanuis adsit, tamen vi sua obruit, vt nocere non possit. Captum enim iam peccatum est, & fractum. Vt quandoque hostes ab Imperatoribus & viui capiuntur, & viui ad triumphum reseruantur: vt idem postea dies sit & Imperatori ad triumphum, & hostibus captis ad exitium. Veniet Christus ad iudicandum, atque in conspectu totius orbis triumphabit. Vtque habetur ad Corinthios, Nouissimus hostis mors destruetur, & vnà peccatum, perpetuus eius comes. Interim verò quòd peccatum in nobis sit, id saluti nostræ nihil præiudicat. Et est Euangelium, credere, remissum, & condonatum esse peccatum, quanuis adhuc in nobis hæreat. Hoc tamen nec prudētia carnis, nec philosophia agnoscit. Nam illa neminem iustum, fortem, prudentem, temperatum pronuntiat, nisi qui frequentibus actionibus, & rectis operibus has virtutes sibi comparauerit. Nos autem è diuerso in Christi regno statuimus, peccatorem hominem, quantumuis flagitiosum, quamprimùm ad Christum se conuerterit, & illum vera fide apprehenderit, statim coram Deo iustum esse. Per δικαίωμα Apostolus hoc loco intelligit Iustificationem, ἀπὸ τοῦ δικαιοῦσθαι, quod est pronuntiari iustum, & absolui. Quanuis in hac eadem Epistola cap. 1. legamus: Qui quum Dei iustitiam cognouerint, quòd qui talia faciunt, digni sunt morte, non solùm ea faciunt, verùm etiam consentiunt facientibus. Quod Latinè diximus Iustitiam, Græcè habetur δικαίωμα: significátque eo loco mandatum à Deo præscriptum. Neque mirum est, ista significata ita permutari. Non enim sunt prorsus inter se diuersa. Quandoque enim vt causa, & effectus conferuntur. Ideo enim quispiam inter homines absoluitur à iudice, quòd videatur iusta fecisse, legibúsque obtemperasse. Atqui id accidere non potest apud Deum. Neque enim absoluimur ab eo, quòd eius mandata impleuerimus. Christus solus ea impleuit. Vnde non solùm ipse iustificatus est, sed etiam iustitia eius, & Legis perfectio nobis adiudicatur, quum inter eius membra numeramur. Hîc aggreditur exponere illud, quod tertio loco proposuerat: qua ratione Christus in suis electis bona à se allata collocauerit. Sunt autem in illis, & copia maxima, & stabilitate firmissima. Id colligit ex anthitesi. Vt enim Adamus mortem & peccatum induxit, & ita induxit, vt regnauerint: ita Christus vitam, gratiam, & iustitiam non vulgariter suis contulit, sed magna liberalitate & exuberantia.

Probatur Christum esse peccato potentior.

Duo regna spectanda sunt.

Caimi desperatio est contumeliosa in Christū blasphemia.

Nō hîc sermo est de peccato in spiritū sanctum Peccatū, quod remanet in renatis, potentiam Christi ostendit.

Quod in nobis peccatū sit, & iustificatissimus, philosophi nō intelligunt.

Etenim si per unius delictum mors regnauit per unum, multò magis qui exuberantiam gratiæ & doni accipiunt in uita, regnabunt per unum Iesum Christum. Hæc ratio sic est exponenda: Si Adamus potuit peccatum, & mortem sic transfundere in homines, vt regnarent: multò magis idem concedendum est Christo. Amplificatio autem verborum sic habet. Maius est & grandius copiam, & exuberantiam gratiæ dicere, quàm simpliciter gratiam. Et emphasin maiorem habet donum iustitiæ, quàm si simpliciter dixisset, iustitia. Nam quum dicitur donum iustitiæ, significatur, eam gratis constare. Adhæc efficacius est in vita regnare, quàm vitam vtcunque obtinere. Quam autem vtrinque vim habeat vox Regnandi, sic poterimus intelligere. Constituamus ob oculos hominem à Christo alienum. In eo non tantùm hæret, sed etiam impotenter regnat peccatum: vt licet ille præclaros quan-

Notanda est hæc amplificatio.

quandoque conatus habeat, & opera moralia faciat in ſpeciem interdum pulcherrima, tamen nullo modo poſsit illam tyrannidem excutere: ſed quæcunque facit, illi ad mortem, & condemnationem cooperantur. Hoc eſt peccatum, & mortem in homine regnare. Conſtituamus ex altera parte virum pium, & in Chriſto inſitum. Is vitam, & iuſtitiam habet, & ita habet, vt in eo regnent. Vnde quamuis eius natura ſit vitioſa, affectiones corruptæ, & aliqui interdum lapſus, nihilominus aduerſus hæc omnia ſtat, & ad ſalutem perducitur. Docemur præterea ex hoc loco, vitam comitari iuſtitiam: vt antè didicimus, Mortem conſequi peccatum. Atque ex eo fit, vt Scripturæ ſæpiſsimè cum fide coniungant vitam. Nam per fidem apprehendimus iuſtitiam. Et hunc morem ſcripturarum Paulus confirmat, quum toties refert Abacuc Prophetæ ſententiam: Iuſtus ex fide viuit. Chriſtus etiam ait, Qui credit in filium Dei, habet vitam æternam. Et, Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Abſoluit iam ferè Apoſtolus his verbis collationem, quam propoſuerat inter Chriſtum, & Adamum. Quo in loco prætermittendum non eſt, vt admoneamus de quadam ratione, qua Græca ſcholia vtuntur, ad probandum Chriſtum fuiſſe potentiorem ad homines iuuandos, quàm Adamus fuerit ad perdendos. Quoniam mors, inquiunt, principio quidem ſumpto ab Adamo, cooperans habuit noſtrûm omnium peccatum, vt aduerſus omnes præualeret: alioqui minimè præualiturum, ſi homines puri ab omni ſorde manſiſſent. Chriſti verò gratiam etiam ſine noſtra cooperatione ad omnes peruenisſe. Idque perſpicuum facere gratiam Reſurrectionis: quæ non in fidelibus ſolùm effectum habitura ſit, qui fidem videri poſsint contuliſſe, verùm etiam in incredulis: puta in Iudæis, & Græcis, qui fidem nullam habuerint. Maius autem eſſe, quod à nobis non expetit auxilium, quàm illud, quod noſtra cooperatione indiget, vt habeat efficaciam. Hæc referuntur ſub nomine œcumenij: ſed in primis ſunt cauenda. Falſum enim eſt, peccatum Adami non fuiſſe læſurum humanum genus, niſi homines ſuis vitijs fuiſſent cooperati. Infans enim, cùm naſcitur, qua ratione peccatum illud originis, quod in illo hæret, iuuare poteſt? Atqui ſi is in eo peccato moriatur, in damnationem incurrit, & æternùm perit. Deinde, quod aiunt gratiam Chriſti ad homines pertinere, quanuis illi nihil cooperentur, in conuerſione peccatoris aliquo modo locum habere poteſt. Peccator enim non accerſit ſibi gratiam Dei, ſed ei potius impietate ſua aduerſatur. Vbi autem ſemel acceſſerit gratia, ab ea iam non mouetur inuitus. Efficitur enim volens ex nolente. Verùm hanc ſententiam Græca ſcholia huc non detorquent: ſed eam ad extremam Reſurrectionem accommodant: qua impij citra vllum ipſorum meritum, aut cooperationem excitabuntur à mortuis. Sed hoc, ſi à nobis rectè expendatur, ad illorum grauiſsimam punitionem, non ad beneficium, aut gratiam pertinet. Nam quum Chriſtus verè de Iuda dixerit, Bonum fuiſſe ei, ſi natus non fuiſſet, nos quoque poſſumus de his veriſsimè dicere, Bonum illis futurum, ſi nunquam à mortuis reſurgerent. Relicta igitur hac ratione, illam, quam Paulus adducit, vt firmiſsimam, & veriſsimam amplectamur.

Quid peccatum regnare.

Quid ſit iuſtitiã regnare.

Vita comes iuſtitiæ.

Peccatũ Adami nos læſit citra noſtram cooperationem.

Impijs conduceret nõ reſurgere

Itaque ſicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, Ita per unius iuſtitiam in omnes homines ad iuſtificationen uitæ. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, ita per obedientiam unius iuſti conſtituentur multi. Hîc inducit epilogum eorum, quæ antè dixerat. Nec ſolùm concludit, & repetit antè dicta, verùm etiam diſertè tradit, quidnam illud ſit vnum peccatum, quod per vnum hominem inuectum fuit: & vicíſsim, quænam illa ſit iuſtitia, per quam Chriſtus nos iuſtos fecit. Huc autem omnia iſta ſpectant, vt intelligamus, nos non operibus, ſed fide iuſtificari, & inde de noſtra ſalute certiores efficiamur. Eſt autem in hac oratione defectus, quem oportet expleri. Sic enim loquitur: Sicut per vnius delictum in omnes homines ad condemnationem. Hîc ſubſtitue, Malum, ſeu damnum propagatum eſt. Et cùm ſubditur, Sic per vnius iuſtitiã in omnes homines ad iuſtificationẽ vitæ, ſubaudi, Bonum propagatum eſt, aut ſalus. Hîc rurſus habemus antitheta, παράπτωμα, & δικαίωμα. Quorum alterum ad Adamũ pertinet, alterum ad Chriſtum. Nec vacat emphaſi, quod dicit, Iuſtificationem vitæ. Id enim perinde eſt, ac ſi dixiſſet, Iuſtificationem vitalem, aut viuificam. Hebræi enim ita ſolent frequenter per caſus gignendi nomina adiectiua proferre. Hoc etiam annotandum eſt in hac ſententia, Paulum diſertè dicere, Peccatũ in omnes homines redundaſſe ad condemnationẽ. Ex quo apparet, eum, cùm ſuprà diceret, Vnius delicto multos fuiſſe mortuos. Per vocem illam, Multos, intellexiſſe omnes: quod etiam ab initio huius collationis diſertè poſuit. Quod idcirco dico, quoniam Ambroſius, & Origenes videntur aſſerere, Mortẽ, & peccatũ non regnaſſe in omnes ab Adamo progenitos: quòd

multi illorum Deum agnouerint, & à tyrannide peccati exempti fuerint. Verùm hoc est, Christi beneficium cum Adami noxa confundere. Nam quòd aliqui à morte erepti fuerint, id eis euenire non potuit, nisi per mortẽ Christi, quam futurã crediderunt: quod beneficiũ, quanuis fuerint consequuti, nõ tamen ex eo sequitur, eos antequã per Christum liberarentur quoad naturã & seipsos, in Adamo non perijsse. Sed isti patres videntur, id circo in hanc sententiã deflexisse, quòd voluerint ad hominum numerũ rem expendere. Nam cùm viderent, non omnes homines per Christũ seruari, ne ille videretur Adamo inferior, in eo negabant, omnes perijsse. Itaq; vtrinq; aliquos statuunt esse subducendos, vt & Christus numerum suum habeat, & Adamus seorsim suum. Et fieri potest, vt eos id cõmouerit, quòd Paulus & suprà, & hoc etiã loco, non, Omnes dixerit, sed Multos. Cæterùm hęc ratio exponẽdi Pauli sententiæ aduersatur. Is enim, vt mortẽ ponit hominibus omnibus cõmunem ex Adamo natis, ita peccatum etiam illis commune facit. Neq; ad probandam Christi potentiã, numero eorũ hominũ, qui seruabuntur, sed pondere effecti Paulus nititur. Plus enim ait esse, infinita peccata delere, quàm vnũ inducere. Sępe etiã particula illa vniuersitatis expresse vtitur. Ad id autem, quod illos mouit, respondemus cum Augustino, Apostoli sensum esse, omnes prognatos ex Adamo perire: & è diuerso, omnes renatos per Christum seruari.

Quomodo hæc analogia fieri possit perspicua

Et quemadmodum nemo, quod ad carnem attinet, procreatur, nisi per Adamum: ita nemem renasci, nisi per Christum. Si ad hunc modum vniuersitatis particulæ accommodẽtur, analogia inter Christum & Adamum erit satis perspicua.

Quemadmodum enim per inobedientiam unius hominis. Hîc Apostolus diserte explicat, quódnam illud peccatũ fuerit, quod per vnum hominem in mundũ ingressum dixerat, & per quod in omnes homines mors peruaserit. Id autem ait fuisse inobedientiã primi hominis: quam significat cõmunicatam fuisse omnibus, cùm ait, Per eam peccatores constitutos fuisse multos. E diuerso etiam docet, quódnam fuerit illud bonum, quod per vnum Christũ Iesum salutem hominibus recuperarit. Eam autem ait fuisse Christi obedientiam. De qua scribens ad Philippenses ait, Christum exinanisse semetipsum, & patri factum fuisse obedientem vsq; ad mortem, id q; ad mortẽ vsque crucis. Quàm etiam fuerit æterno patri obediens, illa quoque declarant, quibus in horto preces suas absoluit iamiam à Iudæis capiendus: Non mea, inquiens, voluntas fiat, sed tua. At longè aliter Adamus fecit. Is enim verbis Dei noluit habere fidem, neque prouidentiæ eius, vt debuit, acquiescere voluit. Bonum & malum cupiuit cognoscere, quasi sibi hæc ipsi præscripturus, & sequuturus, quæ ipse nouisset, vel bona esse, vel mala. At longè secus agendum fuit, vt illa tantùm pro bonis, aut malis haberet, quæ Deus verbo suo præscripsisset. Cuius rei Christus nobis reliquit spectatum exemplum, quum se totum permitteret voluntati, ac prouidentiæ Dei. Etenim cùm mortem oppeteret, & grauissimam, & acerbissimam, & ignominiosissimam, tantùm ante oculos præfixum habuit verbum Dei, quod eam Deo acceptam & gratam fore prædicabat, & humano generi salutarem. Obedientia verò, vt nunc de ea sermo instituitur, est facultas, qua pij homines volente animo exequuntur iussa Dei, quanuis, quod attinet ad rationem huius mundi, ea sibi parum vtilia fore iudicent, nec eorum habeant perceptam & cognitam rationem. Contrà verò inobedientia est vitium, quo præcepta Dei non exequimur, vel quòd sint molesta, vel quòd earum rationem non assequamur. Quod q; hoc loco habetur, *Per obedientiam unius hominis multos constitutos fuisse iustos*, optimè quadrat cum his, quæ habentur ad Ephesios, Nos Deo esse gratos in dilecto. Dilectus autem ille est Christus. Ad eundem modum Esaias capite quinquagesimo, cùm vaticinatur de Christo: Quòd si dederit animam suam pro peccato, videbit semen longinquum, id est, posteritatem ad multa tempora. Quæ verba docent id, quod Apostolus ait, per obedientiam Christi, qua nostra causa mortem subijt, propagatam esse multitudinem fidelium, qui Christi semen, & posteritas diuturna vocantur. Et addit propheta, Iustus meus permultos iustificabit: quoniam portabit iniquitatem illorum. Hæc itaque obedientia Christi promeruit illi, vt fieret dux electorum Dei ad vitam æternam. Vt è diuerso Adam, eos, quos iuxta carnem procreat, ob suam inobedientiam perducit ad exitium. Hîc annotabimus, cùm Apostolus dicit, Per vnius inobedientiam peccatores multos esse constitutos, ex his verbis argumentum haberi aduersus eos, qui putant peccatũ originis non esse cuique proprium: sed vnum tantũ extitisse, illud q; fuisse in Adamo, quo nos nexi, & obligati simus ad mortẽ, & damnationem. Quum enim dicantur Peccatores constituti, oportet, vt ipsi aut peccatũ habeant, aut saltem habuerint. Nam alieno vitio nemo dicitur peccator. Quanquam Chrysostomus hoc loco hæc verba interpretatur durius, quàm vt bene, aut commodè possit intel-

Inobedientia Adami est omnib. posteris communicata.

Christi obedientia omnibus electis communicatur.

Collatio inter in obedientiã Adami, & Christi obedientiam.

Quid sit obedientia.

Quid inobedientia.

Fideles uocantur Christi posteritas.

Peccatũ originis cuique esse proprium.

intelligi. Sic enim scribit: Verùm ex illius inobedientia alium fieri peccatorem, quam poterit habere consequentiam? Inuenietur enim, nihil debere pœnarum, vt qui reus non sit, nisi ex se ipso factus sit peccator. Quid igitur, est, quòd hoc loco dicit, peccatores constituti sunt multi? Mihi significare videtur supplicio obnoxios, mortiq; condemnatos. Hac in sententia id mihi non probatur, quod peccatores interpretatur supplicio obnoxios, & morti condemnatos: quasi innuat, eos nihil in se habere fœdum, aut turpe, quod aut Deum offendat, aut peccatum dici possit. Et paulò post, Non grauabimur, inquit, ostendere, quòd à morte illa, condemnationeq; non solùm detrimenti nihil acceperimus, si sobrij castiq; fuerimus, sed & lucri plurimum inde retulerimus. Hoc quoq; durum est, dicere, nos ab originali morte, & condemnatione nihil detrimenti accepisse. Concupiscentia enim, & naturę magna de prauatio in nostrum genus per Adami transgressionem irrupit. Fateor quidem, quod ipse subdit, præclarum esse donum, in corpore mortali castè ac sanctè viuere: deinde etiam nos ex incommodis nostrę mortalitatis habere occasionem martyrij, & aliarum virtutum. Verùm hoc animaduerto, hæc diuinæ bonitatis esse beneficia: quorũ etsi Adamus per lapsum suum aliquando occasionem dederit, non tamen ex eo sequitur, eum nos nõ læsisse, aut nos per eum effectos peccatores magnum detrimentum non sensisse. Nunc quoniam ea, quæ sequuntur, ad Legem pertinent, antequam ad illa accedamus, nõ erit alienum ab instituto nostro, de Originali culpa, quid sentiendum videatur, exponere.

Præclarum donũ esse in corpore mortali castè ac sanctè viuere.

Primo loco videbimus, sit ne aliquod peccatum Originis: sunt enim, qui illud existere prorsus inficientur: Deinde, quid sit, dicemus: postremò, quas habeat proprietates, & quomodo per successionem traducatur in posteros, quoque modo remittatur. Quod ad primum attinet, meminisse oportet, & in sacris literis, & apud patres, varias eius esse appellationes. Nam in hac epistola capite septimo appellatur peccatum, & Lex membrorum, & concupiscentia: alibi, Carentia iustitiæ Originalis, deprauatio naturæ, figmentum malum, fomes, languor naturæ, Lex carnis, & alia id genus. Negabant hoc peccatum olim pelagiani: hodie negant Anabaptistæ. Illorum argumenta huiusmodi ferè recenseri possunt. Primùm aiunt, lapsum Adami satis in eo ipso fuisse punitum: & nihil esse causæ, cur Deus illud in posteris vlcisci velit: præsertim cùm in Propheta Naum scriptum sit, Deum non punire bis in idipsum. Nam illi satis esse, semel animaduertisse. Deinde etiam scriptum esse, filium non portaturum iniquitatem patris: sed animam, quæ peccauerit, ipsam esse morituram. Deinde, corpus, cùm formatur in vtero, esse opificium Dei, nihilque habere, quod reprehendi debeat, imò potius, quod non sit summa admiratione dignum: animam item à Deo vel creari, vel infundi. Rationem autem propagationis non posse videri malam, quoniam nuptiæ in sacris literis commendantur, & ab initio Deus iussit hominem procreare. Quærunt igitur inter tot præsidia innocentiæ, per quas rimas peccatum se potuerit insinuare. Addunt etiam, Paulum in priori epistola ad Corinthios, cùm suadet fideli coniugi, vt cum infideli maneat, si ille velit cohabitare, inter alia dicere, filij vestri sancti sunt. Atqui non posse esse sanctos, si nascantur in peccato. Itaque eos, qui nascuntur è fidelibus parentibus non posse contrahere peccatum Originis. Adhæc etiam iactari vulgò, peccatum esse dictum, factum, aut concupitum contra Legem Dei, nec esse peccatum, nisi voluntarium. Vtque Iohannes ait in epistola sua prima capite quarto. Peccatum esse iniquitatem: cui opponitur æquitas aut æquum. Id autem non posse aliud assignari, quàm quod in Lege contineatur: atque ita peccatum esse Legis transgressionem: quæ omnia in infantes, dum nascuntur, non posse cadere. Neque consentaneum videri, quod quidam dicunt, hoc peccatum per carnem, aut corpus transfundi. Carnem enim, & corpus res esse natura sua stupidas, nec posse videri subiectum idoneum peccati. Et ad statuendum suum commentum addebant, ea, quæ à Paulo dicuntur hoc loco, ad peccata ea, quæ actualia dicuntur, trahenda esse. Per vnum autem hominem peccatum dici ingressum in mundum, propter imitationem, & exemplũ, qd posteri sequuti sint. His illi, & similibus argumentis adducti, negant aliquod esse peccatum originis. Mortem verò, & afflictiones huius vitæ, quæ pro indicijs adferri solent, quibus originalis culpa confirmetur, dicunt ex naturalibus causis existere: quales sunt elemẽtorum, & humorum temperatura. Ideoq; commentum inane esse, quòd nos ea ad lapsum Adami reuocemus. Absurdissimũ aũt esse putant, peccatũ aliquod statuere, quod nullo modo possit euitari. Postremò, inquiũt, si ea ratiõe dicemur, peccasse in Adamo, quia fuimus in lũbis eius quemadmodũ in epist. ad Hebræos dicitur de Leui, decimatũ eũ fuisse in lũbis Abrahami: pari, eademq; ratione dicemus nos fuisse in lumbis aliorum nostrorum maiorum, à quibus

Quæ sint capita tractanda.

Appellationes peccati originalis.

Pelagiani et anabaptistæ negant peccatũ originis Argumenta negãtium peccatum originis.

per procreationem descendimus. Quare non esse causam, cur magis Adami, quàm auorum atauorum, tritauorum, atque omnium maiorum nostrorum peccatum in nos dimanauerit. Atque ita infœliciſsimam videri posse illorum conditionem, qui vltimis temporibus nasciturí sunt. Illos enim portaturos esse iniquitates omnium suorum maiorum. Hæc illi, vt docent, nullum esse peccatum Originis. Nos verò è diuerso illud existere, probabimus multis scripturarum testimonijs. In libro Geneseos capite sexto, Deus sic loquitur: Non rixabitur spiritus meus in homine perpetuò, quoniam caro est. Et rursus, Figmentum cogitationum cordis eorum duntaxat malum est omnibus diebus. Et in octauo capite, Figmẽtum cordis eorum malum est à pueritia ipsa. Hæc verba indicant, in natura nostra, cùm producimur, vitium aliquod hærere. Dauid quoque ait, Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea: quo testimonio nihil esse potest euidentius. Hieremias etiam capite decimoseptimo, ait cor hominis prauum esse, & peruersum, & præfractũ. Et idem Hieremias, & Iobus execrantur diem illum, quo nati fuerant in mundo: quòd secum viderent, originem, et fontem vitiorum natum esse. Iobus autem manifestiſsimum habet immunditię natiuitatis nostræ testimonium. Sic enim ait: Quis potest facere mundum de immundo cõceptum semine? Et seruator noster ait, Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu sancto, nõ ingredietur in regnum cœlorum. Quemadmodum autem figulus non refingit aliquod vas, nisi illud viderit ante fuisse malè fictum, Ita Christus nollet nos denuò generari, nisi videret, nos prius infœliciter fuisse generatos. Quod alio etiam loco testatur, inquiens: Quod natũ est ex carne, caro est: & quod natum est ex spiritu, spiritus est. Quibus verbis voluit nos intelligere, ideo spiritus regenerationem esse necessariam, quòd antè carnalem tantùm generationem habuerimus. Paulus capite sexto ad Romanos ait, Ideo non manendũ esse in peccato, quòd illi iam simus mortui. Id autem probat ex Baptiſmo. Quicunque enim, inquit, baptizati sumus in Christo Iesu, in mortem ipsius baptizati sumus, ad hoc vt peccato moriamur: vtq; vetus homo noster crucifigatur, & aboleatur corpus peccati. Cùm autẽ pueri baptizentur, vel hinc habemus testimonium, in illis esse peccatum. Nam alioquin ratio Baptiſmi, vt ibi à Paulo describitur, non constaret. Eandem rationem sequitur etiam in epistola ad Colosſenses, vbi ait, nos esse Circunciſos circunciſione non manu facta, in expoliatione corporis peccatorum carnis, consepultos Christo in baptiſmo. Confert Baptiſmum cùm Circunciſione: & eos, qui baptizantur, ait expoliari corpore peccati. Neq; dubium est, eos, qui tinguntur, in remiſsionem peccatorũ tingi. Et circunciſio, quæ in veteri Lege dabatur pueris, certè respondebat nostro Baptiſmo. De ea verò scribitur, Anima, cuius caro præputij circunciſa non fuerit octauo die, morte moriatur. Quare, cùm pueri sacramento regenerationis opus habeãt, necessariò conficitur, eos nasci obnoxios peccato. Paulus ad Ephesios ait, Nos esse natura filios iræ. Atqui natura nostra non posſet Deo esse odioſa, niſi esſet contaminata peccato. Et eodem in loco Paulus grauiſsimis verbis describit, huius iræ atrocitatẽ: quòd ambulemus iuxta principem huius sæculi, qui est efficax in cordibus nostris propter contumaciam, atque ideo faciamus voluntatem carnis, & mentis nostræ. Citat Augustinus locum etiam ex epistola priori ad Corinthios, Christum mortuum fuisse pro omnibus. Vnde sequitur, omnes fuisse mortuos, & illius morte opus habuisse. Nefas autem est, pueros ex illorum numero excludere, pro quibus Christus mortuus est. Quòd si quæsieris, cuiusmodi illi fuerint, pro quibus Christus mortuus sit, satis id Apostolus expresit in hac epistola, cùm illos esse diceret, infirmos, inimicos Dei, impios, peccatores. Inter quos paruulos etiam oportet numerare, si volumus, Christum pro eis fuisse mortuum. Ad hæc peccatum Originis videtur clariſsimè doceri ex capite septimo huius epistolæ. Sic enim scribitur: Lex spiritualis est, ego autem carnalis sum venundatus sub peccato. Et additur: Non, quod volo, bonum, hoc ago: sed, quod nolo, malum illud facio. Neque verò ego operor illud, sed inhabitans in me peccatum. Commemorat etiam Legem membrorum, qua conqueritur, se captiuum, & inuitum trahi. Et in capite octauo ait, sensum carnis inimicitias esse aduersus Deũ: nec Legi Dei subijci: imò ne posse quidem. Mors etiam, quam paruuli subeũt, satis testatur, in illis hærere peccatum: niſi dicere velimus, Deum punire immerentes. Præterea iste ipse locus, quem habemus præ manibus, Originalis peccati luculentiſsimum continet testimonium. Sic enim scribitur, per vnum hominem peccatum ingreſsum esse in mundum, & omnes ad vnum peccauisse: & vnius delictum per omnes esse peruagatum: & propter vnius inobedientiam multos constitutos esse peccatores. Adhæc, illi qui Christo inseruntur, ad finẽ huius epistolę dicuntur oleastri: qua metaphora homo significatur à bona institutione naturæ suæ degenerasse. Quòd si à natura nostra discesimus, certè contraximus originale peccatum.

Testimonijs scripturæ probatur esse peccatum originis.

tum. Et suprà Paulus ita accusauit vniuersum mortalium genus, vt diceret, Non est iustus, non est intelligens, aut requirens Deum: Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui exerceat bonitatem, non est vsque ad vnum, &c. Quæ omnia deprauationem humanæ naturæ satis indicant. Ex his testimonijs scripturarum satis, vt opinor, liquet, esse Originale peccatum.

Proximo loco diluenda erant aduersariorum argumenta. Sed prius operepretium fore duxi, definitionem Originalis peccati explicare. Nam ea diligenter perpensa, & cognita, multa obiter intelligentur, quæ faciant ad illorum rationes dissoluendas. Primùm recitabimus aliorum sententias: deinde, quid nobis videatur, proferemus. Pelagiani statuerũt, peccatum Adami non dimanasse in posteros, nisi tantùm per imitationem. Aduersus illos strenuè pugnauit Augustinus, & multis argumentis ostendit, peccatum Originis non tantùm esse imitationem peccati Adami. Nam si Paulus dicere voluisset, hac ratione propagatum fuisse primum peccatum, non dixisset id ab Adamo fluxisse, sed potius à Diabolo. Is enim primus peccandi formam, & exemplum dedit. Vnde Christus apud Iohannem dicit, Iudæos, qui se gloriabantur ex patre esse Abrahamo, Diaboli potius esse filios, quòd opera eius facerent. Diabolum enim ab initio fuisse homicidam: & illos se, hominem nihil malè de illis meritum, velle occidere. Et ad hoc Augustinus citat illud, quod habetur capite secundo, libri Sapientiæ, Inuidia Diaboli mortem ingressam esse in orbem terrarum: & illos eum imitari, qui sint ab eius partibus. Cui tamen sententiæ ego non multum tribuo: partim quia ille liber non est in Canone: partim quia in Græco textu aliquid est ambiguitatis. Non enim ascribitur verbum, Imitantur: sed πειράζουσι, hoc est, mortem illam experiuntur. Ratio tamen firma est, à diabolo fuisse primum exemplum peccandi. Deinde hæc opinio confutatur ex eo, quòd Paulus antithesin facit inter Christum, & Adamum. At Christi iustitia non tantùm proponitur nobis imitanda: sed etiam vt qui credunt in eum, animo mutentur, spiritu corrigantur, & omnibus viribus emendentur. Quamobrem vicissim requiritur ad rationem ἀντιθέσεως, vt præter malum exemplum, quod Adamus exhibuit posteris, naturam etiam illorum deprauauerit, vtque Augustinus de peccatorum meritis, & remissione loquitur, tabe quadam tabificauerit. Tertio id quoque facit contra Pelagianos, quòd & ipsi infantes moriuntur. Nam, vt Paulus ait, ad Romanos capite sexto, Stipendium peccati est mors: donum autem Dei, vita æterna, per Christum Iesum dominum nostrum, & primæ ad Corinthios decimo quinto capite, Telum, inquit, mortis est peccatum. Postremò Baptismus, qui datur paruulis, non potest in eis delere peccatum imitationis. Quare necesse est, vt in illis aliud genus peccati statuamus, nisi eos velimus frustrà baptizari.

Pelagiani aiunt peccatum Adami tantũ propagari per imitationem.

Non Adamus sed Diabolus primũ peccandi exemplum protulit.

Christi iustitia non tantum proponitur imitãda.

In paruulis nõ potest deleri peccatum imitationis.

Alia præterea opinio fuit, ea quam recenset Magister Sentent. 2. distinct. 30. eorum, qui putabant Originale peccatum esse tantùm reatum, aut noxam, aut obligationem, ad quam obstricti simus propter peccatum Adami. Ita isti in illis, qui nascuntur, verè, ac re ipsa culpam, aut peccatum non agnoscunt: sed tantùm noxam quandam atque obligationem, vt moriantur, & damnentur propter peccatum Adami. Hanc opinionem videtur propemodum Pigghius renouasse. Is enim peccatum Originale negauit verè peccatum esse, quòd neque transgressio Legis sit, nec voluntarium. Itaque illud statuit, nihil aliud esse, quàm peccatum Adami: propter quod nos eius posteri facti simus obnoxij damnationi, & morti, extorres effecti à regno cœlorum. Mortem autem, & afflictiones huius vitæ, & cupiditates carnis, & affectiones alias huius generis ex principijs esse naturæ: quæ omnia tantùm abest, vt peccata dicat, vt ea Dei opera esse prædicet. Deum enim authorem esse naturæ: & ista consequi humores, & temperaturam corporis: quod & videmus accidere in brutis animantibus, idem euenire in hominibus, quod ad carnem, & crassiores animi vires attinet: vt ea, quæ sunt conseruantia, suauia, & commoda, expetantur, siue rationi consentanea sint, siue aduersentur: contraria autem vt euitentur. Culpam igitur Originis vnicam statuit transgressionem Adami. Cui vni nos omnes vult nasci obnoxios, non propter aliquod vitium, aut culpam, aut deprauationem, quam in nobis habeamus. Eos autem qui moriũtur hoc tantùm Adami vitio obnoxij, nequaquam pœna sensus affligendos esse in altera vita. Nam eos imaginatur (neque enim id audet constanter affirmare) siue in hoc mũdo, siue in alio loco satis delicioso fœlices fore naturali quadam beatitudine, in qua degant Deum laudantes, & gratias agentes, licet à regno cœlorum exulent: de quo tamen incommodo, vt ille somniat, nihil conquerantur, aut ea causa contristentur. Hoc enim esse diuinæ voluntati reluctari, quod sine peccato fieri non posset,

Pigghius uitiũ originis facit potius obligationem quàm culpam.

Mortem ex principijs naturæ statuit.

Culpam originis unicam Adami transgressionem statuit.

Citra pœnã sensus hoc peccãtũ credit puniri.

Nota duas Pigghij rationes.

Cùm autem, dum hic agerent, nullam prauam voluntatem habuerint, nõ esse credibile, eos illam in altera vita habituros. Eos autem pœnã sensus non esse perpessuros, videtur sibi pulchrè probare, idq; duplici ratione. Primùm, quòd illi nihil mali admiserint, nec vlla praui te sese contaminauerint. Deinde, quòd in hac vita nulla requiritur pœnitentia, aut cõtritio pro peccato originali. Atque huius commenti hunc habet prætextum, quòd peccatum accipi non debeat, nisi vera, & propria ratione: hoc est, vt sit dictum, factum, aut concupitum contra Legem Dei: & voluntarium, quod non obtrudatur inuitis, sed euitari possit. Atqui cùm ista in paruulis locum non habeant, peccatum in illis esse non posse. Peccatum tamen originis ait, se non negare: esse enim illud peccatum Adami, propter quod omnes condemnemur, & moriamur. Idcircò autem dixi istum prætextus quærere, quòd re vera illum videam, vt hęc dicat, alia causa commoueri. Nam cùm libero Arbitrio tantùm tribuat, & ea de re contra nos tam multa scripserit, videretq;, ea non posse consistere, si Originis peccatũ aperte, vt ab omnibus pijs traditur, fateretur, ea causa nouam hanc sententiam sibi reperit: quę tamen, vt dixi, non est omnino ita noua: nam à Magistro Senten. & attingitur, & explodi tur. Verùm vt inuentum suum luculentius coloret, adducit simile de aliquo munificentissimo principe, qui seruum aliquem suum non tantùm manumittat, sed etiam donet principatu, et opibus cumulet, quæ ad posteros etiam eius sint redituræ: Illi autem hoc tantùm præcipiat, vt certa quædam mandata fideliter obeat: quæ si transgrediatur, sciat omnes illas opes, & copias sibi ereptum iri: seq; ad pristinam seruitutem esse rediturum. Hic seruus vt imprudens, & ingratus violat mandata principis: atque ita non modò ipse seruus efficitur, vt antè fuit, verùm etiam liberos procreat ad seruitutem. Liberos autem illos nihil habere, quod quęrãtur de seueritate principis: sed potius, quod gratias agãt, quòd patrẽ suum ita liberaliter tractarit. De patre autem posse illos vehementer dolere, quòd illa ornamẽta & sibi ipsi, & suis perdiderit. Imò quid si hoc etiam addas, tantam fuisse eius principis liberalitatem, vt etiam posteros ingrati serui ad eadem illa beneficia, & longè etiam maiora inuitaret, atque ita inuitaret, vt filium suum ad eos prouocandos vltrò mitteret? Sic inquit, habet se res nostra. Adamus ita creatus fuit à Deo, vt esset capax supernaturalis fœlicitatis: qui tamen cùm Dei mãdata contemneret, omnibus illis dotibus supernaturalibus spoliatus est, & pristinæ conditioni naturæ suæ relictus. Atque in ea conditione nos quoque procreamur, & ita propter eius peccatum condemnamur, & morimur, extorres à regno cœlorum, multa patientes incommoda, quæ à principijs naturæ nostræ deriuantur. Itaque de primo parente conqueri possumus, at non de Deo. Is enim erga illum liberalissimus: præsertim verò cùm nos ad se, qui est summa fœlicitas, per vnicum filium suum reuocet, eumq; propter nostram salutem mortem obire voluerit.

Peccatũ non aliter accipi nisi unica ratione.

Ita sentit Pigghius ut liberum arbitriũ defendat.

Simile Pigghij.

Mors non habet ius ubi nõ est peccatum.

Peccatũ inesse habitare fatetur Apostolus.

Nos nõ habemus principia naturæ integræ sed uitiatæ.

Dispar est ratio hominis & brutorum.

Corpus oportuit animo conuenire

Est blasphemia deum facere prauorum affectuũ authorem.

Praui affectus cũ sint mortificã di sunt peccata.

Verùm contra hanc sententiam in primis illud facit, quod iam bis diximus: videlicet, infantes mori. Mors enim nihil iuris habet, vbi non est peccatum: nisi dicere velimus, Deum punire innocentem. Confirmatur autem hæc ratio ex argumento Pauli, quo probauit, peccatum fuisse ante Legem. Quia mors, inquit, regnauit ab Adamo vsque ad Mosen. Atqui iuxta Pigghij sententiam hæc ratio hebetissima videri posset. Diceret enim quispiam, etsi illi mortui fuerint, tamen ex eo non sequitur, illos habuisse peccatum. Mors enim illis contigit propter Adamum, ob cuius peccatum redditi sunt mortales. Deinde Paulus nonne vitium in natura confitetur, quando peccatum prædicat in se habitare, & fatetur Legem membrorum trahere se captiuum, & alia id genus? Neque verò mihi obijciat Pigghius, ista esse ex principijs naturæ. Hæc enim principia sunt, non integræ, sed corruptæ, & vitiatæ naturæ. Neque debet in hac re similitudinem ducere à brutis. Homo enim creatus est, vt brutis esset longè præstantior, & illis imperaret. Habuit quidem homo in se principia, vt suauia cupere, & vtilia: at non contra rationem, & verbum Dei. Nam istos affectus habere tam impetuosos, & violentos, non hominum est, sed brutorum. Deinde animus noster, cùm esset immortalis, & diuinitùs datus, requisiuit corpus sibi aptum, nimirùm, quod posset æternũ cõseruari: ne animus absque eo aliquando esse cogeretur. Quare non oportet ad principia naturæ confugere. Non enim talis instituta fuit, qualem nunc habemus. Quod si Pigghius fingat, Deum has cupiditates, & prauos affectus in nobis creasse, erit in illum blasphemus, & contumelioſus: quæ ille vitia nobis immeritò conatur impingere. Cùm enim Deus sit & optimus, & sapientissimus, & iustissimus, & hominem creauerit ad summam fœlicitatem, nõ illi ea indidisset, quibus ab ea fœlicitate retraheretur: quæ suaderent oppositum mandatorũ suorum: quæ sua sponte fœda essent, & nos captiuos abducerent in Legem peccati, & mortis. Hæc enim si mortificanda sunt, & crucifigenda, vt certè sunt, fateri oportet, vitia ea esse,

& Deo

& Deo inimica. Neque tanti est, quòd dicit, ea propriè non esse peccata: nisi, quemadmodum frigus dicitur pigrum, quòd homines reddat pigros: ita ista, quòd homines incitant ad peccatum, idcirco aliquo modo appellari posse peccata. Aut quemadmodum scriptura dicitur manus, quòd manu sit confecta: aut loquela appellatur lingua, quòd eius opera proferatur: ita hæc posse appellari peccata, quòd profecta fuerint à peccato. Istæ similitudines nihil Pigghij causam releuant. Etsi enim Augustinus sic interdum loqui soleat, id tamen de illis defectibus & vitijs intelligi voluit, quæ insunt in homine post Baptismum. Qua in re, quantum cum illo faciamus, aliàs diximus: & fortasse postea dicemus.

Verùm ante Baptismum omnino ait ea esse peccata. Imò etiam spiritus sanctus apud Paulum ea peccata vocat: & natura peccati eis conuenit. Ita enim peccatum definiuimus, vt ad omnia pertineat, quæcunque Legi Dei aduersantur. Nam, vt Iohannes ait, peccatum est iniquitas. Quis autem non videat, iniquum esse, vt caro velit sibi subijcere spiritum: & animus noster nolit acquiescere verbo Dei. Cùm itaq; omnia ista nos ad trāsgrediendum incitent, & ad rebellandum contra verbum Dei, & iniqua sunt, & peccata dici debent. Adhęc aduersantur Pigghio verba Dauidis: Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Si praua cupiditas, & hæc vitia naturæ opera essent, certe vir Dei de illis non quereretur. Et quid aliud sensit Apostolus Paulus, cùm scriberet ad Ephesios, Nos esse natura filios iræ, nisi peccatum ineſſe in vnoquoque nostrûm. Tamen hoc testimonium Pigghius nobis conatur peruersa interpretatione extorquere. Natura enim esse filios iræ, nihil aliud esse ait, quàm esse filios iræ, videlicet, quadam sorte nascendi: quòd sic edatur in lucem. Et adducit, quòd quidam dicantur natura serui: quod nihil aliud est, quàm eos ea conditione natos esse, vt seruiant. Verùm huic commento nos nec possumus, nec debemus acquiescere. Nam ira Dei non nisi iustè prouocatur. Neque enim ea eiusmodi est, vt temerè, aut fortuitò inflammari possit. Quare oportet in natura nostra aliquid esse praui, ad quod vlciscendum ira diuina excitetur. Et illud simile eius proposito non inseruit. Nam qui dicuntur natura nasci serui, natura etiam aliquid in se habent, quod aptum sit ad seruitutem. Nam si Aristoteli in Politicis scribenti credimus, natura serui sunt, qui corporis viribus excellunt, ratione autem hebetes, & tardi sunt. Et ex eo fit, vt magis idonei sint, qui seruiant, quàm qui imperent alijs, aut liberè viuant. Apostolus etiam satis declarat, quare nos appellet natura filios iræ: scilicet, quòd natura proni videamur ad iram Dei excitandam, & ambulemus iuxta principem huius mundi, quodque in cordibus nostris diabolus efficax sit propter incredulitatem, quodque faciamus voluntatem carnis & mentis nostræ. Hæc sunt, quæ nos efficiunt natura filios iræ. Et quomodo negari potest vitium in natura nostra, cùm Christus nos velit regenerari? Nisi enim praui essemus ficti, quid opus esset, vt refingeremur? Ad hæc in capite octauo libri Geneseos apertè dicitur, Figmentum humani cordis malum esse ab ipsa vsque pueritia. Et quomodo audebit Pigghius, id opus Dei, & rem bonam esse dicere, quod spiritus sanctus expressè appellauit malum? Verùm ne nihil dicere videatur, comminiscitur, id à Deo fuisse dictum ex misericordia: quasi sic homines excusare vellet, ac testari, se nolle amplius aquis terram euertere, quòd homines ita facti essent, & cogitationes illorum ad malum tenderent, idque iam inde à pueritia. Atqui dum hanc excusationem esse iudicat, vehementer fallitur. Hic enim eius loci potior, & magis natiuus putatur esse sensus, Deum voluisse inire fœdus cum Noah, se nunquam rursus orbem terrarum diluuio perditurum, quamuis alioqui homines tales essent, vt id mererentur, & figmentum cordis illorum iam inde à pueritia malum esset. Hæc humanam naturam à vitio non excusant, sed potius eam vitiosam, & corruptam esse notant: cui tamen Deus pro sua misericordia velit parcere. Postremò habemus à Paulo per inobedientiam vnius hominis multos constitutos esse peccatores: quòd indicat, in illis, qui nascuntur ex Adamo, esse vitium, propter quod peccatores dici possint. Sed hoc Pigghius putat, se posse eludere, quòd peccatores interdum dicantur propter reatum, quamuis actio peccandi præterierit, neque amplius extet. Quamuis hoc ita sit, nunquam tamen ostendere potest è scripturis, quenquam peccatorem appellari, quin aut in seipso vitium habeat, aut certè antea admiserit: nisi dicere velit, Deum homines reos facere absque ipsorum aliquo peccato. Deinde non animaduertit Pigghius, sua ista fictione mediam sententiam induci, de statu eorum, qui obeunt tantùm in reatu Adami: cùm scripturæ nos apertè doceant, in extremo iudicio nihil futurum medium: sed homines aut æterno igni committendos esse, aut æterna fœlicitate fruituros. Et temerarium est, in ijs rebus

Natura peccati ad omnia extēditur quæ legi Dei aduersantur. In quo sit iniqtas

Ira Dei non prouocatur nisi iustè

Natura serui aliquid in se habet quod aptum est ad seruitutem.

Quod spiritus sanctus malū uocat non est opus Dei

Declaratio loci Geneseos.

Qui dicitur peccator uel in se actu peccatum habet uel ante peccatum admisit. Pigghius facit statum mediū inter damnatos & fœlices.

longius velle progredi, quàm in sacris literis sit reuelatum. Quare moderatius agunt, magis que sapiunt, qui totum hoc negotium relinquunt diuinæ prouidentiæ. Sed operæpretium est videre, quibus rationibus noster Pigghius moueatur. Non afficientur, inquit, pœna sensus: quia nulla voluntate praua in hac vita se cõtaminauerunt. Quid hoc ad rem? Satis enim est, ingenium prauum habuisse. Nam proni erant ad peccandum, licet per ætatem peccare non potuerint. Catulus lupi interficitur: qui tamen posset se excusare, quòd oues nondum occiderit, aut vllum damnum gregi intulerit. Iusta tamen ratio est, cur occidatur, quòd ingenium lupinum habeat, & ista facturus sit, si permittatur viuere. Huc addit Pigghius aliud argumentum: quòd pro peccato Originis dolor, aut contritio non requiratur. Cæterùm vnde hoc probare ppteſt? Nam omnes sancti grauiter ingemuerunt, ꝙ hoc vitio opprimeretur. Dauid eo ipso tempore, cùm in pœnitentia versaretur, irrupit in hęc verba: Ecce in iniquitatibus conceptus sum. Paulus hoc vitium ita deplorat, vt exclamat, Infœlix ego homo: quis me liberabit de corpore hoc morti obnoxio? Cumq; ait Pigghius, istos suo statu contentos fore, non alia vtitur ratione, quàm, quòd si reluctarentur, diuinæ voluntati, & ob sententiam in se latam tristarentur, peccarent: quòd minimè licet de illis suspicari, cùm in hac vita peccatum non admiserint. Sed hîc interrogandus est Pigghius, num infantes rectam illã voluntatem habuerint in hac vita. Necesse est, vt id neget, cùm per ætatem eam habere non potuerint. Quod cùm ita sit, cur eam illis audet in alia vita tribuere? Probabilius multò est, ibi eos malam voluntatem habituros, cuius hîc principium in illis fuerit: quàm bonam, cuius hîc nulla vestigia possederint. Simile verò illud, quod adduxit, de liberali principe, qui seruum suum, non modo manumittat, sed etiam ad magnos honores prouehat, non est proprium eius inuentum. Vsurpatur enim ab Aegidio Romano Theologo Scholastico: qui tamen vnà nobiscum agnoscit naturæ vitium, atque insitam ab origine prauitatem. Illud tamen oportet excutere, ne, vt aulęum vitia parietis, ita illud sua specie, atque pictura aliquid erroris contegat, & nobis pernicioſè imponat. Adamum nobis proponit tanquã seruũ, qui ab initio & manumissus fuerit à Deo, & præclarissimis donis cumulatus, atq; ita cumulatus, vt ea etiã in posteros eius propagarent, modò ille Dei præscripto & Legi paruisset: sin id secere negligeret, ipse cum vniuersa posteritate ad pristinã cõditionẽ rediret seruitutis. In hoc delitescit error Pigghij. Fingit enim sibi hominem, qui naturam ab initio habuerit corruptionibus obnoxiam, & seruituti affectionum irrationabilium obstrictam. Quod non est verum. Factus enim est à Deo integer: non vt esset, instar bruti. Cupiditates quidem habuit ad suauia, & conseruantia: non tamen quę illum incitarent contra verbum Dei, & rectam rationem. Datumque illi corpus est, quod posset æternùm durare. Itaque cùm peccaret, non incidit in pristinam conditionem: sed nouam ac recentem infœlicitatem ipse sibi accersiuit. Hæc in præsentia satis erunt de illa secunda opinione. Tertia est, cupiditatem, seu concupiscentiam insperſam carni, & membris, esse peccatum Originale. In qua sententia fuit Augustinus: vt apparet ex eius libro de peccatorum meritis, & remissione: & ex alijs plærisque locis. Quem Scholastici interpretantur sensisse, non tantùm de concupiscentia crassiorum partium animi, sed etiam de prauitate voluntatis. At Pigghius reclamat, Augustinum statuisse, carnis tantùm, & membrorum concupiscentiam esse peccatum Originis: quasi Augustinus non senserit, ex prauitate affectionum & occæcari mentem, & corrumpi voluntatem. Nam cùm ista vitia inter se coniuncta sint, vna voce ea omnia complecti voluit. Vsus autem est nomine concupiscentiæ, quòd in ea magis appareat, & eluceat vis huius morbi. Vnde Hugo de sacramentis scribit, peccatum Originis esse, quod trahimus à natiuitate per ignorationem in mentem, & per concupiscentiam in carnem. Postremò Christus cùm ait, neminem seruari posse, nisi regeneretur, non tantùm de carne intellexit, aut de parte animi concupiscente. Nam rationem nostram, & voluntatem in primis renasci oportet. Deinde sequitur affectuum, & corporis regeneratio: per quam omnia spiritui, & verbo Dei, quemadmodum par est, subijciuntur. Neque Augustinus per concupiscentiam intellexit actionem cupiendi: sed habilitatem, pronitatem, & ingenium proclive ad malefaciendum. Quæ vitia in pueris non semper agnoscuntur, nisi quatenus se per ætatem produnt. Sic enim in profundis tenebris inter videntem, & cæcum nihil est discriminis. At cùm primùm aut profertur lumen, aut dies adest, facilè deprehenditur vitium cœci. Lupus ante quam adolescat, ingenium suum, & rapacitatem non declarat. Scorpius non semper pungit: semper tamen gerit stimulum, quo pungat. Serpens dum per hyemem torpet frigore, tutò tractatur: non quòd venenum non habeat, sed quòd illud effundere non possit. Istam autem concupiscentiam per generationem duci ait, quòd omnes in Adamo peccaue-

Ad condemnationem satis est corruptã habere naturam, si extra Christum quis fuerit.

Sãcti grauiter gemunt se hoc oppressos uitio. Exempla.

Aegidius theologus scholasticus.

Homo nõ habuit ab initio naturã corruptam & uitiosam.

August. opinio.

Vocabulo cõcupiscentiæ omnia peccata complexus est August.

Quid Augu. per concupiscentiam intellexerit.

Simile.

cauerimus. Putat enim, vniuersum humanum genus in Adamo, tanquam in massa fuisse. Quoniam autem in eo natura corrupta est propter peccatum, nos eam inde non posse hauire, nisi vitiatam. Non enim ex spinis vuæ colliguntur, nec ex tribulis ficus. In primis verò existimat, istam concupiscentiam in posteros traduci per feruorem libidinis, qui accidit in procreatione. Nonnulli tamen ex Scholasticis prudentioribus iudicarunt, quamuis nulla prauitas concupiscentiæ in parentum commistione accideret, prolem tamen Originali peccato non carituram, quòd illud in primo homine, tanquam in seminali, vt loquuntur, ratione fuerit. Quòd si quæras ex Augustino, num istam concupiscentiam, quam peccatum Originale esse dicit, voluntariam esse arbitretur, respondebit, dici posse voluntariam, quòd peccatum admissum à primis parentibus fuerit voluntarium: in nobis autem non posse dici voluntariam, quòd eam nostra electione susceperimus: nisi fortè, quòd nobis non sit indita violenter. Aduersus hac sententiam Pigghius inuehit. Sic enim inquit: si peccatum primi hominis naturam humanam vitiauit, oportuit effectum huiusmodi naturale esse peccato. Nihil enim fuit in prima illa transgressione, quod rationem vitiandi naturam habuerit, magis, quàm alia peccata. Quare necesse erit confiteri, naturam nostram esse corruptam, non solùm per culpam primorum parentum, sed etiam per peccata omnium nostrorum progenitorum: quod Pigghio videtur valde absurdum, nos tantò esse alijs corruptiores, quantò sumus illis posteriores. Verùm hoc caput, An parentum omnium peccata in posteros traducantur, in præsentia omitto, de eo ad finem dicturus, quod videbitur. Interim illud nego, quod iste sibi assumit, corruptionem naturalem effectum esse peccati. Ratio enim eius à diuina potius iustitia accipitur: per quam gratia spiritus, & dona cœlestia, quibus homo ante lapsum fuerat instructus, ab eo peccante remouebantur. Atque hæc subtractio gratiæ profecta est à diuina iustitia: quamuis ea transgressioni primi hominis vitio vertenda sit: ne statim dicas, Deum causam esse peccati. Cùm enim ille semel munera sua subtraxisset, quibus hominem ornauerat, statim vitia, & corruptiones sua sponte sequutæ sunt: quæ antea ab hominis conditione fuerant alienę. Quærit iste, quomodo peccatum vim habeat corrumpendi naturam humanam: num propter priuationem, an propter eius substratum. Non autem videtur posse fieri propter priuationem: ea enim, cùm nihil sit, nihil potest efficere: nec propter actionem eam, quæ priuationi substernitur, cuiusmodi fuit primi hominis praua per voluntatem electio: Adamum enim cùm fructum interdictum comederet, hoc non petijsse, neque id sibi voluisse, vt suam naturam, & posterorum deprauaret. Argumentum hoc infirmissimum est. Videmus enim sæpè multa homines inuitos, & imprudentes consequi: quæ quamuis illi nolint, tamen cum illorum actionibus coniunguntur. Qui intemperanter cibo potúque se ingurgitant, non id eo animo faciunt, vt sibi accersant podagram. Verùm ea sua sponte sequitur. Ita licet Adamus non voluerit ista contingere, tamen, cùm peccasset, vltrò contigerunt. Verùm ait, cùm ista cupiditas necessitate quadam nascendi accidat, non optione, non potest habere culpæ, aut peccati rationem. Sed hoc ideo fit, quoniam ipse peccatum angustius, & contractius accipit, quàm oportuit, Vult enim peccatum esse voluntarium, & dictum, factum, aut concupitum contra legem Dei. At si peccatum accipiat pro iniquitate, ut illud Iohannes descripsit, uidebit in concupiscentia rationem peccati posse inueniri. Iniquum enim est, ut corpus ad honesta non obediat animo, & cupiditates aduersentur menti, atque illi uelint dominari, & ratio Deum auersetur, & à mandatis eius abhorreat. Ista cùm iniqua sint, siue uolentibus, siue necessariò eueniant, peccata certè sunt. Sed iste, qui hæc obijcit, nonne uidet sibi quoque necessariò statuendum esse, Adami posteros reos esse eius peccati, idque nolentes, & inuitos, quod maximè aduersatur uerbo Dei? Scribitur enim in propheta, Filius non portabit iniquitatem patris: &, Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur: quod certè, si pigghio credimus, falsum erit: cùm pueri moriantur, & rei sint æternæ damnationis, quamuis nihil peccauerint. Ad quam absurditatem nos non cogimur: qui ponimus in vno quoque homine nascente vitium, & causam, quare moriatur, & condemnetur. Videtur etiam pigghio contumelioſum, ac blasphemum in Deum, quòd patiatur peccatum inseri nascentibus, quando illi facere aliter non possint, nisi vt hoc modo affecti nascantur, quomodo videmus omnes alios affectos nasci. Verùm huic obiectioni respondeat Paulus: qui in hac epistola ait: O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Nonne potestatem habet figulus luti, vt ex eadem massa faciat aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Respondeat etiam Esaias: qui ait, non conuenire, vt testa cum alijs testis de opere sui fictoris disputet. Deus non est is, qui debeat à nostra ratione in ordinem redigi: quod fieret, si eius

Vniuersum genus humanum in Adamo ut in massa.

Quorundã Scholasticorum sententia.

An ista concupiscentia sit uoluntaria.

Pigghius aduersus Augustinum.

Corruptio nõ est effectus naturalis peccati.

Subtracta gratia, corruptio sua sponte sequuta est

Multa sequũtur homines inuitos.

Simile.

In concupiscẽtia natiua est ratio peccati.

Iuxta Pigghium filius portat iniquitatem patris non suam.

iustitiam nostri iudicij regula metiremur. Cùm dies nullus prætereat, quo non aliquid occurrat in moderatione rerum mundanarum, quod accusemus, & nostræ prudentiæ non satisfaciat, quando tandem iustus erit Deus? Quis enim potest assignare causam, cur illi, qui æternùm perit, non tantum tribuatur gratiæ, quantum alteri, qui seruatur? Scio, istos solere dicere, Deum ibi nihil iniustè facere, quòd nulla Lege teneatur, eandem, æqualemq; gratiam omnibus distribuere. Atqui hîc humana certè prudentia non acquiescet. Conquerretur enim, & dicet, illum, & si non præscripto humani iuris, tamen Lege suæ bonitatis, oportuisse eundem esse omnibus. Adhæc quæ humana prudentia videre potest, quæ illa Dei iustitia sit, quòd aliqui rapiantur adhuc infantes, aut pueri, ne postea illorum corda malitia peruertantur, atque ita salutem assequantur: cùm alij seruentur incolumes ad adultam ætatem, in qua sibi promereantur exitium: cùm seruari potuissent, si in infantia fuissent sublati?

Arcana dei oportet uenerari non carpere. Catonis dictum.

Hîc oportet arcana diuini iudicij venerari, et colere: non autem ea corrigere velle, aut emendare ad præscriptum nostrarum Legum. Cato homo ethnicus cùm Pompeij partes sequeretur, quòd eas iustiores esse iudicaret, quàm Cæsaris, ad extremum inclinata victoria, & fugato Pompeio, suspexit ad cœlum, & exclamauit in rebus diuinis magnam esse caliginem. Indignum enim illi videbatur diuina prouidentia, vt Cæsar vinceret. Et mihi quidē, dum ista cogito, vehementer arridet Augustini responsum, quo vsus est aduersus Pelagianos, cùm hanc eandem causam tractaret, quam nunc nos habemus præ manibus. Obijciebantur enim illi à Pelagianis duo argumenta, satis arguta, & difficilia: Vnum, Qui fieri possit, vt Deus, qui pro sua bonitate nostra ipsorum peccata remittat, velit imputare aliena? Alterum, si Adamus per peccatum originis damnat imprudentes, & inuitos, cur non etiā Christus, ne aliqua in parte Adamo cedat, seruet incredulos? Adhæc Augustin. respondet, Quid si ego essem hebetior, nec possem statim has rationes diluere, an propterea minus deberem diuinę scripturę credere? Imò multò potius conuenit, vt ego ruditatem meam agnoscam, ęq; vt falsitatem sacris literis impingam. Postea tamen vtrunq; argumentum dissoluit. Nam ad primum respondet, Deo summe bonum esse, neq;, quod isti assumunt, in culpa originis imputare nobis alienum peccatum, sed nostram ipsorum iniquitatē, quæ nostræ naturæ adhęret iam inde ab ipsa origine. Ad alterum ait, Christum seruare etiam nolentes: nō enim eum expectare vt velint, sed ad peccatores, & nolentes, & resistentes vltrò accedere. Multos etiā paruulos eum ad fœlicitatem perducere, qui adhuc non credant, nec per ætatem fidem, qua credant, habere possint. Hæc ego ideo inducere volui, vt ostenderē, licere mihi, si velim, vti responsione, qua iste pater primo loco vsus est, & dicere Pigghio: Relinquamus Deo defensionem suam: nō eget patrocinio nostro, quo minus aut iniustus, aut crudelis habeatur. Credamus scripturis, quæ passim clamitant, nos corruptos, & vitiatos nasci. Quod etiā insuper nobis indicat, & mors, & ingens cumulus calamitatum: quæ certè à Deo filijs Adami nō infligerentur, nisi esset in illis aliquid peccati, quod puniretur. Verùm, qui in seipsos non descendunt, nec suum ingenium contemplantur, quàm ad omnia praua sit propensum, quid sibi concupiscentia ista velit, non agnoscunt. Non pauci tamen ex Ethnicis philosophis illud viderunt. Mirantur eñ, quomodo in tam præstanti natura, tāta prauitas, & φιλαυτία, & voluptatum cupiditas inesse posset. Ita autem illi hæc mala agnouerunt, vt pueris etiā castigatione, & disciplina maximè opus esse iudicarint: & ad hāc ingenitā malitiā corrigendā labores, & exercitia, & alia multa dura, grauia q; subeunda suaserint. Verùm causam, & fontē horum malorū non viderunt. Nam ea tantùm ex verbo Dei videri potest. Argumentatē porrò Pigghius, istam cupiditatē, quam Augustin. concupiscentiam vocat, opus esse naturæ, ac Dei: et ideo non posse videri peccatū. Sed ante responsum est, eam nō proficisci à principijs naturæ à Deo institutæ, sed corruptæ. Nam homo cùm conderetur, factus est rectus, & vt scriptura loquitur, ad imaginē Dei. Itaq; appetitio illa rerum suauiū, & conseruantiū in Adamo, cū primùm crearetur, non erat furibunda, aut vehemens, vt rectæ rationi, & verbo Dei aduersaretur. Id enim postea sequutū est. Quare illā, non opus Dei, vt Pigghius ait, sed peccati prauitatē, & affectuum corruptelā appellari oportet. Itaq; Augustinus Iulianū Pelagianum appellat impudicum concupiscentiæ laudatorem. Is enim illam, quod Pigghius Augustinum eo facit, commendauit, vt insigne opus Dei. Præterea oppugnat Pigghius Augustinum eo etiam nomine, quòd concupiscentiam dicat esse peccatum ante baptismum, post baptismū verò neget: cùm & eadē, inquit, sit cō cupiscentia, & idē Deus, & Lex eius eadē. Quare concludit, vel in vtroq; peccatū esse oportere, vel in neutro. Sed hic Pigghius duplici nomine vehementer errat: primùm, quòd in regeneratione nullā putet fieri mutationē: præsertim cū negare nō possit, accedere remediū Christi, applicari eius iustitiā, reatū tolli. Quoniā Deus concu-

Duo argumenta Pelagianorum.

Augustini præclara sententia.

Deus non imputat nobis alienū peccatum sed nostrum.

Christus ad seruandos suos non expectat ut uelint.

Dei iustitia non opus habet nostro patrocinio.

Naturæ nostræ prauitatē uel ethnici sūt admirati

Malum uiderunt ethnici sed fontē eius non intellexerunt.

Affectus Adamo dati sunt quando creatus est lenes & moderati.

Iulianus Pelagianus laudauit concupiscentiam.

Quæ fiat in regeneratione mutatio.

concupiscentiam eam, quę remanet post regenerationem, nō imputat. Deinde etiam datur spiritus, quo vis concupiscentiæ infringatur, vt quamuis in nobis hæreat, non tamen dominetur. Huc enim Paulus adhortatur, cùm ait, Ne regnet peccatum in vestro mortali corpore. Exaltera etiam parte decipitur, quòd putet, Augustinum existimare, cōcupiscentiam, quæ manet post Baptismum, omnino non esse peccatum, potissimùm verò si sola per seipsam consideretur. Nam disertissimis verbis eam natura sua peccatum esse dicit, quòd sit inobedientia, contra quam nobis perpetuò sit reluctandum. Cùm autem eam peccatum esse negat, id intelligendum est, quod ad reatum attinet: Is enim haud dubiè in regeneratione tollitur. Ita enim fit, vt Deus eam, quamuis re ipsa peccatum sit, tamen ad peccatum non imputet. Deinde Augustinus confert concupiscentiam cum illis peccatis, quæ appellant actualia: ex quorum collatione dici potest, non esse peccatum. Nam ab illorum gratitate longè abest. Miror autem, quomodo Pigghius dicere audeat, Augustinum statuere sine testimonio scripturarum, concupiscentiam esse peccatum Originis: cùm ille in disputationibus suis contra Pelagianos sententiam suam maximè defendat ex sacris literis. Cur autem peccatum Originis appellet concupiscentiam, ea causa est, quòd per erassiores animi, & carnis cupiditates vitium Originale maximè se declaret. Iam operæpretium est videre, quid de hac re alij dixerint. Nam præter hanc alia est etiam opinio eorum, qui dicunt peccatum Originis esse carentiam iustitiæ Originalis. Id Anselmus sensit in libro de partu virginis, & multos scholasticos authores in suam sententiam attraxit. Isti autem per iustitiam Originalem nihil aliud intelligunt, quàm rectam hominis institutionem, cùm corpus animo, & partes animi inferiores superioribus parent: mens autem Deo subijcitur, & Legi eius. In hac iustitia creatus fuit Adamus: & si ille stetisset, nos omnes in ea viueremus. Verùm, cùm ille laberetur, nos ea exuti sumus. Huius iustitiæ carentiam volunt esse peccatum Originis. Sed vt sententiam suam clarius explicent, aiunt, non quemuis defectum malum esse. Nam quamuis lapis careat iustitia, non tamen propterea lapis dicetur iniustus, aut malus. Verùm, cùm res idonea, & apta fuerit, vt habeat id, quo destituitur, tum huiusmodi defectus malus dicitur: Vt accidit in oculo, quando priuatur facultate videndi. Non tamen propterea dicimus, in oculo culpam, aut peccatum esse. Tum enim accedit peccatum, cùm propter eiusmodi defectum sequitur pugna, & reluctatio contra Legem Dei. Hæc quoque sententia damnatur à Pigghio. Dicit enim, non esse peccatum, si quis non seruet donum, quod acceperit. Fieri enim posse, vt qui natus sit integra valetudine, & recto corpore, incidat in morbum, aut aliquo membro mancus, aut mutilus efficiatur: Quos tamen defectus nemo est, qui velit culpas, aut peccata dicere. Verùm hoc simile proposito non conuenit. Morbus enim, aut mutilatio corporis ad Legem Dei vel obseruandam, vel violandam nihil facit. Carentia autem ea, quam appellant, Originalis iustitiæ, secum necessariò affert violationem Legis Dei. Præterea contendit, amissionem Originalis iustitiæ in paruulis non esse peccatum: quòd ea ipsorum culpa amissa non fuerit. Sed hoc rursus est Deum in ius vocare. Est autem Deus ἀσύντακτος: nec debet in ordinem humanarum Legum redigi. Conferat verò Pigghius opinionem illam suam, cum ista, quam oppugnat. Hæc ait, Deum condemnare vitium, & contaminationem, quam statuit, & ostendit esse in pueris recens natis. Pigghius autem reos facit, & damnat pueros, eius vitij atque peccati, quod in eis non existat: sed tantùm quod Adamus primus omnium parens in se admiserit. Nam alioqui pueros ipsos habet pro innocentissimis. Vtrum autem horum alienius est à ratione, & magis abhorret ab humanis etiam legibus, innocentem ne propter alterius peccatum plectere, an eum condemnare, qui in seipso causam habeat, cur condemnetur? Certè rem ipsam diligenter considerantibus Anselmi sententia multis partibus potior est, quàm ista opinio Pigghij. Scimus verum esse, quod Ecclesiastes ait, Deus fecit hominem rectum. Sed cùm semel peccasset, statim sequuta est curuitas. Non enim iam amplius Deum, & cœlestia intuetur: sed ad terrena, & carnalia perpetuò incurruatur: & concupiscendi necessitati subijcitur. Atque id est iustitia Originali carere. Non enim homini actiones ereptæ sunt: sed ablata est facultas bene illis vtendi. Vt vsu venire videmus in paralyticis. Mouent illi quidem manum: sed quia oblæsa est illa vis, qua motum illum possint regere, deformiter eam, & imbecilliter mouent. Idem etiam in nobis accidit. Nam cùm desit diuina iustitia, principium corruptum est, quo opera nostra oportuit rectè ordinari ac perfici. At, inquit Pigghius, carere hoc dono, non potest in paruulis peccatum esse. Nullo enim debito, aut nexu tenentur illud habere. Quòd si aduersarij, inquit, secus dixerint, Legem aliquam proferant, qua nascentes constringamur. Quod, inquit, cùm facere non possint, desinant, dicere, carentiam istam iustitiæ Originalis peccatum esse.

Augustinus affirmat quæ post regenerationem superest esse peccatum.

Si quando peccatū neget, de illius reatu id intelligit.

Illa cōcupiscētia non est peccatum actuale.

Cur uitium originis dicatur cōcupiscentia.

An hoc peccatū sit carentia iustitiæ originalis.

Quid scholastici per iustitiam Originalem intelligant.

Non quiuis defectus malam rem efficit.

Pigghij obiectio

Deus non est redigēdus in ordinē

Anselmi sentētia potior est Pigghij opinione.

Simile.

Quæ lege astringantur qui nascũtur adhabendam iustitiã Originis. Quæ sit ratio imaginis Dei.

Nos autem non tantùm vnam, sed etiam tres Leges proferemus. Prima est hominis institutio: Fecit Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam. Quare tales nos oportet esse. Deus enim id in natura nostra iure requirit, quod fecit. Imago verò Dei in eo potissimùm sita est, vt diuinis proprietatibus ornati simus: videlicet, iustitia, sapientia, bonitate, patientia. Sed contrà Pighius clamat, hanc non esse rationem imaginis Dei: eam enim constare intelligentia, memoria, voluntate: vt Augustinus in libris de Trinitate, & alijs plærisque in locis docuit. Dicuntur quidem ista à Scholasticis. Nos tamen probabimus, rem longè aliter se habere, & è scripturis, & è patrum sententijs. Primùm in epistola ad Ephesios ita scribitur: Deponere veterem hominem iuxta priorem conuersationem, qui secundum concupiscentias erroris corrumpitur: renouari verò spiritu mentis vestræ, & induere nouum hominem, qui secundum Deum creatus est, in iustitia, & sanctitate veritatis. Et ad Colossenses cap. 3. Induistis nouum hominem, qui renouatur ad agnitionem, & imaginem eius, qui creauit illum: Et paulò post huius imaginis conditiones explicat, inquiens: Induti sitis viscera miserationum, bonitatem, modestiam, mansuetudinem, lenitatem, sufferentes invicem, & condonantes. Et cap. 8. ad Romanos. Quos præsciuit, eos & prædestinauit, conformes fieri imagini filij sui. Hæc omnia satis indicant, quam proponant nobis sacræ literæ in hominis creatione, atque instauratione imaginem Dei. Nec patres ab hac sententia abhorruerunt. Irenæus libro 5. ait, ex infusione spiritus sancti hominẽ effici spirituale, cuiusmodi à Deo creatus est. Et Tertullianus contra Martionẽ, eã ait esse imaginẽ Dei, quæ motus, & sensus eosdẽ habeat cũ Deo. Ratio aũt, quę idẽ suadet, est, ꝙ homo ideo factus sit ad imaginẽ Dei ab initio, vt omnib. rebus creatis præesset, quasi vicarius quidã Dei. Dubiũ autẽ nemini esse potest, quin Deus velit creaturas suas bene administrari. Perpetuò eñ iubet ne illis abutamur: & tenemur lege, omnia, quib. iuuamur, referre in Deũ, vt à quo manãt omnia. Bonus verò vsus, & recta administratio rerũ constare nõ potest, nisi instructi simus illis conditionibus, quas ad imaginẽ Dei requiri diximus. Verùm quòd Augustinus imaginem Dei constituit in intelligentia, memoria, voluntate, id illum idcirco fecisse dicimus, vt formam aliquam, aut exemplum nobis proponeret de diuinis personis, quomodo illæ inter se habeant. Non autem sic intelligi debet, quasi has animi facultates nudas, & expolias his virtutibus, quas diximus, imaginem Dei fecerit. Habemus itaque Legem vel ab institutione, vel à restitutione hominis, quam Paulus præcipit: atque hoc nexu obstringimur Originalem iustitiam habere, quam amisimus. Habemus etiam naturæ Legem, cui cõuenienter viuere, vt Cicero ait in 3. de Finibus, est præcipuus hominis & extremus finis. Hæc autem Lex pendet ab illa altera, quam posuimus. Non enim aliunde fit, vt cogitationes in animo se mutuò accusantes, & defendentes habeamus, nisi illæ sumantur à dignitate naturæ, vt à Deo fuit instituta. Quicquid enim vnquam aut Philosophi, aut Legum latores præceperunt de officijs humanæ vitæ, totum id pendet ex fontibus institutionis nostræ. Non enim habere possunt illa præcepta ex ingenio corrupto philautia, & malitia, qua factum est, vt proni simus ad mala: sed ab ea specie rectissimæ naturæ, quam sibi fingunt exigi ab hominis dignitate, & quam nos ex sacris literis nouimus, à Deo esse institutam, & nobis instaurandam præcipi. Atque huc pertinet, vt nonnulli volunt, Lex illa mentis, cui resistit Lex membrorum. Est etiam tertia Lex, quam Deus conscribi voluit, Non concupisces. Quod præceptum, quamuis aduersarij nostri detorqueant ad actualia peccata, nos tamen in 7. cap. huius epistolæ ostendemus, illud spectare etiam ad peccatum Originis: & Deum eo mandato voluisse præcisum hominibus prorsus omne genus prauæ concupiscentiæ. Habemus ergo iam Leges, quæ dum extabunt, perpetuò nos obstringent, & debitores efficient, vt in omni vita nostra eam iustitiam præstemus: quam ipsæ requirunt. Verùm quidem est, Leges istas ab infantibus non sentiri: eòque in illis peccatum iacet sopitum, vt Augustinus ait, libro 2. de peccatorum meritis, & remissione, sequens id, quod à Paulo dicitur: Viuebam sine Lege aliquando: non quòd Paulo Lex vnquam posita nõ fuerit: sed quòd eam per ætatem in pueritia non sentiret. Vnde peccatum, inquit Paulus, mortuum erat, Quod Augustinus interpretatur, Cõsopitum. Verùm cùm accessisset mandatum, id est, cùm Lex inciperet à me cognosci, peccatum reuixit. Hoc erat quidem ante peccatum: sed, cùm non sentiretur, mortuum videbatur. Iam apparet, ꝙ ea quæ diximus, conueniant cum sacris literis. Adhuc tñ vrget Pighius, hæc ad infantes nihil facere: Legẽ enim nõ debere poni de illis, quę nõ possint euitari. Atqui, cũ hęc dicit, sensum sacrarum literarum non assequitur. Illæ enim satis docent, ea, quæ præcepta sunt in Lege, non posse à nobis perfectè impleri: cùm illa tamen seuerissimè præcipiantur. Paulus ait, in hac

Pulchra ratio de imagine Dei.

Defenditur Augustinus.

Facultates animi sunt imago Dei sed non expoliatæ virtutibus. Lex naturæ iustitiam originalem exigit.

Officia legis naturæ petuntur ab institutione hominis.

Præcepto nõ concupisces damnatur carentia iustitiæ originis.

Istæ leges infantes non sentiunt.

Obiectio Pighij. Lex poni potest de ijs quæ impleri non possunt.

hac epistola, Quod impossibile erat Legi, quatenus infirmabatur per carnem, Deus mittens filium suum &c. Ex istis verbis apertissimè liquet, Legem à nobis, vt præcipitur, non posse perfici. Nam si posset, iustificaremur ex operibus: nec opus fuisset, vt Christus mortem pro nobis pateretur. Alia sunt officia Legis, propter quæ scripta est. Vtilis illa quidem est ad dirigendas actiones piorum: sed vtilissima ad indicandum peccatum. Per Legem enim, inquit Paulus, cognitio peccati. Et concupiscentiam nesciebam, nisi Lex dixisset, Non concupisces. Adhæc per Legem augetur etiam peccatum, magisque nos onerat, & grauius premit. Lex enim subintrauit, vt abundaret delictum: & ad Corinthios. Vis peccati Lex. Atque hæc omnia eò spectant, vt homo, tanquam à Pædagogo, perducatur ad Christum, & imploret auxilium, & oret, vt vires sibi conferantur: quò saltem ex parte, atque inchoata obedientia, possit ea præstare, quæ iubentur: in quibus autem deficit, vt ea sibi ne imputentur, sed ex Christi iustitia resarciantur. Augustinus libro primo, contra Iulianum, taxat Pelagianos, quòd sibi viderentur præclarum aliquid nosse, cùm iactarent, Deum non præcipere, quæ fieri non possent. Docétque istos esse fines Legis, quos iam exposuimus. Imò verò ipse Augustinus in libris Confessionum memorat etiam ea peccata, quæ pueri adhuc lactantes admittunt. Quibus tamen nemo dixerit, eos potuisse resistere. Peccata autem non essent, nisi ad aliquam Legem referri possent, quæ ab illis esset violata. Neque verò quicquam iuuat Pigghium, aut illorum aufert peccata, quòd ea ab illis non sentiantur. Quod enim turpe est, quamuis nobis non ita videatur, tamen sua natura turpe est. Αἰσχρὸν γὰρ, vt ait ille, τόγε ἀισχρὸν κἂν ἀοκῇ, κἂν μὴ δοκῇ Opinio ista Anselmi de defectu, & carentia originalis iustitiæ, ab Augustini sententia, qui peccatum Originis appellauit concupiscentiam, re ipsa nihil differt: nisi quòd ibi aliquanto expressius dicitur, quod in vocabulo concupiscentiæ obscurius inuoluitur. Sed quoniam carentia ista Originalis iustitiæ ita posset accipi, quasi intelligamus tantummodo priuationem donorum Dei, citra vllum vitium naturæ, idcirco operæpretium erit tradere definitionem pleniorem. Est ergo peccatum Originis totius hominis naturæ deprauatio, à lapsu primi parentis in posteros traducta per generationem, quæ, nisi beneficium Christi succurrat, omnes inde nascentes infinitis propè malis, & æternæ damnationi adiudicat. In hac definitione omnia genera causarum continentur. Pro materia, aut subiecto habemus omnes hominis partes, & vires: Forma est, earum omnium deprauatio: Efficiens, peccatrix voluntas Adami: Instrumentum, traductionis propagatio, quæ fit per carnem. Finis, & Effectum, æterna damnatio, cum omnibus huius vitæ incommodis. Atque hinc ortum habuerunt variæ huius peccati appellationes: vt modò defectus, modò prauitas, modò vitium, modò morbus, modò contagium, modò malitia, ab Augustino autem affecta qualitas, & ἀταξία dicatur. Quod verò totus homo sit corruptus, inde liquet, quia in eum finem conditus fuit, vt Deo tanquam summo bono adhæreret. Iam verò diuina non intelligit: promissa scripturarum impatienter expectat: præcepta Dei molestè audit: pœnas, & præmia contemnit: Affectus tumultuantes rectæ rationi, & verbo Dei petulanter insultant: Corpus animo parere detrectat. Hæc omnia & si experimenta sint natiuæ prauitatis, tamen scripturarum etiam testimonijs confirmantur. De vitio intelligentiæ Paulus inquit, Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei: imò ne potest quidem: quia stultitia illi sunt. In quibus verbis obiter obseruamus aduersus Pigghium, Legem fuisse latam de eo, quod fieri non posset. In primis enim Lex iubet nos diuina cognoscere: quæ tamen Paulus apertè asserit, animalem hominem non posse percipere. Quódque ad institutum pertinet, videmus ista cæcitatem, aut ignorationem à Paulo constitui insitam hominibus, idq; à natura. Fingi enim non potest, eam per tempus, aut ætatem accessisse. Nam quò quisque est ætate prouectior, eò de Deo magis magisque eruditur. Quare quòd sit animalis, & ad percipienda diuina inidoneus, id habet à deprauata natura. Tanti autem momenti est hæc deprauatio, vt Augustinus ait libro tertio, contra Iulianum capite duodecimo, vt per eam imago Dei ab hominum vita alienetur, propter cæcitatem cordis: quam ipsam ait esse peccatum, nec satis hominum naturæ conuenire. Idem libro 1. De peccatorum meritis, & Remissione capite trigesimosexto, vbi verba Dauidis adducit, Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris, commemorat densissimas ignorantiæ tenebras in animis paruulorum, cùm adhuc sint in vteris matrum: qui nesciant, quare, vnde, & quando eò sint contrusi. Iacet enim paruulus indoctus, indocilis, præcepti non capax, nescius, vbi sit, quid sit, à quo creatus, à quibus genitus. Quæ omnia naturæ hominis, vt primùm creata fuit, non conueniebant: sed sunt potius vitia naturæ. Adam enim non ita creatus est, sed &

Vtilitates Legis

Pelagiani iactabant Deum non præcipere quæ fieri non possent. August. recenset peccata infantiũ

Turpia licet non uideantur sunt nihilominus turpia sua natura. Augustini et Anselmi sentẽtiæ re ipsa nõ differũt.

Definitio peccati originis.

Varia uocabula huius peccati.

Corruptio partium hominis explicatur.

Probatio impossibilitatis Legis.

Cæcitas cordis est peccatum.

Cæcitas & ignorãtia naturæ hominis haud cõueniunt.

capax præcepti diuini, & qui vxori, omnibusq; animantibus nomina potuerit imponere. In infantibus verò longum expectandum est tempus, quo hanc tanquam ebrietatem possint paulatim digerere. Adhæc ignorationem istam in vitio esse numerandam, author est antiquissimus Augustodunensis episcopus Reticius, quemadmodum Augustinus de eo testatur libro primo contra Iulianum. Nam cùm de Baptismo loquitur, sic scribit: Eam esse principalem indulgentiam in Ecclesia, in qua antiqui criminis omne pondus exponimus, & ignorantiæ nostræ facinora prisca delemus, & veterem hominem cum ingenitis scelerib⁹ exuimus. Ex his verbis intelligimus, scelera nobis esse ingenita, & peccata ignorationis deleri in Baptismo. Quare cùm paruuli baptizentur, huius patris authoritate conuincuntur habere peccata, & pristinam suam ignorationem in Baptismo delere. Iam de voluntate, an ea quoq; deprauata sit, videamus. Apostolus de ea præclarum tulit testimonium, sensum, & prudentiam carnis inimicitiam esse aduersus Deum. Hac autem sentẽtia complectitur omnes affectus hominum nondum renatorum. Miror verò impudentiam Pigghij, qui vt se aliquo modo euoluat, ait, hunc locum intelligendum esse de sensu literę, quẽ contendit aduersari Deo, nec illi posse subijci. Eum enim & præcedentia, & sequentia manifestè coarguunt. Paulus enim statim subijcit discrimen inter homines, qui sunt in carne, & eos qui sunt in spiritu. Vnde satis apparet, non agere eum de diuerso sensu scripturæ, sed de hominum ipsorũ varietate. Proxima autem ante illam sententiam verba erant, Quod impossibile erat Legi, qua infirmabatur per carnem, Deus mittens filium suum in similitudinem carnis peccati, de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustitia Legis impleretur in nobis. Hæc quoque tenantur, Paulum de nobis, non de spiritu, aut litera scripturarum loqui. In nobis enim est ea infirmitas, qua Lex debilitatur, ne perducere possit ad salutem: & per Christum in nobis iustitia Legis incipit impleri. Neque illis assentiendum est, qui & in hoc loco, & in alijs multis per, carnem, intelligi volunt tantùm animi partem crassiorem. Paulus enim cùm ad Galatas recenset opera carnis, non tantùm in eo numero ponit, adulteria, scortationes, lasciuiam, & alia id genus, verùm etiam idololatriam, quam nemo potest inficiari, ad mentem pertinere, non ad carnem. Et Christus cùm ait, Quod natum est ex carne caro est, & quod natum est ex spiritu, spiritus est, regenerationem suadebat, quæ certè non solùm ad substantiã corporis, aut animi partes crassiores pertinet, verùm etiam in primis ad volũtatem, & mentem. Et cùm diceret Petro, Beatus es Simon Bariona: quia non caro, aut sanguis reuelauit tibi, sed pater meus qui in cœlis est, significauit, illum non ex naturali cognitione ea didicisse, sed ex spiritu Dei. Nomine enim carnis complectitur ea, quæ ad mentem, & rationem pertinent. Neque verò dicimus, vt Pigghius ineptè cauillatur, in sublimi animi parte nihil esse, nisi carnem. Nouimus enim, quamuis id Pigghius non monuisset, animã esse spiritum: quæ tamen, antequam regeneretur, in scripturis appelletur caro: quòd cùm debuerit carnem, id est, crassiores sui partes, spiritualem facere, eamq́ue redigere ad mentis informatæ verbo Dei obedientiam, potius deflexerit ad eius voluptates, atque ita reddita sit carnalis. Sed obijciunt nobis illud ad Galatas, Caro concupiscit aduersus spiritum: & spiritus aduersus carnem: quasi hoc fieri non possit, si nihil sani relinquamus in hominum mentibus. Verùm huic obiectioni sic facilè respondemus: primùm ea verba pronuntiari à Paulo de credentibus, qui iam sint regenerati: quod satis declarant ea, quæ sequuntur: Vt non quæ vultis, ea faciatis: quibus verbis declarat, illos à spiritu Christi rectam voluntatem obtinuisse, quam tamen exequi non possent ob assiduas animi conflictationes, & magnam infirmitatem. Itaque Apostolus eo loco nihil aliud dicere voluit, quàm quicquid est in nobis, quod non sit perfectè regeneratum, id omne reluctari spiritui Dei. Deinde etiam non diffitemur, eiusmodi aliquam pugnam esse interdum in hominibus non regeneratis: non quòd eorum mens non sit carnalis, & propensa ad vitia: sed quòd in ea adhuc insculptæ sint Leges naturæ, quodq́ue aliqua in ea sit illustratio spiritus Dei: quamuis non sit ea, quæ aut iustificare possit, aut salutarem mutationem inducere. Adhæc, rationem in nobis esse vitiatam, satis ostendit loquutio Pauli, qua nos monet, vt induamus nouum hominem, quem dicit in nobis perpetuò oportere renouari. Cùm hominem ita velit prorsus immutari, is autem constet non tãtum corpore & carnis affectib. verùm etiam, idq; multò magis mente, voluntate, ratione, colligitur necessariò, hęc quoq; in illo fuisse corrupta: Nam quid alioqui in ea oportuit renouari? Neq; tãti est, si dixeris, intelligi ista oportere de adultis, qui propria electione, voluntarijsq; peccatis hæc in se ipsis corruperint. Quæram enim, cur in vniuersum omnes, qui non sint regenerati, ita seipsos contaminarint, vt ex illis omnibus nemo innocens inueniretur? Certè huic interrogationi nihil responderi aliud potest, q̃ fuisse in illis corrupta, & vitiata principia statim ab origine.

Reticius Augustodunensis episcopus.

Voluntas item deprauata.

Scriptura p carnem non intelligit animi partem crassiorem.

Cur anima dicatur caro in scripturis.

In mentibus non regeneratorũ adhuc sunt leges naturæ, & aliqua illustratio spiritus Dei.

Quæ sunt renouanda pius oportuit fuisse corrupta.

Augustinus

Augustinus etiã docet, nos eatenus tantùm esse regeneratos, quatenus effecti sumus similes Christo. Nam quà sumus illi dissimiles, eà non sumus renati, sed in nobis veterem hominem retinemus. Videamus ergo, vtrúmne ab ipsa origine habeamus mentem, voluntatem, rationem similem Christo? Nam si inueniuntur dissimilia, concludendum est, ea corrupta esse, & ad veterem hominem pertinere. De corruptione autem inferiorum animi partium satis nos docet quotidiana experientia. Porrò hoc proprium est inferioribus partibus animi, vt membris inspergantur, & per omnes partes carnis sese diffundant: quod menti, & rationali parti, quæ sunt spirituales, & impartibiles conuenire non potest. Corpus etiam à sua natura defecisse, vt animo sit rebelle, & aduersetur. Idem docet Paulus, quum exclamat: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Et rursum, cùm inquit, Sentio aliam legem in membris meis. Denique totum hominem quantusquantus est, deprauatum esse, Christi mandatum satis probat, quo iubet, vt nos ipsos abnegemus. Quòd si natura nostra innocens esset, & integra, nihil esset opus, vt eam abnegaremus. Bona enim retinenda sunt, non amandanda. Cum hac nostra definitione peccati originalis conuenit originalis iustitiæ carentia: Conuenit etiam cum ea Augustini descriptio, qua eam ait esse concupiscentiam carnis: modò vtraque rectè intelligatur. Hanc doctrinam, qui præcipui fuerunt inter Scholasticos, agnouerunt: vt Thomas, Scotus, & in primis Bonauentura. Hi Materiale in hoc peccato constituunt, Vitium naturæ, aut concupiscentiam: Formale, Carentiam iustitiæ: atque ita ex duabus illis opinionib. quas iam recitauimus, vnam conflant. Aliqui tamen ex nostris formale volunt esse reatum, aut imputationem Dei. Sed cùm ea res extrinseca sit à peccato, ego in eam magis sententiam propendeo, quæ formale statuit esse, pugnam, & reluctationem aduersus Legem Dei. Ea enim est præcipua ratio, quare naturę vitia dicenda sint peccata. Neque verò illi audiendi sunt, qui perpetuò clamitant, naturam esse bonam. Id enim fatemur de instituta natura verum esse, non autem de collapsa. Nam ea ita est bona, vt tamen nonnihil corruptelę admixtum habeat. Cùm autem isti dicunt, etiam cupiditatem esse bonam, dabunt veniam, si Paulò magis, quàm ipsis credimus. At ille ait, Scio, quòd non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum. Et statim, Volenti mihi facere bonum, reperio per legem, quòd malum mihi adiunctum sit. Hîc concupiscentiã dicit malam. Ad Galatas quoque eam satis probat esse malam, cùm eam monet esse crucifigendam. Falsum etiam est, quòd aiunt, eam semper petere vtilia, & conseruantia: experimur enim eam propensam perpetuò esse ad noxia, & ad ea, quæ vitæ maximè sint inimica. Præterea, si ita innocens, & bona esset natura, atque ab istis fingitur, quid eam oportuit à Deo tam grauiter puniri? Inter omnia animantium genera nihil ferè videmus calamitosius homine, si eius natiuitatem, infantiam, pueritiam, educationem, disciplinam spectemus. Omnia lachrymis, dolore, gemitu, infirmitate, ac laboribus plena sunt. Corpore laborandum est ad comparandum victum, mens perpetuò angitur turbulentis affectibus, pectus permotionibus concitatur, corpus morbis affligitur. Quæ omnia quidam secum expendentes dixerunt, Naturam non matrem esse, sed nouercam. Mitto, quòd interdum infantum, & puerorum corpora atque animi traduntur diabolo vexandi. Ita enim legimus in Euangelio, puerum à diabolo sic fuisse vexatum, vt modò in ignem, modò in aquam se proiiceret. Diuina ergo seueritas sic agnoscit humanę naturę innocentiam, vt eam grauiter puniat. Porrò ethnici etiam homines in hac re plus, quàm isti Theologi, vidisse videri possunt. Nam Plato in 2. de Repub. homines ait natura esse malos: vt qui induci non possint, vt sua sponte iustitiam colant: sed tantùm ne iniuriam patiantur. Et Socrates ostendit, virtutes non haberi, nisi homines, quod de Poetis dicitur, afflentur aliquo diuino numine. Et Cicero libro tertio de Republ. vt citatur ab Augustino libro 4. contra Iulianum, ait hominem à natura nouerca in lucem edi, corpore nudo, fragili, atque infirmo, animo anxio ad molestias, humili ad timores, debili ad labores, procliui ad libidines, in quo diuinus ignis sit obrutus, & ingenium, & mens. Scriptores quoque Ecclesiastici concesserunt in hanc sententiam: quorum multorum suffragia Augustinus colligit libro primo contra Iulianum. De Irenæo, & Tertulliano iam diximus. Cyprianus etiam ait, Christum vulnera sanasse, quæ Adamus apportauerat, & venena, quibus diabolus naturam nostram infecerat. Agnoscit Cyprianus infirmitatem ductam ex peccato primi parentis: qua sic incitamur ad peccandum, vt nemo de innocentia sua sibi blandiri possit. Quis enim gloriari potest, se castũ habere cor? Nam, vt Ioannes ait, si dixerimus nos peccatum nõ habere, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis nõ est. Rursus Cyprianus in epist. ad Fidum docet, paruulos baptizandos esse, ne æternũ pereant. Citat etiã Augustinus Re-

Animi partes inferiores mèbris inspergũtur.

Quæ bona sunt, non oportet abnegare

Nostra sententia cum Augustino & Anselmo cõsentit.

An reatus in hoc uitio sit pars formalis.

Pugna & reluctatio contra legem Dei forma uidetur huius peccati.

Natura quomodo sit bona, & non bona.

Ita caro est bona, ut in ea non habitet bonum.

Concupiscentia naturalis nõ semper utilia expetit.

Argumentum à pœnis et morbis hominum.

Infantes diabolo interdum uexandi tradũtur.

Patrũ suffragia

ticium Episcopum: cuius verba suprà retulimus. Citat & Olympium Hispanũ Episcopum, qui ait, vitium protoplasti ita sparsum esse in germine, vt peccatum vnà nascatur cum homine. Et Hilarium, qui de carne Christi ita scribit: Ergo quum missus est in similitudinem carnis peccati, ita habuit & peccatum. Sed quia ex peccato omnis caro est, à peccato, scilicet, Adam parente deducta, in similitudine carnis peccati missus est: existente in eo, non peccato, sed peccati carnis similitudine. Idem alibi exponens Psal. 18. sententiam Dauidis vrget: Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Idem in Homel. de Libro Iob, ait Corpus materiam esse malitiæ: quod à prima institutione ita fuisse, dici non potest. Et Ambrosius in Lucam ait, Corpus esse volutabrum, & diuersorium peccatorum: sed beneficio Christi mutari in Templum Dei, & Sacrarium virtutum. Idem contra Nouatianos ait ortum nostrum esse in vitio: Idem in Apologia Dauid ait, nos, antequàm nascamur, maculari contagione: & ante vsuram lucis accipere originis iniuriam: & in iniquitate concipi. Et de Domino ait, Dignum fuit, vt qui non esset habiturus in corpore peccatum prolapsionis, nullum sentiret generationis contagium naturale. Meritò ergo Dauid in se deplorauit inquinamenta naturæ: & quòd prius in homine macula inciperet, quàm vita. Idem de Arca Noe: Quem igitur iam virum iustum dixit, nisi horum liberum vinculorum? quem naturæ cõmunis vincula non teneant? Idem in Euangelium Lucę, per lauacra salutaris ministerij, qui baptizati fuerint paruuli, à malitia reformãtur. Hieronymus in Ionam Prophetam, paruulos obnoxios esse ait peccato Adami. Et ne eum arbitreris, id tantùm de reatu dicere, in Ezechielem capite 18. & 41. vrget, ne puerũ quidem, cuius sit vnius diei vita, esse absque peccato. Illud etiam vrget, Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Gregorius Nazianzenus, Imago, inquit, Dei labem corporeæ inundationis expurget: & post: Venerare natiuitatem, per quam à vinculis terrenę natiuitatis liberatus es: Et agens de Baptismo, per hunc, inquit, primæ natiuitatis maculæ purgantur: per quas in iniquitatibus concipimur, & in delictis genuerunt nos matres nostræ. Basilius Magnus ab Augustino defenditur. Nam eum Pelagiani videri volebant esse suarum partium. Scribit enim contra Manichæos, malum non esse substantiam, sed conuersationem, quæ de sola voluntate contingat. Quod is de illis intellexit, qui ægritudinẽ conuersationis de propria voluntate collegerũt: quam conuersationem dicit facilè posse abrogari tantiũ voluntate separari. Nam si ab ea separari non posset, malum esset illi substantiale. Omnia hæc Augustinus asserit, rectè dici. Nam Manichęi statuerunt malum esse quandam substantiam, illudq; esse rerum mundanarum principium. Basilius verò contrà ait malum illud esse in bono, & per voluntatẽ viri, & mulieris peccantis accessisse. Quòd autem id facilè posse ait à voluntate separari, id non nostris viribus adscribit, sed misericordiæ Dei. Quodq; ait, nulla eius fore vestigia, id nos quoque speramus: at non in hac vita, verùm in futura. Sed eum vitium originis agnouisse, satis testatur concio eius de Ieiunio. Sic enim ait, Si Eua ieiunasset à ligno, nos isto ieiunio non egeremus. Non enim opus habent valentes medico sed malè habentes. Aegrotauimus per illud peccatum: sanemur per pœnitentiam. Pœnitentia verò sine ieiunio inanis est. His verbis statuit Basilius, nos propter peccatum Adami non esse sanos. Citat insuper duodecim Episcopos Orientales, qui Pelagium damnauerunt. Quibus addi debet Origenes, qui quum interpretatur eam sententiam Pauli, quam cõmemorauimus, Mors in omnes homines pertransiit, ait, Abelum, Enoch, Mathusalem, Noah peccauisse. Alios autem patres dicit, se nolle recensere, quòd omnes ad vnum peccauarint. Neminem enim esse mundum à sorde, etiamsi vnius tantùm diei fuerit vita eius. Sed multò clarius loquitur in sexto capite huius epistolæ: quum Baptismũ ait dandum esse paruulis ex Apostolica traditione: quòd Apostoli scirent, esse in omnibus natiuas sordes peccati, quas per aquam, & spiritum oporteret ablui. Et Chrysostomus in Genesin tractans illam quęstionem, Cur homines nunc sibi timeant à bestijs, & ab illis lædãtur, cùm creati sint illarum domini, hoc ait contingere propter peccatum, & quoniam, inquit, à fiducia decidimus, & ab honore. Atque ex eo Augustinus probat, paruulorum naturam collapsam esse, quòd illis bestiæ non parcant. Idem Chrysostomus exponens locũ illum, quem iam habemus præ manibus, ait. Illud peccatum, quod per inobedientiam Adami extat, omnia contaminasse. Habet etiam alia multa loca in eandem sententiam. At Pelagianos tamẽ, & in primis Iulianum non puduit, hunc patrem, quasi pro se faceret, citare testem: quòd in Sermone de Baptizatis recensens multa Baptismi dona, eos, qui baptizantur, non tantùm accipere remissionem peccatorum, sed etiam effici filios & hæredes Dei, fratres Christi, eiusq; cohęredes, membra, & templa Dei, & organa Spiritus sancti, addit ad extremum, Vides,

Augustinus defendit Basiliũ.

Opinio Manichæorum.

Malum separari potest à nobis per misericordiam Dei.

Perfecta separatio à malo in uita futura sperabitur.

Pelagiani Chrysostomum ad se pertrahere conabantur.

des, quot sint Baptismatis largitates? Et nonnulli putant cælestem gratiam in peccatorum remissione consistere. Nos autem complures honores computauimus, & ea de causa pueros infantes baptizamus: quum tamen non sint coinquinati peccato, vt eis detur, vel addatur iustitia, sanctitas, adoptio, hæreditas, fraternitas Christi, vt eius membra sint. Ex his Iulia nus putauit, Chrysostomum non assentire peccato originis. Sed Augustinus ait, verba eius intelligenda esse de peccato, quod ipsi propria deliberatione commiserint: à quo peccato pueri sine controuersia sunt immunes, atque hac ratione appellari possunt innocentes. In quam sententiã Paulus scribit de duobus illis fratribus, Antequam aliquid egissent aut boni, aut mali: cùm tamen nemo prorsus eximatur ab eo, quod Apostolus dixit, Per vnius delictum in omnes homines in condemnationem: Et, Per inobedientiam vnius, peccatores constituti sunt multi. Ex his apparet, quàm cautos nos esse oporteat in lectione patrũ. Nam interdum in illis legimus, paruulos non habere peccata propria: cùm tamen illi in eis in primis agnoscant vitia naturæ, hoc est, peccatum originis. Sed habere peccata propria, dupliciter potest intelligi: Vel quæ propria volũtate, ac libera electione cõmiserint: & hac ratione sententia illa Chrysostomi de infantibus cõceditur: Vel propria peccata dicunt propria naturæ vitia, quibus & contaminamur, & dãnamur: quæ à paruulis non possunt remoueri, quandoquidẽ in illis nascuntur, vt Dauid luculẽter probat. Adhæc Augustinus annotauit, in verbis Chrysostomi, quæ extant Græcè, haberi peccata numero multitudinis, non peccatum in singulari: quemadmodũ locum illum Iulianus citauerat. Sic enim legitur in Græco, διὰ τοῦτο καὶ τὰ παιδία βαπτίζομεν, καὶ τοι ἁμαρτήματα οὐκ ἔχοντα. Quæ vox ἁμαρτήματα, in numero multitudinis, vt Augustinus putat, aptissimè peccatis illis, quæ actualia vocant, accommodatur. Et addit, vetustiores patres de peccato originis non ita fusè disputasse, quòd nondum nati fuissent Pelagiani, qui illud oppugnarent. Has tot patrum voces Pighius debuerat expendere: præsertim quum illos habeat pro aquilis, quæ acutissimè videant, & semper ad corpus aduolent. Sed mihi videtur eos habere pro calculis supputatoriis: qui alio, atque alio loco positi modò talentum significent, modò triobolum, pro arbitrio supputantis. Ita Pighius patrum autoritatem modò amplissimam esse vult, modò, si non satis placeant, nullam. Atque ita eos modò suspicit, vt aquilas: modò, vt graculos, despicit. Hac autem in re videtur suæ Romanæ Ecclesiæ, quam alioqui ipsi Deo vbique æquat, iudicium contemnere. Nam ea Ecclesia ita agnoscit peccatum originis, vt infantes pueros morientes absque Baptismo, ne cœmiterio quidem Christianorum dignetur: & ex infantibus, quando ad Baptismum deferuntur, diabolum exorcismis expelli velit, quòd eos dicat esse mancipia diaboli. Quod non idcirco à me dicitur, quòd illos exorcismos aut probem, aut retineri velim. Id enim precibus impetrandum est à Deo: non autem agendum, vt hominem demoniacum miraculo sanare velle videamur. Et quum hodie nullum huiusmodi donum extet in Ecclesia, nihil causæ est, cur illud velimus imitari. Neque concedimus, infantes nondum baptizatos à cacodæmone obsideri. Innocentius etiam Episcopus Romanus, qui tempore Augustini vixit, damnans Pelagium de peccato originis, eadem, quæ nos sentimus, confessus est. Non oportet hoc malũ extenuare: alioqui extenuabimus beneficiũ Christi. Et qui hanc labẽ non agnoscunt, illi neq; dolent pro ea, neq; remediũ à Christo petunt. Certè Pighius hac in re processit longius etiam, quàm Pelagiani. Illi enim propagationem peccati per Adamum tantùm negabant: At Pighius clamat, eam sententiam impiam, & blasphemiam esse, & contumeliosam in Deum. Rursus illis fuit satis dicere, infantes morientes absque Baptismo extra & Regnum cælorum, & pœnas gehennæ esse collocandos: At iste somniat, eos naturali beatitudine fore felices, atq; ita felices, vt Deum toto animo, toto corde, & omnibus viribus benedicant, laudent, diligant. Sed iam videamus, quas tenebras allatæ definitioni conetur offundere. Primùm, inquit, per has tenebras, & corruptiones naturæ intelligitis, aut meras priuationes donorum Dei, aut quædam positiua. Si statuitis esse priuationes, quæ dicitis, intelligo. Sed exagitationes vestræ non sunt, nisi tragica nomina, & vana vocabula. Sin verò hęc velitis esse positiua, cùm in infante recens nato non sit nisi anima, & corpus, quę munda sunt, & naturam, & Deum habent autorem, vnde, aut per quid irruperunt hæ pestes, quas cõmemoratis? Respõdemus, primùm priuationes, quas hîc ponimus, nõ esse instar negationũ, quę totũ auferant: vt, cùm dicimus, Centaurũ, aut Scyllã non esse: sed eiusmodi eas esse dicimus, vt relinquãt subiectũ mancũ, inutile, ac deforme: vt apparet in oculo destituto visu, & in manu paralytici tremula. Ita se habet in nobis peccatũ originis. Relictæ quidẽ sunt animi vires, & actiones: verùm destitutæ sua rectitudine, atque idcirco

Infantes dici possint innocentes quoad peccata, quæ propria deliberatione cõmiserint.

Magnã cautelã est adhibenda in lectione patrũ.

Peccata esse propria dupliciter intelligi potest.

Græca uerba Chrysostomi.

Veteres patres cur parum de originali peccato sint locuti. Simile.

Pighius ecclesiã suã Romanã contemnit.

Innocẽtius coætaneus Augustini.

Extenuãtes peccatum originis Christi beneficiũ eleuant.

Grauius errat Pighius, quàm Pelagiani.

Quæ priuationes in originali peccato intelligantur.

praua, & corrupta. Verùm Pigghius perpetuò errat, quòd fingit, naturam hominis habere ex se quandam naturalẽ integritatẽ, cui accesserint dona illa supernaturalia collata primo parenti. Post peccatũ autem, ablatis illis donis, hominẽ recidisse in pristinã conditionẽ. Sed hoc est merum somnium. Natura enim hominis à Deo fuit instituta prout conuenie-
Falsa imaginatio Pigghij de natura primi hominis.
bat. Ideoq; sublatis donis vitiata, & oblæsa est: quumq; aberret ab instituto, in peccato est. Deinde peccatum originis non solùm dicimus esse hanc priuationem, verùm etiam comprehendere positiua: vt, propensionem ad malum, naturæ impetum contra Verbum Dei, & alia id genus. Ideoq; Bernardus ait, in cõiunctione animæ cum corpore perinde esse, ac si illa ruéret in aceruum testarum acutissimarum, & lapidum lędentium. Inter Scholasticos autem Gulielmus Parisiensis in Summa de vitijs & virtutibus adducit huiusmodi similitudinem: Animam ita demitti in corpus, ac si quis decideret in cœnum, & profundum, & lapidosum, atque ita & immergeretur, & coinquinaretur, & lædereturr. Sic, inquit ille, ex originis vitio in tenebras ignorationis mergimur, concupiscentijs coinquinamur, & quod ad vires animi, & facultates attinet, vulneramur. Quòd autem Pighius ait, & Corpus, & Animãres bonas esse, & Deum habere autorem, fateor: Cumq; postea quærit, Quomodo ergo corrumpantur, respondeo cum Paulo, Per vnum hominem, qui lapsus est: idque per procreationem, vt paulò pòst docebitur. Quòd autem dicit, ea nullo modo posse corrumpi eo nomine, quòd Deum habeant autorem, non est satis firmum. Nam etiam adulti & Corpus habent, & Animam, quæ sunt opera Dei, & eius manibus perpetuò conseruantur. At ea tamen vitiari, & corrumpi possunt. Quòd si dicet, id fieri humana voluntate, & libero arbitrio, ita nos quoque respondebimus, id fieri alijs de causis, videlicet, propter propagationem, & semen. Itaque Pigghius argumentatur à non causa, tanquam ea sit causa. Id e-
Paralogismus Pigghij.
nim vult, si homines contaminentur, id fieri non posse, nisi per voluntatem, & liberum arbitrium. Quod non est verum. Argumenta omnia, quæ nobis obijcit, ex eo oriuntur, quòd dicit se non intelligere, quomodo hæc prauitas in posteros deriuetur: & qui fieri possit, vt infantes aliqua lege teneantur: &, quomodo Lex esse possit de eo, quod non possimus euitare. Cæterùm quum hæc sacræ literæ dicant, testentur, doceant, nostra parum refert, quantum Pigghius aut intellígat, aut non intelligat. Multa enim credimus, quæ certa ratione non habemus perspecta, & cognita. Quod tamẽ non eò valere debet, vt quicquid uis nobis credenda obtrudat, quicquid visum fuerit, eo prætextu, quòd etsi ratione percipi non possint, tamen fide debeant comprehendi, cùm Deus longè etiam maiora possit efficere. Primùm enim id, quod credi volumus, ostendi debet ex sacris literis. Deinde, si id asse-
Falsum est homines contaminari nõ posse, nisi per uoluntatẽ & liberũ arbitrium.
qui non possumus, fide nitemur, rationẽ seponemus. Ex nostra autem definitione non sequitur, in natura, aut in ethnicis hominibus nihil relinqui boni. Tantùm hoc dicimus, huiusmodi vitium omnia vastaturũ esse, nisi Deus in regeneratis remedium adferat per Chri-
In natura humana et in ethnicis hominibus aliqd boni relinquitur.
stum. In illis etiam, qui regenerati non sunt, Deus interdum adest, & illos præclaris, & Heroicis virtutibus illustrat: quibus frenatur vitium originis, & Respublicæ, atque imperia salua sunt. Socrates noluit egredi è carcere, cùm posset: Aristides, quum in exilium pelleretur, optauit suis ciuibus, ne vnquam ita malè haberent, vt ipse illis rediret in memoriam. Phocion, quum iamiam moriturus interrogatus esset, an aliquid vellet mandare filio, ne vnquam, inquit, meæ iniuriæ meminerit. Habuit Respub-
Deus non sinit peccatũ originis grassari quantum posset, aut quantum Satan cupit.
lica Romana Curtios, Scipiones, Catones, viros ciuilis probitatis, & rectitudinis valde amantes. Quæ officia, quamuis, vt in hominibus alienis à Deo peccata essent, tamen erant frena originalis vitij, & naturæ deprauatæ: ne omnia susque deque traherentur, & leges bonæ ruerent, & naturæ lumen quodammodo extingueretur. Nunc, quum peccatum originis scripturarum testimonijs confirmauerimus, & Pighij opinionem refutauerimus, & illorum sententiam, qui tantùm reatum, & obligationem contractam propter peccatum Adami arbitrantur esse peccatum originis reiecerimus, quumque Augustini definitionem attulerimus, peccatum originis esse concupiscentiam carnis, & Anselmi, Esse illud Carentiam originalis iustitiæ, Quumque postremò nostram definitionem fusè, & pluribus testimonijs probauerimus, nunc supereſt, vt ea persequamur, quæ tertio loco proposuimus: videlicet, de conditionibus, & proprietatibus originalis peccati,
Quæ sint conditiones & proprietates originalis peccati.
quomodo propagetur, quomodo aboleatur, quomodo se habeant eius reliquiæ in hominibus renatis, quæque illi debeatur pœna. Et de ratione quidem, qua transfunditur in posteros, suprà recensuimus varias opiniones. Earum prima fuit de traduce animarum: quam ostendimus Augustini iudicio faciliorem esse, quàm cæteras, quanuis ab omnibus non recipiatur: Altera est, quam Augustinus sequitur: scilicet, traduci peccatum originis

ginis per libidinem, & voluptatem inordinatam procreantium. Hæc ratio duo habet incõmoda: primùm, quòd hoc malum in procreatione ponit, tanquam necessarium: quod tamen ab ea seiungi potest. Et Scholastici ipsi fatentur, eum, qui generetur absque parentum vitioso affectu, nihilominus cõtracturum peccatũ originis. Ad id enim satis esse aiunt, quòd fuerit in Adamo, vt in principio seminali. Alterũ absurdum est, quòd tum peccatum originis consisteret tantùm in turpi affectione libidinis: quum re vera complectatur, vt dictum est, totius naturæ deprauationem. Alij senserũt, Animam à Deo creari prauam, quòd futura esset pars hominis execrati, & in maledictione positi. Sed quia hoc naturæ creationis videtur aduersari, vt dicatur contaminatio, ideo ea quoque sententia exploditur. Postrema est opinio vulgò recepta, Animam ex coniunctione cum corpore, quod iam infectum est, & vitiatum à parentibus, originis peccatum contrahere. Vnde si quæratur, quænam sit sedes eius, vel, vt vulgò loquuntur, quod subiectum, respondemus, illud locum habere in carne tanquam in radice, atq; principio: deinde ex eo fonte animam quoq; occupare: atq; ita per totum hominem extendi. Idcirco semen est instrumentum, quo hoc peccatum ex parentibus traducitur in filios. Pigghius obijcit, uitia nõ posse deriuari in prolem per semen, nisi fortè quæ hærent in corpore parentis: ut in lepra, epilepsia, & alijs corporis affectibus uidemus euenire. Neq; natura patitur, ut in substantia ipsa seminis peccatum locum habere possit, ut per illud possit traduci in filios. Hîc respondemus, primùm non esse uerum, deriuari in prolem tantùm affectus corporis procreantium. Videmus enim multas etiam animi conditiones in filios à parentibus propagari: Vt ingenium, furorem, honoris cupiditatem, comitatem, fastum, & id genus alia. Ad alterum, fatemur quidem, malam qualitatem, seu corruptionem, quæ per semen defertur, ut in ipso est, non esse peccatum. Verùm id tamen non efficit, quin per semen, tanquam per instrumentum delata in prolem, in ea rationem peccati habeat. Vt qualitates, quas iam commemorauimus, non reddunt semen ipsum ingeniosum, docile, aut auarum: sed tamen deductæ ad fœtum, eum talem efficiunt. An uerò Deus ponendus sit eius author, solet dici, deformitatem & iniustitiam, quæ in hoc peccato est, à natura iam corrupta trahi: quæ, vt creata fuit à Deo, non erat ita vitiata. Atq; hoc pacto statuunt, quicquid est in natura boni, id esse à Deo. Quod autem ibi mali est, quoniam id nihil aliud sit, quàm defectus, in eo nihil opus esse efficiente causa. Quod enim desit, id non oportere, ut fiat: nam si fieret, etiam inesset. Cæterùm hoc non est satis. Conuenimus quidem cum illis, Deum authorem esse subiecti, uel substrati defectus. Sed quòd aiunt, defectum ipsum causam efficientem non habere, in eo cum illis non consentimus. Oportet enim esse aliquid, quod remoueat, aut prohibeat illam perfectionem, quæ desideratur, & retrahat gratiã atque dona, quibus natura nostra fuerat ab initio instructa. Ideoq; necesse est hanc priuationẽ, aut defectũ referre in Deum, qui perfectionẽ indesicientẽ non largiatur: Quod ab eo iusto iudicio semper fit: licet nobis nõ semper manifesto. Et certum est è scripturis, neq; negari potest, Deum peccata peccatis punire. Atqui ea nõ ita infligunt à Deo, vt, quatenus ab eo pendent, sint peccata. Quicquid enim Deus facit, id absq; omni controuersia & rectum, & iustũ est. Et pœnæ ipsæ, quatenus pœnæ sunt, ad naturam boni pertinẽt. Quatenus tamẽ ex nobis proficiscunt, peccata sunt. Non enim statuimus, Deum ipsum per se, dum animam creat, eam coinquinare. A vitiato enim corpore, cui coniungitur, peccati fœditatẽ contrahit. Sed in hac re vehemẽter offenditur humana prudentia. Existimat enim talem coniunctionẽ nullo modo debuisse fieri. Perinde enim id esse videtur, acsi quis rem pretiosam cõijceret in vas immundum. Iniustũ etiam videtur, animã, quæ nihil nec boni, nec mali fecerit, cõiungere cum corpore, vnde cõtrahat labem originis. Imò, si ita sit, oporteret homines abstinere à procreatione. Vt leprosi etiam suadent, si fieri possit, abstinere, ne generando pergant humanam naturam inficere. Et, quia finis, ad quem homo instituitur, est æterna felicitas, non videtur conuenire, vt animus in eo corpore collocetur, vnde à præstituto fine reuocetur. Vtque iustum non est, animam, quæ nihil peccauit, in inferno puniri, ita etiam iniquum videtur, eam in illud corpus conijci, in quo, non pœnam, vt in inferno, sed peccatum, & odium Dei, quæ grauiora sunt, incurrat: & ita incurrat, vt id euitare nullo pacto possit. Hæc vsque adeo sunt difficilia, & obscura, vt humano iudicio prorsus non possit satisfieri. Colliguntur quidem nonnullæ consolationes ex Ecclesiasticis scriptoribus, quæ istas obiectiones tantùm mitigant, & leniunt, quantùm pijs animis sit satis: sed non, quantùm ratio humana exigeret. Coniungitur enim anima cum corpore infecto, & immundo, vt ratio habeatur vniuersi, ne species hominis, quæ præcipua est, in eo desideretur. Non deest officio suo Deus: Cursum naturæ non im-

Quidnã sit originalis peccati subiectum.

Semen est instrumentũ, quo peccatum hoc traducitur

Non tantũ affectus corporis, sed etiã animi à parentib. deriuantur in filios.

An Deus autor sit huius traductionis peccati originis.

Deus cùm animam creat, illã non coinquinat

Quibus offendatur hîc humana prudentia.

Obiecta leniri possunt, at ita dissolui, ut humanæ rationi satisfiat, nõ possũt.

Deus hominem pottus uult esse utcunq; corruptum, quàm nihil esse.

pedit: sed corpore iam effecto animam iuxta ordinem præfixum creat: hominémque pótius vult esse, licet ille absque vitio non nascatur, quàm nihil esse. Quòd si non omnia largitur, quæ dedit ab initio, tamen multa ex sua misericordia concedit. Deinde remedium

Ex ijs, quæ ab initio dederat, aliqua largitur.

Christi Mediatoris nostri proposuit, vnde vitium, quod contraximus, emendetur. Quod

Remedium Christi proposuit.

vitium ante conuersionem Electos ad Christum impellit: vt sentientes vim morbi sui ab eo medicinam accipiant. Deinde autem, postquàm semel Christo sunt insiti, habent hoc

Poterat Deus aliter succurrere, si uoluisset.

vitium relictum ad agonem & certamen, vt postremò victorias, & triumphos reportent. At dices, Potuisset Deus alia ratione seruare humanum genus, ne aboleretur, si alium hominem creasset purum, atque integrum, vt Adamo absque stirpe defuncto, omnes posteri ex illo altero homine incorrupto procrearentur. Dubium non est, Deum facere ita potuisse, si voluisset. At istud non erat lapsum erigere, perditum seruare, & eum, qui prorsus perierat, redimere. Hanc formam bonitatis voluit Deus ostendere, vt, nihil obstante

In hoc nostro genere instaurando formã suæ bonitatis Deus ostendit.

naturæ corruptione, quoscunque elegisset, ab exitio seruaret. Calamum enim quassatum confringere, & linum fumigans extinguere noluit. Voluit enim Christum, tanquam alterum Adamum producere: qui suos ita seruaret, vt alter perdiderat. Hæc, & alia similia adduxerunt Gregorium, vt exclamaret: O felix culpa, quæ talem meruit habere redemptorem. Quæ verba ego non facilè dicerem: siquidem in illa causa nihil video, quod non sit

Gregorij sententia.

miserum, & flebile. Quòd enim tanta salus consequuta sit, id diuinæ bonitati acceptum referendum est, non culpæ Adami. Nam ab ea tantum bonum non nisi per accidens derivatum est. Hæc etsi obiectionibus, quas diximus, non possunt tantum, quantum ratio humana flagitaret, satisfacere, tamen ex illis habemus, quod vtcunque possimus respondere. Ánimæ coniunctio cum vitiato corpore nihil facit ad exitium Electorum. Nam in Christo

Originalis peccati contractio non damnat electos.

tam corpus, quàm anima reficitur. Vtque per corpus anima inficitur, ita per fidem in Christum, quæ est in animo, ille vnà cum corpore reparatur. Quòd innocens anima, quæ nihil aut boni, aut mali fecit, cum corpore corrupto coniungatur, id naturæ ordo requirit: nisi

Vt anima tali corpori iũgatur ordo naturæ postulat, ne corpus exanime relinquatur.

corpus relinquendum sit exanime, & orbis humana specie priuandus. Quòd si volumus expostulare cum Deo, nullus erit modus, aut finis. Conquerentur animæ infinitę, quòd extra prædestinationem creatæ fuerint: quæ tamen hoc non commeruerant. Conquerentur multi, quòd nati fuerint ex impijs, infidelibus, & barbaris parentibus, & tenera ætate

Si ratoni semel indulgeatur nullus finis erit expostulandi cum Deo.

mortui, per quam nihil de Deo cognoscere potuerint. Et alia hoc genus sexcenta facilè possent excogitari. Quod ad procreationem attinet, dicimus eam laudabilem esse, quum constet ex legitimo matrimonio. In ea cõsiderandus est homo, qui generatur, hoc est, effectus, vt isti loquuntur, propriùs, & per se. Homo verò est bona Dei creatura: vitium autem

Bonitas procreationis ex effecto, quod est per se cõsiderari debet.

& corruptio adiungitur per accidens. Et habet hoc malum remedium, quod in lepra, & morbis alijs incurabilibus non accidit. Concedimus etiam, hominem ad finem æternæ fœlicitatis esse conditum. Quumque obijcitur, eum ab hoc fine per corporis vitium reuocari,

Electi per hoc malum ad Christũ muitantur.

nos è diuerso dicimus, eum per illud idem ad Christum inuitari. Postremò fatemur, videri posse indignum, vt animus innocens collocetur in inferno: quòd ibi nulla speranda sit redemptio. At in corpore quãtumuis corrupto posita, tamen potest & salutem, & redemptionem consequi. Iam rationes adducendæ sunt, quæ firmiter & solidè probent, vitium originis propagari in homines per semen, & generationem. Id idcirco docebimus ex sacris

Probatur hoc uitiũ per semẽ & generationẽ propagari.

literis, quia multi reclamant, & putant rem omnem fictam esse. Primùm Paulus ait, peccatum per vnum hominem ingressum esse in mundum. Videndum ergo est, quomodo homines pendeant ab Adamo, vt esse possint eius peccati participes. Alia autem via nulla inueniri potest, quàm semen, & generatio. Deinde quum Apostolus ad Ephesios dicat, Nos esse natura filios iræ, & Natura, vt Physici asserunt, sit principium motus, ad semen, & generationem recurrendum erit, Nam ea sunt principium motus, & originis nostræ. Sed Dauid hoc expressius indicat, quum ait, Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Quibus verbis apertè docet, hoc peccatum traduci per generationem. Longè autem apertissimũ est, quod ait Iob: quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Ex hoc loco semen maiorum nostrorum infectum, vt immundum esse arguitur, quantumuis reclamet pigghius. Sed iam è diuerso expendamus, qua ratione hoc peccatum auferatur. Quemadmodum per vnum hominem inductum est, ita per vnum hominem remouetur. Quemadmodum autem peccatum ab Adamo diffunditur per semen, & generationem, ita uicissim aliqua inuenienda sunt in ea multitudine, quæ ad Christum pertinet, quæ rationem seminis habere possint. Ea sunt Electio, seu prædestinatio, gratia, Spiritus, verbum Dei, Baptismus. His postremis duobus instrumentis Deus vtitur ad suos

Quomodo peccatum hoc auferatur.

regenerã-

regenerandos. Verùm si quis quærat, num externum verbum, aut signum Baptismi visibile omnino sint necessaria, respondemus internum quidem verbum, quo homines moueantur ad Christum, & reformentur, omnino requiri, si loquamur de adultis: in paruulis autem neque internum verbum locum habere potest, neque externum. Et externum quidem verbum ordinarium est instrumentum, quo Deus adultos vocat ad salutem: quamuis in quibusdam interno tantùm extraordinaria ratione vtatur. Ita enim Abrahamum euocauit è terra sua, & Adamum instituit immediatè, vt loqui solent, sine omni externo ministerio. Symbolum etiam Baptismi nullo modo est contemnendum. Nam qui illud negligunt, cum adipisci possint, regenerationem non assequuntur. At si eius copia non detur, non erit fraudi homini pio, & ad Christum conuerso, quamuis non fuerit baptizatus. Atque ex hoc apud patres nata est mentio Baptismi sanguinis, & flaminis. Et Ambrosius de obitu Valentiniani Imperatoris, ait illum gratia Baptismi non caruisse, quum eius desiderio flagrasset, quanuis non esset baptizatus. De paruulis autem Christianorum, qui absque hoc Sacramento decedunt, si interrogarer, responderem, de illis spem bonam habendam esse: eamque niti Verbo Dei, nimirum fœdere, ac pacto inito cum Abrahamo: quo Deus pollicetur, se non tantùm illius fore Deum, verùm etiam seminis eius. Quæ tamen promissio, quum non ita sit generalis, vt omnes comprehendat, ideo nemini sic decedenti ausim particulariter promittere certam salutem: Sunt enim aliqui sanctorum filij, qui ad prædestinationem non pertinent: quales legimus fuisse Esau, Ismael, & alios complures: quorum salus non eo nomine impeditur, quòd baptizati non fuerint. Attamen dum hîc viuimus, supersunt etiam in regeneratis huius peccati reliquiæ. Neque enim per regenerationem peccatum originis funditus tollitur. Reatus quidem aufertur: Quæ autem supersunt, ad æternam mortem non imputantur. Verùm quæuis res ex eo iudicari debet, quod est in seipsa. Quare si quæratur ex nobis, an sit peccatum, quod manet in regeneratis, respondebimus esse peccatum. Quòd si quando legas, non esse peccatum, id intelligere debes dictum de reatu. Verùm hac de re fusius dicemus cap. 7. In morte autem hoc genus peccati prorsus euerteretur. Nam in beata Resurrectione habebimus corpus refictum, & accommodum æternæ felicitati. Interim verò, quandiu hîc sumus, perpetuò vetus homo noster, & innata corruptio dissoluitur, vt in morte denique esse desinat. Iam tria vidimus, quomodò propagetur peccatum originis: per quid tollatur: & de eius reliquijs quid sit sentiendum. Nunc de pœna dicamus. Illam nonnulli è Scholasticis putant non esse sensus. Pelagiani illos tantùm extorres è regno cælorum fore arbitrati sunt: vlterius nihil statuerunt. Pighius autē hoc etiam addit, fore illos beatos naturali quadam felicitate, qui cum hoc tantùm peccato decedunt è vita: eosque amaturos Deum toto corde, tota anima, & omnibus viribus, eiusq; nomen, ac laudes prædicaturos. Atque hęc quidem quanuis tradere non ausit, vt certa, tamen probat, vt verisimilia. Augustinus verò de fide ad Petrum, & non semel alibi, paruulos non regeneratos, si ita moriant, ignibus æternis adiudicat. Et eius quidē sententiæ literæ sacræ videntur fauere. Nam in extremo iudicio duplex tantùm feretur sententia: nec vllus locus tertius inter seruandos, & condemnandos constituetur. Papistæ quoque, quamuis vsque ad diem iudicij putent fore Purgatorium, tamen post illum diem medium locum nullum ponunt. Et apertè scribitur, eos, qui non credunt in Christum, non solùm vitam æternam non habituros, sed etiam super eos manere iram Dei. Dumque sumus alieni à Christo, appellamur iræ filij, nec dubium est eos Deum punire, quibus irascitur. Dicemus ergo cum Augustino, & sacris literis, puniendos eos esse: verùm de genere, & modo nihil possumus definire: nisi quòd, quum variæ sint pœnæ gehennæ (nam scripturæ ipsæ asserunt, alios alijs tolerabilius habituros) credibile est illos, quum ad vitium originis alia peccata actualia non adiunxerint, leuius esse puniendos. Semper tamen excipio sanctorum filios, quia eos credentibus adnumerari non dubitamus, licet non adhuc propter ætatem re ipsa credant, vt nati infidelium non credentibus accensentur, licet fidei per se ipsos non resistāt. Vnde piorum filij discedentes absque Baptismo, propter fœdus, quod Deus cum parentibus percusit, possunt esse salui, si alioquin ad prædestinatorum numerum pertinent. Excipio etiam, si qui alij sunt, qui arcano Dei consilio attineant ad prædestinationem.

His ita iam constitutis veniemus ad argumenta Pelagianorum, quibus illi probari posse putabant, nullum esse peccatum originis. Primum illorum argumentum est, non esse verisimile, Deum velle adhuc persequi peccatum Adami, quum illud iam olim satis puniuerit: præsertim quum Propheta Nahum dicat, Deum nolle iudicare bis in idipsum. Scio, esse, qui respondeant, Deum non bis fecisse iudicium de illo peccato, sed semel tan-

Verbum internum requiritur necessariò in adultis.

Externū uerbū est ordinariū instrumentū, quo adulti uocātur.

Baptismus non contemnendus, Triplex baptismus.

De paruulis Christianorum, qui obeunt sine baptismo.

Quidā filij sanctorum non pertinent ad prædestinationem.

Reliquiæ huius peccati, quæ manent post regenerationē, nō imputantur ad mortem.

Quod remanet ex hoc uitio postregenerationem, est peccatū

Quæ sit pœna originalis peccati.

Argumenta Pelagianorū cōtra peccatum originis.

tùm: nam vno iudicio complexum eum esse Adamum, & omnem eius progeniem. Sed vt
res dilucidius expediatur, dico in vnoquoq; nostrûm, quoties punimur, causam esse, cur pu
niri debeamus: itaque in omnibus, non alienam, sed propriam cuiusque culpam damnari.
Quòd si legimus, Deum in nobis vlciscí peccatum Adami, id ita intelligendum est, quòd ví
tium nostrum ab illo habuit originem. Vt si quis peste laborans alios inficiat, & illi morian-
tur, dicetur illorum quisque, non aliena, sed propria, & sua peste esse mortuus. At si quis eos
dicat ex eius peste, vnde contagiũ contraxerunt, perijsse, id ita intelligendũ est, quòd is pri-
mus pestem inuexit, & illis affricuit. Sententia autem illa Nahũ Prophetæ ad hanc rem nihil
facit. Hieronymus quidem, cùm illum locum interpretatur, ait illis verbis refutari Martio-
nem. Is enim calumniabatur, Deum Veteris Testamentí vltorem, & crudelem videri,
quòd supplicijs grauissimis homines afficeret. Id Hieronymus ait, non crudelitati, sed bo-
nitatí esse asscribendum. Non enim alia de causa Deum in Sodomis, in Diluuio, & alias
homines ita grauiter puniuisse, nisi vt ne perirent æternùm. Semel enim eum in illos vin-
dicasse, ne posteà rursus animaduerteret. Verùm idem Hieronymus, fortasse, quòd vi-
deret hæc parum esse firma, obijcit sibi, Ex his videri posse, bene actum cum adulteris,
si deprehendantur: Ita enim fore, vt dum plectuntur capite, euitent æternas pœnas Ge-
hennæ. Quare respondet, iudicem huius mundi non posse anteuertere sententiam Dei:
neque putandum esse, leui supplicio peccata deleri, quæ grauem, & diuturnam pœ-
nam mereantur. In his verbis Hieronymi duo animaduertenda sunt: alterum, illa tem-
pestate adulterium fuisse capitale: alterum, primam illam interpretationem non vide-
rí illi satisfacere. Adducit itaque expositionem aliam Iudæorum, Deum his verbis si-
gnificare voluisse, Assyrios non effecturos, vt post abductas decem tribus, potiren-
tur etiam regno Iudæ, quemadmodum tentarant sub Ezechia. Deus, inquit, non com-
mittet, vt duplex surgat tribulatio. Satis habet, decem tribus perdidisse: saluum esse
vult Regnum Iudæ. Hæc expositio, etsi nihil habeat alienum à pietate, tamen non vi-
detur attigisse mentem Prophetæ. Is enim aduersus Niniuen vaticinabatur minas Dei,
& futuram euersionem. Quumq; vellet vindictam imminentem exaggerare, ait tantam
fore vehementiam vastationis inferendæ per Chaldæos, vt non foret necesse, vt eam Do-
minus iterum afflígeret. Eum enim prima vindicta satis pœnarum esse sumpturum. Nam
Imperium Assyriorum prorsus à Chaldæis euersum est. Et vulgò solemus dícere de ho-
mine ad necem vsque verberato, ita eum vno ictu fuisse percussum, vt secunda plaga non
esset opus. Hic est scopus Prophetæ, & genuinus sensus huius locí. Quod autem ad rem
attinet, non diffitemur, afflictiones in hominibus pijs eò spectare, ne cum hoc mundo dam
nentur: vt Paulus ait. Sunt enim paternæ castigationes, quibus ad pœnitentiam reuo-
cantur. Verùm ex eo non trahenda est regula generalis, qua Deo modus imponatur, vt,
quum cœperit impios punire in hac vita, eos punire etiam non possit in altera, si obierint
absque fide, & pœnitentia. Si ad Deum redierint, nihil in altera vita patientur: non tamen
propterea quòd in hac vita suis pœnis Deo satisfecerint: sed quòd Christus pro illis pre-
tium redemptionis persoluerit. Quare quemadmodum pijs in hac vita dantur quædam
bona, quæ illis sint arra, & inchoatio futuræ vitæ in alio seculo perficiendæ, ita in impijs af-
flictionum huius vitæ præludijs inchoantur æterna supplicia. Quod etiam Christus vide-
detur innuere, cùm ait, Eum timete, qui potest & corpus occidere, & animam mittere in ge-
hennam. Ex his satis liquere arbitror, oraculum Prophetę, quod apertè interpretati sumus,
ad eam rem, quam tractamus, nihil pertinere. Alterum illorum argumentum sumitur ex
propheta Ezechiele: Filius non portabit iniquitatem patris. Ad hoc vno verbo possemus
respõdere, vt modò diximus: videlicet, filios non patrum iniquitatẽ portare, sed propriam
ac suam, quæ à natiuitate cuique inhæret. Cæterùm quoniam locus ille ab alijs, atque alijs
aliter, atque aliter exponi solet, breuiter, quid nobis de eo videatur, aperiemus. Prouerbiũ
huiusmodi vulgò iactabatur inter Iudæos: patres comederũt vuas acerbas, & dentes filio-
rum obstupescunt. Huius autẽ prouerbij non tantùm Ezechiel meminit, verùm etiam Hie
rem. cap. 31. Sententia eius dicti est hæc: Patres nostri peccauerunt: & nos pro illis pœnas
luimus. Vtq; Rabbini dicunt, illi, qui erant ex regno decem tribuum, videbantur hæc refer-
re in Hieroboam filium Nabat, qui primus fecerat vitulos aureos. Illi verò, qui erant ex re-
gno Iudæ eadem referebant in Manassem: propter cuius impietatẽ impendere sibi putabãt
captiuitatẽ, qua m Prophetæ denuntiabant. Hoc prouerbiũ Deus redarguit: aitq; non ita
fore posthac. Meæ, inquit, sunt animæ. Filius non portabit iniquitatem patris: sed quisq;
in suo peccato morietur. Multi hæc intelligi volunt de ciuili pœna: quoniam Deus capite

Quisq; peccatũ propriũ portat, non alienum.

Quomodo intelligendũ, vlciscí Deum in nobis Adami peccatũ. Simile.

Locus Abacuc.

Tempore Hieronymi adulteri plectebantur capite.

Deus multos impios et hìc punit et in futuro seculo puniet.

Pœnæ huius vitæ impijs præludia sunt futurorũ supplicíorũ.

Locus Ezechielis.

24. Deuteronomij mandauit, ne occiderentur aut parentes pro filijs: aut filij pro parentibus. Quod etiam Amasias Rex Iudæ obseruauit: vt scribitur cap. 14. 2. Melachim. Occidit enim interfectores patris sui: filijs autem illorum pepercit iuxta præceptum Legis. Id tamen ab Israelitis non semper fuit obseruatum. Nam in libro Iosue capit. 7. legimus, non tantùm Acham fuisse occisum propter anathema, quod sustulerat, verùm etiam vnà cum eo & filios, & filias, & pecora. Sed hoc factum est singulari iussu Dei. Nec Legi in vniuersum latæ præiudicat. Expositio tamen hæc de lege ciuili verbis Prophetæ non quadrat. Iudæi enim non querebantur de pœna in foro, aut à principe sibi inflicta: Sed de illis calamitatibus, quas Deus Ipse inuexerat: videlicet, de vastatione suarum rerum, de euersione regni Iudaici, de Babylonica captiuitate. Hîc calumniabantur iudicia Domini, & murmurabant viam eius non esse rectam. Itaque alij interpretati sunt illum locum de pœnis æternis, de amissione gratiæ, ac Spiritus: quæ dicunt cuique propter sua ipsius, non propter aliena peccata contingere. Interim tamen volunt, & liberos pro parentibus, & populum principum causa perpeti pœnas temporales. Deus enim, inquiunt, vult punire patres in filijs. Filij enim pars quædam sunt parentum. Nec absurdum esse aiunt, si filij suis afflictionibus parentibus prosint: quum & illi hoc pacto reuocentur ad pœnitentiam, & ipsis nulla fiat iniuria, si quum sint mortales, moriantur. Deum enim tempora vel viuendi, vel moriendi sapienter dispensare: & eum filios è vita rapere, vel ne malitia corrumpantur, vel, si iam in peccatis, & in damnatione sint, ne magis magisque aggrauentur, vtque finem aliquando faciant malè viuendi. Atque in hanc sententiam Augustinus videtur nonnihil inclinare, in Quæstionib. super librum Iosue, quæst. 8. & 9. Et qui volunt has reliquias originalis culpæ, quæ supersunt post regenerationem, non esse peccata, sic coguntur statuere. Non enim dicere possunt, in paruulis ipsorum peccata puniri, quum ea nulla esse asserant. Nos verò, qui ea omnino peccata esse dicimus, docemus, non imputari quidem ea ad mortem æternam, sed tamen aliquibus pœnis interdum premi, vt intelligi possit, ea Deo displicere. Sed ne illa quidem expositio Augustini satis cum sensu Ezechielis conuenit. Propheta enim ait, posteà non ita futurum, vt filij dicant se temporarias pœnas ferre, quale erat exilium, & captiuitas, propter parentes. Dominus enim ait: Filius non portabit iniquitatem patris. Nihil ergo istos releuat, quòd dicunt, hoc in pœnis spiritualibus, & in æterna damnatione verum esse. Nam Propheta apertissimè loquitur de corporeis supplicijs huius vitæ. Alia fuit interpretatio Augustini in Enchiridio ad Laurentium, capit. 46. hanc esse prophetiam de beneficio per Christum conferendo. Quum enim per illius mortem pro originali etiam peccato satisfactum sit, Propheta ait, Filium posthac, non patris peccatum, sed suum esse portaturum. Videturque Augustinus adductus in hanc sententiam, quòd quum Hieremias cap. 31. idem ferè scribat, statim subiecta sit promissio Noui Testamenti. Ecce, inquit, dies venient: feriam cum domo Iuda pactum nouum. Verùm ne iste quidem sensus videtur accedere ad mentem Prophetæ, quam antè retulimus. Deinde etiam, quamuis Christus certo tempore passus sit, tamen mortis eius vi, & gratia pueri in Veteri quoque Testamento seruabantur. Quid ergo dicere oportuit, posthac non ita erit, quum ne antea quidem ita fuerit. Adhæc illi etiam, qui sunt extra Christum, iniquitatem suam portant, neque pro alieno peccato luunt pœnas, sed pro suo. Dicimus itaque sententiam Prophetæ generaliter veram esse: & omnes vel pueros, vel adultos, tam Veteris, quàm Noui Testamenti, portare quenque iniquitatem suam. Omnes enim, qui nascuntur, in se ipsis habent peccatum, & corruptionem, propter quam puniri debeant. Quare hæc sententia nostram opinionem confirmat: tantùm abest, vt contra nos adduci possit. Sed ea maximè facit contra Pigghium: is enim statuit, filios portare peccata parentum, quum eos dicat alioqui mundos esse, & nasci sine peccato. Iudæi prædicabant, se innocentes esse: supplicia autem illa, quæ luebannt, se parentum suorum causa luere. Illos enim peccasse, non se. Deus verò ait, illi prouerbio posteà locum non futurum. Volebat enim per Prophetam copiosam illustrationem Spiritus Sancti in Nouo Testamento futuram declarare. Non enim talia esse iudicia sua, vt pro alterius peccato quempiam puniat innoxium. Quare non dicit, posteà non ita futurum, quasi vnquam antea ita fuerit. Sed hoc dicit, non futurum, vt vsurpent huiusmodi prouerbium, quum semel agnouerint veritatem. Cæterum huic expositioni videtur Lex obstare. In ea enim Deus ait, se persequi iniquitatem patrum in filios in tertiam, & quartam generationem. Ista videntur parum consentire, & Deum persequi iniquitatem patrum in filios, & filios non portare peccata parentum. Vt huic obiectioni satisfiat, primùm exponemus verba legis. Ita enim intelligemus, inter Pro-

Iosue cõtra legẽ commune fecit puniendo filios cum patre.

Pueri in ueteri Testamento seruabantur ui & gratia mortis Christi.

Quomodo Deus persequatur iniquitates patrum in filios.

phetam, & Legem nihil esse pugnæ. Sententiam Legis alij ad misericordiam Dei, alij ad eius seueritatem, & iustitiam referunt. Qui Dei misericordiam existimant his verbis commendari, illi Deum, aiunt, tam esse bonum, & propitium, vt nolit hominem statim perdere, quum peccet, sed expectare potius velit eius pœnitentiam. Itaque interdum cùm patri, qui peccauit, parcat, tamen punit filium: interdum quum & patri, & filio parcat, animaduertit in nepotem: interdum etiam differt pœnas in quartam generationem.

Exemplũ Iehu. Quod videmus factum in Iehu Rege Samariæ. Nam quum is grauiter peccauisset, tamen Deus eius posteritati regnum non eripuit, nisi post quartam generationem. Videtur ergo his verbis prædicari bonitas Dei, qui ita iram sustineat, neque eam statim effundat. Alij verò putant prædicari bonitatem Dei, quum dicitur benefacturus diligentibus se in mille generationes. Contrà verò, vt intelligeretur eius seueritas, & iustitia, adiectum esse, eum persequi velle peccata, non solùm in eos, qui peccauerunt, sed etiam in filios eorum, & nepotes, vsque in quartam generationem. Idq; exemplis putant posse declarari. Nam Amalech multis malis affecerat Israelitas peregrinantes per desertum: & longo pòst tempore eius posteri afflicti sunt ab Israelitis, & ita afflicti, vt Deus postremò Saulem iusserit, eos ad vnum omnes funditus delere. Iehezi quoq; famulus Elizei, quòd eius nomine accepisset pecuniam à Naamano Syro, & ipse percussus est lepra, & eius vniuersa posteritas in perpetuum. Vtraq; harum sententiarum pia est, & exemplis confirmari potest. Posterior tamen magis videtur quadrare cum textu. Quomodo autem Deus persequatur iniquitatem patrum in filios in tertiam, & quartam generationem, lex ipsa satis declarat. Nam additur, Odio habẽtes me: vnde apparet, non alios filios portaturos esse peccata maiorum, nisi qui fuerint illorum similes. Nam si ab eorum prauitate discedant, illorum peccata non portabunt. Annotandum autem est, Odio habere Deum, accipi dupliciter: vel actu, vt loquuntur, quod tantùm adultis conuenit, vel propensione, & vitio in natura iam contracto: quod in paruulis locum habet. At obijciet aliquis, Si intelligamus, Deũ eos tantùm punire, qui maiorum vitia imitantur, quid oportuit addere, In tertios, & quartos: cùm in omnes peccatores, quicunq; illi fuerint, in perpetuũ animaduertendũ sit? Hac obiectione ita permotus est Augustinus, vt diceret, hac forma dicendi, In tertiam, & quartam generationem, intelligendam esse vniuersam posteritatem: numerum enim finitum vsurpari pro infinito. Nam si quatuor adiungas ad tria, existit numerus septenarius: qui pro quouis alio numero poni solet. Ad eundẽ modum scriptũ esse ait in Amos propheta, super tribus sceleribus, & super quatuor non conuertam eum. Atque hanc esse sententiam eius loci: Si quis semel, atque iterum transgrediatur, posse illi Deũ ignoscere: at si quis peccata peccatis cumulet, & ita pergat in immensum, iam Deum ignoscere non posse. Hîc tria, & quatuor scelera ponũtur pro continuatione peccatorum. Sic etiam Deus dici potest animaduertere in tertiam, & quartam generationem illorum, qui eum odio habent: cùm in omnes tales, quicunq; sint, sit animaduersurus. Sed aliter posset responderi, Deum idcirco definiuisse tertiam, & quartam generationem, vt ostenderet, iram suam esse moderatam, & cum benignitate coniunctam: vt pœnas aliquando sustineat, neque pergere velit puniendo. Quanuis alij sunt, qui putent diserte positam generationem tertiam, & quartam, quoniam eò vsque posteri malo exemplo sui proaui fortasis ad peccandum sunt adducti. nemo enim ex maioribus vlterius viuit, nam visa quarta generatione plerunque moriuntur. Ex his videmus, Prophetæ verba nihil pugnare cum lege, sed eam potius interpretari. Idcirco enim ait, filium non portaturum iniquitatem patris, quia Lex ait, eum persequi iniquitatem patrum in filijs, si illi quoq; peccata parentũ imitentur: vt cùm puniuntur, intelligant sua peccata luere, non parentũ. Dicitur autem Deus ideo punire peccata patrũ in eis, quia ab illis inceperunt, & cõtinuata sunt in filios. Quòd si filij non habuissent patres aut auos, qui ita peccassent, fortasse Deus iram suam adhuc sustinuisset: & quemadmodũ maiores eorũ sua patientia pertulit, ita eos quoq; fortasse pertulisset. Sed cùm & maiores illorũ peccarint, & illi ab eorũ exẽplo non discedãt, Deus non vult vlterius differre pœnã, ne curam rerum humanarũ abiecisse videatur, atque ita alij peccent securius. Interim tamẽ qui sic puniunt, non possunt dici innocentes, cùm si quoq; Deum odio habeãt. Neq; his aduersat, quod Christus apud Ioannẽ ait de homine cæco à natiuitate, Neq; hic peccauit, neq; parẽtes: Non enim sensus est eius loci, cæcũ illum immeritò fuisse punitum. Sed tantũ hoc notatur, prouidẽtia Dei in alium finem direxisse vitium illud oculorũ, quàm vt cæcus puniret. Voluit enim vti ea occasione ad illustrandã diuinitatem Christi. Sic Deus distribuit pœnas, vt eis non tantùm peccata puniat, sed etiam alios fines, quos ipse sibi constituerit, consequatur. Atque hæc hactenus de loco propheta: ex qui-

Exemplum Amalec. *Iehezi puer Heliſei.*

Peccata parentum portãt, qui & ipſi Deum oderunt.

Deũ odio haberi dupliciter.

Septenarius numerus pro quouis alio ponitur.

Cur Deus tertiã & quartã generationem definierit.

Deus non uult pluſquàm oportet differre pœnam, ut ne uideatur abieciſſe rerum curam.

De cæco nato.

ex quibus intelligi potest, illum neque cum lege, neque cum definitione à nobis allata pugnare. Imò potius in aduersarios nostros torquenda est huiusmodi sententia, qui filios asserunt reos esse peccati alieni.

Proxima ratio fuit, cùm & anima, & corpus sint opera Dei, & progenitores sæpe sint sancti, & pij, & in scripturis commendentur, & opus generandi, & nuptiæ laudentur, quomodo inter tot præsidia innocentiæ sese peccatum insinuauit? Primùm respondemus cum Paulo, per Vnum hominẽ. Quodq; assumunt, genitores esse mũdos, & sanctos, falsum est. Nam licet pietate sint prædíti, & illis condonatũ sit peccatum originis, quod ad reatum attinet, adhuc tamen in illis remanet natura vitiata, & impura conditio. Itaque naturam, qualem ipsi in se habent, talem posteris tradunt, idq;, vt dictum est, per semẽ, & generationem. Neque id quicquam impedit, quòd quidam cõminiscuntur, corpus non posse agere in spiritum. Non enim dicimus physica actione animam corrumpi à corpore. Sed quum corpus vitiatum sit, resistit animæ: ea verò non confirmata illis dotibus, quas habuit ab initio, eius inclinationi obtemperat, nec, vt par fuit, regit, sed ab eo regitur. Deinde physicæ etiam rationes docent nos, esse sympathiã inter corpus, & animam. Solet enim anima variè affici pro temperatura corporis. Nam qui abundãt flaua, aut atra bili, animo solent esse iracundo, aut mœsto. Quare, cùm hæc argumentatio ex falsis principijs profecta sit, nihil potest concludere. Adducebatur præterea locus ex priore epistola ad Corinthios: Filij vestri sancti sunt. Quare non est probabile, eos peccatum originis contraxisse. Sanctitati enim non conuenit cum peccato. Aliqui exponunt filios Christianorum sanctos esse, quod attinet ad ciuilem rationem: videlicet, quòd habendi sint pro legitimis, non pro spurijs. Sed hoc non conuenit. Ita enim matrimonium Christianorum nihil haberet eximium præ matrimonio infidelium. Nam illorũ etiam liberi ex legitimo matrimonio suscepti sunt legitimi, & fiunt hæredes. Alij sanctitatem exponũt piam educationem. Nam si pius coniunx discederet ab impio, fortasse liberi apud impium relinquerentur, & ita abducerentur à Christo. At si coniuges vnà viuãt, semper pius parens aliquid pietatis instillabit in liberos. Sed ne hoc quidẽ multũ videtur facere ad institutũ Pauli. Nam pia educatio potest illis etiam contingere, qui ex adulterio, aut scortatione suscepti sint. Quod factum videmus in Augustini filio Adeodato. Quare Apostolus significare potius videtur, aliquid sanctitatis in filios à pijs parentibus redundare: quæ tamen à carne non pendeat, sed à promissione data in fœdere. Deus enim pollicetur Abrahamo, se non tantùm eius Deum esse velle, sed etiam seminis eius. Itaque Deus in prophetis paruulos Iudæorum appellat suos: & queritur filios suos, & filias sacrificari Moloch. Nosq; huius promissionis spe freti, paruulos nostros offerimus Ecclesiæ baptizandos, quòd ad Deum, & ad Christum pertineã t: vt promissio, quam iam diximus, aliquo externo sigillo confirmetur. Sed dices: Poteris falli: quia fortasse filius tuus non pertinebit ad numerum electorum. Respondeo, eadem difficultate laborari etiam in adultis. Potest enim fieri, vt quis animo ficto fidem profiteatur, aut humana tantùm persuasione adducatur, aut fidem habeat temporariam, vt re vera ad Electos non pertineat. At ista minister non spectat, sed confessionem tantùm, quam tibi gendus profitetur: Electionem autem Dei dicet, sibi occultam esse: ideoq; se de eo non esse sollicitum, de particularibus se nihil posse statuere: sed generalem promissionem attendere: à qua quanuis multi excludantur, suum tamen non esse eos definire. Ita Paulus loquitur de Iudæis: Si radix sancta, & rami: si primitiæ sanctæ, & conspersio, seu massa. Quibus verbis ostendit Dei dilectionem propensam esse in Iudæos propter promissionem, & propter patres: ob eamq; causam illis deberi salutem. Quamuis ergo hæc promissio indefinita sit, & multi ab ea excludantur, ea tamen nihilominus inconcussa manet. Semper enim aliqui illorum conuertuntur ad Christum, & vsque ad finem conuertentur. Id apparet in Isaacho: cuius semini quum Deus pollicitus esset, se fore propitium, tamen ea promissio in Iacobo solo locum habuit, non in Esau. Neque tamen id obstitit, quò minus Esau circumcideretur. Ita nos fatemur, liberos Christianorum, qui pertineant ad electionem Dei, sanctos esse: sed tamen originis peccatum contraxisse: quòd natura sint filij iræ, sicut cæteri. Quòd si Deus reatum suspendit, eumque illis non imputat ad salutem, id habent ex Dei gratia, & mera misericordia, non ex ipsorum puritate naturæ. Quum ergo illi ex massa corrupta nascantur, & ad electionem pertineant, vtrunque ponimus: & sanctos eos esse, & natura filios iræ. Quare apparet, quemadmodũ hoc argumentum soluendum sit. Sed addunt, in infantibus inueniri nullum dictum, factum, cogitatum contra Legem Dei, atque idcirco eos peccatum non habere. Quàm hîc turpiter errent, apparet ex illis, quæ iam diximus. Hoc enim perinde est, ac si dicerent, Non

Corpus non agit in spiritũ actione physica.

Sympathia inter animam & corpus.

Locus prioris epistolæ ad Cor.

Etiã liberi infidelium ex iusto matrimnio suscepti, sunt liberi.

Pia educatio etiam spurijs potest cõtingere.

Adeodatus Augustini filius.

Aliquid sanctitatis à parentibus redundat in filios ui diuini fœderis.

Qua promissione freti, paruulos nostros baptizãdos tradamus

Locus ad Rom.

Dei promissio indefinita est & uera.

Exemplum Isaachi.

Infantes electi quando nascuntur, simul & sancti sunt, & iræ filij, diuerso respectu.

Paralogiſmus. habent actuale peccatum: ergo nullum habent peccatum. Nam argumẽtari à ſpecie ad genus per negationem, vitioſiſsimum eſt. Falluntur autem, quòd non ſequantur uniuerſalem rationem peccati: quam ita ſuprà deſcripſimus, vt omnia complectatur, quæ aliquo modo aduerſantur Legi Dei. Obijciunt etiam, non rectè dici peccatum originis propagari per ſemen, & carnem, quòd ea ſtupidam, & brutam naturam habeant, ideoq; peccati non ſint capacia. Sed iam diximus, peccatum in illis non eſſe, niſi per inchoationem, tanquam in radice. Tum autem ratio peccati perficiſcitur, cùm anima iam eſt adiuncta. Expoſuimus etiã,

Contra Pelagianos. quemadmodum occurrendum ſit Pelagianis, cùm ea, quæ hoc loco à Paulo dicuntur, de imitatione contendunt accipi oportere. Primùm enim id non poteſt omnibus Apoſtoli dictis conuenire. Dicit enim, Omnes peccauiſſe, &, per inobedientiã vnius, peccatores conſtitutos eſſe multos: quod q; firmius eſt, probauit, ideo ante legem peccatũ fuiſſe in mundo, quòd mors regnaſſet ab Adamo vſque ad Moſen. Erant etiam aliæ rationes, quibus Auguſtinus vtitur cõtra Pelagianos, quas nunc repetere non eſt opus. Adhęc addunt, afflictiones humanas, & mortem ipſam naturalem eſſe: habere enim ea in nobis principia à natura, vnde fluant. Sed reſpondemus, hæc principia non ita fuiſſe comparata, cùm humana natura primùm inſtitueretur: ſed ea poſtea vitiata fuiſſe, & corrupta, qualia nunc videmus eſſe. Philoſophi effecta ea, quæ vident, reſoluũt in hæc principia, quæ nunc extant. Sed ea Chriſtiani potius reſoluunt in Verbum Dei. Cùm igitur ſcriptura doceat, mortẽ ingreſſam eſſe per peccatũ, &, hominẽ, vt erat creatus, potuiſſe ſemperviuere, videat Pigghius, & qui illum ſequuntur, quàm verè, & piè aſſerant, mortem homini accidere à natura. Addunt etiam, id non debere vitioverti, quod euitari non poſsit. Atqui hoc ex eo falſum eſſe deprehenditur, quia Lex propoſita nobis eſt, quam abſolutè perficere nemo poteſt, aut omnes lapſus ad-

Contingẽs & neceſſariũ non ingrediuntur peccati rationem. uerſus eam euitare. In expendendis peccatis non quęrendum eſt, cõtingenter ne, an neceſſariò quidq; factum ſit: ſed tantùm pugnetne, an conueniat cum lege Dei. Hac trutina peccatum expendendũ eſt. Quare leue, ac nugatoriũ eſt, quod aduerſus nos de neceſsitate affe-

An peccata proximorũ parentum in poſteros deriuentur. runt. Poſtremò obijciunt, ſi peccatum primorũ parentum deriuatum ſit in poſteros, rationem inueniri nullam poſſe, cur non aliorum etiam parentũ peccata in poſteros eodem modo traducantur. Quod ſi damus, id ſecuturum putant, quod ſit abſurdiſsimũ, miſerrimã ſo-

Scholaſticorum ſententia. re noſtram conditionem, qui hoc poſtremo tempore nati ſimus: In nos enim non tantùm primorũ parentum, ſed etiam omnium maiorum noſtrorũ peccata deriuatum iri. Exiſtimant ſcholaſtici, fieri nõ poſſe, vt peccata proximorũ parentũ tranſeãt in filios. Idq; vt dicãt, induci videntur duabus maximè rationibus. Quarũ prior eſt: proximi parentes tantùmodò naturam liberis cõmunicãt, & ea alia, quæ naturã per ſe comitantur: ſingulares autẽ conditiones, & accidentia, niſi ea fortè ad corpus pertineant, non cõmunicant. Morbi enim ſepe auiti, vt lepra, aut podagra tranſeunt in liberos. Animi verò qualitates non propagant, nec ad procreationem pertinent. Grammaticus enim Grãmaticum non procreat, nec Muſicus Muſicum. Quare, quum peccata pertineant ad animum, aiunt ea à parentibus non poſſe propagari. Altera ratio eſt, Primi parentes iuſtitiam originalem habuerunt: quæ non tantùm in animo ſita fuit, verùm etiam in corpore, & in membris. Ideóque generando potuerunt carentiam huius iuſtitiæ in liberos transfundere, quum ea in corpore, & in carne hæreret. At peccata actualia, quæ poſtea ſequuta ſunt, quum ad animum pertineant, non poſſunt in filios propagari. Auguſtinus tamen in Enchiridio ad Laurentium capite

Auguſtinus putat parentũ proximorũ peccata filijs cõmunicari. 46. probabile ait eſſe, peccata etiam proximorum parentum communicari cum filijs. Ad quod probandum componit inter ſe duo loca ſcripturarum, à nobis antè tractata: Quòd Deus ait, ſe velle perſequi peccata patrum in filios in tertiam, & quartam generationem: quum alio loco dicat, Filium non portaturum iniquitatem patris. Si filius, inquit, non portat iniquitatem patris, ſed ſuam, & tamen Deus perſequitur in eo peccatum patris, oportet, vt filius ipſe peccatum illud in ſe habeat: Alioquí hæc loca inter ſe non conuenirent.

Peccatũ nõ tantùm animũ, ſed etiã corpus uaſtat. Peccatum itaque ſua natura ita factum eſt, vt non tantùm animum hominis vaſtet, verùm etiam corpus, carnem, & membra deprauet. Itaque Paulus ad Corinthios ait, Corpora noſtra Templa eſſe ſpiritus ſancti: & grauiter comminatur, ſi quis templum Dei deſtruat.

Iuſtitia Dei non eſt arguenda, ſi peccata patrum in liberos transfundantur. Si ergo Deus puniat peccata parentum in filijs, & filius alienam iniquitatem non portat, ſed tantũ ſuam, ſequitur paruulos impiorũ hominũ, cùm affliguntur, vt patres in illis puniãtur, aliquid in ſe habere paternę prauitatis. Neq; hîc cuiquã cõquerendũ eſt de iuſtitia Dei. Nam ſi Deus incorruptiſsima ſua iuſtitia poteſt eos, qui peccãt, in reprobũ ſenſum tradere, & peccata peccatis punire, cur nõ etiã iuſtè velit, peccati corruptionẽ non tantũ animũ pervertere, ſed etiã eius impuritatẽ in corpus quoq; redũdare? Vnde qui generant ex peccatoribus

talem

talem naturam ex illis contrahunt, qualem in illis reperiunt. Atque hac sententia homines ad monentur, vt sanctè viuant, neue & animos suos, & corpora polluant, eademq; opera filios quoque suos inficiant. Si hoc, vt iam diximus, constituatur, queret quispiam, quid discriminis sit inter peccatum originis, & illud quod à proximis parentibus contrahitur? Respondemus, propagationem originalis peccati esse perpetuam, quemadmodum sacræ litere docent: aliorum verò peccatorum continuationem non esse necessariam. Aliquando enim à proximis parentibus nihil vitij transmittitur ad liberos, excepto peccato originis. Videtur enim Deus modum præfixisse, ne malum grassetur in immensum, & hanc mali propagationem suspendere. Idq; experientia docet. Nam Ezechias sanctissimus princeps, parentē habuit Regem Achaz hominem nequissimum: idemq; vicissim Ammonem genuit, filium sceleratissimum & is Manassen adhuc se peiorem. Vel si à parentibus peccatorum initia & inchoationes, transfunduntur in liberos, Deus illis quandoque tantum gratiæ, & fauoris & virium suppeditabit, vt illa superare possint. Sed hac via ista nihil differunt ab originali peccato. Nam sanctis gratia confertur, vt illud quoque possint vincere. Deinde, cùm Deus ex malis parentibus det bonos filios, declarat vim bonitatis suæ, qua turpitudinem, & fœditatem parentum reprimit, ne emanet in filios. Et vicissim, cùm ex bonis parentibus efficit, vt procreentur filij mali, hoc cauet, ne sanctitas filiorum meritis parentum tribuatur. Nō enim possunt gratiam per procreationē corporis transfundere in liberos: cùm sit res omnino spiritualis, neq; cum carne habeat naturale commercium. Vnde, cùm probitas, & sanctitas sit merum purumq; donum Dei, pollicetur quidem Deus, se benefacturum posteris piorum hominum in mille generationes. At id non est intelligendum, quasi aliquid meriti in maioribus constituatur. Nam Deus ex sola misericordia inductus est, vt hoc polliceretur, non hominum meritis. Vt autem declaret libertatem suam, interdum secus patitur euenire: eademq; opera docet, sanctos parentes non ita esse sanctos, quin adhuc multum in se prauitatis, & corruptionis habeant, quod in liberis suis videant ingenerari. Ex quo naturæ nostræ vitiū, quod etiam sanctos ad mortem vsq; comitatur, agnoscere possumus. Pro hac sententia magis adhuc stabilienda adducunt aliqui ex Psalmo Ecclesiæ imprecationem contra filios impiorum, Vt orphani sint, vt illorum nemo misereatur, vt victum emendicent. Si innocentes sunt filij impiorum, non est iusta hæc precatio. Quare ex his verbis videtur necessariò colligi, eos parentum sceleribus communicare. Quoniam autem paruuli sunt, id alia ratione, quàm per propagationem fieri non potest. Scio, nonnullos esse, qui hæc verba Dauidis velint esse vaticinia rerum futurarum: quibus spiritus sanctus prædixerit, hæc infortunia illis fuisse euentura. Sed demus esse vaticinia. Negari tamen non potest, esse in illis & formam, & affectum precationis. At precationem iustam esse oportuit: nam alioqui non fuisset precatio. Quòd verò dicunt, absurdissimum esse, quod ex hac doctrina consequatur, videlicet, vltimos quoque homines fore aliis omnibus miseriores, quòd & Adami, & omnium maiorum suorum peccata ferre debeant, id duplicem habet responsionem. Primùm enim, non omnia, quæ nobis absurda videntur, absurda sunt etiam apud Deum. Nam ne ab hac ipsa re discedamus, Christus minatur Iudæis, omnem cædem piorum, ab Abelo vsque ad Zachariam filium Barachiæ venturam fuisse super eos. Et quis non videat, miseriorem fuisse conditionem filiorum Israel, qui abducti sunt in captiuitatem, quàm eorum maiorum permultas generationes, qui eisdem peccatis se contaminauerant. Deinde respondemus, fore quidem illud absurdum, si perpetuò peccata maiorum transirent in filios. Sed cùm docuerimus, id non semper fieri, sed Dei prouidentiam huic malo finem, & modum constituisse, eoq; definite pronuntiasse tantùm de tertia, & quarta generatione, nihil est, quòd cuiquam videri debeat absurdum. Scholasticorum verò rationes, quibus hanc propagationem oppugnant, valdè sunt imbecillæ. Primùm sumunt sibi, animi qualitates à parentibus non communicari filijs, Quod esse falsum experientia ipsa docet. Videmus em̄ sepe nasci iracundos ex iracundis: tristes ex tristibus. Neq; illud simile huc quicquam pertinet, quod aiūt, ex Grammatico non nasci Grammaticum, aut ex Musico Musicum. Iste enim sunt artes, que præceptis & exercitatione comparantur: non affectiones, quæ hominibus innascantur. Et tamen experientia fieri videmus interdum, vt in qua arte pater maximè excellat, ad eam propensos habeat filios: siue ea agricultura sit, siue militia, siue scientia liberalis. Deinde nos hoc loco de illis affectionibus potissimùm agimus, quæ sunt inchoationes, & principia actionum. In altero argumento aiunt, peccatum in parentibus animum tantùm vitiare. Quod non est verum. Nā, vt suprà docuimus, corpus quoque illorum contaminatur. Itaque mirum non est, si patres huiusmodi corpus transmittunt ad liberos. Quare, quod ad hanc rem attinet, libenter assen-

Sanctè uiuēdum à parentib. ne filios peccatorum participes procreent.

Peccatū originis et uitia proximorū parentū quid inter se discrepent.

Deus peccata proximorū parentū interdū suspēdit ne ad liberos trā smittantur.

Cur Deus ex malis bonos filios et ex bonis malos nasci patiatur.

Gratia nō potest in filios à parentibus deriuari.

Deus promisit se benefacturum filijs piorū sed nō propter parentū merita.

Alia ratio cur deus ex bonis malos gigni patiatur

Imprecatio contra filios impiorum.

An posteriores homines prioribus sint miseriores.

Quæ nobis uidētur absurda non sunt apud Deum absurda.

Ad rationes scholasticorum.

Animi affectus à parentibus communicātur liberis.

Peccatū & animum & corpus contaminat.

tior Augustino, probabile esse, & scripturis cõsentaneum, Istamq; sententiam Martinus Bucerus vir doctissimus iuxtaq; sanctissimus probauit, vitia priuata in filios propagari à parentibus. Sed notandum, hoc esse contingens, non necessarium. Nam Deus quandoque parentum peccata suspendit, & pro sua bonitate non patitur naturam hominum prorsus perdi. Quando autem traducem istam peccatorum aut reprimere velit, aut sinere locum habere, ipse solus nouit. Nobis tamen satis est, hæc duo considerare: primum, peccatum à parentibus diffundi in liberos: alterum, id Dei beneficio interdum prohiberi. Quod tamen de peccato originis dici nullo modo potest. Omnes enim eo infecti nascimur. Nunc ad Apostoli verba, quæ tantisper intermisimus, redeamus.

Cæterum Lex obiter subijt, ut abundaret delictum. Vbi uerò exuberauit peccatum, ibi magis exuberauit gratia.

Methodus Pauli

Ad memoriam reuocare debes, cæpisse Apostolum commemorare iustificationis effectas: nempè, nos per illam habere pacem apud Deum: nosq; gloriari, non solùm ob spem gloriæ illius, sed etiam in tribulationibus, quòd de salute nostra certi simus. Ad quam spem confirmandam exposuit, Deum dedisse filium suum in mortem, idq; cùm adhuc essemus peccatores, inimici, impij. Néue esset obscurum, quo pacto Christi iustitia posset nos seruare, ostendit per collationem, quemadmodũ per Adami peccatum omnes perierunt, ita per Christũ omnes reuixisse. Et in hac collatione docet, effectum peccati mortem esse: Et homines ab eo tantùm per Christum eripi. Nunc, quoniam posset aliquis interrogare, vtrum ne Lex aliquid contulerit ad eam salutem assequendam, respondet per occupationem, eam auxisse

Lex non liberat sed potius morbum auget.

potius morbum, tantùm abesse, vt potuerit homines ab eo liberare. Et obiter deijcit ludæorum supercilium, quòd importunè iactarent Legem, quasi ea sola hominẽ beare posset. Nomine autem Legis certum est, eum non naturalem Legem intelligere, sed eam, quæ lata est per Mosen: cuius inter alios fines is vnus fuit, vt per eam peccatum augeretur: vt eo supra modum aucto gratia quoque vehementer exuberaret. Sciendum tamen est, has peccati accessiones, non Legis, sed hominum vitio accidisse. Nam si Lex in sana ingenia, & naturam confirmatam incidisset, sanæ ex ea actiones emanassent. Sed cùm ingenium nostrum morbidum sit, & natura infirma, necesse est, vt Paulus ait, Lege accedẽte, peccatum augeri. Nam quemadmodum equi vmbris, & omnibus rebus inusitatis ita perterrefiunt, vt sæpè retrocedant, seq; in fossas, & flumina præcipitent, ita nos, cùm habemus obuia præcepta Dei, resilimus, & in barathrum nostrarum cupiditatum nos conijcimus potius, quàm vt Legi velimus obtemperare. Chrysostomus nõ vult, particulam, ἵνα, hoc loco esse causalem: sed eam tantùm notare euentum rei. Id nos quoque concedimus, si referatur ad naturam Legis. Nã, cùm ea sua natura bona sit, non potest dici, per se ipsam augere peccatum. Sed si spectemus consilium Dei, quo Legem tulit, non video, cur non ea particula possit accipi causaliter. Nõ enim dubitandum est, Deum idcirco tulisse Legem, quo peccatum augeretur. Et ne absurdum videatur, id ascribi prouidentiæ Dei, dicimus, Deum multos habere fines, eosq; omnes ordinatos: ideoq; non oportere in vno aut altero consistere, sed ad vlteriora progredi.

Acceßiones peccati non legis sed hominum uitio contigerunt.

Simile.

Non oportet in proximis finibus subsistere.

Nam ipsa Dei prouidentia fines huiusmodi ad subsequentes fines dirigit. Quare non possumus ita colligere: Deus tulit legem: ergo, peccatũ illi simpliciter, & ex sua natura placuit: sed statim subijcere oportet, id qd Paulus facit, aucto peccato, gratia exuberauit: & homo iustitiam, & vitam æternam habuit. Ita rectè concluditur, Legem ideo fuisse latam, vt homo denique per gratiam seruaretur. Idem alio exemplo doceri potest: Cùm dicitur, Dei prouidentia esse constitutum, vt homicidium plectatur pœna capitis, non possumus ex eo colligere, Deum crudelem esse, vt qui morte delectetur, quòd cædem cæde vlcisci velit. Sed longius progrediendum est, ideo constitutum esse, vt homicida afficiatur capitali supplicio, quo seueritas diuinæ iustitiæ appareat, vtq; homines ita admoniti à tali facinore sibi temperent.

Lex lata est ut homo per gratiã seruaretur.

Simile.

Paulus singulari numero dixit, Peccatum, alludens ad naturæ nostræ prauitatem, quę Lege semel posita, ita crescit, vt in mala opera innumera erumpat. Ex qua locutione manifestum est, quod suprà diximus, legem aduersari naturali cupiditati. Ex eo autem, quòd Paulus ait, *Legem subintrasse*, Chrysostomus colligit, illam non oportuisse esse perpetuam, sed tantisper solùm durare, quoad aucto peccato gratia exuberaret. Id aliquo modo verum est. Nam quòd ad Decalogum attinet, is in hominibus renatis in Christo, & ornatis gratia, quatenus quidẽ eiusmodi sunt, vim accusandi, & condemnandi non habet: quod autem attinet ad ceremonias, ea pars Legis prorsus iam abrogata est: imò ne iudicia quidem politica vim suam antiquam obtinent. Ambrosius verò vocem illam, *subintrauit*, diligentius expendit: eaq; putat significari, Legem ita fuisse susceptam, quasi homines existimarint, se per eam fore seruãdos: ita enim eos cogitasse, si semel cognouissent, quæ essent agenda, se illa facilè esse præstituros.

Lex non futura erat perpetua.

Sed

Sed longè aliter cecidit. Additq; Ambrosius, Si Lex ideo subijt, vt abundaret delictum, iudicari posse, eam non fuisse ferendam, ne peccatum augeretur: ex altera tamen parte eam fuisse necessariam, quòd Lex naturæ in hominibus quodammodò extincta esset. Ita enim inquit eam elanguisse, vt officium suum homines præstare non possent. Vt ergo lex naturæ robur aliquod acciperet & foueretur, accessisse legem Dei: quæ illam non tantùm confirmauit, sed etiam luculenta expositione illustrauit. Nunc verò ad legem latam oportet, vt adiungamus nostrum studium, eamq; diligenter tractemus, & nocte, dieq; meditemur. Similem loquutionem habemus in epistola ad Galatas: Lex propter transgressionem data est. Nunc videndum est, quibus modis peccatum sit auctum per Legem. Primùm scire debemus, hoc esse ingenium cupiditatis nostræ, vt præceptis Dei compesci non possit: imò illis potius irritetur. Vnde illud est, quod iactari solet, Nitimur in vetitum semper, cupimusq; negata. Et vt flumina satis alioqui tranquilla, & placida, tamen cùm incurrunt in aggerem, aut saxum, intumescunt, & æstuant, & quasi collectis viribus omnia obstacula pulsant vehementius, & auferunt: Ita nostræ cupiditates, cùm impediuntur Legibus, & edictis Dei, effrenatius, & insolentius concitantur, nosq; veluti furore quodam præcipites agunt in transgressiones. Atque ita per ἀντιπερίσασιν augeri dicitur cupiditas, cùm illi frenum Legis imponitur.

Cur lex fuerit necessaria secundum Ambrosiũ.

Quomodo peccatum sit auctũ per Legem.

Nostra cupiditas præceptis diuinis irritatur.

Quare Cicero in Oratione pro Roscio Amerino ait, Solonem in suis Legibus nihil statuisse de parricidio, quòd, cùm illud scelus antea nunquam accidisset, vereretur, ne, si Legem de eo tulisset, homines incitaret potius ad illud, quàm reprimeret. Alia etiam ratione Lex auget peccatum, quòd qui prudens, & sciens peccat, grauius accusandus est, quàm qui peccat imprudens. Lex naturæ ita iam erat collapsa, vt ad multa conniueret. Nam apud multos cupiditas non habebatur pro vitio. Imò fœlices videbantur, qui consequi potuissent, quod cõcupiuerant. Sed cùm de cœlo insonuisset, Non concupisces, cœpit homo animaduertere, cupiditatem inhonestam, & fœdam esse. Itaq; cùm vellet cum ea bellum gerere, destitutus viribus, vt ait Augustinus, non victoriam, sed captiuitatem inuenit. Vidit enim iam se illius esse mancipium. Adhæc ideo augetur peccatum per Legem, quoniam in ea videmus pœnas & supplicia proposita peccantibus. Quò fit, vt homines male sibi conscij resiliãt à Deo, quasi à seuero iudice, aut crudeli carnifice. Vbi verò illum semel odisse ceperint, sese in quod uis potius malum præcipitant, quàm vt in illum incurrant. Quartò Chrysostomus ait, Legẽ naturæ paucula, & breuia quædam præcepta continere, quæ à Lege Dei sint amplificata: illam enim ea pauca distinxisse in multas partes, vnde auctus sit cumulus præceptorum. Et quoniam cuique mandato propria transgressio aduersatur, idcirco videri multiplicata etiã esse peccata. Neque tantùm Lex his modis, quos diximus, auget peccatum, sed etiam illud accusat, & damnat. Vnde in priori ad Corinthios ait, Legem esse vim peccati, quòd, qui peccant, per eam rei peraguntur. Non autem ista ita accipienda sunt, quasi nullum peccatũ fuerit ante Legem. Nam fuit quidem, sed consopitum, & semimortuum. Itaque Paulus in 7. ca. huius epistolę ait, Cùm accessisset præceptum, peccatum reuixit. Quę verba indicant, prius quoq; fuisse peccatũ, quamuis nõ sentiretur. Animaduertendũ præterea est, connexionẽ inter Legem, & augumentũ peccati vniuersalẽ esse, & ad omnes homines pertinere: illã verò, quæ est inter peccatũ auctum, & gratiam exuberantẽ, non habere locũ, nisi in electis, & præ destinatis. Nam in reprobis, postquã auctum fuerit peccatũ per Legem, dolor & tristitia ex eo nata parit desperationem. Istæ enim nõ sunt integrę causæ salutis, verùm instrumẽta, quibus Deus vtitur ad suos eripiendos. Instrumentorũ verò ea natura est, vt si ab eis vim præcipui agẽtis remoueas, nihil per se efficiant. Vtitur quidẽ Deus lege, sensu peccati, & pœnarũ terroribus, quibus gradum aliquẽ faciat ad iustificationem. Et quamuis ea ante cõuersionẽ sint peccata, præparat tamen illis animos nostros: non tamẽ eo præparationis genere, quod Sophistæ sibi finxerunt, Nam illi definiunt, hominem his medijs mereri gratiam, vt loqui solent, ex congruo: quod alibi docuimus alienum esse à scripturis sacris. Fatemur autem præparationem esse ex parte Dei: quia istis medijs, quorum aliqua sua natura mala sunt, abutitur, eaq; ad bonum finem dirigit: quod soli illius sapientissimæ prouidentiæ acceptum ferre debemus. Exuberasse autem gratiam, vel hoc docere potest, quòd Electi nõ tantùm remissionem consequuntur per Christum, sed etiam adoptantur in filios, efficiuntur fratres Christi, hæredes Dei & coheredes Christi, & gloriantur in tribulationib. & in spe gloriæ Dei. Facitq; Deus, quod solent præstantes medici: qui nõ solùm morbũ curant, sed etiam robur, & spem addunt, quam ægrotus ante non habuerat. Sed videtur magis consentaneum, vt Paulus diceret, aucto peccato exuberasse pœnas, & supplicia. Id enim peccata promerentur. At ille orationem inuertit, & pro pœnis, & supplicijs gratiã ait exuberasse. Id primùm nos nostro

Quiscies & prudens peccat grauius accusatur.

In lege uidemus pœnas & supplicia peccatorum. Per legem Mosis lex naturæ distincta est et permulta capita adducta.

Ante legẽ peccatũ erat sed cõsopitum & semiuiuum.

Peccatis auctis exuberare gratiam non esse uerũ in omnibus.

Lex et accessiones peccati non sunt integræ causæ salutis.

Quæ sit natura instrumentorum: Deus quibuslam nos mediis præparat uel adducit ad regenerationem.

Error Sophistarũ Deus malis utitur ad nos nostram salutem.

Quomodo gratia dicatur exuberare.

Paulus orationẽ inuertit.

sensu experimur esse verum: Nam qui prius eramus oppressi dolore, & confecti quodã mo
do peccatis, cùm nos videmus reconciliatos esse Deo, non possumus nõ id habere pro sum
mo beneficio. Is enim, cui plus dimittitur, cùm maius donũ sentiat, plus diligit. Deinde vul
gus solet æstimare dona pro ratione antecedentis necessitatis. Vnde cùm peccatum auctũ
fuerit quodammodo in immensum, immensam ferè oportuit esse gratiam, quę illud deleret.
Ex hoc loco intelligere possumus, quid sit, Euangelium hominibus fractis, & miseris prędi
cari: quod est apud Esaiam: quodq; Christus inuitabat ad se eos, qui laborarent, & onerati
essent. Nam qui se tales non sentiunt, ad eum vocantem non accedunt. Hîc pauca mihi ad
dere visum est de natura Legis, & vnà ostendere, quemadmodum eam Manichæi, & Pela
giani non intellexerint: quidq; ea in nobis agat vel ante regenerationem, vel postquam iu
stificati sumus. Primùm, de forma eius idem videtur dicendum, quod Paulus ait in hac e
pistola, cùm eam scribit esse spiritualem. Finis autem eius vniuersalis, & ad omnes pertinẽs
est, vt homines adducat ad notitiam peccati. Quod Paulus & hîc innuit, & antea manifestè
docuit, per Legem, inquiens, esse cognitionem peccati. Hîc si quæras, Cur Apostolus non
potius dixerit, per Legem esse notitiam iustitiæ, respondeo, quia homo nondum regenera
tus, quandiu est extra Christum, non potest in se habere sensum bonorum operum, aut verę
iustitiæ, quæ Legi diuinæ satisfaciat. Itaque cùm facta sua confert cum Lege, lapsus tantùm,
& trãsgressiones deprehendit. At si loquamur de fine legis, quod ad electos attinet, is Chri
stus est: quod Paulus etiam docet, Finis, inquiens, Legis est Christus ad salutem: quod tamẽ
non dicit in vniuersum, sed omni credenti. Neque enim Lex ipsa per se ad hunc finem per
ducit. Ethnici dixerunt, finem Legis esse notitiam, quã parit de rebus agendis. Vnde Chry
sippus, vt citatur in digestis, ait, Legem esse notitiam rerum diuinarum, & humanarum. Sed
hic finis, & hæc definitio nimis late patet. Omnis enim sapientia, omnesq; bonæ artes noti
tiam aliquam diuinarum, aut humanarum rerum tradunt. Iam supereſt, vt diligenter vide
mus, quæ sit materia, & efficiens causa Legis. Ea vt breuiter complectar, dico, Legem esse
iussum Dei, quo & voluntas eius, & ingenium, siue natura exprimitur. Cùm iussum dico, ge
nus attingo: sunt enim iussa populi, Senatus, Regum, Imperatorum. Sed cùm dico, Dei, ad
do differentiam, quæ notat causam efficientem. Quod autem dico in Lege explicari volun
tatem Dei, id apertius est, quàm vt explicatione indigeat. Sed obscurius fortasse videri po
test, quod dixi in Lege doceri nos de ingenio Dei, & ad eius naturæ notitiam incitari. Ideo
id exemplis illustrabimus. Cùm iubet nos Deus, vt se amemus, docet, se esse naturæ amabi
lis. Non enim iustè amari possunt, nisi quæ digna sunt, quæ amentur. Et nisi ipse bene erga
nos afficeretur, non proponeret nobis summum bonum, quod amaremus. Quare hoc ideir
co suadet, quia cupit, nos participes esse sui. Videmus ergo talem esse eum erga nos, quales
etiam nos esse cupit. Et cùm prohibet, ne occidamus, primùm declarat voluntatem suam:
deinde eum se Deum esse ostendit, qui à violentia & ab iniurijs abhorreat, potiusque
malit hominibus benefacere, quàm eos malis afficere. Eadem ratione in reliquis quoque
præceptis hæc duo possent, demonstrari. Atque ex hac definitione illa quoque colligi
possunt, quæ suprà de forma Legis, & fine diximus. Quia necesse est, talem doctrinam
& spiritualem esse, & notitiam eximiam parere. Docemurq; non leue beneficium à Deo
per illam hominibus collatum esse. Efficit enim, vt, & nos ipsos norimus, & Dei proprieta
tes intelligamus. Plato in libris de Legibus, de Republica, & in Minoe, videtur talem consti
tuere definitionem Legis, vt sit recta gubernandi ratio, quæ dirigat in optimum finem per
media commoda, proponendo transgressoribus pœnas, & obedientibus præmia. Hæc defi
nitio diuinæ Legi optimè potest accommodari. Imò eiusmodi Lex non potest, nisi ex Deo
esse. Itaque non est mirum, si veteres legislatores, cùm vellent Leges suas cõmendari, Deũ
aliquem simularint illarum authorem. Minos enim suas in Iouem retulit, Lycurgus suas
in Apollinem, Solon, & Draco suas in Mineruam, Numa Pompilius suas in Aegeriam. No
stram verò Legem certò scimus ex sacris literis, à Deo per Mosen in monte Sina fuisse latã.
Atque his ita constitutis de natura, & definitione Legis, facilè intelligere possumus, quàm
turpiter Manichæi aberrarint, qui eam blasphemabant, & tanquam malam execrabantur.
Cùm enim Lex non præcipiat, nisi præcipienda, nec prohibeat, nisi prohibenda, quomodo
potest iuste accusari? Nullum enim iustum, aut honestum officium potest inueniri, quod di
uina Lege non commendetur: nihil turpe, aut inhonestũ, quod non in ea interdicatur. Nec
solùm praue facta Lege prohibentur, verùm etiam cupiditates praue damnantur. Quare ea
indicat, non solùm externa opera, verùm etiam animum, & voluntatem esse corrigendam.
Et cùm bona pars fœlicitatis in agnoscendo Deo posita sit, & Philosophi tantopere laudẽt
nostram

Quid est Euãgelium prædicari miseris.

De natura Legis Manichei & Pelagiani eam non intellexerunt.

Non per se ipsam Lex adducit ad Christum & salutem.

Ethnicorum sentẽtia de fine legis

Quid Lex.

Lex nobis imprimit ingenium & naturam Dei.

Legis beneficia.

Platonis definitio

Legislatores deũ fecerunt authorẽ suarum legum.

Manichæi legem improbè damnabant.

Nil rectum nisi quod à lege dei non præcipitur aut non prohibeatur.

Lex non tantũ facta sed voluntatem requirit.

Lex notitiam dei & nostri tradit.

noſtram ipſorum cognitionem, Dei autem Lex, vt docuimus, vtrunque præſtet, non poteſt abſque graui flagitio, quaſi mala, & pernicioſa reprehendi. Poſſet tamen iſte locus, in quo dicitur, Legem ingreſſam eſſe, vt peccatum exuberaret, videri, nõ nihil facere pro Manichęis: vt illud etiam ad Galatas, Legem ob tranſgreſsiones fuiſſe poſitam: & illud in 7. cap. huius epiſtolæ, peccatum per mandatum occidere: quodq; in ſecunda epiſtola ad Corinthios dicitur, Legem eſſe miniſterium mortis. Hæc omnia videntur Manichæorum errorem confirmare. Verùm diligenter oportet ſecernere ea, quæ Legi per ſe conueniunt, ab illis quæ eam per aliud ſequuntur, & per accidens. Nam, vt ſupra docuimus, peccatum, mors, damnatio, & alia huius generis oriuntur ex lege, propter vitium naturæ noſtrę. At ſi Legem non compares ad noſtrum ingenium, ſed eam per ſe ipſam ſpectes, aut ſi eam ad ſanam, & incorruptam naturam referas, nõ potes aliud de illa pronuntiare, quàm quod Paulus ait, eſſe eam ſpiritualem, ſanctam, bonam, & ad vitam fuiſſe inſtitutam: peccatum autem potius indicare dicenda eſt, quàm facere. Vnde, ſi homines deformes in tenebris delitescentes cuipiam inferenti fortè lucernam dicerent, aufer te hinc, ne tuo iſto lumine nos deformes reddas, certè ex illorum verbis non colligeremus, eam eſſe vim, & naturam luminis, vt homines poſsit deformes reddere: ſed hoc potius, ea, quę per ſe ſint deformia, prodi à lumine, & indicari. Ita prorſus ſe Lex habet. Lucem enim infert quodammodo, & peccata, quæ prius latebant, ad notitiam noſtram profert. Sed dicet quiſpiam: Si lex bona eſt, & ſancta, cur ita diſplicet, & odio habetur? Quoniam reuocat homines ab his, ad quæ ſua natura propenſi ſunt. Dolent enim, ea ſibi interdici. Cumq; Legem intuemur, videmus quæ nos facere oporteat: quæq; nobis inſita eſt, & innata ſuperbia, nollemus conſtringi vllis regulis. Deinde videmus actiones noſtras diſtortas eſſe à recto, quod in lege proponitur: Quodq; eſt moleſtius, adeo nos infirmos experimur, vt eas corrigere non poſsimus, & ad normam præſcriptam reuocare: pœnas tamen interim intuemur, & iram Dei, in quam propter peccata incurrimus. Hæc omnia ita offendunt animum noſtrum, vt iraſcamur, nõ quidem nobis, & peccatis noſtris, vt par erat, ſed legi à Deo latæ: cùm ea alioqui integerrima ſit, & ſanctiſsima. Poteſt tamen ſuccurri huic incommodo, & effici, vt ea quæ antea diſplicuerat, poſtea placeat. Id autem fiet, ſi legem vnà cum Chriſto coniungamus. Quemadmodum enim aquę Marath fuerunt populo Iſrael in deſerto amariſsimę, eędem tamen iniecto ligno, quod Deus indicauerat, redditæ ſunt dulces, Ita quamuis lex per ſeipſam amara ſit, tamen adiuncto Chriſto, quem Deus propoſuit nobis vnicum ſeruatorem, & debitum iuſtumq; eius finem, iam dulcem eam eſſe ſentiemus. Quod Dauidi vſuueniſſe, manifeſtè declarat pſalmus 119. in quo mirificè legis diuinæ laudes prædicantur. Dicitur enim ſuauis, iucunda, dulcis ſupra mel & fauum. Atque hoc eſt, quod in Propheta promittitur nobis, Deum ſcripturum eſſe legem in cordibus noſtris: quod non eſt aliud, quàm eum nobis ſpiritum Chriſti eſſe daturum, per quem ad ea inclinemur, quæ Lex facienda præcepit: vt menti ſaltem noſtræ Dei mandata iucunda ſint. Quod Apoſtolus etiam docet, cùm ait, Mente ſeruio Legi Dei. Hoc regenerati experiuntur, qui licet perfectam obedientiam mandatis Dei exhibere non poſsint, amant tamen ea, & vehementer deſiderant, eaq; vt ſummum bonum exoſculantur, & à Deo aſsiduè precantur, vt ad eorum abſolutionẽ poſsint quàm proximè accedere. Ex his apparet, quomodo vtilitas, & iuſtitia legis defendenda ſit contra Manichæos. Sed non minus ex altera parte Pelagiani, qui plus æquo Legi tribuunt, cauendi ſunt. Eam enim illi ſatis eſſe ſtatuunt ad ſalutem. Aiunt enim, homines, ſi ſemel intellexerint, quid faciendum ſit, naturæ ipſius vi poſſe illud facilè perficere. Itaque Pelagius, ne à Palæſtinis epiſcopis damnaretur, vt qui prorſus negaret gratiam Dei, eam verbo quidem confeſſus eſt. Affirmauit enim, vt ſeruemur, opus eſſe gratia Dei. Sed per gratiam nihil aliud intellexit, quàm naturam ipſam nobis à Deo gratis conceſſam, quòd facti ſimus à Deo rationales, & prædiți libero arbitrio. Deinde gratiã eſſe dixit Legem ſiue doctrinam: quòd ex nobis ipſis ignoremus, quæ agenda credendáue ſint, niſi ea nobis Deus reuelet. Vnde Auguſtinus ſcribit in libro de gratia Chriſti contra cœleſtium, eos prædicare poſsibilitatem naturæ adiuuari gratia. Sed addit, Si examinentur, & penitus excutiantur eorum ſenſus, eos per gratiam, doctrinam, & Legem, nihil aliud intelligere, quàm hominem, accepta tantùm cognitione Legis, ſatis ex ſe habere virium ad faciendũ imperata. Ad quem errorem proximè accedunt Theologi Scholaſtici, cùm docent, hominem vi ipſa naturæ ſeruare poſſe præcepta Dei, quod attinet ad ſubſtantiam operis, quamuis non ad intentionem præcipientis. Quibus verbis hoc ſignificant, nos poſſe opera ipſa præſtare, quamuis non ita, vt Deus ea iuſsit fieri, videlicet, ex charitate, & ſpiritu. Quam poſteriorem partem eos arbitror addidiſſe, vt viderentur aliquo modo

Quæ legi coniunguntur per ſe & quæ per accidens inter ſe diſcernenda.

Simile.

Cur Lex odio habeatur.

Nõ iraſcimur nobis ut decebat ſed legi & Deo.

Quì poſsit nobis lex Dei placere.

Chriſtus adiũctus legi eam dulcem reddit.

Laudes Legis in pſalmis.

Quomodo Lex Dei ſcribatur in cordibus.

Pelagiani plus æquo legi tribuũt quã ſatis eſſe ad ſalutem putant.

Pelagius aliquãdo gratiã dei uerbo non re confeſſus eſt.

Per gratiam Pelagius intellexit naturam & legẽ

Scholaſtici ad Pelagianos quàm proximè accedũt.

Ne regenerati quidem ualent perfectè legem Dei obseruare.

à Pelagianis discrepare. Augustinus verò ita abhorruit ab huiusmodi sententijs, vt ne regeneratis quidem in hac carne viuentibus concedat perfectum obseruationem mandatorum Dei: quod ex eius Retractionibus liquido apparet. Idque eum verissimè sensisse, Paulus docebit in 7. capite huius epistolæ. Certè si ita se res haberet, vt Pelagius docuit, Christi aduentu, & sacrificio crucis nihil erat opus. Hæc enim ideo data sunt, quia operum iustitiam nostris viribus non potuimus assequi. Id Paulus clarissimè testatur, quod impossibile, inquiens, erat Legi, quatenus ea infirmabatur per carnem &c. Hæc apertè docent, hominem propter infirmitatem carnis non potuisse implere Legem. Adhęc ait, Prudentia carnis inimicitia est erga Deum. Legi enim Dei non est subiecta: nec enim potest. Quamuis enim lex vim habeat docendi atque illustrandi animum, non tamen propterea suppeditat vires, aut immutat voluntatem. Itaque Ambrosius in libro De fuga sæculi, Lex, inquit, potest oppilare os omnium: non tamen potest mentem conuertere. Et mox, Lex vitium quidem ostendit, sed malitiam non aufert. Quare oportet ad eam adiungi gratiam: quam cùm Pelagiani contemnerent, aberrarunt à salute, & iustè ab Ecclesia damnati sunt. De officio autem

Officium Legis.

legis hæc pauca tenenda sunt. Primùm illam non esse prorsus inutilem etiam citra regenerationem. Facere enim potest ad ciuilem aliquam disciplinam. Nam si homines externa Legis opera vtcunque faciant, quamuis illis, qui faciunt, peccata sint, tamen eis ordo ciuilis potest conseruari. Vbi enim nulla est harum rerum obseruatio, cõfunduntur omnia: iniurię inferuntur: libido grassatur: ira Dei accenditur, vt Respublicas ita corruptas non patiatur diutius consistere. Aliud etiam est opus Legis interius, quod ad conscientiam attinet: vt eã peruò accuset, vrgeat, flagellet, damnet. Atque hac ratione Deus, vt diximus, hominem tandem perducit ad iustificationẽ. Qua adepta, ne tum quidem Lex iacet otiosa, sed est instar

Post regenerationem lex non est otiosa.

speculi, in quo regenerati intueantur, quos fructus fidei edere debeãt, quantum in dies proficiant, vnde gratias agant, quantumq; sibi ad iustam instaurationem desit, vt de ea Deum vehementius inuocent. Ponit etiam Lex ob oculos scopum, ad quem in omnibus actionibus debeant collimare. Ad quem quamuis non pertingant in hac vita, danda tamen est opera, vt minus longè ab illo discedant. Ex his liquet, quantum Lex iuuet in externis operibus, quid in conscientia efficiat, quantumq; regeneratos adiuuet. Id nunc restat, vt obseruemus,

Hac sententia nõ tantùm ceremoniæ sed etiam moralia comprehendunter.

hanc Apostoli sententiã, non solùm ad ceremonias, verùm etiam ad præcepta moralia pertinere. Nam peccatum per illa potissimum augetur: & maioris momenti est, ab illis, quàm ab externis ceremonijs deerrasse. Sed redeamus ad Apostolum:

Vt quemadmodum regnauit peccatum in morte, sic & gratia regnet per iustitiam ad uitam æternam per Iesum Christum. Rationem assignat, cur gratia in electis post incrementa peccati exuberarit: scilicet, vt per illam assequamur iustitiam, atque ita demum vitam æternam adipiscamur. Quẽadmodum enim peccatum mortem attulit, ita gratia, & iustitia, quæ simul cõiungenda sunt,

Argumentũ à cõtrarijs.

vitam pepererunt. Argumentum sumitur à contrarijs. Nam, cùm peccatum, quod opponitur iustitię, mortem afferat, consentaneum est, vt ex gratia, & iustitia vita consequatur. Neq; otiosum est, quòd iustitia coniungitur cum gratia. Ex eo enim docemur, iustitiam nostram non ex operibus constare, sed ex gratia. Annotandus etiam est pulcherrimus rerum or-

Gradatio pulcherrima.

do. Primo loco Lex ponitur, dein incrementum peccati, tum exuberatio gratiæ, post iustitia, postremò vita æterna. Atque hæc omnia per Christum. Quod attinet ad Verba, peccatum in morte regnasse dicitur. Quia peccatum per legem auferri non potuit: & mors eius causa tanquam pœna infligebatur. In priore ad Corinth. Paulus habet fermè eandem sententiam: telum, inquiens, mortis est peccatum. Neque enim mors nostrum genus aliter,

Quomodo gratia & peccatũ regnare dicantur.

quàm per peccatum vulnerare potuit. Regnare vtraque dicuntur, & gratia, & peccatum, quando illis mouemur, & agitamur. Nam in Rebus publicis imperant, reges pro suo arbitrio & moderantur. In hominibus pijs iustitia regnat. Illi enim post acceptam remissionem peccatorum, student exhibere membra sua arma iustitiæ, & sanctificationi: quemadmodũ ea antè peccato permiserant. Atque hoc appellatur regnum Christi: quod ideò gratię ascribitur, quia gratis, & absque operibus constat. Hoc loco, ut animaduertit Chrysostomus, ha-

Hoc regnum cur dicatur Christi.

bemus radices mortis & vitæ. Fons vitæ gratia est, & iustitia: mortis peccatum. Et addit,

Radices mortis & uitæ.

mortem esse instar militis: quæ à peccato tanquam à Rege suo instruatur, & armetur. Quare si regem remoueas, mortem iam exarmatam non posse homines æternùm perdere. Dein de monet, ut, cùm iam consequuti simus gratiam, de adipiscenda uita ne dubitemus. Hæc enim inter se necessariò cohærere. Cur autem simile illud Apostoli teneat, facilè possumus expedire. Quia plus gratia valuit ad instaurandum, quàm peccatum ualuit ad occidendum. Cumq; additur, *per Iesum Christum*, in mentem reuocatur ἀναλογία ab initio posita inter Adamum,

Simile.

Necessario cohæret gratia et uita

mum, & Christum. Vt enim ab Adamo fuit peccatum, & mors, ita ab uno Iesu Christo extitit gratia, & uita. Hic locus admonet, vt de Gratia aliquid dicendum videatur. Nomina, quæ abstractè ponuntur, vt Dialectici dicunt, per concreta, quorum significata sensui præsentiora sunt, declarari solēt. Quare hoc primùm videndū est, quid apud Latinos sonet, vox ista, Gratiosus. Is autem apud omnes dicitur esse gratiosus, cui omnes fauēt, & quē vulgò beneuolētia prosequuntur. Ita in sacris literis homines dicunt gratiosi, qui apud Deum gratiā inuenerunt. Sic enim scriptura loqui solet de ijs, quibus Deus fauet, quósq; dilectione prosequitur. Cæterùm, quod ad hoc attinet, inter Deū & homines magnū est discrimen. Nam homines nemini fauent, nisi in quo ea deprehenderint, quibus allici, et pertrahi possint ad amādum. Oportet ergo, qui ab hominibus amari velit, vt in se habeat amoris, & beneuolentiæ causas. Deus autē è diuerso nihil in hominibus inuenit amabile, quo adduci possit ad amandū. Ipse enim prior dilexit nos: & ex ea dilectione in nos contulit, quicquid habemus, quod illi placere possit. Quare nomen Gratię in sacris literis bifariā accipitur. Primùm quidem, & præcipuè significat Dei erga homines beneuolentiā, & gratuitum fauorē quo prosequitur Electos. Deinde, quia Deus Electos suos præclaris donis afficit, Gratia interdum significat ea etiā dona, quę nobis à Deo gratis cōferuntur. Ista duplex significatio gratię bene cognita, demōstrat, quanto discrimine aduersarij, & nos eandē sententiā affirmemus. Vtriq; enim dicimus, hominē gratia iustificari. Sed hoc interest. Illi nomine Gratiæ intelligunt dona ea, quæ illis, qui iustificantur, conferuntur: nimirum habitus infusos, deinde bona opera, & alia id genus, quæ Deus in Electis operatur. Nos verò, cùm videamus, hæc dona, quàm diu viuimus, nostro vitio imperfecta esse, negamus, nos illis posse iustificari, vt vllo modo per ea diuino iudicio satisfiat. Quare intelligimus, Iustificari per Gratiam, Iustificari per solam, meram, & synceram Dei beneuolentiam, quam habet erga nos ex sola sua misericordia. Dicimus etiam, nos Iustificari per Gratiam Christi, qua flagrat apud patrem. Cùm enim maximè sit apud illum gratiosus, efficit, vt nos quoque in se amet, vt eius membra, & tres cooptatos per fidem. Scholastici verò finxerunt sibi Gratiam esse habitum infusum in animam, quò anima facilius possit exurgere, & bona opera expeditius facere. Quod suum inuentum ex sacris literis nullo pacto possunt confirmare. Videntur autem id à philosophis arripuisse, qui in Ethicis docent, facultates, & potentias animi habitu roborari, vt possint ea præstare, quæ antea non potuerunt: aut si potuerunt, tamen non absque magna difficultate potuerunt. Idem isti iudicant de animo: quòd, cùm non possit natura sua eò euehi, vt Deo sit gratus, & opera faciat, quæ illi placeant, opus habeat cœlesti, & spirituali habitu, quò ista possit efficere. Dumq; ita suam Philosophiam sectantur, à vulgari, & recepto sensu discedunt. Cùm enim dicimus, militem Regi, aut Imperatori gratum esse, non dicimus, in milite esse gratiam, sed potius in Rege, aut Imperatore, qui militem gratia complectitur. Ita hîc si rectè loqui volumus, non dicemus, nobis infundi, aut dari Gratiam: sed potius nos à Deo recipi in gratiam, qui antea eius fueramus inimici. Sed vt melius deprehendatur error Scholasticorum, eorum definitionem proponemus. Definiunt enim Gratiam, esse habitum à Deo infusum, bonitatis, & charitatis eius similem, quo illum habens gratus Deo redditur, & opera facit illi grata, & meritoria. Cùm habitum dicunt infusum à Deo, à virtutibus naturalibus eum separant. Deinde cùm faciunt eum similem bonitatis & charitatis Dei, putant, se rationem adferre, cur ornati hoc habitu Deo sint grati: nempè quòd similitudo ea intercedat. Et cùm Gratiam rem creatam esse in anima, non possint ex scripturis probare, id rationibus asserere nituntur. Nam Thomas ait, beneuolentiam Dei non esse otiosam: Deum enim dici diligere, quando aliquid boni confert. Itaque ait, Deum bene velle aliquibus, aut aliquos beneuolentia prosequi, esse, illis dare, aut infundere talem habitum, qualem iam descripsimus. Sed hoc argumentum est infirmissimum. Fatemur enim Dei beneuolentiam non stertere otiosam, sed beneficijs & illis quidem multiplicibus nos afficere. Se quomodo sequitur hoc argumentum: Deus largitur complura munera, ergo creat, aut infundit, eiusmodi habitum? Deinde non paruus est error, quòd volunt, nos hoc habitu, seu creatura reddi gratos Deo. Necessarium enim est, cùm ille nos huiusmodi dono affecerit, eum nos amasse prius. Amor enim Dei præcedit omnia eius dona. Possunt quidem virtutes, quæ sequuntur, rationem aliquam habere cur donentur. Non tamen possunt eam vim habere, vt Deum ad nos amandum alliciant. Eum enim, cùm nobis ista contulerit, iam antea habuimus beneuolum. Alia autem illorum ratio hæc est: Si spiritum sanctum habent, inquiunt, ad Christum conuersi, quem antea non habuerunt, necesse est, vt aliqua mutatio intercesserit. At ea in Deo nulla est. Quare oportet eam in nobis con-

De gratia.

Abstracta cognoscuntur per concreta.

Quid sit gratiosum esse.

Aliter gratiosi sumus apud homines & aliter apud Deum.

Gratia Dei bifariam accipitur.

Quid sit iustificari per gratiam & per gratiam Christi.

Scholasticorū figmentum, ex ethicis Aristot. ortū.

Simile.

Gratiam à Deo habere est ab illo in gratiā recipi.

Definitio quam Scholastici gratiæ assignant.

Beneuolentia dei erga electos non est otiosa.

Dei amor erga nos præcedit omnia eius dona.

Deus non mutatur licet nũc faciat quod antea non faciebat.

ſtituere, nempe vt habitum gratiæ habeamus quem prius non habuerimus. Sed hoc quoque nullius eſt momenti. Quoniam Deus auxilia ſua differt, prout illi videbitur: & hominum corda mouet certo tempore, cùm ea antea non mouerit: quod tamen ab eo abſque ſui mutatione fieri non dubitamus. Scimus enim eum certo tempore orbem creaſſe, qui prius non extiterat: Neque tamen propterea Deum mutatum eſſe dicemus. Nunc ſupereſt, vt è ſcripturis confirmemus, Gratiam Dei ſignificare vltroneam & gratuitam eius beneuolentiam: deinde munera, ſeu dona, quæ conferuntur ſanctis: tertiò, Gratiam Chriſti eſſe illam,

Probatur gratiã dei fauorem eſſe quo nos proſequitur.

qua pollet apud patrem, & propter quam nos à patre diligimur. De primo, Paulus ait ad Epheſios, nos electos eſſe à Deo ante iacta fundamenta mundi, ſecundum beneplacitum eius, in laudem gloriæ gratiæ eius. Quo loco videmus, cauſam noſtræ electionis eſſe, vt Dei erga nos beneuolentia, & gratia commendetur. Et in poſteriori epiſtola ad Timotheum ait: Qui vocauit nos vocatione ſua ſancta, non ex operibus, ſed ſecundum ſutum propoſitum, & Gratiam. Et Petrus hortatur, vt ſperemus in eam gratiam, quæ oblata eſt. Sperare autem non licet in re creata. De Chriſto autem Paulus ait ad Epheſios, Deum nos gratos reddidiſſe in dilecto, hoc eſt, in Chriſto, quem vnicè, & maximè amat. Et in hac epiſtola Gratiam vocat vitam æternam. Hæc igitur erit vera definitio Gratiæ, & Sacris literis conſentanea: Eſt beneuolentia Dei vltronea, qua nos charos habet in Chriſto Ieſu, & condonat nobis peccata, dat ſpiritum ſanctum, vitam integram, & æternam fœlicitatem. Habes ex hac definitione, non tantùm, quid appellemus gratiam, ſed etiam per quem illam habeamus, quæque eius ſint effecta præcipua. Nunc videndum eſt, qua ratione Deus tam præclara bona in nobis operetur. Primùm promiſsiones harum rerum offert: deinde afflatu ſuo cor aperit, vt illæ admitti poſsint. Quod niſi ille faceret, nunquam illa bona locum in nobis inuenirent. Cor enim hominis obſirmatum eſt, & auerſatur ſpiritualia: eoq; in Eccleſia ſemper opus eſt miniſterio. Nam paſtorum eſt promiſsiones Dei populo proponere, easque non tantùm verbis vrgere, ſed etiam ſacramentis, quæ verba quædam viſibilia ſunt, obligare. In primis verò illorum eſt duo impedimenta remouere, quæ homines maximè à promiſsionibus Dei abducunt. Ex altera enim parte homines putant, ſe nõ poſſe peruenire ad promiſsiones Dei, quòd illis indigni ſint. Hic oportet fidelem miniſtrum ſedulò inſtare, & docere, hęc à Deo gratis cõferri, nõ ex operibus, aut aliqua dignitate accipientium. Ex altera parte ambigere ſolent homines, an ipſi Dei electione ab iſtis promiſsionibus ſint excluſi. Hîc docere oportet, fidelium eſſe, promiſsiones Dei generaliter accipere, vt nobis in ſacris literis à ſpiritu ſancto traditę ſunt: neq; oportere de arcana Dei voluntate eſſe ſollicitos. Nã eam procul dubio Deus reuelaſſet, & indicaſſet quinam ſint electi quiue reprobi, ſi ſciuiſſet, ad ſalutẽ fore vtilẽ. Quare cùm ſcripturæ neminem priuatim à promiſsionibus reijciant, ſic eas quiſq; debet accipere, ac ſi ad ſe peculiariter pertinerẽt. Et ſanè cum fide vnà credentibus perſuaſione ſpiritus dabitur, vt verè ſe ad electos attinere non dubitẽt. Hac ratione miniſtriũ Eccleſiæ Deo inſeruit, & illi cooperatur ad noſtrã ſalutem: non quòd ſine eo diuina bonitas, & potẽtia nõ poſsit, & promiſsiones ſuas nobis offerre, & animos noſtros ad eas recipiendas inclinare. Neq; enim Gratia Dei, aut miniſterio, aut ſacramentis, aut verbo externo neceſſariò eſt alligata. Cæterùm nos nunc loquimur de vſitata ratione, qua Deus homines ad ſalutẽ ducit. Cùm aũt promiſsiões Dei ſemel admiſimus, qui antea fuimus mortui peccato, ſtatim incipimus reuiuiſcere: atq; ita reſtituti vitę, ex aliqua parte legi Dei obtẽperamus: non quidẽ perfecta, ſed tantùm inchoata obedientia. Deinde cõtra hoſtes carnẽ, & ſatanã, habemus prẽſens auxiliũ Dei: & admirabilẽ conſolationẽ in afflictionibus: & vires, ac facultates & animi, & corporis inſtauratas. Vtq; vno verbo dicã, Gratia Dei, quam deſcripſimus, eſt omnium bonorũ ſcaturigo. Hoc tamẽ vnũ videmur aſſumpſiſſe, quod adhuc è ſcripturis non ſit cõprobatum: videlicet, Deũ nõ tantùm offerre promiſsiones, quas iam diximus, ex mera ſua gratia, et beneuolentia, verùm etiã ſpiritu ſuo cor flectere, vt illas recipiat. Priorem partem etiã Pelagiani admittebant: ſcilicet, requiri gratiã doctrinę, atq; illuſtrationis. Alterum autẽ putabant ſitũ eſſe in libero arbitrio, vt promiſsiones oblatas vel reciperet, vel repudiaret. At ſcriptura longè ſecus docet. Nam Ezechiel ca. 11. ait, Deũ dare velle ſuis fidelibus cor nouũ, & ſpiritum nouũ: & ablaturum illis cor lapideum, & daturum cor carneum. Hæc apertiſsimè docent, mutationẽ fieri oportere in animis noſtris. Quare cùm aut apud Auguſtinũ, aut apud alios patres legimus, Gratiã primùm accedere, quam voluntas noſtra, ceu ancilla, comitetur, id non ita accipiendum eſt, quaſi voluntas noſtra ſuis viribus ſequatur, excitata tantùm, atq; admonita à Gratia. Niſi enim ea mutata eſſet, nunquã ſequereꝛ. Id ergo requiritur, primùm vt immutetur voluntas, deinde vt pareat. Prudenter quoq; audiendus eſt Chryſo-

Vera gratiæ definitio.

Qua ratione deus in nobis operetur bona ſua.

Cur in Eccleſia ſit opus miniſterio externo.

Duo miniſtri debent in docendo curare.

Gratia dei rebus externis non eſt alligata.

Pelagiani quam gratiam concedebant.

Deus nõ tantum offert promiſsiones, ſed cor flectit ad eas amplectendas.

Patrum ſenſus.

Voluntati non ſatis eſt excitari niſi moueatur.

Chrysostomus: qui in concione De Inuentione crucis, ait, Nec Gratiam Dei quicquam sine nostra voluntate posse, nec voluntatem nostrã sine Gratia. Non enim in vniuersum verũ est, Gratiam nihil posse sine nostra voluntate: nisi ita intelligas, voluntatem esse, circa quam Gratia operetur. At Gratiam oportere expectare consensum voluntatis, id non est verum. Gratia enim voluntatem immutat, antequam illa vllum consensum præbere possit. Itaque Dauid orat, Cor mundum crea in me Deus. Et Salomon, Inclina, Domine, cor populi huius, vt exequantur mandata tua. Et rursus Dauid, Inclina cor meum in testimonia tua. Pelagiani docebant, initium bonorum operum à nobis esse, videlicet à libero arbitrio: Gratiam verò iuuare, vt ea facilius, & expeditius perficiantur. Recentiores autem Theologi vel Sophistæ, ne prorsus viderentur cum Pelagio conuenire, ita statuerunt: Gratiam quidem primùm accedere: sed nostrum esse, eam aut recipere, aut respuere. Atqui hoc nihilo verius est, quàm illud Pelagij. Vnde enim habemus nos, vt Gratiam ipsam admittamus? Si hoc verum esset, salus esset ex nobis. Sed Paulus ait, Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Et contra istos Augustinus citat verba Pauli, quæ habebimus postea: Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Si vera, inquit, est istorum sententia, pari ratione Apostolus dicere potuisset, Non est miserentis Dei, sed volentis, atque currentis. Nam, vt isti docent, negotium distribui videtur, vt pars altera Deo permittatur, altera nobis relinquatur. Atque ita non esse satis Gratiam Dei, nisi nos etiam annitamur, velimus, curramus. Verùm longè aliter Apostolus, Non esse inquiens, volentis, aut currentis, sed miserentis Dei. Et alibi de se ipso ait, plus omnibus laborauí: non ego autem, sed Gratia Dei, quæ est in me. Quibus verbis totum eripit sibi, & id vniuersum tribuit Gratiæ Dei. Et Augustinus addit, Oramus pro inimicis, qui adhuc mali sunt, & nolunt obtemperare Deo, & eius promissa respuunt. Quod cùm facimus, quid petimus, nisi vt Deus mutet eorum voluntates. Quod nisi esset in manu Dei frustra ab eo peteretur. Et Paulus alibi, Non quòd idonei simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: Quod si ne cogitare quidem possumus, velle certè minus possumus. Nam voluntas notitiam, & cogitationem sequitur. Neque hæc dico, quasi voluntas mutata à Deo, otiosa iacere debeat, & nihil agere. Instaurata enim vnà cum Gratia debet cooperari, vt, quod Bernardus ait de Libero Arbitrio, quod ab vno cœptum est, ab vtroque perficiatur. Tum enim nõ tantùm sumus puri, aut mundi homines, sed effecti sumus filij Dei, & coniunctum habemus motum spiritus sancti. Et Paulus ad Timotheum ait, Virum Dei, sacris literis instructum, iam ad omnia bona idoneũ, & aptum esse. Verùm, dicere, & vulgo iactare solẽt, Gratiam Dei expositam esse omnibus. Itaque nisi ea admittatur, id nostro vitio fieri. Quemuis enim posse eam adipisci, si velit. Hanc nebulam oportet paucis dispellere. Gratiam quidem omnibus propositam esse, hoc modo possumus concedere: quia promissiones Dei generales omnibus promiscuè offeruntur & predicantur. Nec concionatores, qui eas inuulgant quicquam morantur occultam Dei voluntatem: aut ita cogitant: Fortasse iste non est prædestinatus: aut nihil opera mea promouebo. Nihil huiusmodi cogitant, sed omnibus in vniuersum proponunt verbũ Dei. Hoc pacto Gratia, aut vocatio Dei dici potest communis omnibus. Veruntamen cùm quisquam recipit oblatas promissiones, id non sua vi, aut voluntate facit. Necesse enim est, vt illi cor aperiatur, quod de muliere purpuraria Lucas in Actis commemorat. Neque enim omnes efficaciter vocantur, & secundum propositum. Sed isti videntur fingere sibi Gratiam, tanquam vestem aliquam, quæ pendeat in aere, quam sibi quiuis induere possit, qui velit. Verùm ista sunt inuenta humanæ prudentiæ: Sacræ scripturæ aliter loquũtur. Solent etiam ita Gratiam distinguere, vt aliam faciant Operantem, aliam cooperantem: à qua distinctione Augustinus non abhorruit. Videtur enim ea deducta esse ex his Apostoli verbis: Deus est, qui operatur in nobis & velle, & perficere. Itaq; Gratia operans est, quę ab initio voluntatẽ sanat, & immutat: deinde efficit, vt ea immutata, & sanata rectè agat. Et primùm quidem dicitur operans Gratia: deinde cooperans. Atque hæc vna eademq; est Gratia, non duæ. Distinctio autem sumitur ab eius effectis. Primùm enim voluntas, cùm sanatur, concurrit cum Gratia passiuè. Nam ea immutari dicitur, & nos dicimur regenerari. Postea verò & actiuè, & passiuè se habet. Nam à Deo impulsa, ipsa quoque vult, & eligit. Et in hanc sententiam verum est, quod ad Hebræos scribitur: Ne desitis Gratiæ Dei. Nam Regenerati non debemus sedere otiosi: sed iuxta Gratiam comitantem viuere, & operari. Illi verò vehementer errant, qui existimant, voluntatem quidem per se ipsam posse bona velle: Gratia autem, & spiritu effici tantùm vt efficaciter velit, vtq; ea, quæ velit consequatur. Hoc, vt iam ostendimus, alienum est à sacris literis. Quærunt præterea, num quid per priorem illam Gratiam

Gratiã nõ oportet expectare cõ sensũ nostrũ quæ illum facit.

Pelagianorum sententia.

Scholasticarum sententia.

Voluntas à Deo mutata non est otiosa.

Regenerati cooperantur Deo.

An gratia Dei exposita sit omnibus.

Quando quis admittit gratiã non ui suæ uoluntatis id facit.

Gratia operãs et cooperans.

Vna eadẽq; gratia est operans & cooperans.

Voluntas per se ipsam non potest bona uelle.

mereamur. Id aduersarij quidem nostri aiunt: nos negamus, & omnem prorsus meriti ra-
tionem explodimus. Quod quàm iustis rationibus faciamus, aliàs dabitur oportunior di-
cendi locus. Fatemur quidem Deum solere ex sua liberalitate, & misericordia, post alia
beneficia alia concedere: non tamen quòd priora quæque dona Dei alia dona posteriora
possint promereri. Et sic intelligenda sunt illa loca ex Euangelio: Habenti dabitur: &,
Euge serue bone, quia in paucis fuisti fidelis, supra multa te constituam. Adhæc faciunt
aliam Gratiam præuenientem, aliam subsequentem. Quam diuisionem Augustinus vide-
tur probare, ex verbis Dauidis è Psalmo quinquagesimonono. Misericordia eius præue-
niet me, & misericordia eius subsequetur me. Verùm hæc distinctio ita recipienda est, vt
de vna eadem quę Gratia intelligatur, varietas autem consistat in effectis. Multa enim &
diuersa sunt munera, quibus nos ornat misericordia Dei. Primùm enim sanatur voluntas:
ea sanata incipit bene velle: post, quæ bene voluerit, incipit exequi: deinde in bene a-
gendo perseuerat: postremò coronatur. Præuenit ergo Gratia voluntatem nostram sa-
nando: eadem sequitur efficiendo, vt, quæ recta sunt, placeant. Præuenit, vt velimus:
subsequitur impellendo, vt, quæ volumus perficiamus. Præuenit, mouendo ad bona ope-
ra: subsequitur, donando perseuerantiam. Præuenit perseuerantiam, largiendo: subsequi-
tur, eam coronando. Et quemadmodum eadem est lux Solis, quæ fouet, & præparat ter-
ram ad excipienda semina: quæque ea, cum terræ commissa fuerint, efficit vt nascantur: &
iam enata sic alit, vt fructum ferant: ita eadem prorsus est Gratia Dei, & quæ præuenit vo-
luntatem nostram, & quæ subsequitur. Itaque Augustinus ait, præuenit Gratia, vt sane-
mur: eadem subsequitur, vt vegetemur. Præuenit, vt vocemur: subsequitur, vt glorifice-
mur. Quare non rectè sentiunt, qui Gratiam præuenientem putant esse communem quen-
dam motum, quo Deus pulset hominum corda, ea ad bene agendum inuitando: quasi po-
situm sit in illorum manu, vt vel accedant, vel reijciant inuitantem. Nec minus errant, qui
garriunt in Scholis, aliam esse Gratiam gratis datam, aliam gratos facientem. Omnem e-
nim Gratiam oportet gratis dari: nam alioqui, vt Paulus ait, non esset Gratia. Cumque
per Gratiam gratum facientem intelligunt habitum, vt suprà docuimus, malè statuunt, ho-
mines per huiusmodi dona apud Deum gratos effici. Nam apud eum per solam eius mi-
sericordiam, & propter Christum recipimur in gratiam. Non autem conuenit, vt quod
solius est Christi, & diuinæ bonitatis, id alijs creaturis tribuamus. Adhæc prius grati su-
mus Deo, ex eius gratuita electione, quàm vlla huiusmodi dona nobis concedantur. Fa-
teor quidem, multa esse charismata, quibus pij ab impijs discerni non possint: qualia sunt,
Donum linguarum, Prophetia, donum sanationum, & alia hoc genus, quæ non minus
malis contingunt, quàm bonis. E diuerso, Fides, Spes, charitas tantummodo piorum
sunt. Naturales etiam dotes quandoque Gratiæ dicuntur, vt acumen ingenij, vires cor-
poris. Atque hoc pacto Pelagiani callide fatebantur, hominibus ad rectè viuendum opus
esse Gratia. Intellexerunt autem per Gratiam, liberum arbitrium, rationem, voluntatem.
Hæc à Deo gratis concedi non inficiamur. Negamus tamen eas esse gratias, quæ per
Christi redemptionem electis eueniunt. Et cùm Ecclesia errorem Pelagij refutaret, de
hoc genere Gratiæ non agebatur: sed de ea gratia, qua regeneramur, & iustificamur:
sine qua nemo potest, aut Deo gratus esse, aut rectè viuere. Interdum humana volun-
tas cum equo confertur, Gratia cum sessore: quæ collatio, quod ad multas conditiones
attinet, non displicet. Id verò in primis obseruandum est, vt quacunque ratione
Gratiam accipiamus, semper eam statuamus gratis dari, non ex
operibus. Neque vllo modo gratum facit, nisi qua-
tenus accipitur pro beneuolentia Dei.

Atque hæc hactenus de
gratia.

Post dona priora non meremur posteriora.

Gratia præueniens & subsequęs

Eadem est gratia sed varietas est in affectis.

Ordo affectorum gratiæ.

Simile.

Omnem gratiam oportet gratis dari.

Non per dona & habitus efficimur grati Deo. sed ex mera eius gratia & misericordia.

Sunt multa charismata quib. pij ab impijs nō possunt discerni.

Dotes quędā ppria sanctorū sūt

Dotes naturales aliqui dixerunt gratiam.

De qua gratia cōtra Pelagium agebatur.

Simile.

Nihil nos gratos Deo facit nisi eius misericordia.

CAPVT

CAPVT SEXTVM.

QVID igitur dicemus? Manebimus in peccato, ut grâtia abũdet? Ad finem ſuperioris capitis duo Paulus adiecit: videlicet, legem ſubijſſe, vt peccatum abundaret: &, vbi abundauerat peccatum, ibi etiam exuberaſſe Gratiam. Hæc duo multorum animos offenderant: quòd videretur plus æquo Legem depreſsiſſe, & homines ad peccãdum prouocaſſe. Quare per occupationem has à ſe calumnias propulſat. In 7. cap. luculenter docebit, id, quod hoc loco ſcripſit de Lege, id ei non ſua natura contingere, ſed noſtro vitio. In præſentia vindicat doctrinam ſuam, de eo, quòd traducebatur, docere peccandum eſſe, vt Dei Gratia euaderet copioſior. Scandalũ illud, quod ipſo Paulo adhuc viuente, eius doctrina parere videbatur, hodie quoque nobis impingitur. Nam cùm docemus iuſtificationem promitti per ſolam fidem abſque operibus, paſsim clamatur, opera damnari, Legem reddi inutilem, & viam aperiri ad laxe viuendum, atque ita omnem diſciplinam morum prorſus perire. Hoc indicio eſſe poteſt, nos germanum, verumq; ſenſum Paulinæ doctrinæ aſſequutos eſſe: quando eaſdem querelas patimur, quas illum ſcimus pertuliſſe. Sed has meras eſſe calumnias, facilè ex eo conſtare poteſt, quòd ad inflãmandos homines ad piè rectèq; viuẽdum, nihil eſt vtilius, quàm oſtendere, Deum adeo eſſe bonum, vt iuſtitiam nobis immerẽtibus gratis conferat. Quis enim nollet tantæ bonitati reſpondere? Miſerum autem eſſet, ſi fœlicitas noſtris operibus eſſet propoſita. Cùm enim latere nos nõ poſsit imperfectio actionum noſtrarum, animum haud dubiè deſponderemus. Qua re nihil accidere poteſt infœlicius. Præ ſe ergo fert Apoſtolus inſignem animi triſtitiam, quòd doctrinam ſuam in deterio rem partem rapi videat: atque ex tam veris principijs tam abſurda colligi. Sed hęc eſt humana ingenij corruptio, vt quamuis minima oblata occaſione, ea, quæ leguntur, aut audiuntur in ſacris literis, vel ad libidinem ſuarum cupiditatum explendam rapiat, vel ad fiduciam ſuarum virtũ. Quare Paulus, vt occurrat his malis, cùm ſalutare dogma de Iuſtificatione hactenus multis rationibus confirmarit, nũc vicißim vrget bona opera, & ne amplius inſiſtamus peccato, vehementer ſuadet. Non autem eſt difficile videre, quàm illi turpiter decipiantur, qui ex verbis Pauli hæc tam abſurda colligunt. Nam in ratiocinatione ſua accipiunt nõ cauſam pro cauſa, atque ita in apertum Paralogiſmum incidunt. Nam non confidere operibus legis, aut docere, peccatum per legem exuberaſſe, non eſt ſatis idonea cauſa, quamobrẽ lex Dei, vel abijciatur, vel inutilis reputetur. Et docere, opera non iuſtificare, non eſt cauſa, cur ab operibus deſiſtamus. Et dicere, maiorem gratiam exuberaſſe, cùm abundaſſet peccatum non eſt dicere, peccata noſtra cauſas eſſe diuinæ gratiæ. Id enim cum rerum natura pugnat, vtid, quod vere malum eſt, producat bonum. Et cùm peccata nos à Deo alienent, quomodo poſſunt ea conciliare gratiam? Morbus non reddit medicum illuſtrem, niſi per occaſionem. Ars eſt, quę eum cõmendat, non morbus. Ita peccata non illuſtrant ſua natura gratiam Dei: ſed bonitas eius & miſericordia, qua peccata condonat. Si volumus rectè, & ſine paralogiſmo concludere, ſic ratio conficietur. Cùm legem implere non poſsimus, eoq; ea non poſsit iuſtificare, in illa ſola ne hæreamus. Quare addamus Chriſtum, & eius Gratiam: quod ſi fiat, multiplicem ex ea fructum capiemus. Rurſus, cùm opera cauſa iuſtificationis eſſe nõ poſsint, ne tantùm demus hominibus impijs, & non renatis, vt eos dicamus, gratiã ſibi ſuis meritis poſſe comparare. Regenerati autẽ, bonis operibus, tanquam fructibus iuſtitiæ incũbamus. Et quamuis peccata non ſint cauſæ gratiæ Dei, agnoſcamus tamẽ, potenti, & copioſa gratia fuiſſe opus, vt ea tollerentur, cùm ita inimmẽſum excreuiſſent. Admittit in his etiã argumentis paralogiſmus ὁμωνυμίας. Nam, cùm Paulus ait, vbi abundauit delictum, ibi exuberaſſe Gratiam: non hoc dicit, vbicunq; aucta fuerũt peccata, ibi ſtatim Gratiã exuberaſſe. Multi enim inueniuntur ſceleratiſsimi homines, infinitis peccatis obruti, quibus nulla Dei gratia refulgeat. Sed hoc Paulus dicit: Vbi peccata creuerunt per legem, & iam ſeriò cognoſcuntur, & intus in animo ſentiuntur, tũ homines perterſos miſerię ſuæ prępararí quodãmodo, atq; impelli ad Chriſtum, vt eius implorent auxiliũ. Atq; ita fit, vt gratia in ijs, qui per legem ſic afficiunt, exuberet. Alia fallacia eſt ex temporũ diuerſitate. Concedimus enim, Deũ per Chriſtũ largiri opulentam gratiam, qua peccata, quæ regenerationem anteceſſerunt, deleantur. Non tamen ex eo colligi debet, rurſus coaceruanda eſſe peccata, vt Gratia etiã augeatur. Apparet ergo, in his calumnijs non vnum paralogiſmi genus admiſſum eſſe. Neque ſolus Paulus huius criminis arceſſebatur, quòd feneſtram aperiret ad peccandum, ſed etiam omnes, quicunq; Chriſtum, docuerunt. Nam falſi illi teſtes in Actis dixerunt teſtimonium

Methodus pauli.

Traducebatur Paulus quaſi doceret peccatum eſſe.

Nobis idem uitio uertitur.

Noſtra ſententia uehemẽter inflãmat homines ad bene agendum.

Miſerum eſſet ſi fœlicitas operibus comparanda eſſet.

Homines corrupti ex ueris principijs abſurda colligunt.

Paralogiſmus colligentiũ abſurda ex dictis Pauli.

Quod uerè malũ eſt per ſe nõ producit bona.

Quomodo hic debeamus concludere.

Paralogiſmus ὁμωνυμίας.

Alia fallacia quo ad temporis diuerſitatem.

Exemplum de Stephano.

contra Stephanum, illum non desistere multa loqui contra Deum, & legem. Paulus autem,

Non tantũ per fidem iustificamur sed spiritũ Christi accipimus quo ad uitam nouam instauramur.

vt ab huiusmodi calumnijs Euangelicam doctrinam vendicet, ait nos per fidẽ non solùm iustificari, sed etiam spiritum Christi habere: quo & nos ad nouam vitã excitemur, & peccati in nobis debilitetur. Quare cùm legimus diuinas scripturas, magna eas diligentia, & attentione debemus expendere, priusquã ex illis aliquid ratione colligamus. Nam qui principia negligit, facilè in graues errores deducitur. Tantum inter est inter ea, quę Paulus ex his, quę dicta sunt, concludit, & ea quę imperiti ex illis colligunt, vt planè sint inter se cõtraria. Illi ex hac doctrina colligũt, peccãdũ esse, vt abũdet gratia. At Paulus ex ea ipsa doctrina colligit,

Aduersarij colligebant peccandum, Paulus non peccandum.

non esse peccandũ vt gratia exuberet. Idq; in hoc capite duab. maximè rationibus probat.

Duabus rationibus probat Apostolus nõ amplius peccandum.

Primùm, q; iã peccato simus mortui, & ad Christũ accesserimus. Atq; hanc rationẽ in priori capitis huius parte fusè tractat. Altera ratio est: illi parendũ esse, in cuius seruitutẽ nos addixi

Cur interrogatione utatur.

mus. Quare, cùm per conuersionẽ ad Christũ effecti simus serui iustitię, illi seruiendũ iã esse, non peccato. Atq; hęc ratio quod supereſt huius capitis occupat. Nec frustra est, q; Paulus

Qui mortui sunt peccato non debẽt in eo uiuere.

sententiã suã proponit per interrogationes. Illis eñ partim exprimit affectũ indignationis, q; molestè ferret, doctrinã Euangelicã tam absurdis suspicionibus infamari. Deinde interro

Similia.

gando prę se fert securitatem conscientię. Ostendit enim, se nihil minus, quàm id, quod obiiciebatur, cogitasse. Prima ratio hęc est. Qui mortui sunt peccato, non debent in ea perseuerare: At Christiani mortui sunt peccato: Quare non debent in eo perseuerare. Hæc habent suam euidentiam ex oppositione mortis & vitę: quòd nemo possit eodem tempore & mortuus esse: & viuere. Quemadmodum enim fatuus sit, si quis ita petat sanitatem, vt velit vnà etiã cum ea ęgrotare: aut qui manere velit in incendio, vt possit ab incendio liberari: ita etiã fatuus est, si quis, cùm sit peccato mortuus, putet tamen se posse ei viuere. Idem docet Christus, cùm ait, Neminem posse duobus dominis seruire. Et in naturali scientia vulgatissimum est, vnius generationẽ esse corruptionẽ alterius. Quamobrem si Christo renascimur, vt peccato moriamur, necesse est. Tametsi, dum hîc viuimus, mors ista inchoatur tantùm, non perficitur, nisi vbi corpus, & caro prorsus fuerint dissoluta. Mori peccato apud Paulũ, est peccato non obedire. Peccatũ autẽ intellígit innatã cupiditatẽ, & naturę prauitatẽ, quam ex lapsu primorũ parentum contraximus. Vult ergo Paulus homines christianos ad hoc peccatũ ita

Quid sit mori peccato.

nobis à natura insitũ, si quãdo incendit, & inflãmat ad malè agendũ, nihil cõmoueri, sed esse quodãmodo mortuos: neq; pati se, aut blãditijs decipi, aut vllis terroribus. auerti à pietate. Nã qui mortui sunt, nullis persuasionib. impelluntur. Videant hoc loco qui Christũ profitẽtur, & interim cupiditatibus nõ moriunt, sed eas potius omni studio consectantur, q; probè nomini, atq; officio suo respondeant. Adhęc quãuis pij peccato moriantur, tamẽ nunquã desinũt contra illud bellũ gerere. Neq; enim ita sunt peccato mortui, vt eius insultus nõ sentiãt. Imò se ab eo vrgeri, grauiter dolent, eiusq; vim omni spiritus conatu, quantũ possunt, debilitant. Altera propositio, qua dicebamus, eos, qui sunt Christi, mortuos esse peccato, probat ex cõmunione, quã per fidẽ habemus cum Christo: quę, cũ sit inuisibilis cognoscitur extrinsecus per sacramentũ Baptismi: quo, vt Paulus ait, denotamur & mori peccato, & ad Christi vitã excitari. Hęc est pœnitentia, quę in hoc sacramento prędicatur, vt à peccato discedamus, & illud omnibus modis detestemur, cum fide de remissione peccatorũ per Christũ, et propositi melioris vitę. Quæ pœnitentia, licet in Baptismo & verbis, & symbolis designetur, tamẽ in totam vitam est nihilominus necessaria. Medicus enim non ita solet curare ægrotum, vt ille postea sanitate sua abutatur, & per intemperantiam sese in grauiorem morbũ conijciat. Quare imitandi nobis sunt prudentes, & temperati viri: qui ex periculoso morbo restituti, solent in posterum diligenter cauere ea, quæ sanitatem possint labefactare. Chrysostomus in homelijs suis ad populum Antiochenum accusat cõplures, qui sibi deligerent decem, aut viginti dies, aut mensem integrũ, vt eo tẽpore toto ieiunarent, vtq; dicere solent, pœnitẽtiã agerent: postea verò, quasi defuncti omni officio pietatis, repeterent priora vitia, ac si ea non exuissent, sed tantùm ad tempus sepositsent. Hoc hominum genus Paulus hîc accusat: quòd cùm se peccato mortuos profiteantur, tamen ei denuò velint viuere. Confirmatio autem sententię suæ sumit à Baptismo. Nam sacramenta primis illis, & melioribus temporibus Ecclesiæ vulgò erant omnibus notissima: quę hodie, quod grauiter dolendum est, magnæ parti hominum Christianorum sunt incognita. Verùm hanc calamitatem inuexit vsus peregrinæ linguæ, quam Antichristus omnibus sacris ritibus, & ceremonijs, voluit adhiberi. Vnde factum est, vt cùm populus nihil intellígeret, tantùm ad externas quasdam gesticulatiões, & ceremonias obstupescceret, ad easq; omnem suam fiduciã, & salutẽ affigeret. Magna etiam ex parte inde ortum est hoc malum, quòd infantes sæpè tingantur, vel domi, vel in

Mortui nullis persuasionibus impelluntur.

Licet mortui simus peccato contra eum pugnamus.

Communio quã habemus cũ Christo in Baptismo notatur.

Simile.

Ita hodie fit ad finem quadragesimæ.

Sacramentorũ ratio fuit antiquitus omnibus notissima.

Quî fiat ut natura sacramentorũ hodie uulgo ignoretur.

vel in templo nullis ferè præsentibus: vbi tanti sacramẽti nulla expositio adhibeatur. Quãobrem, vt hæc deploranda incommoditas corrigatur, sacramenta lingua vernacula, & perspicuè peragenda sunt: & tempus ad tingendum deligendũ est, quum cœtus est frequentissimus: quò plures adsint tantæ rei testes, & cõmunibus precibus infantem tingendum Deo cõmendent, & sacra illa actione ædificentur, admoniti dẽ nouo fratre cooptato in filium Dei. Quo autẽ pacto nos in Baptismo peccato mori significemur, Chrysostomus docet in priorem epist. ad Corinthios capit. 15. exponens illa verba Pauli: Quid faciunt, qui baptizantur pro mortuis? Ait enim eos, qui baptizantur, credere, & fateri, Iesum Christum mortuum esse, & à mortuis excitatum: secꝫ profiteri, velle cum eo simul mori, & simul cum eo excitari: ministrum autem hoc actione sua externa designare, cùm eos in aquam demittit, & ex ea rursus educit. Quod igitur mors Christo fuit in cruce, & exuscitatio è sepulchro, hoc nobis est Baptismus, Sed cùm scribitur, *Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu*, non ex eo colligitur, Apostolos mutasse præscriptam à Christo formam verborum: quod quidam & ex hoc loco, & ex Actis Apostolicis suspicantur: inter quos est Ambrosius: qui, vt factum excuset, ait, in Christo, quod ad nomen attinet, tres personas esse comprehensas. Nam cùm vox ista, *Christus*, vnctum significet, necesse esse statuere & eum, qui vngatur, & eum, qui vngat, hoc est, patrem, & filium, & vnctionem, hoc est, Spiritum sanctum. Quare perinde esse ait baptizare in Iesum Christum, atque in nomine patris, & filij, & Spiritus Sancti. Sed cùm ista sententia firmis scripturarum testimonijs non nitatur, meo iudicio, non est tanti faciendа. Nos autem, in Christum baptizari, nihil aliud esse dicimus, quàm illius iussu, instituto, auspicijs initiari. Atque hac forma loquendi significatur, nos in Christũ transire, ita, vt cum eo quàm arctissimè fide, spe, charitate coniungamur. Quemadmodum enim milites iurant in nomẽ Imperatoris, atqꝫ ita illi obstringunt, vt postea nõ liceat eis versari in castris hostiũ quòd si secus fecerint, sit capitale: ita nos in baptismo obstringimur Christo, iuramusqꝫ nos posteа nunquã defecturos ad diabolum: Cumqꝫ is honor debeat Christo, vt in illum dicamur baptizari, nõ debemus offendi, cùm legimus in epist. ad Corin. patres baptizatos fuisse in Mosen. Eius em̃ loci hic est sensus, Israelitas transisse mare fretos promissionib. quæ à Deo per Mosen proponebant. Neqꝫ ex eo cõcludere debemus, licere baptizare in nomen hominis alicuius, tanquã mediatoris, & nostrę salutis autoris. Ideoqꝫ Paulus, cùm castigaret Corin. quòd homínib. turpiter se addicerent, vt alij se dicerent esse Pauli, alij Cephę, alij Apollo, adiecit, Nũquid Paulus pro vobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis? Quod ideo scripsit, quòd animaduerteret Corint. transferre Christi honorẽ in ministros.

Sacramenta lingua vernacula ministrentur, & publicè.

Quomodo in baptismo significemur peccato mori.

Apostoli nõ mutarunt formam baptismi quoad verba.

In vocabulo Christi omnes tres personæ cõprehenduntur.

Quid sit in Christũ baptizari.

Simile

Patres cur in Mosen baptizati.

Non licet baptizare in nomine cuiuspiam hominis.

In mortem ipsius baptizati sumus. Vt nunc meminit mortis, ita paulò pòst mentionem faciet Resurrectionis. Hæc enim duo principia sunt, quæ pro nobis Christus gessit. Et certè, quia in Baptismo fructũ capimus mortis Christi, cùm per illud sacrificiũ Deus nobis placetur, in mortẽ eius tingi iure dicimur: maximeqꝫ, q̃ nostra peccata per Christi mortẽ iam desinant nobis imputari, sed, corã Deo pro mortuis habeant. Quæ autem in nobis supereſt cupiditas, quia beneficio Christi frangit, & minuitur, idcirco quoqꝫ dicimur baptizari in mortem Christi, vt exaggeret Paulus mortẽ, qua peccato morimur, & rem non perfunctoriã, sed seriam esse demonstret, addit, *Sepulti igitur sumus una cum Christo per Baptismum.* Hodie quoqꝫ, qui baptizantur, vt idem professione exprimãt, diserte respondent, se renuntiare diabolo, & pompis eius. Ex hoc loco Augustinus duo colligit: quorũ alterum est in lib. 6. contra Iulian. cap. 1. Vbi probat paruulos nasci in originali peccato. Nam generalis, inquit, est Apostoli sentẽtia, Omnes, qui baptizant, in mortẽ Domini baptizari, hoc est, peccato mori: &, vt mox dicetur, corpus peccati aboleri: quæ vera esse non possunt, nisi fateamur, infantes nasci in peccato. Alterũ est in epistola ad Bonifac. vbi ostendit, Sacramenta nomina obtinere rerũ, quę per ea significant. Non enim dixit Paulus, nostrã sepulturã significari Baptismo, sed simpliciter sepultos nos esse cum Christo in mortem. Atque ad hunc modum ait, Eucharistiã appellari corpus, & sanguinem Christi. Tertio annotandum est, patres, cùm volunt confirmare mutationem eam, quæ fit in Eucharistia, exempli loco adferre mutationem nostri ipsorum, quæ fit in Baptismo: quam etiam Apostolus videtur ostendere summam esse. Vtitur enim in ea re nominibus vitæ, & mortis. Inter quæ duo necesse est, maxima sit mutatio. Quare quum eorum, qui baptizantur, natura, & substantia non mutetur, nihil necesse est in pane, & vino statuere transubstantiationem. Apostolus eodem penè pacto loquitur de Baptismo in secundo capite ad Colossenses. In quo, inquiens, & circuncisi estis Circumcisione, quæ fit absque manibus, dum exuistis corpus peccatorum carnis per Circuncisionem Christi, consepulti simul cum illo per Baptismum: in quo simul etiam cum illo

Duo præcipua, quæ Christus propter nos gessit.

Argumentum, quo probatur infantes nasci cũ peccato.

Sacramenta nomina rerũ habẽt significatarum.

Mutatio panis eucharistici confertur cũ ea quæ fit in baptismo nostri mutatio.

resurrexistis, per fidem operationis Dei, qui excitauit illum ex mortuis. Et vos cùm essetis mortui in delictis,& præputio carnis vestræ,simul cum illo conuiuificauit. Hæc per omnia consentiunt cum his,quæ habemus præ manibus. Quæ adhuc magis etiam explicat. Addit enim:

Vt quemadmodum excitatus est Christus à mortuis per gloriam Patris,ita & nos in nouitate uitæ ambulemus.

Vis diuina in resurrectione Christi est declarata.

Gloria patris hoc loco significat vim diuinam, quæ maximè declarata est, cùm Christus resurgeret à mortuis: & in nobis apertè demonstratur,cùm abiectis peccatis incorrupti viuimus. Vitam autem Christianorum hominum inculpatam Paulus frequenter vocabulo nouitatis indicat. Ait enim,oportere nos induere hominem nouum: Et apud Deum ait, nihil esse Circuncisionem,aut præputium, sed tantùm nouam creaturam: monetq; vt,quod attinet ad interiorem hominem in dies magis ac magis renouemur. Ambulandi autem verbo docet,puritatem vitæ,hoc est, hanc innouationem habere gradus: nobisq; curandum esse,vt semper magis magisq; proficiamus.

Verbo nouitatis frequenter Paulus utitur.

Vita noua suos habet gradus.

Nam si insitiij facti sumus illi per similitudinem mortis eius,nimirum & Resurrectionis erimus.

Quod in Christo per naturam factũ est,à nobis analogia oportet referri.

Chrysostomus annotauit mortis similitudinem hoc nos admonere,vt quod in Christo factum est per naturam,id in nobis per analogiam,& proportionẽ fiat. Non enim opus est,vt nos naturali morte per Baptismum extinguamur: sed vt in moribus,& vita similitudinem mortis Christi referamus. In libro Ecclesiastici scribitur: Ad mensam magnam accubuisti: specta, quæ apponantur tibi: quoniam te quoq; paria præstare oportet. Cùm ergo nos fidei oculis Domini crucem,& mortem intuemur,meminisse oportet,paria nos esse aliquando subituros. Hoc autem quemadmodum præstare possimus, Paulus docet appositissimo simili. *Sumus,* inquit, *iam insiti Christo.* In plantis cùm surculus inseritur in truncum, iam non amplius ex se ipso,sed ex trunco,cui inseritur,& succum,& vitam ducit. Ita nos in Regeneratione in Christum inserti, eius spiritu viuere, & cum eo & mori, & resurgere debemus: vt, quemadmodum Christus à doloribus mortis teneri non potuit, ita nos tyrannis peccati non possimus plius constringere. Iustitia,& puritas vitæ quotidie in nobis instaurabitur: id fit, cùm recedimus à peccato. Nam quoad in peccato viuimus, non nouam vitam, sed veterẽ degimus.

Metaphora elegans.

Ad uitã per mortẽ patet aditus. Pauli doctrina ex uerbis Christi

Ad vitam Resurrectionis non patet aditus,nisi per mortem. Hac metaphora Apostolus voluit explicare summam coniunctionem cum Christo, quam etiam à Christo didicerat. Dicit enim Christus, se esse Vitem,in qua nos vt palmites cotinemur: illos autem tantùm ferre fructum,qui maneant in vite. Qui enim à vite separantur,arescunt, apti tantùm ad ignes. Itaque tam ex dictis Pauli,quàm ex Christi sententia concluditur, eos qui viuant extra Christum,non posse ferre fructum bonum. Quicquid enim in nobis est boni fructus, id omne à Christo,tanquam à viua radice educitur. Ea,quæ hoc loco ab Apostolo dicũtur de insitione in Christum,admodùm illustrant, quæ superiori capite dicta sunt, de collatione Adami cum Christo. Dictum enim est,non minus valere Christum ad salutem suorum, quàm Adamus potuit ad condemnationem eorum, qui ab illo per carnem descenderunt. Cumq; ab eo genus humanum vniuersum procreatum sit,nemo potest salutem assequi per Christum, nisi ex Adami cognatione in Christi familiam transeat. Atque hanc transitionem Paulus apposite cum arborũ insitione confert. Quemadmodũ enim surculus auellitur à natiua planta,& in alienam infigitur,& ex ea vitam,& succum trahit, Ita nos oportet à vitiata, & praua natura,quam ex Adamo hausimus, in Christum, tãquam in sanctissimum truncum migrare. Verùm spiritualis ista insitio non parum differt à naturali. Solent enim agricolæ surculum, quem velint inserere, ex nobili, & generosa arbore defringere, atque in aliam infigere, quæ sterilis, & agrestis sit: vt surculus in ea quidem viuat, sed tamen pristinæ arboris, vnde recisus est, vires & proprietates retineat. At nos longè aliter, ab agresti oleastro, & infructuosa planta,hoc est,vitiata Adami natura recisi in Christum inserimur, vt ab eo non tantùm vitam & spiritum ducamus,verùm etiam relictis nostris affectibus pristinis, eius vires,& proprietates induamus. Non enim cùm dicimur peccato mori,intelligendum est, omnes affectus in nobis esse desinere. Illos tantùm affectus cedere ac perire oportet,quæ à vetusta prauitate orti sint. Necesse autem est, si Regenerationi nostræ volumus respondere, vt affectus, & sensus Christi in dies in nobis magis magisq; germinent. Neque malè nobis consulitur, cùm veteris Adami affectiones iubemur exuere. Nam cùm ad imaginem Dei creati simus,illæ nos degenerare faciunt in beluas: imò etiam beluis omnib. deteriores reddunt. Nam bruta modum aliquem suis cupiditatibus positũ habent: nostri autem affectus in immensum vagantur. Per illos valetudo læditur,mens corrũpitur, & nihil in homine suo loco,atque ordine relinquitur. Per illos,non solùm nostra, sed etiam proximorum salus & con-

Extra Christum nihil fructus producitur. Confirmatur Adami collatio cũ Christo.

Ex Adami cognatione in Christi familiam est transeundum.

Spiritualis insitio differt à naturali.

Affectus & sensus Christi germinãt in ijs, qui sunt illi insiti. Homines prauis affectibus deteriores fiunt beluis.

contemnitur, & lædítur: & omnium creaturarum vſus confunditur, & diuinæ legis obſeruatio violatur. Senſerunt etiam Philoſophi, affectus noſtros ita eſſe corruptos, vt, niſi ſuccurratur, omnia in noſtrum exitium ſint conuerſuri. Sed iuſtum remedium non potuerunt adhibere. Deerat illis Chriſtus: in quem, vt Paulus ait, à naturæ prauitate reſecti inſererentur. Abutitur autem Paulus vocabulo mortis, vt oſtendat iſtos prauos affectus, non vtcunque frangendos eſſe virtutibus moralibus, vt Philoſophi ſtatuerunt, ſed prorſus eſſe excindendos, quemadmodum vita priſtina morte finitur. Dicitur etiam recte mors: quia quemadmodum abſque cruciatu & dolore non morimur, ita non ſine grauiſsima moleſtia carnis in Chriſtum inſerimur. Eóque Paulus interdum in hac eadem re vtitur nomine Crucis. Nam ad Galatas ait, eos qui ſunt Chriſti, carnem ſuam cum vitijs & concupiſcentijs crucifixiſſe. Et de ſe ipſo loquens, Mihi, inquit, mundus crucifixus eſt, & ego mundo. Morales virtutes, & externa diſciplina, vt antè dictum eſt, ad hanc mortificationem non ſunt ſatis: quæ tamen ſuis vtilitatibus non carent, quod ad Rempublicam, & vitam ciuilem attinet. Huc autem, quò Paulus ſpectauit, non adducunt. Multò minus hypocriſis Monaſtica præſtare hoc poteſt: imò veræ mortificationi maximè aduerſatur. Multos enim ſæpe vidimus, qui ſeſe ieiunijs, & externis exercitijs vehementer affligerent: qui tamẽ interim corruptiſsimis affectibus laborarent. Ad hanc mortificationẽ irriti ſunt omnes conatus humani. Natura enim non aſſentitur, vt ſeipſam abneget, & interimat. Diuinitùs ergo oportet in cordibus noſtris iram, & odium contra peccatũ inflammari: vt certò perſuaſi ſimus, Deum de ſceleribus vltionem eſſe ſumpturũ. Si Spiritus ſancti beneficio hoc gladio, & hac efficaci ſagitta hominum corda confodiantur, tum demũ incipient ſeipſos perfectè agnoſcere, & ſibi diſplicere, & horrere, quicquid animaduerterint extra Chriſtum in ſe geri. Atque ita fit, vt mors Chriſti maxima cum vtilitate à fidelibus cogitetur. Quod ſi non leuiter, ſed vehementi cum fide agatur, ſentiemus iram, & vltionem Dei copioſiſsimè effuſam contra peccata: quum, vt illa tollerentur, vnigenitum filium ſuum, ipſam alioqui innocentiam tam miſeris modis accipi voluerit, vt omnium noſtrũm ſcelera in ipſo vno puniret. Hæc ſi cum fide in animo verſabimus, incipiemus ita à peccatis abhorrere, vt eadem vis Dei, quæ adegit Chriſtum, vt noſtra cauſa mortem, & crucem, & horribilem cruciatum ſubiret, nos quoque adductura ſit, vt peccato vnà cum Chriſto moriamur. Quod vbi fiet, vt Paulus hîc attingit, *Reſurrectionis quoque illius participes erimus*. Hæc enim duo coniuncta ſunt. Vnde ad Coloſſenſes ſcribit: Si vnà ſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſuperna ſunt quærite: & ſtatim ſubdit: Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram. Et mortui eſtis cum Chriſto, & vita veſtra abſcondita eſt cum eo. Vnde quum apparuerit Chriſtus vita veſtra, tunc vos quoque apparebitis ſimul cum eo in gloria. Et in hac epiſtola, Si ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Et alia ſunt loca permulta, in quibus cum hac morte ſemper vita coniungitur. Imò quò magis in noua vita proficimus, eò longius in mortificatione progredimur. Id quod in epiſtola ad Philipenſes eleganter declaratur. Sic enim Paulus ſcribit, Vt inueniar in illo non habens meam iuſtitiam, quæ ex lege eſt, ſed eam, quæ eſt ex Chriſto per fidem, quæ eſt ex Deo: vt cognoſcam illum, & potentiam reſurrectionis eius, & communionem afflictionum eius: dum conformis fio morti eius, ſi quo modo pertingam ad reſurrectionẽ mortuorũ: non quòd apprehenderim, aut iam perfectus ſim: ſed ſector, ſi etiam apprehẽdam, quatenus apprehenſus ſum à Chriſto Ieſu. Fratres, ego me ipſum nondum arbitror aſſequutum eſſe. Vnde autẽ ea quidem quæ à tergo ſunt, obliuiſcens, ad ea verò, quæ à fronte ſunt, enitens, iuxta præfixum ſignum inſequor ad palmam ſupernæ vocationis Dei. Ex his teſtimonijs aperte demonſtratur, mortem Chriſti, & eius reſurrectionem, & mortificationem, & vitæ nouitatem ſimul eſſe coniũgenda. Hoc etiam addendum eſt: Quòd ſi morti, & reſurrectioni Chriſti inſerti fuerimus, non tantùm condonationem peccatorum & vitam puriorem aſſequemur, ſed etiam Legi morienur. Neque enim ab ea vel accuſabimur, vel condemnabimur, vel ad eius ceremonias adigemur. Nam ad Coloſſenſes ſcribitur: Itaque ſi mortui eſtis cum Chriſto ab elementis, quid quaſi viuentes in mundo decretis teneminí? Ne tetigeris, ne guſtaueris, ne contrectaueris: Et in eodem capite paulò ſuprà, Quum mortui eſſetis in delictis, & in præputio carnis veſtræ, ſimul cum illo vos conuiuificauit condonans vobis omnia delicta, deleto quod aduerſum vos erat chirographo in decretis, quod erat contrarium vobis. Poſtremò efficimur imperterriti, & patientes in aduerſis: ſcientes, quòd ſi cum Chriſto mortui fuerimus, vnà cum illo ſimus regnaturi. Sed quum hoc Pauli argumentum, quod modò tractat, ex natura Baptiſmi deducatur, vt quænam ea ſit, intelligamus, & tanquam cogni-

Cur Paulus hîc uoce mortis utatur.

Crucis uox mortificationẽ Chriſtianam exprimit.

Virtutes morales nõ ſunt ſatis. Neq; monaſtica hypocriſis.

Natura nõ aſſentitur ut ſe ipſam abneget.

Vtilis ratio cogitandæ mortis Chriſti.

Cum ſpirituali morte uita reſurrectionis cõiungitur.

Qui Chriſto ſunt inſerti legi moriuntur.

cognito principio hæc vtilissima monita eliciamus, eaq; in mentem sæpius reuocemus, v-
tile erit, amplam quandam definitionem proponere, quæ omnia prope complectatur, quæ
Baptismi ampla et fusa definitio. in sacris literis de eo traduntur. Baptismus ergo est signum regenerationis in Christum, in
mortem, inquam, & resurrectionem eius, quod loco Circuncilionis successit, cõstans lava-
cro aquæ in uerbo, quo in nomine patris & filij, & Spiritus sancti remissio peccatorum, &
effusio Spiritus Sancti offertur, & Christo, atque Ecclesiæ visibili sacramento inserimur, &
nobis ius ad regnum cælorũ obsignatur, nosq; vicissim peccato morituros, & Christo victu-
ros in posterum profitemur. Huius definitionis membra, vt melius intelligantur, explica-
Omnia sacramẽta dicũtur signa bimus. In primis appellatur Signum: quod Baptismo cum omnibus sacramentis commu-
ne esse, ex eo probatur, quòd Paulus suprà in hac eadem epistola docuit, Abrahamũ, post-
quàm esset iustificatus, accepisse Circuncisionem σφραγίδα iam adeptæ iustitiæ. Quid au-
tem Baptismus obsignet, satis exprimitur, quum signum Regenerationis appellatur. Nam
Christus Nicodemum satis aperte docuit apud Ioannẽ capite tertio, eos, qui seruandi sint,
oportere renasci. Huius autem Regenerationis Baptismum esse signum, Paulus docet ad
Titum, Secundum suam misericordiam, inquiens, saluos nos fecit per lauacrum Regenera
Explicatio Regenerationis. tionis. Cumq; Regeneratio mutatio quædam sit, vt quæ nam ea sit, rectè intelligatur, expli
candus est terminus, Ad quem. Ideoq; addidimus, In Christum, quòd hominum regene-
ratorum fides, studia, vita non aliò spectent, quàm vt toti in Christum transeant. Cumq; o-
mnia, quæ Christus gessit pro nostra salute in morte, ac Resurrectione eius comprehendã-
tur, ideo in hac definitione addidimus, in mortem, & Resurrectionẽ eius baptizandũ esse.
Quod etiam Paulus hoc ipsõ loco docet. Sic enim scribit: An ignoratis, quòd quicunq; ba-
ptizati sumus in Christum, in mortem eius baptizati sumus? Et mox cõmemorat Resurre-
ctionem. Circũcisionis autem loco successisse Baptismum, docet epistola ad Colossenses,
Cur Baptismus nõ repetendus. quem locum suprà citauimus. Vnde cùm Circuncisio semel tantùm cuique adhibita fuerit,
& vna tantùm sit cuiusq; natiuitas, inde fit, vt ne Baptismus quidem debeat repeti. Quod
etiam eò fit, quia Spiritus Sanctus vult nobis penitus esse persuasum, post Baptismũ ad pri-
stinam vitam non esse redeundum: quasi altera Regeneratio cõcedi possit. Nam si quis ita
putaret, vt habetur in epistola ad Hebræos, is Filij Dei sanguinem conculcaret. Itaque Pau
lus ad Ephesios ait. Vnus Spiritus, vna fides, vnum Baptisma. Quòd autem aquæ lauacro,
& Verbo constet, docemur ex epistola ad Ephesios, his verbis: Sicut & Christus dilexit Ec
clesiam, & semetipsum pro ea tradidit, vt eam sanctificaret mundatã lauacro aquę per Ver-
bum. Hæc est natura sacramentorum, vt symbolo, & externo elemento, & Verbo Dei con
stent. Multi scriptores Ecclesiastici, cùm agunt de Baptismo, aquarũ encomia, & laudes præ-
dicant. At ego hîc potius Christianæ religionis admiror simplicitatẽ, cui sacramenta, vt nu-
Symbola euangelicorũ sacramentorum facillima sunt cõparatu. mero pauciss ima, ita factu facillima sint attributa. Quod enim attinet ad symbola, nõ habe-
mus nisi panem, & vinum, & aquam: quæ vbique in vsu sunt, & passim obuia. Idolorum ve-
rò mysteria magno cum apparatu celebrabantur, & admodum erant sumptuosa. At Chri-
Ethnicorũ mysteria fuerũt sumptuosa. stus magnam simplicitatem in rebus externis perpetuò sequutus est. Quanquam diabolus
etiam, vt æmulus Dei, interdum suis quoque sacris aquam adhiberi voluit: vt in mysteriis
Diabolus interdum imitatur simplicitatẽ Dei Mitræ, & Isidis. Et Romani ludis Apollinaribus, & Pelusiis aqua lustrabant ciuitatem. Ita e-
nim putabant eam à periurijs, cædibus, iniustitia, & publicis criminibus expiatum iri. Et qui
homicidium cõmisissent, aquas expiatorias magno studio quærebant. Sed his omissis, hoc
scire debemus, symbolum in sacramentis cognationem habere oportere, & similitudinem
Quæ sit aquæ analogia uel significatio in baptismo. cum re, quæ significatur. Quare, cùm aqua eluat sordes corporis, fœcundet terram, &
sitim restinguat, appositè significat Remissionem peccatorum, Spiritum sanctum, quo bo-
na opera fructificant, & Gratiam, quæ animi æstus refrigerat. Neque aliter Prophetæ in ve-
teri Testamento de Spiritu Sancto in Regeneratione dando vaticinati sunt. Ioel ait: Deũ
effusurum esse aquam mundam super filios, & filias Iudæorum. Et Esaias ait: Omnes sitien-
tes venite ad aquas. Et veteres Hebræi à Paulo dicuntur in mari Rubro, & in Nube fuisse
baptizati. Cuiusmodi autem Verbum sit, quod ad elementum aquæ adiungi debeat, subie-
cimus, quo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti remissio peccatorum, &c. In hanc
promissionem fides obsignatur: & vt ait Tertullianus, Baptismi sacramentum est huius fi-
dei vestis. Hæc præscripta verba traduntur à Christo in capite vltimo Matthæi. Neque, vt
suprà diximus, persuadere mihi possum, Apostolos hanc verborum formulam immutasse:
quanquam Ambrosius ea de re aliter senserit. De cuius iudicio, quid sentiendũ sit, antea sa-
tis diximus. Nobis in præsentia satis est, quòd ex elemento, & verbo Dei luculentum habe-
mus testimonium nostræ regenerationis, & salutis. Quemadmodum enim tria sunt, vt

Ioannes

Ioannes ait, quæ testimonium perhibent de Christo, Spiritus, Sanguis, & Aqua. (nam diuinitatem eius pater, qui significatur per Spiritum, Filius, qui sanguine demonstratur, & Spiritus sanctus, qui aqua denotatur, testati sunt: Et veræ eius naturæ humanæ, Spiritus testis fuit, quem in cruce patri commendauit, & sanguis, & aqua, quæ de latere eius profluxerunt) ita quòd nos simus filij Dei, testimonium habemus à Spiritu Sancto: remissionem autem peccatorum per sanguinem Christi habemus propositam in Verbo repromissionis & aqua extrinsecus corpori admota. His porrò testibus & excitatur, & roboratur fides nostra, quòd regenerati simus, & iam effecti filij Dei. Offertur nobis remissio peccatorum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Non tamen existimare debemus, eam dari ex opere, vt loquuntur, operato, quasi delitescat in aqua Sanctitas, aut Spiritus: & externo contactu nos regeneret. Non ita res habet: Sed per Verbum Dei, & symbolum externum significatur nobis reconciliatio cum Deo per Christum facta: quam si fide apprehendimus, & iustificamur, & sanctificamur. Itaque Augustinus in Ioannem ait: vnde hæc tanta virtus aquæ, vt corpus attingat, & cor abluat, nisi efficiente Verbo? non quà dicitur, sed quà creditur. In infantibus autem, qui adhuc per ætatem credere non possunt, Spiritus sanctus in eorum cordibus fidei vices agit. Effusio quoque Spiritus Sancti promittitur in Baptismo, vt in Epistola ad Titum diserte scribitur: Qui saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos copiosè. Neque ista duo nobis sic offeruntur in Baptismo, quasi ea ante Baptismũ nullo modo habeamus. Negari enim non potest, adultos credentes iustificationẽ habere etiam, antequàm baptizentur. Ita enim Abrahamus credidit, & iustificatus est: deinde accepit signaculum Circuncisionis. Et Cornelius Centurio, quum Petrum audiuisset, & credidisset, non solùm est iustificatus, verùm etiam visibiliter accepit Spiritum Sanctum. Neque paruulos baptizaremus, nisi iam eos ad Ecclesiam, & ad Christum arbitraremur pertinere. Nec tamen huiusmodi frustra baptizantur. Parendum enim est præcepto Dei: quod si quis contemneret, quantumuis iactaret fidem suam, satis tamen declararet se nec credere, nec esse iustificatum, nec remissionem peccatorum accepisse. Deinde, quamuis credant, tamen quum rursus iste promissiones offerantur, idque ex instituto Domini, easque illi fide, ac impulsu Spiritus Sancti efficaciter apprehendant, non possunt in illis non augeri Dei beneficia. Cur autem Spiritus Sanctus effundatur in corda eorum, qui regenerantur, hæc ratio est: Quia refingendi sunt, & cor eorum lapideum, vt ait Propheta, mutandum est in carneum: quæ humana ratione fieri non possunt. Inseri autem nos visibili Sacramento in Christum, & Ecclesiam, primùm declaratur ex hoc loco, quem habemus præ manibus. Paulus enim ait, eos, qui baptizantur, inseri in Christum. Et prima Corinth. capite duodecimo, Per vnum, inquit, spiritum nos omnes in vnum corpus baptizati sumus. Hoc autem corpus esse Ecclesiam, in eodem capite abundè docet. Addidimus, Sacramento Visibili, quoniam animo, & spiritu statim, vt sumus iustificati, re ipsa inseri mur, & Christo, & Ecclesiæ. Sed id, quoniam hominibus obscurum est, posteà cognoscitur, quum externo sacramento inauguramur. Obsignatur etiam nobis per Baptismum ius ad vitam æternam. Donatur quidem illud nobis statim vbi iustificamur, pertinetq; ad nos iure, non meriti, sed liberalis donationis Dei: per Baptismum verò obsignatur. Vt Regiæ largitiones, quàm primùm concessæ sunt, sine controuersia ad nos pertinent: posteà tamen addũtur obsignationes, vt regis voluntas, si sit opus, alijs testata esse possit. Neq; verò pars ista, Ius ad vitam æternã, ita accipienda est, quasi excludendi sint è regno cælorũ, qui non fuerint baptizati. Si enim crediderint, & per eos non steterit, quò minus baptizarẽtur, non est ambigendũ de illorum salute. Christus enim ait: Qui credit in me, habet vitam æternã. Et alio loco, quanuis dicat, eum, qui crediderit, & baptizatus fuerit, fore saluũ, tamen statim adiecit: Qui non crediderit, condemnabit. Quibus verbis innuit, Baptismũ non ita esse necessariũ, quin fidelis absq; eo seruari possit, modò ne intercedat contemptus, & inobedientia. Scholæ etiam fatentur præter Baptismũ aquæ, pios interdum Martyrio, & afflatu spiritus baptizari, quantùm ad salutẽ sit satis. Christus quoq; mortẽ ipsam appellauit Baptismũ, cùm se alio baptismo diceret esse baptizandũ: & prædixit, Apostolos baptizandos esse spiritu sancto non post multos dies ab Ascensione sua in cælum. Vltimo loco nos vicissim in Baptismo mortẽ, quod ad peccatũ attinet, profitemur, & nouã vitam. Quæ professio nihil aliud ostẽdit, quàm huic sacramẽto pœnitentiã cõiunctã esse, quod & Ioannes, & Christus docuerunt, cùm de Baptismo loquerentur. Et patres, cùm mare transmississent, euaserunt in libertatem: Pharao autem cum exercitu in aquis submersus est, Quo significatũ est, nos per

Locus Ioannis. De tribus testimonijs.

Verbũ non mundat quia dicitur sed quia creditur.

Quæ offerũtur in Baptismo, etiã ante ipsum habentur.

In baptismo quæ prius habebãtur dona, augentur. Spiritus in cor effunditur, quando regeneramur Per Baptismum uisibiliter inseri mur Christo & Ecclesiæ. Cur adhibeatur hæc uisibilis insitio. Obsignatur ius ad uitam æternam. Simile. Non omnes, qui non sunt baptizati, percunt.

Christus mortẽ appellauit Baptismum. Effusio spiritus sancti fuit Baptismus. Baptismus habet coniunctã secum pœnitentiam.

baptismũ ita esse instaurãdos, vt peccata ibi deseramus, & nouo proposito ad sanctã vitam emergamus. Hæc omnia, cùm baptizati simus, è scripturarũ testimonijs frequenter debemus cõsiderare, & de his omnib. nos ipsos subinde admonere. Quanuis enim hoc sacramẽtum semel tantũ exhibeatur, nũquam tamen in omnẽ vitam obliuioni tradendũ est. Quemadmodum enim Iudæi semper meminisse debuerũt se esse circuncisos, ità nos quoque perpetuò debemus in mentem Baptismum nostrum reuocare. Nec prętereundum est, Anabaptistas ex isto capite conari errorem suum confirmare, quo putant infantibus Baptismum non esse dandum, quòd promissiones oblatas fide percipere non possint, aut mortificationem, & nouam vitam profiteri. At hoc argumẽtum, quàm infirmum sit, partim ratio ipsa ostendit, partim scripturæ docent. Nonenim est hoc proprium signorum, vt tum solùm prosint, cùm adsint. Alioqui oporteret nos perpetuò baptizari. Semel quidem traduntur: sed memoria repetita semper prosunt. Non enim est eorum momentanea vtilitas. Quòd si infantes promissiones oblatas non possunt apprehendere, at eas postea adultiores capient. Sed quum capaces sint fœderis, & res promissæ ad illos pertineant, cur signa illarum ab eis auferemus? Volunt, videlicet, isti Deo videri sapientiores. Deus enim nouerat, non minus certè, quàm isti, Circuncisionem continere promissionem de Christo, & professionẽ mortificationis, & nouæ vitæ. Nam per prophetas vrget assiduè circuncisionem cordis, quæ illo sacramento significabatur. Et tamen iussit sibi paruulos per circuncisionem initiari, Cur ergo isti nobis obijciunt id, quòd Deus ipse paruulis obesse noluit? Solent etiam vrgere præceptum Domini, quo mandauit Apostolis, vt docerent, & baptizarent. Et infantes putant ideo non esse baptizandos, quòd recipere non possint prædicationem, & doctrinam Euangelicã. Nec animaduertunt, Christum illo præcepto rationem docuisse propagandæ religionis, & instituendæ Ecclesiæ. Non enim debebant Apostoli munus, & functionem suam inchoare à sacramentis. Primùm prædicare oportuit Euangelium: postea credentes baptizare. Atque ita Apostoli baptizabant non tantùm credentes, sed etiam vniuersas eorum familias. Quemadmodum etiam legimus, Abrahamũ, cùm credidisset, non solùm se ipsum circuncidisse, sed etiam omnes suos. Et certè scimus ex sacris literis, Baptismũ loco Circuncisioni successisse. Quare non possunt dicere, Baptismũ puerorũ institutum esse contra Verbum Dei. Quòd nisi fateri velint, infantes nostros deteriori loco esse, quàm fuerint infantes Iudæorum, necesse est, vt fateantur, nostros quoque Deo, & Christo initiandos esse. Repudiandi etiam sunt illi, qui volunt Circuncisionem fuisse tantùm consignationem promissionum de rebus temporarijs. Nam Paulus apertè docet, eam cum Baptismo conferendam esse. Et in capit. 17. libri Genes. instituitur Circuncisio ad hanc promissionem confirmandam: Ego ero Deus tuus, & Deus seminis tui. Iam verò Deus indubitato seruat eos, quorum est Deus: idq; non solùm quod ad animum attinet, aut quod attinet ad solum corpus, sed integram totamq; naturam. Tantique momenti, & ponderis est illa promissio, vt Christus ex ea probare voluerit mortuorum resurrectionem. Quum enim Deus prædicet, se Abrahami, Isaaci, & Iacobi esse Deum, ex eo statuit, eos viuere, & eorum corpora illis in Resurrectione esse restituenda. Et mirum est, quomodò audeant affirmare, Baptismum infantum nouum esse institutum in Ecclesia. Cyprianus enim antiquissimus scriptor eius meminit: & respondet, non esse necesse, vt ad eos baptizandos dies octauus expectetur: Euangelicam enim veritatẽ, nos ab obseruando dierum numero exemisse. Itaque posse eos baptizari, quocunq; die frequẽs Ecclesia conuenerit. Origenes etiam scribens in hanc epistolam, & in Leuiticum satis indicat infantes suo tempore consueuisse baptizari. Quumq; isti non longè adfuerint à temporibus Apostolorum, nec eam rem tanquam aut à se, aut sua ætate inuentam tradant, satis apparet eum morem fluxisse ab Apostolis. Dicunt Higinũ Romanum Episcopũ huius rei fuisse autorem. Quod ex eius Decretis minimè probari potest. Legimus quidem, eum tulisse legem de susceptoribus, quos Patrinos, & Matrinas vocant: vtile sanè institutum. Voluit enim, vt cùm paruuli per Baptismũ in Ecclesiam reciperentur, aliquorum fidei, à quibus possent instrui, cõmenderantur. Ad hoc præstandũ susceptores fidem suam obstringunt: tametsi hodie nihil minus curent. Infirmũ autem est argumentum, ex eo colligere, Higinum primũ fuisse autorem, vt infantes tingerentur, quòd instituerit susceptores. Imò potius cùm ille de ea re Decretũ fecerit, probabile est paruulorũ baptismum antea fuisse in vsu. Sed citant Tertullianũ in libel. de Baptis. quem admodùm elegantẽ scripsit. Sed cùm vir ille extrema ætate ab orthodoxa fide defecerit ad Montanũ, non potest in hac re eius autoritas esse tanti. Nam & secundas nuptias damnauit, & Baptismũ paruulorũ contra receptum vsum Ecclesię improbauit. Quòd si eius sententiam sequi velimus, nec iuuenes

Baptismũ reuocare debemus in memoriã quàm frequentissimè.

De pedobaptismo aduersus anabatistas.

Signa utilia sunt etiam cùm non adsunt.

Circũcisio data paruulis.

Ratio seruanda in ecclesia propaganda.

Credentes baptizantur cum tota familia.

Infantes nostri non sunt deterioris conditionis, quàm Hebræi.

Circuncisio non tantũ consignauit promissiones temporarias

Probatio resurrectionis.

Pedobaptismus non est res noua in ecclesia.

Higinus statuit de susceptoribus. non de infantũ baptismo.

Tertulliani sentẽtia quoad hoc non recipienda.

uenes cœlibes, nec viduæ adoleſcentulæ baptizandæ ſunt. Statuit enim, hoc ſacramentum ſerò, & non niſi maturæ ætati adminiſtrandũ eſſe. Sed ex ipſo Tertulliano ſatis oſtendi poteſt, eius tempeſtate infantes ſolitos fuiſſe baptizari. Neque enim id reprehẽdiſſet, niſi iam fuiſſet in vſu. Sed redeo ad Apoſtolum.

In uſu eius ætate fuit infantes baptizari.

Illud ſcientes quòd uetus homo noſter cum illo crucifixus eſt, ut aboleretur corpus peccati: ut poſthac non ſeruiamus peccato. Id agit Apoſtolus, vt doceat, eos, qui ſunt Chriſti, debere mori peccato: Et cõmunionem propoſuit, quam habemus cum morte, & reſurrectione Chriſti: quam communionem oſtendit ex Baptiſmo. Per Baptiſmum enim probamur inſiti eſſe Chriſto, ad hoc, vt vetus homo in nobis crucifigatur, & amplius ne ſimus addicti peccato. Chryſoſtomus hoc loco ait duplicem eſſe regenerationem: alteram ex condonatione peccatorum: alteram, quam poſt iuſtificationem obtinemus ſanctè, & innocenter viuendo, priorem fatetur nobis dono Dei contingere: in altera ait requiri noſtram diligentiam. Hæc illius ſententia hucuſque vera eſt. Ad priorem enim regenerationem nulla requiruntur noſtra opera: ad alteram verò perficiendã iuſtificatos oportet cum gratia, & ſpiritu cooperari. Cæterùm neſcio quomodò, paulò pòſt oblitus ſui, ait, nos ad priorem illam regenerationem fidem adferre de noſtro. Quod longè alienum eſt à vero. Paulus enim ad Epheſios docet, fidem eſſe donum Dei, non autem ex nobis ipſis. Quem locum ille exponẽs, ſic intelligit: Fidem eſſe donum Dei, quia non crederemus, niſi Deus nos vocaret, & quæ credenda ſunt, proponeret. Itaque in noſtro arbitrio vult eſſe ſitum, vt vocationi, & promiſſionibus Dei oblatis aſſentiamur. At id cum permultis teſtimonijs ſcripturarum apertè pugnat. Nam de muliere illa purpuraria in Actis Apoſtolorum legimus, apertum illi à Deo fuiſſe cor, vt ea perciperet, quæ à Paulo dicebantur. Et Ezechiel docet, piorum corda à Deo mutari, & ex lapideis fieri carnea. Chriſtus etiam ait, neminem ad ſe venire poſſe, niſi tractum à patre. Et Dauid orat Deum, vt corda ſuorum inclinet in teſtimonia ſua. Flecti etiam, & indurari corda à Deo non vno in loco legimus. Denique Paulus ait In eadem epiſtola, non eſſe volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei. Verùm de hac quæſtione infrà dicemus latius. Nunc videndum eſt, quid Paulus hoc loco intelligat per Veterem hominem, quem ait cum Chriſto eſſe crucifixum: quid etiam per Corpus peccati, quod aſſerit eſſe abolendum. Quum dicit Veterem hominem, alludit ad Adamum, & naturam vitiatam intelligit, quam omnes ex eo contraximus. Neque ſuggillat, vt quidam putant, tantùm corpus, & craſſiores partes animi: ſed vnà mentem, rationem, & voluntatem complectitur. His enim omnibus partibus homo conſtat: nobisque malitia, & vetuſtas iſta adeò inhæret, vt annotarunt Græca ſcholia, vt Apoſtolus ea hominis nomine appellauerit. Et homines alieni à Chriſto adeò ſunt ſuis cupiditatibus, & voluptatibus, & erroribus dediti, vt abſque illis ne homines quidem eſſe velint. Adhæc ex antitheſi ad hominem nouum intelligi poteſt, qualis ſit homo vetus. In epiſtola ad Epheſios iubemur induere nouum hominẽ, qui ſecundum Deum creatus eſt in omni iuſtitia, & ſanctitate veritatis: Et è diuerſo, Deponere veterem hominẽ, qui corrumpitur iuxta concupiſcentias erroris. Itaque Ambroſius exponens hunc locum, ait: Hominem ergo veterem actus præteritos dicit. Quia ſicut nouus homo per fidem, & puram vitam dicitur, ita vetus homo per diffidentiam, & malos actus. Corpus etiam peccati nihil aliud ſignificat, quàm deprauationem, & corruptelam totius noſtræ naturæ. Neque enim hac voce vult Apoſtolus intelligere noſtri corporis conſtitutionẽ. Verùm innata concupiſcentia, quanuis vna ſit, tamen quia in ea conſociata, & colligata ſunt omnia peccata, quæ prout offeruntur occaſiones, erumpunt, ideò ea corporis nomine exprimitur. Et Paulus ad Coloſſenſ. hac eadem ratione varia peccata appellauit membra noſtra. Mortificate, inquit, membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram, ſcortationem, immunditiem, concupiſcentiam malam, auaritiam, & quæ ſequuntur. Et certè, niſi ſpiritus Chriſti prohibeat membra noſtra, omnino ſunt organa, & inſtrumenta peccatorum. Chryſoſtomus hoc loco ait, Non hoc corpus ita vocaſſe Apoſtolum, ſed vniuerſam malitiam noſtram: ita enim eum omnem malitiam Veterem hominem appellaſſe. Græca ſcholia per Corpus peccati naturam damnatam intelligunt. Quanquam ſi id velimus ad externum hoc noſtrum corpus referre, Paulus videri poterit, ita loquutus, quòd omnis praua cupiditas, & omne naturæ vitium per corpus à natura trahatur. Obſeruandum eſt, Apoſtolum ſpiritui opponere naturæ corruptionem varia appellatione, aliquando carnis, aliquando corporis peccati, aliquando veteris, aliquando externi hominis, aliquando hominis animalis: quæ omnia ſignificant, quicquid eſt in homine præter Chriſtum, & regenerationem, & quicquid nos retrahit à lege Dei. E diuerſo, nomine ſpiritus omnia complectitur, quæ afflatu, in-

Quomodo Chryſoſtomus intelligat fidẽ eſſe donum Dei.

Ad fidem ingenerandam nobis nõ ſatis eſt Deũ proponere credenda.

Vetus homo.

Non tantum corpus et craſſiores animi partes ad ueterem hominem pertinent.

Homo nouus qs.

Corpus peccati qd.

Membra noſtra ſunt peccatorũ inſtrumenta niſi deus prohibeat.

Prauitas humana per corpus trahitur.

Corruptio naturæ uaria habet nomina.

ſtínctu,& motu Spíritus ſancti in nobis aguntur. Vnde Ambroſius per corpus peccati, animum ſimul intelligit, id eſt, totum hominẽ. Quemadmodum è diuerſo, Anima quoque interdum in ſacris literis Corpus ipſum,& totum hominem ſignificat. Caro etiam interdum omnes partes hominis nondum regenerati complectitur. Nam Chriſtus quum de regeneratione cum Nicodemo diſputaret, Quod natum, inquit, eſt ex carne, caro eſt: quibus verbis oſtendit, carnem in ſpiritum oportere regenerari. Quum autem regeneratio non tantùm ad corpus pertineat, nec tantùm ad partes animi craſsiores, ſed præcipuè ad mentem, rationem,& voluntatem, ſatis apparet, iſta quoque nomine Carnis intelligi. Et Ambroſius ait, Carnem interdum appellari animam ſequentem corporea vitia. Et Chriſtus reſpondit Petro, quum illam pulchram confeſsionem edidiſſet, Caro,& ſanguis non reuelauit tibi. Vbi per carnem,& ſanguinem intellexit, quicquid humana ratio poteſt naturaliter cognoſcere. Quare Corpus peccati, & Veterem hominem retinere, nihil aliud eſt, quàm iuxta id viuere, quod nati ſumus. Quòd ſi quis interroget, naturales notitiæ de Deo,& rebus agendis nobis inſitæ, inter bona ne ſint reponendæ, an non? reſpondeo, per ſe bonas eſſe: vtautem in nobis nondũ regeneratis, aut vitiatis,& corruptis ſunt, peccata certè ſunt: quia deficiunt,& aberrant à naturæ ſuæ inſtituto. Debuerãt enim ita eſſe efficaces, vt omnes noſtras vires,& facultates ad obediendum ſibi impellerent. Sunt autem ita debiles, vt rectam vitam,& iuſtum Dei cultum perſuadere non poſsint. Quod idem dicendum eſt de affectibus innatis erga parentes, amicos, patriam,& alia id genus. Quanuis enim hæc ex natura ſua bona,& honeſta ſint, tamen in nobis nondum inſitis in Chriſtum peccata ſunt. Non enim referimus eas pro eo, vt debemus, ad gloriam vnius veri Dei,& patris Domini noſtri Ieſu Chriſti: nec ea ex fide facimus, extra quam quicquid fit, peccatum eſt. Et ait Paulus, τοῦτο γινώσκοντες, & paulò pòſt, εἰδότες λογίζεται: quæ docent, ea quæ hîc dicuntur, nobis eſſe oportere certa, perſpecta,& abſolutè cognita: vt quiſq; pius hoc in ſe ipſo ſentiat. Antithesin habet iſta loquutio ad id, quod ab initio dicebatur: An ignoratis, quòd quicunque baptizati ſumus in Chriſtum Ieſum, in mortem ipſius baptizati ſumus? acſi diceret: Hoc vos ignorare non debetis. Et ſi hoc principium habetis cognitum, ea, quæ inde ſequuntur, oportet vobis nota eſſe. Non ſit mirum, Paulum tot, tamque varijs tropis, hyperbolis, inquam,& metaphoris hanc rem exaggerare: Nos mortuos eſſe peccato, ſepeliri cum Chriſto,& crucifixum eſſe veterem hominem, vt aboleatur corpus peccati,& alia id genus. Nunquam enim nobis ſatis cogniti ſumus, neque abhorremus, vt oportet, à naturali prauitate,& peccatis inde pullulantibus. Imò ſunt permulti, qui prætextu laudis naturæ,& operum Dei, complura laudibus celebrant, quæ iure optimo damnari debent: præſertim quum ſint peccata. Senſus ergo huius loci eſt, iam gratia Chriſti,& profeſsione Baptiſmi crucifixum eſſe veterem hominem: eumque perpetuò ita eſſe reprimendum, vt Corpus, id eſt, ſocietas vitiorum, quæ inde oritur, aboleatur. Et quanuis in hac vita non impetremus, vt ne aliquo interdũ lapſu concidamus, eò tamen vniuerſi noſtri conatus debent tendere, vt quemadmodum Chriſtus non ex parte, ſed totum ſe pro nobis in crucem dedit, ita nos non tantùm ad vnum, aut alterum, ſed prorſus ad omnia vitiorum genera moriamur. Hæc autem crucifixio, ſi ſpectemus primam cõmunionem, quam habemus cum morte,& cum reſurrectione Chriſti, debetur ſpiritui ſancto,& liberali miſericordię Dei. Verùm cùm iam per fidem regenerati, translati ſumus ab Adamo ad Chriſtum, oportet operam, ſtudiũ,& diligentiam noſtram intercedere. Ideoq; Paulus ad Galat. ſcribit, eos, qui ſunt Chriſti, carnem ſuam cum cõcupiſcentijs crucifixiſſe. Atq; id meritò. Cùm enim ſint membra Chriſti, oportet, vt capiti ſuo ſint conformes. Et Ambroſius annotauit, nos vnà cum carne diabolum crucifigere, quòd ille per eam in nobis ſit efficax.

Anima. Caro.

Ratio & uoluntas cõprehenditur nomine carnis.

Naturales notitiæ nobis inditæ ſunt bonæ per ſe, uerũ nobis pecta eſſe poſſunt.

Affectus nõ renatorum, quanuis honeſti, ſunt peccata.

Quare tot tropis utatur Paulus.

Pulchra collatio

Diabolus cũ carne crucifigitur.

Vt poſthac non ſeruiamus peccato. Exponit adhuc apertius, quid illud ſit, Aboleri corpus peccati. Id autem eſt, cupiditati nobis innatæ per diuerſa ſcelera non obedire. Voce verò ea ſeruitutis indicat, ſe nobis non inutilia, ſed in primis expetenda proponere: nimirum, vt aſſeramur in libertatem. Neque verò vt finem proponit, vt peccatum nullo modo in nobis extet. Id enim fieri non poteſt, quandiu colimus hanc vitam. Sed eò monet eſſe contendendum, vt peccato non ſeruiamus.

Finis eſt, ut non ſeruiamus peccato.

Etenim qui mortuus eſt, iuſtificatus eſt à peccato. Ratio eſt, cur cupiditati non ſit ſeruiendum: nempe, quòd per mortem ab illa ſimus abſoluti. Hoc enim ſignificat, Iuſtificari à peccato, ab eo liberari, vt amplius in nos poteſtatem non habeat. Et videtur Paulus hîc loqui non de morte naturæ, ſed de mortificatione, de qua toties diximus. Et poſſet Iuſtificatio accipi propriè, vt mortificatio ſit illius effectum. Neque enim illam conſe-

consequi possumus, nisi prius iustificati. Quanquam alij non incommodè locum hunc intelligunt de vsitata, & naturali morte. Mortui enim desistunt à prauis actionibus, in quibus antea viuebant. Dicimus enim de fure iam suspenso, ille iam furari desiit: & prouerbium est, Mortuos non mordere. Quare, si sequemur hunc sensum, erit metaphora, quòd quemadmodum, qui naturaliter sunt mortui, peccata, quæ viuendo admiserãt, relinquunt, & finiũt, ita nos cùm simus mortui Christo, & professi simus, nos mori velle peccato, debemus prorsus à peccato desistere. Non aliter accipienda sunt ista verba Pauli, atque illa Ioannis, Qui natus est ex Deo, non peccat: hoc est, quatenus quisque viuit, & agit ex principio cælestis natiuitatis. Illud autem principium est Spiritus, & Verbum Dei. Ita ille dicitur absolutus esse à peccato, nec eius impulsu quicquã agere, qui peccato sit mortuus, & vnà cum Christo affixus cruci, quatenus quidẽ est mortuus, & affixus cruci. Nec aliter Petrus docuit in epist. priori capite 4. Christo pro nobis passo in carne, vos eadem cogitatione armemini. Qui enim mortuus est, peccare desiit: neque in desiderijs hominum, sed in voluntate Domini Dei viuit.

Locus Ioannis.

Principia cælestis regenerationis.

Quòd si mortui sumus cum Christo, credimus, quòd etiam uiuemus cum illo. Ne ad vocem mortis horreamus, quam antea toties inculcauit, in præsentia addit consolationem, qua declarat, huic morti à se commemorate Christi vitam succurrere: vt si vnà cum Christo moriamur, vnà etiam cum illo viuamus. Vita autem hæc non tantùm illa est, quam in futuro seculo expectamus, sed etiam hæc ipsa, quam nunc degimus: quæ re vera vna, & eadem est cum futura: nisi quòd hæc inchoata, & imperfecta sit, illa perfecta, & absoluta. Nam qui in Christum credimus, & iustificati sumus, vitam Dei etiam in præsentia degimus. Agimur enim, & mouemur, non ex nobis ipsis, sed ex Spiritu Dei. Qualis autem sit illa vita Christi, quæ nobis interim, dum hîc viuimus, communicatur, Apostolus statim subijcit.

Post regenerationem uitam Dei agimus.

Scientes, quòd Christus excitatus à mortuis non amplius moritur: mors non amplius illi dominatur.

Vt vita Christi nulla vnquam morte perimitur, ita vita filiorum Dei, & fratrum Christi peccatis non est interpolanda. Cur autem Christus non amplius moriatur, causa hæc est, quia mortem deuicit, & peccatum abstulit: quo vno mors nitebatur, & regnabat. Nam ad Corinthios scribitur, Stimulus mortis peccatum est: & in hac epistola, Mors per peccatum regnauit. Quare, qui participes sunt mortis Christi, neque peccato, neque morti ulterius aut debent, aut possunt subijci. Alia tamen est in nobis ratio, alia in Christo. Mors enim eius, vt Augustinus ait de Trinitate, simpla fuit: nostra verò dupla: illius enim corpus tantùm extinguebatur. Nam animus eius nunquam expers fuit æternæ, ac veræ vitæ: quum peccatum in eo locum nunquam habuerit. In nobis verò & corpus, & animus propter peccatum mortua erant. Quemadmodũ ergo Christus rursus non moritur, quod attinet ad Corpus, ita nos per peccatum nec corpore, nec animo debemus mori. Alioquinvnica mors Christi duplici nostræ morti remedium, vt ille ait, non afferret. Neque emphasi vacat quòd Apostolus hoc loco eundem sensum geminauit: Non amplius moritur, inquiens, &, Mors illi vltra non dominatur. Voluit enim nos omnino intelligere, mortem à Christo remotam esse. Nec tamen ex his verbis inferri debet, mortem aliquando sic dominatam esse Christo, vt mori cogeretur. Ait enim, neminem posse animam suam sibi eripere: se autem habere potestatem & ponendi animam suam, & eam resumendi. Christus se vltro, ac volens subiecit morti. Itaque nos quoque, quum simus eius membra, & corpus mysticum, vltro ac sponte debemus cum Christo commori: atque ita, vt amplius nolimus mori, hoc est, nostrorũ peccatorũ reatibus morti, & damnationi amplius esse obnoxij.

Cur Christus nõ amplius moriatur.

Mors Christi simpla, nostra dupla.

Christus non est coactus mori.

Nobis item satis esse debet, ut peccato semel moriamur.

Nam quòd mortuus est peccato, mortuus est semel: quòd autem uiuit, uiuit Deo. Christum semel tantùm mortuum fuisse peccato, ostendit id, quod habetur ad Hebræos, eum vna oblatione omnia consummasse: vt, semel, & Vnitatem, referat ad absolutionem & perfectionem rei gestæ. Satis fuit, vt Christus semel moreretur. Quare nobis quoque satis esse debet, vt semel peccato moriamur, neque committamus, vt semper nouæ causæ mortis renascantur. Notandum autem est, Christum, & nos diuersa ratione dici, mori peccato. Christus enim in se peccatum non habuit, cui moreretur. Nam propter peccatum, quod in nobis erat, mortuus est. Nos autem mori oportet peccato, quod in nobis ipsis adhuc circũferimus. Adhęc, ex hoc loco duo inferuntur, primùm, si semel Christus mortuus est, idque fuit satis, non esse opus, vt quotidie in Missis denuò sacrificetur. Vna enim eius mors satis fuit ad omnia peccata expianda. Neque enim, quod solent iactare, Sacrifici efficere possunt, vt mors Christi huic & illi applicetur. Quilibet enim illam sua fide apprehendit, & sibi applicat. Deinde ex hoc loco infertur, Baptismum non esse repetendum, quum in eo

Nos & Christus non eodẽ modo peccato morimur.

Non potest fieri ut Christus quotidie sacrificetur.

Sacrifici mortẽ Christi per suas missas alijs non applicant.

Baptismus nõ repetendus.

Christo commoriamur. Id enim quum ille semel fecerit, nos minimè debemus repetere sa-
pius. Quod epistola ad Hebræos apertè docet. Id enim scribitur, nihil aliud fore, quàm rur-
sus crucifigere filium Dei, & eum habere ostentui. Obsignatio diuinæ promissionis, quam
in Baptismo accipimus, vim suam nunquam amittit. Dum enim recolimus, nos esse bapti-
zatos, modò fides adsit, memoria ipsa eius obsignationis & de promissione confirmamur,
& de vita Christi degenda admonemur. Sed suprà plures rationes adduximus, quare Ba-
ptismus non sit tepetendus. Quòd Christus dicitur viuere Deo, non solùm significat illum
beatè viuere, sed etiam indiuulsè Deo hærere. Quod nobis quoque, si verè Christi sumus,
faciendum est. Ideoq; totam rationem his verbis concludit:

Ita & uos existimate, uos ipsos mortuos esse peccato: uiuentes autem Deo per Iesum Christum Dominum nostrum. Hæc ita sonant, acsi diceret: Quod factum est in Christo, id faciendum est in nobis. Quum igitur ille semel tantùm sit mortuus, & nunc perpetuò viuat Deo, idem cura-
re debemus, vt in nobis agatur. Hinc apparet, quàm indignè Pauli doctrina petita sit ila calumnia, quasi doceret manendum esse in peccato, vt abundaret gratia: Et mala esse fa-
cienda, vt sequerentur bona. Contrà enim docet, vt quemadmodum Christus semper vi-
uit in Deo, ita nos quoque in Christo semper viuamus per innocentiam. Quam eandem
doctrinam Dominus proposuit in Ioanne, Sicut me misit viuens pater, inquiens, & ego
viuo propter patrem, ita qui edit me, viuet propter me. Iudicate, inquit, vos mortuos
quidem esse peccato, viuentes autem Deo. Nam, vt ait Chrysostomus, res ista non agitur
natura, nec externo sensu ostendi potest: sed sola fide intelligitur. Ideo existimate, inquit,
& in animo assiduè versate.

Paulus prædicat uiuendum Deo, nè manendũ in peccato.

Per Christum Iesum Dominum nostrum. Hoc additur, vt intelligamus, hæc omnia illius tan-
tùm beneficio, non humanis viribus, aut naturali ratione percipi posse.

Ne igitur regnet peccatum in uestro mortali corpore. Absoluta ratione, subiungitur adhortatio,
breuis quidem, sed maximi ponderis. Ad id enim prouocat, in quo sita est summa felicitas,
quæ in eo locata est, vt remotissimi simus ab omnibus malis, & in perfectissima actione ver
semur. Vult ergo Paulus, vt peccatum abijciamus: quod est remouere à nobis naturã ma-
li. Quicquid infelicitatis, & miseriæ in nobis est, id omne à peccato deriuatur. Deinde iu-
bet, vt nostras actiones à diuino principio ducamus. Statuunt philosophi, actionem eam
esse perfectissimam, quæ à nobilissima virtute oriatur. Quare, quum omnes nostras vires,
& facultates Deo, hoc est, summo bono mouendas & agitandas permittimus, opera ne-
cesse est elici perfectissima. Deus enim longè omni humana virtute est perfectior. Qua-
re, si, quicquid agimus, agamus impulsu eius, optimo fine fruemur, & summa felicitate.
Loquitur Paulus de peccato per Prosopopœiam, hortatúrque, ne patiamur illud in nobis
regnare. Qua eadem forma loquendi dixit suprà, mortem regnasse ab Adamo vsque ad
Mosen. Per mortale corpus Ambrosius inquit, hominem totum intelligi: quemadmo-
dum interdum homo totus significatur per animum. In quam sententiam citat illa ver-
ba Ezechielis, Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur: Idque asserit, de vtraque parte ho-
minis esse intelligendum. Chrysostomus putat, corpus idcirco mortale appellari, vt do-
ceamur, hanc pugnam, quam Apostolus suadet aduersus peccatum, non diuturnam, sed
breuem fore. Quam etiam eo nomine commendari arbitratur, quòd quum Adamus, quan
uis haberet corpus nulli morti obnoxium, tamen sibi à peccato non temperarit, multò lau-
dabilius, & pulchrius futurum sit, si nos in hoc mortali corpore peccata fugiamus. Ego
verò arbitror, illud, In vestro mortali corpore, nihil aliud esse, quàm si diceretur Hebrai-
co more, Per vestrum mortale corpus. Siquidem innata illa Concupiscentia, quam Pau-
lus non vult in nobis regnare, ab Adamo in nos per corpus est deriuata, & in nobis fomen-
ta, & incitationes capit. Nam per generationem, & semen, vt suprà fusè probauimus, pec-
catum originale traducitur. Mortale autem adiecit, vt augeatur contemptio, & ob oculos
ponatur prauitas huiusmodi supplicio mortis dammata, quo magis nos absterreat ab eius
obedientia. Periniquum enim esset, rem morti condemnatam Verbo Dei, & eius spiritui
anteponere. Statim explicat, quidnam sit peccatum in nobis regnare. Id autem est pecca-
to obedire. Itaque addit:

Quæ sit felicitas

Actio ea perfectissima est, quæ à nobilissima uirtute proficiscitur.

Vt obediatis ei per cupiditates eius. Numero multitudinis dicit, Cupiditates: quoniam ab in-
nata naturæ prauitate, quam modò peccatũ nominauit, singulari numero, cupiditates per-
multæ subinde pullulant. Illis Paulus monet, ne obediamus. Prohibere non potest, quin
Concupiscentia, dum viuimus, aliquam tyrannidem in nos etiam inuitos exerceat. Quare
hoc tantùm requirit, ne vltro, & volentes illi pareamus. Hoc enim est illi regnũ permittere.

Ne-

Neque accommodetis membra uestra arma iniustitiæ peccato. Planius adhuc explicat, quid sit obedire peccato. Id autem est membra nostra illi, vt arma exhibere. Per membra intelligit, non solùm corporis partes, sed etiam vniuersas animi facultates. Hæc omnia prohibet accommodari peccato. Potuisset vti alia voce, videlicet, ne membra nostra exhibeamus organa, & instrumenta cupiditatum. Verùm armorum nomine rem voluit magis exaggerare. Id enim significat, eos, qui membra sua accommodant peccato, pugnare, & bellum gerere contra Deum, omnibusq; viribus & animi, & corporis voluntatem, & legem eius oppugnare. Ex hoc loco discrimen elicitur inter peccata mortalia, & venialia. Nam cùm reclamamus, & resistimus cupiditatibus, motus illi turbulenti, & incitationes, ab insita prauitate erumpentes, quoniam legi Dei aduersantur, peccata sunt: Sed tamen, quoniam illa nobis displicent, nosq; illis reluctamur, & fidei, Deiq; spiritui locum in nobis aliquē relinquimus, ideo nobis condonantur, neque ad mortem imputantur. Contrà verò, quum illis paremus, & diuini spiritus impulsum repellimus, agimusque contra conscientiam, aut certè conscientia vitiata, vt quæ mala sunt, dicamus bona, aut bona iudicemus mala, tum demum peccamus mortaliter. Peccatum enim in nobis regnare facimus. Paulus, dum hęc vrget, admonere videtur, ne gratiam in vacuum, seu frustra accipiamus: quemadmodum in posteriori Epistola monet Corinthios. Hinc colligimus, oportere membra, & facultates hominū regeneratorum ita prompta, & parata esse ad obsequium Dei, vt impiorum procliuia, & expedita sunt ad peccandum. Et omnino docemur, pugnandum esse. In epistola autem ad Ephesios iubemur, id non tantùm contra carnem, & sanguinem facere, sed etiam aduersus nequitias, & prauos spiritus cælestes. Illi enim potentes, & efficaces sunt aduersus nos per Corpus, Carnem, & Sanguinem. Nam vt arma & recto, & prauo vsui possunt inseruire, (ea enim quandoque latro induit aduersus patriam: quandoq; bonus ciuis ad eam defendendam) ita membra corporis nostri, & animi facultates, & iustitiæ militare possunt, & peccato. Videmus præterea quid interfit inter regnum, & tyrannidem. Inuiti paremus tyrannis: Regibus vltro obtemperamus. Horum enim iustis, & bonis legibus firmatur Respublica. Duo ergo consequuntur in iusto, & legitimo regno. Primùm enim omnes Regi vltro ac sponte obtemperant: nisi si qui fortè improbi, aut iniusti fuerint. Deinde ad illum tuendum arma capiunt. Hæc in tyrannide locum non habent. Nulli enim tyrannis libenter, & volentes obediunt: neque pro illis arma capiunt. Quare Paulus, quum in nobis prohibere non possit tyrannidem peccati, quin ab eo multa inuiti patiamur, tamen ne regnet in nobis interdicit. Nominatim autem duo illa excludit, quæ iam recensuimus: scilicet, ne illi obediamus, neue pro illo contra iustitiam arma capiamus. Prudenter verò cum peccato coniungit iniustitiam. Omnes, enim, qui peccant, vel in se ipsos, vel in proximum, vel in Deum iniustè agunt. Horum enim alicui peccatum semper infert iniuriam. Adhęc animaduertendum est, Paulum hoc loco residuam in nobis cupiditatem post regenerationem diserte appellare peccatum. Quod non tantùm ea ratione fit, qua scriptura appellatur manus, aut frigus dicitur pigrum. Nam scriptura dicitur manus, quòd à manu effecta sit: & frigus pigrum, quòd nos pigros reddat. Ita Fomes, & Cupiditas, quæ à Regeneratione adhuc est in nobis, & ab originali peccato relinquitur, & nos ad peccandum incitat: ideoq; dicitur peccatum. Sed præter has duas rationes, quæ sunt metaphoricæ, etiam sua natura peccatum est. Nam peccatum, si verè definiatur, est id, quod in nobis Legi diuinæ quocunq; modo aduersatur. Quare, quum cupiditas residua post Baptismum, aduersetur Legi Dei, & nos aduersus illam incitet, non potest non videri peccatum. Neque audiendū est, quod vulgò iactatur, nullum esse peccatum, nisi sit voluntarium, & admissum per liberam electionem. Hæc enim definitio peccato in vniuersum non cōuenit, sed tantùm illi peccato, quod appellāt Actuale. Nam alioqui peccatum originale non posset dici peccatum. Nemo enim illud volens, aut propria electione contrahit. Assentiamur ergo Paulo, peccatum esse, quicquid in nobis prauæ cupiditatis supereſt post regenerationem. Imò si rem rectè velimus nobiscum reputare, actualia peccata videbuntur innatę nostræ concupiscentiæ esse partes: vel, vt rectius dicam, ex mala radice mali fructus. Concludit Apostolus, peccato, & iniustitiæ non esse militandum. Deo enim potius vacandum esse: qui & creauit nos, & per petuò regit, atque instaurat per Christum.

Membra hîc non tantùm corporis sunt partes, sed etiam animi.

Membra cur dicantur arma.

Discrimē uenialiū & mortaliū peccatorum.

Arma & prauo & recto usui esse possunt.

Duo propria iusti regni.

Cupiditas post regenerationem dicitur peccatū.

Ea cupiditas nō tantū per metaphorā, sed propriè peccatū est

Peccata actualia sunt fructus originalis.

Sed accommodetis uos ipsos Deo tanquam ex mortuis uiuentes, & membra uestra arma iustitiæ Deo. Quod ait, vt nos ipsos accommodemus Deo, non excludit id, quod alibi dicit, Deum operari in nobis. Apostolus hîc loquitur de hominibus regeneratis: qui quum aliqua ex parte sint instaurati, Dei cooperatores esse possunt. Eoque illi perpetuò sunt admonendi, vt afflatui

Regenerati sunt Dei cooperatores.

Spiritus sancti obsequantur. Deinde hoc genus locutionibus discrimen ostenditur inter illas actiones, quas Deus excitat in hominibus, & illas, quas in truncis, & in lapidibus, nec non in brutis operatur. Ita enim Deus in his agit, vt ea nihil aut sentiant, aut velint. In brutis ita agit, vt illorum vtatur sensu, & appetentia: nam ea voluntatem, & rationem non habent. In hominibus verò, & præsertim regeneratis & suis, ita agit, vt illorum rationalis animi viribus, quibus præditi sunt, vtatur. Quumq; iuxta has facultates dicamur, nos ipsos mouere, mirum videri nõ debet, si Paulus scribat, vt nos ipsos exhibeamus Deo. Loquitur enim de natura nostra, prout eã conuenit agere. Nihilominus tamẽ firmũ stat, & immobile, quicquid boni à nobis agitur, id omne à Deo, & spiritu eius in nobis agi. Adhæc addit Nosmetipsos, quia nõ tãtùm corporis, atq; animi vires exigit, verùm etiã integrũ, et totum hominẽ.

Quomodo Deus in hominibus agat.

Tanquam ex mortuis uiuentes. Debemus nos ipsos exhibere viuos: nimirum, vita Dei: quæ in eo sita est, vt spiritu Christi moueamur, & quicquid agimus, eius impulsu faciamus. Illi enim Deo & Christo viuunt, qui mouentur ad optima, quicq; humanam naturam prorsus vincunt. Itaque vita hæc Dei, de qua nunc agimus, à communi hominum vita duplici nomine distat: Primùm quòd fluat ab alio principio, nimirum, à spiritu Christi: deinde, quòd in alium finem tendat, quàm illorum, qui aguntur à Sathana. Illi enim semper in grauia mala eunt præcipites, & postremò ruunt in æternum exitium. Ideoq; quod ad Deum attinet mortui dici, & videri debent. Atqui nos quoque quandoque tales fuimus: Eamq; ob causam Paulus ait, Quasi ex mortuis viuentes. Quanquam planior, & simplicior sensus est, si hoc ad eam mortem referamus, cuius antè facta est mentio: videlicet, qua ad Christum conuersi morimur peccato. Qui enim eiusmodi sunt, necesse est, vt se Deo exhibeant viuentes. Quod vbi fit, statim consequitur, quod Paulus addidit, Vt membra quoque nostra exhibeantur arma iustitiæ Deo. Hîc rursus nobis insinuatur, vbi ad Deum ventum est, eius causa dimicandum esse. Quum autem Deus cum iustitia nostra coniungatur, satis apparet, nos non à nobis ipsis habere iustitiam nostram, verùm ab illo.

Vita Dei quibus distet à uita corrupta hominũ.

Peccatum enim uobis non dominabitur. Non enim estis sub lege, sed sub gratia. Ista subduntur, acsi diceret, strenuo, & forti animo pugnate. Non enim futurum est, vt vobis peccatum dominetur. Id tamen fieret, nisi pugnaretis. Inde autem facit illis animos, illorum fore victoriam, quòd habeant Dei gratiam adiutricem, cuius vis longè sit maior, quàm cupiditatis nostræ potentia. Spiritus enim Christi, & eius gratia facilè potest domare peccatum. Non estis, inquit, sub lege, quæ tantùm demonstret, quid sit agendum, nihil autem adiumenti adferat. Chrysostomus hoc loco monet, legem tantùm quid faciendum, quidue cuitandum sit indicare: certantibus autem auxilium non præbere: sed tantùm nudam verborum adhortationem proponere. Euangelium autem Christum exhibet, à quo spiritus, & robur ad perficienda ea bona, quæ per fidem cognouimus, suppeditantur. Atque ex eo fit, vt homines, non metu adacti, sed vltro, & volentes officium faciant. Quæ dicta eius non ita sunt accipienda, quasi patres, qui vixerunt antiquitus sub lege, prorsus expertes fuerint Gratiæ. Nam illi quoque in Christum crediderunt. Verùm hîc Paulus ita loquitur de lege, vt eam distinguat ab Euangelio, & Christo, vt Hebræi tum temporis faciebant. Vnde si patres præsidio gratiæ, & spiritus cõfirmabantur, id non habebant ex lege. Dicit ergo Paulus, tantùm abest, vt peccato subijci debeatis, vt ab ipsa quoque lege sitis liberi. Videtur autem argumentari ab effectis. Nam quum lex propterea tantùm lata sit, vt peccatũ sentiretur, ea sublata, apparet, quod ad credentes attinet, fractas iam esse peccati vires, vt amplius in nobis dominari non possit. Pueris, dum per ætatem erroribus necessariò auferuntur, adhibetur pædagogus, qui eos castiget, & reprimat. Verùm postquàm iam ætate, & iudicio, ignoratio, atque error euanuit, pædagogus remouetur. Ita hîc Paulus loquitur fidelibus: Non amplius estis ætate puerili, vt vobis opus sit freno legis. Quare peccatum in vobis non obtinebit, si pugnaueritis. Commentaria illa, quæ adscribuntur Hieronymo, habent hoc loco pulchrum simile: Quum iuuenis à Grammaticis deducitur ad Rhetorem, monetur, ne amplius committat solœcismum: quum iam non amplius sub Grammatico sit, sed sub Rhetore. Hac prorsus ratione Apostolus ait, Peccatum in vobis non amplius dominabitur: quoniam non iam sub Lege estis, sed sub Gratia. Ambrosius ait: Quando non ambulamus vt Lex præcipit, sumus sub lege. Peccatum autoritate legis reum facit peccatorem. Quòsque Lex reos facit, ei traditi sunt à peccato. Quare non potest esse sub Lege, qui renuntiauit peccato. Vicissim, qui pugnat aduersus peccatum, non est sub Lege. Videtur Paulus his verbis per Occupationẽ Romanos consolari. Potuissent enim dicere: Quamuis nos exhibeamus Deo tanquam viuentes ex mortuis, & arma nostra iustitiæ Deo, ta men

Gratia Dei potẽtior est nostra cupiditate.

Patres qui habuerunt gratiam, eam ex lege nõ habuerunt.

Commentaria Hieronymo adscripta.

tamen efficere non possumus, quin dum sumus in hac vita, interdum peccemus. Respondet Paulus, Quamuis in vobis insita, & innata cupiditas inueniatur, tamen ea in vobis non regnabit. Cùm enim non sitis sub Lege, peccatum vobis dominari non poterit. Illud enim per Gratiam, sub qua per Christum viuitis, vobis non imputabitur: & vestra obedientia, quamuis inchoata, tamen Deo placebit, & si Legi non satisfiat. Non enim estis sub Lege. Et in hanc eandem sententiam Paulus post dicet, Nihil iam damnationis esse his, qui sint in Christo Iesu. Lex enim accusando, & damnando aduersus credentes nihil proficit. Christus enim eos liberauit de maledicto Legis. Illi autem non leuiter errant, qui putant ista scribi tantùm de ceremonijs Legis, & iudicialibus: quasi adhuc obstricti simus Decalogo. Nam cùm Paulus hoc loco agat de peccato, cuius Regnum debeamus cauere, ne illi per cupiditates obediamus, & statim mentionem fecerit Legis, quæ contra illud lata sit, satis liquet, his verbis includi etiam Decalogum. Nam in eo maximè cupiditates prohibentur, & reprimuntur. Et cùm ad Galatas scribatur, Nos per Christum liberatos esse à maledicto Legis: et in Leuitico cap. 27. & in Deuteronomio recenseantur illi, qui sint execrabiles, & maledicti: videlicet, qui fusile, aut idolum fecerit, qui patrem, aut matrem debito honore fraudauerit, qui cæcum errare fecerit, qui proximum percusserit, quæ omnia pertinent ad Decalogum, manifestum est, nos ab eo per Christum esse liberatos. Distinguamus itaque hoc pacto, vt quod attinet ad iustificationem, dicamur exempti à Lege, quia iustitiam nostram corã Deo ex ea non petimus. Iam enim per fidem in Christum iustificamur. At ex altera parte ab obedientia erga Deum non absoluimur, quin ea facere necessariò debeamus, quæ in Decalogo sunt perscripta. Quamobrem Lex etiam quod attinet ad partem moralem, cùm electos, neque damnet, neque accuset, neq; cogat, dicitur esse abrogata. Hęc enim ad eam maximè pertinent. De ciuilibus præceptis Mosis nemini dubium est, ea amplius vim non habere. Nam Euangeliũ, vt non aufert humanæ vitæ adminicula, ita ciuilem administrationẽ minimè tollit, sed suam omnibus nationibus formam dominatus, & imperij relinquit: modò ea verbo Dei, & pietati non aduersetur. Dederat quidẽ Deus Israelitis eas leges, quibus illorum Respublica regeretur. Eam, cùm ita postea voluerit dissipari, vt nunquam in posterum restitueretur, Leges quoque eius, quæ quidem ad ceremonias pertinerent, rescindi, & aboleri voluit. Illæ enim pędagogiam tantùm quandam habebant ad Christum: qui cùm veniret, illas de medio tolli oportuit. Neque verò ex vsu nostro erat, vt ludæorum ceremonię longius retinerentur. Nam cùm homines essent sibi persuasuri, se per illas Deum habituros placatum, & propitium, necesse erat vt nonnihil decederet de gloria Christi. Is enim vnus est, per quẽ Deus hominibus reconciliatur. Quamobrem tam à ceremonijs quàm à ciuilibus ludæorũ legibus absoluti sumus per Christum. Sed dubitant nonnulli, quî fiat, vt cùm omnes istę partes abrogatæ sint, vt de ceremonijs, & ciuilibus nihil relinquatur, tamen totus Decalogus, vt iam docuimus, quod quidẽ ad eius obedientiã attinet, nos obstrictos teneat: Respõdeo, Decalogus à nemine perficitur, quantũuis sancto. Omnia eĩ opera nostra ita sunt imminuta, vt ad eius præscriptũ, & normã non respondeant. Quoniã tamẽ præcepta, quæ ibi describi buntur, naturę Legis consona sunt, & mẽtibus nostris insitã atq; impressã, per accidẽs fit, vt opera bona, ad quæ filij Dei iam regenerati spiritu sancto incitãtur, eadẽ sint cum illis, quæ in Decalogo scripta sunt. Qui eĩ à Deo adoptati sunt in filios, eos cõuenit bonis operibus, & Deo placẽtibus studere. Ea autẽ eadẽ prorsus sunt cum illis, quę natura rectè instituta sua sponte sequitur, quę & Decalogus à Deo descriptus continet. Id autẽ non accidit in ceremonijs, & omnibus præceptis ciuilibus. Ea enim non ita ab omnibus cognoscuntur, vt omnib. recta, et iusta videanẽ, si de illis tantùm naturę lumine sit iudicandum. Paulus, vt animum addat pugnãtibus, in memoriã reuocat, vt cogitent, se sub Gratia degere, non sub lege. Duplici enim via solẽt animi hominũ ad pugnã excitari. Primùm bonitate causę, deinde victorię, & pręmiorũ securitate. Et de bonitate quidẽ causæ nostræ satis est dictũ. In ea enim exhibemus nos Deo, & pro iustitia aduersus peccatũ, & mortẽ propugnamus. Nunc verò victoriã etiã certam pollicetur: Gratiã enim Dei ait à nobis stare. Gratia duo significat, quæ ad hunc locum faciant: Primùm, condonationem peccati ex imputatione iustitiæ per Christum: deinde dona spiritus sancti, & instaurationem virium. Hoc autem posterius quoniam in nobis recipitur, vasis corruptis, & vitiosis, etsi nos nõnihil à peccando retrahat, non tamen est eiusmodi, vt eo niti, & confidere debeamus. Opera enim nostra quanuis his præsidijs subnixa, atq; adiuta, non tamen ita absoluta sunt, vt in Dei iudicio possint consistere. Ex priori autem genere adhortationis magnam cõscientijs nostris consolationẽ capimus. Tametsi enim inter pugnandum peccatũ sese nolentibus nobis ingerat, tñ animo nõ consternamur,

Lex aduersus credentes nihil proficit.

Hæc etiã de moralibus præceptis intelligenda sunt.

Quomodo Lege teneamur & ab ea simus liberati

Cur ceremoniæ ludæorum sint abolitæ.

Cur decalogo teneamur & non aliis partibus legis.

Duo præcipuè addunt animum pugnantibus.

Gratia quid hic significet.

cùm sciamus, id nobis propter Christum non imputari. Nam quum in Christo à Deo recepti simus in gratiã, opera nostra, quantuis alioqui imperfecta sint, Deo tamen propter illum grata sunt. Paulus verò vtroq; genere cohortationis milites suos accendit: cùm & eos sub gratia esse monet, & Spiritum sanctum illis subsidio adfuturum: peccatum autem innatum atq; insitum illis ad perniciem non valiturum. Sed operæpretium est ascribere discrimina quædam inter Legem & gratiam, quæ Chrysostomus annotauit: Lex, inquit, coronã proponit: sed prius opera, & certamina exigit: gratia prius coronat, posteà deducit ad certamẽ. Hoc discrimine docet, iustitiam, quæ à Lege proponitur, operibus obtineri. Iustificari etenim non possumus ex Lege, nisi confectis omnibus, quæ in Lege præcipiuntur. Altera autem illa iustitia, quam habemus per fidem ex gratia, primùm nos coronat noua generatione, & adoptione in filios Dei: deinde iam regeneratos ad certamina, & bona opera producit. Huc addit Chrysostomus: Lex peccatum arguit, sed non soluit: gratia soluit, & non arguit: Lex peccatum arguens illud auget: gratia illud ignoscens, nos sub peccato esse non patitur. Sunt ista vera, & Pauli sententiæ pulchrè conuenientia. Sed quæ adiungit paulò post ante aduentum Christi humanum corpus, cùm sub Lege viueretur, eiusmodi fuisse, vt facilè posset à peccato superari, quòd Spiritus sancti subsidium nondum adesset, nec Baptismus, nec mortificatio, sed homo, Lege tantùm indicante, quid esset agendum, nihil autem opitulante, instar effrenis equi procurreret, & aberraret. Hæc, inquam, si in vniuersum de omnibus intelligantur, non sunt vera. Quis enim Dauidem, Esaiam, Hieremiam, Danielem, & alios complures sanctos patres dicere ausit Spiritu sancto caruisse? aut gratia regenerationis, quę obsignaretur per circunciſionem, quemadmodum nostra per Baptismũ? Aut quis eos putet mortificatione fuisse destitutos, qua prauos appetitus, & cupiditates subortentes frangerent? Quare ea verba Chrysostomi intelligẽda sunt de impijs, qui Christum prorsus à se reiecerant, & tantùm sub litera Legis versabantur, fingebantq; sibi Messiam, qui venturus esset tantùm ad terrenum imperium proferendum, & ad mundanas opes atq; delitias populo Iudaico procurandas, cuiusmodi multi fuerunt Iudæorũ. Nec multum ab eis dissimiles habemus non paruum numerum post Christi aduentum, qui tantùm nomine tenus Christiani sunt. Vt autem ad Paulum redeamus, eos consolatur à facili, quos instruit de spirituali militia: illisq; pollicetur victoriã, quòd sint sub gratia. Hoc loco arguendi sunt illi, qui nos iubent perpetuò dubitare, gratine simus Deo necne. Nam qui sic ambigũt, nullum fructum ex hac Pauli consolatione capiunt. Sic enim apud se cogitabunt, vnde scire possumus, nos esse sub gratia? Fortasse enim sumus à Deo alieni, illiq; propter peccata nostra odiosi. Quomodo enim certi esse possumus, illa per Christum nobis esse condonata? Sed hoc pacto ista Pauli ratio tota euertitur. Oportet itaque, vt certa fide, & spe indubitata, quæ non pudefaciat, constituamus, Deum nos diligere, & per Christum in gratiam recepisse. Atque ita ex istis Pauli verbis incredibilem capiemus consolationem. Absoluimus iam priorem partem huius capitis: qua Paulus probauit non esse manendum in peccato, quòd illi iam simus mortui. Id ex sacramento Baptismi confirmauit. Cùmq; hanc rationem multis modis illustrasset, adiecit postremò adhortationem, ne patiamur peccatum in nobis regnare, sed ei quantum possumus maximè aduersemur, neue animo succumbamus, consolatus est nos pollicitatione facilis victoriæ: quòd non simus sub Lege, sed sub gratia.

Quid? peccabimus igitur, quòd non simus sub Lege, sed sub gratia? Ad alteram rationem, qua probaturus est, non esse hærendum in peccatis, non alio modo accedit, quàm quo ab initio capitis ad priorem rationem accesserat. Quemadmodum enim antea Legem depressit, & gratiam commendauit, vnde aduersarij ansam calumniandi arripuerunt, vt dicerent, Manebimus in peccato, vt gratia abundet? Ita nunc rationẽ allatam concludit his verbis: Non enim estis sub Lege, sed sub gratia. Quibus verbis Pseudoapostoli clamabãt, multos offendi, & Pauli doctrinam accusare. Ideoq; frequẽter ipse sibi huiusmodi interrogationes obijcit. Passim enim hoc nomine doctrina eius malè audiebat. Est igitur Anthypophora: Si ita est, vt dicis, solutos nos esse à Lege, peccabimus, & quidem impunè. Sed valde decipiũtur, qui hoc obijciunt. Liberatio enim à Lege non data est ad licentiã, sed potius ad perfectionem absolutionem. Itaq; Paulus subijcit, Absit, significans, se à tali sententia vehementer abhorrere. Hoc autem absurdum potuisset consequi, si Paulus tantùm asseruisset, nos liberatos esse à Lege, nec aliud quicquã adiecisset. Verùm cùm hoc addiderit, Sed estis sub gratia, illos ita ostendit liberatos esse à Lege, vt viuerent sub præceptore potiori. Nam à gratia, & Spiritu sancto non solùm illustramur, vt quæ facienda sint videamus, verùm etiam ad ea exequenda vehementer instigamur, & incendimur. Non ergo Apostolus ita relinquit pios absque

Discrimina inter Legẽ & gratiam.

Hinc habetur oportere de salute certos esse.

Gratia potior est præceptor quàm Lex.

absq; lege, vt effreni licentia habenas laxari velit ad cupiditates: sed Gratiam demõstrauit, quæ Euangelij beneficio Legi succederet. Cùm autem Gratia, & spiritu Dei homines multò melius regantur, quàm Lege, facile apparet, quàm istorum argumentum infirmum fuerit. Admittunt enim paralogismum, vt initio dictum est, à non causa, vt causa. Tantùm autem abest, vt, quod Paulus dicit, causa sit peccati, vt ex eo contrarium potius consequatur. Nam qui sunt sub Gratia, & eius ductu reguntur, non peccant, imò, cùm Christus per Gratiam in eis viuat, peccare non possunt quà eo ad agendum quippiam incitantur. Paulus enim ait ad Galatas, Viuo ego, iam non ego: viuit verò in mè Christus. Verùm qui sub Lege, vt accusante, & damnante degunt, peccant: vt Paulus scribit ad Timotheum: Lex iusto non est posita sed impijs, & peccatoribus, irreuerentibus, & prophanis, parricidis, matricidis, homicidis, scortatoribus, & pæderastis: & si quid aliud est, quod sanæ doctrinæ aduersatur. Ex hoc loco videmus, eos, qui his flagitijs laborant, esse sub imperio Legis: videlicet, ab ea coercendos, & puniendos. Euangelium verò nos in peccato esse non permittit. Quia non tantùm de remissione peccatorum concionatur, sed etiam credentibus adfert spiritum, quo ad sancta opera mirificè inflammentur. Nec tenet ista ratio: Minis, & pœnis Legis non adigimur, vt nobis à peccato temperemus: Ergo nulla alia ratione ad innocentiam impellimur. Obstringimur enim ex officio, pietate, & fide ad honestè, ac sanctè viuendum: quæ certè maioris momenti sunt, & nos vehementius incitant, quàm vlla obligatio Legis. Rationis, quæ affertur, hæc summa est: Eos qui viuunt sub Gratia, Deo parere oportere. Verùm id, vt sit illustrius, explicatur similitudine seruorum. Illos enim heris suis ad omnia obsequi oportet, & morigerari. Sic ergo ait: Seruos æquum est dominis suis obtemperare. Atqui vos iam serui effecti estis iustitiæ: Quare illi vos seruire oportet, non peccato. Deinde ad hanc rationem, vt acrius feriat, duplex adiungit calcar. Primùm enim ait, eos non inuitos, aut coactos, sed vltro, & sua sponte se in hanc seruitutem contulisse: Deinde quantum potest maximè ponit ob oculos indignitatẽ peccati: & gratias agit Deo, qui illos ab eo eripuerit, & seruos iustitiæ fecerit. Si quæras, quo tempore nos addicamus seruos iustitiæ, respondet Chrysostomus, id tum fieri, quando baptizamur. Ita & hanc rationem, & illam alteram, qua probauit, nos mortuos esse peccato, à sacramento Baptismi explicat. Simile istud de seruis, & dominis, confirmationem habet à iure, quo serui dominis suis obstringuntur: quod siue diuinum siue humanum sit, eos facit obnoxios obedientiæ erga dominos. Idq; à causa finali cognosci potest: si proprietatem nominis obseruemus. Augustinus de ciuitate Dei libro 19. capite 15. scribit, Seruos apud Latinos fuisse dictos, quòd in bello capti fuissent ab hoste seruati. Capti enim non semper occidebantur à victoribus: sed interdum viui asseruabantur, vt illis inseruirent, à quibus fuissent capti. Seruitus verò primùm orta est à peccato. Non enim licet bellum gerere, nisi aduersus eos, qui peccauerint. Augustini verbis consentit Florentinus Iurisperitus, vt habetur in Institutionibus. Et huic loco, quem habemus præ manibus, hæc etymologia pulchrè conuenit. Diabolus pugna adortus primos parẽtes, eos vicit, & cepit: & in ea transgressione genus nostrum captiuũ fecit: Et adhuc omnes habet seruos, & obnoxios, quicunque per Christum asserti non fuerint in libertatem. Ita enim Paulus ait in epistola posteriori ad Timotheum: Vt resipiscant è laqueo Diaboli, capti ab eo ad ipsius voluntatẽ. Sed venit Christus, & cum illo forti armato, rectore mundi, ac principe tenebrarum manus conseruit, & victor nos omnes redemit. Nec id sanè alia de causa fecit, nisi vt suę voluntati, & iustitię obsequeremur. Perinde ergo ista sonant, ac si Paulus diceret, Non idcirco Christus nos à peccato liberauit, & sibi addictos habere voluit, vt posthac peccato inseruiremus, sed tantùm obsequeremur iustitiæ. Nunc verba excutiamus:

Qui ductu gratiæ reguntur non peccant.

Regenerati quibus rebus adstringuntur ad sanctè uiuendum.

Qui uiuunt sub gratia Deo parere oportet. Simile ductum à seruis.

Cur serui sic appellantur.

Seruitus à peccato est orta.

Nascimur captiui Satanæ.

Christus nos redemit non peccato sed iustitiæ.

An nescitis, quòd cui accommodatis uos seruos ad obediendum, eius serui estis, cui obeditis: siue peccati ad mortem, siue obedientiæ ad iustitiam? Gratia autem Deo, quòd fuistis quidem serui peccati: sed obedistis ex animo in eam, in quam traditi estis, formam doctrinæ. Cæterùm liberati à peccato serui facti estis Iustitiæ. Hîc primùm annotemus, Apostolum duos dominos constituere: ex altera parte peccatum, ex altera obedientiam, quam exhibemus Deo. Ex qua partitione, cùm in opposita diducatur, apparet, me, cùm suprà definirem peccatum in genere, esse, quicquid Legi Dei aduersetur ab Apostoli sententia nihil aberrasse. Nam cùm peccatum sit priuatio, non potest agnosci, nisi per oppositam formam, quam remouet. Quæ autem illa forma sit, hîc Paulus explicat, Obedientiæ nomine. Quare peccatum est, & dici debet, quod huiusmodi obedientiæ aduersatur. Ex quo satis liquet, prauitatem illam, quæ adhuc in nobis supereſt, & motus ab illa excitatos, esse peccata: quandoquidem cum obedientia, quæ peccato opponitur, apertè pugnant. Ad hæc partitio Apostoli, si satis est idonea,

Duo cõstituũtur oppositi domini.

Confirmatur definitio peccati superius allata.

Partitio hæc omnes homines complectitur.

omnes homines complectitur: vt quemuis hominem oporteat aut peccati seruum esse, aut iustitiæ. Serui iustitiæ sunt, qui iam traditi sint, vt obediant formæ doctrinæ Euangelij. Hic ergo opera, quæ vocant præparatoria, ejiciuntur. Nam in neutro horum membrorum collocari possunt. Si enim ea dicas ad eos pertinere, qui seruiant iustitiæ, illi iam regenerati sunt, & Euangelio credunt. Quare non iam erunt præparationes, sed fructus Euangelij. Sin ea ad eos contendas pertinere, qui adhuc sint serui peccati, illi fructum suorum operum nullum habent, nisi mortem. Quamborem illorum opera illis exitiosa sunt: tantum abest, vt possint esse præparatoria ad Gratiam. Dicimus quidem, Deum sæpè abuti peccatis nostris, & exilibus gradus quasi quosdam constituere, quibus accedamus ad Christum. Sed hoc opera nostra ex se non habent, neque quatenus geruntur à nobis. Sic enim tanquam ex arbore vitiosa nascuntur damnabiles & odiosi fructus.

Argumentum cõtra opera præparatoria.

Duo domini mercedes contrarias distribuunt.

Duobus dominis merces duplex tribuitur, Peccato Mors: Obedientiæ Iustitia. Videtur autem, oportuisse Paulum aliter ista disponere, & præsertim quòd attinet ad secundum membrum. Peccato enim Iustitia opponitur. Quare vt mortem peccato, ita iustitiæ vitam æternam, vt mercedem, oportuit respondere. Verùm hoc certò debemus constituere, Paulum nihil aberrasse: sed hac dispositione docere nos voluisse, in quo sita sit operum iustitia: in eo videlicet, vt obediamus Deo.

Nihil sanctũ aut iustum nisi quod deus mandauerit

Nihil enim aut sanctum, aut iustum est, nisi quod ipse mandauerit. Nam hominum inuenta non ad iustitiam, sed ad cupiditatem potius pertinent. Itaque Apostolus, vt nos de hac re clarius institueret, definitionem posuit pro definito. Quòd autem iustitiam loco mercedis posuerit, non est mirum. Beatitudinis enim, & æternæ vitæ inchoatio est iustè viuere. Atque hinc fit, vt in sacris literis vita æterna perpetua sit comes iustitiæ. Et Chrysostomus hoc loco ait, per Iustitiam intelligendum esse, quicquid iustitiam consequitur. Nemo tamen idcirco debet sibi persuadere, eos, qui iustè viuant, esse miseros: quamuis interdum rebus aduersis grauiter vexentur. Iustitia enim, & innocentia vitæ apud Paulũ idem sonant, quod æterna fœlicitas. Mors etiam, quæ, vt merces, peccato ascribitur, non est externi tãtùm corporis dissolutio, sed vnà etiam complectitur æternam infœlicitatem, qua & corpus, & anima afficientur. Per hanc autem vocem, peccatum, quod etiam suprà monui, Paulus intelligit cupiditatem reliquam in credentibus, & naturæ deprauationem. Atque idcirco pij, cùm dolent de aliquo admisso crimine, maximè queruntur de hac corrupta & putri eius radice. Dauid, cùm homicidium, & adulterium, quod admiserat, lugeret, huc, tanquam ad fontem omnium malorum maximè recurrebat. Ecce, inquiens, in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Cumq; oramus Deum, vt nos à peccatis eripiat, id maxime oramus, vt suo spiritu frangat, & debilitet hunc domesticum, & familiarem hostem. Id sensit Apostolus, cùm exclamaret, Infœlix ego homo: quis me liberabit de corpore mortis huius? Paulus, cùm ita patitus sit seruitutem, vt necesse sit, nos vel iustitiæ seruire, vel peccato, nunc magno spiritus artificio exponit, quales nos simus, qui Christo credimus.

Aeternæ uitæ inchoatio est iustè uiuere.

Qui iuste uiuunt miseri nõ sunt & si uexentur grauiter.

Quidolẽt de peccatis de radice illorum maximè dolent.

Exẽplũ Dauidis.

Gratia Deo, quod fuistis serui peccati: Sed obedistis ex corde in eam, in quam traditi estis, formam doctrinæ.

Non satis habuit redigere nobis in memoriam, quòd simus traducti ad obedientiam, sed etiam insuper monere voluit, quales antea fuerimus, nimirum, serui peccati. Hæc nostra fuit omnium conditio, antequam ad Christum conuerteremur. Diuina enim vocatio nullos sanctos, aut iustos reperit. Nec satis erat dicere, nos iam seruos esse iustitiæ: sed addidit, ex corde. Qui verè sunt renati in Christo, & in eum inserti, non coacti, aut ex hypocrisi, sed vltrò, ac sponte faciunt, quod intelligunt placere Deo. Itaque Paulus, cùm hoc commemorat, agit Deo gratias, quòd id intelligat summum, ac singulare esse Dei beneficium, non autem in nostra manu positum, vt à multis fingitur. Eoq; adiecit significatione passiua, Traditi estis, Quibus verbis nihil aliud sensit, quàm quod Christus, cùm diceret, Nemo venit ad me, nisi pater meus traxerit illum. Quis autem sit iste tractus, quamq; explicatu difficilis, si quis expendat Christi verba, facilè poterit intelligere. Scriptum est, inquit, in Prophetis, Erunt omnes docti á Deo: quod Christus adhuc clarius exponit, Qui audierit, inquiens, à patre meo, & didicerit, venit ad me. Quibus verbis ostendit non satis esse vocationem externam, nisi intus, & in animo addatur à Deo plena persuasio. Postquam enim Deus inclinauit, & flexit animum nostrum, tum demum venimus ad Christum. Et annotauit Augustinus in primo libro ad Bonifacium, contra duas epistolas Pelagianorum, Dominum dixisse, Nisi pater meus traxerit, non duxerit: quasi nos ipsi ex nobis aliquid velimus, & assentiamur vocanti. Nam, qui vult, non trahitur, sed ducitur: non quòd pater trahat, nisi volentes. Fieri enim nõ potest, vt credamus, nisi velimus. Sed Deus mirabiliter in cordibus nostris agit, vt ex nolentibus efficiamur volentes. Et idem Augustinus super Iohannem exponens hunc locum, creden-

Ante regeneratio nẽ omnes eramus serui peccati.

Dei uocatio nullos reperit sãctos

Qui sunt renati ultro sãcte uiuũt

Traditi sumus à deo, quòd id non sit in nostra manu, ideo ei gratias agit.

De tractu quo à Deo incitamur.

Nõ dicitur nisi pater duxerit, sed nisi traxerit.

A Deo ex nolentibus efficimur uolentes.

credentem confert cum ouicula, quam pastor protenso viridi ramusculo trahat post se, non quidem vi, sed vltro, & cupientem. Habet enim ouis intus appetitum extimulantem, vt ramum sequatur. Qua in collatione hoc debemus annotare, id propriũ esse ouis. Aliud enim animal, quantumuis inuites frondibus, nõ sequetur. Ita nos oportet per regenerationem renouari, & oues Christi fieri, antequam eum possimus sequi. Nam alioqui omnes ramos, & vocationes aspernamur. Addit præterea Augustinus, hunc tractum esse cum quadam oblectatione, & voluptate: vt verum sit, quod poeta canit, Trahit sua quenq; voluptas. Vinculis autem non corporis, sed cordis adducimur, & sancta voluptate incitamur. Sed definitio ipsa voluptatis satis docet, antè necessariam esse corruptæ nostræ naturæ immutationem. Nihil enim est voluptas, nisi affectus, & motus in nobis excitatus à rebus naturæ nostræ consentientibus: vt contrà Dolor efficitur ex rebus naturæ nostræ repugnantibus. Iam verò ex Dei monitis, & cœlestibus concionibus vt voluptatem aliquam capiamus, opus est, vt illa cum nostra natura consentiant. Atqui cùm illa sit deprauata, fieri id nullo modo potest. Paulus enim ait ad Corinthios, Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei. Videntur enim illi stulta: ideóque ea repudiat, vt sibi contraria. Quid igitur faciendum est, vt ea nobis placere possint? Num Dei mandata mutanda sunt, & ad nostras cupiditates inflectenda? Minimè. Naturam potius nostram oportet immutari, & in Deo regenerari. Id autem Deus in nobis efficit, cùm nos donat iustitia sua per fidem, atque ita nos ad Christum trahit. Ideóque Paulus, cùm vsus esset verbis actiuæ significationis, obediendi, & exhibendi membra &c. Postea passiua significatione subdidit, Traditi estis, & liberati à peccato, serui facti estis iustitiæ. Quibus verbis indicatur, aliunde prouenire, vt rectè agamus, & sequamur Deum. Per formam doctrinæ intelligit Euangelium. Non enim est simplex doctrina, vt philosophia, aut Lex: sed eiusmodi, vt offerat nobis Christum, & eius spiritum, & Gratiam: vnde vires suppeditantur ad ea præstanda, quæ iubentur. Et quanquam iste tractus opus sit Dei, concionatores tamen, & pastores illi, tanquam ministri, seruire debent. Cumque eum ipsum tractum appellemus motum, terminus & à quo incipit, & in quem fertur, indicatur à Paulo, cùm ita scribit: Serui fuistis peccati: Quibus verbis ostendit, vndenam tracti simus. Cùm verò addit, nos traditos esse, vt obediamus Euangelio, mutationis nostræ finem demonstrat. Idcirco enim regeneramur, & ad Christum adducimur, vt verbo eius obediamus. Neque satis putauit esse Paulus mutationem istam ita proposuisse, nisi etiam mutationis modum ostenderet. Nam cùm ait, nos ex corde obedire, satis docet, motum hunc non esse coactum, aut violentum, sed spontaneum. Hîc animaduertamus, quantùm absit Apostoli doctrina ab illo errore, cuius insimulabatur: videlicet, peccandum esse, quòd exempti simus à Lege. Denique rationem suam ita concludit:

Cæterùm liberati à peccato serui facti estis iustitiæ. Hîc scire debemus, impropriè accipi vocem seruitutis. Seruus enim dicitur, qui non suæ voluntati obtemperat, sed alienæ. Iam si quid vehementer cupiamus, & ei, qui se nobis ad rem optatam ducem præbeat, & iuuare velit, auscultemus, non tam illi, quàm nostro desiderio seruire dicimur. Ita qui ad Christum verè conuersi sunt, ante omnia Dei voluntati satisfactum cupiunt. Quare, si ad eum scopum à verbo Dei, à Gratia, & à iustitia incitentur, non dicuntur propriè seruire. Verùm in susceptam metaphoram perstare voluit, vt exponat antithesin inter statum hominum regeneratorum, & peccati tyrannidem. Ista conclusione hoc conficitur, nos iam à peccato liberatos ita debere seruire iustitiæ, vt posthac volentes cum peccato nihil commercij habeamus. Id autem, inquit Chrysostomus, perinde est, ac si quis dicat homini elapso è manibus tyranni: Iam euasisti: caue igitur, ne rursus in eius potestatem venias. Nulli magis solent abhorrere à tyrannica seruitute, quàm qui aliquando sub ea oppressi vixerint. Romani cùm expulissent Tarquinium, eum postea tanto prosequuti sunt odio, vt L. Tarquinium Collatinum, virum bonum, & innocentem, tamen, quòd eodem esset nomine, iusserint exulare. Nos quoque iam effecti membra Christi, & in iustitiæ libertatem asserti, non solùm omne peccatum eijcere, atque exterminare debemus, verùm etiam ab omni, quamuis leuissima eius specie temperare. Idem Chrysostomus cõmemorans bonitatẽ Dei erga humanũ genus, illum ait esse instar diuitis, & liberalis principis, qui puerum orphanũ, & desertum, & non solùm seruitutẽ seruientem, verùm etiã ad vilissima, & sordidissima ministeria redactũ, primùm magna vi pecunię redimat, deinde eo non contentus, eum etiã filiũ sibi adoptet, & maximarũ possessionũ scribat heredẽ. Hęc omnia debent nos prouocare vt iustitię seruiamus. Necq; fingat sibi quisquam, se vtricq;

Nisi prius efficiamur oues non sequemur inuitantem Deum.

Dei tractus est cum voluptate.

Quid voluptas.

Cœlestia nõ possunt nos delectare nisi quo ad naturam fuerimus immutati.

Vt lex Dei nobis placeat, non ipsa immutãda est sed natura nostra inuertenda.

Rectè Paulus passiua loquẽdi formula utitur.

Forma doctrinæ est Euangelium.

Tractus licet sit opus Dei tamen uerbi ministri ei seruiant.

Terminus à quo et ad quem diuini tractus.

Motus diuini tractus non est coactus.

Seruitus propriè non suæ sed alienæ uoluntati obtemperat.

A tyrãnide ij maximè abhorrent, qui sub ea quandoq; uixerunt.

Exemplũ populi Romani.

Simile.

domino iustitiæ, inquam, & peccato, simul posse obtemperare. Id enim Christus fieri posse negat, Nemo, inquiens, potest duobus dominis seruire: præsertim cùm præcipiant contraria, vt Iustitia, & peccatum: Deus, & Mammon. Imò Augustinus addit, fieri non posse, vt vni domino pareamus, qui simul præcipiat contraria. Quocirca cùm in Baptismo professi simus obedientiam iustitiæ, omnino debemus stare promissis, nisi velimus esse hypocritæ illi, de quibus Esaias ait, populus hic labijs me honorat: cor autem illorum longè est à me. Si Christiani sumus, & seruitutem iustitiæ profitemur, non debemus in castris peccati militare.

Humanum dico propter infirmitatem carnis uestræ. Rationem iam expositam amplificat, & ad illam adiungit adhortationem. Orat enim eos, vt studio non minore seruiant iustitiæ, quàm anteà seruierint peccato. Ait autem se non nisi æqua postulare: vt iniquus sit, qui nolit tam iustæ petitioni acquiescere. Et extenuat petitionem, ne eam audientes refiliamus, tanquam ab arduis, & iniquis conditionibus. Hinc discant cõcionatores, vt quicquid populo proponunt, efficiant vt æquum esse videatur: ita vt quiuis intelligat se id iustissima ratione sequi, & præstare debere. Id tantùm Paulus requirit, vt eodem obsequio seruiamus nunc iustitiæ, quo antè seruiuimus peccato: quamuis in tanta dissimilitudine dominorum, æquissimum esse videatur, vt præstantiori, & clementiori promptius, & diligentius obsequamur. Paulus verò quò magis æquitatem suæ petitionis ponat ante oculos, ex vna parte proponit turpitudinem, & damnum quod habemus ex peccato: ex altera honestatem, & commodum Iustitiæ. His enim locis potissimùm ad suadendum, & dissuadendum vtimur. Verùm ex collatione istorum contrariorum videbatur, inferri posse, libentius, & magis seruiendum esse Iustitiæ, quàm antè seruitum esset peccato. At Paulus, Humanum, inquit, dico, hoc est, leniter ago. Non tantum requiro, quantum meo iure possem. Cùm homo natura sit mansuetus, alienum videtur ab eo, dura, & aspera exigere. Hoc est, Humanum dico: ac si dixisset, benignè dico. Quanquam multi sic exponunt, ac si diceretur, Nihil postulo, quod ab his, qui humana ratione vti velint, non sit concedendum. Scholia Græca hoc referunt ad antecedentia: quasi Paulus reddat rationem, cur dixerit, nos factos esse seruos iustitiæ. Ea enim propriè non est seruitus. Proinde ait, se humano more loqui. Solẽt enim homines, quod molestum, et graue sit, id seruitutis, ac tyrannidis nomine appellare. Satis autem liquet, carni nostræ ingratam esse iustitiam, & quicquid ab ea faciendum imponitur. Sed huic expositioni non videtur conuenire, quòd statim subijcitur:

Documentũ pro concionatoribus.

Loci suadendi et aissuadendi.

Non est humanũ aura exigere.

Græca Scholia.

Quemadmodum enim præbuistis membra uestra seruia immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, &c. In his verbis particula, *Enim*, rationem videtur reddere, quare antea dixerit, se humanum quiddam petere propter infirmitatem carnis illorum. Hieronymus ad Algasiam quæst. 2. rogatus, vt explicaret locum ad Colossen. Videte, ne quis vobis brabæum intercipiat, ait, Paulum in scribendo non affectasse loquutiones scriptorum eloquentissimorum, vt Platonis, Demosthenis, aut similium: sed verbis, & sententijs vsum esse vulgatis, & è trivio quodammodo petitis. Et exempli causa colligit multas eius phrases, quæ ad illam vsque ætatem vulgò à Cilicibus obseruabãtur. Inde enim erat Paulus è ciuitate Tharsis oriundus. Inter quas phrases recenset eam, quam tum habebat præ manibus, καταβραβευέτω quod est, palmam intercipiat: Et, quod habetur in priori ad Corinthios. Mihi pro minimo est, vt à vobis iudicer, ἢ ἀπὸ τῆς ἀνθρωπίνης ἡμέρας: Et in posteriori, Non ἐνάρκησα ὑμᾶς, non grauari vos: & damnũ, quod nunc legimus, Ἀνθρώπινον λέγω.

Loquutionib. cilicum usus est Paulus.

Propter infirmitatem carnis uestræ. Hoc ideo dicit, quia, quoad hîc viuimus, non sumus plenè renati. Multum enim in nobis & carnis supereſt, & veteris Adami. His tamen verbis, vt Chrysostomus annotauit, Paulus non relaxat studium voluntatis. Quamuis enim propter onus carnis nostræ præstare non possumus tantum, quantum à nobis requiritur, tamen voluntas nostra semper debet ad vlteriora contendere. Neque credere debemus, Apostolum hîc docere voluisse, adhibendam esse ἐπιείκειαν ad Legem Dei: quasi non requiratur à nobis, vt tantum præstemus, quantum ea præcipiat, sed quantum nos possimus. Nihil enim hîc de Lege Dei remittit. Eam enim aut temperare, aut lenire, neque Apostoli est, neque cuiusquam mortalium. Horum autem verborum hæc videtur esse sententia: Ratio quidem exigeret, maiorem à vobis seruitutem exhiberi iustitiæ, quàm peccato. At ego humanum tantùm dico: &, vt paria tantùm faciatis requiro. Hoc autem est, totum requirere, quod Lex præcipit. Nam qui nondum sunt renati, sed alieni viuunt à Christo, toti prorsus inseruiunt peccato, & omnes vires, & facultates suas ad peccandum conferunt. Lex verò nihil aliud postulat, quàm vt toto corde, tota anima, atque omnibus viribus amemus Deum.

Paulus nihil uult relaxari de studio uoluntatis.

Legi Dei non licet ἐπιείκειαν adhibere.

Paulus ita loquẽdo uires nostras omnes postulat.

Ita

Ita prorsus seruiuimus peccato, vt quamuis plus aliquanto tribuendum esse videatur innocentiæ, quàm antea datum sit peccato, tamen id iam fieri nullo modo possit. Omnibus enim nostris viribus peccato indulsimus. Itaque nostro vitio factum est, vt probabilis ratio locum habere non possit. Paulus tamen interim ista scribens diuinæ Legi nihil detrahit. Imò his verbis illam potius maximè commendat: vt quæ à nobis nihil petat, nisi humanum. Vulgò dici solet, iniquum petendum esse, vt æquum auferas. At Paulus ait, se humanum petere, non tantum, quantum possit, flagitare. Quod ad verba attinet, dicitia, & iniquitate omnia vitiorum genera complectitur. Quicquid enim peccamus, eò spectat, vel vt commodis nostris, & voluptatibus fruamur, atque hæc immunditia dicitur propter crassiora opera, quibus caro contaminatur: vel vt Deum, vel vt fratres afficiamus iniuria: quod genus iniquitatem vocat.

Omnibus uiribus peccato seruiumus.

Quomodo immunditia & iniquitas omnia genera peccatorũ comprehendant.

Addit autem, *Ad iniquitatem*, vt intelligamus, nullum peccatum esse solum: sed vnum semper impellere, atque adigere ad alterum. Non autem addidit, ad immunditiem: quoniam id facilè potest subaudiri, aut quia nomen iniquitatis posteriori loco generalius accepit, quàm priori.

Nullũ peccatum ferè solum est.

Sic nunc præbete membra uestra serua iustitiæ ad sanctificationem. Quemadmodum iniustitia nos adducit ad sordes, & immunditiem, ita iustitia adducit ad sanctificationem. Voluit Apostolus hæc proponere per ἀντίθεσιν, quo magis ea sentiremus. Sanctificatio autem non aliud est, quàm purificatio ab omni immunditia. Vnde Græca vox ἅγιος, vt autor est Plato in Cratylo, dicitur ab α particula priuatiua, & γῆια, terra: quòd illi dicantur sancti, qui à terrenis maculis, & sordibus purgati sint. Pulchrè verò loquitur Apostolus, vt iustitiæ, aut Deo seruiamus ad sanctificationem. Nam quum nos ipsos sanctificamus, voluntatem eius facimus. Nam ad Thessalonicenses Paulus scribit: Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra: vt vnusquisque sciat vas suum possidere, non in immunditia, & libidine desiderij, &c. Et, Deus vocauit nos, non ad immunditiam, sed ad sanctificationem. Et in posteriori ad Corinth. Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctitatem in timore Dei.

Sanctificatio quid.

Qui se sanctificant, uoluntatem Dei faciunt.

Quum enim serui essetis peccati, liberi eratis iustitiæ. Causam adfert, quamobrem eos monuerit, vt sic exhibeant membra sua serua iustitiæ: quoniam, inquit, quum essetis antea serui peccati, liberi prorsus fuistis iustitiæ: hoc est, ab ea prorsus fuistis alieni. Atque hoc loco, Iustitiæ, est datiui casus. Libertas autem huiusmodi pernicioſa est, & omni seruitute deterior, illius libertatis simillima, quam filius ille prodigus tantoperè concupiuit. Rursus ex hoc loco refutantur opera præparatoria. Nam Paulus ait, Quum serui eratis peccati: id est, nondum regenerati, sed adhuc alieni à Christo, liberi fuistis iustitiæ, hoc est, ab ea in totum dissensistis. Quòd si huiusmodi hominibus nullum est commercium cum iustitia, quomodo facere possunt opera bona, quæ de congruo mereantur gratiam?

Libertas iustitiæ pernicioſa est.

Contra opera præparatoria.

Quemigitur fructum habuistis tunc in illis, de quibus nunc erubescitis? Adhortationem suam confirmat à turpi, & honesto. Abstinere, inquit, debetis à pristinis operibus. Nam ea vobis turpia & fœda fuerunt: vt si iam vobis reuocentur in memoriam, cogamini de illis erubescere. Pudor est affectus, qui nascitur ob aliquam turpitudinem: potest autem esse vel timor, vel dolor. Nam si quis timeat, ne ex eo quod facit, aut faciendum suscipit, dedecus aliquod sibi contingat, pudore suffunditur: vt videmus accidere in adolescentibus: qui quum aut interrogantur, aut facere iubentur aliquid, ex eo, quod timent, ne non aptè respondeant, aut parum recte obeant id, quod imponitur, erubescunt. Sed si vel seni, vel iuueni aliquid reuocetur in memoriam, quod non rectè videatur factum, erubescunt ob dolorem dedecoris, in quod se vident incurrisse. Cur autem Romani de illis debeant erubescere, quæ admiserant antequam venissent ad Christum, duplex esse potest ratio, impuritas vel vitæ, vel religionis, quam profitebantur, hoc est, vel turpitudo, vel stultitia. Et vitam quidem anteactam Paulus describit in epistola priori ad Corinthios: Ne erretis, inquit, neque scortatores, neque simulachrorum cultores, neque adulteri, neque molles, neque ἀρσενοκοῖται, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regni Dei hæreditatem accipient. Atque hæc fuistis, inquit: sed abluti estis: sed sanctificati estis. De religionis autem impuritate abundè testantur scriptores Ethnici. Et Ambrosius in hunc locum sacra Phrygiæ Deæ Cybeles commemorat, & alia id genus sacra spurcissima. Et Chrysostomus ait, hoc summo Dei beneficio contigere, vt homines de anteactis flagi-

Argumentum à turpi & honesto.

Pudor quid.

Cur Ethnicos actæ uitæ pudere debuerit.

Sancti uiri semper dolent & erubescunt de admissis delictis.

tijs erubescant. Nihil enim eos pudebat, quandiu in illis versarentur. Vt ebrij, & phrenetici, quandiu sunt in eo errore, nihil erubescunt. Indicat etiam iste locus, quamuis peccata antè commissa remittantur, tamen pudorem de illis, & dolorem non auferri: imò homines pios non posse illorum sine detestatione meminisse. Id autem in patria nequaquam erit. Improbabunt quidem ibi electi peccata: sed magnitudo fœlicitatis omnem sensum pudoris, doloris que exhauriet. Nam, vt legitur in Apocalypsi, Deus absterget omnem lachrymam ab oculis eorum. Ironicῶs videtur dicere fructum, præsertim illarum rerum, de quibus erubescerent. Nam in huiusmodi rebus non fructus est, sed dispendium.

In patria dolor auferetur.

Peccati re uera nullus est fructus.

Nam finis illorum mors. Cùm interrogasset, ecquem fructum habuissent, nihil responderi aliud potuit, quàm, nullum. Et additur ratio: Quia mors est illorum finis. Ita Paulus vt eos vehementius permoueat, pondus addit orationi, & dispendium cum dedecore coniungit. Aliqui per hanc vocem τέλος tributum intelligunt, aut vectigal: ac si diceretur, Peccato nihil aliud rependitur, nisi mors. At si finem significari malumus, is, vt Philosophi quoque tradunt, bifariam potest accipi: Primùm pro extremo, aut termino: atque ita mors potest dici finis vitæ: secundo pro eo, cuius gratia quippiam suscipitur. Quod cùm necessario oporteat esse bonum, conuenire morti non potest. Nemo enim mortalium eo consilio peccat, vt propterea moriatur. Quare priori significatione mors finis appellatur peccatorum, quòd hîc sit peccatorum terminus.

Peccato nil repẽditur nisi mors.

Finis duplex significatio.

Nunc autem liberati à peccato, & serui facti Deo, habetis fructum uestrum in sanctificationem, finem uerò uitam æternam. His verbis absoluit antithesin: & peccato quidem opponit Deum, decori sanctificationem, morti vitam æternam. Rursus etiam hoc loco vtitur verbis passiuæ significationis:

Passiuæ loquitur Paulus.

Liberati à peccato, inquiens, *& serui facti Deo.* At suprà, Cùm serui essetis, inquit, peccati, liberi fuistis iustitiæ. In his verbis nihil opus erat significatione passiua. Per nos ipsos enim satis idonei sumus ad peccandum: non item vt à peccatis liberemur, & seruiamus Deo. Quòd autem in hac redditione Paulus scripserit, nos non iustitiæ factos esse seruos, sed Deo, parùm refert. Omnis enim nostræ iustitiæ causa Deus est. Fructum, inquit, habetis sanctificationem, & finem vitam æternam. Hîc Chrysostomus annotauit, ex his apparere, non omnia à nobis spe sola possideri, sed re ipsa multum esse datum. Cumque iam assequti simus sanctificationem, spem nostram de obtinendo eo, quod superest, magnopere confirmari.

Deus omnis nostræ iustitiæ causa.

Etenim stipendium peccati mors: Gratia uerò Dei, uita æterna per Christum Iesum Dominum nostrum. His verbis claudit adhortationem: probatque finem turpium operum esse mortem. Ea enim, inquit, est stipendium peccati. Id, cùm esset per se notum, probare non instituit. Vbique enim obuium est in sacris literis, Deum peccantibus comminari mortem. Rursus per κατάχρησιν dicit stipendium. Nemo enim eo consilio peccatum in se admittit, vt pro mercede mortem consequatur. Hîc Paulus antithesin inuertit: neque enim dicit, vitam æternam stipendium esse iustitiæ: sed eam potius tribuit Gratiæ. Quod idcirco facit, vt rationem vniuersam meriti in vno Christo constituat. Eóque subiecit, per Iesum Christum dominum nostrum: ne quis de alijs mediatoribus, vel sanctis mortuis, vel operibus suis cogitet. Deinde videtur Paulus de industria Gratiam, siue donum opponere stipendio: atque ea ratione nos vehementer inflammat ad studium æternæ vitæ: cùm ea res sit tam eximia, vt nisi detur diuinitùs, nullis nostris operibus possit acquiri. ὀψώνιον accipit pro militari stipendio: & perstitit in metaphora de Rege, & Domino, quam paulò antè instituerat. Ab his enim stipendia solent famulis numerari. Redolet autem vox Græca veterem morem: quo cibaria, siue sportulæ dari solebant militibus, quibus in militia vescerentur. Et Romæ quidem milites diu suo cibo merebant: postea viaticum dari cœptum est ex publico. Satis autem apparet ex etymologia vocis, illud tantùm ad necessitatem releuandam, et aliquem honorem significandum fuisse primùm institutum: non quasi ea viderentur digna stipendia, pro quibus homines vitam suam profunderent. Itaque quod fuit laborantibus merces, hoc erat militantibus stipendium. Nunc verò id in primis videndum est, quónam pacto Gratia, & opera habeant se ad vitam æternam. Quantum aut ex sacris literis, aut ex illis, quæ hac de re ab Augustino scripta sunt, licet colligere, docebimus, quantùm in hoc negotio aduersarij nostri à nobis dissentiant. Quod ad primum attinet, si per Gratiam, Dei fauorem, & misericordiam intelligamus, ea vnica causa est per

Mors in propriè dicitur stipendiũ Aeterna uita nõ appellatur stipendium.

Veterum mos erga milites.

Laborãtibus datur merces. Militantibus datur stipendium.

est per Iesum Christum, cur vitam æternam habeamus. Opera verò nostra fœlicitatis nostræ causæ nullo modo esse possunt. Media tamen quædam sunt, per quæ Deus ad fœlicitatem nos perducit. Vt via non est causa sui finis; neque stadium causa est metæ. Per ista tamen homines ducuntur & ad finem viæ, & ad metam. Ita nos Deus per bona opera traducit ad æternam vitam: cùm tamen eius causa vnica sit electio Dei, vt Paulus clarissimè docet in hac epistola. Quos prædestinauit, inquit, hos & vocauit, quos vocauit, hos & iustificauit: quos autem iustificauit, hos etiam glorificabit. Hæc declarant, ista omnia ita proficisci à Gratia Dei, vt sese mutuò consequantur. Et Deus, qui vnum largitur, alia quoque liberaliter, & gratis concedet. Quare omnis prorsus auferenda est ratio meriti. Quod enim propriè meretur aliquid, necesse est, vt in eo libera sit oblatio, neque id alia vlla de causa debeatur. Itaque cùm nos omnia nostra debeamus Deo, quicquid facimus, mereri certi nihil potest. Deinde, nostra ea esse oportet, quibus aliquid mereri volumus. Bona autem opera nostra non sunt, sed à Deo. Tum remoueri necesse est omnem imperfectionem, & immunditiem. Alioqui opera nostra contaminata sunt, neque quadrare possunt ad regulam, quæ à Deo præscribitur. Quare venia potius oranda est, quàm de mercede aut præmio cogitandum. Adhæc inter meritum, & præmium oportet esse aliquam proportionem. At nulla potest esse proportio inter opera nostra, & æternam fœlicitatem. Ideóque non possunt propriè appellari merita. Præterea Deus vult nobis ereptam omnem materiam gloriandi. Id autem fieri non posset, si nostris operibus vitam æternam mereremur. Cumque in præsentia Paulus vitam æternam describat nomine Gratiæ, ea certè non potest esse ex operibus. Atque hæc de primo sint satis. Iam quid de hoc loco Augustinus scripserit, paucis referam. In Enchiridio ad Laurentium capite centesimoseptimo. Stipendium, inquit, pro opere militiæ debitum redditur, non donatur. Ideo dixit Paulus, Stipendium peccati mors, vt mortem peccato non immeritò illatam, sed debitam demonstraret. Gratia verò nisi gratis sit, gratia non est. Quare hominis bona opera, cùm Dei sint munera, quibus vita æterna redditur, gratia pro gratia recompensatur. Idem in libro De Gratia, & Libero Arbitrio capite nono. In Euangelio, inquit, Iohannis scriptum est, nos omnes de plenitudine eius accepisse, gratiam pro gratia, quemque prout Deus partitus est mensuram fidei. Nam vnus quisque proprium donum habet à Deo, alius sic, alius verò sic. Vnde cùm redditur vita æterna, Gratia pro Gratia redditur. At non ita est de morte: quia ea militiæ Diabolicæ vt debita redditur. Vnde, cùm Apostolus posset dicere, & rectè dicere, Stipendium iustitiæ est vita æterna, maluit dicere, Gratia autem Dei vita æterna: vt hinc intelligeremus, Deum nos ad æternam vitam, non pro nostris meritis, sed pro sua miseratione perducere. Vnde scribitur in Psalmo centesimo tertio. Qui coronat te in misericordia, & miserationibus. Quoniam is est, qui operatur in nobis, & velle, & perficere. Dixerat prius Apostolus, Operamini salutem vestram cum timore, & tremore. Postea, ne hoc nobis tribueremus, ait, Deum hæc in nobis operari: idque non pro nostris meritis, sed pro suo beneplacito. Et in eodem libro capite octauo. Non paruam ait esse ambiguitatem, quomodo vita æterna reddatur bonis operibus. Scripturam enim dicere, Vnumquenque habiturum esse secundum opera sua. Tamen ex altera parte Paulum appellare Gratiam vitam æternam. Proprium autem esse Gratiæ, vt reddatur gratis. Paulum etiam dicere, Ei, qui operatur, mercedem non imputari secundum gratiam, sed secundum debitum: Et gratiam si sit ex operibus, non esse Gratiam: Et, Reliquias per electionem Gratiæ saluas factas esse: Et, ad Ephesios, Gratia nos saluos factos esse per fidem: idque non ex nobis: Et, Non ex operibus, ne forte quis extollatur. Hunc nodum Augustinus aliter solui non posse dicit, nisi fateamur, sanctam vitam esse Gratiam. Ita enim vtrunque locum habere posse. Nam vitam æternam reddi operibus. Quoniam autem opera nobis à Deo gratis conceduntur, idcirco etiam vitam æternam dici Gratiam. Et in libro De Correctione, & Gratia, cap. 13. ait, Iacobum scribere, Iudicium sine misericordia fore illi, qui nõ facit misericordiam. Ex quibus verbis, inquit, apparet, eos, qui rectè vixerint, cum misericordia, eos verò, qui praue, sine misericordia in extremo iudicio fore iudicandos. Quòd si misericordia opus est in iudicando, iam pro meritis non agitur. Et in eundem sensum adducit Matrem Machabæorum: quæ, vt habetur libro secundo, capite septimo, sic affatur filium suum: Vt in illa miseratione cum fratribus tuis te recipiam. Quo in loco diem iudicij miserationem appellat. Et certè, cùm ventum fuerit ad tribunal Dei, quis gloriabitur, castum se habere cor? Aut quis gloriabitur, sese mundum esse à peccato? Quare ibi quoque misericordia necessaria est, qua fiat beatus, cui non im-

Discrimen inter causam et media

Contra meritum

Ratio meriti.

Cum uita æterna datur post opera est gratia pro gratia.

Apostolus dicere potuit & quidē iustè uitam æternam stipendium iustitiæ.

Sancta uita est gratia.

Vita æterna redditur operibus.

Bona opera sunt nobis ex gratia donata ideo uita æterna datur ex gratia.

Misericordia nobis opus erit in iudicio.

Dies iudicij miseratio dicitur.

Potuit dicere Paulus uitam æternam ſtipendium iuſtitiæ.

putauit Dominus peccatum. Idem in epiſtola 105. ad Siſtum : Cùm dixiſſet Apoſtolus, Stipendium peccati mors, quis non congruentiſsimè, & conſequenter addendum iudicaret, Stipendium autem iuſtitiæ vita æterna? Et verum eſt. Quia ſicut merito peccati tanquam ſtipendium redditur mors, ita merito iuſtitiæ, tanquam ſtipendium redditur vita æterna. Sed Beatus Apoſtolus aduerſus elationem vigilantiſsimè militans, cùm dixiſſet, ſtipendium peccati mors, ne iuſtitia de humano bono ſeſe extolleret, non retulit ex contrario, Stipendium iuſtitiæ vita æterna, ſed Gratia, inquit, Dei vita æterna. Verùm non ſatis eſt, putare, hæc propter humilitatem, & moderationem eſſe dicta. Re enim vera ſic ſe habent. Nam opera noſtra non habent pro iuſto, & merito ſtipendio vitam æternam. Ideóque ait, humanam iuſtitiam eſſe ſuperbiam, quæque nomine tantùm appelletur iuſtitia. Veram autem oportet eſſe eam iuſtitiam, cui debeatur vita æterna : quæ ſi non eſt ex te, deſurſum eſt, deſcendens á patre luminum. Quapropter, ô homo, ſi accepturus es vitam æternam, iuſtitiæ quidem ſtipendium eſt; ſed tibi gratia eſt, cui gratia eſt & ipſa iuſtitia. Tibi enim tanquam debita redderetur, ſi ex te tibi eſſet iuſtitia, cui debetur. Ex his omnibus colligitur, apud Auguſtinum ideo vitam æternam appellari Gratiam, quòd opera, quæ eam antecedunt, gratis concedantur. Deinde fatetur, in extremo iudicio, quando ea Deus remunerabitur, miſericordia, & miſeratione opus fore. Tum etiam nobis ſemper eadem opus eſſe miſericordia, ne peccata nobis imputentur. Poſtremò, vitam æternam, quamuis ſtipendium eſſe poſsit iuſtitiæ per ſe acceptæ, tamen nobis eſſe Gratiam : partim, quòd ea non ſit ex nobis, partim etiam, quòd imperfecta ſit. Hilarius etiam ſcribit in Pſalmum 50 : Spes in miſericordia Dei in ſæculum, & in ſæculum ſæculi eſt. Non enim ipſa illa iuſtitiæ opera ſufficiunt ad perfectæ beatitudinis meritum, niſi miſericordia Dei in hac iuſtitiæ voluntate humanarum demutationum, & motuum non reputet vitia. Et Hieronymus in Eſaiam capite quadrageſimoſexto, Si noſtra merita conſideremus deſperandum eſt. Inter nos & aduerſarios non controuertitur, vtrum ex gratia Dei bona opera regeneratis concedantur. Quanquam ne hîc quidem prorſus cum illis conſentimus. Illi enim putant, in noſtra manu poſitum eſſe, vt bona opera oblata recipiamus. Nos autem dicimus, opus eſſe, vt Gratia, & Spiritu Dei noſtra voluntas immutetur : alioqui à donis Dei, quod ad hoc genus attinet, abhorremus. Sed de hac re ſatis ſuprà dictum eſt, cùm ageretur de Gratia. Quare id nunc non proſequar longius. Eſt autem aliud, de quo grauior eſt hodie controuerſia. Qui merita tueri volunt, exiſtimant, bona opera, quæ à Deo hominibus conceduntur, ſatis eſſe ad vitam æternam. Id verò nos pernegamus. Et noſtræ quidem ſententiæ pulchrè fauet id, quod paulò antè dximus ex Auguſtino : In extremo iudicio Dei miſericordiam nobis fore neceſſariam : non ſolùm, quòd opera bona ab eo gratis conceſſa fuerint, ſed etiam, quòd, cùm ſederit in throno ſuo Iuſtus Iudex, nemo gloriari poterit, ſe caſtum habere cor, aut ſe mundum eſſe à peccato. Itaque neceſſe eſſe, vt ei, qui ad fœlicitatem venturus ſit, peccata, vt ait Dauid, ne imputentur. Quare cùm opus ſit miſericordia conſtat bona opera noſtra non fore ſatis. Idem Auguſtinus alibi ſcripſit, perfectionem ſanctorum in eo ſitam eſſe, vt agnoſcant, quantum adhuc ſibi deſit ad perfectionem. Et illam Pauli ſententiam, Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui, ſic exponit, vt ſentiat, Apoſtolum non dicere, ſe planè eſſe abſque peccato : ſed eum fide ac ſpe ſua fretum omnino ſtatuere, fore vt in extremo agone, qui iam iamque imminebat, quicquid vitij, aut peccati obrepſiſſet, id omne Dei miſericordia per Chriſtum condonatum iri, quemadmodum ipſe remiſerat alijs offenſiones ſuas. Tantum autem abeſt, vt Auguſtinus ſenſerit, Paulum fuiſſe abſque peccato, vt locum illum ad Philippenſes (Quin etiam arbitror, omnia damnum eſſe, propter excellentiam cognitionis Ieſu Chriſti Domini mei : propter quem omnia duxi damnum eſſe, & reputo ſtercora) interpretetur de operibus in Chriſtianiſmo factis. Nam cùm prius, commemoratis operibus Iudaici, dixiſſet, Sed quæ erant lucra, ea arbitratus ſum propter Chriſtum damnum eſſe, quæ poſtea ſubduntur, adiecit per correctionem, oſtendens non ſolùm opera Iudaici, ſed etiam reliqua omnia, pro damnis, & rebus immundis ducenda eſſe. Etenim animaduertebat, in omnibus vitium, & defectum inueniri. Et de peccatis, quæ noſtris operibus admiſcentur, Scripturæ apertiſsimè docent, cùm aiunt, neminem poſſe iuſtificari in conſpectu Dei. Et ſancti deprecantur rigidum illud examen iuſtitiæ. Ne intres, inquiunt, in iudicium cum ſeruo tuo Domine.

Vita æterna ſtipendium eſt iuſtitiæ ſed homini eſt gratia.

Si iuſtitia eſſet ex nobis uitam æternam ut debitam haberemus.

Cùm Deus remunerabitur opera, agit ex miſericordia.

Vita æterna poteſt eſſe ſtipendiũ iuſtitiæ per ſe acceptæ.

Nobis eſt gratia quòd opera bona nõ ſunt ex nobis & quòd ſunt imperfecta.

Bona opera ex gratia dari nos et aduerſarij cõcedimus, uerũ cũ diſcrimine.

Qui tuentur merita inquiunt bona opera eſſe ſatis ad uitam æternam conſequendam quod à nobis negatur.

Auguſtinus minimè ait Paulũ fuiſſe abſq; peccato ſed contrarium ſtatuit.

Nota de iſto loco ad Philippenſes quid Auguſtinus putet.

Peccatum admiſcitur noſtris bonis operibus.

Et Iohan-

Et Iohannes ait, si quis dicat, se peccatum non habere, decipit se ipsum, & veritas in eo non est. Et Solomon ait in libris Regum, Non esse hominem super terram ita iustum, vt nõ peccet. Quæ verba Augustinus expendens, ea accommodat ad formam præsentis temporis: ne quis eam sententiam Solomonis referat ad ea, quæ ante regenerationem admisimus. Omnes orare debemus, vt debita nostra nobis remittantur: vt qui iustitiam in hac vita sitire potius possimus, quam perfectam, & absolutam assequi. Præceptum enim illud Domini, quo iubemur, amare Deum ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus viribus, tum demùm perficietur, cùm peruenerimus eò, vt Deum videamus facie ad faciem sicuti est: vt Augustinus scribit de Spiritu & Litera, ad finem. Quo etiam in loco quærit, cur hoc mandatum sit positum, si perfici non possit in hac vita. Respondet, Deum id præcepisse, vt nos sciremus, quid fide petendum sit, quò spes præmittenda, quid in nostris actionibus perpetuò conandum. Atque illum existimat, multùm profecisse in hac vita, qui videre tandem possit, quàm procul absit ab eo, quod perfectum est. Idem libro secundo, De peccatorum meritis, & remission. capite 16. 17. 18. hac de re multa scribens, ait, in scripturis homines interdum dici perfectos, non quòd prorsus peccato careant, sed quòd in vitæ innocentia multùm profecerint, & quòd ad assequendam summam semper conatum, & studium intendant, quodque Deus illis errata condonet, & quod illis ad iustitiam deest, id ex plenitudine iustitiæ Christi imputet. Negat autem putandum esse, Deum ab hominibus non requirere, vt sint prorsus absque peccato. Existere enim peccatum non posse, nisi Lex fuerit, quam peccando transgrediamur. Deinde quærit, cur Deus tulerit eam Legem, quam satis viderit, seruari nullo modo posse. Id respondet ideo esse factum, vt eos, qui illam contempserint, & per contemptionem transgressi fuerint, pro meritis condemnet: eorum autem, qui eius sint studiosi, preces exaudiat, eosque ad eam absoluendam in dies magis magisque adiuuet. Huc illud adducit, quod scribitur, Deum illos, quos diligit, corripere, & castigare: non tamen furore aut vindicta, sed paterna correctione. Nemo autem castigatur, aut affligitur expers peccati. Hoc enim Seruator noster solus pertulit, vt absque vlla sua culpa pœnas atrocissimas sustineret. Quare cùm omnes, qui amantur à Deo, rebus aduersis corripiantur, necesse est eos omnes peccato esse obnoxios. Id Paulus ad Galatas de sanctis certissimè affirmat. Ait enim, in illis carnem ita aduersari spiritui, vt non faciant, quæ velint. Et in proximo capite scribit, se ipsum facere malum, quod oderit. Ex his omnibus perspicuè colligitur, hominem quantalibet sanctitate prædi-
ditum, dum hîc viuit, semper habere, quod à Deo oporteat condonari: quod Augustinus etiam testatur ad finem libri de Spiritu, & Litera. Atque hinc euidentissimè conficitur, nostra bona opera non esse satis ad æternam vitam. At aduersarij iactare solent, regeneratos non esse viles in conspectu Dei. Nos verò dicimus, nos coram Deo esse miseros. Nam ni ita esset, Deus non posset erga nos vti misericordia: qua tamen Augustinus omnino opus esse scribit, si velimus coronari. Nam misericordia est affectio, qua mouemur erga miseros. Quare, si ex misericordia nobis danda est vita æterna, omnino oportet nos coram Deo esse miseros. Sed, si intelligant, regeneratos non esse viles in conspectu Dei, quòd á Deo multis donis, & ornamentis cohonestentur, id fatemur. Non tamen illa munera, quæcunque, aut quantacunque sunt, tanta videri debent, vt ad æternam vitam sint satis. Id autem non munerum ipsorum vitio fit, sed nostro, qui illis per omnia non obtemperamus. Multum enim adhuc veteris Adami, & innatæ prauitatis in carne nostra circumferimus. Adhæc distinguunt aduersarij bona opera hominum regeneratorum: quòd ea partim ex nobis esse dicant, partim ex Deo. Ea, quà sunt ex nobis, nihil mereri, aiunt: quà autem sunt ex Deo, mereri, & causas esse vitæ æternæ. Atque hac distinctione putant, rem planè esse expeditam. Sed nos hoc illis non concedimus. Nam si bonum opus diligenter, & penitùs consideremus, necesse erit, vt illud fateamur esse ex gratia Dei, & eius laudis ne minimam quidem partem nobis esse relinquendam. Sed quia Deus nobis vtitur ad agendum, quoad hîc viuimus, non planè repurgatis, inde est, quòd opera nostra semper sunt imperfecta. Deinde si ea essent causa, ac merita æternæ vitæ, possemus illis secure confidere. Verùm id scripturæ sacræ non ferunt. Paulus enim in hac epistola ait: Reputo, non esse dignas passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Hoc loco Paulus bona opera considerat, quatenus sunt à Deo. Ex nobis enim ipsis non habemus, vt propter Christum aduersa patiamur. Deus enim est, qui illam tolerantiam in nobis operatur. Eam tamen Paulus, quantumuis magna sit, imparem esse ait ad futuram gloriam. At isti statuunt in ea meritum, vt loquuntur, de Condigno. Tertiò, ad-

Præceptum quo mandatur vt diligamus Deũ toto corde hic nõ perficitur.

Cur positum est præceptũ si perfici non potest in hac uita.

Quare sancti dicãtur perfecti si mandata non seruant.

Deus requirit ab hominib. vt sint absq; peccato.

Cur Deus legem tulit quam sciebat seruari non posse?

Nemo affligitur absque peccato.

Qui amantur à Deo nõ sunt absq; peccato.

Semper habemus in nobis quod deum oporteat condonare.

Nisi miseri essemus coram Deo ille misericordia erga nos non uteretur.

Quid misericordia.

Quomodo renati viles non sint coram Deo.

Nota distinctionem quorundam.

Quare opera nõstra semper sint imperfecta.

Non licet operibus fidere.

Non habemus ex nobis ut pro Christo patiamur.

Opera non sunt causa sine qua nõ, æternæ uitæ.

uersarij contendunt, bona opera esse causam æternæ vitæ, sine qua non. Quæ sententia, quàm sit ridicula, infantes paruuli, quos scimus seruari sine operibus, testari possunt. Illi enim, cùm per ætatem nihil boni facere potuerint, tamen assequuntur æternam vitam. Hæc ergo causa non est tanti, vt sine illa nemo seruari possit. In adultis autem, si propriè loqui volumus, bona opera non possunt habere rationẽ causæ. Ea enim in illis nihil aliud sunt, quàm æternæ vitæ inchoatio. Quare cùm ea sint pars quædam vitæ æternæ, non possunt videri eius causæ. Neque aliud sensi, cùm suprà dicerem, opera bona esse media, & quasi gradus quosdam, per quos Deus suos perducit ad æternam vitam. Fateor, apud Patres sæpè occurrere nomen meriti: quo vtinam illi parcius, & consideratius fuissent vsi. Ea enim vox fœdissimos errores peperit. Quanquam patres ipsi multis in locis eam vocem expositionibus leniunt: vt intelligeremus eos non constituere iustam, ac propriam rationem meriti. Semper enim admonent, Vitam æternam gratis dari: & sanctos misericordia, & miseratione Dei coronari: &, fidendum non esse meritis, quòd ea consistere non possint ad tribunal Dei: & alia huiusmodi. Quæ si aduersarij seriò expenderent, merita illa, quæ vocant ex Condigno, minus pertinaciter tuerentur. Sed, vt dixi, tutissimum est à voce abstinere, præsertim nunquam in omnibus sacris literis vsurpata. Sed solent obijcere ex epistola ad Hebræos capite 13. Talibus hostijs promeretur Deus. At in Græco scribitur, εὐαρεστεῖται, hoc est, delectatur, aut eas gratas habet. Obijciunt etiam ex capite 16. Ecclesiastici. Omnis misericordia faciet locum vnicuique secundum meritum operum suorum. At primùm ille liber non est in Canone: deinde locus malè citatur. Græcus enim sic habet: πᾶσα ἐλεημοσύνη ποιήσει τόπον: ἕκαστος κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ ἐνρήσει Quibus in verbis nulla fit mentio meriti. Nunc expendendum est id, quod Augustinum scripsisse suprà diximus, Apostolum potuisse verè dicere, Vitam æternã stipendiũ esse iustitiæ, sed noluisse. Hîc primùm dico, argumenta sumi oportere ab eo, quod in scripturis docemur: non ex eo, quod potuerit in scripturis aliter tradi. Quare infirmum est argumentum, si quis ita dicat, Apostolus potuisset dicere, Vitam æternam esse stipendium iustitiæ: Ergo iustitia vitam æternam promeretur. Quia argumentum sumendum erat ex verbis Pauli. Nam si ad hunc modum liceret ratiocinari, prorsus debilitarentur solida argumenta, quæ nituntur verbo Dei. Semper enim posset obijci, Quamuis scriptura ita habeat, tamen id potuisset alio modo dici. Atque ita nihil haberemus certi. Et quamuis ostenderim, quid sibi illis verbis Augustinus voluerit, non tamen propterea facilè adducor, vt putem, Apostolum aliter potuisse scribere, quàm scripserit. Nam si altera loquutio datura erat occasionem elationis, & superbiæ, non potuisset ædificare, oportuitque illum spiritus sancti sequi dictata. Et quamuis id de Iustitia per se accepta forte possit intelligi, de nobis tamen, & de nostra Iustitia dici non potest.

Bona opera sunt æternæ uitæ inchoatio.

Quomodo bona opera dicantur media p quæ deus perducit suos ad æternam uitam.

Vox meriti apud patres.

Tutissimum est à uocabulo meriti abstinere.

Vox meriti non est in sacris literis.

Locus ad Hebræos.

Locus Ecclesiastici.

De eo quod Augustin. à cu Paulum potuisse dicere uitam æternam stipendium iust tiæ.

Argumẽta ex eo quod in scripturis habetur nõ ex eo quod scribi potuerit.

Paulus non potuit aliter scribere quam scripserit.

Quare, cùm ea sententia nec ædificare posset, nec ad institutum faceret, non video, quomodo Paulus ita scribere potuerit. Nolim tamen de hac re plus æquo cum Augustino contendere.

CAPVT SEPTIMVM.

Methodus huius capitis.

IN hoc capite Apostolus respondet alteri aduersariorum criminationi: videlicet, quòd videretur plus æquo Legem dejicere. Docet autem, se eo consilio id fecisse, ne, qui Christo semel nomen dederint, amplius Legi seruire velint, cùm illius beneficio ab ea sint liberati. Atque hîc fusè persequitur id, quod in proximo capite breuiter attigerat, cùm diceret, Non enim estis sub Lege, sed sub Gratia. Itaque primo loco proponit libertatem nostram, quam assertam habemus à seruitute Legis. Deinde, ne eam videatur summouisse, quòd aut turpia, aut iniusta præcipiat, docet eam non esse peccatum, sed tantùm peccatum ostendere, ac prodere. Tertio loco, postquam demonstrauit, Legis prohibitionibus peccatum & augeri, & vehementius occidere, Legem ipsam defendit, non esse illam causam mortis nostræ, neque vllo iure illius ream agi posse. Et postquam docuit, omnem perniciem, & vniuersam malorum causam à corruptione, & prauitate, quæ nobis innata est, deriuari, extremo loco addit, eam quoq; in hominibus etiã renatis admodum grauẽ, & violentã tyrannidẽ exercere: & magno affectu exclamat, atq; optat, vt ab illa vi possit quàm citissimè liberari. Ab initio autem non scribit simpliciter, nos seruitute Legis esse

esse assertos: verùm subijcit eam rationem, qua nobis patefaciat viam, & modum, quo in eiusmodi libertatem peruenerimus: nimirum, mortem Christi. Deinde exponit finem, propter quem à lege ad Christum traducti simus: vt quemadmodũ antea fructuosi fuimus morti, ita nunc Deo fructificemus. Et quoniam hac sententia de liberatione à lege, Iudæi potuissent offendi, qui iam ad Christum accesserant, ideo eos blanda & suaui appellatione fratres vocat, & scientiam legis illis tribuit, ne videatur aut odio, aut contemptu illorum adduci, vt legem, qua illi tantopere glorientur, rescindat.

Fratres cur appellet.

An ignoratis, fratres (scientibus enim Legem loquor) quòd Lex tantisper dominatur homini, quandiu uixerit. Probatio eius, quod dixerat, nos esse liberatos à Lege, non aliunde accipitur, quàm quòd simus mortui. Nam qui mortui sunt, lege non tenentur. Mortuos autem esse nos, ostendit per corpus Christi: in quo ait, nos mortificatos esse legi. Hoc autem argumentum Apostolus ideo tam diligenter tractat, quòd Iudæis, ex quibus primis illis temporibus Ecclesia maiori ex parte constabat, fœdum ac turpe videbatur, à lege, quam & à suis maioribus diuinitus accepissent, repentè deficere. Ideoq; nunc Apostolus ait, id nobis non esse verendum vitio, postquàm à lege sumus exempti, neque ab ea inuita recedamus. Illa enim ipsa nos à se remittit ad Christum. Sed de qua lege Paulus hîc loquatur, non est eadem omnium sententia. Ambrosius putat, ea, quæ hîc dicuntur, ad mandatum Euangelicum pertinere, non ad legem Mosaicam. In ea enim diuortium concedi, nec semper expectari separationem per mortem coniugis. Verùm, pace Ambrosii dixerim, non facilè inuenies in scripturis, Euangelium simpliciter appellari legem. Deinde satis constat, ista à Paulo contra Iudæos disputari, qui obseruationem Legis etiam in Euangelio putabant esse necessariam. Quare necesse erat, vt eos, non tam Euangelio, quàm Legis ipsius autoritate conuinceret. Qua in lege etsi diuortium permittebatur, tamen Apostolus de eo in præsentia non loquitur. Sequitur enim viam ordinariam in matrimonio bene instituto: in quo dissolutio non contingit, nisi per mortem. Vt autem matrimonium soluatur per diuortium, vt Chrysostomus annotauit in hunc locum, id non contingit, nisi per vitium. Idcirco enim vxores sæpe dimittebantur in veteri Lege, quòd aliquo graui peccato laborarent: aut, si illæ probæ essent, & integræ, quòd insignis esset virorum importunitas, & malitia. Sed ea Paulus noluit adscribere Legi. Ideóque quum rationem dissolutionis haberet certam & necessariam, vtpote quæ per mortem intercederet, alteram, quæ nec semper accideret, nec locum inter probos habere posset, noluit attingere. Quare non possumus ex hoc loco facere iudicium, quid, quantúmue Paulus in causa diuortij hominibus Christianis licere velit. Hic enim simile tantùm adfert, sumptum à matrimonio. At similia non est necesse in vniuersum, & ad omnes partes respondere: quod hoc loco Erasmus etiam admonuit. Et ideo Paulus dissolutionis eius, quæ fit per repudium, non meminit, quòd non discedamus à Lege per repudium, sed per mortificationem. Eam itaque discessionis causam recensere voluit, quæ ad propositum quàm maximè spectaret. Nam quum duæ sint causæ dissolutionis, mors, & diuortium, illam tantùm Paulus attigit, qua à Lege sumus liberati. Ea autem ad mortem spectat. Adhæc, quum in hoc simili nos teneamus locum vxoris, vxor autem in veteri Lege, quanuis dimitti posset per diuortium, tamen virum ipsa repudiare non potuit, discedere à viro tantùm dimissæ licuit, nisi fortè mors viri interuenisset. Quare sentio cum Chrysostomo, Apostolum loqui non de Euangelio, sed de Lege Mosaica: tantóque magis, quòd Paulus infrà diserte commemoret mandatum de non concupiscendo: quod citra omnem controuersiam in Decalogo continetur. Sed est aliqua amphibologia in his verbis, Lex in homine dominatur, quandiu vixerit, verbum illud Vixerit, ad hominem ne, an ad Legem referri debeat. Quod ego ab Apostolo de industria factum arbitror. Nam ad extremum concludit, non solùm nos esse mortuos legi, sed etiam Legem ipsam mortuam esse, & antiquatam. Atque ideo ad vtramuis partem referas verbum, Viuit, ad institutum satis quadrabit. Chrysostomus putat, hanc rationem concludi à minori. Nam si mors viri vxorem liberat à iugo matrimonij, multò maior libertas continget, si etiam vxor ipsa moriatur. Quum duplex via libertatis proposita sit, Paulus tamen videtur alteram tantùm persequi. Subdit enim:

A lege dicimur liberati, qnòd simus mortui. Iudæis turpe uidebatur à lege deficere. Recedimus à lege non inuita.

Euangelium non appellatur simpliciter lex.

In matrimonio proborũ coniugum diuortiũ locũ non habebat.

Itaque fratres mei uos quoque mortui estis Legi per corpus christi. Non autem infert, Lex igitur mortua est. Dare hoc voluit Apostolus Iudæorum infirmitati. Interim tamen id dicit, quod perinde esset, acsi dixisset, Legem esse mortuam. Sed operepretium est scire, quid sit apud Paulum esse sub Lege. Id autem non aliud est, quàm peccato

Ex hoc loco non potest colligi, an diuortiũ Christianis liceat, an non liceat. Duobus modis soluitur matrimonium.

Nos in ista collatione locũ habemus uxoris. Vxores in ucteri lege repudiũ non dabãt uiris.

Vtilis amphibologia, quando potest in omni sensu esse uera.

Quid sit esse sub lege.

Quid sit mortuos esse legi.

esse obnoxium. Lex enim per peccatum nos reos peragit. Mortuos autem esse, nil aliud est, quàm id in nobis habere extinctum, per quod Lex nos accusat, & damnat. Id autem est vetus homo, Caro, Cupiditas innata, & Naturæ deprauatio. Hæc vbi semel in nobis mortua sunt, & Christus in nobis viuit, & regnat, nullo modo possumus à Lege condemnari. Verùm, quoniam, dum hîc viuimus, peccatum è carne nostra non potest à radicibus euelli, idcirco verisimile est, Apostolum ad id respexisse, quod nos aliquando futurum speramus: quanuis ita scribat, acsi iamdudum essemus assequuti. Interim autem nobis ob oculos ponit scopum, ad quem in omnibus nostris actionib. debeamus collimare: nimirum, vt istam insitam cupiditatem perpetuò retundamus. Itaque quisque se eatenus iudicare debet liberum esse à lege, quantùm potest cupiditates suas mortificare: & semper magis magisque contendere, vt proficiat, vt aliquando pertingat ad illum finem, ad quem sumus prædestinati, vt efficiamur conformes imaginis filij Dei, participes effecti & mortis eius, & resurrectionis. Sed quum duplex proposita sit mors, Legis & nostra, Paulus nostram tantùm expressè persequitur: ex qua etiam sequitur mors legis. Lex enim non irritat, non cogit, non accusat, non damnat mortuos: nec illis vllo pacto molesta est aut odiosa. Et qui mortui sunt, & cum Christo coniuncti, nequaquam expectant, vt per illam iustificentur: partim, quòd Lex id præstare non possit, partim, quòd illi per gratiam Christi iam adepti sint veram iustitiam. Mortificati autem dicimur per corpus Christi: vel quòd effecti iam membra Domini caput nostrum sequimur: vt quemadmodum ille crucifixus, & mortuus est, quod attinet ad vitam mortalem, & corruptibilem, ita nos quoque peccato moriamur: vel quòd corpus Christi fuerit hostia, & sacrificiũ, quo à Deo iam placato, & propitio spiritus conceditur, per quem vis peccati debilitatur. Et quum à Paulo hæc libertas non prædicetur nisi mortuis peccato, intelligimus nihil esse periculi, ne propter hanc libertatem homines vitijs indulgeant. Mortui enim ad peccandum non possunt incitari. Porrò lege teneremur, si peccato, & carni viueremus. Mortui verò ea non tenemur: nisi dicere velimus legis mandata ad mortuos quoque pertinere. Quum Paulus hoc loco vtatur metaphora ducta à matrimonio, animaduertere debemus, viri munus esse vxorem suam regere, Verùm, quum Lex diu viri locum obtinuisset, nec suo munere fungi posset, nimirum, vt homines regeret, & à peccato reuocaret (id enim infrà scribitur, Legi fuisse impossibile, quatenus infirmabatur per carnem) idcirco Apostolus, quum docet libertatem à lege, tanquam ab infirmo, & debili præceptore, ad spiritum, velut ad præceptorem meliorem, & potentiorem esse traductos: qui solus eam vim habet, vt hominem possit immutare: id quod quò minus Lex efficere posset, impediebatur non suo vitio, sed nostro. Hîc annotandum est, quantam cõformationem esse oporteat inter virum, & vxorem in matrimonio recte instituto. Viri enim proprietates oportet cum muliere cõmunicari. Quare, quêadmodum Christus mortuus est, ita nos quoque oportet mori peccato: Et quemadmodum Christus resurrexit ad incorruptam vitam, & immortalem, ita nos quoque oportet resurgere ad inchoanda opera vitæ æternæ. Itaque Paulus quum mentionem fecisset mortis, adiecit:

Scopus nostræ uitæ.

Quantũ quis à lege sit liber.

Libertas à lege non prædicanda nisi mortuis peccato.

Legis mandata non pertinẽt ad mortuos.

Lex officiũ uiri facere nõ potuit

In matrimonio est magna cõfirmatio inter uirũ & uxorem.

Vt sitis alteri: nimirum ei, qui surrexit ex mortuis. Proponit etiam exemplũ resurrectionis Christi: quibus verbis, vt ait Chrysostomus, incitare nos voluit ad noui matrimonij cupiditatẽ, propter præclaram illam conditionem Christi, cui iungendi sumus. Finis autem huius nouæ coniunctionis expressè ponitur in verbis illis, quæ sequuntur:

Finis nouæ coniunctionis cum Christo.

Vt fructificemus Deo. In priori coniugio steriles fuimus: quia lex bonorum operum homines non potest fœcundos reddere. Sed spiritu Christi impleti, ea statim abundè pariunt. Atque hoc illud est, quod Deus promisit fore per Esaiam, cap. 53. Si posuerit animam suam pro peccato, videbit semen longæuum. Et Dominus ait apud Ioannem. Vbi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum. Hoc est, quod Paulus ait, vt fructificemus Deo. Id autem tum demum fit, quum non solùm ipsi bona opera præstamus, verùm etiam alios ad Christum adducimus. Non disiunguntur isti duo fines. Neque enim possumus alios Christo lucrifacere, si quod plerunque fit, attendatur, nisi in nobis ipsis sanam doctrinam exemplum pro bæ vitæ consequatur. Neque temerè factum est, vt personam Apostolus mutarit. Suprà enim vsus est secunda persona, quum ita scriberet: Vos mortificati estis legi per corpus Christi, vt sitis alteri. Statim autem subdit, Vt fructificemus Deo: quum pro ratione consequutionis dicendum potius fuerit, Vt fructificetis Deo. Sed mutauit personã, vt sententiam generalem esse ostenderet: ne quis se putet ita esse sanctum, vt iam non habeat opus istis fructibus. Ea causa Apostolus se ipsum etiam admiscuit. Pulchrè annotauit Chrysosto-

Lex non fœcundauit homines.

Nullus est ita sanctus, quin ijs fructibus opus habeat.

ſoſtomus, non accidere in his rebus, quod ſolet in ratione ciuili. Ibi enim mortuo marito, viduæ, ſi velit, licet abſtinere à ſecundo matrimonio. Nos autem mortuo peccato per Spiritum ſanctum, neceſſe eſt traduci ad Chriſtum, tanquam ad nouum ſponſum. Neque enim ſumus noſtri iuris. Nam ille nos redemit pretio, vt Paulus ait ad Corinthios: eoque non ſumus noſtri. Quare oportet glorificare, & portare Chriſtum in corporibus noſtris. Et in poſteriori ad Corinth. Vnus pro omnibus mortuus eſt: vt qui viuunt, iam non ſibi viuant, ſed illi qui mortuus eſt, & reſurrexerit. Quare quum iam Chriſto nupſerimus, imitari oportet probas vxores: quæ, quicquid agunt, non ſpectant, quid ſibi placeat, ſed quid probetur viro. Rurſus his verbis explodituꝛ medius ille ſtatus, in quo quidam ſomniantur eſſe: qui nec mortui ſunt peccato, nec renati in Chriſto, aliqua tamen edant opera bona, quæ grata ſint Deo, eóſque ad iuſtificationem præparent. Paulus hîc manifeſtè docet, eos, qui non ſint inſerti in Chriſtum, obſtrictos eſſe Legi, & ſub peccato viuere, & morti ſolùm fructificare: vt, quicquid agant, id illis omne ſit mortiferum. Sed qui Chriſto nupſerunt, ij demum fructificant Deo. Nam Deus per illos, tanquam per ſua membra, & inſtrumenta, fructus ſuos, & opera bona explicat.

Mortuo peccato eſſe nõ poſſumus abſq; nouo ſponſo.

Officium bonæ uxoris.

Contra opera præparatoria.

Quum enim eſſemus in carne, affectus peccatorũ, qui ſunt per Legem, efficaces erant in membris noſtris, ut fructificaremus morti. Proponitur his verbis antitheſis inter matrimonium hoc nouum, & illud priſtinum. Et ſenſus eſt: Nunc oportet, vt fructificemus Deo. Nam hactenus morti fructificauimus. Deſcribitur etiam vetus noſtra conditio: nimirum, quòd fuerimus in carne. Non dicit, Quum eſſemus in Lege. Cauere enim voluit offenſionem non neceſſariam: id quod & doctores, & concionatores imitari debent: vt neue, quæ auditu neceſſaria ſint, taceant, neue importunè dicendo animos audientium alienent. Quum eſſemus, inquit Paulus, in carne, affectus peccatorum, qui erant per Legem, &c. His verbis ita videtur loqui de peccatis & prauis affectibus, quaſi ea in nobis ante legem non extiterint. Sed ne à Pauli ſententia aberremus, ſcire debemus, omnes nos à natiuitate inſitam, atque innatam habere corruptelam, & concupiſcentiam, quæ prauos in nobis motus, atque impetus, & varia vitiorum genera perpetuò inflammet. Iſtos autem motus atque impetus Paulus vocat παθήματα. Eſt enim diſcrimen inter ἤθος & πάθος. Τὰ ἤθη enim dicuntur affectus moderati, & laudabiles. πάθη autem ſunt affectus vehementiores, qui maiori feruntur impetu. Efficaces iſtæ affectiones dicuntur ab Apoſtolo ἐνεργεῖσθαι, hoc eſt, intima vi potenter agere. Itaque in ipſo ſemine, atque adeò in mente hominis dicitur eſſe ἐνέργεια, id eſt, vis quædam, quæ, quanuis lateat, tamen ſit efficaciſsima. Iam iſta παθήματα dicuntur eſſe per Legem: non quòd antea non fuerint, ſed partim quòd per Legem pateſiant, partim, quòd, quum Lex illis tanquam obex opponatur, reddantur multò vehementiora. Ideóque Auguſtinus in Quæſtionib. ad Simplicianum, quæſtione prima. Peccatum, inquit, augetur per Legem, primùm, quia per illam cognoſcitur: deinde, quia magis per eam irritatur. Nitimur enim in vetitum. Et addit, peccatum per Legem reddi grauius: quia poſita ſemel Lege tranſgreſſores efficimur. Quum ait, iſtos impetus efficaces fuiſſe in membris noſtris, per membra intelligit omnes vires, & facultates & animi, & corporis. Neque tamen exiſtimare debemus, Paulum accuſare naturalem conſtitutionem corporis, & membrorum. Tantùm damnat prauos affectus, qui per has partes graſſantur. Chryſoſtomus reprehenſionem iſtam transfert in cogitationes. Atqui vitium iſtud diffuſum eſt, per omnes vires, non minus animi, quàm corporis. Marcionitæ, Valentiniani, & Manichæi, qui legem damnabant, tanquam à malo Deo profectam, ex hac Pauli ſententa, & aliis quibuſdam ſimilibus locis anſam arripuerunt. Quibus occurrit Auguſtinus de verbis Apoſtoli Serm. 4. Ait autem eos imponere Chriſtianis non ſimplicibus, ſed negligentibus. Difficile enim, inquit, non eſt, ex ijs ipſis, quæ Apoſtolus ſcripſit in eodem capite refellere iſtorum blaſphemias. Quæ viri ſancti ſententia id confirmat, quod ſæpe diximus, Sanctam ſcripturam in his, quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria, ſatis eſſe, & à fidelibus intelligi poſſe: modò non ſint ignaui, ac deſides, & ſacram lectionem negligant. Pòſt ſuo loco docebimus, quo pacto, & qua moderatione, & prudentia Lex ab Apoſtolo defendatur. Quod autem ad hũc ſermonem attinet, annotare debemus, Paulum idcirco dicere, prauos affectus peccatorũ efficaces fuiſſe per legem in membris noſtris, quia fuimus in carne. Huc culpa transferenda eſt, non in legem. Niſi enim in carne fuiſſemus, lex nobis nil obfuiſſet. In Carne autem eſſe nihil aliud eſt, quàm incitari proprijs viribus, agi, atque impelli natura vitiata, & corrupta: Quicquid enim eſt in nobis citra Spiritum, & Gratiam, appellatur Caro. Quare quòd in nobis augentur vitia, & cupiditates, id ex eo fit, quòd ſimus in

Differentia inter uetus matrimoniũ & nouũ.

Qui obſeruandum à concionatoribus.

Vehementes affectus quare dicantur eſſe per legem.

Paulus nõ accuſat naturalẽ conſtitutionem corporis.

Sacra ſcriptura ſatis eſt in ijs, quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem

Niſi fuiſſemus in carne lex non obfuiſſet.

Quid ſit eſſe in carne.

carne. Solent homines, quantum possunt, aerem pestilentem, & noxium declinare. Ita nos quoque, si seruari volumus, oportet contagionẽ istam carnis horrere ac fugere, & ad Christum in cælum subuolare. Discedi autem à carne non potest, nisi per mortem. Eoque Paulus hortatur, vt per corpus Christi peccato moriamur. Est enim Caro locus lubricus. Itaque quoad in ea hæremus, necesse est, vt sæpe labamur. Quare Christo nitendum est, qui ita nos regat, & sustineat, vt in ista carnis lubricitate in æternum exitium ne corruamus.

Caro locus lubricus.

Nunc autem liberati estis à lege, mortui ei, in qua detinebamini, &c. Redit nunc ad eum statum, in quo iam collocati sumus per Christum. Iam, inquit, liberati sumus à lege: non autem ait, à carne, aut à peccato: hæc enim duo habet pro eodem. Mortui ei, in qua detinebamur: Non dicit, aut peccatum mortuum, aut legem mortuam. Nos tantùm ait esse mortuos. Per id, in quo detinebamur, intelligit legem, non peccatum: nam Græcè legitur ἐν ᾧ. Ἁμαρτία autem est fœminini generis. Apparet tamen, variam fuisse lectionem apud Græcos. Vbi enim nunc habemus ἀποθανόντες, aliqui legerunt, θανάτου: vt sit sensus, Nunc autem liberati à lege mortis, hoc est, à lege mortifera. Alij legerunt ἀποθανόντος in genitiuo: ac si Paulus dicere vellet, nunc autem liberati à lege mortua. Quanquam illa lectio, quam prius sequuti, & interpretati sumus, & communior est, & receptior. Eo autem modo Apostolus dicit, nos mortuos esse Legi, quo antea dixit nos mortificatos esse per corpus Christi. Et vt Chrysostomus ait, propterea dicimur liberati à lege, quia vinculum illud iam ruptum est, per quod Lex habuit nos obnoxios. Illud autem erat peccatum. Detinebamur autem in lege, non tanquam eius obseruatores, sed tanquam condemnati, & rei. Nunc liberati sumus ab ea, qui effecti sumus participes mortis Christi. Ex his intelligimus Legem dici mori, & abrogari, non propter se, sed propter aliud. Idcirco enim iam accusare, irritare, cogere, condemnare, & molesta esse desiit, quia peccatum est mortuum. Quare vsus eius non erat, vt nos iustificaret: quoniam id ab ea præstari non potuit, quatenus infirmabatur per carnem. Ceremoniæ etiam legis propter aliud sublatæ sunt: quia iam Christus venit. Et ciuilia mandata antiquata iam sunt: quoniam Respublica Israelitica euersa est. Ideo autem Paulus cauit, ne Legem aperte diceret esse mortuam, quòd hoc illi sua natura non conueniat. Semper autem recurrit ad carnem nostram, & ad peccatum: & ea liberè pronuntiat esse mortua. Nam propter eorum mortem Lex quoque ipsa cessat, & moritur. Verùm animaduertendum est, nos interea, dum hîc viuimus, non esse perfectè mortuos. Ideóque Lex tantisper non est inutilis. Non enim præditi sumus tam opulento spiritu, vt omnia eius impulsu faciamus. Itaque multa sunt in nobis, quæ Lex accusare possit, & reprehendere. Quare sancti dum hîc viuunt, Legem non desinunt intueri, quò fugientes eius damnationem ad Christum magis, magisque conuertantur. Etsi enim Christo insiti sumus per fidem, tamen ea coniunctio potest in dies esse maior. Nam piorum vita dicitur esse perpetua mortificatio, & pœnitentia. Neque verò quicquam aduersatur regenerationi nostræ, quòd dicimus, multum veteris Adami adhuc in nobis superesse. Ideóque quum consideramus Legem, & videmus, quid adhuc sit in nobis mortificandum, magis magisque impellimur ad Christum. Atque hoc illud est, quod Paulus scribit ad Galatas: se per Legem Legi mortuum esse. Quamobrem debet quisque Christianus ita apud se constituere, vt quandiu videat, aliquam in conscientia sua superesse reprehensionem, aut irritationem aliquam ad peccandum, aut odium & fastidium diuinæ Legis, aut se inuitum trahi ad bene agendum, tandiu peccatum in se non esse mortuum: & multum in se superesse, quod à Lege possit reprehendi.

Quomodo sub lege detinebamur

Lex abrogatur nõ per se, sed per aliud.

Dum hîc viuimus, non sumus perfectè mortui.

Nostra coniunctio cum Christo potest indies effici maior.

Quæ sint inditia peccati adhuc viuentis.

Vt seruiamus per nouitatem spiritus, & non per uetustatem literæ. Si quæras, cui seruiendum sit, respondendum est, Deo, vt illum, quemadmodum par est, veneremur. Vtitur Apostolus Græca voce λατρεύειν: Vnde apparet, discrimen illud, quod Augustinus assignauit inter δουλείαν, & λατρείαν, non esse perpetuum. Scripturæ enim promiscuè vtuntur vtraque voce ad significandum cultum Dei. Spiritui tribuitur nouitas. Spiritus enim nos per regenerationem innouat tam corpore, quàm animo: deinde in credentibus opera noua, & inusitata edit. Antithesis etiam est ad vetustatem pristinæ conditionis: quam Apostolus expressit nomine Literæ: qua voce complectitur, quicquid doctrinæ nobis extrinsecus proponi potest. Quicquid enim est eiusmodi, à viribus naturæ proficiscitur. Vetustum autem appellatur, quoniam à corde regenerato, & mutata voluntate non fluit. Est quidem etiam hîc genus quoddam obedientiæ: at non qualem Deus requirit. Ideóque dicitur vetustas literæ, quòd sit tenuis quædam imitatio propositæ doctrinæ. Opera huius gene-

Discrimẽ inter latriã & duliã nõ est perpetuũ. Spiritui cur tribuatur nouitas.

Quid nomine literæ intelligatur

generis non fiunt ex impressione Legis in cordibus hominum. Nam Deus apud Ezechiem pollicetur se daturum populo suo cor carneum. Possunt etiam ista vtcunque pertinere ad externam disciplinam. Verùm nec Deo placent, & facientibus peccata sunt. Et idcirco Paulus ea dicit advetustatem pertinere. Quidam ex patribus multa comminiscuntur de Spiritu, & Litera: Sed per literam intelligunt historicum sensum: per Spiritum significari putant allegorias. At Apostolus longè aliter sensit. Verùm de hac re nonnihil diximus in secundum caput huius epistolæ, in ea verba Pauli, Circuncisio cordis est, quæ spiritu cõstat, non litera. Neque aliud sibi Paulus voluit in posteriore ad Corinthios, cùm ait, Legem occidere, spiritum autem viuificare. Nam Legem appellat ministerium mortis in lapidibus deformatam: seqúe ait non literæ ministrum constitum esse, sed spiritus. Chrysostomus putat, hoc additum esse ab Apostolo, Vt seruiamus in nouitate spiritus, ne audito nomine libertatis, diffluamus per licentiam carnis: sed intelligamus, nos alij cuidam generi seruitutis astrictos esse. Ea autem est, vt seruiamus Deo. Quanquam, vt suprà monuimus, non potest ea propriè dici seruitus. In ea enim non alienam voluntatem sequimur, sed nostram. Neque ista Pauli verba ita accipienda sunt, quasi omnes patres veteris Testamenti in peccato vixerint, & in vetustate literæ. Ista ad eos tantùm pertinent, qui aut hoc tempore expertes sint Christi, aut antiquitus extra illum vixerint: quales multi ex Israelitis extiterunt, qui Christum expectabant secundum carnem: quasi Messias purus tantùm homo futurus esset, qui Iudæis nihil nisi carnale adferret: regnum, pompam, diuitias, gloriam, & amplum dominatum. Sed pij patres, vt Abrahamus, Iacobus, Dauid, Esaias, & alij multi huius notæ beneficio Christi non caruerunt: sed prẽditi spiritu Dei Euãgelica libertate, quantùm temporis ratio patiebatur, fruebantur. Coluerunt illi quidem suorum temporum ceremonias, & alia præcepta similia. Sed id vltro, non coacti faciebant: nec odio Legis Dei laborabant. Et quãuis hodie, postquàm Christus apparuit, latius diffusus sit spiritus Dei, & clarius patefacta sint mysteria salutis nostræ, quàm olim, tamen ego non ausim affirmare, sanctos illos Patriarchas minus habuisse spiritus Christi, quàm habẽt multi frigidi Christiani nostrorum temporum. Et miror, Chrysostomũ hominem tantum, cùm in hunc locum scriberet, dicere voluisse, Veteres habuisse corpus graue, & ignauũ, & ineptum ad virtutes: nostra verò corpora post aduentum Christi facta esse leuiora, promptiora, alacriora: eoq; Euangelica præcepta esse magis ardua, & sublimia, quàm fuerint mandata Legis. Illis enim satis fuisse, non occidere: nobis ne irasci quidem fas esse. Illis satis fuisse adulterium non committere: nobis aspectũ etiam libidinosum alienæ vxoris prohiberi. Atque alia eodem modo. Fateor equidem, quędã permissa fuisse in veteri lege, quæ à Christo sint reuocata. Christianis enim non licet, quod Iudæis licuit, ob quanuis leuem causam dare libellum repudij. Quæ autem Christus monuit de cupiditate, & ira, non minus olim ad Iudæos pertinebant, quàm hodie pertinent ad nos. Et quod Christus ait, Dictum est antiquis, id non ad sententiam Legis referendum est, sed ad prauas interpretationes Scribarum, & Pharisæorum. Nam alioqui, quum in Decalogo dicitur, Non concupisces, omnis prorsus praua cupiditas, & carnis, & vltionis, & alienarum rerum interdicitur. Verùm in hanc sententiam non tantùm Chrysostomus, sed etiam alij multi ex patribus impegerunt. Sed vt redeamus ad institutum, scire debemus, quosdam à Lege tantùm ad externas aliquot ceremonias, & frigida quædam opuscula incitari, quæ solùm ad aliquam disciplinam possint pertinere: eosdem autem ad iustam solidámque obseruantiam diuinę voluntatis minimè peruenire: Alios autem esse, qui, quum in Legem attentius intueantur, & peccati horrorem, atque immunditiam, & virium suarum debilitatem considerent, ad extremum animum planè despondeant, & incipiant odisse, & horrere Deum, & eum cum sua lege blasphemare, & præcipites in omnem nequitiam, & scelus ruere, quoad in æternum exitium se immergant. Pijs autem hominibus vtilis, & salutaris est Legis consideratio. Quum enim ea, tanquam in speculo, suam infirmitatem animaduertunt, coguntur, ceu in portum, ad Christum se recipere: à quo & peccatorũ condonationẽ impetrare possint, & in singulos dies maiorẽ virium instaurationẽ.

Reſellitur diſcrimen receptum de ſpiritu & litera.

Obedire Deo nõ eſt ſeruitus.

Non omnes patres ueteris teſtamenti in peccato uixerunt.

Interpretatio legis à Chriſto tradita, etiã ad ueteres patres pertinuit.

Aliquid in lege conceſſum eſt, quod nobis denegatur.

Chriſtus prauas interpretationes Phariſæorũ reiecit.

Error multorũ patrum.

Varij affectus excitantur ex lege.

Quid ergo dicemus? Lex peccatum eſt? Abſit. Hìc Paulus suscipit quodammodo legis patrocinium. Dixerat enim antè, nos ab ea esse liberatos. Nam videri potuisset, parum piè de Lege existimasse, præsertim, cùm diceret, affectiones peccatorũ, quæ sunt per legem, efficaces fuisse in mẽbris nostris, vt fructificaremus morti. Propter ista, & id genus alia, quæ ab eo cõtumelioſè dicta esse videbant contra legẽ, vulgò traducebat ab Apostolis. Quare per occupationẽ id sibi obijcit, quòd sciebat ab illis de se iactari. An Lex, inquit, peccatũ est? permetonymiã peccatũ dicit, pro causa peccati, aut pro doctrina, quæ peccatũ suadeat. Per inter-

rogationem quasi proponit quæstionem in medium, de qua oporteat disceptari. Vtque omnem suspicionem à se depellat, & declaret, quantùm absit ab hac impietate, statim sine vlla cunctatione respondet, Absit. Verùm, vt ea, quæ sequuntur, facilius, & clarius intelligantur, annotare debes, Paulum non tribuere Legi peccati efficientiam. Peccatum enim ea tantùm per accidens consequitur. Nam vera, & propria causa peccati in nobis ipsis sita est. Cupiditas enim ea, quæ in nobis insita, & infixa est, quum illi diuina Lex opponitur, magis recrudescit, & vehementius incenditur: non quòd Lex morbo occasiones adferat. Nam illa index tantùm est malorum, faciendæ, fugiendæq; proponens. Sed quum naturæ corruptela sentiat ea, quæ à Lege proponuntur, sibi aduersari, colligit se, & confirmat, quantùm potest ad resistendum, ideoque vires maiores exerit. Quemadmodum in æstate videmus, frigidis nubibus impendentibus, in infimis istis regionibus, æstus maiores existere: Quumq; à sole omnia inflammentur, & feruecant, tamen per ἀντιπερίστασιν puteos, & loca subterranea magis frigere. Ea enim est natura contrariorũ, vt ad depellendam præsentiam aduersarij sese vehementius intendant.

Lex nõ est propriè causa efficiens peccati.

In nobis ipsis est uera causa peccati.

Simile.

Contrariorum natura.

Sed peccatum non cognoui, nisi per Legem. Nam concupiscentiam ignorabam, nisi Lex diceret, Non concupisces. His verbis Apostolus docet, Legem non augere peccatum, nisi quatenus eius notitiam ob oculos proponit. De seipso autem loquitur, vt sciamus eum nihil loqui, aut tradere, nisi quod sensu, & experientia didicisset. Et eodem exemplo nos tacitè hortatur, vt penitus in nos ipsos descẽdamus: si hæc salutis nostræ principia velimus cum eo vnà cognoscere. Si quæras, quo tempore Paulus dicat se non nouisse peccatum, & concupiscentiã ignorasse, id eum multi sensisse putant de pueritia: quo tempore per ætatem Legis edicta intelligere non potuerit. Hanc responsionem, etsi nolo improbare, tamen eam non puto esse satis. Nam postquã adoleuimus, ætas, & naturalis cognitio nõ possunt per se ostendere peccatum, nisi legem Dei quàm attentissimè cõsideremus. Ea enim leuiter & perfunctoriè spectata non parit veram cognitionẽ peccatorum. Quare dicemus, peccatum ab hominibus non cognosci, &, cùm ætate impediuntur, & cùm facti adulti negligunt legem Dei, & cùm eam non satis attentè aut audiũt, aut legunt. Hic locus manifestè docet, Paulum non tãtùm agere de ceremonijs, verùm etiam ipsum Decalogũ complecti. Ex eo enim petit sententiæ suæ confirmationẽ, cùm citat illud præceptum. Non concupisces. Et hęc ipsa Lex, de qua loquitur, ea est, à qua prędicat, nos esse liberatos. Quod fieri non posset, si, quod aduersarij statuunt, ex eius operibus iustificaremur. Sed dices, Nonne lex naturæ indicabat peccatum? Cur ergo dicit Paulus, se non cognouisse peccatũ, nisi per Legem latam à Deo per Mosen? Lex quidem naturæ peccatũ indicabat: sed tantisper, dum esset sana & integra. Sed ea partim lapsu primorũ parentum, partim alijs multis corruptelis, quas longo iam vsu, & tẽpore contraxerat, penè obliterata, officiũ suum, quantum ad hominũ salutem foret satis, præstare non potuit. Itaq; Deus Legem ferre voluit, quę omnia ea restitueret, quę nostra prauitas de lege naturę deprauauerat. Nec tamen hominũ audacia ita reprimi potuit, quin conata sit, in Lege etiam à Deo lata multa deprauare. Nam Scribæ, & Pharisæi suis interpretationibus, & propriũ Legis sensum corruperant. Itaq; Christus coactus est, eam ab illorũ deprauationib. asserere in integrũ, & ostendere, eam longè aliter intelligendã esse, quàm antiqui tradiderant. Atq; hinc intelligimus, non paruũ discrimen esse inter Legem, & Spiritũ. Lex obliterari potest, & malis interpretationib. vitiari. Deinde etiam, quãuis integra, tamẽ non habet eas vires, quibus aut peccatũ extinguat, aut animũ ab eo alienet. At spiritus vitiari, & corrũpi non potest: peccatũ autem frangit, & animos immutat. Verùm scire debemus, minus corrumpi potuisse legem latam per Mosen, quàm legem naturæ. Quanuis enim interpretationib. esset vitiata, Lex tamen scripta mansit eadem, quę rectè examinata semper potuisset corruptores redarguere. Lex autem naturę, cùm sita sit in mentibus hominũ, si ibi sentiatur deprauetur, nusquã potest esse sana. Sed multi ausi sunt dicere, Paulũ ista intellexisse de lege naturæ: idq; Origenes videtur sentire. Sed eos Paulus ipse cõfutat, cùm testimonium adducit ex lege Mosaica. Alij putant, Legẽ naturæ ostendisse quidem peccatũ, sed non docuisse offensam Dei, vtq; aiunt, reatũ, quo propter admissa peccata dãnamur ad pœnas. Legem autem latam à Deo vtrunq; præstitisse. Eoq; cùm reatus, & offensa Dei præcipua sint, quæ in lege considerant. Lex lata à Deo dicitur peccatũ ostendere. Id autẽ tribui non posse legi naturę, quòd ea id, quod in peccato summũ sit, non ostendat. Verùm ne hęc quidem sententia mihi satisfacit. Nam nisi homines ex lege naturæ intellexissent offensam Dei, nunquam studuissent eius iram sacrificijs, & victimis expiare, aut homicidia votis, & lustrationibus redimere. Adhæc ea, quæ in Diluuio orbis terrarum, quæq; in Sodoma, quæq; alijs multis

Quomodo lex augeat peccatũ.

Quotẽpore Paulus non nouerit peccatum.

Et ætas impedit & peccatum, ne legem cognoscamus.

Hic probatur etiã de præceptis moralibus agi.

Etiam lex naturæ peccatum indicabat.

Lex naturæ penè obliterata erat.

Audacia hypocritarũ multa conata est in lege Dei deprauare.

Discrimẽ euidẽs inter literam & spiritum.

Lex per Mosen lata non ita potuit corrumpi ut lex naturæ.

Lex naturæ non solùm peccatũ, sed offensam Dei & reatũ ostendebat.

multis in locis contigerunt satis magno argumẽto esse possunt, Deum expetere pœnas de peccatis. Id etiam historici, poetę, oratores, philosophi passim in suis scriptis docuerũt, & in sacris historijs tam Pharao quàm Abimelechus testati sunt, vt superius diximus. Quare missis istis omnibus opinionibus, dicimus, Paulum ista scribere de Lege lata per Mosen. De ea enim nata erat quæstio. Et quanuis omnium bonarum legum sit, prodere, & indicare peccatum, nulla tamẽ est, quæ id tam absolutè faciat, quàm lex à Deo tradita, modò ea rectè intelligatur: idq; eo maximè nomine, quòd sit à Deo tradita. Aliæ enim leges, etsi interdum rectè præcipiant, tamen, quoniam putantur tantùm esse hominum sapientum cogitata, animum non multùm permouent. Oblectant quidem poetarum & philosophorum præclaræ sententiæ: at non ita efficaciter animum obfirmatum arguunt, vt Lex ea, quam persuasum habemus latam esse à Deo. Nam in ea Deum ipsum nobis loquentem videmur audire. Deinde mirum primo aspectu videri possit, cur Apostolus inter alia omnia præcepta hoc tantùm vnum adduxerit, *Non concupisces.* Atqui hoc Apostolus, vt alia omnia, prudentissimè fecit. Illud enim genus prauitatis maximè arripere voluit, quod hominum iudicium maximè latet, & in alijs legibus minimè indicatur. Innata enim cupiditas, & corruptela, quæ ad omnia mala impellit, hoc loco attingitur, & proditur, vt fons, & caput omnium malorum. Itaque Augustinus rectè dixit, peccatum nullum admitti sine concupiscentia. Noluit ergo Paulus loqui de crassioribus vitijs externis, quòd ea videret ad disciplinam pertinere, & à ciuilibus legibus, non tantùm indicari, verùm etiam puniri: nec de prauis affectibus, & perturbationibus, quòd ea à philosophis in Morali disciplina videret damnari, & ab illis præcipi, vt ad mediocritatem redigantur. Ad radicem potius ipsam omnium peccatorum sese contulit, & illam latentem & abditam prodi per legem Dei, & in lucem protrahi ostendit. Quod vt apertius explicemus, obseruare debemus, omnia mandata Dei, vel præcipere aliquid, vel interdicere. Præcipiunt autem, non tantùm vt leuiter fiat aliquid, sed etiam vt tota anima, toto corde, omnibus viribus, & accuratissimè fiat: vt nihil prorsus in nobis sit; quod diuinæ voluntati non obsequatur. Quod autem vetant, id non ita tantùm vetant, vt in nobis ne sit, sed etiam vt ne affectus quidem, aut propensio vlla ad id in nobis relinquatur. Atque idcirco Deus edixit, Non concupisces, vt mente, voluntate, & prorsus omnibus partibus & animi, & corporis, ab illis, quę Deus prohibuit, abhorreamus. Et ad hunc modum mutuò sibi respondent hæc duo mandata, Diliges Dominum Deum tuum ex tota anima tua, ex toto corde, &c. quod in omnibus præceptis aliquid iubentibus est repetendum: & vltimum, Non concupisces: quod vicissim in omnibus, quę interdicuntur, est intelligendum. Quare in his duobus mandatis energia, &, vt ita dicam, anima Legis esse intelligitur, vt sine quibus cætera Dei mandata plena, & perfecta esse non possunt. Omnes autem mortales, quantumuis sancti, tamen ab vtroque hoc præcepto accusantur, conuincuntur, damnantur. Nisi enim Dei Gratia per Christum subueniret, nihil habemus ante oculos, nisi certum exitium. Nam quandiu hîc viuimus, quàm non simus liberi à concupiscentia, Augustinus apertissimè docet pluribus locis: præsertim verò in epistola 200. ad Asellicum episcopum. Sic enim ait, Vt mente agat, quod amat, nec carni consentiat agenti, quod odit: id est, non omnino, vt non concupiscat, sed vt post concupiscentias suas non abeat. Et mox: ad eius consummationẽ quandoq; veniemus, vbi peccati cõcupiscẽtia, non cohibenda, atq; frenanda, sed nulla sit. Hoc enim lex posuit dicendo, Non cõcupisces: non quòd hîc valeamus, sed ad quod proficiendo tendamus. Et contra Lulianũ libro 6. cap. 5. Concupiscentiã verò quis ambigat, in hac vita posse minui, non posse cõsumi? Quid sit propriũ legis, iam Paulus indicauit, videlicet, indicare peccatũ. Id autẽ semper accidit, vbicunq; aliquid præcipit, siue in quinq; libris Mosi, siue in prophetis, siue in libris noui testamẽti. Nec enim Lex ab Euãgelio libris distinguitur, sed forma, & ratione docẽdi. Hęc autem proprietas Legis, cùm leuiter expenditur, non apparet. Duplex enim est notia peccati: altera, qua tantùm naturã eius contẽplamur: altera, qua illud experientia, & morsu aliquo in nobis sentimus. Hęc autem posterior fructus est lectionis legis: scilicet, vt non tantũ agnoscamus peccatũ, sed etiam ad eius sensum consternemur, cùm intelligamus, nos ab ira Dei penè esse cõfectos. Prudẽter ait Apostolus, se non nouisse peccatũ, & cõcupiscentiam ignorasse, nisi Lex dixisset, Non concupisces. Non autem dicit, se illud ante Legem nõ habuisse. Erat enim etiam tum in illo peccatũ, sed non agnoscebatur. Et paulò post, quomodò illud se habuerit, ostendit: Peccatum, inquit, ante Legem mortuum erat: adueniente autem illa reuixit. Extabat quidem peccatum prius, sed non ita vehemens: vnde etiam minus vibebatur accusandum. Eoq; Christus ait, si venissem, & locutus illis fuissem, peccatum

Leges hominum sunt minus efficaces quàm Lex Mosaica.

Cur præceptum de non concupiscendo præ cæteris adducatur.

Concupiscentia hîc attingitur, quoniam est caput aliorum malorum.

Præcepta Dei distinguuntur in præcipientia & prohibentia.

Quæ fieri mandãtur, omnibus viribus fieri debent.

Quæ prohibentur absque vlla propensione ad ea uitari debẽt.

Duo mandata summa legis.

Duo illa præcepta homines quantumuis sanctos accusant.

Vbi lex indicet peccatum.

In scripturis lex ab Euangelio nõ distinguitur libris.

Duplex notitia peccati.

non haberent. Quibus verbis significat, non eos futuros fuisse prorsus sine omni peccato si ipse non venisset, sed eos minus grauiter fuisse peccaturos. Sed dices, Quum Lex non tantùm peccata indicet, sed etiam rectè facta, cur tantùm dicit Apostolus, eam peccatum indicare? Respondeo, vt suprà respondi. Quia Lex virtutes, quæ per experientiam, & sensum cognoscuntur, neque in hominibus alienis à Christo, neque in regeneratis potuit demonstrare. Nam in hominibus alienis à Christo Lex nihil inuenit, nisi peccatum. In regeneratis verò inchoationes potius aliquas, quàm perfectas virtutes inuenit. Præterea intelligimus ex hoc loco, Legem magno studio discendam, & animo versandam esse: vt sine qua & peccati vis ignoratur, & gratia, misericordiaq; condonantis negligitur. Id autem quoniam perniciosum est, ideo scripturæ sacræ semper inculcant nobis notitiam Legis, & beatos prædicant eos, qui die noctuq; in illa versantur. Quod verum est, si vnà coniungatur Christus ipse finis Legis. Vtque ea facilius intelligeretur, Deus semper excitauit, & afflauit sanctos prophetas, qui eam populo exponerent: cùm aduersus peccata suorum temporum acriter clamarent. Christus etiam Seruator noster exquisitissimam Legis interpretationem tradidit. Verùm illi demum putandi sunt, Legem Domini cum fructu legere, qui quoties librum deponunt, toties in seipsis aliquid agnoscunt, quod misericordia Dei condonari, & eius gratia emendari oporteat. Rursus his verbis Apostoli Lex vendicatur ab illorum calumnia, qui eam malam esse clamant, & profectam à malo Deo. Illi enim dicunt, legem malam, & peccatum esse: quod Paulus disertè negat. Is enim respondet. Absit. Deinde quomodò potest esse mala, quæ damnet, & interdicat concupiscentiam, quam fateri cogũtur esse turpem? Quòd autem per Legem peccatum subintrarit, translatitium est. Culpa enim illa, quam isti adscribere volunt Legi, trãsferri debet ad vitium nobis innatũ. Et quanuis Lex in multis nihil aliud efficere videatur, quàm vt magis magisq; peccata cumulentur, id tamẽ nõ ideo fit, quòd ipsa mala sit, sed quia ex natura vitiosa nihil aliud potest exprimere. Cur autẽ Lex nobis minus grata, & odiosa sit, id idcirco fit, inquit Ambrosius, quòd semper infelicia nuntiet: nimirum, peccata, & condemnationem. Nemo autem est, qui ista libenter audire velit. Verè tamen pij, quanuis ab ea mordeantur, tamen de ea Deo agunt gratias. Sentiunt enim, se ex eius prædicatione fructus incredibiles reportare. Sed antequàm hunc locum dimittamus, pauca quædam attingemus, quæ mihi ad plenam eius intelligentiam visa sunt necessaria. Sunt, qui putent, præceptum illud, Non concupisces, non interdicere prauitatem, & vitium naturæ, aut primos motus, quibus afficimur erga ea, quæ Deus prohibuit. Verùm eo mandato aiunt, tantùm prohiberi voluntatis, atque animi consensum. Et tum demum fatentur, nos peccare, cùm primis illis motibus concedimus, & peccatum in nobis regnare sinimus. Sed ea, quæ in hoc ipso capite sequuntur, eos apertissimè coarguunt. Paulus enim ostendit, se agere de ea cupiditate, quæ molesta sit mentí seruienti Legi Dei. Et addit, se per illam facere malum, quod oderit. Atqui ista locum non habent, vbi animi consensus intercessit. Et de hoc genere cupiditatis clamat, Infelix ego homo: quis me liberabit de corpore mortis huius. Et addit, se inuitum, & reclamantem ab illa captiuum trahi. Quum ergo ista concupiscentia sit huius generis, nil causæ erat, cur ad animi consensum detorqueretur. Sed in hoc aduersarij vehementer falluntur, quòd putant, hoc præceptum frustra dari, si id prohibeat, quod in hac vita caueri non possit. Et ridiculum aiunt esse, velle aliquid præcipere brutæ, & stolidæ carni, & irrationalibus animi partibus, quæ nihil huiusmodi intelligant, & necessariò moueantur, & agant id, ad quod sunt institutæ. Sed eos cogitare oportuit, præceptum hoc datum fuisse hominí ratione prædito: idque non frustra, nec absre. Condiderat enim Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam. Quare nihil eum in se habere oportuit, quod cum voluntate Dei non congrueret. Neque verò frustra data sunt mandata, vt isti fingunt, quæ in hac vita perfici non possint. Lex enim Dei longè alium habet finem, quàm vt à nobis absolutè præstetur, aut vt ex eius obseruatione iustitiam assequamur. Duplex ergo est cupiditas: altera consensus animi manifesta, quæ in singula Dei mandata consumitur. Nam ira, & odium ad præceptum pertinent, Non occides: Libido, & turpe desiderium ad præceptum, Non cõmittes adulteriũ: altera generalis, quæ est propensio cõtra voluntatẽ Dei, & cum omnib. suis motibus in vltimo precepto exprimitur, Non concupisces. At superest adhuc scrupulus: Moses enim illud præceptũ non ita simpliciter proponit, vt Paulus: sed, Non cõcupisces, inquit, domũ, agrũ, seruum, ancillã, bouem, vxorem proximi. Huius diuersitatis causa est, quòd cùm Moses hominib. rudioribus legẽ ferret, cupiditatẽ per obiecta, in quæ ea ferretur, apertius, & planius describere voluit, quò ab illis facilius intelligeretur. Paulus

Cur lex dicatur ostendere peccata, non uirtutes.

Lex studiosè ad discenda est.

Qui cum fructu in legis contemplatione uersentur.

Cur lex nobis odiosa sit.

Quid prohibeatur illo mãdato. Non cõcupisces.

Præceptũ, quod impleri non possit, non frustra datur.

Duplex cupiditas.

Conciliatur Paulus cum Mose.

Paulus autem, qui sibi videbatur cum scientibus legem agere, satis putauit esse, præcisè dicere, Non concupisces, nihil ratus maiore explicatione opus esse. Imò ne Moses quidem omnia recensuit, in quæ per concupiscentiam abducimur. Satis putauit pauca quædam numerare, quæ vt crassiora, & manifestiora statim occurrerent. Atque ita videmus, Deum eadem ratione in reliquis etiam mandatis ferè synecdochen adhibuisse. Idque nos Christus apud Matthæum luculenter docuit, cùm aduersus Scribarum, & Pharisæorum traditiones, veram Legis sententiam assereret. Nam illo præcepto, Non occides, non tantùm manum cohiberi docuit, verùm etiam contumeliam, odium, indignationem. Et illo mandato, Non committes adulterium. Non tantùm impuram actionem prohiberi, sed etiam libidinosum aspectum, omnemq; inflammationem animi erga mulierem alienam. Eodem modo posse-mus facilè ostẽdere, in reliquis omnib. mandatis esse synecdochen. Deinde in singulis mandatis commendãtur virtutes, quę illi vitio, quod ibi prohibetur, aduersantur. Nam dum interdicitur, ne feramus falsum testimoniũ aduersus proximum, simul etiam præcipitur, vt veritatem tueamur, & proximi famã studiosè propugnemus. Cumq; interdicitur, Ne furemur, præcipitur, vt benigni simus erga proximos, & nostra egentibus communicemus. Et, vt dicam, quod mihi quandoque in mentem venit, decem mandata Decalogi æquè latè mihi patere videntur in omnem partem, quod attinet ad honestum, turpe, virtutem, vitium, atque decem Aristotelis Categoriæ. Quemadmodum enim nihil inueniri potest in rerum natura, quod ad illa prædicamenta non pertineat, ita nulla est virtus, nullum vitium, nihil honestum, nihil turpe, quod ad aliquod decem præceptorum non possit referri. Vtque omnia genera, & species aliorum prædicamentorum resoluuntur in substantiam, ita omnia externa peccata resolui possunt in Cupiditatem. Vtque prædicamentum substantiæ materiam, & formam habet, vt prima, & summa principia, ita omnis animi nostri cõsensus ad peccandum resoluitur in prauitatem naturæ. Quare licet in lege, quæ nota, & crassa sunt, proponantur, in illis tamen Deus exigit id, quod in primo vltimoq; mandato requiritur, vt bonos & purgatos habeamus animi corporisq; motus, vtq; ab his omnibus, quæ Deus nobis interdixit, abhorreamus. Adhæc annotare debemus, Paulum quasi vnicum præceptũ extulisse, Non concupisces. Vnde miror, quosdã, inter quos etiam est Augustinus, ex vno mandato duo facere voluisse: quasi in altero prohibeatur adulteriũ, cùm dicitur, Non concupisces vxorẽ proximi tui: in altero prohibeatur, ne agrum, domũ, bouem, seruum, ancillã alterius appetamus. At si ad numerũ earum rerum, quas cõcupiscimus, multiplicãda sint præcepta, ex vno infinita quodammodò faciemus. Potest enim fieri, vt honores proximi, dignitates, vasa, pecunias, vestes, & infinita id genus alia appetamus. Alij verò, vt in præceptis denariũ numerum conseruarent, præceptum istud, Non concupisces, indistinctũ reliquerunt: primum autem in duas partes diuiserunt: vt in priori ponerent, Non habebis deos alienos: in altera, Non feries tibi sculptile, &c. Ego verò vtrunq; puto ad idem præceptũ pertinere. Primum autem mandatũ esse arbitror, quod quasi proœmij loco cęteris præponitur: Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti. Nam his verbis sancitur, vt illũ pro vero Deo habeamus. Ne autem eum putaremus, vnà cum alijs diis colendum esse, statim adiectum est secundum præceptum, quo deos alienos, & sculptilia, & imagines colere prohibemur. Et si quis penitius rem ipsam velit intueri, videbit vnà cum hoc primo mandato offerri nobis Euangeliũ. Deus enim in eo pollicetur, se velle esse nostrũ Deum. Et in eo, quod cõmemoratur liberatio ex Aegypto, promissio de Christo cõtinetur. Sed vt eò redeamus, vnde digressi sumus, statuere debemus, isto præcepto, Non concupisces, & prauam inclinationẽ, & malos animi motus prohiberi: quæ non agnosceremus peccata esse, nisi ea Lex nobis indicasset. Aristot. Pighius, & alij similes, quia legẽ Dei ignorãt, cõtendunt ista non esse præcepta. *Sed occasione accepta peccatum per mandatum effecit in me omnem concupiscentiam.* Hactenus Paulus exposuit, Legem ostendisse tantùm peccatũ. Nunc veram causam attingit omnium transgressionum. Eam autem appellat peccatum. Qua voce intelligit naturæ deprauationem, & reliquias originalis culpæ. Lex veluti pædagogus quidem est: ideoq; tantùm docet, & instituit. Per se autẽ hæc mala non parit. Hic locus Pauli pulchrè proponit ante oculos, quales per transgressionẽ primorum parentũ effecti simus. Cùm vocamur ad Deum, refugimus: cùm inuitamur ad probitatem, & æternam vitam, prępcipites recurrimus ad peccatum, & mortem. Ita ea res, quæ nobis remedio esse debuit, morbum auget etiam, & aggrauat. Morbi desperati, vt gangræna, & elephantiasis ita sunt contumaces, vt remedijs magis recrudescant. Itaq; à medicis dimittuntur. Eiusmodi est nostra concupiscentia. Quis eiusmodi equum ferat, qui quantò magis magisq; vrgeatur calcaribus tantò magis, ac magis

Moses nõ recensuit omnia, in quæ feratur cupiditas. Deus in mandatis usus est synecdoche.

In omnibus mandatis cõmendantur uirtutes oppositæ.

Decalogus instar categoriarũ Aristotelis, quæ sunt decem.

Præceptum contra concupiscentiã non rectè distinguitur in duo

Quódnã sit primum præceptũ.

In primo mãdato nobis offertur euangelium.

Morbi desperati.

retrocedat? Certè pessimi ingenij oportet esse filium, qui audito iussu optimi patris statim omni conatu nitatur in contrariũ. Nos autem eò vsq; prolapsi sumus, vt quędam interdum eo ipso nomine videantur dulcia, quòd sint nobis interdicta. Itaq; Solomon ait: Aquæ furtiuæ dulciores. Augustinus hanc prauitatem secum prudenter expendens, in libro Confes. se ipsum accusat, quòd cùm adhuc esset puer, cum alijs furatus esset pira, non quòd esuriret, aut vel ipse edere ea vellet, vel alij donare (erant enim acerba, & domi habebat meliora) sed tantùm vt damnum daret, & ea, quæ prohibebantur, cõmitteret. Totus est in eo Paulus, vt crimen, quod conferebatur in Legem, in nostram prauitatẽ transferat. Neque enim Lex accusari debuit, quòd fuerit occasio peccatorũ. Nihil enim tam est bonum, quin magnorum malorum occasio esse possit. De se ipso Seruator noster ait, Nisi venissem, & loquutus eis fuissem, peccatum non haberent. Et in capit. 10. ad Hebræos, Quanto grauiori videtur supplicio dignus, qui conculcarit filium Dei? Et statim ab initio huius epistolæ Paulus Gentium sapientes reprehendit, quòd, quum Deum cognouissent, ex admirabili ordine, ac pulchritudine rerum creatarum, non tamen eum, vt Deum, glorificassent. Ex quo factum est, vt cognitio Dei, quam ex natura collegerant, illis occasio fuerit maioris damnationis. Si medicus interdicat febricitanti frigida potione, & ille ob eam ipsam causam ardentius incipiat sitire, id non est tribuendum medico. Et quemadmodum hîc caput mali est corrupta affectio ægrotantis, ita corruptela naturæ nostræ propria & vera est causa peccati. Quare assiduè nobis orandum est, vt Deus nobis voluntatem nostram velit instaurare. Deinde remouenda est infidelitas, quæ innatam cupiditatem vehementer armat. Nam si verè crederemus ea, quæ à Deo prohibentur, certum nobis esse exitium allaturа, ea certè non admitteremus. Quum enim nobis proponitur ob oculos certa mors corporis, omnes ab ea refugimus. At quum id, quod proponitur, non credimus esse mortiferum, aut nos putamus id aliqua ratione euasuros, admonitionem contemnimus. Ita si crederemus Deo mortem minanti peccatoribus, præcipienti haud dubiè obediremus. Sed quia hæret adhuc in nobis venenum illud infidelitatis, quod diabolus afflauit Adamo, quum illi persuaderet, id non esse euenturum, quod Deus fuerat comminatus, concupiscentia nostra sic nobis argutè concionatur, supplicia ea, quæ Deus minatus est in Lege, sumenda non esse de transgressoribus tam rigidè, quàm proponuntur: & fieri posse, vt illa aliqua ratione effugiamus. Adhæc videmus ex hoc loco, miseros, & infelices esse illos, qui alieni sint à Christo. Omnia enim illis, quantumuis bona videantur, conuertuntur in mala. Quod quum Paulus de Lege, hoc est, de Verbo Dei ausus sit affirmare, de alijs rebus quomodo potest dubitari? Quod autem Paulus dicit, Per Legem effici in nobis omnem concupiscentiam, quidam ita interpretantur, quasi ante Legem concupiscentia in nobis nulla fuerit. Sed isti cogitare debuerunt, Paulum scripsisse, peccatum per Legem effecisse omnem concupiscentiam. Quòd si illam peccatum efficit, necesse est, vt in nobis antè extiterit. Quum autem huiusmodi peccatum sit concupiscentia, non dicitur simpliciter, effecisse concupiscentiam, sed additur, Omnem: id est, totam, integram, perfectam, absolutam. Itaque Augustinus exponens hunc locum, inquit: Erat ante Legem concupiscentia: sed non tota, & absoluta. Nec ab hac expositione dissentit Chrysostomus. Ambrosius etiam ait, Dicens omnem concupiscentiam omnia peccata significat. Satis ergo apparet, nihil aliud voluisse Paulum, quàm ex contaminata, & corrupta natura, cùm Lege esset exagitata, prodijsse omnia peccatorum genera, siue, vt loquuntur, peccata actualia. Neque caret emphasi illud, In me. Nam si ista in Paulo acciderunt, qui, vt scribit ipse ad Galatas, vltra omnes coætaneos suos profecerat in Iudaismo, vtque ait ad Philippenses, Sine querela in iustitijs Legis ambulauerat, & vt scribit in priori ad Timotheum, Seruierat Deo à maioribus in pura conscientia, quid putandum est in nobis fieri, qui nec Legis studiosi sumus, nec, quæ nouimus, vlla ex parte præstamus? Scio esse, qui existiment, Apostolum hîc personam alienam in se transtulisse: vt hæc ipsi non conueniant, sed hominibus nondum regeneratis, aut adhuc in peccato versantib. Et Augustinus videtur fuisse aliquando in hac sententia. Sed in lib. 2. Retract. cap. 1. ait, se id iustissima ratione inductum reuocare. Satis enim perspicuum esse ex his, quę sequuntur, Paulum agere de eo homine, qui mente seruiat Legi Dei, & ea se oblectet, qui oderit malum, & inuitus trahatur in Legem peccati. Quare concludit hæc verba & de Paulo, & de omnibus sanctis intelligi debere. Neque Paulum fuisse lapsum in omnia peccata propter innatam cupiditatem dare necesse est. Non enim hîc de actionibus externis agitur, sed de affectibus animi, & primis motibus. Neq; spectatur quid factum sit, verùm quid fieri

Quædam uidẽtur dulcia hoc nomine quòd sint interdicta.

Pauli scopus.

Simile.

Infidelitas armat cupiditatem.

Cupiditatũ nostrarũ conditio.

Omnia cadũt in malum alienis à Christo.

An Apostolus hîc alienã personam susceperit,

fieri potuerit per insitam ad malum propensionem.

Siquidem absque lege peccatum erat mortuum. Tempus illud, quo homines dicuntur esse absq; Lege, est, vel, cùm per ætatem non possunt eam intelligere, vel, quum iam adulti illam, aut nullo modo, aut tenuiter expendunt. Dicit, peccatum fuisse mortuum: quoniam, vt scribitur ad Corinthios, Vis peccati est Lex. Et quemadmodum corpus, quod prorsus omnibus viribus caret, dicitur esse mortuum, ita peccatum quoque mortuũ esse dicebatur, quòd quum Lex non existeret, inefficax esset, & sua virtute careret. Quod mortuum est, se ipsum non mouet. Ita peccatum, quum nulla lege exagitaretur, nihil nos commouebat: sed ignauum erat, & quodammodò mortuum, ita vt vel parum, vel nihil quodammodò sentiretur. Admota autem Lege vires recepit. Chrysostomus interpretatur, Peccatum fuisse mortuũ, quòd non agnosceretur. In quam etiam sententiam descendit Augustinus, quum illud ait latuisse. Sed hæc omnia eodem recidunt. Lex enim peccatum non excitat, nisi per cognitionem. Ambrosius primùm dicit, peccatum fuisse mortuum, quòd homines ante legem putarent se impunè peccare. Verùm hanc sententiam suprà confutauimus. Ostendimus enim homines etiam per Legem naturæ, sensisse, Deum irasci peccatis, & in ea grauiter animaduertere. Nisi forte hoc Ambrosius dicere voluerit, illud tum obscurius fuisse cognitũ, quàm posteà Lege lata. Sed addit, per peccatum intelligi posse diabolum. Illum enim occasionem cepisse per Legem, vt in nobis operaretur omnem concupiscentiam: eumq́ue à Paulo dici, mortuum fuisse ante legem, quòd mortalibus non illuderet: vt qui de illis, tanquam de sua possessione securus esset. Lata autem Lege, eum ab illa pace destitisse. Verùm hæc interpretatio longè aliena est à scopo Pauli. Agit enim de peccato, quod indicatur à Lege. Ea verò vitia, & scelera indicat, non diabolum. Idquod probatio docet, quæ statim subijcitur: Nam concupiscentiam ignorabam, nisi Lex diceret, Non concupisces. Mirum verò est, quomodo tractans hoc argumentum Ambrosius, dicat, diabolum, Lege lata, dominatum suum in homines amisisse. Nam per Legem, & peccatum homines diabolo magis redditi sunt obnoxij. Hoc beneficium Christo debemus, non Legi. Tamen nescio quo pacto, Græca scholia huic expositioni de diabolo suffragantur. Aiunt enim, posse fieri, vt, quemadmodum Seruator noster dicitur Via, Veritas, & Iustitia, ita diabolus possit appellari peccatum, mendacium, & mors. Commentaria, quæ adscribuntur Hieronymo, dum fauent huic sententiæ, adferũt simile de homine inuido: qui tantò magis cõmoueri solet aduersus eum, cui inuidet, quantò maius beneficiũ in eum collatũ videt. Ita diabolus, cùm videret, singulare donũ Legis Dei homini à Deo datum esse, tantò magis aduersus eum sæuire cœpit, & ex mandato Dei arripuit sæuiendi occasionẽ. Sed, quicquid isti patres dicant, satis constat ex verbis Pauli, sermonẽ hoc loco de eo peccato institutũ esse, quod per legẽ proditur: cuiusmodi est concupiscentia. Sed illi, cùm audirent, peccatũ accipere occasionẽ à Lege, & seducere, & occidere, hæc ad certam aliquam personam referri oportere existimarunt, quæ à nobis, qui seducimur, & occidimur, distincta sit. Non autem viderunt, Paulum per prosopopœiã de nostro ipsorum peccato, & cõcupiscentia loqui. Et Origenem habebant autorem, quem sequerentur. Maximè verò errare videntur cõmentaria, quæ nomine Hieronymi circunferuntur. Ea enim prorsus hoc loco faciunt cum Pelagianis de originali peccato. Sic enim habent: si cùm lex non esset, peccatũ mortuum est, insaniunt, qui asserũt, peccatum ab Adamo per traducẽ ad nos venire. Propterea hîc dicit, peccatũ mortuum est: quia in infantib. qui sine lege sunt, non viuit, hoc est, impunè cõmittitur. Nam maledicẽte infante parentib. videtur esse peccatũ: non tamen viuum, sed mortuũ. Licet puer peccet, tamen mortuum est in eo peccatum: quia non est subiectus legi. Hæc ibi. Sed de peccatis infantium, præsertim nõ regeneratorũ, longè aliter sentit Augustinus, & maximè in libris Confes. Nec dubitant Catholici peccatum originis & ab Adamo in posteros traduci, & ab eo infantes à Christo alienos condemnari. Potest tamẽ in illis dici mortuum, quòd ab eis non cognoscatur, quodq́; illo sese moueri non sentiant.

Peccatũ quomodò erat mortuũ.

Lex peccatũ indicat, non diabolum.

Paulus utitur prosopopœia. Cõmentaria Hieronymo adscripta faciũt hîc cũ Pelagianis.

Peccatum infantum quomodo dicatur mortuum.

Porrò ueniente mandato, peccatum reuixit: ego autem mortuus fui: & repertum est mandatum, quod institutum erat ad uitam, mihi cedere ad mortem. Cùm peccatum esset mortuum, dicebat se vixisse: quòd non turbaretur, nec perterrefieret eius conscientia. Non tamen verè viuebat: sed, vt Augustinus ait, viuere sibi videbatur. Quemadmodum, cùm quis arbitratur hostem suum iam cessare, & quiescere, incipit securus esse. Ita Paulus ait, se, quum esset sine Lege, visum esse sibi viuere: at quum mandatum accessisset, aliam fuisse rerum vicissitudinem. Peccatum, inquit, reuixit: & ego sum mortuus. Sic prorsus se res habet: Quum peccatum est mortuum, tum nos nobis videmur uiuere. At quum illud semel reuixerit, nos statim morimur. Sentimus

Simile.

enim in nobis iram Dei, & damnationem. Et quum electi ita mortui sint, Christus eos excitat, & peccatũ in eis interficit. Quicquid enim admissum est, condonat: &, quod superest prauæ cupiditatis, frangit, & imminuit. Duplex ergo est mors peccati: altera non vera, sed assimulata, quòd Lex absit. Peccatũ enim sine lege nec cognoscitur, nec nos exagitat. Altera autẽ mors peccati vera est, cùm illud à Christo occiditur, & cum ipso crucifigitur. Sed hoc annotandum est, cùm peccatũ reuiuiscat, & homines occîdat, alios occîdi ad salutem: quales sunt, qui refugiunt ad Christum, & per illum reuiuiscũt: alios verò ad exitium, vt Iudam Cainum, & alios similes, qui peccato cognito de salute desperant. Peccatũ dicitur reuixisse, quia antea in nobis fuerat: &, vt ait Augustinus, & alij interpretes, ab initio vixerat in humana natura post lapsum: sed paulatim omnis sensus eius obliteratus fuerat. Cæterùm, quia isti videntur per Legem intelligere præceptum primis hominibus datum in Paradiso, quod, vt suprà docuimus, alienum est ab instituto Pauli: ideo simpliciter dicendum est, peccatum reuixisse, quòd vires suas inciperet iam explicare, quod antea non fecerat, quum videretur esse mortuum.

Duplex est mors peccati.

Non omnes occîduntur à peccato eodem modo. Quare peccatũ reuiuiscere dicitur.

Et repertum est mandatum, &c. Dicit mandatum institutum fuisse ad vitam: non quòd illud vitam præstiterit, sed quòd ea doceat, quæ faciant ad vitam, eaq; seueriter exigat, & ni fiant, minitetur exitium. Non dicit mandatũ esse mortem, sed tantùm cedere ad mortem. Alioqui enim scopus Legis est, vt vitam, quantùm possit, indicet, & promoueat. Quo autem id minus possit, nostro vitio impeditur.

Quomodo mandatũ ad uitã dicitur esse institutum.

Nam peccatum occasione accepta per præceptum, decepit me, & per illud occîdit. Repetit id, quod antè dixerat, peccatum accepisse occasionem per mandatum, vt transgressiones in nobis augerentur. Hæc repetitio, vt monent Græca scholia, indicat, hanc doctrinam admodum esse necessariam. Tanta enim erat autoritas Legis apud Iudæos, vt illis non posset persuaderi, se per Christum ab ea esse liberatos. Sed in hac repetione Paulus quædã addit, quæ antè non dixerat. Suprà enim scripserat, peccatum occasione accepta per mandatũ, effecisse in se omnem concupiscentiam. Nunc indicat etiam, quomodò eam effecerit: nempe seducendo. Deinde etiam addit, quid post omnem concupiscentiam effectam sequutum fuerit, Per illud, inquit, occîdit me. In summa tria ostendit, quæ à peccato in nobis fiant per Legem irritato. Primùm decipit: deinde in seductis parit multiplicia genera peccatorum: quod est, operari omnem concupiscentiam: postremò occîdit. Quæ autem sit ista seductio, non omnes idem sentiunt. Quidam, qui per Peccatum, intelligi volunt diabolum, hæc ad eius tentationem referunt: qua dicunt eum nos decipere occasione arrepta per Legem. Sed cùm ista expositio, vt diximus, non constet, alia necessariò inquirenda est. Augustinus putat, duplicem hîc intelligi seductionem: primùm enim ex Legis prohibitione incitari nostram concupiscentiam, vt gratiora sint peccata vetita, & maior ex illis voluptas capiatur: deinde, siquid sit à nobis rectè factum, id nos totum nostris virtutibus tribuere, & Legi à nobis satisfactum arbitrari. Alij dicunt, ingenium nostrum corruptum, & vitiatum in hoc nos decipere, quòd fingat se libenter admittere, & magno applausu approbare Legem. Videri enim omnes volumus amantes honestatis. Atque hinc est, quòd ita multi, quum primùm audiunt Euangelium prædicari, illud magna gratulatione recipiant: verùm cùm vita Euangelica exigitur, statim ab eo resiliant. Ita peccatum nobis insitum, quanuis se Legi diuinæ fauere simulet, tamen perpetuò nos in diuersum trahit: tantùm abest, vt illi veræ consentiat. Quanuis hæc omnia vera, & animaduersione digna sint, tamen simplicior mihi videtur expositio, vt peccatũ eò dicatur nos decipere, quòd persuadeat nobis, ea, quæ legi aduersantur, vtiliora esse, quodq; cogitationẽ nostram auertat à supplicijs, quæ Lex nobis cõminatur, nosq; iubeat cõfidere, ea, vel posse euitari, vel non tam grauia futura, quàm prædicantur. Atque ita in omnibus peccatis, quæ admittimus, aliqua intercedit ignoratio, quæ nobis à seductione innatæ cupiditatis ingeritur.

Repetitio necessitatem doctrinæ indicat.

Tria effecta peccati per legem irritati.

Quæ sit peccati seductio.

Omnes uolumus uideri amãtes honesti.

Quæ uera sit peccati seductio

Itaque Lex quidem sancta est, & mandatum sanctum, & iustum, & bonum. Hîc habemus conclusionem huius partis. Lex absoluitur ab omni ea suspicione, qua dicebatur esse causa peccati. Est enim, inquit, sancta. Proprietates istas Legis Apostolus videtur accepisse ex psal. 19. vbi Lex Hebraicè dicitur תורת יהוה תמימה בושיבת נפש. hoc est, perfecta, recta, & pura. Cumq; Legem pronuntiauerit esse sanctam, addit de mandato, illud quoque sanctũ, iustum, & bonum esse. Non alia, opinor causa ista dicit, nisi quòd & Legẽ, & quicquid in ea continetur, cõmendare velit. Chrysostomus hoc loco cõtendit. Apostolũ ista dicere, non de alia quapiam Lege, sed tantùm de Lege Mosaica. Quod quum nos quoque antea probauerimus, nihil necesse, est vt eius rationes hîc denuo commemoremus. Et quanuis Lex iure optimo orne-

Conclusio huius partis.

Paulus Dauidẽ sequitur.

ometur iſtis encomijs, non tamen ex eo ſtatuere debemus, nos per eam iuſtificari. Paulus enim apertiſsimè dicit, quod erat inſtitutum ad vitam, id nobis ceſsiſſe ad mortem.

Ergo bonum mihi factum eſt mors? Abſit: Imò peccatum, ut appareret peccatum per id, quod bonũ erat, mihi gignere mortem, ut fieret maiorem in modum peccans peccatum per præceptum. Scimus enim, quòd Lex ſpiritualis eſt. Hactenus purgauit calumniam, qua ab aduerſarijs traducebatur, quaſi doceret, Legẽ eſſe cauſam peccati. Nunc aliam etiã propulſat, qua publicè accuſabatur, quaſi Legẽ diceret cauſam eſſe mortis. Cùm enim Mors, & peccatum ita cõiuncta ſint, vt illa ſemper ex hoc generetur, idcirco Paulus, refutata priori obiectione de peccato, hanc alteram de Morte voluit attexere. Antea enim negauit, Legem per ſe cauſam fuiſſe peccati: nunc eam negat etiam cauſam eſſe mortis. Et quemadmodum ſuprà Legem defendit per translationem, quòd diceret cupiditatem nobis innatam veram, & propriam cauſam eſſe peccatorum, Ita in præſentia quoque eadẽ translatione vtitur, & mortẽ, non Legi, ſed inſito nobis vitio aſcribit. Si quis quærat, quid vtilitatis ſequatur ex eo, quòd cupiditas noſtra per Legem irritata, ſcelera grauiora deſignet, & mortem adferat, reſpondet, vt innatæ prauitatis malitiam apertè cognoſcamus: quæ in eo maximè ſita eſt, quòd optima Lege Dei pernicioſè abutitur: vt, quæ ad bonum inſtituta fuerat, ea iam nobis exitium pariat. Neque verò hærere, & conſiſtere oportet in iſta cognitione miſeriæ noſtræ. Quo enim magis cognoſcimus nos eſſe perditos, eo maiori ſtudio debemus ad Chriſtum confugere: à quo vno ſalus nobis expectanda eſt, & noſtræ tantæ calamitatis vnicum remedium. Atque hic ſcopus eſt vniuerſæ ſcripturæ ſanctæ. Vbique enim in eis vel noſtra prauitas oſtenditur, vel miſericordia Dei per Chriſtum prædicatur. Ratio, qua Paulus oſtendit, Legem non eſſe cauſam Mortis, eſt huiuſmodi: Quod eſt ſpirituale, & ordinatum eſt ad vitam, id non poteſt adferre mortem: Lex Dei eſt ſpiritualis, & inſtituta eſt ad vitam: Ergo, propriè non poteſt eſſe cauſa mortis. Maior propoſitio duas habet partes: prior eſt, Legem non poſſe adferre mortem, quòd inſtituta fuerit ad vitam. Hanc ſententiam probat natura contrariorum. Mors enim, & vita, cùm ſint contraria, reperiri ſimul non poſſunt in eodem ſubiecto. Neque enim fieri poteſt, vt ab eadem Lege, in ijſdem hominibus, ſimul eodemque tempore, & mors, & vita generentur. Altera pars eſt, Legem eſſe ſpiritualem, ideóque non adferre mortem. Id ex eo probatur, quia ſpiritus natura eſt viuificare, non perdere. Ergo quod bonum eſt, mihi factum eſt mors? Hoc idcirco ſibi obijcit, quia ſuprà videbatur dicere pugnantia: videlicet, mandatum inſtitutum fuiſſe ad vitam, & tamen ceſsiſſe ad mortem. Hæc prima fronte non videntur conuenire. Sic potius videtur oportuiſſe dicere: Ergo Lex, quæ adfert vitam, mihi facta eſt mors? Verùm Paulus vt obiectionem vehementius proponeret, Legem complecti voluit in vocabulo, Boni: aut pronomen, quod, id refert, quod ante dicebatur, inſtitutum ad vitam. Nam ſuprà vtrunque dixerat: videlicet, Legem & bonam eſſe, & ordinatam ad vitam. Quare nunc iure ſibi obijcit: Ergóne quod erat bonum, mihi factum eſt mors? Abſit. Sed *Peccatum*, ſubintellige, Eſt mihi mors. Ita enim oratio explenda eſt. Nunc docet, quid vtilitatis lata Lex attulerit. Peccatum enim ait ea abuſum eſſe, & nos per illam occidiſſe. Vt cognoſcatur, inquit, ſeu appareat peccatum per id, quod erat bonum gignens mihi mortem. Deus nos intelligere voluit, noſtrum vitium tam graue eſſe, vt per Legem, hoc eſt, per rem optimam mortem gignat. Non loquitur Paulus hîc præcipuè de morte corporis, quamuis ea quoque ſequatur, ſed de ea potius morte, in quam incurrimus, cùm peccatum noſtrum ſeriò ſentimus ex cognitione Legis. Hinc enim videmus nos obnoxios eſſe iræ Dei, & addictos Gehennæ. Quod cùm efficaciter, & ſeriò cogitamus, guſtum aliquem æternæ comdemnationis in nobis ipſis experimur. Vnde, quamuis in corpore viuamus, tamen à peccato per Legem dicimur occiſi. Et quemadmodum qui tenentur in carcere, poſtquam ſciunt latam eſſe de ſe ſententiam capitalem, quamuis eis biduum fortaſſe, triduumúe concedatur ad vitam, vt liceat cum ſuis epulari, tamen incredibili triſtitia, & horrore afficiuntur, & in ſingulas horas guſtum mortis ſuæ capiunt, vt toto illo tempore mori magis videri poſsint, quàm viuere: Et quemadmodum, qui paulò poſt afficiendi ſunt magno optatoq; præmio, quam ijs interea multum laboris ſuſcipiant, nihili tamen moleſtiam eam faciunt, quòd in ipſis laboribus frui quodammodo videantur ſperata mercede, eamq; penè manibus complecti: Ita, qui ex Lege vident, & ſentiunt, ſe iam eſſe damnatos ad æternam mortem, ex illecebris huius vitæ nihil voluptatis capiunt. Iam enim experiuntur in ſe ipſis, illa ſupplicia inchoari. Sed multi mirantur, Paulum dicere, hoc in ſe ipſo factum eſſe: & præſertim, cùm ſcribat ad Galatas, ſe profeciſſe in Iudaiſmo ſupra omnes coætaneos ſuos: Et ad Philippenſes.

Vt lex per ſe nõ eſt cauſa peccati ſic non eſt cauſa mortis.

Nõ eſt ſiſtẽdum in cognitione miſeriæ noſtræ. Scopus uniuerſæ ſcripturæ ſanctæ

Cur Lex non ſit cauſa mortis.

Quæ ſit ſpiritus natura.

Quam mortem Paulus hîc intelligat.

Guſtus æternæ condemnationis.

Simile.

Aliud ſimile.

Quomodo Paulus à peccato ſeductus et occiſus fuerit.

Se versatum esse in iustitia Legis sine querela: Et ad Timotheum, Se inseruisse Deo à progenitoribus suis in conscientia pura. Sed Augustinus libro 1. Contra duas epistolas Pelagianorum, cap. 8. & 9. hanc controuersiam diligenter dissoluit. Externis, inquit, operibus potuit honestè conuersari, ita, vt sine querela coram hominibus iustitiam Legis præstaret. At coram Deo, & quod ad animi affectus attinet, non erat immunis à peccato. Potuit enim moueri timore hominum, & timore supplicíorum, quæ Deus minatur transgressoribus, vt honestè ageret. Sed cupiditatibus, & interioribus motibus, quibus nollent homines à Deo fuisse decretum, quod per Legem præcepit, ille quoque vitio, & peccato fuit obnoxius. Neque fide, & charitate, quæ debuit, ad opera sua incitabatur: vtq; errauerit, idem ipse de se testatur multis in locis. Ad Ephesios cap. 2. Et vos, inquit, cùm essetis mortui delictis, in quibus ambulastis iuxta seculum mundi huius, iuxta principem potestatis aeris, qui nunc efficax est in filijs diffidentiæ, in quibus & nos aliquando versati sumus in concupiscentijs carnis nostræ, facientes voluntatem carnis, & affectionum, eramusq; naturaliter filij iræ, quemadmodum & cæteri. Sed Deus, qui diues est in misericordia iuxta suam multam charitatem, qua dilexit nos, cùm essemus mortui in delictis, conuiuificauit nos cum Christo. Et ad Titum, Nam eramus quondam & nos stulti, inobedientes, errantes, seruientes desiderijs, & voluptatibus in malitia, & inuidia, odio nos inuicem habentes. Talis fuit Paulus, antequam ad Christum conuerteretur, quamuis de externa sua iustitia multa non immerito iactare posset. Néue dicas, eum fuisse mutatum, & ereptum ab his vitijs, cùm cæpisset studiosè incumbere doctrinæ Legis, in qua sic profecit, vt iam ab illa nec accusari, nec occidi potuerit, ipse in eadem epistola ad Titum asserit, se per Christum solum fuisse iustificatum, & beneficio spiritus sancti fuisse absolutum. Quare, antequam accessisset ad Christum, Legis eum cognitio tantùm occidere potuit. Sic enim ait, Cùm benignitas, & humanitas Seruatoris nostri Dei illuxit, non ex operibus iustitiæ, quæ nos fecimus, sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit, per lauacrum regenerationis, & renouationis spiritus sancti, quem copiosissimè super nos effudit per Iesum Christum Seruatorem nostrum, vt iustificati gratia ipsius hæredes efficeremur secundum spem vitæ æternæ. Ad id autem, quod scribit ad Timotheum, se in pura conscientia seruisse Deo à maioribus suis, ita responderi potest: Quamuis in se conscientiam reclamantem non habuerit, hoc tamen eum non exemisse à peccato. Multi enim sunt fueruntq; ex Scribis, & Pharisæis, qui mala instructi conscientia de Lege Dei male iudicarunt, quos tamen Christus manifestè redarguit. Vnde cùm postea sanior cognitio Legis accessisset, per eam propter peccatum iam cognitum occidebantur. Adhæc videndum est, quid Paulus illo loco persuadere voluerit Timotheo. Dicit, se gratias agere Deo, quòd eius perpetuò meminerit in suis precibus, cuperetq; eum videre. Ne autem putaretur ista vulgari more dicere, quò illi tantùm blandiretur, nihil autem loqueretur ex animo, ait, se nunquã consueuisse mentiri. Quamuis autem eum conscientia mendacij non argueret, multa tamen alia supererant, quæ Lex verè cognita in illo potuisset reprehendere. Atqui eum Legem nõ habuisse perfectè cognitam, ex eo apparet, quòd Christum, qui finis est Legis, in Ecclesia eius persequebatur. Qua in re nihil feci contra conscientiam: quia eam non habuit aliter instítutam. Ideòque ait, se id fecisse per ignorationem, & infidelitatem. Nec Lex Dei eam vim habet, vt per peccatum occidat, nisi cùm fuerit probè cognita. Atque hæc de Paulo dicta sint, cùm adhuc versaretur in Iudaismo. Quomodo autem hæc ad illum post Christum agnitum pertinuerint, quomodoq; nunc ad nos pertineant, dicetur postea. Interim tamen hæc nos mouere debent, vt insitum in nobis peccatum detestemur.

Paulus obnoxiũ se agnoscit innatæ cupiditati.

Paulus se p Christum solum fuisse iustificatum affirmat.

Qui male in lege sunt instructi à conscientia interdum non redarguuntur.

Paulus ante conuersionem haud rectè legem cognouit.

Vt fieret maiorem in modum peccans peccatum per præceptum. Docet hîc Apostolus, se non tantùm agere de cognitione peccati, quæ ex Lege percipitur, verùm etiam de accessione illius improbitatis, quæ fit occasione à Lege accepta. Ait enim, peccatum effici peccans καθ' ὑπερβολήν: & peccato per tropum affingit personam, quæ peccet, seducat, & occidat. Quod ideo fecit, quòd nos animaduerteret tardos, ac stupidos esse, & labem pernicíosam originis nostræ non intellígere. Quoniam autem versio Latina habet supra modum peccans, Ambrosius quærit, num fortè sit aliquis modus peccati à Lege concessus. Respondet, nullum esse: Legem enim in vniuersum omnia peccata damnare: quamuis modum aliquem fateatur esse, quod attinet ad seueritatem Dei: vltra quem modum Deus pœnas, & vindictam non sustineat. Vt de Chananæis, Sodoma, Gomorra, & alijs nationibus dici potest: quas Deus aliquandiu passus est impunè agere. Postea verò eas, cùm iam modum illum excederent, quẽ Deus ferre posset, eas prorsus extinxit, ac perdidit. Quanquam alij dicunt, peccatum supra modum creuisse post Legem latam, si conferatur ad illud tempus, quo Lex non erat. Tum enim

Cur Apostolus utatur prosopopœia.

Lex omnia peccata damnat. Est apud deũ quidam modus peccatorũ ultra qd' impunita non feruntur.

enim aliquam obtendi potuisse ignorationem: eam autem Lege lata, & promulgata sublatam esse. Sed ego illud, καθ' ὑπερβολήν, exponerem potius, in immensum. Nam inualescente cupiditate ruimus in omnia. Genera verò peccatorum explicari non possunt. Quemadmodum enim sagittarij vnica tantùm ratione attingunt scopum, infinitis autem modis aberrãt: ita, cùm virtus in medio, tanquã scopus, sita sit, infinitis rationibus ab ea aberrare possumus, vna autem tantùm via eam attingere. Quod Græcè habetur ἁμαρτωλὸς ὑ ἁμαρτίαι, si Latinè ita possemus dicere, est, peccatum peccator. Sed quoniam id non conuenit, verti potest, peccatum maiorem in modum vitiosum. Aristot. in 2. Ethicorum ait, τῶν μὲν ἄκρων τὸ μὲν ἁμαρτωλότερον, τὸ δὲ ἧττον. Extremorum, inquit, alterum est vitiosius, alterum minus. *Simile.*

Lex quidem spiritualis est: ego autem carnalis uenundatus sub peccato. Hîc redditur ratio, quare Legi non sit imputandum, quòd ex eius cognitione mors consequatur. Quoniam, inquit, Lex spiritualis est. Spiritus autem proprium est tribuere vitam. Id optimè docet experientia. Videmus enim, corpora tam diu viuere, quandiu in illis est spiritus: & in rerum natura, quicquid per se mouetur, & aliquo modo vitam habet, eam habere beneficio spiritus. Quare, si Lex per se adferret mortẽ, id certè contra spiritus naturam faceret. Dicitur autẽ Lex spiritualis duplici ratione: primùm quia non ab humano cõsilio excogitata est, vt Leges ciuiles: sed in monte Sina Deo ipso per spiritum suum loquente Mosis ministerio est conscripta. Ab authore igitur spiritu profecta spiritualis dicitur. Dicitur etiam idcirco spiritualis: quia non contenta externis actionibus, vsque ad voluntatem, & mentem, & intimos hominum motus, sensus, & spiritus penetrat, iubetq; sibi toto animo, ac spiritu inseruiri. Quare turpiter falluntur illi, qui Legem veterem ita distingunt à noua, vt putent, illam manum tantùm coercuisse, istam autem etiam ad animi affectus pertinere. Non enim existimandi sunt veteri Legi satisfacere, qui externam tantùm iustitiam obseruant. At si non faciunt id, quod Lex præcipit, Deo certè non placet, quod faciunt: imò inter peccata numerandum est. Lex diuina, cùm non agat nobiscum ciuili ratione, non est tantùm externa morum honestate contenta. Itaque neque Socrates neque Aristides sua iustitia satisfecerunt Legi, quantumuis à scripto ribus commendentur. Et cùm Pharisæus gratias egisset Deo, quòd non esset vt cæteri homines, sed bis in Sabbato ieiunaret, & multa alia faceret, quæ hominibus placere potuissent, Christus subiecit, eum non iustificatum descendisse in domum suam. At procul dubio fuisset iustitiam consequutus, si suis illis operibus, quæ commemorauit, Legis sententiæ satisfecisset. Hanc sublimitatem, & perfectionem mandatorum Dei, carnales homines non intelligunt: vt Israelitæ, cùm Moses è monte descendisset, fulgorem vultus eius intueri, & ferre non potuerunt. Nos etiam, quandiu velo isto vtemur humanæ rationis, spiritualem lucem Legis perspicere nõ poterimus. Origenes ideo putat, Legem dici spiritualem, quòd non iuxtam literam, vt aiunt, sed allegoricis sensibus exponenda sit. Sed, cùm Paulus agat hîc de Decalogo, vt satis ostendit præceptum illud, Non concupisces, quod ab eo citatur, ista interpretatio omnino videri debet aliena. Nam in hac parte Legis allegorijs non ludi-tur. Neque Paulus ea causa se dixit esse carnalem, quòd allegorias non intelligeret, sed quòd experiretur in se affectiones pugnantes cum Lege Dei. Cùm ergo Lex spiritualis sit, eo modo, quo iam diximus, concluditur, eam sua natura non afferre mortem, sed potius vitam. Sic enim Moses in Deuteronom. capite 30. ait, se Israelitis proposuisse vitam, & mortem: bonum, & malum: benedictionem, & maledictionem. Perfecta enim obseruatio Legis trahit secum benedictionem, vitam, bonum: violata autem maledictionem, malum, mortem. Lex verò non transgressionem, sed obseruantiam imperat. Porrò autem in nostro arbitrio situm non est, vt bonum, vitam, benedictionem nostra sponte eligamus. Displicent enim nobis præcepta Legis, quoad spiritus Christi interuenerit. Et Christus ait, Si vis ad vitam ingredi, Serua mandata: & Dauid in Psalmo 19. ait, Legem restituere animum. Quæ testimonia, si rectè intelligantur, idem docent. At si quæras, vtrum istæ proprietates Legis vnquam effectum suum assequantur, respondemus, eas assequi: verùm id tum demum fieri, cùm Lex non tantùm in tabulis, sed etiam in cordibus, & visceribus scripta sit. Tum enim, quamuis imperfectè actionibus nostris exprimatur, promissiones tamen nihilominus non habet irritas: quæ in Electis Dei, non ex meritis complentur, sed ex gratia, & misericordia. Postquam Apostolus talem Legem prædicauit, rationem reddit, cur ex ea, non vitam, sed mortem hauriat.

Lex quare dicatur spiritualis.

Error in distinguenda lege ab Euangelio.

Lex Dei nõ agit nobiscum ciuili ratione.

Vi humanæ rationis lex Dei non intelligitur.

In decalogo allegoriæ non habet locum.

Lex per se uitam affert.

Non est arbitrij nostri ut corrupti sumus, uitam eligere.

Lex effecta sua in renatis assequitur.

Quoniam, inquit, carnalis sum uenundatus sub peccato. Hîc crimẽ illud occidendi, & accessio peccati, transfertur à Lege in deprauationẽ naturę nostrę. Nihil Deo gratius est, q̃ vt nos ipsos accusemus, & ipsum, verbumq; eius debitis laudibus efferamus. Nullũ potuit aptius Legis

encomium excogitari. Paulus enim non solùm singularem eius dignitatem celebrat, sed etiam id, quod dicit omnibus pijs cognitum, & perceptum esse dicit.

Scimus, inquit, *Quòd Lex spiritualis est*. Vtq; id magis eluceſcat, opponit noſtram impuritatem.

Ego, inquit, sum carnalis, & uenditus sub peccatum. Illa magiſtra eſt virtutis, & hoſtis omnium vitiorum: Ego virtutem auerſor, & vel inuitus vitia conſector. Cùm dicit ſe carnalem, intelligit originis labe, & contaminatione infectum. Illud enim malum ab Adamo deriuatur per carnem: quod tamen ſe in carne non continet, ſed totum hominem, & omnes eius vires occupat. Vtque magis oſtendat, quid vox illa, *carnalis*, ſibi velit, addit, *Venundatus ſub peccatum.* Quemadmodum enim mancipia ab hero ſæpè trahuntur, aut impelluntur, quò nollent, ita nos ab originali peccato ad multa rapimur, quæ non probamus. Nec ſolùm Originali vitio conſtringimur, ſed etiam ipſi quoque noſtra voluntate magnam vim peccatorum adijcimus. Quare multiplici laqueo vincti ſumus. Hac metaphora Paulus pulcherrimè captiuitatem noſtram exprimit. Iudæi graui ſeruitute opprimebantur, cùm eſſent captiui in Aegypto: neque mitius habiti ſunt in Babylone: longè autem crudeliſsimè ſub Antiocho. Cæterùm nulla ſeruitus cum iſta conferri poteſt, de qua Paulus loquitur in præſentia. Ibi enim externus tãtùm hoſtis fuit, & ſolùm de vita corporis & fortunis agebatur. At hîc habemus hoſtem in penetralibus, & in ipſis viſceribus: & animus ipſe nobis nolentibus & inuitis peccato ſubijcitur. Venundati ſumus, cùm Adamus peccaret. Nam per vnum hominem peccatum intrauit in mundum: & in illo vno omnes peccauerunt. Gratis venundati ſumus. Non enim fuit iuſta cauſa, quæ primos parentes adegit ad peccandum. Deinde etiam, quia nascentes peccatum nobiſcũ trahimus, neque illud noſtra voluntate ſuſcipimus, ideo dicimur gratis venundari. Auguſtinus in librum Iudicum, quæſt. 17. miratur hanc loquutionem ſcripturarum, qua homines dicuntur, vendi gratis, quòd pretium nullum intercedat. Ait autem nihil aliud hac phraſi ſignificari, quàm Iſraelitas deditos fuiſſe à Deo in hoſtium poteſtatem: à quibus non alitèr vexarentur, quàm ſi fuiſſent ſerui emptitij. Et pulchrè ait cõuenire, quod in pſalmis, & in Eſaia legitur, Gratis: Quia Deus cùm ita traderet Iudæos in poteſtatem alienigenarum, nihil ea cauſa aut honoris, aut cultus, tanquam mercedem, aut pretium aſſequebatur. Illi enim erant idololatræ. Ita nos dicimur traditi & Diabolo, & inſitæ nobis prauitati Gratis: quòd ex illis nihil ad Deum redeat aut honoris, aut gratiæ. Sunt enim hoſtes, & Deum odio perpetuò proſequuntur. Verùm vt gratis venundati ſumus, ita etiam redempti ſumus gratis: non quin Chriſtus pro nobis & vitam, & ſanguinem impẽderit: ſed quòd ipſi de noſtro nihil dederimus, neque vllo noſtro merito iuſtificati ſimus. Eadem loquutio habetur in primo libro Melachim cap. 21. de Achabo impio Rege: Venundatus eſt, vt faceret malum in conſpectu Domini. Phraſi autem Hebraica התמכר ſignificat, cum ſe ipſum vendidiſſe: tum quòd vltrò, ac libenter ea faceret, ad quę ab innata cupiditate moueba-tur: tum quòd ſua voluntate multa genera peccatorum adiecíſſet. Auguſtinus tractat 41. ſuper Iohannem, hanc ſeruitutem, qua ſub peccato agimus, confert cum ciuili, atque externa: eaq; collatione ponit ante oculos, quàm infœliciter agatur cum illis, qui ita venditi ſint ſub peccatum, ſeruiantq; illius tyrannidi. Seruus, inquit, ſperat, ſe poſſe dominum commutare, ſi grauem, & inhumanum nactus fuerit. Agunt enim aliqua ratione cum quibuſdam, vt ſe coemant, & beneficij loco numerant, ſi relicto acerbo domino ad mitiorem tranſeant. Peccatum autem ita in nobis hæret, vt nemo huiuſmodi cõmutationem ſeruitutis ſperare queat. Qui ciuilem ſeruitutem ſeruiunt, confidunt, ſe à dominis quandoque poſſe aufugere. Nos verò quò ibimus? Vbicunque fuerimus, peccatum tyrannum nobiſcum trahimus. Fac eſſe aliquem, qui velit nos redimere. Nonne illum neceſſe eſt à cõmuni hero, cui ſeruimus, hoc eſt, à peccato eſſe liberum? Opinor. Alioqui enim, quicquid emeret, peccato eſſet obſtrictum, cui ipſe adhuc redemptor ſeruus eſſet. Sed nemo inueniri poteſt liber à peccato, vno excepto Domino noſtro Ieſu Chriſto. Quare ad eum ſe transferat, quiſquis à peccato voluerit liberari. Sed obijciet aliquis. At Apoſtolus ait, nos iam aſſertos eſſe à peccato. Sic enim ait: Nunc autem liberati à peccato, ſerui autem facti iuſtitiæ. Cur ergo nunc conqueritur, ſe venundatum eſſe ſub peccato? Hîc meminiſſe oportet, quod ſæpè diximus: nos quidem liberatos eſſe per Chriſtum: non tamen plena, ſed inchoata tantùm libertate: quæ tum demũ erit perfecta, cùm hoſtis nouiſsimus mors deſtructa fuerit: cumq; vt Paulus ait, mortale hoc induerit immortalitatem: & hoc corruptibile redditum fuerit incorruptum. Interim verò non integra, ſed ſperata tantùm libertate fruimur. Quòd ſi adhuc ſumus carnales, & venditi ſub peccatum, fidelibus precibus perpetuò clamare debemus ad Dominum: deinde

Cur Paulus dicat ſe carnalem.

Quare dicamur uenundati ſub peccato.

Nulla captiuitas cum ſeruitute peccati poteſt cõferri.

Cur dicamur uenundati gratis.

Venundari gratis quid.

Redempti ſumus gratis.

Achab uendidit ſe ipſum ut faceret malum.

Collatio ſeruitutis peccati & ciuilis.

Noſtra liberatio non eſt adhuc plena.

deinde, quæ placuerint, absque delectu ne approbemus: sint nobis omnia nostra suspecta: quia ex mancipijs peccati, nihil facilè expectari debet, quod verè sit bonum. Cúmque premimur aliqua calamitate, ne queramur de Deo, quasi nos affligat immeritos. Ab illis enim, qui degant sub peccato, fieri non potest, quin multa vitiosè perpetrentur. Quæ prius in isto capite à Paulo dicta sunt, Se peccatum, & concupiscentiam ignorasse, cùm careret Lege: cúmque ea accessisset, vitium in se vehementer creuisse, atque ita creuisse, vt ab ea per præceptum occisus fuerit, & alia similia, hæc, inquam, omnia Pelagiani facilè concesserunt, intelligi posse de Paulo, & cùm infans adhuc esset, & quoad factus adultior puriori vitæ non studeret. Hîc autem nonnihil hæserunt, cùm audirent, illum de se dicere, idq; in præsenti tẽpore, Lex quidem spiritualis est: ego verò carnalis venundatus sub peccato. Sentiunt enim hîc aliquid: sed quid dico aliquid? Imò permultum de libero arbitrio decedere. Vident insuper, non posse illum suo arbitratu iustificari, qui sub seruitutem peccati adactus sit, quique postquam ad Christum se contulerit, tamen adhuc etiam dicatur venundatus sub peccatũ, vt non possit diuinæ Legi, quæ spiritualis sit, vndequaque satisfacere. Itaq; conati sunt, hæc Apostoli verba in alium sensum detorquere. Aiũt enim, illum se carnalem appellasse, quòd, cùm hîc viueret, carnem spiritualem, quam in Resurrectione habituri sumus, nondum indusset: sed eam adhuc circumferret, quæ multis interim molestijs esset obnoxia. Addunt præterea, idcircò illũ dicere, se vẽditum esse sub peccatum, quòd morti illi subijceretur, quæ per Adami peccatũ in mundum irrepserat. Id enim illi putant esse vendi sub peccatum, morti, & cæteris huius vitę iniurijs, & molestijs subiacere, quę propter peccatũ in orbẽ terrarũ irruperunt. Atq; hoc pacto putant se, si Deo placet, Paulum pulchrè interpretari, quamuis vitij naturę, corruptelæ humani ingenij, & prauitatis omnium partium & animi, & corporis, in omnem posteritatem per Adamum traductæ nullam faciant mentionem. At Paulus longè secus idcirco se ait venditum sub peccatum, quòd ea faciat, quæ nolit: ea autem, quæ maximè velit non efficiat: quodq; cùm velle sibi adiaceat, tamẽ bonũ perficere non inueniat: quodq; in eam infœlicitatem inciderit, quam lamentatur, vt Legem experiatur in membris suis, quę cum sensu mentis acriter pugnet. His sententijs, causisq; diligenter inspectis, satis apparet, Paulum non deplorasse mortem corporis, aut afflictiones huius vitę, sed suam ipsius corruptionem, quam, non aliter ac cæteri homines, à primo Adamo contraxerat. Quoniam contemnenda non sunt, quæ hoc loco Ambrosius annotauit, eius sententiam non pigebit ascribere. Primùm agnoscit, hæc de Lege Mosis intelligenda esse. Deinde illam Legem idcirco appellari spiritualẽ, quòd à peccato reuocet, cultumq; qui vni Deo debetur, creaturis prohibeat exhiberi. Adhæc testatur, nos cõstrictos esse duplici vinculo: primùm propter originem, quam ab Adamo duximus: deinde propter alia infinita vitia, quæ nos ipsi addidimus. Fatetur insuper, ita nos obstrictos esse peccato, vt potestate nostra vti nõ possimus. Ex quibus verbis colligitur, liberum arbitrium nostrum non leuiter esse impeditum. Prętera propter hæc omnia factum esse ait, vt Diabolus omnibus nostris cogitationibus se admisceat: quod, nisi per peccatum, non potuisset. Quare, cùm discernere non possimus nostra cogitata, ab his, quæ à Diabolo mentibus nostris offeruntur, necesse est, vt frequẽter intueamur in Legem Dei. Hîc annotare debemus, Ambrosium asserere, Diabolum se nostris cogitationibus admiscere: quod Scholastici non absolutè concederent.

Fieri non potest quin uitiosè à nobis multa perpetrentur.

Multum de libero arbitrio hîc decedit.

Contra Pelagianos.

Ambrosius impeditum fatetur liberum arbitriũ. Diabolus admiscet se nostris cogitationibus.

Quod enim ago, non agnosco. Non enim quod volo, hoc ago: sed quod nolo, illud facio. Si verò, quod non volo, hoc facio, consentio Legi, quòd bona sit. Ratione probat, se venundatum esse sub peccatum: quòd non faciat ea, quæ ipsi videantur, sed ad ea potius trahatur, quæ nolit. Qui autem necessario alienam voluntatem sequitur, suam autem non facit, ille certè nihilo meliore conditione est, q̃ seruus emptitius. Hoc autem est sub tyrannide versari, ad ea adduci, quæ ipse animo, & voluntate tua non probes. Cùm ait, se non facere ea, quæ velit, eam intelligit voluntatem, quæ iam Christi beneficio conformis sit Legi Dei: quæq; nec vult, nec non vult quippiã, nisi quatenus id videat à Lege Dei vel probari, vel improbari. Rectè ergo ex his Apostolus concludit, Legem Dei bonã esse: quoniã animus hominum regeneratorũ, iam vtcunq; emendatus ita iudicat. Cumq; dicat, se non ea facere, quæ velit, id autẽ Legi non imputet, superest, vt id nostrę cupiditati, & innato vitio, quod sua natura malũ est, asscribatur. Nam præter hæc tria nihil occurrit aliud, cui possit imputari. Ait autẽ, se non facere, quæ velit, quòd non suo iudicio, quatenus regeneratus est, ducatur, sed reclamans & inuitus transuersus à cupiditate rapiatur. In hanc infœlicitatem incurrimus per peccatum, vt nostrorum motuum, & operũ dominamus esse domini. Non enim ita fuimus instituti. Ostẽdit hic locus, quàm fractũ, & immi nutum nobis relictũ sit liberum arbitriũ. Vltrò enim, & sponte facimus ea, quæ nostro iudi-

Qui necessario alienam uoluntatem sequatur est ut seruus emptitius.

Liberum arbitriũ fractum & imminutum.

cio non probamus. Neq; tantùm inferioribus animi partibus, vt quidam statuunt, sed toti, quanti quanti ex natura sumus, peccati serui sumus. Nam si quid in nobis est, quod resistat, id à spiritu Christi prouenit. Neque alíunde dicimur, non velle, aut non facere, quod facimus, nisi quod instructi spiritu Dei, definimus, & statuimus apud nos, non esse faciendum, quod facimus. Irascuntur interdum sancti plus quàm vellent, multáque interdum dicunt, quæ dicta nollent. Dauid iratus iurat, se velle Nabal Carmeli cum eius vniuersa familia interficere. Verùm admonitus sermonibus Abigaelis noxium iusiurandum reuocat. Cornstrum, inquit Ambrosius, vt citatur ab Augustino, non est in nostra potestate. Statuimus interdum attento corde velle orare Deum: sed quia multa sese offerũt cogitationibus nostris, statim à colloquio Dei turpiter euagamur.

Exemplum.

Quod facio, non cognosco. Quod postea dicit, se odisse, & nolle, id nunc testatur, se non cognoscere. Cùm autem duplex sit notitia, Altera simplex, quæ nihil iudicet, aut statuat de re cognita: altera quæ vel approbet, vel improbet, Paulus de hac posteriori loquitur: vt sit sensus: Quod facio, non cognosco, hoc est, spiritus mei pleno assensu non approbo. Tametsi, vt monet Chrysostomus, ex his verbis alius sensus possit elici. Tanta intercedit perturbatio ab affectibus, vt quid fiat, non animaduertamus. Est enim callida, & magna illecebrarum impostura. Astuti veteratores, quamuis, quid agant, videamus, ita tamen sæpè imponunt oculis nostris, vt nihil intelligamus. Aristoteles ait, in omni peccato aliquod genus ignorationis intercedere. Quanquam inter Philosophos, & Pauli sensum non nihil interest. Illi enim putant, hanc vim insitam esse in natura mentis, rationis, & voluntatis, vt semper bonum cupiat, & approbet: confusio verò tantùm in partibus animi crassioribus incipiat. Apostolus verò asserit, omnes hominis partes, & inferiores, & superiores, propter vitium originis reluctari spiritui Dei. Sed cùm tam à se, quàm à Lege remoueat causam peccati, manifestum est, eam tantùm in innata cupiditate residere. Quòd si ipse dicat, se non facere, quæ non velit, quæq; mala sint, multò certè ea Lex minus facit. Ipse enim per Legem intelligit, hæc non esse facienda. Hinc ergo habemus Legis encomium: non vt fingunt hæretici, qui perperam dicta Pauli excutiunt, & illum criminari Legem existimant.

Duplex notitia.

Illecebra cupiditatum. Simile.

Discrimen inter Paulum & Philosophos.

Non enim quod uolo, facio, sed quod odi. Hoc quidam putant, tantùm ad primos motus referendum esse. Sed, cùm scriptura manifestè dicat, etiam iustos cadere: & nos omnes in multis offendere, non video, cur oporteat sententiam Apostoli tam in arctum contrahere. Nam etiam sanctos homines non dubito non solùm quandoque malè cupere, sed etiam quædam interdum facere, quæ facta non oportuit. Verùm illi statim dolent, & se accusant, vtq; possunt, peccatum emendant. Nec tamen ex his quisquam arbitretur, me statuere, saluum manere iudicium spiritus, & innouatæ voluntatis propositum: cùm pij ruant in grauia flagitia: vt cùm Dauid patraret adulterium, & homicidium. Ista enim peccata sunt ex eo genere, de quibus Apostolus ait, Qui faciunt huiusmodi, partem non habent in regno Dei. Vnde Augustinus pulchrè distinxit, aliud esse crimen, aliud peccatum. Quare cùm in hoc genere sceleris ius regenerationis quodammodo amittatur, de eo Paulum hoc loco sermonem habere, non est putandum.

Hæc non tantùm ad primos motus cõtrahẽda sunt.

Iudicium spiritus nõ manet saluum in grauissimis criminibus.

Non ego illud perpetro. Asserit, non se id facere, quòd non totus id faciat. Nam, qua parte regeneratus est, ab eo, quod facit, abhorret. Innata concupiscentia, & insitũ vitium est, quod multa nobis extorquet. At qui sapiunt, ad Christum confugiunt, vt ille seruitutem, quam seruiunt, reddat mitiorem: qui non id solum largitur, sed etiam ea, quæ admissa sunt misericorditer condonat. His igitur de causis Paulus negat, se illud ipsum facere, quod facit. Et certè singulari dono Dei ascribendum est, quòd nolimus, quodq; ea nobis displiceant, quæ facimus: quodq; è diuerso velimus, & optemus ea, quæ non facimus. Hoc enim non ineest in omnibus. In illis tantùm est, qui iam insiti sint in Christo, & in eo regenerati. Peccatum quidem suum displicuit Iudæ, Caimo, Esau: sed non eo nomine, quòd illis Lex Dei probaretur: sed quòd iam sentire inciperent suum incommodum, & calamitatem, & exitium. Nullo enim amore diuinæ Legis, & voluntatis tangebãtur. Tantum inter pium, & impium intereſt. Pius, quamuis labatur, tamen ex animo Legem Dei non violat. Habet enim in se, quòd perpetuò reclamet, & reluctetur. Impius verò nunquam ex animo bonum facit, aut malum euitat, vt Lex iubet. Semper enim lucrum, commodum, famam, & alia id genus spectat, non voluntatem Dei.

Desperatis quomodo peccata displiceant.

Discrimen inter pium & impium peccando.

Paulus hoc loco de se ac renatis loquitur.

Hæc ostendunt Paulum ista, quæ in hoc capite continentur, de se loqui, & de sanctis, qui iam in Christo sint renati. Ait enim, se mente seruire Legi Dei: & velle adiacere sibi: perficere autem bonum se non inuenire. Cumque exclamasset, Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore hoc morti obnoxio, subiecit gratiarum actionem, quòd sciret se per

per Christum hoc esse habiturum. Hęc prestari non possunt ab illis, qui alieni sint à Christo, & impij, & expertes spiritus sancti. Qui hoc negant, ea maximè ratione ducuntur, quòd persuadeant sibi, peccatum in hominibus sanctis non habere locum: cùm tamẽ scriptura longè secus doceat. Nam Paulus ad Galatas loquens de pijs eadem ferè tradit, quę hoc loco: Spiritu, inquit, ambulate: & desideria carnis ne perfeceritis. Nõ ait, Desideria carnis ne habeatis: sed ea ne perficiatis. Et, caro, inquit, cõcupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnẽ: vt non quæcunque vultis, ea faciatis. Hoc illud est, quod hîc ait: Non facio, quod volo. Dauid ait: Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me. Ne intres in iudicium cum seruo: quoniam non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Et Esaias ait, iustitias nostras esse instar panni mulieris mẽstruatæ. Et Dominus iubet, vt oremus, Remitte nobis debita nostra. Si dixerimus, nos peccatum non habere, inquit Ioannes, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Iacobus, in multis, ait, offendimus omnes. Patres quoq; affirmãt, Paulum hoc loco de se ipso loquutum esse. Et inter alios Augustinus contra duas epistolas Pelagianorum cap. 10. Mouetur autem his argumentis, quòd Apostolus dicat, Non ego operor illud: condelector Legi Dei: Infœlix ego homo: quis me liberabit de corpore mortis huius: Nihil est condemnationis his, qui sunt in Christo Iesu: Et nos ingemiscimus primitias spiritus habentes. Ambrosius de Paradiso, idem docet. Et in eandem sententiam citatur ab Augustino, libro 6. contra Iulianum, in libro de Philosophia, vel de sacramento: qui liber hodie non extat.

Testimonia quibus probatur & sanctos peccatum habere.

Augustinus probat Paulum de se ac renatis loq.

Ambrosius idem sentit.

Sed inhabitans in me peccatum. Metaphora ista inhabitandi sacris literis admodum est familiaris: neq; aliud nobis refert, quàm veram, & efficacem præsentiam. Hoc sensu dicitur: Verbum caro factum est: & habitauit in nobis. Et in veteri Testamento sæpè legitur, Deum habitasse inter filios Israel. Et Paulus ad Corinthios ait, Nos esse templum Dei, & spiritum sanctum habitare in nobis. Verùm hîc nobis cauendus est error Manichęorum, qui statuebant hominem constare ex duplici natura, altera bona, altera mala: & vtranque permistam esse: sed per Christum fieri, vt mala separetur à bona, & extrudatur ad gentem tenebrarum. Non enim illi videbant, malum esse naturæ corruptionem, quæ alioqui fuerat bona: sed illud dicebant per se existere, & substantiam quandam habere: separari autem à bonis eiectione, ac fuga, non quòd esse desinat. Veritas autem docet Christum mederi peccato, & defectui: atque ita mederi, vt illa nusquam extent. Non agit hoc loco Apostolus de vulgaribus nostris malis: verùm de summis, quæ ad luctam spiritus, & carnis pertinent, & nostra cùm interna, tum externa turbant, atque confundunt. Neque enim solùm, cùm facimus aliquid, non tantum facimus, quantum & ipsi cupimus, & à Lege requiritur: sed etiam habemus carnem omnibus modis contra voluntatem Dei frementem, pugnantem, reluctantem. Neque bonum, quod volumus, sed malum, quod odio habemus, facimus. Si quæras, quod nam sit illud bonum, quod vellemus, nihil aliud respondere possumus, quàm illud esse, quod à Lege præcipitur. Ea enim vnica est magistra omnis boni. Ex eo perspicuum est, nos id nõ facere, quod in Lege præcipitur. Rursus, malum, quod odimus, nihil aliud est, quàm illud, quod lege prohibetur. Quare negare non possumus, nostris malis motibus, & prauis desiderijs Legem Dei violari. Nec ea inficiari debemus peccata esse: quod tamen aduersarij nostri non concedunt. Præterea ex his colligimus, in omnibus, quæ facimus, opus esse cõdonatione: & opera nostra non esse tanti, vt propter illa efficiamur accepti Deo, & Regnum æternum mereamur. Habemus hoc loco nomina carnis, & membrorum: et ex altera parte mentis, & interioris hominis. Quæ distinguenda nõ sunt penes corporis, animiq; partes. Sed ex vno latere significatur totus homo, quatenus non est regeneratus, neque adhuc prauitatem naturæ perfectè, atque in vniuersum exuit. Ex altero item latere totus homo intelligitur, quatenus iam regeneratus est, & aliquam saltem partem spiritualis regenerationis accepit. Longè falluntur, qui opinantur, quamuis in Christum non credamus, tamen in nobis mentem, & voluntatem omnino esse integræ naturæ. Neque enim meminerunt, quid Paulus scribat ad Corinthios: Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei. Nam hæc verba manifestè indicant, intelligentiam nostram multum habere caliginis, & vitij, cùm ita ineptí simus ad spiritualium rerum perceptionem. Et ne dicas, hæc tantùm pertinere ad non renatos, qui adhuc alieni sint à Christo, Augustinus declarat, ea ad credentes etiam spectare, cùm ex illis quæ antecedunt, tum ex illis quæ consequuntur. Agere enim Paulum ibi de baptizatis, ex eo probatur, quod antea scripserat: Num in nomine Pauli baptizati estis? Probatur etiam ex eo, quod postea sequitur: An nescitis, quòd vos estis templum Dei, & spiritus eius habitat in vobis? Quòd si illi prædicantur esse tales, qui sunt inter credentes

Metaphora inhabitandi.

Manichæorum error.

Quid sit bonum quod facere uellemus & non facimus.

Quid sit malum quod nollemus facere ac facimus.

Omnia opera nostra opus habent aliqua cuodonatione.

Caro et membra Mens & interior homo quomodo accipiatur

Cõtra opera præparatoria.

imperfectiores, quid ſtatuendum eſt de illis, qui à Chriſto ſunt prorſus alieni? Certè, cùm nihil iuſtificationis perceperint, nihil poteſt in illis habitare boni. Eant modò, qui garriunt, antè regenerationem aliqua bona poſſe à nobis fieri, quæ Deo placeant, quibuſq; vt loquuntur, de congruo mereamur. Videant etiam, quàm prudenter ſoleant dicere, ſi homines faciant, quod in ſe eſt, Deum conceſſurum eſſe gratiam. Nam, ſi, quod in ſe eſt, facient, nihil niſi malum facient. Nam, vt Paulus ait, bonum in illis non habitat. Quare cùm moueantur tantùm ex principio naturæ corruptæ, procul dubio peccant. Non autem loqui Apoſtolum de natura carnis exterioris, & corporis viſibilis, illud probat, quòd, cùm in epiſtola ad Corinthios monet, vt fugiamus ſcortationem, ait, corpora noſtra eſſe templa ſpiritus ſancti. Falſum ergo eſſet, in carne noſtra non habitare bonum, ſi caro in ea ſignificatione accideretur. Quare hoc loco, vt diximus, caro ponitur pro vniuerſa natura, vitio infecta. De hac Paulus pronuntiat, ſcire ſe, in illa non habitare bonum. Nec caret emphaſi, quòd ait, ſe hoc certo ſcire. Vidit enim, alios, & maiorem ferè hominum partem hoc nõ intelligere. Atque vtinam nos hoc aliquando rectè videamus.

Qui facit quod in ſe eſt, malum facit.

Nam uelle adeſt mihi: at ut faciam bonum, non inuenio. Ne velle quidem habet, niſi quatenus id à ſpiritu renouatore habet. Id probat in epiſtola ad Philippenſes. Nam cùm dixiſſet, Cum timore, & tremore ſalutem veſtram operemini, ne quis putaret, id ſuis ipſius viribus præſtari poſſe, ſtatim adiecit: Deus enim eſt, qui operatur in vobis & velle, & perficere: néue quis putet, ſe hoc ſua ſanctitate mereri poſſe, adiecit, pro ſua bona voluntate. Velle adeſt mihi. Quidam putant, huius verbi natura voluntatis noſtræ infirmitatem ſignificari. At ego non arbitror, Paulum huc reſpexiſſe. Nam malum etiam cupiditatis, quod in nobis potens eſt, & vigeret, paulò poſt dicitur nobis adiacere. Verùm quidem eſt, quod iſti dicunt, rectum propoſitum in nobis quantumuis regeneratis infirmum eſſe. Quod etſi non ſatis probari poteſt ex verbò, Adiacet, tamẽ probatur ex eo, quod ſequitur: perficere autem bonum nõ inuenio. In firmam enim oportet eſſe voluntatem, quæ non poſsit erumpere in actum. Adiacere enim vtrobiq; ſignificat, immínere, præſto eſſe, & extímulare. Nos in medio ſumus, & vtrunq; ad iacet. Ex vna parte vrgemur ſtimulis ſpiritus, vt velimus bona: ex altera malum adiacet, quo bona voluntas impeditur. Auguſtín. in lib. de Natura, & Gratia contra Pelagianos, illorum errorẽ confutat ex hoc loco. Dicebant enim, vt ibi habetur cap. 50. & 51. Si in nobis eſt peccare, oportet in natura noſtra poſsibilitatem eſſe non peccandi. Vt, ſi in nobis eſt videre, aut audire, neceſſe eſt in natura noſtra eſſe poſsibilitatem non videndi, aut audiendi. Atque hãc poſsibilitatem ita affixam eſſe volunt ad naturam, vt ab ea non poſsit diuidi. Hoc, inquit Auguſtinus, vtcunq; veriſimiliter dici poſſet, ſi naturã haberemus integrã, qualis à Deo fuit inſtituta. Verùm cùm ea in nobis manca iam, & infirma ſit, non poſſumus dici, habere naturaliter poſsibilitatem non peccandi. Nam qui cruribus, & pedibus valet, quemadmodum in eo eſt rectè ambulare, ita in eo eſt poſsibilitas non claudicandi. At, ſi quem dederis, qui iam ſit claudus, in eius natura non eſt poſsibilitas rectè ambulandi. Adhæc reprehendit Auguſtinus hanc ſententiam, etiamſi de integra natura intelligatur. Neque enim inſeparabilis fuit à natura nobis ab initio tradita poſsibilitas non peccandi. Quamuis enim ea in primo homine fuerit, tamen & ab eo, & ab eius poſteritate per lapſum ſeparari potuit: quemadmodum & nos reipſa experimur, & Paulus eam hîc amiſſam deplorat. Dicit enim, Velle quidem adiacere ſibi: at ſe quemadmodũ perficiat bonum, non inuenire. Vbi igitur eſt ea poſsibilitas non peccandi? Cur ea non vtitur Apoſtolus? Certè de ea hoc loco agebatur. Rectè autem dicit Paulus, nõ inuenire ſe, quemadmodum perficiat. Auguſtinus de Nuptijs, & Concupiſcentia libro primo capite 29. & 30. pulchrè locum hunc declarat. Bonum, inquit, non perficitur, niſi abſint praua deſideria: quod in hac vita non habetur: nec impletur quod ſcriptum eſt, Non concupiſces. Non tamen inutiliter præceptum hoc datum eſſe credendum eſt. Nam eo intelligimus, medicinam quærendam eſſe, cùm in hoc morbo iacere nos videamus. Mandatur etiam, vt agnoſcatur, quò debeamus in hac mortalitate proficiendo conari: & quò poſsit à nobis in illa immortalitate beatiſsima peruenirí. Niſi enim aliquando perficiendum eſſet, nequaquam iubendum eſſet. Quamobrem pij homines, vt bonum non perficiunt, cùm malis deſiderijs non careant: ita etiam malum non perficiunt; quoniam etſi ſubinde labuntur, tamen in eis bona, & ſancta deſideria non ceſſant: quibus & reclament peccato, & in viam reuocentur.

Ex nobis ipſis nõ h. bemus ut rectè quippiã uelimus.

Nos medij ſumus & à ſpiritu & à cupiditate ſtimulamur. Pelagianorum ſententia.

In natura corrupta facultatẽ nõ habemus non peccandi.

Ab homine ſeparari potuit facultas non peccandi

Bonum non perficitur niſi abſint praua deſideria.

Non iuberetur non concupiſces niſi ſaltem in altera uita impleri poßit.

Non enim, quod uolo, facio bonum: ſed quod non uolo, malum, hoc facio. Dixerat ſupra eandem hanc ſententiam: nunc tantùm addit duo vocabula, Bonum, & Malum: quę ſuprà non addiderat: quamuis ea Latinus interpres addiderit de ſuo.

Si au-

Si autem quod non uolo, hoc facio, non iam ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Hîc absoluit rationem, qua probauit, se venditum esse sub peccato: quòd non suã, sed illius voluntatẽ faceret. Atq; hîc quidẽ potuisset finem facere. Visum tamẽ est spiritui sancto rẽ magis vrgere. Ideóq; Paulus commoratur in eodẽ loco, & quid in hac lucta experiatur, magis aperit. Magno cum affectu loquitur, vt ne ab exclamatione quidem sibi temperet, qua nostræ conditionis miseriam deploret. Vnam autem demonstrat viam esse libertatis, eamq; per Christũ. Quamobrem de illa gratias agit. Hunc habuit Apostolus scopum in hac vniuersa disputatione, vt nos à Lege, per quam liberari non potuimus, traduceret ad Christum: atque ita ostenderet, quod ab initio proposuerat, nos per Legem non posse iustificari. Quæ ita sæpè repetuntur, ea existimare debemus, & valdè necessaria esse, & nobis parùm cognita. Deinde ista non repetuntur sine aliqua adiectione, per quam non parùm illustrantur ea, quæ dicta fuerant. Duo hîc Apostolus voluit ostendere, primum, se velle bonum: atque inde ratiocinatur, se ex Lege oblectationem in animo sentire. Ea autem, quibus oblectamur, perfecta cupimus: alterum est, quòd docet se abripi, & impediri quo minus volũtatem suam exequatur. Id autem ex eo confirmat, quòd ea faciat, à quibus abhorreat. Intelligendaverò ista sunt, pro diuerso, vt aiunt, respectu. Nam, quatenus est regeneratus, abhorret à malis, & cupit meliora. Quatenus autem non est regeneratus, rapitur ad ea, quæ nollet, & in deteriora prolabitur. Exclamationis affectus idcirco in ista lucta exprimitur, vt intelligamus ista, non leuiter, aut frigidè, sed magno cum sensu, & certa cum experientia tractari. Iam cùm huius loci expositionem in summa dixerim, venio ad contextum orationis Apostolicæ, vt singulæ eius partes excutiantur.

Vna est uia libertatis per Christum.

Quæ repetũtur sæpius, & necessaria, & nobis parum cognita sunt.

Reperio Legem uolenti mihi facere bonum, quòd mihi malum adiacet. Est ista obscura sanè sententia, & multiplicem sensum potest recipere. Nam si Legem, quam hîc audiuimus infinitè, & sine contractione poni, accipiamus pro vitio, & corruptione naturæ, interpretabimur, eam nobis volentibus recte agere impedimento esse. Cuius dicti ratio subditur, Quoniam malum mihi adiacet. Ac si diceret, hæc est causa, cur impediar, ne rectè agam. At si Lex in bonam partem accipiatur, significetq; mandata Dei, tum verbum addere oportet, quod non impedimentum, sed adhortationem, & incitamentum significet. Atque ita huiusmodi sententia elicietur: volenti mihi facere bonum inuenio Legem Dei fauentem, applaudentem, adhortantem, incitantem. At si roges, Cur itaque non faciam bonum: respondeo, Quoniam mihi malum adiacet: Idcirco impedior, & à recto mentis proposito auocor. Obscuritas igitur pendet ex duplici capite. Primùm Lex in fine ponitur, quæ vel ad cupiditatem, vel ad mandatum Dei potest detorqueri. Deinde verbum nullum adiunctum est, quo vel impedimentũ significetur, vel è diuerso impulsus, & cohortatio. Ambrosius arbitratur hîc Legem Dei significari, quam ait, præbere consensum. Id autem de consensu nostro, quo mente seruimus Legi Dei, intelligi non potest. Id enim debemus, non beneficio Legis, sed vni spiritui Christi, vt Dei voluntas animo nostro placeat. Postquam autem eius opera eò semel peruentum est, vt bona, & recta velimus, tum si in Legem inciamur, inueniemus eam, nobis, vt Ambrosius ait, præbere consensum. Chrysostomus quidem fatetur, locum obscurum esse: Legem tamen Dei significari existimat: eamq; ait, laudare, & approbare omnia bona, & iusta, quæ volumus: malum autem, quod nobis adiacet, obstare, quo minus illa perficiamus. Atque hinc apparet infirmitas Legis: quæ approbare quidem potest recta, & eorum voluntatem commendare: impedimenta verò, & obstacula remouere, &, ne peccemus, néue damnemur, efficere non potest. Ego verò, si debeam meam sententiam interponere, Legem accipio pro ea conditione, cui parere oporteat: atq; hanc esse iudico mentem Apostoli: Inuenio conditionem, & decretum mihi impositum, videlicet, ex labe Originis, & innata prauitate, volenti facere bonum, vt semper malum adiaceat. Hæc est pœna Legis, in quam omnes ex transgressione primorum parentum incurrimus. Ambrosius videtur quærere, vbinam peccatum, aut malum nobis adiaceat. Respondet autem, In carne: quasi ad ianuam, & pro foribus excubet: vt voluntas, postquam aliquid boni decreuit, si progredi velit, & illud perficere, in ipsa porta inueniat obstaculum. Lepidũ sanè inuentum, quodq; explicare videtur id, quod infrà docebimur: Nos mente quidem seruire Legi Dei, carne autem Legi peccati. Si rursus quæras, qui fiat, vt malum in carne, ac nõ etiam in ipso animo nobis adiaceat, respondet, id idcirco fieri, quòd sola caro ex traduce ex Adamo deriuetur. Idcirco enim peccatum per carnem transire, & in ea, tanquã in domo sua quodammodo habitare. Quod alioqui in anima esset potius collocandũ, vt quæ magis peccet, quàm caro, si ea esset ex traduce. Cùm autem ea ex traduce nõ sit, ex eo effectum esse, vt

Difficultas ex duplici capite.

peccatum non in ea, sed in carne habitaret. Animam ex traduce non esse, in præsentia cõcedamus: etsi Augustinus ea de re nonnihil ambigat. Peccatum tamen nobis in animo adiacere non video, cur negemus. Fateor equidem, primum contaminationis ingressum fuisse per carnem: & labem originis per semen et corpus ex parentibus fuisse tractã: verùm non ibi cõsistere. Peruagatur enim inde per omnes animi & corporis partes. Adiacere autẽ nõ aliter intelligo, atque interpretatus sum superius: quòd immineat, præsto sit, vrgeat, extimulet.

Peccatum nõ tãtùm in animo, sed in carne adiacet.

Condelector Legi Dei secundum interiorem hominem. Duo proposuerat, velle quidẽ se facere bonũ, verùm adiacere sibi malum, quo propositum suum frustraretur. Nunc vtrunque diligenter explicat. Si sequeremur sententiã Chrysostomi, quòd, cùm aliquid rectè agere cõstituimus, inueniamus Legem fauentem, & propositum nostrum approbantem, esset non iniucunda sententia: nos vicissim delectari sensu Legis, quemadmodum illa nostro proposito videtur gaudere, atque ei consentire. Verùm hoc mihi in præsentia cogitare debes, quanta prudentia Paulus, quod antea simpliciter dixerat, nunc augeat, et amplificet. Dixerat antea se velle bonum, consentire Legi, quòd bona sit: nunc gradum quodammodo altiorem facit, qui tantùm ad pios pertineat. Non enim est frigida illorum voluntas erga Legem Domini, sed suauis, ardens, inflammata. Magno conatu contendunt, vt possint, quod animo cupiunt, opere præstare. Impij verò, quamuis ex naturali lumine, quod in eis non prorsus est extinctum, aliquam notitiam habeant iustitiæ, & probitatis, tamen iusto amore bonarum rerum non accenduntur. Quare non illis ista scribit Apostolus, sed pijs, qui omni momento contra innatum vitium luctantur. Quantam verò sancti voluptatem capiant ex Lege Dei, multa loca scripturarum testantur. Dauid in psal. 119. Beati, inquit, qui ambulant in Lege Domini, & qui scrutantur eius testimonia. Et psal. 1. Beati, qui in Lege eius meditantur die, & nocte. Et alibi, Lex Dei inquit, pretiosior auro, & gemmis, & melle, ac fauo dulcior. Et alia infinita sunt huius generis. Permultum autẽ interest inter pios, & homines à Christo alienos. Nam Ethnici sapientes magnam fœlicitatis suæ partem in eo collocant, vt sempe[illegible] possint rerum suarum præclarè gestarum meminisse. De vera autem cognitione solidæ & perfectæ iustitiæ nõ magnoperè lætantur: quoniam illam perfectè non nouerunt. Sancti verò cõtrà semper oculos conijciunt in Legem Dei. Cumq; in ea delineatam effigiem iusti hominis, & imaginem perfectam Dei, ad quam conditi sumus, ante oculos videant, non possunt non mirificè lætari. At postea, cùm reflectunt aspectum ad sua opera, vehementer dolent, quòd ea tantopere à proposito exemplo videant deficere. Ita pictores, cùm signum aliquod egregiè expressum vident, magna voluptate capiuntur. At cùm conati idem efficere, vident se eam venustatẽ, & elegantiam non posse assequi, incipiunt dolere, & indignari. Notata etiam est in pauonibus eadem affectionis natura. Vbi enim plumas illas suas erexerint, capti iucunda varietate videntur exultare. Rursus autem cùm pedes deformes, & nigros intuentur, statim deijciunt animos, & plumas submittunt. Ita pij delectantur Lege Dei, & magno amore præceptorum eius capiuntur. Contrà verò de sordibus, quas in omnibus operibus suis deprehendunt, lamentantur, & dolent.

Piorum uoluntas erga legem non est frigida.

Impij iusto amore boni non accẽduntur.

Magnã uoluptatem sancti capiunt ex lege Dei.

Discrimen inter ethnicos & pios uiros.

Simile.

Aliud simile.

Secundum interiorem hominem. Cùm Paulus partẽ hominis regeneratã appellet hoc nomine, dubiũ esse nõ potest, eum de homine toto loqui. Homo enim nõ tantùm ex corpore, & carne constat, sed etiã ex anima, et ex ea parte, quã vulgò rationalẽ vocant. Iste aũt homo totus, & interior, & exterior appellat. Interior quà mouet à spiritu, qui in penetralib. nostris agit, & corda lapidea facit carnea. Exterior aũt dicitur, qui delicijs huius mũdi, opibus, honoribus, formis, alijsq; id genus rebus capit. Nã hęc omnia sunt externa. Ita iam Apostolus probauit primam partem, quam proposuerat, Se velle rectè agere, & condelectari Legi Dei, secundũ interiorem hominem. Nunc se conuertit ad alteram: vt doceat, se inuitum rapi ad alia.

Totus homo dicitur interior & exterior diuersa ratione.

Sentio aliam Legem in membris meis reluctãtem Legi mentis meæ, & captiuũ me abducentem in Legem peccati, quæ est in membris meis. Lex ista, quam describit, est vis peccati, & innatę prauitatis. Legem membrorum vocat: quoniam superius totum hoc malum corpus peccati appellauit: corpus autẽ habet membra. Deinde membra hoc loco, vt supra monui, significant omnes vires animi, omnesq; corporis partes peccato iam cõtaminatas. Apostolus voluit indicare, morbũ hũc ex ipsa natiuitate contractum non tantùm in vna aliqua nostri parte consistere, sed per totũ hominẽ, omnesq; eius partes peruasisse. Hîc habemus varia legũ nomina. Dicitur enim lex Dei, Lex mentis, Lex peccati, Lex membrorũ. Id autẽ idcirco fit, quia Lex latè accipitur pro omni eo, quod regit & moderatur nostras actiones. Quoniã verò actiones nostræ nõ sunt omnes ab vno principio, ex eo factum est, vt diuersa essent Legũ nomina. Quanquam eadẽ est Lex mentis, & Dei. Vocatur Lex Dei, quia per eam Dei voluntas explicatur.

Varia legum nomina.

Quid sit lex latè accepta.

Mentis

Mentis autem Lex appellatur, quòd intus potissimũ regnet, & mente maximè cognoscatur. Eadem etiam est Lex peccati, & membrorum. Peccati Lex dicitur, quia eiusmodi cõcupiscẽtia ipsa per se peccatum est, & alia ex se peccata parturit: membrorum autem, quòd omnes nostras partes, vires, & facultates habet pro instrumentis. Prudenter verò monuit Chrysostomus, non ob aliquam dignitatẽ peccati fieri, vt ornetur nomine Legis: Id enim fieri nostro vitio, quòd peccato, tanquam Legi obtemperemus. Nam ita Christus Mammonã appellauit Dominum, & Paulus ventrem vocauit Deum.

Cur peccatũ nomine legis ornetur.

Rebellantem. ἀντιστρατευόμενον. Est magnus conflictus inter has duas Leges. Nam Lex, quę est in membris meis, nititur me captiuum abducere, & subiugare Legi peccati. At si eadẽ est Lex peccati, & membrorũ, quomodo dicitur vna ducere hominẽ captiuũ ad alteram? Hoc nõ sine magna ratione dicitur. Dum enim innata cupiditas, quæ peccatũ est, repugnat Legi Dei, qua Lege cognitio mentis instituitur, nos ad multas peccatorum species impellit. Vulgò appellant peccata actualia, ad quę fomes, & ingenium corruptũ inclinant. At hęc subdit nos Legi peccati, hoc est, morti. Ea enim sequitur peccatũ, vt suprà audiuimus, ceu fructus, & stipendium. Quamuis autem in membris Lex ea locata sit, nemo tamen idcirco suspicari debet, naturam corporis, aut carnis malam esse. Transit quidem peccatum per carnem: at ex eo non sequitur, constitutionem carnis malam, & damnatã esse. Si quis in aureo poculo misceret venenum, potio quidem ea venenata, & mala esset: aurum tamẽ nihilo minus esset aurum, & dignitatem suam retineret. Hoc loco Chrysostomus disputat contra Manichæos. Illi enim & Legem Dei, & carnem nostram dicebãt malam esse, quòd vtraque à malo quodã Deo profecta esset. Hîc Chrysostomus, Si caro mala est, vti dicitis, necesse est, fateamini, Legem esse bonam, vt quæ aduersatur carni. Rursus, Si Lex mala est, necesse est carnem esse bonam, quoniam pugnat aduersus Legẽ. Quocunq; ergo vos vertatis, inquit, tenemini: quod in dogmatis Ecclesię non accidit. Nam illa statuit, & Legem Dei, & naturam carnis bonam esse: peccatum autem solum esse malum.

Concupiscẽtia innata impellit nos ad actualia peccata.

Carnis cõstitutio non est mala.

Argumentũ contra Manichæos.

Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Cùm in conflictu duarum Legum se propemodum oppressum sentiat, exclamat, se esse miserum: quod non faceret, nisi se in magno, & graui malo videret esse constitutum. Nihil autem potest miseria, & morte esse grauius. Eadem duo Paulus coniungit, & ad ea se inuitum rapi conqueritur. Per corpus mortis vitiatã & corruptam naturam intelligit: totum, inquam, hominem, vt à parentibus in lucẽ editur. Ab hoc se cupit corpore liberari. Ad Philippenses ait, Mortem, si contingat, fore sibi magno lucro: non quòd vitam cuperet exuere, sed quòd meliorem optaret induere. Atq; hęc quidem expositio magis est consentanea verbis Apostoli, quàm, quod Ambrosius ait, per corpus peccati intelligenda esse vniuersa peccata. Est autem hęc exclamatio nec impij hominis, nec securi: sed ad Christum cõuersi, & luctantis, ac detestantis peccatum, quod in se adhuc vigere sentiat. Hoc nobis proponitur exemplũ veræ pœnitentiæ, qua hominis Christiani vita nũquam vacare debet. Non optat Paulus mortem hoc loco: sed vt à prauitate, & corruptione liberetur. Et vtitur interrogatione, vt significet, se non posse liberari aut per Legem, aut bonam conscientiam, aut per splendorem bonorum operum: sed ab vno tantùm Christo sperandam esse libertatem.

Id quod miserum facit est peccatũ

Exclamatio hæc pij hominis est.

Exemplum ueræ pœnitentiæ.

Non optat mortem sed libertatẽ à peccato.

Gratias ago Deo per Iesum Christum dominum nostrum. Alia etiam vtitur exclamatione, quòd sentiat, id sibi per fidem, & gratiam concedi, quod aliunde nancisci nõ potuisset. Contrarij sunt isti affectus, & sibi mutuò in sanctorum animis succedentes: vt primùm vehementer doleãt de sua miseria: deinde sibi vehementer gratulentur de parta per Christũ redemptione. Tam vehementes autem sunt isti motus, vt Paulus per ἀποσιώπησιν orationem reliquerit cõcisam, & inchoatam. Reticetur enim, quod sententiam absolueret. Neque enim Paulus aut priori interrogationi respondet, aut hîc, qua de re gratias agat, exponit. Quòd si quis rectè duos istos affectus expendat, inueniet, eos inter se iustissimo ordine collocari. Nam prima exclamatione oppressus à peccato implorat auxilium. Altera verò, cùm se iam auditum, adiutum & liberatum sentiat, agit gratias: idq; per Iesum Christum dominum nostrum: non per Mariam, aut per Iohannem Baptistam, aut per opera sua, aut per aliud quippiam eius generis: sed per illum solum, qui solus, & vnus est Dei hominumq; mediator.

Cõtrarij affectus piorum sibi succedentes.

Ordo iustus istorum affectuum.

Vnus est redemptor et mediator

Ita q; ipse idem mente quidem seruio Legi Dei: carne autem Legi peccati. Concludit Paulus his verbis id, quod ab initio proposuerat, se diuisum esse, & qua quidem in Christo regeneratus est, bona velle, & cupere: qua verò adhuc carnalis est, peccato esse obnoxiũ. Seruire se dicit, quod sub tyrannis fieri solet, non autem assentiri. Statim autem in proximo capite docebit, quem admodum sibi fraudi non sit per Christum, quòd carne seruiat Legi peccati: quòd nihil iam

Paulus fatetur se diuisum.

Hoc loco libertini sunt cauendi.

damnationis sit his, qui sint in Christo Iesu. Cæterùm hîc cauendi sunt Libertini pestes, & furiæ nostrorum temporum: qui his verbis Apostoli grauissima scelera sua volunt excusare. Aiunt enim se carne tantùm scortari, inebriari, impurè viuere: mente autem, ac spiritu puros esse, & seruire Legi Dei. Qua de re pulcherrimè scribit Augustinus sermone 45. de Tempore. Militia, inquit, est vita hominis: sed quandoque dabitur, vt ad triumphum pertingamus. Vnde sancta scriptura tum pugnantium, tum triumphantium voces exprimit. Belli descriptio hîc habetur, vbi Legis rebellantis, & captiuum abducentis mentionem audis fieri: & qui captiuus trahitur inuitus, auxilium implorat. Triumphi lætitia proponitur nobis ad Corinthios, vbi dicitur, Absorpta est mors in victoria: vbi est mors victoria tua? Vbi est mors stimulus tuus? Hæc planè sunt insultantium verba, qui parta victoria triumphent. Quare non est, quod hæc verba sibi ascribant, qui non pugnant, non resistunt, non luctantur: sed in omnia flagitia ruunt præcipites, iactantes, se interim mundum habere cor. Accedit ad hanc pugnam concupiscentia, & aliquid à te vult extorquere. Tuum autem est, non dare, sed illi resistere, pugna, & persta in certamine: optarim cum Paulo, vt hoste careas. Quia in hac dimicatione, licet non omnino te dedas, tamen semper velis, nolis, læderis. Longè esset melius id præstare, quod Lex iubet, Non concupisces, vt nullum in nobis esset malum desiderium. Sed hæc est plena iustitia: quæ cùm hîc perfecta haberi non possit, id tantùm superest, vt post concupiscentias ne eamus. Illæ nolunt sequi te iusta, & sana cupientem: cur ergo tu post eas ire consentias? Indignum est, cùm sint hostes. Nemo enim sapiens hostem suum sequitur. Cùm Paulus dicat, Mente seruio Legi Dei, carne autem Legi peccati, cogitabimus ne, aut illum, aut similes eius ob quamuis leuem incitationem ad iram voluisse lædere, aut occidere proximum suum? aut ob quemuis impulsum carnis adulterium, aut stuprum committere? Minimè. Sed pugnabat, luctabatur, non sinebat, peccatum in suo mortali corpore obtinere, & regnare. Voluit autem Paulus ita de se scribere, vt pij ex hoc loco non nihil acciperent consolationis. Alioqui enim, cùm se aliquando huiusmodi desiderijs moueri, & titillari sentirent, possent existimare, se Deo ingratos, & odiosos esse, & ad Christū non pertinere. Verùm cùm videāt, Paulum & de se ipso, & de alijs hominibus pijs, & regeneratis ista scribere, incipiunt animos colligere, & de sua salute bene sperare. Quare qui putant Paulum hoc loco alienam personam in se transtulisse, videant quanta consolatione priuent Ecclesiā Christi. Sic ergo accipiantur hæc verba, vt & consolationem luctantibus afferant, & Libertinorum insanas opiniones nihil iuuent.

Hæc sunt uerba luctantiū nō otiosorum iacētiū in peccatis.

In hac pugna non nihil semper lædimur.

Cur Paulus ista de se scripserat.

Cùm Apostolus multa in hoc capite dixerit de nostrarum virium infirmitate, deq; ea seruitute, qua peccato sumus obstricti, operæpretium erit hoc loco de Arbitrij nostri libertate paucis disputare: vt postea doceamus, quemadmodum prouidentia, & prædestinatio Dei voluntatem hominibus non adimant: quemadmodū nec potentia eius, qua facit, quæcunq; vult, nec ordo dispositus, & connexus inter causas rerum. De quibus, vti spero, in nono, & vndecimo capite fusius disseremus. In præsentia ergo tantum quęremus, quantum insita prauitas ex originali culpa reliquū nobis fecerit liberę voluntatis: præsertim, cùm quicquid rectè agimus, id omne Gratiæ Dei dicatur esse tribuendum. Quamuis autem vox Liberi arbitrij non legatur in sacris literis, res tamē ipsa nec ficta videri debet, nec commentitia. Gręci appellant Αὐτεξούσιον, quod est suę potestatis, aut sui iuris. Quod idem Latini significant, cùm dicunt Arbitrij libertatem. Liberum enim est, quod non alienam voluntatem sequitur, sed suam. Arbitrium verò videtur in eo esse situm, vt, prout placuerit, ea, quę à ratione decreta sunt, sequamur. Tum verò voluntas est libera, cùm, prout libuerit, amplectitur ea, quæ à parte animi cognoscente approbantur. Quare Liberi Arbitrij natura, quamuis in voluntate maximè reluceat, tamen in ratione radices habet. Eos verò, qui hac facultate rectè vti volunt, in primis videre oportet, ne quis in ratione contingat error. Is autem duplex esse solet. Aut enim latet nos, quid nam sit iustum, & iniustum in rebus agendis: aut si id videmus, tamen in iudicandis rationibus, quæ pro vtraque parte afferri solent, deficimus. Semper enim ferè cupiditas nostra ad imbecillius argumentum se adiungit. Vnde sæpè fit, vt ratio firmior, & melior neglecta deseratur: quod in disputationibus non numquam videmus usu venire. Nam qui partem infirmiorem tueri volunt, eam solent omnibus ornamentis & coloribus expolire, vt auditores elegantia & fuco illecti, robur ipsum, & firmamentum rationis ne expendant. Præterea sciendum est, non quibuslibet de rebus solere deliberari: sed tantùm de illis, quæ πρακτικὰ, hoc est, à nobis faciendæ vocantur. Neque verò omnia, quæ aut persequimur, aut repudiamus deliberatione egent. Sunt

De libero arbitrio.

Contrahitur quæstio ad impedimētum ex originali peccato.

Vox liberi arbitrij nō legitur in sacris literis.

Quid sit liberū. Arbitrium quid.

Quando uolūtas sit libera.

Liberum arbitrium in uoluntate situm radices habet in ratione.

In ratione duplex error.

Cupiditas imbecilliora sequitur argumenta.

Non deliberatur nisi de rebus faciendis.

Sunt enim quædam bona tam manifesta, & certa, vt ea satis sit proponi. Statim enim aut eliguntur, aut respuuntur. Qualia sunt fœlicitas, infœlicitas, vita, mors, & si quid aliud est huius generis. Alia verò sunt obscuriora, siue media, de quibus solent homines deliberare. Deum colendum esse, omnes sine dubitatione confitentur. Qua verò ratione, quibusq; ritibus colendus sit, plurimùm ambigitur. Vtile esse homines in ciuitates coire, & societatem inter se colere, omnes sciunt. At quibus legibus regendi sint, aut quo genere Reipublicæ vti oporteat, ibi vehementer sæpe dubitatur. In his & similibus rebus versatur liberũ arbitrium. Illud autem ita definio: Est facultas, qua vel suscipimus, vel repudiamus, prout libuerit, ea quæ à ratione decreta fuerint. An autem in hominibus sit huiusmodi facultas, aut quomodo in eis sit, non potest vna responsione definiri. Primùm distinguere necesse est statum, & cõditionem hominis. In homine verò quatuor minimùm inueniuntur differentiæ. Alius enim longè fuit status Adami, quum ab initio crearetur, alius postquam lapsus esset: cuiusmodi etiam iam status est eius vniuersæ posteritatis. Præterea qui regenerati sunt in Christo, longè meliori statu sunt, quàm qui viuunt extra Christum. Felicissimè autem, & liberrimè habituri sumus, vbi hoc mortale corpus exuerimus. Ad propositam ergo quæstionem iuxta has quatuor conditiones respondebimus. Adamum à prima sua creatione liberum fuisse credendum est. Quod antequam exponatur, tria genera operum, quæ in nobis fiunt, distinguenda sunt. Eorum quædam ad naturam pertinẽt, vt ægrotare, valere, nutriri, cibum coquere, & alia huiusmodi: in quibus licet primus homo longè fuerit felicior, quàm nos sumus in præsentia, tamen alicui necessitati subdebatur. Illum enim & comedere, & ali, & cibum sumere oportuit. Ab omnibus tamen calamitatibus, quæ mortem afferre possent, immunis fuit. Alia sunt opera, quæ ciuili, seu morali ratione, vel iusta, vel iniusta sunt. Tertium genus est operũ illorum, quæ Deo placent, & grata sunt. Quod ad hæc omnia attinet, homo à principio factus est liber. Erat enim creatus ad imaginem Dei, cui nihil magis conuenit, quàm vera, & solida libertas. Et de illo ita scribitur, Deus gloria, & honore coronauit eum: Et, Quum esset in honore non intellexit. Quis autem honor esse potest, vbi desit libertas? Postremò subiecit illi Deus omnia, quæ creauerat: quibus certè ille verè, ac recta ratione dominari non potuisset, si ipse creatus fuisset affectuum & cupiditatũ seruus. De illo tamen statu, quis fuerit, quum scriptura nos deficiat, nihil certò definiri potest. Augustinus in lib. de Correptione & Gratia, Auxiliũ, inquit, gratiæ Dei collatũ fuit Adamo. Tale autem fuit adiutorium, quod & deserere posset, cùm vellet: & in quo permanere posset, si vellet: non quò fieret, vt vellet. Quodq; ad hoc attinet, Augustinus audet, Gratiam, qua nos nunc potimur per Christũ, præferre illi Gratiæ, quam Adamus habuit in Paradiso. Nunc enim gratia Christi non solùm manemus, si velimus, sed etiam, vt Paulus ait, per illam habemus & velle, & perficere. Mutatur siquidem cor credentium, vt ex nolentib. fiant volentes. Istud autem, Vt vellet, in ipso arbitrio primi hominis situm fuit: neque id in eo Gratia Dei efficiebat. Cur autem Deus Adamo, cùm primùm crearetur, liberum arbitrium contulerit, Augustinus adfert hanc rationẽ in 2. lib. de Libero Arbitrio, quòd Deus statuisset erga eum & bonitatẽ, & iustitiam suam declarare. Ostensurus autem fuit erga eum bonitatẽ suam, si rectè fecisset: quod certè, nisi fuisset liber præstare non potuisset. Sin autẽ ille se turpiter, & malè gessisset, Deus vsurus erat erga illum seueritate iustitiæ. Verùm ille cùm esset liber, miserè lapsus est. Et, quemadmodũ Christus describit hominem descendentẽ à Ierusalem in Hiericho, incidisse in latrones, & ab illis malè fuisse mulctatum, ita ille non solùm ablata veste, & amissis omnibus ornamentis, sed etiam multis acceptis vulneribus semiuiuus, & desperatus relictus est. Quare dicimus, quod ad hunc secundum statum attinet, quum à Christo simus alieni, parum nobis supereſse libertatis. Nam & necessitatibus naturæ subijcimur, & morbis velimus nolimus affligimur: & postremò morte conficimur. Est tamen aliqua libertas, quod ad opera, ciuilia, & moralia attinet. Ea enim & subiecta sunt naturali nostræ notitiæ, & vires nostræ voluntatis non superant: quanuis etiam in illis homines magnam experiantur difficultatem: quia insanæ cupiditates morali rectitudini aduersantur. Illecebræ, ac voluptates semper pulsant sensus nostros: huc accedunt mali suasores: Satan etiam assiduè vrget, & impellit. Is enim humanis commodis inuidens, sentiénsque huiusmodi operibus ciuilem disciplinam retineri, ea omnibus modis cupit peruertere. Quanquam in istis rebus ciuilibus multum posse humanas vires, saltem quoad iudicium, indicant multæ bonæ Leges à Lycurgo, Solone, Numa, & ab alijs promulgatæ. Et Paulus ad Romanos, An existimas, inquit, ô homo, te fugiturum esse iudicium Dei, cùm eadem facias, quæ iudicas?

Non de omnibus faciendis deliberamus.

In quib. rebus uersetur arbitrium.

Definitio liberi arbitrij.

Quatuor differentes status.

Adamus fuit liber in primo suo statu.

Tria genera operum.

Gratia, quã habemus, gratiæ Adami præfertur.

Cur Deus in creatione liberũ arbitriũ cõtulerit.

Non regeneratis parum supereſt libertatis.

Quã libertatẽ habeant non regenerati.

Deus utitur hominum uoluntate ad suos fines.

Euenta gubernantur arbitrio Dei, non nostro.

Deus est autor consiliorum, & dat successũ rebus ad arbitriũ.

Pij semper statuunt ex conditione, Si Deus uoluerit.

In his operibus, quæ Deo accepta sunt, nulla est alienorum à Christo libertas.

Post peccatũ natura quidem relicta est, sed mutila et uulnerata

Ratio cur homo non possit non peccare.

De uiribus nostris maximè figulo nostro credendum est.

Absq; gratia seruimus.

Ad Christũ nemo potest accedere, nisi trahatur.

præterea duo in his sunt, quæ non oportet prætermittere. Primum, Deum abuti hominum uoluntate ad eos fines, quos ipse constituerit: Alterum, quod ex priori pendet, non sequi illos euentus, quos illi sibi proposuerũt, qui ciuilibus istis operibus incumbunt. Sæpè enim longè alia accidunt, quàm illi unquam cogitare potuerunt. Atq; hinc Ethnici homines sæpè uehementer turbari solent. Pompeius, Cato, Cicero visi sunt sibi pulcherrima consilia instituisse. Verùm cùm ea pessum iuissent, nihil authoribus relinquebatur, nisi desperatio. Illi enim excluſi suis consilijs omnia fortunæ, & casui tribuebant. Successum autem rerum, & euentum consiliorum in manu esse Dei, declarat Hieremias, Non est, inquiens, hominis uia eius: nec uiri, ut dirigat gressus suos. Quem locum Hebræi exponunt de Nabucadnezar: quem aiunt egressum domo, non ut aduersus Iudæos, sed ut aduersus Ammonitas bellum gereret, ut habetur cap. 21. Ezechielis. Eum uerò, cùm uenisset in biuium, cœpisse deliberare, & exta, & teraphin, & sortes ex fulgore gladij consuluisse, atq; ita admonitum in Iudæam inuasisse, & relictis Ammonitis Hierosolymam obsedisse. Duo ista pios homines nõ latent, Deum & authorem esse consiliorum, & rebus, quem ipse uoluerit, successum dare. Ideoq; nihil apud se statuunt, nisi adiecta conditione, Si Deus uoluerit: quod Iacobus faciendum esse monet. Et Paulus in epistola ad Romanos, ait, se cupere prosperum iter habere ad illos: sed per uoluntatem Dei. Quare, si res contrà quàm sperarint, acciderint, consolantur seſe, quòd sciant, Deum optimum patrem melius & ipsius regno, & suæ saluti consulere, quàm ipsi consulere potuissent. Semperq; habent in ore quod cecinit Dauid, nisi Dominus ædificauerit domum, in uanum laborauerũt, qui ædificant eam. Id ergo illis curæ est, ut consilia sua accommodent ad uerbum Dei. Euentum autem committunt Deo: atq; ita in omnem partem securè agunt. Illis uerò in operibus, quæ Deo accepta, & grata sint, homines à Deo alieni nullam habent libertatem. Hinc illud est, quod Augustinus ait in Enchiridio, Hominem male utentem libero Arbitrio, perdidisse & se, & liberum Arbitrium. Cũ enim in certamine peccatum uicisset, hominem redegit in seruitutem. Sic esse quosdam, qui hanc sententiam Augustini ita interpretentur, Adamum perdidisse liberum Arbitriũ, quod attinet ad gratiam, & gloriam, quibus fuerat ornatus: non autem quod attinet ad naturam. Equidem hîc non multùm pugnabo, ut negem rationem, & uoluntatem, quæ ad naturam pertinent, homini post lapsum relicta esse. Sed eandem naturam mutilam & uulnera tam esse, ne ipsi quidem negare possunt. Nam id etiam Magister Sentent. lib. 2. distinct. 25. affirmat. Ait enim, hominem iam post lapsum eo esse loco ut possit peccare: idemq; non possit non peccare. Et quamuis Augustinus, & alij idnon assererent, tamen id ratio firmissima docere posset. Pendent enim sanctæ actiones à duplici capite, cognitionis, & appetitus. De notitia paulus ait, Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei: imò ne potest quidem. Stultitia enim illi sunt. Iam uerò, si non cognoscimus, quid sit faciendum, quidq; Deo placeat, quonàm pacto possumus id opere præstare? Ad hæc quomodò se ad illa habeat appetitus, & cogitatio, apparet ex 6. ca. Geneseos. Non rixabitur, inquit Deus, Spiritus meus in homine in æternum: quia Caro est. Et mox: Vidit Deus, quòd multa esset hominum malitia: & omne figmentum cogitationum cordis eius tantùm ad malum omnibus diebus. Et octauo capite: Figmentum humani cordis malum est ab ipsa infantia. Atq; hæc Deus ipse loquitur. Nulli autem magis credendum est de uiribus nostris, quàm figulo nostro, cùm de opere suo testimonium ferat. Apud Hieremiam cap. 18. populus ait, post cogitationes nostras ibimus. Quem locum Hieronymus exponens ita scribit, Vbi ergo est absq; gratia Dei potestas liberi Arbitrij? & propriæ iudicium uoluntatis? Cùm grandis offensa Dei sit, sequi suas cogitationes, & prauí cordis facere uoluntatẽ? Seruituti nos esse obnoxios, Christus apud Iohannem docet, Qui facit peccatum, inquiẽs, seruus est peccati. Quare cùm nos multa peccemus, & ab utero matris peccatum inhærens habeamus, seruos nos esse, necesse est fateamur. Tum autem uerè liberi erimus, si filius nos liberauerit. Alioqui seruitutem acerbissimam seruimus. Vnde Paulus dixit, se uenundatũ esse sub peccato: & ita uenundatum, ut in sua carne fateretur, nihil boni habitare: & se facere quæ nollet, quæq; odio haberet: & aliam legem sentire in membris, repugnantem legi mentis suæ, & captiuum se abducentem legi peccati. Et ad Galatas ait, carnem pugnare aduersus spiritum, & Spiritum aduersus carnem, ut non faciamus, quæ uelimus. Quæ si uera sunt de tanto Apostolo, & de hominibus sanctis per Christum regeneratis, quid sentiendum est de impijs, qui ad Christum non pertineant? Accedere autem ad illum non possunt, nisi trahantur. Christus enim ait, Nemo potest ad me uenire, nisi pater meus traxerit illum. Qui anteà sua sponte uolebat ire, non trahitur, ut ait Augustinus, sed ducitur. Si ergo ad Christum trahendi

hendi sumus, antea nolumus: quod grauissimum peccatum est. Atq; idcirco nolumus, quia prudentia carnis inimicitia est aduersus Deum. Legi enim Dei nõ est subiecta, imò nec potest quidem. Quotquot autem per Christum asserti non sunt in libertatẽ, sub Lege agunt: & vt Paulus addit ad Galatas, sub maledicto: quod verum non esset, si possent obedire Legi Dei. In maledictionem enim non incurrunt, nisi qui Legem transgrediuntur. Adhæc Paulus diserte ait, Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Illius enim opus est nostra salus, non virium nostrarũ. Ipse enim est, qui operatur in nobis & velle, & perficere. Antequã id præstet, si quid nobiscum agat aut Lege, aut doctrina Verbi, cum lapidib. agit. Corda enim nostra saxea sunt, nisi ea Christus transmutet in carnea. Quod se facturũ pollicetur, apud Ezechielem, & effecturum, vt in præceptis eius ambulemus. Et certè, si possemus absque gratia iustè, ac rectè viuere, possemus etiam ex operibus nostris iustificari: quæ sententia & à Paulo, & ab omnibus scripturis prorsus damnatur. Hieremias ait, Conuerte me Domine, & conuertar. Et Dauid ait, Cor mundum crea in me Deus. Quod in omnibus non fieri, intelligimus ex 29. cap. Deuter. vbi ita scribitur: Non dedit vobis Dominus oculos ad videndum, nec aurem ad audiendum, nec cor ad intelligendum. Et in capite 30. Deus promittit se circũcisurum corda illorum, & corda seminis illorum, vt ambulent in præceptis suis. Ille enim & inchoat, & perficit salutẽ nostram. Nam sic Paulus ait ad Philippenses: Spero, quòd qui incepit in vobis, perficiet vsque in diem Christi. Hoc sancti viri probè intelligentes, precantur cum Dauide: Inclina cor meum in testimonia tua: & cum Solomone: Inclinet Dominus corda nostra, vt ambulemus in vijs eius: & cum Paulo ad Thessalonicenses, Dirigat Deus corda vestra in patientia, & expectatione Christi. Et Solomon in prouerbijs ait, Cor Regis in manu Dei est: quocunque voluerit inclinabit illud. Hæc testimonia satis docẽt, Dei opus esse, non nostrum, vt ad illum conuertamur, & rectè faciamus. Hîc quidam nobis obijciunt præcepta, quæ occurrunt in sacris literis, nam significare videntur in nobis ipsis situm esse, vt ea, quæ præcepta sunt, obseruemus. Nam Esaias ait, Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. Et Dominus sæpe iubet, vt ad se conuertamur. Conuertimini, inquit, ad me. Nolo mortẽ peccatoris: malo potius, vt conuertatur, & viuat. Quumque Legem promulgasset, dixit, se vitam, & mortem, benedictionem, & maledictionem proposuisse. Et alia similia infinita adferri possent. Verùm hîc animaduertere debemus, præcipi ista quidem hominibus, sed nusquam doceri, ea propijs cuiusquam viribus præstari posse. Neque par est, vt ex præceptis diuinæ Legis nostrarum virium magnitudinem colligamus: quasi tantùm à nobis nostra sponte possit effici, quantum Lex diuina præceperit. Imò hinc potius metienda est nostra infirmitas: vt quum videamus excellentiam, & dignitatem mandatorum Dei, vires nostras infinito interuallo superare, cogitemus, alium quendam finem esse Legis, quàm vt à nobis perficiatur. Illum finem Paulus ostendit esse multiplicem. Per Legem, inquit, cognitio peccati: quam idcirco latam esse ait, vt numerus transgressionum augeretur. Hoc enim pacto Lex efficitur pædagogus, vt homines adducat ad Christum: vt, quum se pondere præceptorum, & peccatorum magnitudine oppressos videant, salutem suam intelligant tantùm in Dei misericordia, & Christi redemptione sitam esse. Animaduersa enim imbecillitate, & indignitate nostra, statim incipimus orare Deum, vt & peccata nostra per Christum ignoscat, vt opem sui spiritus suppeditet, vt volũtati suæ studere studeamus. Da quod iubes, inquit Augustinus, & iube quod vis. Adhæc alius vsus Legis est, vt videamus, quò sit contendendum. Potest etiam fieri, vt si per Dei gratiam accesserit inchoata obedientia, homines Legi se accommodent. Postremò, si in hac vita nõ datur, vt Legi possimus ad amussim satisfacere, id tamen in altera vita, cùm omnẽ hanc corruptionẽ abiecerimus, plenè obtinebimus. Neque tamen propterea Deus accusari debet iniustitiæ. Non enim eius culpa factum est, vt eius mãdata obseruari non possint. Nec quisquã nostrûm potest excusari: quia volentes, & cupidi Legem nobis positam violamus. Lex lata est, quæ naturę nostræ, vt instituta primùm fuit, quàmoptimè cõueniret. Non enim aliter potuisset imago Dei luculentius, & efficacius exprimi. Quòd si propter peccatum Legem absoluere non possimus, hoc saltem videmus, quales nos esse oporteat. Sententia autem illa, quæ iactari solet, nihil habendum esse pro peccato, quod ab electione non pendeat, intelligi debet, vt Augustinus interpretatur, de eo peccati genere, quod non sit pœna peccati. Alioqui enim culpa originis, neque voluntaria est, neque electione suscipitur. Sed dices: Quum ita se res habeat, videbimur necessariò hærere in peccato. Id equidem non negauerim. Quanquam eiusmodi est hæc necessitas, quæ coactionem adiunctam non habeat. Deus necessariò bo-

Loca probantia nos ante regenerationẽ non esse liberos.

Dei opus est, nõ nostrum, vt ad ipsum cõuertamur

Dantur quidem præcepta, sed nõ docetur, situ in uiribus humanis ea præstari posse.

Lege Dei metiẽda est nostra infirmitas, non uires.

Cur Deus iniustitiæ non sit accusandus.

Necessitas peccandi est absque coactione.

nus est, nec potest vllo pacto peccare: non tamen violenter cogitur esse bonus: quod Augustinus de Ciuitate Dei, lib. 22. cap. 30. pulchrè declarat. Deus ipse, inquit, nunquid quoniam peccare non potest, ideo negandus est habere liberum arbitrium? Ambrosius libro 2. de Fide ad Gratianum Imper. cap. 3. illum testatur liberum, cùm Omnia, inquit, operatur vnus, atq; idem spiritus, diuidens omnib. prout vult, pro libere voluntatis arbitrio, non pro necessitatis obsequio.. In istis horum patrum sententijs ita accipitur Liberum Arbitrium, vt violentiæ, & coactioni opponitur: non quòd æquè procliuè sit ad vtranque partem. Vnde Hieronymus in Homelia De filio Prodigo, quam scripsit ad Damasum, quoniam Liberum Arbitrium aliter accepit, idcirco aliter scripsit. Solus, enim, inquit, Deus est, in quem peccatum non cadit, neque cadere potest. Cætera, cùm sint Liberi arbitrij, in vtranq; partem flecti possunt. Spiritibus etiam beatis, & angelis, quum iam eorum felicitas confirmata sit, id conuenit, vt peccare non possint. Itaque Augustinus De Ciuitate Dei lib. 22. cap. 30. Sicut prima immortalitas, inquit, fuit, quā Adam peccato perdidit, posse non mori, ita primum liberum arbitrium fuit, posse non peccare: nouissimum autem, non posse peccare. Illis nihilominus quoddam genus libertatis conceditur, non quo possint flecti in vtranque partem, sed quo, quanuis agant necessariò, non tamen cogantur, aut violenter agitentur.

Similitudo. Cur beati nõ possint peccare.

Quemadmodū enim quędāvera ita sunt perspicua, vt illis mens non possit non assentiri, ita Dei præsentia iam reuelata, & facta conspicua, tantum est bonum, vt sancti ab eo deficere non possint. Ita etiam quanuis necessariò peccemus, antequā in Christo regeneremur, non tamen idcirco voluntatis iura violantur. Quicquid enim facimus, & volentes, & spe aliqua inducti facimus. Nec tamen propterea censendi sumus, nihil differre à brutis. Nam illa, et-

Non regenerati differunt à brutis.

si iudicio aliquo mouentur, non tamen libero. In hominibus verò, quanuis nondum renatis, multum, vt diximus, libertatis supereſt, quod ad opera ciuila, & moralia attinet. Deinde inter ipsa peccata, in quibus versantur necessariò, delectum habēt, vt aliud eligant, aliud repudient: quanuis ad ea, quæ Deo placent, aspirare non possint. Hæc animalibus brutis non conueniunt. Ea enim vi potius naturę aguntur, quàm vt possint aliquid cum vlla libertate facere. Possunt homines dici liberi, vel quod attinet ad coactionem, vel quod ad peccatū, vel quod ad miseriam. Prima libertas à coactione datur omnibus. Peccato verò, & miseriæ omnes omnino subiecti sunt, qui ad Christum nondum peruenerunt. Quemadmodum autem homines regenerati vel peccato, vel miseriæ subiecti sint, dum hîc viuunt, dicemus posteà. Interim certum esse debet, hac necessitate, quam ponimus, voluntatem non cogi ad peccandum. Sed quò omnem hanc rem planius doceamus, antè bene cõstitutum oportet, quid illæ sibi voces velint, Liberum, Violentum, Spontaneū. Liberum dicimus, quod duobus, pluribusue propositis, prout libuerit, eligere possit, quod velit. Et idcirco voluntatē hominum non renatorum negamus, in vniuersum esse liberam. Ea enim, quæ ad salutem pertinent, eligere non potest. Violentum est, quod ita mouetur ab externo principio, vt ipsum se ad illum motum nihil iuuet, sed potius reluctetur. Vt quum lapis iacitur in sublime. Spontaneum dicitur, quod habet internum principium, fauens illi motioni, qua impellitur. Ex his apparet, Spontaneum, & necessarium non opponi. Possunt enim coniungi: vt apparet in voluntate nostra, quæ felicitatem amplectitur necessariò: non tamen eam inuita, aut coacta, sed vltro, ac libenter amplectitur. Nec potest fieri, vt voluntas vnquam cogatur, vt velit, quod nolit. Imò Augustinus putat, adeò absurdum esse, velle, quod nolis, acsi dicas rem aliquam posse esse calidam absq; calore. Necessitas tamē illa, qua impij dicuntur peccare, non est absoluta & perfecta, vt non possit aliter se habere. Accedente enim spiritu, & gratia Christi, ea necessitas statim soluitur. Itaque Augustinus ait, naturæ esse, posse habere fidem, spem, & charitatem: ea verò habere, omnino esse gratiæ. Ea enim potentia, aut habilitas non erumpit in actum, nisi gratia diuinitus conferatur. In eo Augustino cum Pelagio conueniebat, posse esse naturæ. Sed hoc Augustinus addebat, quod Pelagius non probabat, bene velle, & rectè viuere vni tribuendum esse gratiæ. Ego verò hanc potentiam naturæ distinguendam puto. Nam si hoc sentiant, naturam nostram ita esse factam à Deo, vt nec fides, nec spes, nec charitas cum ea pugnent, si ea à Deo concedātur, sed potius eam absoluant, perficiant, & ornent, verum esse fateor, quod dicunt. At si velint naturæ potentiam significare aliquam eius vim, qua possit ista sibi vendicare, nullo modo assentior. Est enim impia, & damnanda sententia. Dicimus itaque hominis arbitrium respicere & bonum, & malum, ratione tamen diuersa. Malum enim sua sponte amplecti potest: bonum verò non potest, nisi gratia Dei restituatur. Nam diuino quodam afflatu opus esse, ad ea, quæ verè bona sint præstanda, Ethici etiam scriptores à veritate coacti interdum tradide-

Triplex libertas

Quid liberum, uiolentū, & spõtaneum.

Definitio liberi

Non renati non habent libertatem, nisi ualde contractam.

Necessariū & spontaneū non opponuntur.

Voluntas nõ potest cogi.

Necessitas peccandi non est absoluta in impijs.

Augustinus ait, esse naturæ posse habere fidem.

Cõparatur Augustini sententia cum Pelagiana.

Quæ ad fidem potẽtia sit in natura.

Quomodo arbitriū respiciat bonum & malum.

diderunt. Aristoteles enim in 1. Ethic. Si quod, inquit, donum Dei est, felicitatẽ illud esse statuendum est. Felicitatem autem nihil aliud esse definit, quàm actionem optimam à præcipua animi nostri facultate per virtutem præstantissimam profectam. Et Plato quodam loco fatetur, Virtutes hominibus afflatu numinis ingenerari. Scholastici quoque, si qui paulò fuerunt saniores, fassi sunt ad omne opus bonum necessariam esse gratiam Dei, quæ humanis viribus assistat. Posteà tamen, nescio, quo pacto illi obliti sui statuunt, hominem non renatum aliqua bona opera posse facere, quæ Deo placeant, quæque de Congruo, vt loquuntur, Christi gratiam mereantur. Congruum appellant, quod nos æquum, & bonum dicere possimus: quod est, quum rigor, & acerbitas iuris remittitur. Condignum autem vocant, quod ex iure debetur. Verùm non animaduerterunt, qui ista primùm pepererunt, pulchra opera ciuilia, quantumuis specie hominibus videantur bona, tamen coram Deo peccata esse, vt Augustinus certissimis rationibus euincit. Et suprà dictum est, ac modò repetere non grauabor. Prius enim quàm conuertamur ad Deum, natura sumus filij iræ. Et Ioannes ait, Qui non credit in filium Dei, vitam æternam non habet: sed ira Dei manet super eum. Ab hostibus autem, & inimicis, quid Deo offerri potest, quod illi sit gratum? Paulus ad Ephesios ait, nos, antequàm ad Christum veniremus, mortuos fuisse in delictis, & peccatis nostris. At mortui, vt nihil sentiunt, ita nihil efficere possunt, quo ad vitam reuocentur. Paulus ad Philippenses, ea omnia, quæ fecerat, antequàm ad Christum conuerteretur, pro damnis, & stercoribus reputauit: tamen aberat, vt in illis aliquid meriti collocaret. Deus apud Esaiam ca. 1. testatur, se horrere, detestari, & abominari eas oblationes, quas Iudæi sine fide, & pietate offerebant. Idem propheta omnes nostras iustitias confert cum panno menstruato. Et Seruator noster, Ego, inquit, sum vitis, & vos palmites. Quemadmodum palmes ferre non potest fructum, nisi manserit in vite: ita vos fructum ferre non potestis, nisi in me manseritis. Et statim addit: Sine me nihil potestis facere. Et alio loco ait, Arborem malam non posse ferre fructum bonum. Prius enim radicem bonam esse oportere, quàm ab ea perari possit bonus fructus. Arbores autem bonæ esse non possumus, antequã in Christum inseramur. Ista insitio in sacris literis appellatur Regeneratio. Quemadmodum autem nemo quicquam confert ad generationem sui: ita conferre nemo potest quicquam ad regenerationem sui. Paulus etiam in hac eadem epistola ait, Omne id, quod ex fide non fit, peccatum esse. Quum ergo impij fide careant, quicquid agunt, pro peccato haberi debet. Quòd si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. At si lux tua tenebræ fuerit, ipsæ tenebræ quantæ erunt? Nisi adsit fides, versamur in tenebris, & necessariò hæremus in peccatis. Adhæc si sequamur istorum sententiam, prorsus euertimus naturam gratiæ. Ea enim, si sit ex operibus: vt Paulus ait, iam desinit esse gratia. Addit etiam Paulus, Israelitas sectantes legem iustitiæ, ad iustitiam non peruenisse, quòd eam ex operibus sectati fuissent, & non ex fide. Ad Colossenses quoque luculenter docet, quales simus antequàm iustificemur: Alienati, inquit, à Deo, inimici mente, in operibus malis. Et in hac epistola ad Romanos, homines nondum insitos in Christum appellat oleastros. Scimus autem oleastros steriles esse, nec fructum ferre posse. Adhæc opera bona esse non possunt, nisi aut Legi satisfaciant, aut si quid aberrent à Lege, id illis per Christum non imputetur. At homines non renati legi satisfacere non possunt? nam ne regenerati quidem possunt. Christi verò beneficium, quo defectus resarciuntur, quum Christo per fidem coniuncti non sint, assequi non possunt. Et qui docet, hominem absque gratia Dei, posse opera, quæ Deo grata sint, facere, is doceat etiam necesse est, Christum non esse totius hominis redemptorem. Ponit enim in natura nostra non parum salutis absque Christo: qui docet, nos absque Christi gratia posse bene operari, & rectè viuere. Paulus etiam hoc loco, quum essemus, inquit, serui peccati, liberi fuimus iustitiæ. Quod non aliud est, quàm nos nihil prorsus habuisse rationis, aut commertij iustitia. Præterea hortatur, vt quemadmodum seruiuimus peccato, ita nunc seruiamus iustitiæ. Idem autem vult, vt omnino absque vllo peccato seruiamus nunc iustitiæ: quare antea seruiuimus peccato prorsus absq; omni iustitia. Postremò nihil reliquit medij inter peccati seruitutẽ, & iustitiæ. At isti contrà fingunt, nescio quos, qui quanuis nondum iustificati, tamen iusta, & bona faciant, quæ Deo probari possint. Hæc omnia satis docent, quàm absurda, & inepta sit istorum sententia. Interim tamen clamant, nos esse blasphemos, qui vniuersam hominis naturã malam esse prædicemus. Verũ vt Augustinus prudenter scribit: Sub laudibus naturæ latent inimici gratiæ. Considerare illos oportuit, ad quod caput malũ illud referamus, de quo quærimur. Non em̃ id aut naturę cõditę, aut Deo adscribimus,

Aristotelis definitio de felicitate.

Congruum. Condignum.

Ante regenerationẽ haud posse à nobis fieri vllum bonum opus quod placeat Deo.

Sub laudibus naturæ latent inimici gratiæ.

sed peccato, cui per primum hominem aditus patefactus est. Nam à Manichæis omnibus modis dissentimus. Illi enim & naturam malam esse, & eam à malo Deo creatam fuisse somniabant. Nos verò fatemur, & agnoscimus, hominẽ creatum fuisse liberum. Quòd autem eam nunc libertatem amiserit, id non Deo autori assignamus, sed ipsius vitio. Hæretici appellati sunt ab Ecclesia, qui liberum arbitrium negauerunt. Sed hoc intelligendum est de prima naturæ nostræ creatione. Nam alioqui nemo est ex patribus, qui, si verum diligenter excutiatur, hominis calamitatem, in quam per peccatum incidit, non deploret. Aduersarij nostri potius accedunt ad Manichæos, qui nostros corruptos affectus, vt nunc sunt, ita cõtendunt creatos à Deo. Ita enim malum ab eo creatum affirmant. Nos verò, quum videamus turbulentas affectiones non vacare peccato, eas negamus ita creatas fuisse à Deo: sed nostra culpa effrenes, & Verbo Dei aduersarias euasisse. Certum enim est, hominem ab initio ad imaginem Dei fuisse factum. Eam autem nihil magis decet, quàm libertas. Sed illa imago, quum in nobis penè oblíterata fuerit, vt eam iam oporteat restitui per Christum, quid mirum, si libertas quoq; magna ex parte adempta sit? Quum ratiocinantur, hominem esse liberum, perinde faciunt, acsi dicerent, oprtere hominem esse animal bipes, & idcirco posse rectè incedere. At si de homine claudo ita concluderent, facilè appareret, quantùm fallerentur. Proprietates enim hominis, quæ naturæ illius integræ cõuenirent, quum ad eam corruptam accommodantur, non cõueniunt. Neque verò aduersariorum nostrorum decreta longè discedunt à Pelagianis. Illi enim docuerunt, naturam adiutam gratia creationis, & doctrina Legis posse rectè agere: isti verò dicunt, naturam gratia præueniente, & pulsante adiutam posse opera bona facere, quæ Deo placeant. Restitit Pelagianis orthodoxa Ecclesia: neque pugnauit de gratia creationis, aut legis, neque de gratia preueniente: sed docuit absque gratia Christi, qua iustificamur, neminem posse rectè operari. Apud Augustinum autem, qui aduersus istos fortiter dimicauit, nihil discriminis est inter recte agere absque gratia, & rectè agere extra fidem Christi. Is in psalmum 31. vt ostenderet, nullum esse opus bonum absque fide, ita scribit: Bona intentio bonum reddit opus: intentionem fides dirigit. Quare noli attendere, quid aliquis faciat, sed quid spectet, dum facit. Et quum in omnibus sacris literis nulla sit sententia, quæ nostræ doctrinæ aduersetur, tamen perpetuò obijciunt nobis exemplum Cornelij: qui cùm adhuc, vt ipsi putant, nõ esset regeneratus, neque crederet in Christũ, tamen opera fecit, quę placerent Deo. Nos quidem fatemur, & eleemosinas, & preces Cornelij placuisse Deo, id enim Angelus affirmauit: Sed isti de suo adijciunt, Cornelium, quum ista faceret, nondum fuisse iustificatum, neq; in Christum credidisse. At non animaduertunt, scripturam eo loco illum appellare εὐσεβῆ, & φοβούμενον τὸν θεόν. Credebat igitur Cornelius, & in Messiam credebat, institutus doctrina Iudæorum. Sed an Iesus Nazarenus ille Messias fuerit, certò non sciebat. ideoq; Petrus mittitur, qui eum plenius doceat. Sed hîc, vt nobis fucum faciant, aiunt Paulum in 17. capite Actorum tribuere Athenienſibus aliquam pietatem, quum tamen essent idololatræ. Sic enim ait: Viri Athenienses, Deum, quem ignorantes εὐσεβεῖτε, eum ego vobis annuntio. Sed quemadmodum si quis vnum aliquod elementũ bene pingat, non ideo statim dicetur scriba: nec qui vnum, aut alterum carmen cecinerit, erit ea causa dicendus cantor: quia ista epitheta rationem, & artem requirunt: potest autem casu fieri, vt aliquis semel, aut iterum bene pingat, aut bene canat: ita nullus verè, ac simpliciter pius habendus est, qui vnum, aut alterum opus edat, quod speciem aliquã habeat pietatis. Paulus autẽ Athenienses pios non appellauit, nisi adiectis particulis, quæ pietatem imminuerent. Ἀγνοοῦντες, inquit, εὐσεβεῖτε. At quæ pietas coniuncta esse potest cum ignoratione veri Dei? Præterea paulò antè eos appellauerat δεισιδαιμονεστέρους, hoc est, superstitiosiores. His duabus vocibus de pietate illorum multum detrahit. Cornelium verò simpliciter vocat εὐσεβῆ Lucas, & addit, φοβούμενον τὸν θεόν: quæ accessio tanti momenti est. vt in libro Iob, Vir timens Deum à septuaginta interpretibus vertatur Ἀληθινὸς καὶ θεοσεβὴς. Et Dauid ait: Beatus vir, qui timet Dominũ. Quòd si beatus est, qui timet Deum, quomodò non idem etiam est iustificatus? Verùm præter hæc, quæ iustificationem Cornelij quodammodò ex causis demonstrant, accedit testimonium effectorum: quòd eleemosinas faceret, quæ Deo gratæ essent. Multis autem rationibus iam confecimus, neminem posse opera Deo grata facere, nisi qui iustificatus, & renatus sit. Adhæc istas eleemosinas distribuit in gentem Iudæorum, vt à quibus esset in doctrina pietatis institutus, illis vicissim de bonis suis temporarijs aliquid impertiretur. Par enim est, vt Paulus docet ad Galatas, vt is, qui catechizatur, communicet illi, qui se catechizat in omnibus bonis. Adhæc miles ille, qui mittebatur ad Petrum, declarat, illum habuisse

Cur dicantur hæretici, qui negãt liberũ arbitriũ.

Aduersarij non nihil accedũt ad Manichæos.

Simile.

Collatio inter aduersarios nostros & Pelagianos.

Absq; gratia, & extra fidẽ Christi, æquipollent Augustino.

De Cornelio, & eius operibus.

Credebat Cornelius ante baptismum.

Si credebat, quid oportuit eũ doceri.

An Paulus Athenienſibus adhuc idololatris tribuat aliquã pietatem.

Vera pietas non potest esse coniuncta cum ignoratione.

Diuini timoris dignitas quanti sit.

Si beatus est qui timet Deum, est iustificatus.

Testimoniũ iustificationis Cornelij.

buisse bonum testimonium ab omnibus Iudæis. Quæ omnia satis indicant, eum etsi non legatur circuncisus, tamen ita accessisse ad doctrinam populi Dei, vt omnes eius pietatem commendauerint. Scribitur insuper orasse, idq; assidue. Et si historiam omnem diligenter perpendamus, inueniemus illum obseruasse eam horam, quam Iudæi habuerunt precibus communibus destinatam. Ait enim, se hora nona vidisse Angelum astantem sibi, qui significaret, orationem eius fuisse exauditam. At ex primo capite Esaiæ, & 15. prouerbiorum, & alijs locis compluribus docemur, impios, & peccatores à Deo non audiri. Quod tamen intelligendum est, quoad peccatores esse velint, & peccandi voluntatem retineant. Neque cum hac sententia pugnat, quod Augustinus contra Donatistas scribit, Improborum sacerdotum preces à Deo audiri. Idem enim subijcit, id fieri propter populi deuotionem. At Cornelius orans sua ipsius fide, non aliorum astantium iuuabatur. Et Augustinus in epistola ad Sixtum, ait Deum solere in homine iustificando conferre spiritum, quo ea precetur, quæ sint salutaria. Ea quum Cornelius orauerit, dubium esse non potest, quin fuerit iustificatus. His adde, Neminem ritè orare posse Deum, nisi ex fide.

Orauit Cornelius hora, quæ stata erat precibus Iudaicis.

Quomodo Deus peccatores non audiat.

Quare improborum ministrorũ preces audiãtur

Fide autem nos iustificari, satis iam testatum, & notum est. Petrus etiam, antequàm apud illum cœpisset concionari, ait, se in veritate comperisse, Deum non esse acceptorem personarum, sed eum illi acceptum esse, in quacunque gente sit, qui iustitiam faciat. Quæ verba non obscurè docent, Cornelium iam tum acceptum fuisse Deo, antequã Petrus ad eum accederet. Miror verò esse, qui ausint asserere, eum nõ habuisse fidem Christi: cùm Christus ipse in octauo capite Ioannis dicat, eum nõ nouisse Deum, qui non credat in filium Dei: & in 4. ca. moneat discipulos suos: Si creditis in Deum, & in me credite: Et si Mosi crederetis, crederetis etiam mihi. Hæc fidem nobis faciunt, Cornelium in Deum vere credidisse: & idcirco etiam credidisse in Messiam venturum, prout erat à Iudæis institutus, quanuis ignoraret illum iam venisse, & esse Iesum Nazaræum, qui à Iudæis actus fuerat in crucem. Habuit eam fidem, qua patres in Christum venturum crediderunt. Quare cùm illi ea fide iustificati fuerint, quomodò illud idem audemus negare Cornelio? Nathanael, qui credebat in Messiam venturũ, nec eum putabat adhuc venisse, pronuntiat à Christo verè Israelita, in quo dolus non esset: quę duo in hominẽ nondum iustificatũ conuenire non possunt. Ad Cornelium verò Petrus idcirco missus est, vt quod de Christo inuolutè crediderat, explicatius, & apertius cognosceret. Ita sensit Gregorius hom. 19. in Ezechielem. Ait enim fidem esse vestibulum, vt per illam ad bona opera perueniatur: non autem è diuerso ab operibus perueniri ad fidem. Atque ita cõcludit, Cornelium prius credidisse, quàm opera laudabilia edere potuerit. Et citat locum illum ad Hebræos, Impossibile est, sine fide placere Deo. Quæ sententia, vt ex eo loco ipso satis patet, nisi de fide iustificãte intelligi non potest. Beda enarrans decimũ caput Actorum, est in eadem sententia, & citat verba Gregorij. Nec Magist. Sent. in 2. dist. 25. aliter sentit. Sed obijciunt nobis aduersarij Augustinum De prædestinatione sanctorũ, cap. 7. vbi disputat contra eos, qui docebant, fidem ex nobis esse, cùm interim faterentur, opera sequentia esse à Deo, sed tamen per fidem impetrari. Fatetur quidem Augustinus, opera, quæ sequuntur fidem, esse à Deo: fidem verò negat esse ex nobis ipsis. Ait enim Paulum scribere ad Ephesios: Gratia seruati estis per fidem, & hoc non ex vobis: donum enim Dei est. Sed durum est illud, quod subijcit: Cornelij orationes, & eleemosinas Deo fuisse acceptas, priusquàm in Christum crederet. Sed expendere oportet ea, quæ sequuntur: Addit enim: Non tamen sine aliqua fide orabat, & dabat. Quomodo enim inuocabat, in quem non crediderat? Hæc verba satis ostendunt, Augustinum non adimere Cornelio omnem fidem in Christum: sed tantùm explicatam, & distinctam. Quod maximè euincit locus ille citatus ex epistola ad Romanos, Quomodò inuocabunt, in quem non crediderunt? Ea enim verba scribuntur de fide, & inuocatione hominum regeneratorum, vt proxima sententia satis indicat: Omnis, qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Nam salutẽ tribuere non possumus, nisi iustificatis. Petrus autem missus est ad Cornelium, vt ædificaret, non vt fundamentũ iaceret. Fidei enim fundamẽta in eo prius iacta fuerant. Verùm ea, quæ Augustinus subiecit, videntur adferre maiorem difficultatem. Ait enim: Sed si posset sine fide, scilicet Christi, esse saluus, non ad ædificandum mitteretur architectus Apostolus. Atqui, quum iam ante tribuerit fidem, & inuocationem, ad quam sequitur necessariò salus, de qua Apostolus scribit in hac epistola, quomodò potest illi adimere salutem? nisi fortè intelligamus, fidem, & salutem in hominibus iustificatis perfectam non esse, dum hîc viuitur. Neq; enim salus nostra in hac vita peruenit ad eum gradum nec ad eam magnitudinẽ, quam in electis suis Christus requirit. Nemini enim dubium esse

Cornelius habuit fidẽ patrum veteris testamenti.

Nathanael ex ẽplum.

Fides non est ex nobis.

Cornelius habuit fidẽ in Christum, sed non distincta, & explicatam.

Venit Petrus ad ædificandũ, non ad fundandum Cornelium.

Salus, quam habemus in hac uita, non est perfecta.

potest, quin salutem absolutam ante resurrectionem, & æternam salutem, habituri non simus: quamuis ea nunc vtunq; fruamur inchoata. Paulus ad Ephesios affirmat, nos iam seruatos esse ex fide. Et tamen ad Philippenses hortatur, vt cum timore, & tremore nostrã ipsorum salutem operemur. Quæ loca non possunt inter se conciliari, nisi dicamus, salutem in nobis inchoatam per iustificationem quotidie perfici. Semper enim magis, ac magis instauramur: & fides plenior, explicatior, efficaciorq; redditur. Ista Augustini verba, nisi sic interpretemur, necesse erit, uel illa eius non esse, uel ipsum pugnare secum. Librum autem illum Augustini esse, inficiari non possumus: Ipsum verò secum pugnare, non est verisimile. At si dicas, posse ista rectè inter se conuenire, si demus, Cornelium non dum fuisse iustificatum, cùm tamen aliqua opera Deo grata, & accepta fecerit. Respondeo, ista cum Augustini sententia nullo modo posse congruere. Is enim tractatu super Ioannem 80. & contra Iulianũ libro 4. cap. 3. & in psal. 31. probat firmissimis rationibus, omnia opera, quæ fiunt, antequam iustificemur, peccata esse. Fidem verò in iustificatis explicari, ac perfici, facilè ex eo intelligere possumus, quod Christus dixit Apostolis: Multi reges, & prophetæ voluerunt videre, quæ vos videtis: & non viderunt. Illi tamen reges, & prophetæ nihilominus fuerunt pij & iustificati: quamuis omnia Christi mysteria non ita explicatè cognouerint, vt Apostoli. Et Christus, cùm oraret, de Apostolis ipsis pronuntiauit: Verba, quæ tu mihi dedisti, dedi eis: ea illi acceperunt, & cognouerunt, quòd à te exiuerim, & quòd tu me miseris. Ista indicant, Apostolos in Christum credidisse, atq; ideò fuisse iustificatos. Historia tamen ipsa Euangelij satis docet, illos multa ignorasse. Sæpè enim narratur, eos, vel habuisse oculos occlusos, ne uiderent: vel ea, quæ dicebantur, non intellexisse. Negat ergo Augustinus salutem Cornelio, antequam Petrus ad eum mitteretur, non in vniuersum, sed absolutam, atque perfectam. Sed obijciunt insuper eundem Augustinum in Quæstionibus ad Simplicianum. lib. 2. Quæst. 2. Vbi perspicuè docet fidem antecedere opera bona. Deinde medium quiddam ponit inter gratiam, & celebrationem Sacramentorum. Ait enim fieri posse, vt Catechumenus, quique adhuc inter Catechumenos versetur, credat, & habeat gratiam: idem tamen adhuc baptismo non sit tinctus. Adhæc post Sacramenta ait, gratiam pleniorem infundi: quibus uerbis significat eam quidem eandem esse, sed postea reddi vberiorem. Vtq; scias, illum agere de fide iustificante, citat locum ex Epistola ad Ephesios: Gratia seruati estis per fidem, idq; non ex uobis: donum enim Dei est. Sed dicent aduersarij, se quoque docere, gratiam præcedere opera bona: & ex ea gratia fidem aliquam hominibus concedi. Hæc autem ab initio adeò esse infirma, vt vim iustificandi habere non possint: posse tamen opera quædam suppeditari, quæ Deo sint grata. Sed meminerimus, quid Augustinus scribat de Pelagio in epistola 105. ad Innocentium episcopum Romanum. Ait autem, Pelagium in Concilio Palæstino, ne anathemate percuteretur, anathematizasse omnes, qui dicerent, se rectè posse viuere absque gratia. Ille autem per gratiam nihil aliud intellexit, quàm dona nobis in creatione collata, vt Liberum arbitrium, rationem, voluntatem, doctrinam Legis. Hoc fuco Palæstini episcopi circumuenti illum absoluerũt. Excusat eos Augustinus, quòd candidè, ac simpliciter egissent. Nam cùm audirent Pelagium confiteri gratiam Dei, non potuerunt intelligere aliam, quàm eam, quam sacræ literæ prædicabãt: eam videlicet, per quam regeneramur, & inserimur in Christum. Apparet ergo, eos, qui aliam gratiam sibi fingunt, quàm eam qua iustificamur, & inserimur in Christum, obtrudere nobis humanum commentum, uel potius Pelagianum perfugium, quod diuinæ literæ non agnoscant. Deinde Augustinus eo loco, quem iam diximus, prædicat, Catechumenos, & credentes, quamuis non sint baptizati, tamen conceptos esse. At qui iam concepti sunt, ut sint filij Dei, non possunt ab eo esse alieni, aut inimici. Sequitur ergo, eos iam esse iustificatos, quamuis non ita perfectè. Quòd ex eo apparet, quòd Augustinus gratiam succedentem uocat pleniorem: vt quæ à priori genere, aut natura non differat, sed tantùm gradu, & magnitudine. Quæ, cùm sit eiusdem speciei cum altera, ea quoque iustificabit. Idq; ex eo satis liquet, quòd Cornelius dicatur fecisse opera, quæ Deo placuerint. Nec magni refert, quòd Augustinus subiecerit, non tantam fuisse eam gratiam, vt vel Cornelio, vel Catechumenis ad regnum cœlorum obtinendum potuerit esse satis. Hæc enim uerba non statuunt, post hanc gratiam, aut fidem Catechumenorum, expectandam esse aliam, quæ iustificet: quasi illa priori iustificati non fuerint. Hoc tantùm ostendere voluit, non oportere Catechumenos in eo gradu fidei, & gratiæ consistere, sed Baptismum accipere, & progredi, quoad salus, & regeneratio iam inchoata perficiatur. Nam si quis sacramentum Baptismi contemneret, à regno

Salus inchoata per iustificationem est quotidie perficienda.

Nota interpretationem uerborum Augustini.

An gratia & fides infirma uim habeãt iustificandi.

Historia de Pelagio.

Catechumenos Augustinus uocat ante baptismũ conceptos.

Gratia, quæ succedit, eadem est, sed gradu & magnitudine differt.

Alter locus Augustini declaratur.

regno cælorum excluderetur. Nam qui crediderunt, id in primis agere debent, vt in Ecclesiam per sacramentum inserantur. Id qui facere aut nolunt, aut negligunt, satis arguunt, se non seriò credidisse. Quare absurdum non est, Cornelium, & Catechumenos habuisse gratiam iustificantem, quæ tamen si baptismum contempsissent, ad regnum cælorum obtinendum non sufficeret. Huc autem Augustinum respexisse, id ostendit, quod subijcitur: non tantùm oportere concipi, sed etiam nasci: quod ita intelligendum est, nisi legitimum impedimentum obstiterit. Nam si quis credat, & cupiat baptismum, eumq; non possit assequi, illi Augustinus non negabit salutem. Vna enim cum alijs patribus fatetur esse baptismũ flaminis: & vim Spiritus sancti absq; externis symbolis in animis nostris operari. Docet autẽ hoc super Leuit. quæst. 84. Ait enim, Mosen absque externa sacerdotij ordinatione, & visibilibus signis habuisse gratiam sacerdotalem: & Ioannem Baptistam absque externis sacramẽtis perfusum fuisse spiritu sancto in vtero matris: & latronẽ in cruce absq; vllis sacramẽtis seruatum fuisse sola gratia Dei. Postremò, cùm dicat, nos priori illa gratia Dei cõcipi, poste riori nasci, satis constat, eum, qui concipitur, & eum qui nascitur, eiusdẽ esse speciei. Animal enim, cùm cõcipitur, non est alterius naturę, quàm cùm in lucem editur. Hoc tantũ interest, quod alterum perfectius est, alterum imperfectius. Quare catechumenus, cùm tingitur, per gratiã eam, quam accipit in baptismo, perfectior videri potest, quàm fuerit antea, cùm tantùm crederet: quanuis etiã tum iustificatus fuerit per fidem, qua Dei promissiones in Christo complectebatur. Nunc supereſt, vt excutiamus locum Chrysostomi in homelia De Spiritu, Natura, & Lege. Quanquam, si dicere debeam, quod sentio, ea mihi oratio non videtur esse Chrysostomi. Nam & ipsa secum pugnat, & continet ἀσύνατα, quæ conciliari nullo modo possunt. Sed cuiuscunq; tandem sit, nobis tamen ea magis fauet, quàm aduersarijs. Primùm enim ait, homines misericordes ex eleemosinis suis nihil habere fructus, priusquã habeant fidem. Ea verò quàm primùm quis ornatur, statim sequi bona opera, & fructuosa: antea autem non haberi. Addit q;, nos sola fide seruari: quum opera absque fide suos operarios nunquam seruare potuerint. Et citat latronem: quem sola fide absque operibus asserit fuisse seruatum. Néue ambigas, de qua fide loquatur, de ea loquitur, qua efficimur ciues cælorum, & familiares Dei. Hæc autem tantùm fidei iustificãti possunt adscribi. Prætereà diserte pronuntiat, extra fidem nihil esse boni: & sententiæ suæ hanc adfert rationem, quòd anima sit mortua, quæ fide careat. Vtq́ue se magis explicet, eos, qui faciant præclara opera absque fide, ait cadaueribus, & mortuorum reliquijs esse similes: quę quamuis pulchris, & pretiosis vestibus ornentur, nullum tamen illarum sensum habeant, nec per illas aut calorẽ concipiunt, aut à corruptione vindicantur. Ita, inquit, infideles, quanuis videantur interdum recte à agere, tamen ex operibus suis nihil emolumenti capiunt. Subijcit deinde, Quemadmodum necesse est hominem prius esse, quàm cibus illi admoueri possit, quo alatur, ita necesse esse, vt primùm existat fides: deinde vt bonis operibus nutriatur. De Cornelij operibus, ait ea admiranda fuisse, & Deo summo remuneratori placuisse. Hæc omnia & verè, & nostræ doctrinę consentienter dicta sunt. Posteà verò addit, Corneliũ, cùm opera illa, quæ laudantur, præstaret, in Christum non credidisse. Quod quanuis durum sit, tamen interpretatione leniri potest: vt intelligamus eum, sicuti de Augustino diximus, nondum distinctè, atque explicatè credidisse: quum tamen eodem modo in Christum crediderit, quo veteres, quos per Seruatorem, quem futurum expectabant, non dubitamus fuisse seruatos. Hoc autem genus fidei satis fuit ad salutem, quoad publicatum esset Euangelium. Verùm posteà addit, Cornelium non potuisse assequi salutem, nisi illi oblata fuisset fides: quod tamen vtcunque admitti posset, si de perfecta salute, ad quam Christiani vocantur, & aliquando perducendi sunt, illud dictum accipiatur. Quod autem adscribit, nullo modo potest consistere: ait enim, opera illa Cornelij fuisse mortua. Hîc iam Chrysostomus incipit, non esse Chrysostomus. Quomodò enim potest fieri, vt opera Cornelij admiranda fuerint, & summo remuneratori Deo placuerint, si fuerint mortua? Cæterùm, si volumus Chrysostomi ipsius veram hac de re sententiam intelligere, videamus quid scribat in hanc historiam capite 9. Actor. Nam ibi apertè testatur, Cornelium credidisse, & fuisse hominem pium. Neque eo contentus addit, eius vitam fuisse probam, eumq; habuisse sana dogmata. Hîc affirmat eum, & fidem habuisse, & fructus fidei. Denicq; addit, illum & fidem, & iustitiam & omnem virtutem habuisse. Atq; hactenus de Chrysostomo. Sed obijciunt huic nostræ sententiæ, Romanorum pręclara opera, insignia facinora à Deo compensata fuisse mercede amplissimi imperij. Et in eam sententiam citant Augustinum in quinto libro De Ciuitate Dei, capite 15. Ait enim, Deum, quibus daturus non erat æternam

Omissio baptismi tũ saluti officit, quando ex cõtemptu nascitur.

In baptismo augetur gratia.

Sola fide seruamur apud Chrysostomum.

Dicit item, extra fidem nihil boni.

Anima est mortua sine fide.

Simile.

Chrysostomus hîc pugnat secũ si tamen sit Chrysostomus.

Chrysostomus in acta dicit Corneliũ ante aduentum Petri credidisse.

De egregijs operibus Romanorũ

vitam, ijs terrenam gloriam excellentissimi imperij cõtulisse. Quod nisi ab eo factum esset, non redderetur merces bonis artibus eorum, id est, virtutibus: quibus ad tantam gloriam peruenire nitebantur. Verùm vt hanc compensationem, de qua Augustinus loquitur, intelligamus, cogitare debemus, Deum in administrando mundo velle omnia ordine quodam, & sine confusione geri: vt effecta sequantur causas, & proprietates rebus, quibus conueniunt, adiungantur. Ad solis calorem matuescunt fruges: ad hominis ingenioli industriam, & studium sequuntur bonæ artes. Hyemem ver excipit: rursus vernum tempus æstas: æstatem autumnus. Plantæ primùm folia effundunt: posteà flores: deinde fructus. Ad hunc modum Deus naturæ rerum, & ciuitatibus, & familijs prospicit. Et quia, nisi politiæ legibus, & virtutibus florentes rerum potirentur, omnia humana pessum irent, id circo iussu Dei, & naturali instituto sequitur, vt, vbi vigeat disciplina militaris, obedientia erga magistratum, custodia Legum, seuera iurisdictio, principum modestia, abstinentia, fortitudo, & amor patriæ, ibi sequatur magnum imperium. Quod tamen non efficit, vt illa peccata non sint, quatenus ab hominibus proficiscuntur sine fide. Neque enim ad gloriam Dei, qui finis esse debet omnium actionum humanarum, diriguntur. Hæc igitur gloria, & magnitudo Imperij, quum consequitur, morales, & ciuiles virtutes ex instituto Dei, & à politicis hominibus accipitur, vt finis, & fructus laborum, mercésque appellatur. Illa verò Romanorum facta fuisse peccata, Augustinus ipse affirmat in illo eodem libro de Ciuitate Dei, capite duodecimo. Sic enim scribit, de Romanis, quia causa honoris, laudis, & gloriæ consulerent patriæ, in qua ipsam gloriam requirebant, salutémque eius saluti suæ præponere non dubitabant, pro isto vno vitio, hoc est, amore laudis, pecuniæ cupiditatem, & multa alia vitia comprimentes. Hîc Romanorum ambitionem appellat vitium. Quis ergo dicat, Deum verè, aut propriè remunerari peccata? Superest igitur, vt hæc remuneratio, quemadmodum diximus, accipiatur: nimirum, quòd ex ordine rerum á Deo constituto consequatur: quodque ab illis, in quos confertur, pro merede, ac fructum laborum æstimetur. Nam hac locutione scriptura quoque non vno in loco vsa est. De scribis, & hypocritis Dominus ait: Amen dico vobis: receperunt mercedem suam. Et Paulus de illis, qui quum nossent Deum, illum vt Deum non coluerunt, sed tradiderunt in turpia desideria corpora sua ignominia, & contumelijs affecerunt, mercedem, inquit, quam oportuit, in semetipsis receperunt. Et Ezechiel cap. 29. ait, Deum velle reddere mercedem Nabucadnezaro, quòd seruisset sibi in euersione Tyri: & pro mercede promittere illi deuastationem, & direptionem Aegypti. Dubium verò non est, opera hypocritarũ, qui obscurabant facies suas, quò viderentur homínib. ieiunare, & superstitiosos, ac nefarios cultus idololatrarũ, & crudelia illa facta, quę Nebucadnezar edebat, vt expleret ambitionẽ suã fuisse peccata, & quidem grauia. At ea tamen omnia leguntur habuisse mercedem. Deum autem aliud quiddam respexisse in illis imperijs cõstituendis, quàm vt illis hominibus mercedem persolueret, satis admonet Augustinus ipse lib. 5, de Ciuitate Dei, cap. 12. quod iam citauimus. Ait enim, cùm imperium prius fuisset in Oriẽte, Deum tandem voluisse regnum Romanorum potiri rerum, vt scelera cæterarum nationum domaret. Sed multi suspicantur, ex hac doctrina fenestram multis vitijs aperiri. Nam si hominum ciuilium, dum videntur ex virtute agere, facta omnia peccata sunt, facilè ab illis pulchris operibus reuocabuntur. Respondeo: Nos non docere disciplinam ciuilem esse remittendam: ea enim ex Dei prouidentia tanquam vinculum quoddam est, quo ciuilis coniunctio conseruatur. Potest Deus ferre Ciuitates, & Respublicas, quàmdiu in eis integritas morũ, & honestas viget. At vbi ea prorsus vitiatà, & corrupta fuerit, tum Deus ita ad iram prouocatur, vt de ea iam supplicia velit sumere, quæ diu antea dissimulauerat. Peccant homines, quandiu sunt extra Christum, etiam quum edunt præclara facinora: sed longè minus, quàm si abiectis omnibus officijs ciuilibus, prorsus omnibus vitijs se emancipent. Neque enim sumus Stoici, vt omnia peccata putemus esse paria. Adhæc, si isti omittant facere ea, quæ lumine ipso rationis agnoscunt esse honesta, suæ cõscientię aduersantur. Et si velimus manifestius videre, vtra sententia, nostráne, an aduersariorũ maiorem aperiat fenestrã ad vitia, eas inter se conferamus. Certè illi cùm prædicant impios facere posse opera bona, quæ Deo placeant, & illis mereri posse gratiã, vt loquuntur, ex Cõgruo, quid aliud agunt, quàm vt lactẽt, & foueant miseros in perdito illo suo statu? Faciũt enim vt illi sibi placeant ob nescio quæ, opera sua, sperentq; fore, vt saltẽ ad finem vitæ illorũ causa impetraturi à Deo sint, vt verè, ac seriò cõuertantur. Interim verò securè viuunt, neque sceleribus suis iusta, ac vera pœnitentia nuncium remittunt. Nos verò contrà, cùm illos quotidie monemus, vt accedant ad Christũ, & per veram pœni-

Deus mundũ regit ordine absq; confusione.

Ad quas uirtutes naturaliter magnũ imperiũ adiungatur.

Speciosæ actiones ethnicorum quare sint peccata.

Augustinus illa fuisse peccata docet.

Deus nõ dicitur propriè remunerari peccata.

Cur Deus prouidentia sua ita regna transferat ex gente in gentem.

Disciplina ciuilis nò est ab infidelib. prætermittenda.

Minus peccant ethnici seruata ciuili disciplina, quàm ea reiecta Peccata nõ sunt paria.

Aduersarij non nos, aperiũt fenestrã peccatis.

pœnitentiam reconcilientur (alioqui enim nihil illis opera bona profutura, quum quantumuis splendida sint, tamẽ coram Deo peccata sint) nonne calcaria efficacia admouemus, vt relicta impietate, & corrupto vitæ genere ad Dei iustitiam se cõuertant? Hæc si prudenter expendas, facilè intelliges, vtri nostrũm aditum magis patefaciant cupiditatibus. Hoc sanè omnes iudicabunt, qui vllo tanguntur affectu veri, & pietatis. Nam præter id, quod iam dixi, facilè animaduertent, omnia bona, quę hominibus non regeneratis tribuuntur, decîdi, atque eripi gratię Dei. Nam si absq; Dei gratia multa pręstare possimus, quæ illi accepta, & grata sint, cõsequitur, nos ab illo nõ esse totos redẽptos, & instauratos. Quod ita est impiũ, & à catholica veritate alienum, vt nihil impudentius, aut magis impium fingi possit. Quid enim supereſt pietatis, quum Christo suus honor adimitur? aut quis honor Christo relinquitur, si eum doceamus non omnem nobis rectè viuendi facultatem attulisse? Iactant nõnulli, multa interdum contingere, ac fieri ante regenerationem, quæ quasi media quædam sint ad eam consequendam: quumq; efficiatur sæpe, vt per illa iustificemur, non posse videri peccata. Fatemur quidem, esse ista media quædam interdum, per quæ Deus ad iustificationem nos adducat: at ex eo non conficitur, illa eis, à quibus fiunt, non esse peccata. Et certè, quod ad operum ipsorum naturam attinet, nonnullis sunt occasiones maioris exitij. Cõplures enim inuenias, qui ob illiusmodi sua opera sese mirabiliter efferant, & sibi placeant, & sese aliis anteponant, iamq; opinione suæ pleni, ac saturi, quamuis impulsi, & inuitati, tamen longius progredi recusent. In his hominibus, huiusmodi opera præparationes sunt ad æternam mortem. Quod autem ad electos attinet, Deus illa moderatur, & temperat, facitq; vt ad salutem cooperẽtur, quanuis sua natura peccata sint, & vitiosa existimari debeãt, quoad eis lux iustificationis non affulserit. Fatemur ergo esse opera præparationes quasdã ad salutarẽ conuersionem, sed non nisi prædestinatis, & electis: quos Deus ad iustificationem quandoque per hæc opera ducit: non quòd ipsa natura sua vim istam præparandi ad iustificationem habeant: nam reiectis, & reprobis ad condemnationem faciunt. Videamus verò, quę iam ista sint, quę aduersarij nostri in hominib. non regeneratis tantopere laudent. Est, inquiũt, in illis agnitio quędam peccati: ex ea terror nascitur, quo vehemẽter perculsuntur: excitatur deinde dolor de amisso regno cœlorũ: deinde minore ardore feruntur ad maleficia, & ex peccatis, & illecebris huius mundi minus voluptatis capiũt: videntur etiam cum aliquo studio audire Verbũ Dei. Ista, inquiũt, quomodò possunt videri peccata? Quã quã nõ sunt, inquiũt, ita efficacia, vt homo per ea cõuerti possit, & pristinũ statũ suæ prauitatis relinquere. Hîc ego de istis scisscitabor, quęnã illa sit notitia peccati, quę sic habeat, vt interim ipsum diuinę iustitię præferamus? Certè cũ desit illi, prius, ac suus finis, nõ potest nõ esse peccatũ. Ad hoc enim notitia illa instituit, vt peccatũ cognitum relinquamus, & Dei iustitiã amplectamur. Qui finis nisi adsit, opus vitiatur, & fit peccatũ. Hoc omnes fatentẽ Ethnici scriptores, actionẽ eam peccatum esse, cui debitus finis subtrahat. Deinde quis ille est timor gehennæ, cùm pergant quotidie se in eam præcipitare? Quisue dolor est, de amisso regno cœlorũ, cùm illud sibi à sacris literis, & à concionatoribus oblatum perpetuò recusent? Si minori ardore feruntur ad peccandum, & minus voluptatis capiũt de suis peccatis, tamen tantum capiunt, vt ab illis auelli non possint. Si Verbum Dei aliquo cum studio audiunt, tamen auditũ habent ludibrio, cùm ea sperent sibi ita viuentib. euentura, quę in eo promittũtur. Videmus ergo, hæc omnia à scopo, & à proposito fine aberrare. Cumq; omnes isti motus parum sint efficaces, & homines relinquant sub ira Dei, nihil sani ab illis sperari potest. Sed audiamus, quidnã Esaias cap. 58. de hoc operũ genere pronuntiet: Me, inquit, per singulos dies quærũt, & scire vias meas volunt, tanquam gens, quæ iustitiã fecerit, & iudicium Dei sui non omiserit: Interrogãt me de iudicijs iustitię, & propinqui esse Deo volunt. Quare ieiunauimus, inquiũt, & non vidisti? affliximus animas nostras, & nescis? Ecce, in die quo ieiunatis, inuenitis, quod desideratis, & nomina vestra omnes exigitis. Ecce ad lites, & contentiones ieiunatis: vt percutiatis pugno. Nũquid tale est ieiuniũ, quod elegi? Hæc prophetæ verba apertissimè docent, peccatũ esse coram Deo, illum interrogare de vijs suis, ieiunare, & se ipsum afflictionib. cõficere, cùm talia opera sine vero Dei cultu, & pietate præstent. Negari non potest, esse ista opera pręclara quidẽ, & speciosa: iustus tamẽ iudex Deus ea repudiat. Augustinus in libris Confes. proponit nobis in se ipso luculentũ huius rei exemplũ. Describit enim motus, quos in animo suo patiebat, antequã ad Christũ conuerteret. Sic enim scribit lib. 8. ca. 11. Versabar in vinculo meo, donec abrũperetur totũ, quo iam exiguo tenebar: sed tenebar tamen. Tu in oculis meis, Domine, seuera misericordia ingeminabas timoris, & pudoris flagella. Dicebam apud me intus: Ecce modò fiat. Iam penè sciebam, &

Aduersarij multum gratiæ Dei decidunt.

Opera speciosa interdũ sunt occasiones exitij.

Operâ, quæ fiũt ante iustificationem, ad illã præparationes interdũ sunt, sed tantũ prædestinatis.

Cognitio peccati cui proprius finis desit, est peccatum.

Finis cognitionis peccati

Deus opera quãtumuis speciosa repudiat.

non faciebam. Paulò minus iamiamq; attingebam, & tenebam: & non attingebam, neque tenebam. Pluſque in me valebat deterius inolitum, quàm melius inſolitum. Punctúmque ipſum temporis, quo aliud futurus eram, quantò propius admouebatur, tantò ampliorẽ incutiebat horrorem. Retinebant me nugæ nugarum, & vanitates vanitatũ, antiquæ amicæ meæ, quæ ſubmurmurabant: Omittis nos? & à momento iſto non erimus tecũ in æternũ? Et à momẽto non licebit tibi hoc, & illud vltrà in æternum? Et audiebam eas iam longè minus, quàm dimidius. Hæc ille narrat, & accuſat iſta coram Deo, vt peccata: quę tamẽ ab iſtis tantopere cõmendantur. Media quidem iſta fuerunt, quibus Auguſtinus à Deo adiuceba tur ad ſalutem: Interim tamen in eo peccata erant. Illis enim non obſequebaꝫ, ſed ea multis abuſibus corrũpebat, ne ab illis efficaciter immutaretur. Peccatum autem eſt id, quod debita perfectione deſtituitur. Sed ſophiſtæ ceu hydræ quædam ſunt: vno enim argumẽto, tanquam capite reſecto, aliud illis renaſcitur. Obijciunt nobis Publicanũ, qui ita orauit in templo: Deus propitius eſto mihi peccatori. Dicitur autem redijſſe iuſtificatus in domũ ſuam. Erat ergo, inquiũt, peccator, cùm oraret. Legitur enim poſteà fuiſſe iuſtificatus. At eius oratio placuit Deo: Poſſumus ergo, inquiũt, facere opera Deo grata, etiã antequã renati ſimus. Verùm iſtos meminiſſe oportuit, publicanũ iſtum oraſſe, quod, quemadmodũ de Cornelio docuimus, fieri ſine fide non potuit. Quomodò enim inuocabũt, in quẽ non crediderunt? Erat ergo iuſtificatus, cùm oraret. Neq; ea verba ita debes intelligere, quaſi ille tum primũ iuſtificatus fuerit, cùm preces ſuas peregiſſet. Etſi enim dicatur, poſteà factum, non tamẽ ex eo ſequitur, id nullo modo factũ fuiſſe antea. Conſecutus eſt perfectiorẽ iuſtificationẽ, ampliorem ſpiritũ, & propiorẽ ſenſum diuinæ miſericordię. Peccatorem ſe appellat: nec ímmeritò, partim quòd adhuc ſentiret in ſe, quod accuſaret: ſemper enim, quantũuis iuſti ſimus, tamen orare iubemur, Dimitte nobis debita noſtra: partim, quòd animo recoleret, quàm grauia peccata, priuſquã iuſtificaretur, cõmiſiſſet. Homines autem ſancti inter precandum potiſsimũ expendere debent, quantum onus ſit peccatorũ ſuorum. Nam cùm precibus ſuis accedũt ad Deum, vera pœnitẽtia cõmouentur, vt dicãt cum Dauide: Cõtabuerũt oſſa mea in rugitu meo: quotidie die, ac nocte aggrauata eſt ſuper me manus tua: exhauſtus eſt ſuccus meus, vt humor terræ exareſcit in æſtate: Circundederunt me mala abſque numero: Circundederunt me iniquitates meæ, vt videre non poſſem: auctæ ſunt pluſquàm capilli capitis mei: Cor meum deſtituit me: Agnoſco ego ſcelera mea, & peccatum meum contra me eſt ſemper: Tibi, tibi peccaui, & malum coram te feci. Quoq; magis ſancti in poſterum caueant ſibi à peccatis, Deus in illis excitat ſenſum acerrimũ iræ ſuæ, vt agnoſcant, quid meriti fuerint, niſi eos Deus adiuuiſſet per filium ſuum. Aperit etiam oculos eorum, vt videant quę ſit ipſius erga eos paterna caſtigatio: quę, vt melius ſentiatur, ſępenumerò ſuſpendit ab illis guſtum, & ſenſum miſericordiæ ſuæ. Ideo clamant: Fac me audire gaudium, & lętitiam, vt exultent oſſa humiliata: Abſconde faciẽ tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele: Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritũ rectum innoua in viſceribus meis: Ne proijcias me à facie tua: ſpiritum tuum ſanctum ne auferas à me. Orant ergo etiam iuſtificati, vt quod ſupereſt adhuc infirmitatis, ipſis ne imputetur. Commemorant ea, quæ antea grauiter peccauerunt: & imploran guſtum aliquem diuinæ miſericordiæ, & collatæ iuſtitiæ. Atque iſta eſt genuinus ſenſus huiuſmodi piarum precum. Neque aliter credendum eſt, oraſſe illum publicanum: non enim ita animatus fuit, vt retineret adhuc vetus propoſitum peccandi: ſed verè, atque ex animo ad Deum conuertebatur. Aduerſarij verò noſtri fingunt, eos, qui adhuc perſeuerẽt in ſceleribus, nec vitam mutare decreuerint, tamen aliquid boni facere, quod Deo placeat. Nos autem edocemur ex ſacris literis, eum, qui credat in Deum habere vitam æternã, ideóque eſſe iuſtificatum: cætera verò nec bona eſſe, nec Deo placere. Quum ergo publicanus orauerit, & fideliter orauerit, certum eſt, eum habuiſſe ęternam vitam, nec iuſtificatione caruiſſe. Sed vt hæc omnia clarius intelligantur, non erit abre cognoſcere, quæ requirãtur ad opus bonũ, quod Deo poſsit eſſe gratum. Primũ qui aliquid boni agat, eum ſpiritu Dei oporter cõmoueri. Alioquí non habitat in nobis, hoc eſt, in carne noſtra bonũ. Et qui ſpiritu Dei agũtur, hi ſunt filij Dei. Secundo loco fides adſit, oportet, qua certò intelligaꝫ, illud opus, quod ſuſcipimus, ex earũ rerum genere eſſe, quas Deus vult, & lege ſua iuſsit fieri. Omne enim, quod nõ eſt ex fide, peccatũ eſt: neq; cõmittere debemus vt in eo, quod agimus, cor noſtrũ accuſet nos. Tertiò, quicquid facimus, omnino dirigendũ eſt ad gloriã Dei: vt id cum primis, & ante omnia ſpectemus, vt laus & gloria Dei ex noſtris operib. illuſtretur. Siue manducatis, ſiue bibitis, ſiue aliud quid agitis, omnia facite ad gloriã Dei, inquit Paulus. Quartò, neceſſe eſt, vt cùm propter infirmitatẽ nobis inſitã, ſemper in operi-

Auguſtinus media opera, quæ faciebat ante cõuerſionẽ, accuſat ut peccata.

Peccatum eſt, quod ſua perfectione deſtituitur.

Simile.

De Publicano. Dum orabat Publicanus, erat iuſtificatus.

Si eſt iuſtificatus cur ſe peccatorem appellat?

Iuſtificati orant adhuc pro ſuis peccatis.

Non ita peccatorem ſe dixit. quòd adhuc in peccatis uerſari deligeret.

Quæ requirantur ad opera, quæ ſint grata Deo.

operib. nostris, etiam illis, quæ rectè fieri videntur, aliquid desideretur, vt Gratia Dei, & misericordia per Christũ adsit, qua defectus ille cõpensetur. Itaq; Dauid ait: Beati quorũ remissæ sunt iniquitates: Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum: & Paulus: Nihil ergo nũc damnationis est illis, qui sunt in Christo Iesu: &, Quod impossibile erat Legi, quatenus infirmabatur per carnem, Deus mittens filium suum &c. Hæc testimonia satis ostendunt, & deficere opera nostra à perfectione, & iusto fine: & per Christum Deiq; misericordiã fieri, ne illa culpa admixta nobis imputetur. Postremò id etiã exigitur, ne quis glorietur de eo, quod rectè facit, sed in solo Deo, intelligatq; id se habere quod facit ab eius bonitate, nõ à viribus suis. Quis enim te discreuit? inquit Paulus ad Corinth. Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Vbi omnia ista, quæ hîc recensui, accesserint, opus citra controuersiã bonum erit, & acceptum Deo. Potest hîc diligẽs lector ex his conditionibus operis boni, eius definitionẽ colligere. E diuerso si spectemus naturã hominis nondũ regenerati, facilè intelligemus, non posse ea in illa inueniri, quæ ad bonũ opus necessaria esse cõstituimus. Is enim prorsus nudus est spiritu Dei, & fide: atq; ita laborat φιλαυτίᾳ, vt quicquid agit, non in Deũ conferat, sed ad cõmodum suum. Adhęc, cùm alienus sit à Christo, necesse est, vt relinquatur sub lege. Quare, quicquid est defectus, ac vitij in eius operibus, quod necesse est, multũ esse, id non potest aliunde cõpensari. Deniq;, si quid fortè illustre, ac speciosum fecerit, nõ in Deo, sed in seipso gloriatur. Ignarus enim est et Christi, & gratiæ Dei. Ex his duabus descriptionib. operis boni, & Deo grati, & hominis extra Christum degentis, planũ iam esse arbitror, non posse ea opera bona esse, et accepta Deo, quę ab homine infideli proficiscantur. Sed aduersarij nostri contendunt, duo loca firmissima, quib. ad hanc quæstionẽ vtimur, extorquere. Prior est, quòd dicimus, Arborẽ malam non posse facere fructũ bonum: Alter, Omne, quod nõ est ex fide, peccatũ esse. De quibus aliquid nobis hoc loco dicendũ est. Metaphora illa de mala arbore, quę ferre nõ possit fructũ bonũ. Christus vsus est, non tantùm in 7. cap. Matthęi, verùm etiam in eodem Matthęo cap. 12. Atq; ex eo intulit, progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cùm sitis mali? Verùm ante quam istam cauillationem patefacio, operępretiũ erit referre, quemadmodum Augustin. contra Iulianũ Pelagianũ lib. 4. ca. 3. pro hoc eodem loco dimicauerit. Proponit splendidũ opus hominis infidelis, nimirùm, vestire nudũ: quæritq; num illud dicendũ sit peccatũ. Certè nisi hoc opus eius generis sit, vt placeat Deo, nõ video, quod aliud opus infideliũ illi possit esse gratũ. Augustinus autẽ contendit, & probat, id esse peccatum. Neue videatur id absq; ratione dicere, idcirco ait id peccatum esse, quòd is qui opus illud ita pulchrũ fecit, de opere suo glorietur: non enim eum aut Deum aut Christum agnoscere per fidem, cui id illud acceptũ ferat. Deinde ait, ad euitandam rationem peccati, non esse satis, vt aliquid, quod bonum sit, fiat, nisi bene ac rectè etiam fiat. Dicemus ne igitur, hominem infidelem & bonum opus fecisse, & rectè esse operatum? Si hoc non damus, fatemur illum peccasse: at si damus, fatemur fructum esse bonum, cùm infidelis extra Christum sit arbor mala. Ita damus arborem malam edere fructum bonum: quod tamẽ Christus disertè negat. Eò ergo adiguntur aduersarij nostri, vt iam apertè non tantùm contra nos pugnent, verùm etiam contra Christum: nisi fortè velint dicere, hominem infidelem & alienum à Deo esse arborem bonã. At si hoc affirmant, quomodo negant, illum Deo placere? cùm Deo bono, quod bonum sit, non possit non esse gratũ. Verùm eũ, qui Deo placeat, omnino oportet fidelẽ esse. Ad Hebræos enim scribitur: Sine fide impossibile est placere Deo. Isti verò per suam istam hęresim volunt nobis obtrudere id, quod illa epistola fieri posse negat. At homo, inquiunt, quatenus homo est, non est arbor mala. Cęterùm Augustinus, inquit: Si tantùm naturas attendamus, nusquã erit aliqua arbor mala. Nam & angelus, & homo cõditi sunt à Deo, & acceperũt naturas bonas. At istæ naturę non sunt à nobis ęstimandę, prout à Deo factę sunt, sed iuxta eam conditionẽ, quę illis postea accessit. Bona arbos dicet homo prędītus bona volũtate: Mala verò arbos homo prędītus mala voluntate. Post lapsum autem Adami, & primam ruinam nostri generis, dicimus homines esse tales, vt non bona voluntate agantur, sed mala. Verùm vt ad eleemosynã hominis infidelis, de qua dicere cœpimus, redeamus, quęrendum est, Hęc misericordia, quę exhibetur, fidelis ne sit, an infidelis. Cùm autem præstetur sine fide, necesse est, infidelẽ esse. Quare vitio, & peccato carere non potest. Non satis est, proximi sui misereri, nisi id etiã fide liter, & rectè fiat. Misericordia enim non est per se bona. Deus eñ multa beneficia in proximos collata improbauit: vt cũ rex Israel parceret Regi Syrię, & Saul Agago Regi Amalech. At fides, quę per dilectionẽ operatur, semper est bona, nec vnquã mala esse potest. Misericordia verò, cũ non sit huiusmodi, idcirco necesse est adhiberi rectitudinẽ, qua fideliter præstet,

Definitio boni operis unde colligatur.

Impij quàm longè distent à conditione bonorum operum.

Metaphora bonæ & malæ arboris.

Absq; fide uestire nudum est peccatum.

Si naturam attendamus nulla est arbor mala.

Naturæ non sunt expendendæ ut à Deo factæ fuerũt sed ex conditiõe quam illis nos adiecimus.

Misericordia proximo impensa citra fidem est infidelis.

Misericordia nõ est per se bona.

Deus multa opera misericordiæ improbauit.

Impij naturalib. affectibus abutuntur.

vt cõmendari possit. Clamitant, hanc naturalem affectionem miserendi bonam esse. Quod fortasse nõ negabimus. Sed animaduertere debuerant, homines nõ regeneratos abuti hoc bono, cùm illud ad Deum non dirigant, qui solus est finis omniũ nostrarum actionum. Neque sanè leuiter peccat, qui tanto dono Dei peruersè abutatur. Adhęc asserit idem Augustinus, quicquid est boni, quod in opere hominis infidelis cõspici potest, id omne esse à Deo. Quo igitur iuuatur proximus, & aliquod rationis institutum seruatur, & ciuilis honestas retinetur, id non aliunde haberi, quàm à Deo: Quatenus autem ab homine infideli, & vitiato

Pelagius quosdã bonos ponit sed steriles.

proficiscitur, peccatum esse, & Deo displicere. His & similibus rationibus adductus est Pelagius, vt fateretur, istos homines, ita per naturam se rectè gerentes, bonos quidem esse, sed steriliter. Opponit se rursus Augustinus: Ea, inquiens, est arborum sterilium natura, vt aut nihil omnino, aut malum proferant. Verùm Pelagius adhuc se cõatur explicare, aitq; : idcirco istos appellandos esse steriles, quòd licet bona sint, quæ faciunt, ea tamen nihil ad obtinendum regnum cœlorum faciant. Atqui hoc dicendo nihil dicit: imò se ipsum magis impedit.

Bona opera statuũt quæ non cõducant ad regnũ cœlorum obtinendum.

Certè hodie nostrorum Scholasticorum hæc eadem est sententia: cui tamẽ Augustinus pro viribus resistit. Ait enim: plantam itaque bonam, & facientem bonum fructum, vt vos dicitis, bonus Dominus excindet, & in ignem mittet. Quæ erit hæc diuina iustitia, quam vbiq; tam seueriter defenditis? Ad hanc autem vestram sententiam multa delira, & absurda consequuntur. Hæc hactenus de Augustino. Nostri verò iactant, se multùm differre à Pelagio.

Fucata quædam modernorum opinio. Simile.

Ponimus enim, inquiunt, gratiam quandam præuenientem, & pulsantem, per quam in cordibus hominũ aliquis thesaurus bonus includi potest, vnde illi aliquid boni possint operari. Plantæ ergo non erunt prorsus emortuæ: vtcunque enim germinant. Et quamuis, quod pariunt, non possit matureſcere in flores, & probatos fructus, tamen sunt frondes, & folia, quæ prouenire possunt, & proueniunt, ex aliquo succu gratiæ Dei, qua ne alieni quidem à Christo prorsus sunt destituti. Verùm hoc idem Pelagius quoque fatebatur. Non enim abhorrebat à nomine Gratiæ, cùm tamen per illud nomen, vt eum Augustinus prudenter prodit, intelligeret quod volebat, potius, quàm quod debebat, longeq; aliud, quàm vox ea significat apud Catholicos in Ecclesia Christi scriptores, aut in diuinis literis. Sed isti in sua similitudine nimium sunt imprudentes. Non enim meminerunt, Dominũ in Euangelio execratum esse arborem, quæ folia tantùm haberet sine fructu, eamq; iussisse excindi, & in ignẽ

Contra simile allatum.

mitti. Execratione autem Dei, & igni æterno nihil est obnoxium, nisi peccatum. Sed habẽt adhuc alium colorem, quo locum hunc eludant. Aiunt enim, arbores quidem istas malas esse: at non prorsus mortuas: in eis enim aliquem Gratiæ succum reperiri. Constituunt enim quandam esse Gratiam pulsantem, & præuenientem: qua in hominum non renatorum cordibus aliquis bonus thesaurus includi possit: ex quo nonnihil germinis homini non pœnitenti possit elici. Quamuis enim non possint, id quod pariunt, adducere ad perfectum, & maturum fructum, aut etiam flores producere, tamen quod minimum est, frondes edunt, & folia: quæ certè sunt alicuius latentis gratię, & vitæ signum. Mirum est, quàm isti sibi placeãt de ista pulsante, & præueniente Gratia. De qua quid sentiendum sit, iam superius ostendimus. Sed qui ista loquuntur, & sentiunt, nimium sunt imprudentes. Non enim animaduertunt, istam suam Gratiam nihil esse aliud, quàm inuitationem quandam ad Christum, non tamen efficacem: relinquuntur enim homines cùm ea sub ira Dei, neque illis mutantur corda. Quis ergo in eis bonus thesaurus esse potest, vnde opera Deo grata pullulent? Verùm, vt ab illorum simili ne discedamus, cùm plantas esse aiunt, quæ frondes, & folia producant, quamuis fructus non habeant, meminisse debuerãt, Christum vt antea diximus execratum esse tales arbores: cumq; in ficu quæsiuisset fructum, & folia tantùm inuenisset, maledictione tam efficaci eam percussisse, vt exaresceret. Non negamus, posse ab hominibus fieri aliquid ciuilis, & moralis boni, quod per illam Dei vim, qua omnia conseruantur, producatur. Nam, vt Ethnici quoque fatebantur, In ipso viuimus, mouemur, & sumus. Ea verò vis, qua Deus omnia regit, & mouet, homines non renatos ad vitam æternam nihilo facit meliores. Nostrę verò causę status est, An, qui sint à Christo adhuc alieni, possint aliquid facere, quod Deo probetur, acceptumq; sit. Id nos negamus: illi affirmant. Quàm verò pro nobis faciat locus adductus de arbore mala, quæ non potest bonos fructus facere, satis dictum est. Nũc alterum locum excutiamus, quem isti nobis conantur eripere: Omne, quod non est ex fide, peccatum est. Hunc locum Augustinus semper ferè objiciebat Pelagio. Ille respondebat, rationem istam esse tantùm particularem, quæ solùm dicta sit de cibis: eoq; non debere ad alia opera præsertim infidelium extendi. Nos quidem fatemur, quęstionem illam ortam fuisse propter cibos. Queadmodum verò ea ratio adducatur, ex ipsius Pauli verbis considere-

Augustinus objiciebat Pelagio: quod nõ est ex fide peccatum est.

mus.

mus. Qui dijudicat, inquit, hoc est, qui ambigit in vtranq; partem, & comedit, cõdemnatus est. Hoc probandum erat. Ratio, quam subiecit, erat, Quia non ex fide. Verùm cùm hoc dictum particulare tantùm sit, neq; quod dicitur possit ad syllogismum reuocari, nisi addatur vniuersalis propositio, ideo subdidit: Omne, quod non est ex fide, peccatum est. Qua sentẽtia Paulus, quoties aliquid aggredimur, cõstare nobis voluit, id Deo gratum fore, & per aliquod Legis mandatum ab illo requiri. Quę certitudo si absit, quicquid facimus, ait esse peccatum. Pauli autem demonstratio ita contexi potest. Omne quod non est ex fide peccatum est: comedere cibos in lege prohibitos, cum hęsitatione, vtrum id liceat, nec ne, non est ex fide: Est igitur peccatũ. Apostolus quamuis probet propositionẽ particularem, tamen ratione vtitur vniuersali. Quæ quemadmodũ applicatur ad cibos, ita potest ad omnes etiã alias actiones accõmodari: vt omnia peccata sint, quibuscunq; fides ista defuerit. Quare nec Augustinus, nec nos ea sententia abutimur, cùm eam ad opera infidelium applicamus. At hodie multi clamitant, fidẽ hoc loco significare persuasionẽ conscientię: & Paulum non respexisse fidem illam, quã nos iustificare dicimus. Sed isti nimiũ sibi permittunt, qui nouã fidei significationem inducunt, absq; vllo testimonio scripturarũ. Quare possemus hoc illis non concedere. Sed, quoniã etiamsi demus illis, quod volunt, tamẽ adhuc coguntur redire ad nostram sententiam, ea de re non multùm contendemus. Sit ita, vt volunt: Sit fides conscientia. Quæ tamen esse debet persuasio cõscientię de operibus, vt intelligat, quę bona sint, & quæ mala. Certè aliam regulam, si pij sumus, habere non possumus, quàm legem Dei. Illa enim est norma, qua bonum & malum debet iudicari. Inde existat oportet conscientię nostrę persuasio, quòd fide intelligat, opus illud, quod suscipit, bonum esse: cõtrà verò malum esse, si pugnet cum Lege Dei. Hoc autem non aliud est, quàm quod antea de fide diximus. Quare mittamus istos: qui cùm videri velint à nobis diuersa dicere, imprudentes in eandem nobiscũ sententiam recidunt. Nos autem hîc docemur, quicquid suscipimus, in primis vidẽdum esse, vt certi simus de voluntate Dei, docuit Paulus cùm ait δοκιμάζωμεν, quæ sit voluntas Dei bona: &, quemadmodum idem scribit ad Ephesios, ne ambulemus, vt imprudentes, qui non intelligamus, quæ sit voluntas Dei. Néue interpretatio ista putetur à nobis esse cõficta, consule, Lector, Origenem, Primasium Augustini discipulum, & Commẽtaria illa, quæ Hieronymo ascribuntur. Et eos inuenies eadem dicere, cùm locum illum, quem adduximus, interpretantur. Neque enim illi fidem aliam, quàm vsitatam agnoscunt. Verùm, cùm ad illũ locum ventum fuerit, quid alij patres de eo tradiderint, & senserint, commemorabimus. Nunc verò, vt ad caput huius controuersiæ veniamus, abundè è scripturis confirmatum arbitramur, Opera omnia infidelium peccata esse. In quam sententiam non modò Augustinus contra Iulianum descendit, verùm etiam Ambrosius in lib. De vocatione Gentium ca. 3. Ait enim, absq; veri Dei cultu, quæ videntur virtutes esse, peccata sunt. Basilius in 2. li. de Baptismo ca. 7. ex professo mouet hanc quęstionem, & facit pro nobis. Et citat locos è scripturis. Ex Esaia, peccator cùm sacrificat, idem facit, ac si mactaret canem: cumq; offert similam, perinde, ac si offerret carnem suillam. Et addit, Qui facit peccatum, seruus est peccati, illiq; tantùm inseruit. Et, Nemo potest duobus dominis seruire, Deo, & Mammonæ. Et, Quæ conuentio lucis ad tenebras? Dei ad Belial? Denicq; illud etiam testimonium citat, de quo nos paulo antè multa diximus: Arbor mala nõ potest facere fructus bonos. Ex his ille omnib. testimoniijs idem concludit, quod nos docemus. Ex his iam satis patere arbitror, quid de statu hominum non dum renatorum sentiendum sit. Primùm à seruitute coactionis liberi sunt: deinde in moralibus, & ciuilibus operibus pro arbitrio suo multa possunt facere: postremò inter ipsa peccata habent aliquem delectum, & modò hoc, modò illud pro sua voluntate suscipiunt. Non tamen ita liberi sunt, vt ea faciant, quæ Deo placeant. Miseriis quoque, & calamitatibus huius vitæ velint, nolint, sunt obnoxij. Nunc de libertate hominum regeneratorum dicẽdum est. Quæ præterquam quòd non est minor, quàm ea, quam diximus esse in impijs, vltrà tamen id habet, vt ad opera bona, quæ Deo accepta sint, possit assurgere. Quis enim nescit, opus illud Abrahami, quo paratus erat filium suum sacrificare, Deo fuisse gratissimum? Nam ea causa diuinæ vocis encomio laudatus est. Paulus ad Philippenses appellat illorum eleemosynas hostias bonæ fragrantiæ: & ad Hebræos docemur, Deum talibus hostijs mirificè delectari. Atque hinc est, quòd Paulus monet Philippenses, vt cum timore, ac tremore suam ipsorum salutem operentur. Sed quid opus est aliis testimonijs, cùm ipse Iudex extremo die commemoraturus sit opera bona, quæ homines pij in Christi membra impẽderint? Cùm itaque homines regenerati sint arbores bonę, consentaneũ est, vt fructus bonos, & facere possint, & faciãt. Quanquã qui ita renati sunt, nunquã debẽt obliuisci, se hanc libertatẽ

Oportet nobis cõstare Deo gratum esse quod agimus.

Paulus per propositionem uniuersalem probauit particularẽ.

Lex Dei est regula conscientiæ.

Cõmentaria Hieronymo adscripta.

Ambrosius opera infidelium dicit esse peccata Basilius idem sentit,

De libertate hominum regeneratorum.

Pij ad ea opera quæ Deo placeãt possũt assurgere.

Renati libertatẽ habent Dei beneficio non suis meritis.

non suis meritis adeptos esse, sed beneficio Dei. Is enim eos reſinxit, & pro corde lapideo cor carneũ in illis posuit. Deniq; non ex se ipsis, sed ex patre cœlesti habuerũt, vt ad Christũ traherent. Nisi enim fuissent à Deo patre magna efficacia intus in animo persuasi, à Christo, non minus, quàm alij refugissent. Itaque ad primam immutationem, aut sancti spiritus impressionem, animus noster passiuè, vt loquuntur, sese habet. Postquam verò persuasi iam, & immutati sumus, sic restituimur, vt spiritui sancto, & Gratiæ cooperari possimus. Hæc autẽ Arbitrij instauratio quomodo fiat, ex duobus capitibus considerandum est, ex quibus abnitio, cùm ipsius Arbitrij naturam describeremus, præfati sumus, omnem errorem, & omne peccatum electionis prouenire: videlicet, quòd, vel prorsus ignoretur, quid iustum iniustumúe sit, vel iustumúe sit, cùm de aliqua re deliberatur: vel quòd, quamuis, quid iustum iniustumúe sit videatur, tamen interponat se cupiditas, & perturbatio: quę suo pondere efficiunt, vt rationes infirmiores certis, & firmis rationibus præponantur. Itaque recti notitia non obtinet. Vis enim affectionum, & tota mentis attentio defigitur in illis rationibus, quę pro voluptatibus, & cupiditate faciunt. Et argumenta honestiora non considerantur: atque idcirco in effectũ non erumpunt. Sed beneficio regenerationis vtrique huic incommodo subuenitur. Nam, quod attinet ad primum, adest lux fidei, quæ adhibita regula diuinæ Legis, & iusta, & iniusta in rebus agendis manifestè intelligit. Deinde vi spiritus sancti, etsi non prorsus tollitur omnis prauitas affectionum, ita tamen frangitur, & debilitatur, vt rectam electionem, vt antea impedire non valeat. Quoniam tamen cupiditas illa, quoad hîc viuitur, prorsus absumi non potest, ideo fit, vt ista libertas agendi quę Deo placeant, pijs concessa, non perfecta, aut absoluta, sed infirma, & mãca sit, atq; ita prædicetur in sacris literis. Opera enim ea, quæ Deo grata sint, quò minus præstent, vt vellent, vtq; Lex requirit, sancti homines multis modis vehementer impediuntur. Semper enim sentiunt Legem in membris suis, quæ repugnet Legi mentis, & velint, nolint, captiui abducũtur in Legem peccati. Vt enim habetur ad Galatas, Sic caro concupiscit aduersus spiritum, vt non, quæ velint, ea faciant. Et Paulum audiuimus conqueri, non facere se illud bonum, quod magnopere vellet, sed malum potius, quod odisset. Pij homines mente quidem seruiunt Legi Dei, carne autem Legi peccati: In quibus tamen illud insigne Dei donum, quòd vehementer dolent, & deplorant hæc impedimenta: vt tametsi non dubitent, se habere primitias spiritus, tamen ingemiscant, & perfectam restitutionem ardenter optent. Accidunt præterea illis quotidiani lapsus, qui nos commonefaciunt, quàm debilis sit hæc nostra libertas. Itaque Ioannes ait: Si dixerimus, nos peccatum non habere, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Iacobus etiam ait: In multis offendimus omnes. Et Dominus docuit nos in quotidiana oratione clamare ad patrem, Remitte nobis debita nostra. Attamen hac tenuitate libertatis non impedimur, quin cooperemur Deo, & spiritui sancto, tanquam idonea instrumenta nos accommodemus. Itaque Paulus admonuit Timotheum, vt Gratiam, quam in se habebat, excitaret: Et in epistola priori monuit Corinthios, vt studerent charismatis, & donis melioribus: quasi eorum diligentia requireretur, vt hoc magis, quàm illo dono spiritus vti possent. Cæterùm, qui ista habere prædicantur, non sunt simplices, & nudi homines: sed cùm habeant Gratiam, & spiritum Dei, appellantur iam homines Dei. Et quia homines Dei sunt, dicũtur etiam perfecti & ad omne opus bonum instructi. Concedimus itaque, homines renatos in Christo habere omnem eam libertatem, quam concessimus impijs, & præterea etiam præstare eos posse opera, quę Deo grata sint: quamuis nec à peccato, nec à calamitatibus, & miserijs huius vitę sint immunes. Nunc de quarto quoque hominis statu dicendum esset. Sed de eo possumus vno verbo respondere: Cùm in patria simus summam fœlicitatem habituri, nullum ibi genus libertatis desiderari potest: nisi quis libertatem dicere velit, posse peccare, & à Deo, hoc est, à summo bono deficere: sed quia ea summa est libertas, idcirco nos in patria speramus fore liberrimos. Sed alia nunc quæstio tractanda est: videlicet, An ista concupiscentia, & praui illi motus, qui supersunt in renatis, peccata sint, & ita dici debeant? Hæc à Paulo appellantur Lex peccati, & Lex membrorum. Ea autem in sanctis post regenerationem superesse, sui exemplo docuit. An autem ista peccata sint, rectè constitui non potest, nisi antea, quid peccatum sit, intelligamus. Augustinus ait, peccatum esse Dictum, factum, aut concupitum cõtra Legem Dei. An verò ista definitio omnibus peccatis conueniat, an illis tantùm, quæ vulgò appellantur actualia incertum est, propter ambiguitatem vocis illius, concupitum. Nam si illa referatur ad plenum assensum voluntatis, quo prauis desiderijs assentimur, definitio contrahitur ad actualia peccata. At si, concupitum, ita latè, & fusè accipiatur, vt extremum illud præceptum, Non concupisces, definitio potest esse vniuersalis, & omnia peccata complecti.

Beneficio regenerationis & intelligentiæ & appetitui subuenitur.

Libertas quoque piorum est imperfecta.

Tenuitate nostræ libertatis non impedimur qn Deo cooperemur.

Regenerati dicũtur homines Dei, non autem simplices homines.

De libertate patriæ.

Cõcupiscẽtia & praui motus q̃ supsunt in renatis an sint peccata.

Definitio peccati.

Concupitũ in definitione quomodo possit accipi.

cti. Magister Sentent. 2. distinct. 35. citauit eam definitionem, cùm iam de peccato originis latè disputasset, & se ad aliorum peccatorum naturam perscrutandam contulisset. Quare videtur existimasse, illam definitionem tantummodo ad actualia peccata pertinere. Sed, quic quid est, de hac re non multùm disputo. Ambrosius in libr. de Paradiso cap. 8. definitionem peccati proposuit haud dubiè latissimam. Peccatum, inquit, nihil aliud est, quàm transgressio diuinæ legis, & inobedientia mandatorum cœlestium. Cęterùm missis patrum sentētijs, res ad scripturę calculum reuocanda est, vt ex illis, quid peccatum sit, certò cognoscamus. Iohannes in prima epistola cap. 3. Peccatum, inquit, est ἀνομία, id est, iniquitas. Ea vox Græca ex ἀ particula priuatiua, & νόμος componitur. Hîc natura peccati pulchrè monstratur. Dicitur enim esse priuatio, qua bonum subtrahitur ei, qui illud habere debuit. Si quæras, quod'nam illud bonum sit, quod per peccatum remouetur, illud νόμος vox Græca explicat. Illud enim bonum aufertur, quod præscriptum est Lege Dei. Itaque dicere possumus, peccatum esse, quicquid aduersatur Legi Dei. Iam videndum est, vtrum hæc definitio sumpta è sacris literis conueniat illi prauitati, quæ supereſt in sanctis post regenerationem. Hîc nos affirmamus, aduersarij negant: sed scriptura sancta citra controuersiam stat à nostris partibus. Nam Paulus disertè ait, Legem membrorum militare aduersus Legem Dei, & mentis: & prudentiam carnis inimicitiam esse aduersus Deum, vt Legi Dei nec subijciatur, nec possit subijci. Pugnatque omnino cum primo, & maximo præcepto, Diliges Dominum Deum tuum ex toto animo, ex toto corde, ex omnibus viribus tuis. Nam si omnes nostræ vires, & facultates, vt par est, Deo cederent, nusquam resideret in nobis ista cupiditas. Deinde ipsa eadem apertè pugnat cum vltimo præcepto, Non concupisces. Et Augustinus, vt eum suprà non vno loco citauimus, testatur, hæc duo præcepta, dum hîc viuimus, plenè seruari non posse. Cur autem data sint, cùm seruari non possint, pulchras affert rationes, quas hîc repetere non est necesse. Docuimus à definitione cupiditatem istam, de qua loquimur, esse peccatum. Nunc alia argumenta videamus. Vnus sumetur ab institutione hominis. Factus enim est homo ad imaginem, & similitudinem Dei: Et prædestinati sumus, vt efficiamur conformes imagini filij Dei: Et iubemur induere nouum hominem: qui, vt Paulus ait ad Colossenses capite tertio, renouatur ad agnitionem, & imaginem eius, qui creauit illum: quique, vt habetur in epistola ad Ephesios consistit in iustitia, & sanctitate veritatis. Imago autem Dei, quam induere iubemur, vt Tertullianus ait, in eo sita est, vt eosdem motus, & sensus habeamus cum Deo. Et Paulus ad Philippenses adhortatur, vt idem cum Christo sentiamus. Isti verò motus, & cupiditates imaginem Dei in nobis fœdissimè inducunt, & obliterant. Adhæc, quod nos oportet crucifigere, mortificare, & exuere, id necesse est peccatum esse. Nam si bona essent, spiritus sanctus nos moneret, vt ea potius foueremus. At Paulus ad Colossenses ait: Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram. Et ad Galatas: Qui sunt Christi carnem suam crucifixerunt, cum eius concupiscentijs. Et alibi: Exuite, inquit, veterem hominem. Quòd si Deo ita displicent isti motus, id aliunde esse non potest, nisi quia sunt peccata. Deus enim adeo bonus est, vt illi præter peccatum nihil displiceat. Postremò, peccato tanquam stipendium debetur mors. Quare ea nihil loci habere deberet, vbi nullum est peccatum. Id enim solus habuit filius Dei, vt mortem innocens oppeteret. Mortuus est enim propter peccata nostra. Nos verò ideo morimur, quia non sumus absque peccato. Quod cùm ita sit, expediant iam nobis aduersarij, cur infantes iam in Christo renati moriantur. Nam actualia peccata non habent: reatus verò originalis culpæ sublatus est. Tantùm supereſt cupiditas, & corruptio naturæ non omnino emendata, & prauí motus, quos Augustinus in libro 11. Confessionum ait in infantibus deprehendi, eáque confitetur, vt peccata, & accusat. Itaque propter ea, quandoquidem peccata sunt, non iniustè moriuntur. Cùm igitur firmissimis rationibus constet, malas cupiditates, quæ in nobis supersunt à Baptismo, peccata esse, iam reliquum est, vt videamus, ad quam peccatorum speciem, seu partem attineant. Peccatum videtur ita distingui, vt aliud sit, quod condonari possit, aliud, quod non possit. Transgressio contra legem Dei, quę nunquā remittit, est peccatum in spiritum sanctum. At si remitti peccatum possit, id bifariam accidit. Nam, aut sic remittitur, vt ab eo necesse sit omnino discedere, quod videmus vsu venire in grauioribus peccatis, quæ Paulus ait separare nos à regno Dei, et vulgò appellantur mortalia: Aut ita remittuntur, vt ab illis nō discedamus, partim propter innatā ignorantiā, partim propter infirmitatem, qua laboramus. Atq; hęc dicuntur peccata minutiora, & venialia: sine quibus humana vita non potest degi. Paulus inter hęc, vt suprà docuimus, pulchrū discrimē posuit:

Definitio peccati ex uerbo Dei.

Peccatū dicit ēius boni priuatiōnē, quod lex Dei præscribit.

In quo sita sit imago Dei.

Cupiditas innata & primi motus ad quod peccati genus reuocētur. Distinctio peccati.

cùm hortaretur, ne sineremus peccatum in nobis regnare. Atque de hoc tertio genere peccatorum idem Apostolus querebatur, cùm diceret, Infœlix ego homo, quis me liberabit, de corpore mortis huius? Et de his sentiunt nostri, cùm docent, opera hominum, quantumuis sanctorum, non esse absque mortali peccato: quoniam absque hoc genus defectibus nihil agimus. Dicuntur autem huiusmodi defectus mortales esse: quia natura sua merentur mortem. Stipendium enim peccati mors. Deinde etiam, quia quoad has labes nobiscum circumferimus, æterna vita frui non possumus. Ab ea enim excludimur tantisper, donec per omnem omnem corruptionem exuerimus. Præterea scriptum est, Maledictus, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in verbis legis huius. Qui verò conqueritur cùm Paulo, se non facere bonum, quod vellet, non præstat omnia, quæ Lex requirit, nec est prorsus absque maledicto: licet illi per Dei misericordiam id ad æternum exitium non imputetur. Sic autem nostri de bonis operibus sanctorum loquuntur, non quò aut negent opera bona, aut illa, cùm ab hominibus regeneratis fiunt, Deo grata esse non sentiant, sed vt nostra immunditia & impuritas agnoscatur, ad quam deprehendendam stupidi sumus, & pluſquã cæci. Sepositò igitur peccato in spiritum sanctum, alia peccata in tres gradus distinguũtur. Primo loco est Innata cupiditas: ex ea Secundo loco exhalant perpetuo primi motus, & impetus ad diuersa scelera. Tertiò accedit consensus voluntatis, & in actus erumpit. Paulus tres istos gradus superius designauit, cùm diceret: Ne regnet peccatũ in vestro mortali corpore, vt obediatis eius concupiscentijs. Peccatum, cui regnum non debet permitti, est innata cupiditas, & prauitas naturæ. Primi motus concupiscentiæ sunt, quas illa parit. Eis monemur, ne pareamus. Deinde additur obedientia: quæ peccatum ipsum consummat, & perficit: quod vulgò vocant actuale. Prauitatem naturæ dubium non est ad peccatum originale spectare. Rursus peccatum ad quod accesserit consensus voluntatis, appellant actuale. Dubium verò est de illis primis motibus (quibus nouo reatui, & obligationi iudicij Dei propter Christum non astringimur) ad originalẽne, an ad actuale peccatum sint referendi. Sunt certè medij, & ex vtraque parte aliquid capiunt. Quatenus enim aliquid per illos facimus, cupimus, desideramus, habent nonnihil peccati actualis. Et Paulus vtitur verbis ποιεῖν, & πράσσειν, quę procul dubio aliquam actionem significant. Ex altera verò parte, quia inuiti patimur hoc genus motus, ideo in eo cum peccato originali communicant. Illud enim ex lectione, & sponte non suscipitur. Hieronymus in cap. 7. Matthæi distinguit πάθη & καὶ προπάθειαν. πάθη & ait esse primos motus, postquam iam ad eos consensus voluntatis accesserit: προπάθειαν verò, quando mouent & incitant ab initio. Et addit, quamuis habeant culpam, tamen non teneri crimine: passionem verò in vitium reputari. Hîc annotare debes, Hieronymum fateri, primos motus habere culpam vitij: quamuis non teneatur crimine: hoc est, quãuis Christi beneficio non imputetur ad mortem: vel, quòd humano iudicio non habeatur pro crimine. Et quoniam peccatum rursus distingui solet in id, quod solùm sit peccatum, & in id, quod & peccatum sit, & pœna peccati, huius distinctionis Augustinus meminit in psal. 57. Primam enim à Deo apostasiam tantùm peccatũ esse dicit: quæ verò sequuntur, & peccata esse, & pœnas peccati, quoad perueniatur ad gehennam. Itaque quæcunque mala committuntur inter primam apostasiam, & Gehennam, ea & peccata esse, & supplicia sumpta de alijs peccatis. Id Paulus ad Romanos optimè docuit. Primùm enim ait, Ethnicos cognouisse quidem Deum, sed eum, vt Deum, non glorificasse. Atque inde addit, traditos eos fuisse in praua desideria, repletos omni malitia, auaritia, &c. Commemorat postremò gehennæ damnationem, Tu autem, inquiens, secundum duritiam tuam & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei: quo redditurus est vnicuique secundum opera sua. Atqui multi sunt, qui nõ putant ista peccata pœnas esse peccati: quòd homines ex illis non paruam voluptatem capiant. Verùm illi, nisi cœci essent, satis ex Apostolo intelligere possent, supplicia ea esse, & quidem grauissima. Ait enim, cor eorum fuisse excœcatum, eosq; redditos fuisse stultos, quamuis se iactarent esse sapientes, & traditos fuisse à Deo in reprobum sensum, vt contumelijs afficerent corpora sua. Quid ista sunt, nisi grauissima supplicia? Si, cùm aliquis furtum admisisset, statim illi manus exciderent, aut oculi eriperẽtur, diceremus, illum à numine grauiter puniri. Paulus ait, istos orbatos esse mente, cor habere infatuatum, & corpora sua ignominiosissimè contaminare: & ista non videtur esse supplicia? Quomodo existimare possumus, animum nostrum esse saluum, integrũ, incorruptum, si in eo regnet peccatum? Salomon ait, Nunquid fouebit aliquis ignem in sinu suo, vt vestimenta sua non comburat? Aut gradietur aliquis super prunas, vt tibi non adurat pedes? Idcirco autem peccatum dicitur esse pœna, quia lædit, & corrumpit naturam.

Cupiditas & primi motus ad malũ natura sua sũt mortales,

Per Dei misericordiam non imputantur ad dãnationem.

Tres gradus remissibilium peccatorum.

Prauitas naturæ pertinet ad peccatum originis.

Peccatum ubi regnat dicitur actuale.

Primi motus qui sũt medij adoriginale an ad actuale peccatum pertineant.

πάθος προπάθεια.

Alia distinctio peccati.

Omnia peccata præter primũ & peccata sunt & pœnæ peccati.

Peccata si placeant pœnæ dici possunt.

Quare peccatũ dicatur pœna.

Nam

Nam prauitas originalis peccati ita eam vitiauit, vt vix iam videri possit semiuiua: Et prauí motus, atque impetus, quí subinde ex illa excitantur, eam, nisi retundantur, & mortificentur, reddunt fortiorem: denique si illis consenseris, fiunt perpetuò valentiores: atque ita natura ruit semper in deterius. Hæc omnia eò spectant, vt intelligamus, concupiscentiam innatam, & prauos motus, qui adhuc in animis nostris supersunt, in hoc esse genere peccatorum: ita tamen, vt sint alius peccati antecedentis pœnæ, scilicet originalis culpæ, si non alterius alicuius grauioris. Adhuc tamen notandum est, primam quoque apostasiam ita peccatum esse, vt etiam pœna sit. Quoniam, vt diximus, nullum inuenitur peccatum, quod hominis naturam non grauissimè lædat: atque ita sui saltem ipsius pœnam coniunctam habet. Sed non omne peccatum alterius peccati antecedentis pœna est. Ea verò, de quibus nunc agimus, præcedentis peccati pœnas esse contendimus: eademque peccata esse affirmamus. Mirum autem videtur multis, cùm hæc necessaria sint, quomodo peccata esse possint. Verùm hac de re audiamus Augustinum in tertio libro De libero Arbitrio, capite 18. Sunt etiam, inquit, necessitate facta improbanda: vt cùm homo vult rectè facere, nec potest: Alioquí enim vnde sunt illæ voces: Non, quod volo, facio bonum: sed, quod nolo malum, hoc ago. Et illud: Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio. Et illud: Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Hæc enim inuicem aduersantur, vt non, quæ vultis, ea faciatis. Sed omnia hæc hominum sunt, & ex illa mortis damnatione veniunt. Nam si non est ista pœna hominis, sed natura, nulla ista peccata sunt. Si enim non receditur ab eo modo, quo homo naturaliter factus est ita, vt melior esse non posset, ea, quæ debet, facit, cùm hæc facit. Si autem homo bonus esset, aliter esset: Nunc autem, quia ita est, non est bonus: nec habet in potestate sua, vt bonus sit: siue non videndo, qualis esse debeat: siue videndo, & non valendo esse, qualem se esse debere, videt: Pœnam istam esse, quis dubitet? Hæc ille. Quibus in verbis multa sunt annotatione dignissima. Primùm fatetur, multa, quæ necessariò accidunt, improbanda esse. Deinde, cur ea peccata dicantur, affert rationem: quia receditur ab eo modo, quo naturaliter facti sumus. Tertiò ait, hominem non esse bonum, nec in potestate sua habere, vt sit bonus. Quartò, cur non possit esse bonus, duplicem affert rationem: vel quòd non videat, quid sit agendum: vel quòd videat quidem, sed illud ex infirmitate præstare non possit. Postremò annotare debes, illum hæc intelligere de hominibus renatis. Citat enim verba Pauli ad Galatas, & ea loca, quæ modò produximus, quæ non nisi de renatis intelligenda esse docuimus. Atqui huic sententiæ Augustini id obstare videtur, quod Hieronymus scribit in interpretatione fidei: Illos errare dicimus, qui cum Manichæo dicunt hominem non posse vitare malum. Verùm ista non difficulter possunt reconciliari: Nam Hieronymus de natura, vt à Deo instituta est, loquitur: Scribit enim contra Manichæos, qui docuerunt, ideo nos non posse resistere peccato, quòd à malo Deo per naturam, mali conditi simus. At nemo nostrûm dubitat, hominem, cùm ab initio crearetur, extitisse liberrimum. Augustinum verò loqui de natura lapsa, ex eo satis patet, quòd inquit: Hæc omnia hominum sunt ex illa mortis damnatione venientia: deinde fatetur, hanc hominis lapsi pœnam esse. Adhæc si ista referantur ad renatos, dicere possumus, Hieronymi sententiam tantùm respicere crassiora vitia, quæ nos separent à regno Dei, à quibus non dubitamus, homines in Christo renatos posse abstinere. Augustinus verò latissimè loquitur: & per peccata intelligit illa quoque, de quibus in præsentia loquimur, sine quibus in hac vita agere non possumus. Atque hæc posterior solutio citatur à Magistro Sentent. libro 2. distinct. 36. Sed obijcient nobis, iniuriam fieri Baptismo, si dicamus in eo non tolli peccatum. At huius criminis accusari me ritò non possumus. Affirmamus enim per regenerationem tolli reatum peccatorum. Etsi enim vitia ista maneant, vt & scriptura perhibet, & experientia testatur, tamen obligatio illorum, & reatus tollitur. Vnde Augustinus non semel dicit, manere quidem concupiscentiam: sed reatum eius sublatum esse per Christum. Et addit, fieri quandoque, vt actus, & opus peccati abeat, vt in furto, & adulterio videmus fieri, reatus tamen nihilominus maneat: quandoque verò, vt reatus tollatur, & vitium maneat: quod de ista concupiscentia, de qua loquitur, satis liquet. Manet quidem ea, sed tamen non possumus per eam æterni exitij rei peragi. Si quæras, cur peccatum dicatur, cùm reatus sublatus sit? respondeo, quia quòd non imputetur nobis, id non habet ex natura sua: nam quod ad eam attinet, vt suprà docuimus, meretur mortem, & damnationem: id autem aliunde accedit, nimirum, ex misericordia per Christum. Res verò quæuis ex se ipsa, & natura sua debet iudicari. Quare cùm propria ratio peccati sit pugnare cum Lege Dei, idq; in ista concupiscentia, & in illis

Quoad naturæ læsionem prima quoq; apostasia pœna dici potest Non omne peccatũ est pœna præcedentis peccati Etiã quæ necessariò fiũt, peccata esse possunt.

Homo non habet in potestate sua ut sit bonus.

Primi motus sũt peccata quia receditur à modo quo facti sumus. Cur homo nõ habeat in potestate sua ut sit bonus, Etiam de renatis hæc intelligũtur Hieronymus de natura integra loquitur contra Manichæos. Augustinus agit de natura lapsa.

Renati possunt à crassioribus vitijs abstinere.

Quælibet res ex natura sua debet iudicari.

Pelagiani catholicis exprobrabant fatuitatem. Simile.

primis motibus videamus euenire, ideo dicenda sunt peccata. Neque hac nostra sententia incidimus in fatuitatem, quam Pelagiani Augustino, & alijs Catholicis exprobrabant: quasi dicerent, per regenerationem non deleri peccatum, sed radi. Cùm enim pili raduntur, manent tamen adhuc sub cute affixæ radices eorum, per quas denuo pullulant. Quamuis enim nos in hominibus renatis cupiditatem, et prauos motus affirmemus remanere, Deum tamen nobis perfectè reconciliatum esse, non negamus. Itaque quamuis ista sua natura peccata sint, tamen Dei misericordia ita delentur, vt prorsus iam desinãt imputari: Quare, si imputationem spectes, nihil ex illis prorsus remanet. Obijciunt postremò, nos Augustino facere iniuriam, qui dicamus illum asserere, hæc esse peccata, cùm ille se ipsum interpretetur, quod peccatum improprie appellarit: Vt enim scriptura dicitur manus, quod à manu fiat, ita ista vocari peccata, quòd à peccato originis profecta sint: vtq; frigus dicit pigrum, quod nos pigros efficiat, ita ista dici peccata, quòd nos ad peccata incitent: proprie tamen peccata non esse. Ita, inquiunt, Augustinus non solùm hoc modo se ipsum interpretatus est, cur hæc peccata dixerit, verùm etiam nobis rationem tradidit, quemadmodum Paulum intelligere debeamus, cùm ista peccata vocet. Adhæc nos respondemus, primùm, si aut Augustinus, aut alius quispiam ex Patribus neget, hęc esse peccata, id intelligendum esse ex collatione, si conferantur cum actualibus: peccata autem naturam non posse ab illis in vniuersum reperi. Id Augustinus alibi quàm apertissimè docuit. Nam contra Iulianum libro 6. capite 8. Neque enim, inquit, nulla est iniquitas, cùm in vno homine, vel superiora inferioribus turpiter inseruiunt, vel inferiora superioribus turpiter reluctantur, etiam si vincere non sinantur. Cùm hoc peccatum appellet iniquitatem, aperte docet illi peccati rationem conuenire, quam superius approbauimus. Et libro quinto contra eundem Iulianum capite tertio, ita scribit: Concupiscentia carnis, aduersus quam bonus cõcupiscit spiritus, peccatum est: quia ineest illi inobedientia contra dominatum mentis: & pœna peccati est, quia reddita est meritis inobedientis: & causa peccati est, defectione consentientis. Hîc vides, cõcupiscentiam ab Augustino tribus modis appellari peccatũ. Neque dici potest, illum ista scribere de homine non regenerato: Aut enim expresse, Aduersus quam bonus concupiscit spiritus. Nam in impijs spiritus Dei non est, qui cupiditatibus reluctetur. Habemus ergo ex Augustino tria loca: vnum, quem suprà citauimus ex quinto libro De Libero Arbitrio, & duo contra Iulianum: quibus diserte fatetur, concupiscentiam peccatum esse, affertque rationem, cur ita sentiat. Neque debent aduersarij nostri, quod ad Pauli interpretationem attinet, confugere ad tropum, vt dicant, non esse hoc proprie appellandum peccatum. Nam & ex Paulo, & ex alijs scripturæ locis ratio adducitur, cur concupiscentia vere, ac proprie peccatum appelletur. Et mirandum est, istos vbique alias ita esse propensos ad tropos, cùm in vna propositione, Hoc est corpus meum, ab omni troporum genere tantopere abhorreant, cùm tamen illi maximè tropus conueniat. Quòd si desideres alia patrum testimonia, quibus demonstretur, concupiscentiam esse peccatum, supra citauimus Hieronymum in Matthæum. Et aliæ permultæ aliorum antiquorum Patrum sententiæ apud Augustinum contra Iulianum citatæ inueniuntur. Quæ omnes pro nobis faciunt. Sed nunc accedo ad expositionem octaui capitis.

Quo ad imputationẽ prorsus tollũtur peccata in regeneratione

Cur Augustinus istos motus dicat peccata.

Cùm patres ista dicũt nõ esse peccata, intelligunt non esse actualia

Expressæ uocat ista peccata & iniquitates affirmat esse.

Nota hæc Augustini uerba.

Concupiscentia in nobis relicta uerè ac propriè peccatum est.

CAPVT OCTAVVM.

Methodus huius capitis.

VM in hoc capite multa præclara tradantur, libet eorum summam in partes distinguere. Primùm Paulus remouet damnationem, quam sublatam esse ait per legem spiritus vitæ: quem spiritũ adepti sumus beneficio mortis Christi. Hanc autem libertatem non omnibus promiscuè promittit, sed illis tantùm, qui sint in Christo, & non secundum carnem ambulent, sed secundum spiritum. Nam qui se disiungunt à Christo, non possunt participes esse eius beneficij. Deinde addit, nos per hunc spiritum habere consortium, non solùm mortis, verùm etiam resurrectionis Domini: nam cùm per illum Christus excitatus sit à mortuis, quicunq; sunt eodẽ spiritu prędi ti, similiter à mortuis excitabuntur. Ob id hortatẽ nos, vt spiritu facta carnis mortificemus, quò vitæ sempiternę participes efficiamur. Tertio loco amplificat, & ornat hanc conditionem, quam per spiritum Christi adepti sumus: nempe, quòd iam filij Dei simus per adoptionem, quòd spiritu eius agitemur, & robusti facti simus

simus ad infortunia, & omnes afflictiones perferendas. Quæ laudes non parùm faciunt ad acuendum nostrum desiderium, vt hoc spiritu in dies opulentius ditari cupiamus. Quarto loco, opponit se illis, qui obijciebant, statum illum, in quo Christi fideles versentur, videri miserum, & infœlicem. Exercentur enim perpetuò aduersis casibus, vt etiam illi, qui habent primitias spiritus, cogantur ingemiscere. Hæc autem scribit, ex eo fieri, quòd absolutam regenerationem, & perfectam salutem nondum adepti simus: eam enim iam spe tantùm haberi, suo tempore, hoc est, in fine sæculi perficiendam. Quinto, docet propter ea mala, quæ nos vndique circunstant, salutem nostram nihilo minus esse certam: nam Dei prouidentiam, qua ad æternam fœlicitatem prædestinati sumus, neque mutari posse, neque falli: Per eam futurum, vt nobis Deum amantibus omnia cedant in bonum, nihilq; nobis nocere possit, cùm Deus filium suum, vnáque cum eo omnia nobis donauerit: ideòque, cùm pater nos iustificet, & filius pro nobis intercedat, nihil superesse, quod nos perterrefaciat. Postremò, tantam ait esse Dei charitatem erga nos, vt per nullam creaturam possimus ab illa reuelli. Ex his omnibus apparet, quanta sit vis spiritus adoptionis, quo consignati sumus, quandiu perfectionem fœlicitatis nostræ expectamus. Et hæc mirum in modum faciunt ad probandum, nostram iustificationem, non ex operibus, sed ex fide, & mera, ac gratuita Dei misericordia constare. Doctrina huius capitis ista omnia in summa continet. Quod ad primam partem attinet, Apostolus proponit, damnationem iam sublatam esse. Id probat, quòd donati simus spiritu Christi. Verùm hanc liberationem pollicetur illis tantummodo, qui sint in Christo. Cùm itaque iam de propositione constet, videndum est, quo pacto ista cum illis, quæ iam dicta sunt, cohæreant. Ad finem superioris capitis Paulus bis exclamauerat: primùm, cùm diceret, Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? per ἀποσιώπησιν autem liberatorem non expressit: hîc verò eum ait esse, Legem spiritus, & vitæ. Præterea ibi magno cum affectu dixerat: Gratias ago Deo per Iesum Christum Dominum nostrum: neque explicauit, quare gratias ageret. Nunc id plane docet. Ait enim nullam iam superesse damnationem: & liberatos nos esse à Lege peccati, & mortis. Hoc illud est, de quo gratias egit. Postremò adiecerat, se mente quidem seruire Legi Dei, carne autem Legi peccati. Nunc quid illud sit, apertius ostendit: nempè in Christo esse, non iuxta carnem ambulare, sed iuxta spiritum. Ex his apparet, quàm appositè ista cum illis, quæ dicta sunt, cohæreant.

Lex spiritus & vitæ liberat.

Gratiæ agendæ quod nihil nobis superfit damnationis.

Videtur Apostolus ita dicere: Quamuis peccatum, & naturæ prauitas, qua pij adhuc vexantur, vt iam dictum est, in illis residua maneat, tamen nihil esse periculi, ne hominibus renatis damnationem adferat. Illos enim iuuari per spiritum Christi, quo iam donati sint. Et quemadmodum superius luculenter egit de peccati violentia, & tyrannide, qua in nos imprudentes, & nolentes vtitur, ita nunc vicissim docet, quid in sanctis spiritus Christi agat. Quare, cùm non solùm sacræ literæ, sed etiam scriptores Ethnici diserte iubeant, vt quisque se ipsum norit, fortasse vix alius locus est, vnde id melius colligi possit, quàm ex his duobus capitibus. Constat enim homo pius ex corrupta & vitiata natura sua, & ex spiritu Christi. Et quoniam iam suprà didicimus, quid prauitas naturæ, hoc est, peccatum, in nobis efficiat, nunc autem exponitur, quæ Christi beneficia ab eius spiritu consequamur: ex his poterit se ipsum quisque quod ad vtranque partem attinet, cognoscere. Mirabilis sanè est Apostoli prudentia: qui cùm de vi peccati scriberet, eam expressit maximè in persona sua: vt intelligeremus, nullum esse hominem tam sanctum, qui ab eo peccato, quoad hîc viuat, eximatur. Postea verò, cùm agitur de auxilio spiritus Christi, inducit personam aliorum, ne cuiquam in mentem veniret, non quoslibet Christianos frui hoc præstanti auxilio Dei, sed tantùm primarios quosdam, & eximios, quales fuerunt Apostoli. Post illa, quæ iam audiuimus ex septimo capite dicere quispiam potuisset, Quando ita captiui abducimur à peccato, & nolentes, & inuiti, quæ spes esse poterit salutis nostræ? Multa inquit, Paulus.

Quæ ualeant ad noscendum seipsum,

Homo pius ex duob. principijs constat.

Quare Paulus personas mutet in ijs duabus descriptionibus.

Quandoquidem nihil iam damnationis est illis, qui sunt in Christo. Liberamur enim per spiritum Christi à Lege peccati, & mortis. Hæc ratio ab efficiente causa sumpta est: qua non solùm id probatur, quod erat propositum, verùm etiam nucleus ipse, ac succus intimus nostræ iustificationis attingitur. Quamuis enim homines iam iustificati ita restituantur donis Dei, vt incipiant sanctè viuere, & inchoatam aliquam Legis obedientiam præstare, tamen, quia illis niti non possunt in iudicio Dei, cùm imperfecta sint, & vitio non careant, in eo necesse est sitam esse iustificationem nostram, vt nobis peccata condonentur, hoc est, vt ab eorum reatu liberemur. Atque hoc est, quod Paulus hîc scribit:

In quo sita sit iustificatio.

Liberauit me à iure peccati, & mortis: Id est, à reatu, aut obligatione, qua peccato, & morti æternæ fueramus obstricti. Quando autem hæc obligatio sublata est, nihil est præterea cur condemnationem extimescamus. Cæterùm, cùm id dicatur contingere per spiritum Christi, perspicuum esse potest, homines ex operibus non iustificari. Illa enim sequuntur spiritum, & fructus eius esse prædicantur. Hæc autem assertio ad illos tantùm pertinet, qui sunt in Christo: vt eos omnes intelligamus esse exclusos, qui fidem, & Euangelium iactant, cùm interim volutentur in crassissimis vitijs, & à Christo sint alieni, & cùm multa admittant contra conscientiam, tamen nulla tangantur pœnitudine. Id quod adijcitur, *Qui non secundum carnem ambulant, sed secundum spiritum.* Exponit id, quod prius dictum fuerat, *In Christo esse.* Vtque magis intelligas, idem esse, repetendum est, quod Apostolus superius scripsit, Non regnet peccatum in vestro mortali corpore: hoc est, Quamuis cupiditatibus istis incitemini, tamen illis non debetis imperium animi vestri permittere. Id verò, quod Apostolus hoc loco nuntiat, magnam secum adfert consolationem. Qui concluduntur in carcere, & male sibi conscij, nihil aliud expectant, nisi capitalem sententiam, illis si indulgentia, & condonatio insperantibus offeratur, non possunt non maximo, & vehementissimo perfundi gaudio. Ita nos, cùm videamus nobis propter peccata deberi exitium, non possumus non isto nuntio vehementer exhilarari, cùm audimus ex sacris literis, omnia nobis propter Christum gratis condonari. Quare, si hoc tanto beneficio frui volumus, necesse est, vt propositæ indulgentiæ credamus. Hæc enim Dei liberalitas nobis sine fide nihil proderit. Etsi ex his ipsis, quæ diximus, non dubito intelligi posse, quid Paulus velit, quatuor tamen sunt, quæ inutile non erit diligentius examinare. Primùm, Quid nam illud sit, per quod liberamur: Deinde, à quo mali genere liberati simus: Tertiò, quæ nam ista sit liberatio: Postremò, ad quos ea pertineat. Quod ad primum attinet, Apostolus ait, condemnationem sublatam esse per Legem spiritus vitæ: qua intelligimus spiritum sanctum qui regit animos nostros, & motibus eius interioribus moderatur. Cui expositioni subscribit Chrysostomus. Nam quemadmodum, inquit, Lex peccati, est peccatum: ita Lex spiritus, est spiritus. Quod autem additur, *Vitæ*, id à quibusdam ita accipitur, quasi vox ea coniungenda sit cum Lege: vt Lex dicatur, Lex spiritus, & Lex vitæ. Sed Græci sermonis ratio exigere videtur, vt illud sit epitheton spiritus. Sic enim scribitur, τοῦ πνεύματος τῆς ζωῆς: Hic articulus vocem ζωῆς cum spiritu, non cum Lege copulat. Sensus igitur erit, nos liberari à spiritu, authore vitæ, non autem à quouis spiritu, qui frigeat, & vita careat. Ambrosius per Legem spiritus intellexit fidem: quam Legem mediam ponit inter alias duas Leges, Mosaicam, inquam, & Legem carnis. Fides non impellit, aut rapit ad vitia, quemadmodum superius de Lege membrorum, & carnis Paulus docuit. Nec est fides, vt Lex Mosaica, quæ tantùm admoneat, quid fieri oporteat, vires autem non suppeditet, nec, si quid peccatum fuerit, condonet. Nam fides &, quid agendum sit, docet, & vires ad perficiendum affert, &, si quid peccatum est, eius condonationem impetrat. Ex his habemus, quid intelligendum sit, per Legem spiritus vitæ: nempe spiritum sanctum, aut fidem. Vtrunque verum est: quia re vera nostræ liberationis author est spiritus Christi. Instrumentum autem, quo vtitur ad nos seruandos, est fides. Est enim ea primum donum, quo Deus afficit, & ornat homines iustificandos, vt ea promissiones propositas amplectantur. Iam vt alterum quoque intelligamus, *Liberati sumus à Lege peccati, & mortis.* His verbis non significatur Lex Mosaica, quamuis ab ea per fidem in Christum liberati simus. Verùm Apostolus hoc in præsentia non agit: nec in sacris literis Lex Mosaica appellata est, Lex peccati. Quamuis enim peccatum per illam augeatur, tamen ea peccatum non præcipit, nec peccatum fuit eius author: imò Lex Mosaica dicitur spiritualis, partim quod Spiritus sanctus fuerit eius author, qui eam tulit in monte Sina, partim quòd ea omnia, quæ mandat, sint spiritualia, neque cupiditati, nec carni nostræ consentanea. Posset quidem ea aliquo modo appellari Lex mortis: nam in posteriori epistola ad Corinthios appellatur ministerium mortis: sed hæc illi nisi nostro vitio non conueniunt. Alioqui enim per se ipsam ea proponit, quæ conducerent ad vitam. Incurrit autem in naturæ nostræ peruersitatem: atque ex eo fit, vt mors consequatur. Quam rationem si sequi velimus, Euangelium quoque dici posset instrumentum mortis. Paulus enim in posteriori ad Corinthios ita scribit: Alijs sumus odor vitæ ad vitam, alijs verò odor mortis ad mortem. Quare multum interest, quo quis olfactu odoretur Euangelium. Nam ex vna & eadem re effecta pugnantia consequi, non est mirum. Videmus enim quotidie ab eodem, & vno Sole & siccari lutum, & ceram

Simile.

Quatuor proponuntur examinanda.

Causa efficiens et instrumentum nostræ salutis.

Lex Mosaica nõ dicitur lex peccati.

Lex mortis dicitur, sed per accidens.

Euangelium per accidens est instrumẽtũ mortis.

ceram liquefieri. Verùm cùm ita sit, mirari quispiam possit, cur Euangelium in sacris literis non appelletur ministerium mortis, quemadmodum Lex Mosaica? Respondet Ambrosius, Quoniam Euangelium natura sua non damnat: sed eos, qui non credunt, relinquit sub Lege. Illa verò est, quæ damnat, & occidit. Nam sub pœna exitij præcipit, vt Christo credamus. Itaque qui non credunt, Legis damnatione pereunt. Euangelij verò non est, nisi seruare. Possemus etiam paulò apertius respondere: Euangelium, quandiu foris tantùm sonat, ne que intus est spiritus in animis audientium, qui eos moueat, & flectat ad credendum, rationem habere literæ occidentis, neque quicquam differre à Lege, quod attinet ad efficaciam salutis. Etsi enim alia contineat, quàm Lex, tamen neque Gratiam, neque remissionem peccatorum audientibus largiri potest. At postquam spiritus corda audientium semel permouerit, vt credant, tum demum Euangelium vim suam ad seruandum obtinet. Lex igitur peccati, & mortis, à qua liberati sumus, est ea, de qua superius dictum est, quòd nos abducit captiuos, & rebellet contra Legem mentis. In hac pugna, inquit Chrysostomus, spiritus sanctus nobis adest, & iuuat, ac liberat, ne in damnationem incurramus. Coronat, inquit, nos, & stipatos auxiliarijs copijs in certamen adducit. Quod ego sic intellígo, vt dicamur coronari per condonationem peccatorum: iuuari autem auxiliarijs copijs, cùm sic iuuamur charismatis, & spiritus robore, & instrumento cœlestium donorum, vt hanc Legem innatæ prauitatis non sinamus in nobis regnare. Atque hoc sit dictum de eo malo, à quo per spiritum Christi liberamur. Nunc dicendum est, quæ nam sit huius liberationis natura. Conferri quidem potest hæc liberatio cùm ea, qua filij Israel asserti sunt ex Aegypto. Illi autem non ita vindicati sunt in libertatem, quin eos per desertum grauia pericula, & magnæ tentationes exercuerint: cumque peruenissent in terram Chenaan, semper habuerunt reliquias Amorræorum, Chittæorum Heuæorum, Cetæorum, cum quibus perpetuò luctarentur. Nos quoque ita à morte, & peccato liberati sumus, vt tamen horum malorum non parum adhuc supersit. Nocere tamen ea, vt Paulus ait, non possunt. Etsi enim peccatum sit, tamen non imputatur. Per mortem verò ita soluetur corpus nostrum, atque ab eo anima ita separabitur, vt per sanctam resurrectionem nihilominus rediturum sit ad vitam. Et idcirco Paulus non simpliciter dixit, nos liberatos esse à peccato, & à morte, sed à Lege, ac iure illorum. Et Augustinus De Nuptijs, & concupiscentia libro 1. capite 32. ait, hanc liberationem constare ex condonatione reatus: quod etiam videmus, in negotijs ciuilibus euenire. Si quis enim coniectus in carcerem, & malè sibi conscius expectet sententiam capitalem, Regis autem liberalitate, & misericordia non solùm à supplicio eximatur, verùm etiam amplissimo patrimonio, & splendidis ornamentis cohonestetur, si requiramus in eo caput, & causam eius liberationis, inueniemus eam sitam esse in absolutione criminis. Quid enim illi prodesset ita ditari, si statim capitali supplicio esset afficiendus. Ita nos quamuis beneficio spiritus vires habeamus instauratas, & facultatem inchoatæ obedientiæ, cùm per hæc omnia Legi Dei non possit satisfieri, nunquam possemus iustificari, nisi remissio peccatorum intercederet. Adhuc enim essemus sub condemnatione, & iure peccati, & mortis obstringeremur. Cùm autem Paulus vtitur voce, Legis, loquitur metaphoricè. Nam per Legem intelligit vim, & efficaciam. Eamque varijs rebus tribuit, peccato, morti, spiritui: atque si quid aliud est, quod regendi, & moderandi authoritatem habet, id eius Lex dici potest, quem moderatur, & regit. Sed, vt satis iam docuimus, cùm auditur vox Legis, nemo debet suspicari, sermonem institui de Lege Mosaica. Atque hæc de forma liberationis. Occurrit tamen hoc loco sententia Chrysostomi, in homelia de sancto, & adorando spiritu: qua monet, hunc locum vtilem esse ad probandam diuinitatem spiritus sancti. Nam si spiritus nobis sit author libertatis, ipsum oportet esse liberrimum. Esse autem eum authorem nostræ libertatis, non tantùm hic locus ostendit, sed etiam ille, Vbi spiritus Domini, ibi libertas. At Arrius, Eunomius, & aliæ pestes eius generis spiritum sanctum seruum esse voluerunt. Illi enim in sancta Triade magnam personarum diuersitatem statuerunt: filium creaturam esse, eóque longè patre inferiorem: spiritum autem sanctum ministrum filij, ac seruum esse. Sed si seruus est, quomodo alijs potest esse author libertatis? Habet ille quidem alia argumenta ex scripturis, quibus Arrianos confutet: sed mihi satis est hoc vnum retulisse: quia ad hunc locum nonnihil facit. Iam videamus, quinam sint huius liberationis participes. Neque verò hoc superfluè Paulus agit. Cùm enim docuisset, libertatem istam proficisci à spiritu Christi, quamuis ea causa sit vera, & potissima, tamen, quoniam ea sæpè latet, nec ab alijs videri potest, Paulus ad effecta, vt ad euidentiora se conuertit. Multi enim sæpè spiritum, & fidem iactant, qui tamen

Euangelium vt tantùm sonat ex terius parũ differt à lege.

Nostra liberatio cum ea cõfertur qualsraelitæ euaserunt ex Aegypto.

Simile.

Vox legis metaphoricè hìc accipitur.

Locus ad probandam spiritus sancti diuinitatem.

ab illis longè absint, & in damnatione relinquantur. Hunc eundem morem Christus seruabit in extremo iudicio. Primùm quidem dicet, venite benedicti patris mei: percipite regnũ paratum vobis ab origine mundi. His verbis exprimitur prima, & potissima causa nostræ salutis, nimirum, quòd electi simus à Deo, & prædestinati. Quoniam autem hæc causa latet oculos hominum, vt videantur iusti hæredes regni cœlorum, id statim declarat per effecta. Esuriui, inquit, & pauistis me: sitiui, & dedistis mihi potum: in carcere fui, & visitastis me, &c. Ita hoc loco Paulus expresit veram causam nostræ liberationis, nempe spiritum Christi. Nunc, vt intelligantur, qui sint eius participes, eius liberationis proponit effecta:

Probatio ab effectis demonstrat q̃ sint electi Dei.

His, inquiens, *qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant, sed secundum spiritum.* Quod additur, iuxta spiritum ambulare, & non iuxta carnem, quia infra repetitur, eo loco explicabitur. Videre igitur oportet, quid sit esse in Christo. Primùm id occurrit, quod omnibus mortalibus est commune. Dei enim filius, quia suscepit humanam naturam, cum omnibus hominibus coniunctus est. Nam cùm ipsi commercium habeant cum carne, & sanguine, vt testatur epistola ad Hebræos, ipse quoque carnis, & sanguinis factus est particeps. Sed ista coniunctio generalis est, & infirma, & tantùm, vt ita dicam, iuxta materiam. Natura enim hominum ab ea natura, quam Christus suscepit, longè disiuncta est. Natura enim humana in Christo & immortalis est, & exempta à peccato, & omni puritate ornata: nostra verò impura, corruptibilis, & peccato miserè contaminata. At si ea donetur spiritu Christi, ita reparatur, vt à Christi natura non multùm absit. Imò tanta fit accessio, vt Paulus in epistola ad Ephesios dicat, Nos esse carnes de carnibus eius, & ossa de ossibus eius. Quæ loquendi forma ex literis veteris Testamenti videtur esse desumpta. Ibi enim fratres, & cognati ita de se mutuò loqui solent: Os meum est, & caro mea. Videntur enim ex eodem semine patris, & eodem vtero matris vnam sibi communem materiam agnoscere. Ad quod etiam accedit, quòd filij à parentibus non solùm trahunt carnalem, & corpulentam substantiam, sed etiam ingenium, affectus, indolem. Hoc idem in nobis, vsurvenit, cùm donamur spiritu Christi. Nam præter naturam, quam habemus cum illo communem, mentem quoque eius habemus, vt Paulus monet in priori ad Corinthios, & eundem sensum, quemadmodum requirit ad Philippenses: Idem, inquiens sensus sit in vobis, qui & in Christo Iesu. Hanc coniunctionem nostram cum Christo Paulus expresit in hac eadem epistola per insitionem: in qua duo ea, quæ iam commemorauimus optimè deprehenduntur. Quia surculus, qui inseritur, & planta in quam inseritur, vnum quiddam efficiuntur: nec tantùm materiæ, quæ diuersæ fuerant coniunguntur, sed etiam eodem succu, spiritu, & vita simul vegetantur. Hoc idem in nobis Apostolus fieri testatus est, cùm nos ait insertos esse in Christum. Idem etiam Christus docet in Euangelio Ioannis, cùm se appellat vitem, & nos palmites. Palmites enim vitam eandem communem habent cum vite: eodem spiritu pullulant: & fructum eundem ferunt. Et Paulus in epistola ad Ephesios coniunctionem nostram cum Christo contulit cum matrimonio. Ait enim illud magnum esse sacramentum in Christum, & Ecclesiam. Nam quemadmodum in coniugio non solùm corpora communicantur, sed etiam affectus, & voluntates coniunguntur, ita certa & sua ratione fit inter Christum & Ecclesiam. Eos itaque Apostolus pronuntiat liberatos esse à peccato, qui manent in Christo, & in eo sunt eo modo, quo iam exposuimus, vt vitam eius viuant, idem cum eo sentiant, & fructus operum non diuersos à fructibus eius edant. Et qui sunt huiusmodi, illi timere non possunt condemnationem, aut iudicium. Dominus enim Iesus est salus ipsa, quemadmodum nomen eius satis indicat. Quare, qui sunt in illis nihil periculi est, ne condemnentur. Huc addimus, eos etiam esse in Christo, qui in omnibus rebus suis pendent ab eo: quique quicquid suscipiunt, aut agunt, ab eius spiritu impelluntur. Ab eo pendere, nihil aliud est, quàm, quicquid instituimus, ad eum respicere, & eius solius gloriam quærere. Qui autem aguntur eius spiritu, affectus, & incitationes cupidatum non sequuntur. Ex his apparet, quomodo fideles homines, et pij sint in Christo, idq; per omnia causarum genera. Materiam enim habemus eandem: inchoationes etiam formæ easdem: donati enim sumus eisdem notis, proprietatibus, & conditionibus, quas ille habuit. Efficiens causa, qua impellimur ad agendum, est idem spiritus, quo ipse agebatur. Postremò finis etiam idem est, nimirùm, vt illustretur gloria Dei.

Quæ sit coniunctio quam habemus cum Christo

Phrasis Hebraica, os nostrum et caro nostra.

Simile.

Coniunctio nostra cum Christo confertur matrimonio.

Qui sint in Christo.

In Christo nos esse probatur ex omni genere causarum.

Quod autem impossibile erat Legi, quatenus infirmabatur per carnem, Deus mittens filium suum. Hîc affertur ratio, qua ostenditur istum Dei spiritum liberatorem nobis donatum esse, vt de eo certiores efficiamur. Cùm enim homines audiunt, habendum esse spiritũ Christi, statim cogitare solent, se propter impuros affectus, & mores deprauatos indignos esse, qui eum recipiãt.

Hanc

Hanc dubitationem Paulus eripit: aitq́ue illum beneficiũ nobis conferri per mortem Christi. Hic enim finis erat propter quem Christus mori voluit, vt per spiritum illius iustificatio legis impleretur in electis. Neq; alia de causa carnem suscepit, quàm vt infirmitati carnis no stræ succurreret. Hoc de proposito cõsilioq; Dei hîc agit Apostolus. Ex hoc loco liquidò apparet, quomodò idem opus vt vel ab hominib. vel à Deo proficiscitur, ita vel peccatũ esse, vel virtutem. Iudæi nihil aliud quærebant in morte Christi, quàm vt odium suum exatiarẽt, & reijcerent verbum Dei, & castigationes, & reprehensiones Domini repellerent, & suos honores retinerent. Isti fines cùm sint pessimi, non potuit actio non esse scelerata. Deus verò cùm spectaret declarationẽ bonitatis suę, & salutem generis humani procuraret, tradendo filium suum in mortẽ, summæ charitatis opus præstitit. Quare si propriè loqui volumus, Deus nõ potest dici causa peccati: etsi eius rei, quæ in nobis peccatũ sit, causa esse negari nõ possit: nam quod in eo laudabile est, & à virtute proficiscitur, sæpè fit, vt à nobis, vt impuri sumus, cõtaminetur. Cùm ait: Quod impossibile erat legi, & legem infirmam esse docet, & ex antithesi spiritũ, & fidem esse fortẽ. Non autẽ apparet infirmitas illa legis, nisi debilitate nostri arbitrij probè cognita. Inde enim lex infirma est, quia in naturã vitiatã incurrit. Nam alioqui lex ipsa, quatenus scripta est, neq; infirma est, neq; fortis. Homo autem infirmus iudicatur, quoad sub lege relinquitur, & spiritu Christi non releuatur. Hic locus efficacissimè conuincit, Iustificationem non esse ex operibus, neque vlla esse opera præparatoria: nam actiones, quæ iustificationem præcedunt, vel conueniunt cum lege Dei, vel ab ea deficiunt. Si conueniunt cum lege, necesse est, fateamur legem non esse infirmam, vt quæ sine spiritu, & gratia præstari potuerit. Id Paulus hoc loco negat posse fieri. At si talia opera deficiunt à regula Legis, quod negari non potest, ea fateri oportet peccata esse. Atqui peccatis nemo potest iustificari. Hîc etiam redarguuntur Pelagiani, qui dicere, & docere audebant, hominem naturæ viribus posse implere præcepta Legis. Nam Paulus contrà docet, Legem per carnem ita infirmam fuisse, vt alio auxilio nos oportuerit liberari. Quum autem ait, Legem fuisse infirmatam, per carnem, nemo sibi fingat damnari hîc substantiam carnis, aut naturam corporis: nam hæc à Deo creata sunt bona. Sed per carnem intelligit prauitatem, & corruptionem, quę per lapsum Adami transiuit in nostrum genus. Quę cùm etiam in hominibus renatis residua sit, non possunt ne illi quidem perfectè, ac plenè Legi Dei satisfacere, donec hanc carnem prorsus exuerint. Vtq́ue Chrysostomus annotauit, Lex Dei his verbis non damnatur, sed potius commendatur, quòd recta, & iusta præcipiat, non autem possit ad finem perducere. Itaque necessarius, inquit, fuit aduentus Christi, qui legi suppetias ferret: nam illa quidem rectè docuerat, quid esset faciendum, quidue fugiendum. Verùm adhuc duo præterea alia erant necessaria, quæ Lex conferre non potuit: primùm, vt condonentur ea, quæ contra eius præcepta admissa fuerint: alterum, vt vires hominis corroborentur, quibus possit legis iussa perficere. Absque his duobus, quicquid lex de faciendis rebus, fugiendisque docet, prodesse non potest, sed potius ad condemnationem facit. Qui enim scit voluntatem Domini, & non facit, grauius punitur, quàm ille, qui voluntatem Domini ignorauit. Commentaria illa, quæ adscribuntur Hieronymo, diserte hoc loco asserunt, non esse hîc Apostolo sermonem de lege ceremoniarum: loqui enim eum hîc de ea lege, de qua in 7. cap. Matthæi scribitur: Quæ vultis, vt faciant vobis homines, ea vos illis facite: de qua subiectum sit, hanc esse legem, & prophetas. Quare nihil est quòd quisquam cauilletur, illud, quod Paulus ait, Impossibile fuisse legi, non ad legem moralem, sed ad ceremonias referri. Tria verò hoc loco sunt obseruanda: primum, quid moueri Deum, vt filium suum daret: alterum, quid Christus datus nobis præstiterit: postremò, ex eius opere, quis fructus prouenerit. Quod ad primũ attinet, Apostolus ait, hoc fuisse proposito Dei, cùm daret filiũ suum, ne legis infirmitas obstaret saluti nostræ. Vidit enim eam adeò fuisse debilem, propter infirmitatem carnis nostræ, vt ad destinatam salutem eius ministerio non possemus attingere. Quam sententiã si aduersarij nostri considerarent, viderent, se nec opera præparationis, nec iustificationem ex operibus posse statuere: nisi fortè hoc consilium Dei existimarent non fuisse necessarium. Et isti quidem, quantùm in ipsis est, Christi beneficium imminuunt, nec patris erga nos charitatem integram, plenamq; agnoscunt. Paulus ait, legem sine Christo infirmam esse: isti aiunt, nos, priusquàm simus participes Christi, posse bene operari, & obtemperare legi Dei. Et quanuis Paulus hîc doceat impossibilitatem legis, tamen patres quandoque anathema fecerunt eum, qui auderet dicere, Deum præcepisse impossibilia. Quanquam si quis rectè intelligat nostram assertionem, facilè videbit, nos non docere, mandata Dei esse prorsus impossibilia, nisi

Idem opus est uirtus & peccatũ, prout uel à nobis, uel à Deo proficiscitur.

Deus propriè loquẽdo causa peccati dici nõ debet.

Argumentũ de iustificatione, quòd ex operib. non habeatur.

Pelagiani hoc loco iugulantur.

Duo sunt, quæ lex præstare nõ potest.

Tria hîc inuestigantur.

Deus dedit filiũ ne infirmitas legis nostræ saluti obstaret.

An Deus præceperit mandata impossibilia.

tantùm quod ad eos attinet, qui à Chriſto ſunt alieni. Nam homines iam regenerati habẽt obedientiæ inchoationem, & ſtudium, & cõdonationem defectuum, quos admittunt. Iuſtitia etiam Chriſti, qua Lex impleta fuit, illorum iam eſt iuſtitia, & illis à Deo imputatur. Vires enim capitis in membra defluunt. Poſtremò ſpe ſalui facti ſunt, & legis complementum, quod deſideratur in eorum operibus, quandiu hîc viuitur, vbi cõiungentur cum Chriſto in alia vita, habebunt perfectè omnibus modis cumulatum. Voluit itaque Deus infirmitati Legis, quæ oritur ex infirmitate noſtra, remedium adferre. Videamus ergo, quid Deus fecerit.

Filium ſuum miſit in ſimilitudine carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne. Ex his verbis apparet, diuinarum perſonarum in ſancta Triade numerus, & diſtinctio. Nam ſi filius mittitur à patre, neceſſe eſt alterum ab altero diſtinctum eſſe, contra Photinum, Sabellium, Patripaſsianos, & alias huiuſmodi peſtes, qui filium, & ſpiritum ſanctum docuerunt, & à patre, & inter ſe diſtingui tantùm, quod attinet ad nomina. Quem autem Paulus ordinem in perſonis poſuerit, facilè poſſumus videre. Primùm, ait, ſpiritum eſſe liberantem: deinde eum ipſum ſpiritum dari per Chriſtum: poſtremò, filium mitti à patre. Atque ita vltimum effectum ſalutis noſtræ reſoluit in primam cauſam.

Diſtinctio perſonarum in Trinitate.

In ſimilitudine carnis peccati. Monuit Auguſtinus, hæc legenda eſſe coniunctim, vt ſimilitudo non referatur ad carnem, ſed ad peccatum. Habuit enim natura humana, quam Chriſtus ſuſcepit, ſpeciem peccati: non tamen ea reuera peccato contaminari potuit. Ad Philippenſes etiam ſcribit Paulus, Chriſtum fuiſſe in ſimilitudine hominum: non quòd re ipſa homo non fuerit: ſed quòd ita ſe ſubmiſerit, vt à vulgari hominum cõſuetudine nihil receſſerit, nec natura Verbi Dei naturam humanam corruperit: ſed eam ita reliquerit integram, vt etiam ſpecies, & ſimilitudo hominum aliorum in Chriſto oſtenderetur. Atque ideo Apoſtolus vſus eſt voce ſimilitudinis, vt Dominus intelligeretur, non fuiſſe purus homo, vt cæteri fuerunt: quãuis talis videretur. In eo enim natura diuina occultabatur. Nihil ergo eſt, quòd aut Marcionitæ, aut alij ſimiles hæretici negent ex his locis, Chriſtum habuiſſe veram carnem. Aſſumpſit enim naturam humanam, vt annotarunt Græca ſcholia, cum eius affectibus: non quidem illis, qui naſcuntur è malitia: ſed illis, qui ex natura à Deo inſtituta oriuntur. In ſumma, nihil aliud eſt accepiſſe carnem peccati, quàm Chriſtum ita factum eſſe hominem, vt calori, frigori, fami, ſiti, contumelijs, & morti fuerit obnoxius. Nam hęc ſunt effecta peccati. Et idcirco caro Chriſti caro peccati dici potuit. Auguſtinus in libro 14. contra Fauſtum, agit contra hæreticum, qui repudiabat Moſen: quaſi ille contumelioſus fuerit in Chriſtum, cùm ſcriberet, maledictus omnis, qui pendet in ligno. Cui Auguſtinus reſpondet, ſi hac ratione damnas Moſen, repudiabis etiam Paulum. Nam is ad Galatas ſcribit, Chriſtum factum eſſe maledictum pro nobis. Idemq; in poſteriore epiſtola ad Corinthios ait, eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis factum eſſe peccatum. Deinde citat hunc locum, de quo agimus, Deum miſiſſe filium ſuum in ſimilitudine carnis peccati, & de peccato damnaſſe peccatum. Adfert etiam rationem, cur caro Chriſti dicatur peccatum: nimirum, quòd mortalis fuerit, & mortem experta ſit, quæ neceſſariò conſequitur peccatum. Vultq; figuratam eſſe iſtam loquutiõnem, qua per id, quod antecedit, exprimitur conſequens. Sed præter hanc interpretationem Auguſtini, alia etiam ſe nobis offert, quam idem Auguſtinus tractans hunc locum ſequitur, quam etiam videtur didiciſſe ex Origene. Deſumpta autem ea eſt ex Leuitico: vbi cùm diuerſa genera ſacrificiorum inſtituantur, mentio fit hoſtię pro peccato: quę hoſtia ipſa paſsim appellatur peccatũ. Voci verò illi ſæpe additur præpoſitio, & Hebraice ſcribitur לחטאת & לאשמת hoc eſt, pro peccato, & pro delicto: vt hinc videamus, quod ſępe dixi mus, ſacramẽta habere nomina earũ rerum, quas ſignificãt. Et in hac loquendi forma cõſpiraſſe videntur etiam aliæ linguæ, & Latina, & Græca. Latini enim appellant piaculũ, aut piacularem hoſtiam, quæ offertur ad auertendam iram numinis. Idem Græcè appellant κάθαρμα ab expurgando: & ἀνάθεμα. Atque hoc eſt, quod Paulus nonnunquãappellat peccatum, & maledictum. Hic igitur erit ſenſus: Chriſtum damnaſſe peccatum, quod erat in carne noſtra, de peccato, hoc eſt, ea victima, quę fuit pro peccato, hoc eſt, carne ſua, quæ nũc appellatur, περὶ ἁμαρτίας: quod eſt, Hebraica conſuetudine loquendi, ſacrificium pro peccato. Cõdemnare verò hoc loco eſt auferre, & exautorare ea, quæ conſequi ſolent damnatos. Vtq; facilius intelligatur, quomodò Chriſtus moriendo damnauerit peccatum, fide ſtatuere debemus, illum nobis impetraſſe ſpiritũ, quo peccata condonantur, quoq; cupiditas, quæ omnium peccatorum radix eſt, retunditur. Alijs autem locus iſte aliter videtur eſſe exponendus, quaſi Chriſtus damnauerit peccatum in carne ſua, hoc eſt, ſe ipſum puniri, & immolari vo-

Vocabulum ſimilitudinis non tollit ueritatem carnis.

Caro Chriſti cur dicatur peccatũ

Hoſtia pro peccato dicitur peccatum.

Sacramenta habent nomina rerum ſignificatarum.

Quomodò Chriſtus moriẽdo peccatũ dãnauerit.

voluerit pro peccato, videlicet, noſtro. Quæ interpretatio à priori non ita multũ diſcrepat. Quod verò Chryſoſtomus, & Ambroſius adferunt, longè alienius eſt: putant enim illi, peccatum ipſum damnatum eſſe à Chriſto de peccato, hoc eſt, eo nomine, quod egerit iniuſtè, & grauiter peccauerit: Suo enim iure peccatum videbatur ſæuire in homines, qui ab ipſa origine illi erant oboxij. Quòd autem auſum fuerit in Chriſtum ipſum innocentiſſimum manus iniicere, meruit condemnationẽ. Ambroſius autem innuere videtur, peccatum hîc accipi pro diabolo, qui pluſquàm licuerit, Chriſtũ occidendo tentauerit: vnde putat, eum amiſiſſe poteſtatem, quam in homines antea habuerat. Sed hæc interpretatio etſi nihil impij contineat, tamen cum Apoſtoli ſenſu non quadrat. Paulus enim reddit rationem, quomodò à Chriſto liberati ſimus à cupiditatibus, ac motibus, de quibus ad finem ſeptimi capitis conqueſtus fuerat. Quumq; mors Chriſti ponatur huius liberationis cauſa, expoſitio ea, quam adduximus de ſacrificio pro peccato, & congruit rationi, & aliis ſcripturarum teſtimonijs cõprobatur. Eſaias enim cap. 53. ſcribens de Chriſto, ait: Si animam ſuam ponet. אמת שים אשם נפש delictum, id eſt, pro delicto. Et Paulus, vt ſuprà citauimus, ait, eum, qui non nouit peccatum, pro nobis peccatum fecit. Et in priori epiſtola ad Corint. Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Et in epiſtola ad Hebræos: Chriſtus declaratur fuiſſe ea victima pro peccato, quę videbatur immolari extra caſtra. Et Ioannes ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi: quibus verbis illum appellauit agnum, quod eſſet victima pro peccato. Et illæ victimarum mactationes nihil aliud veteribus adumbrabant, quàm damnationem, & mortem. Ibi enim agnoſcebant offerentes peccata, quæ ipſi luere debuiſſent, in Meſsiam fuiſſe transferenda: vt quemadmodum mors victimæ infligebatur, ita Chriſtus aliquãdo pro peccato populi moreretur. Quod illi fortaſſe externo ſymbolo, ſcilicet, manuũ impoſitione declarabãt. Atque hanc ſignificationem de Meſsia pro peccatis immolando, eò valuiſſe multi credunt, vt ad eam præfigurandam apud quaſdam nationes homines fuerint immolati. Quod enim à ſanctis patriarchis acceperant futurum, id exprimere volebant ſacrificio, vt ipſi exiſtimabãt, veritati proximo. Quod tamen, cùm careret verbo Dei, & ab ipſis tantũ eſſet excogitatũ, nihil aliud erat, quàm impia crudelitas. Huius rei meminit Origenes cõtra Celſum. Neq; caret admiratione, quòd hodie in vniuerſo orbe nullę ſint immolationes victimarũ: quę videnẽ Dei prouidẽtia idcirco euanuiſſe, quòd nobile illud, & tam diu expectatũ ſacrificiũ mortis Chriſti, quod illis omnib. victimis vtcunq; adumbrabatur, iam ſit peractũ. Dedit enim Deus vnicam victimã, qua vti diximus, peccatum damnatũ eſt. Qua tanta Dei erga nos liberalitate cùm timor, tum etiã fides in nobis excitari debet. Si enim Deus, vt peccatũ aboleret, proprio filio ſuo nõ pepercit, quid de nobis fiet, ſi tantum ſacrificiũ contemplerimus, & ſanguinẽ filij Dei cõculcauerimus? Ex altera parte, quis Deo non fidat, quem videat pro noſtris peccatis filiũ ſuum dediſſe ad mortem? Debemus ergo efficaciſsima fide amplecti hoc ſacrificiũ. Neq; verò hîc expectandi ſunt ſacrifici, qui illud ſacrificium ſuis miſsis, & ſuperſtitioſis, impijſq; ſuſurris nobis applicẽt. Docent quidem ſacręlitere, vnum oportere orare pro altero. Quòd autem vnius cõmunicatio ſufficiat alteri, aut quòd ea mortem Chriſti alteri applicet, id ſpiritus ſanctus nuſquã docuit. Cumq; ſacramenta ſint σφραγίδες promiſsionũ, illi tantùm prodeſſe poſſunt, ſi de adultis loquamur, qui eas fide amplectitur. Quare quemadmodũ non conuenit, vt vnus baptizetur pro altero, ita nihil prodeſt, ſi quis accipiat Euchariſtiã pro altero. Hoc enim perinde eſſet, acſi quis trãsferat ſigilla, quibus promiſsio confirmat, in aliam chartã vacuam, quę promiſsionẽ, aut ſyngraphã nullam habeat. Poſſumus quidem cõmunicantes Deo gratias agere, quòd proximos, & fratres noſtros adiuuerit, & pro illis orare, vt cõfirmentur. Sacrificiũ autem vel Euchariſtiã comedere, vel Chriſtum offerre pro alijs, omnino cõmentitium eſt. Et quanuis hoc illis daremus, non tamen haberẽt id, quod tantopere quærunt. Hoc enim non eſt peculiare ſacerdotibus, ſed cõmune omnibus, qui agitant cœnam Domini. Faceſſant igitur iſta cõmenta, & quiſq; ſibi ſua propria fide ſtudeat hoc Chriſti beneficiũ apprehẽdere, ſibiq; ipſi applicare. Auguſtinus in expoſitione inchoata epiſtolæ ad Romanos ait, vnũquenq; noſtrũ applicare ſibi mortis Chriſti ſacrificiũ: Ait enim, De ſacrificio, de quo tunc loquebatur Apoſtolus, id eſt, de holocauſto dominicæ paſsionis: quod eo tempore offert quiſq; pro peccatis ſuis, quo eiuſdem paſsionis fide dedicatur, & Chriſtianorum fidelium nomine baptizatus imbuitur. Nunc de tertio dicendum eſt, vt videamus, quis ſit fructus mortis Chriſti.

Quid ſibi voluerint antiquitus mactationes victimarum

Quare nationes aliquãdo ſacrificarint homines

Cur mactationes hoſtiarũ ſint hodie oblitteratæ.

Sacrificiũ Chriſti non applicatur nobis miſsis.

Vt iuſtitia Dei impleretur in nobis, qui non iuxta carnem, ſed iuxta ſpiritum ambulamus. Quod nos reddidimus, *iuſtitiam*, alij autem *Iuſtificationem*, in Græco eſt δικαίωμα. Significat autem eam probitatem, & rectitudinem, quæ præcipitur in lege: quæ quanuis ita appelletur, non tamen ex ea iuſtificamur: eius enim executio in nemine haberi poteſt, niſi qui ſit iuſtificatus,

Iuxta opera iudicabimur, non illis iustificabimur.

Verùm quidem est, nos iuxta eiusmodi opera fore iudicandos. Deus enim reddet vnicuiq; secundum opera sua: nam pro conditione operum sententiæ forma expectanda est. Non tamen bona opera causæ sunt felicitatis eius, quam expectamus. Nam si essent causæ, aut æquarent præmium, aut eo maiora essent. Ea enim est natura causarum, vt aut superent effecta, aut eis saltem adæquentur: quod non posse adscribi bonis operibus, Paulus satis declarat, cùm ait, Non esse condignas afflictiones huius temporis ad futuram gloriam, quę reuelabitur in nobis. Quomodò autem præcepta legis in nobis impleantur per cõmunionem cum Christo, qui mortuus est pro nobis, ita potest declarari: quòd illis, qui credunt in eum, spiritus conceditur, quo vires eorum instaurantur, vt obedientiã legis præstare possint, non quidem perfectam, & absolutam: hæc enim, dum hîc viuitur, non habetur. Quare complementum legis in eo situm est, vt peccata admissa condonentur per Christum: & iustitia, quę ab eo præstita est, nobis imputetur: cùm ille sit nostrum caput, & nos vicissim eius membra. Postremò expectandum est, vt cùm ad optatũ finem extremæ felicitatis peruenerimus, nihil tum in nobis futurum sit, quod legi Dei aduersetur. Hoc pacto Christus dicitur finis legis: vt qui eam non soluerit, sed impleuerit: non solùm quòd eam sua doctrina à Scribarum, & Pharisæorum prauis interpretationibus asseruerit, sed etiam, quòd illis modis, quos iam diximus, eam & in se ipso, & in nobis perfecerit. Vnde quicunq; sunt extra Christũ, & mortis eius non sunt participes, peccatorum condonationẽ non habent, vacui sunt iustitia Christi, nullo studio tenentur implendæ legis, felicitas ea illis non continget, in qua nihil habituri sint, quod aduersetur legi Dei. Quare iustificatio legis in illis nullo modo impleri potest. Quinamverò illi sint, in quibus iustitia legis incipiet impleri, quum iam per causam declaratum sit, nimirum ex eo, quòd fideles sint participes mortis, & spiritus Christi, nunc etiam ex fructu declaratur.

Quomodò præcepta legis in nobis impleantur per Christum.

Quomodò Christus sit finis legis

Qui non iuxta carnem ambulant, sed iuxta spiritum. Hæc insignis nota est, & conditio, quæ illos consequitur. Illi secundum spiritum ambulant, in quibus præest, regnat, & dominatur spiritus. E diuerso iuxta carnem ambulant, in quibus dominatur caro. Hæc inter se pugnant. Sed in hac pugna pij tantummodò exercentur. Nam qui alieni sunt à Christo, sine vllo impedimento, aut pugna sequuntur carnem: spirituales autem spiritui primas cedunt. Atque hinc videmus, hanc esse naturam fidei iustificãtis, vt hominem ita reddat affectum, vt quodammodò exuta carne sua, viuat iuxta spiritum. Eos autem, qui ita non viuunt, Apostolus probat, neque liberatos esse à peccato, neque participes esse mortis Christi, neque esse diuinarum legum obseruantes. Ait enim:

Regenerati secundũ spiritum ambulant.

Fides iustificans expoliat quodãmodo nos carne.

Nam qui sunt iuxta carnem, ea, quæ carnis sunt, curant: qui iuxta spiritum, ea quæ spiritus sunt, sapiunt. Qui iuxta carnis affectum viuunt, noxia quærunt: ideoq; in mortem incidunt, & contra Deum inimicitias exercent. Ex quo sequitur, eos neque spiritus Christi, neque eius mortis esse participes. Si quis autem dixerit, sensu carnis homines cupere cibum, potum, vestitum, coniugia, & alia, quæ pertinent ad hanc vitam, hęc autem non esse damnosa, & noxia: respondeo, hæc quidem sua natura non esse mala: sed modum, quo expetuntur ab impijs, exitialem esse, & noxium. Hæc enim illi propter seipsos quærunt, nec ea dirigunt ad gloriam Dei: neq; aut à fide, aut à verbo Dei, aut à spiritu ad hæc delideria incitantur. Sunt ergo illis peccata. Quumque omnes antequam iustificentur, agantur affectu carnis, sequitur quicquid illi faciunt, peccatum esse, & Deo summopere displicere. Huiusmodi ergo factis neque iustificari possunt, neque ad iustificationem præparari. Apostoli verba docent, hæc duo affectionum genera esse opposita, & ἀντίθετα. Quæ vt intelligamus, constitutum sit, affectũ carnis nihil aliud esse, quàm vsum virium humanarum semota gratia, & spiritu Christi. Et naturæ hominis accipienda est, non vt primùm fuit à Deo cõdita, sed, vt nunc est, vitiata & corrupta. Affectus autem Spiritus est impulsus diuini afflatus, & vsus gratiæ Christi. Nunc videamus quę nam illa sint, in quę feratur affectus carnis. Bona ea esse, necesse est. Nihil enim desideramus, nisi bonum: Id verò est honestum, vtile, iucundum. In his bifariam decipitur affectus carnis. Fertur enim in ea quandoq; quæ videntur honesta, & non sunt: quæq; videntur vtilia, & iucunda, re autem vera inutilia, & molesta sunt. Alter error est, cùm ea expetit, quę re vera honesta, vtilia, & iucunda essent, si ratione recta, & à Deo instituta peterẽtur: cuiusmodi ea sunt, quæ vulgo appellantur bona ciuilia, aut moralia. Semper affectus carnis altero istorum duorum modorum errat. Quamobrem omnia eius opera, cùm à recta ratione deficiant, peccata sunt. Quamobrem ex his concluditur, Christianam vitam in eo sitam esse, vt curemus ea quæ sunt spiritus, repudiatis eis quæ pertinẽt ad carnem: vt & solida bona quæramus, & in modo appetendi ne deficiamus. Quæ autem effecta sint & carnis, & spiritus,

Naturales appetitus cur impijs peccata sint.

Quid sit affectus carnis.

Affectus spiritus

Triplex genus bonorum.

Duplex error affectus carnis.

Christiana uita in quo consistat.

spiritus, Paulus multis in locis docuit: præsertim verò in epistola ad Galatas, vbi ita scribit: Opera carnis sunt, adulteria, scortationes, immunditia, lasciuia, idololatria, veneficia, inimicitiæ, lites, æmulationes, rixæ, contentiones, inuidiæ, cædes, ebrietates, comessationes, & alia huius generis: de quibus Apostolus ait: Qui talia faciunt, regnum Dei non possidebunt. Fructus verò spiritus, inquit, sunt, Charitas, gaudium, pax, lenitas, bonitas, benignitas, fides, mansuetudo & temperãtia. Et Paulus, vt declararet istarum duarum affectionum pugnam, non solùm illam notauit nomine carnis, & spiritus, sed etiã addidit alia epitheta: videlicet, affectionem carnis esse mortem, & inimicitiam aduersus Deum: sensum verò spiritus esse vitam, & pacem. Quiuis intelligere potest, mortem opponi vitæ, & inimicitias paci. Per Vitam intelligit motum humanę voluntatis, & totius hominis erga Deum: Pax autem est tranquillitas conscientiæ, & reconciliatio cum Deo. Paulus quum hæc ita exaggerat, facilè docet, quàm necessaria nobis sit regeneratio. Eademq; opera hortatur, vt meliorem affectum sequamur, nempe spiritus, & gratiæ: quãdoquidem affectus carnis appellatur mors. Quod Ambrosius ait fieri propter peccatum: vbi enim peccatum est, ibi mors necessariò sequitur. Miratur autem, cur iste affectus iuxta Latinam versionem dicatur prudentia. Et respondet, quoniam eiusmodi hominibus videtur prudentia: illi enim omnem suam industriam, astutiam, & subtilitatem in eo collocant, vt peccent: sapientesq; sunt, vt malum faciant. Multi etiam se in eo doctos, & prudentes existimant, quòd ea nolint credere, quæ captum rationis superent: puta, creationem mundi, carnis resurrectionem, partum virginis, & similia. Hæc verba indicant, Ambrosiũ accepisse affectum carnis, prout se ad incredulitatem, aut ad mentem extendit. Et certè Paulus hoc loco per affectum comprehendit λόγον, & ἔξιν, hoc est, vim intelligentem, & cupientem. Cui sententiæ Augustinus astipulatur, quum inquit, prudentiam maximè consistere in eligendo, & refutando. Perspicuum verò est, ad electionem duas vires concurrere, & cognoscendi, & volendi. Additur præterea, hunc affectum esse inimicitiam aduersus Deum: nam qui sic affecti sunt, contra illum pugnãt. Horrenda sanè sententia. Verissimè tamen dicitur, pugnã carnis aduersus spiritum, pugnam esse aduersus Deum. *Inimicitia*, inquit. At textus Latinus habet inimica. Videri autẽ posset leuis lapsus: quãdoquidem ἔχθρα significat inimicitiam: ἐχθρὰ verò cum accentu in vltima inimicam. Et hoc quicquid est, potuisset vel librarijs, vel codicũ varietati adscribi: facilè enim accentus transferuntur ex vna sede in aliam. Sed considerare debemus, si legatur ἐχθρὰ, nomen esse adiectiuum, cuius substantiuum inueniri non potest, nisi φρόνημα, quod videmus esse neutri generis. Itaque oportuisset non ἐχθρὰ scribi, sed ἐχθρόν. Omnino ergo legere debemus ἔχθρα vt sit inimicitia: idque Apostoli scopo maximè quadrat. Exaggerat enim, quanta sit pernicies affectus carnis. Et vehementior est oratio, si hominem perditum appelles scelus, quàm si dicas sceleratum. Quomodò autem sensus carnis inimicitia sit aduersus Deum, Apostolus probat: *Quoniam*, inquit, *legi Dei non subditur, imò ne potest quidem.* Qui alterius voluntati aduersatur, idque perpetuò facit, vt cum illo consentire non possit, hostis eius est. Talis est affectus carnis nostræ. Ergo est inimicus Dei, vel potius ipsa aduersus Deum inimicitia. Liber ille in Matthæum, qui Chrysostomo adscribitur, & opus imperfectum nominatur, in illa verba Domini, Qui videt mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est in corde suo, ait, Dominum posse quibusdam videri, captasse occasionem damnandi nos: tales enim habemus affectiones à natura, vt primo impetu sic moueantur ad appetendum. Quos, ne insurgant, quum non possimus prohibere, statim velimus, nolimus, rei efficimur huius præcepti. Distinguit autem cupiditatem: & aliam ait esse animi, aliam carnis: aliam item esse iram animi, aliam carnis. Deinde addit, sententiam Christi de animi concupiscentia intelligendam esse, non de cupiditate carnis: & eundem sensum habere posse hunc locum Pauli, vt prudentia non animi, sed carnis intelligatur non posse subijci legi Dei. Atque ita hac distinctione petita à philosophis, putant se rem pulchrè composuisse. Atqui Paulo affectus carnis non est inferior pars animi, neque spiritus mens est, quæ animi partem nobiliorem obtinet: quemadmodum infrà apertius docebimus. Quantæ autem fidei sit ille liber, Erasmus apertissimè indicauit, vir in æstimandis veterum scriptis solertissimus. Non esse autem librum illum Chrysostomi, multis argumentis demonstrat. Chrysostomus autem ipse, quum hunc locum interpretatur, ait per affectum carnis intelligendam esse interpretationem mentis, sed crassiorem: vt à deteriori nominetur. Ita enim interdum totus homo appellatur caro, quanuis non careat anima. Ita ille nomen carnis extendit vsque ad mentem. Sed obijcit: Si quis legi Dei neque subditur, neque subdi potest, quæ erit spes salutis? Multa, inquit: quoniam videmus latronem,

Quid uita. Quid pax.

Affectus carnis cur dicatur prudentia.

Caro pugnãs cõtra spiritũ aduersus Deũ pugnat.

Phrasis Apostoli uehementiæ inseruit.

Quid sit hostis.

Distinctio affectuum parum syncera.

Etsi legi Dei mẽs nostra subdi non, possit, attamen spes est salutis.

Paulum, mulierem peccatricem, Dauidem, Manassen', Petrum resipuisse. Quoad, inquit, iste affectus sic manserit, legi Dei non potest subijci: sed quum ille mutari possit, spes abijcienda non est. Hęc ille cùm tradit, rectè docet. Sed addendum est, hanc mutationem tam non esse in viribus nostris: Est enim prorsus à spiritu Christi, & à gratia. Quoad enim sumus, vt prius fuimus, nunquã ipsi nos ipsos mutare possumus. Sed addit postea Chrysostomus, fortè hîc affectum carnis prauam actionem significare: & Paulum nihil aliud sibi voluisse, quàm malum opus non posse esse bonũ: Et eundem putat esse sensum Euangelicæ sententiæ, vbi dicitur, arborẽ malam non posse facere fructus bonos. Huic interpretationi ego non possum subscribere: quoniam video, Paulum non de actione, aut opere, sed de affectu, sensu, & prauitate naturæ loqui. Nec mihi persuadere possum, Romanos fuisse tam stupidos, vt eos docere oportuerit actionem malam non posse esse bonam. Christum autem per arborem malam non opera, sed hominem intellexisse, aperte ostendunt, quæ eo loco à Matthęo commemorantur: Dixerat enim, cauendos esse falsos prophetas, qui veniunt in vestimentis ouium, intus autem sunt lupi rapaces: A fructibus, inquit, eorum cognoscetis eos. Nunquid colligunt de spinis vuas? aut de tribulis ficus? Aut facite arborem bonam, &c. Ad hęc posse nos mutari, quod minimè inficiamur, conatur probare per parabolã zizaniorum. Zizania, inquit, fiunt frumentũ, & in illud mutantur: Ideoq; paterfamiliâs noluit, ut euellerentur. Atqui id non est in Euangelio, zizanie mutari in triticum. Tantùm Dominus noluit euelli zizania, ne fortè triticum admixtum, quod fortè radices cum illis habeat implexas, vnà tolleretur. Sed in hoc, vt diximus, non est cõtrouersia. Scimus enim huiusmodi affectus mutari, ac frãgi. Verùm id postea dicit, fieri spiritu, & gratia Dei: quod & verissimũ est, & à nobis sæpe dictum. Nihilominus, vt est Chrysostomus nimis propensus ad tuendũ Liberum arbitrium, & humanas vires, addit, Hoc in manu nostra situm esse, vt spiritum & gratiã accipiamus: vt quisq; facere possit, quod velit. Id nos negamus. Si enim homo per se ipsum gratiam Dei oblatam posset recipere, certè huiusmodi opus & bonum esset, & Deo non posset nõ placere: quod tamen fieret ab homine nondum regenerato: & ita arbor adhuc mala bonos fructus faceret: quod iuxta Domini sententiam fieri omnino non potest: Nam nisi nobis auferatur cor lapideum, & eius loco reponatur cor carneum, ijdem perpetuò manebimus, qui prius fuimus. Adhæc addit, legem membrorum non amplius iam rebellare legi mentis, neq; nos abducere captiuos in legem peccati. Quod ita non esse, non dubito, quin quisque in se ipso experiatur. Et suprà declarauimus luculentissimis rationibus, ea quæ in septimo capite huius epistolæ dicuntur à Paulo, pertinere ad homines regeneratos. Nisi fortasse hoc sibi velit Chrysostomus, istos impetus in regeneratis perpetuò fieri leniores. Sed ille haud dubiè eò non spectabat, vt ea, quæ subijciuntur, ostendunt. Et videtur loqui in vniuersum de hoc nostro tempore, postquàm Christus se ipsum obtulit patri, & mortuus est. Augustinus habet huius loci sanam interpretationem. Eadem, inquit, anima subesse potest, & affectui carnis, & affectui spiritus: velut eadem aqua & calefit, & frigore congelatur, & efficitur nix. Tum si dicas niuem non calere, verè dices: & si addideris, niuem non posse calere, erit hoc etiam verum: nix enim, quandiu nix est, calere non potest. Possibile tamen est, vt admoueatur calor, & nix resoluatur, & calefiat. Sed vt nix, & naturam suam retineat, & tamen interim caleat, fieri non potest. Ad hunc modum affectus carnis vel tolli, vel frangi potest, vt spiritualis affectus eius loco succedat. Vt autem carnalis affectus efficiatur spiritualis, fieri nullo modo potest. Quòd si requiras, spirituales obseruationes mandatorum Dei, sint ne impossibiles? respondeo, in vetustate carnis esse eas impossibiles: at si spiritus, & regeneratio accesserit, non esse eas prorsus impossibiles: quanuis lex Dei ne à sanctissimis quidem in hac vita possit perfici. Est enim spiritus Christi, carnis prauitatem domare, eamq; quum ad mortem peruentum fuerit, extinguere. His ita expositis, duo errores confutandi nobis sunt: quorum alter est Manichæorum, qui idcirco opinati sunt, carnem appellari inimicitiam aduersus Deum, quòd à malo Deo creata fuerit, qui vero, & bono Deo perpetuò aduersetur. Verùm longe aliter res habet. Hîc enim de hypostasi, seu substantia carnis non agitur, sed de vitio, & prauitate, quæ propter lapsum primi hominis cum illa semper coniungitur. Alter error est Pelagianorum, qui dicere ausi sunt, hominem ex viribus naturæ seruare posse mandata Dei. A quibus hodie scholastici non multùm dissentiunt. Illi enim affirmant, hominem absque gratia Christi seruare posse legem Dei, quantum ad operum substantiam attinet: quanuis non ad legis intentionem: nam qui eiusmodi sunt, quicquid faciunt, ex charitate facere non possunt. Atque ita non verentur dicere, hominem posse diligere Deum super omnia, quanuis destituatur gratia Dei.

Mutatio mentis à spiritu & gratia, nõ est à nostris uiribus.

Paulus nõ loquitur de actione, sed de affectu.

Christus per arborẽ bonam seu malã intellexit homines bonos, uel malos.

Chrysostomus putat zizania posse frumentũ fieri, quod in Euangelio non habetur.

Chrysostomus putat quẽq; nostrũ facere quod uelit, & situ in manu nostra, ut habeamus & spiritum et gratiam.

Alius Chrysostomi durus locus.

Impetus contrarios legi, in regeneratis fiũt quotidie leniores.

Error Manichæorum.

Error Pelagianorum.

Neque

Neque interim attendunt, quid hîc dicat Apostolus, prudentiã carnis inimicitiam esse aduersus Deum. Quòd si quandoq; Ethnicus dicat, se Deum diligere super omnia, re diligenter perueſtigata omnino inueniemus, ſub illa ſimulata dilectione maximum Dei odium in eius pectore deliteſcere. Cumq; Apoſtolus dicit, affectũ carnis non ſubdi legi Dei, non ſpectat opera moralia, aut ciuilia: ſed ſolam, vt diximus, naturã corruptã, & vitiatã. In primisq; conſideranda eſt prior tabula, quæ fidem, charitatẽ, cultum, & timorem Dei ſolidè requirit: in quibus eſt neruus, ſuccus, & anima obedientię reliquorũ mandatorum. Ex eis, quæ hactenus dixit, Apoſtolus cõcluſionẽ infert, Eos, qui ſint in carne, Deo placere nõ poſſe: & idcirco non eſſe liberatos, nec recõciliatos Deo. Vnde probata eſt conditio, per quã noſſe poſſumus ex effecto, & à poſteriori, quinã à peccato ſint liberati, & facti participes beneficij mortis Chriſti. Quòd ſi non poſſunt Deo placere, qui ſunt in carne, ſupereſt, eos eſſe malas arbores, quæ non ferunt bonum fructum. Vbi igitur erunt merita de congruo, & opera præparatoria? Nam ſi ipſi non poſſunt placere Deo, certè opera illorum non poſſunt Deo eſſe grata. Quare miſeranda eſt conditio impiorũ, qui Deo placere non poſſunt. Nobis autem perpetuò optandus eſt vberior Chriſti ſpiritus, quo magis ac magis illi placeamus.

Prior tabula neruum, & ſuccum poſterioris continet.

Qui ſunt in carne ſunt malæ arbores.

Si nõ poſſunt placere Deo illorũ opera, non poſſunt eſſe Deo grata.

Optandus eſt copioſior ſpiritus, quo magis Deo placeamus.

Vos in carne non eſtis. Quod dixerat in vniuerſum, nunc Romanis applicat, & ſuo more à theſi ad hypotheſin deſcendit. Rurſus habemus hoc loco ſententiã tropicè interpretandã: nam ſi ſimpliciter acciperemus, nos in carne nõ eſſe, reclamaret nobis ipſa rei veritas. Itaq; Chryſoſtomus hoc loco ait, periculoſiſsimum eſſe iuxta ſignificationes proprias verborum ſcripturas ſemper intelligere. Quid ergo eſt, quod aduerſarij noſtri nobis tantopere obſtrepunt, & reclamant, cùm tropum eſſe dicimus in his verbis Domini. Hoc eſt corpus meum? nec ea ita intelligimus, quaſi corpus Chriſti carnaliter, realiter, & ſubſtãtialiter ſit in pane. Verùm id, quod oſtenditur, docemus eſſe ſacramentum corporis Chriſti, quo ſignificetur, corpus eius actum fuiſſe in crucem, & ſanguinem eius pro nobis fuiſſe fuſum. Atq; hoc quidem magna cum vtilitate fit, ſi & ea credamus, quę proponũtur, & ſacramentũ ea fide percipimus, qua oportet. Verùm aiunt, Chriſtũ hęc non dixiſſe. Fateor. Sed ſi ſatis ſit ita reſpõdiſſe, cur non hîc etiam dicunt, Paulum ſimpliciter, aperteq; dixiſſe, Vos non eſtis in carne, alias autem interpretationes nõ addidiſſe? Quòd ſi dicant id ex illis, quæ antè dixerat, poſſe colligi, ita nos quoq; dicemus iſta colligi, cùm ex natura ſacramentorũ, quorum eſt, res, quarum ſigna ſunt, ſignificare, tum etiam ex eo, quod ibi ponitur, hæc in memoriã Domini eſſe facienda, & mortem eius eſſe annuntiandam, & ex alijs præterea multis, quę habentur in 6. cap. Ioannis. Deinde Chryſoſtomus hoc loco, Paulus, inquit, cùm ita ſcribit, naturam carnis minimè negat, ſed illam ad ſublimiorem dignitatem euehit, ſcilicet, vt impulſui ſpiritus potius, quàm cupiditati pareat. Ita nos dicimus, cùm patres videntur negare naturã panis manere in Euchariſtia, eos panis naturam non inficiari, ſed illam ad maiorem dignitatẽ ſubuectam indicare: videlicet, vt ſit ſacramentum corporis Chriſti, vtq́ue iam ſpirituali negotio, atque vſui inſeruiat. Sed illi adhuc magis etiam ineptiunt, qui arbitrantur, hunc locum facere contra matrimonium miniſtrorum Eccleſiæ. Nam ſi ita eſſet, concluderet in vniuerſum, omnes Chriſtianos oportere viuere abſque vxoribus. Nemo enim Chriſtianus, poſtquàm in Chriſtũ credidit, amplius eſt in carne. Habemus quidem corpus, carnem, & membra, cibum, potum, & coniugia: quæ omnia videntur pertinere ad carnem: ſed ea nos habemus in Deo, vt eis vtamur iuxta ſpiritũ, non iuxta carnem. Neq; aliud Paulus hoc loco videtur voluiſſe, quàm Dominus in Euangelio, cùm diceret diſcipulis ſuis: Vos de hoc mundo non eſtis. Itaq; Ambroſius ait, nobis talem fingi naturam, qualem habemus ſenſum: additq;, Sapientes mundi eſſe in carne, quòd fidei reſiſtant, & ea tantùm credere velint, quæ ſint rationi cõſentanea. Hic locus rurſus nos docet, Ambroſium nomine carnis rationẽ, & ſuperas animi partes intelligere. Dicimus ergo, eſſe in carne, Apoſtolo nihil aliud eſſe, quàm ſenſu, & affectu naturæ, nondum in Chriſto renatę, in omnibus actionib. regi, & gubernari. Iam verò ex his apparet, propriũ eſſe hominis Chriſtiani, ſectari ea, quę ſunt ſpiritus: ea autẽ quæ carnis ſunt, euitare. Atq; hæc proprietas vitæ Chriſtianæ partim nos adhortatur, ne ab ea diſcedamus: partim nota eſt, per quam poſſimus reddi certiores de iuſtificatione noſtra, & liberatione à peccatis. Vt autem hominis eſt agi animo, & ratione humana, philoſophi impelli præceptis doctrinæ, & diſciplina ſapientię, militis omnia ſua arte militari inſtituere, ita Chriſtiani hominis eſt, moueri ſpiritu, & ſenſu Chriſti. Et quanuis quiſque propriam habeat vocationem, & officia ſibi conuenientia perſequi debeat, tamen quotquot Chriſti ſumus, hac proprietate, & certa regula metiri nos debemus, vt ſpectemus perpetuò, quantùm in obſequio ſpiritus profecerimus.

Contra ſubſtantiationem.

Vt illi ſint inepti, qui matrimoniũ miniſtrorum ijs uerbis oppugnant.

Ambroſius carnis nomine rationem quoq; intelexit.

Quid ſit eſſe in carne.

Qua nota de iuſtificatione certi ſimus.

Proprietas omnibus Chriſtianis communis.

Siquidem ſpiritus Chriſti habitat in uobis: Qui enim non habet ſpiritum Dei, hic non eſt eius. Quòd antea dixerat, id nunc certa ratione probat. Et eos non eſſe in carne, ex eo colligit, quòd ſpiritus Chriſti habitet in illis: quod tam vult cõſtare omnibus credẽtibus, quàm ſe eſſe Chriſti. Cùm ait: ſiquidẽ ſpiritus Dei habitet in vobis, non dubitat, inquit Chryſoſtomus, ſpiritum Dei in illis habitare. ſiquidem enim hoc loco perinde eſt, ac ſi dixiſſet, Quoniã, vt, ἐπειδή, ſit particula cauſalis. Ambroſius putat Paulũ titubanter loqui: quòd Romani viſi fuerint non nihil aberraſſe, & Legi pluſquàm oportuit, tribuiſſe. Hîc duo obſeruanda ſunt: primũ, ſpiritum Dei, & Chriſti eundem eſſe: ex quo apparet, Chriſtum eſſe Deum. Alterũ, Paulum per ſpiritũ non intellexiſſe animi noſtri præſtantiorẽ partem: vt multi ſomniant. Ait enim, Spiritum illum, de quo loquitur, eſſe ſpiritum Dei, & Chriſti: quem ait habitare in Romanis fidelibus, & in illis, qui Chriſti ſunt. Metaphora habitationis ex eo ſumitur, quòd qui habitant domum, non tantùm eam occupant, ſed etiam in ea imperant, & pro arbitrio ſuo omnia moderantur. Ita ſpiritus implet ſanctorum pectora, & in ipſis primas tenet. Videtur autem Apoſtolus argumentari à contrarijs: Propterea non eſtis in carne, nec iuxta illam ambulatis: quia ſpiritus Dei habitat in vobis. Non quòd hæc duo ita inter ſeſe pugnẽt, vt in eodem homine ſimul eſſe non poſſint, ſed habent iſta ſe, vt qualitates cõtrariæ: quæ cùm ſunt in extremo gradu, nihil alterius pati poſſunt. Fieri enim nõ poteſt, vt cum ſumma frigiditate aliquid caloris admiſceatur: Sed ſi frigiditas aliquantulum remittatur, tum poteſt non nihil contrariæ qualitatis ſuccedere. Quare cùm ſpiritus à nobis in hac vita non habeatur in ſummo gradu, ex eo fit, vt in nobis ſuperſit aliquid, ne multum dicam, carnis, & prauitatis, ſpiritu tamen interim obtinente primas. Nam alioqui eſſemus in carne, neque, vt Paulus ait, ſpiritus habitaret in nobis. Hac enim metaphora, vt diximus, ſignificatur, ſpiritum animos noſtros occupare, & in eis principatum obtinere. Quòd ſi potiores partes dentur carni, diſcedit ſpiritus: non enim ferre poteſt carnis imperium. Itaque Dauid, quum in grauia peccata incidiſſet, motu ſpiritus Dei pro eo tempore fuit deſtitutus. ideóque clamat: Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me: etſi ab electione, aut prædeſtinatione re vera nunquam exciderit. Quumq; Apoſtolus ait: Qui non habet ſpiritum Chriſti, hic non eſt eius, id circo à ſpiritu æſtimat coniunctionem noſtram cum Chriſto, quia illi per eum copulamur, & per eum regeneramur. Vnde Chriſtus ait in Ioanne: Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & ſpiritu, &c. id, quo præcipuè renaſcimur, eſt ſpiritus: aqua verò, tanquã externũ ſymbolũ, in ſacramẽto baptiſmi illum repræſentat. Lauat, rigat, fœcundat, & alias cõplures proprietates in ſe habet, quibus natura ſpiritus declaratur: quoad animũ noſtrum accedente, Chriſti ingenium, proprietas, indoles, ſenſus, motus, nobis inſeruntur: vt, qui eo ſit potitus, dicere poſsit cum Paulo: Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Chriſtus. Et qui ſpiritum Chriſti habent, eius eſſe dicuntur, non communi ratione, qua omnes creaturæ dicũtur eſſe filij Dei: Dicit enim Chriſtus in Euangelio, Omnia mihi tradita ſunt à patre meo: ſed efficiuntur peculiaris eius poſſeſsio, quum iam & dicantur, & ſint eius membra, illíque ſint inſiti, & in eo perfectiſsimè coaluerint. Hîc videmus, quàm ineptè quidam reſpondeant, qui quum reprehenduntur, & admonentur officij, dicere ſolent, ſe non eſſe ſpirituales: non enim animaduertunt, ſe hoc reſponſo negare ſe eſſe Chriſtianos: nam ſi Chriſti ſunt, & ſpiritum eius habeant, & ſpirituales ſint, neceſſe eſt. Illi etiam malè ſentiunt, qui ſacras literas è manibus laicorum excutiunt, quòd eos putent non habere ſpiritum. Nam hoc quum dicunt, dicunt eos non eſſe Chriſtianos. Nam ſi Chriſtiani ſunt, non ſolùm ſpiritum Chriſti habent, ſed etiam verba ſacræ ſcripturæ, quæ ſunt dictata ſpiritus, eis maximè conueniunt. Poſtremò quis non videat, eos vehementer hallucinari, qui nos iubent perpetuò dubitare, an habeamus ſpiritum Dei? Nam certè, ſi ambigere non debemus, nos eſſe Chriſtianos, ambigere non debemus habitare in nobis ſpiritum Chriſti. Ambroſius hoc loco annotauit, ſpiritum Dei diſcedere à nobis duabus de cauſis: vel propter ſenſum carnis, vel propter eius geſta: id eſt, vel ob falſa dogmata, vel ob vitia in moribus.

Spiritus Dei & Chriſti eſt idem.

Per ſpiritum hîc non intelligitur animi noſtri portio.

Metaphora habitandi.

Argumentum à contrarijs.

Caro & ſpiritus non ita inter ſe pugnant, quin ſi mul in eodẽ homine eſſe poſsint

Spiritus non fert carnis imperiũ.

Per ſpiritũ copulamur Chriſto.

Spiritus effecta.

Sumus Chriſti modo quodam peculiari.

Qui uerè Chriſtiani ſunt, oportet eſſe ſpirituales.

Verba ſcripturæ non prohibenda laicis.

Chriſtianis dubitandũ nõ eſt, an habeãt ſpiritũ.

Duabus de cauſis diſcedit à nobis ſpiritus.

Methodus.

Si autem Chriſtus in uobis eſt, corpus quidem mortuũ eſt propter peccatũ. Hucuſq; pertinet prima pars huius capitis: in qua declaratũ eſt, quãuis in ſanctis peccatũ adhuc ſuperſit, tamẽ ex eo non ſequi damnationẽ: ea enim tolli lege ſpiritus. Vnde autem iſte ſpiritus in nos ſit deriuatus, expoſitũ eſt: ſcilicet, ex morte, quã filius Dei pro nobis obijt. Deinde quinã illi ſint ad quos tantũ beneficiũ peruenerit, dictũ eſt: nẽpe, qui iuxta hunc ſpiritũ, non iuxta carnẽ ambulẽt. Nũc ingreditur in ſecundã partẽ: qua docet, nos per hũc eundẽ ſpiritũ & mortis & reſurrectionis Domini cõmunionẽ obtinuiſſe. Hortatur aũt, vt, quẽadmodũ, debemus facta carnis mor-

mortificemus, nosq; totos spiritui addicamus, per quem tanta beneficia simus consequuti. Vtq; ea, quæ dicenda sunt, cum eis, quæ dicta sunt, connectat, Apostolus ait: *Porrò si Christus est in nobis.* Quum hoc sumit, Christum in nobis esse, ostendit, se pro eodem habere, spiritum Dei, aut Christi habitare in nobis, & Christū ipsum in nobis esse: non quòd intelligat, spiritum sanctum, & Christum, id est, filium Dei eandem esse hypostasin, aut personam. Verùm, vt Chrysostomus monuit, hæc est natura trium personarum, vt vbicunque vna fuerit, cæteræ quoque simul adsint. Quoniam ergo spiritus sanctus in nobis est, filium Dei, qui est Christus, vnà cum patre in nobis esse necessariò sequitur. Quod Paulus ad Ephesios diserte pronūtiauit, quum diceret, Christum per fidem habitare in cordibus nostris. Non tamen sequitur, vt vbicunque fuerit Christus iuxta naturam diuinam, ibi etiam sit iuxta humanam. Illa enim siue animum, siue corpus spectemus, finita est, neque potest ita in immensum diffundi, vt omnia occupet, & impleat, quemadmodum natura diuina. Conceditur itaque filium, & patrem esse, vbicunque spiritus sanctus fuerit: & vbicunq; fatemur filium Dei esse, Christum quoque ibi esse confitemur: non tamen semper iuxta humanam naturam. Hoc enim fieri non potest. Paulus ait in priori epist. ad Corinth. Veteres bibisse de spirituali consequente eos petra: & petram eam fuisse Christum. Ex quibus verbis duo intelligenda sunt: primùm, Christum in ea petra significatum fuisse: deinde eum verè adfuisse populo bibenti, vt sacra historia narrat. Ea enim refert, Deum pollicitum esse, se adfuturum ad petram Oreb. Ille autem Deus fuit filius: qui iuxta carnem, & naturam humanam, quum illam nondum induisset, adesse tum non potuit. Ille tamen à Paulo appellatur Christus. Et in eadem epistola Patres dicuntur in deserto tentasse Christum: quòd iuxta naturam humanam intelligi non potest: nam ea adhuc non extabat. Ita quum Christus dicitur habitare in nobis per fidem, aut spiritum, non sequitur ex eo, aut corpus, aut animam eius in cordibus nostris, vt ita dicam, realiter, & substantialiter habitare. Satis est vt præsentia diuina, Christus dicatur esse in nobis, & spiritu, gratia, donisque suis adesse. Neque verò hoc est, vt quidam clamant, velle diuinam naturam separare ab humana. Statuimus enim naturas in Christo coniunctas, & indiuulsas. Non tamen ea coniunctio facit, vt humana natura tam latè pateat, quàm diuina. Id manifestissimè Augustinus testatus est ad Dardanum. Quanquam scio, esse quosdam, qui conentur in quibusdam eius verbis ex tractatu 96. in Ioannem, cauillari illum sensisse, Christum etiam iuxta humanā naturam adhuc nobiscum esse, etsi non sentiatur. Augustinus enim, quum interpretatur illa verba Domini, Vado parare vobis locum, ait, illa loca, & mansiones non esse aliud, quàm nos ipsos, qui credimus: qui quasi mansiones quædam sumus, ad quas pater, & filius veniunt, & commorantur. Spiritu autem paracleto oportere nos præparari, vt decentia fiamus habitacula. Hæc ita exponens, quærit, Quare ergo dicit, se abire, si nos præparandi sumus? Debebat enim potius adesse. Nam si recedit, non præparabimur. Deinde soluens quæstionem ista subijcit: Si bene te intelligo, nec vnde vadis, nec vnde venis, recedis. Vadis latendo: venis apparendo: sed nisi maneas regendo, & nos proficiamus bene viuendo, quomodò præparabitur locus? Ecce, inquiunt, ex his verbis perspicuè constat, Christum à nobis non recessisse, sed adesse, quanuis lateat. Verùm isti non cogitant, hæc de natura diuina dicta esse. Illa enim est, quæ venisse dicitur è cælo, & è sinu Patris. Venit autem, non quòd inde recesserit, vnde venit: sed quia nobis apparuit sub humana natura. Rursus dicitur abijsse hinc, quum ascederet iuxta naturam humanam: non quòd à nobis prorsus recesserit, sed quòd humana natura, in qua apparebat, sublata in cœlum, præsentia diuinæ eius naturę latet apud nos, nec potest videri. Hanc esse Augustini sententiam, duobus argumentis probari potest: Primùm, quia agit de præparatione nostra, quæ Christo iuxta diuinam naturam conuenit. ea enim in cordibus atque animis nostris agit, & sese insinuat: Deinde idem docet locus ille, quē citat ex epistola ad Corint. quo probet, nos esse mansiones Dei. Ait nos esse templum Dei, & templum spiritus sancti, & Deum ipsum habitare in nobis: quæ certè ad humanā naturam Christi referri non possunt, sed tantùm ad diuinam. Verùm vt melius intelligamus, quid de hac re senserit Augustinus, audiamus illum in tractatu 50. in idem Euangeliū Ioānis, vbi exponit illa verba, Pauperes semper habebitis vobiscū, me autem non semper habebitis. Loquebatur enim, inquit, de præsentia corporis sui. Nam secundū maiestatē, secundum prouidentiam, secundum ineffabilem & inuisibilem gratiam, impletur, quod ab eo dictum est: Ecce ego vobiscum sum, vsq; ad consummationem seculi. Secundum verò naturam, quam verbum assumpsit, secundū id, quòd de virgine natus est, secundum id, quòd à Iudæis prehensus est, quòd ligno affixus est, quòd de cruce depositus, quòd linteis inuolutus, quòd in

Tres personæ trinitatis sese comitantur.

Non ubicunque Christus est iuxta naturā diuinam, ibidem est iuxta humanā.

De petrā, quæ erat Christus.

Patres in deserto tentarūt Christum.

Quomodo intelligendū sit, Christū in nobis habitare.

Locus Augustini exponitur.

Augustinus declarat quomodò Christus nobiscū sit, & à nobis absit.

sepulchro cõditus, quòd in resurrectione manifestatus, non semper me habebitis vobiscũ. Quare & Quia conuersatus est secundum corporis præsentiam quadraginta diebus cum discipulis suis: & eis deducẽtibus videndo, non sequendo, ascendit in cœlum. Non est hîc: Ibi enim est, & sedet ad dexteram patris. Et hîc est: non enim recessit præsentia maiestatis. Secundum præsentiam maiestatis semper habemus Christum: secundum præsentiam carnis, rectè dictum est discipulis: Me autem non semper habebitis. Habuit enim Ecclesia secundum præsentiam carnis paucis diebus: modò fide tenet, oculis non videt. Sunt etiam alia loca permulta, in quibus Augustinus, se hoc idẽ sensisse, apertissimè declarat. Quare, quod Paulus in præsentia dicit, *Si Christus est in uobis*, id non de humana natura, aut corpore intelligendum esse, satis ostendunt ea, quæ dicta sunt de spiritu. Ex hoc loco Pauli satis docemur, quomodò in Eucharistia percipiamus Christum, quóque modo cum illo coniungamur. Audiuimus enim, nos per mortem Christi assequutos esse spiritum eius. At in cœna Domini commemoratio mortis Christi, & corporis eius acti in crucem, & sanguinis effusi pro nobis celebratur: idque non tantùm verbis, sed etiam symbolis panis & vini, quæ corpus, & sanguinem Christi referunt. Itaque si fide complectimur ea, quæ commemorantur, assequimur spiritum Christi, & Christus ipse est in nobis, vt Paulus hoc loco testatur. Corpus autem, & carnem Christi iuxta suam naturalem, & realem præsentiam, nihil opus est aduocare: quæ tamen spiritualiter satis habemus præsentia, quum illa fide comprehendimus. Collegit hoc loco Chrysostomus complura, & grauia incommoda, quæ homines spiritu sancto destitutos consequuntur: nam detinentur in morte, & in peccato, inimicitias exercent contra Deum, legem eius obseruare non possunt, & quanuis videantur esse Christi, eius tamen non sunt. Eos enim Paulus demonstrabit, mortis, & resurrectionis Domini non esse participes. Ait enim:

Quomodò Christũ percipiamus & ei iungamur in eucharistia.

Incommoda, quæ accidunt spiritu Christi destitutis.

Porrò si Christus in uobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum: spiritus autem uita est propter iustitiam. Apostolus hoc loco, vt antea docuimus, ostendit, nos beneficio spiritus donari cõmunione mortis, & resurrectionis Christi. Et quanuis omnes interpretes consentiant, in posteriori parte huius sententiæ agi de vera resurrectione corporum, tamen de priori non est eadem omnium sententia. Quidam enim sic accipiunt, Corpus mortuum esse, acsi dicere tur, Cupiditatem, & prauitatem, quæ hærent in nobis, beneficio spiritus mortificari, & efici instar mortui. Erit ergo ex horum interpretum sententia, Corpus, vita hominũ naturalis, non vt instituta est à Deo, sed vt deprauata est per peccatũ: Eam, inquiunt, oportet esse mortuam: quia peccatum est.

Spiritus autem uita est propter iustitiam. Per spiritum hîc procul dubio intelligit spiritum Dei, non autem partem aliquam animi nostri: vt apparet ex his, quæcp dicentur, quæcp iam antè dicta sunt. Mutat hîc Paulus antithesin. Non enim ait, Spiritus viuit, vt antea dixerat de corpore, mortuũ est: sed ait, Spiritus vita est: quod maximè conuenit spiritui Dei. Ille enim spiritus, nõ tantùm viuit ipse, sed etiam vitam alijs cõmunicat, & eam perpetuò nouam, & sanctam credentibus afflat. Deinde cùm Paulus dignitatem spiritus hoc loco maximè velit esse commendatam, proposito eius magis conuenit vitæ nomen abstractum, quàm verbum, Viuit. *Propter iustitiam.* Græcè scribitur, *διὰ δικαιοσύνην*, & rectè quadrat. Nam iustitia & antithesin habet ad peccatũ, & est vita Dei. Dum enim aliquis iustè operatur, & sanctè viuit, agit vitam Dei. Tamen Latinus interpres habet, Propter iustificationẽ, ac si Græcè legisset, *διὰ δικαίωσιν*. Quam lectionem Chrysostomus sequutus est, huius loquutionis causam adferens, quòd habeamus experimẽtum vitę propter iustificationem: per illam enim sublato peccato, vita succedit. Hæc enim duo ita inter se pugnant, vt cùm alterum illorũ cesserit, alterum necessariò succedat. Addit idem, Corpus tum demum esse mortuum, cùm eius motibus non magis afficimur, quàm moueri solemus cadaueribus iam humatis, & conditis. Atcp hanc esse ait communionem cum morte Christi, quoniam Christus propterea mortuus est, vt dissolueret opus peccati.

Mutatur antithesis. Spiritus Dei non tantùm uiuit sed uitam cõmunicat alijs.

Quòd si spiritus eius, qui excitauit Christum à mortuis, habitat in uobis, is, qui excitauit Christum à mortuis, uiuificabit & mortalia corpora uestra, propter spiritum suum habitantẽ in uobis. Hęc ostendunt, quomodò simus participes resurrectionis: nimirũ, cùm per mortificationẽ efficimur similes morti eius. Ratio Pauli nititur hoc fundamẽto, quòd spiritus Dei sit idem facturus in nobis, quod in Christo fecit. Ab eadem enim causa expectãda sunt eadem effecta. Et Deus, cùm sit vbiq; sui similis, per eadẽ media eadem producit opera. quare cõsecutio probè tenet. Et quoniã, cùm Christus excitaretur à mortuis, reddita est ei vita pura, ęterna, & diuina, talis quoq; aliquando nobis reddetur: quã expectamus in beata resurrectione, cũ corpora nostra excitabuntur perfe-

Quomodò simus participes resurrectionis. Spiritus Dei faciet idem in nobis, quod in Christo fecit.

perfectè innouata: nunc etiam illam inchoamus, quum nouis motibus spirtus ad bona opera incitamur. Habetur igitur ex his verbis adhortatio, vt mortificemus affectus carnis: quemadmodum Paulus alibi dixit: Qui sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum omnibus eius concupiscentijs. Et ad Colossenses: Mortificate, inquit, membra vestra, quę sunt super terram. atque hoc est corpus esse mortuum. Nec mirũ, si nomine corporis intelligatur peccatum: nominatur enim peccatum ab ea parte, per quam aditum ad nos habuit. Anima enim, inquit Ambrosius, à parentib. non traducitur, sed solum corpus. Corpori autem, aut peccato mori, nihil aliud est, quàm ad nutum cupiditatum nihil agere. Hoc idem est, quod superius capite sexto habuimus, Nos iam mortuos esse cũ Christo in baptismo, & vnà cum illo sepultos. Solet autem Apostolus, quum de mortificatione, & vita innouanda scribit, argumẽta sumere à resurrectione Domini: per quam Christus mortalitatẽ deposuit, & vitam æternam induit. Quod idem in nostra quoq; resurrectione cõtinget. In ea enim omnem vetustatem erroris, & corruptionis ponemus. Quod quãuis ante illud tempus non simus perfectè habituri, tamẽ nunc quoq; in hac vita incipimus illud vtcunq; inchoatum possidere. Itaq; Paulus ait in 2. epist. ad Corin. Quemadmodũ vetus homo noster quotidie destruitur, ita vicissim nouus homo quotidie instauratur. Et ad Coloss. Si consurrexistis cum Christo, quę sursum sunt, quęrite. Et ad Philip. Paulus ait, sę semper ad anteriora cõniti, pręteritis & posthabitis illis, quę sunt retro, vt resurrectioni Domini quoquo modo occurrat, particeps effectus iam passionum eius. Et hæc de prima interpretatione, quam Chrysostomus ample ctitur: quam si propius intuebimur, id eam videbimus cõtinere, quod paulò antè diximus, Proprium Christianorum esse, non iuxta carnem, sed iuxta spiritum viuere. Quid enim hoc aliud est, quàm mortificare corpus peccati, & ad nouã vitam cum Christo resurgere? quasi iam nunc incipiat in nobis relucere resurrectio, quam extremo tempore speramus perficiendam. Altera interpretatio est, quam Augustinus probat, vt Corpus accipiatur propriè, hoc est, pro hac nostra externa substantia. Illud ait per peccatum esse mortuum: quod in illud propter peccatum sententia iam olim lata sit. Docet autem, nos per Christum naturam meliorem recuperasse, quàm per Adamum amiserimus. Ille enim habuit corpus non obnoxium necessitati mortis: mortale tamen: nam si peccasset, moriturum erat. Nos autem per resurrectionẽ Christi recipiemus corpus ita absolutum à necessitate moriendi, vt amplius mori non possit. Ita iuxta hanc interpretationem, Paulus declarat, nos præter beneficium mortis Christi, aliud etiam beneficium habere à spiritu Christi, vt iam per illum participes simus immortalitatis. Quod ergo attinet ad resurrectionem corporum vtraque interpretatio conuenit. De illa autem particula, Corpus est mortuum, non consentiunt. Augustinus enim propriè accipit Corpus: Chrysostomus autem vitium, & corruptionem naturæ. Quare iuxta hanc secundam interpretationẽ Paulus videtur occurrere tacitæ obiectioni. His enim, quæ hactenus dicta sunt, potuisset aliquis ita se opponere: Iste spiritus, quem tantopere commendas, quasi nos à peccato, & à morte liberarit, adhuc tamen in morte nos relinquit, & multis aduersis casibus, ægrotationibus, calamitatibus obnoxios: Respondet Paulus, hoc quidem verum esse tantùm quod ad corpus attinet, propter peccatum, quod adhuc in eo relinquitur: inde enim esse ea mala. Cæterùm iubet, vt bono simus animo: spiritum enim illum Dei, qui est in nobis, iam condemnationẽ sustulisse, ne peccatũ, quod residuum est, nobis ad æternam mortem imputetur: & effecturũ etiam esse, vt quemadmodum Christus, qui mortuus erat, per illum excitatus est à mortuis, ita nostra etiam corpora, quę adhuc mortalia sunt, ad veram immortalitatem reparentur. Hic sensus facilis est, & planus, & his, quæ dicta sunt, optimè respondens: ideóque mihi vehementer probatur: quanuis in altera illa expositione nihil absurdi, aut incommodi esse sciam. Hîc duo annotanda sunt: primum, cupiditatem illam, quæ in nobis supereſt, à Paulo appellari peccatum, & eiusmodi etiam peccatum, vt illud mors consequatur. Quod in paruulis baptizatis, & morientibus negari non potest: nam si in illis peccatum funditus sublatum esset, mors locum habere non posset. Quanquam in electis, qui iam Deo recõciliati sunt, mors, & aliæ eiusmodi afflictiones non infligunt vt pœnę, sed potius, vt crux à Deo sanctificata: vtq; paterna castigatione intelligamus, quantopere peccatum Deo displiceat, & magis magisq; reuocemur ad pœnitentiam: vtq; mors in nobis sit via, per quam, quicquid peccati in nobis supereſt, extinguatur. Quare quanuis propter peccatum mors dicatur in nobis habere locum, quoniam nisi illud esset, hęc omnino esse non posset, tamen eam pijs, & electis infligi, vt pœnã, non est consentaneum. Et quanuis corpus dicatur mortuum propter peccatũ, non tamen ex eo statuere debemus, Deum erga suos, quibus peccata condonauit, odium, aut iram retinere. Mors

Nostra resurrectio nunc est inchoata.

Quid sit corpori, aut peccato mori.

Per Christum recuperauimus meliorem naturam quàm per Adamũ amiserimus.

Cupiditas in nobis residua peccatũ est, quod mors consequitur.

Cur Deus aduersis casibus premat suos electos.

Deus non retinet iram contra eos, quos in gratiam recepit.

enim, & aduersa, quæ pios fatigant, non debent inter pœnas, aut supplicia numerari. Solet quidem Deus fideles exercere rebus aduersis, vt de Dauide legimus: qui cùm audisset peccatum sibi esse condonatum, tamen & filium amisit, & in familia sua casus durissimos expertus est. Quare non oportet sacrificos hinc concludere: licere sibi, illis, quos à peccatis absoluerint, pro suo arbitrio pœnas, & satisfactiones imponere. Vnus enim Christus in cruce moriens pro nobis omnibus abundè satisfecit. Neque Christus aut latroni, aut mulieri peccatrici, aut paralytico, cui dixit: Fili, remittuntur tibi peccata tua, aliquid pœnarum imposuit. Neque isti de suis satisfactionibus verbum vnum habent in sacris literis. Hortamen & possumus, & debemus, quotquot ad Christum redeunt, & pœnitentiã agunt, vt per bona opera sese approbent, fructus edant dignos pœnitẽtia, quosq; prauis operibus offenderint, eos mutatis moribus reconcilient, & ædificent. Quãquam hoc nomine non debent isti claues suas venditare, quasi possint Dei flagella pro suo arbitratu moderari: siue ea in hac vita ferenda sint, siue, vt fingunt, in altera. In solius enim Dei manu positũ est, bella, morbos, famem, persequutiones, & alias id genus calamitates vel intendere, vel relaxare. Neq; Deus quum sanctos affligit, id semper spectat, vt illorũ peccata paterna castigatione velit corripere. Sæpe enim fit, vt suæ doctrinæ testimoniũ velit à sanctis perhiberi, & mundo patefieri, quàm sua virtus potens, atque efficax in illis vigeat. Sic Ioannes Baptista, capite mulctatus est: Esaias, Hieremias, omnésque martyres occisi sunt. Disputatur hæc res lucolenter in libro Iob. Vtile tamen est, vt pij frequenter admoneantur de pœnitentia, & bonis operibus: quò Deus flagella illa, & calamitates, quas solet peccantibus irrogare leniat, & mitiget. Quare iste locus nec ad purgatorium, nec ad satisfactiones confirmandas quicquam facit. Cæterùm ex his verbis manifestè docemur, quódnam sit resurrectionis nostrę principiũ: nempe spiritus Christi, qui prius in eo, deinde etiam in nobis habitat. Falluntur ergò illi, qui putant ad resurrectionem nostram necessariã esse, vel transubstantiationem, vel præsentiam Christi in Eucharistia, quasi ex illius carne, quam, vt illi volunt, realiter manducamus, æternam vitam hausturi simus, tanquam à vero fonte, & certo principio. Paralogísimum enim hîc admittunt à non causa, vt causa. Tradit hîc Paulus, principium nouæ vitæ esse, quòd habeamus eundem spiritum, qui fuit in Christo: quæ est tota, & integra causa resurrectionis nostræ. Quemadmodum autem spiritus Christi locum habere possit in cœna Domini, facilè intelligimus: agitamus enim ibi memoriam mortis Christi, quam fide in communione amplectentes, vberius donamur spiritu Christi: quo non tantùm animus viuificatur, verùm etiam corpus ita instauratur, vt resurrectionis beatæ fiat capax. Hinc apparet, quomodò caro, & sanguis Christi ad resurrectionem producendam in nobis concurrant. Ista enim per fidem comprehendimus pro nobis in mortem tradita: & hac fide spiritum adipiscimur, vt & animo, & corpore participes efficiamur æternæ vitæ. Quòd si quandoque Patres videantur id tribuere sacramentis, hoc ex eo fit, quoniam, quæ propria sunt rebus significatis, adscribunt symbolis. Id ex sexto capite Ioannis licet intelligere. Ibi enim Christus manducantibus suam carnem, & bibentibus suum sanguinem pollicetur vitam. Et nemini obscurum esse potest, ibi institutum esse sermonem de manducatione spirituali, quæ fide & spiritu conficitur: neque enim symbola adhuc à Christo data fuerant. Quodq; ait: Panis, quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita, intelligitur de carne Christi cruci affixa, quæ à nobis comprehensa fide ita nos roboratura, & confirmatura sit, ac si panis, aut cibus noster esset. Futuro autem tempore Christum dixisse, Dabo, non est mirum: non enim adhuc erat mortuus. Mors verò, quæ posteà sequuta est, effecit, vt nobis corpus Christi offerretur, non tantùm verbis, sed etiam externis signis vltimo illo tempore, cùm iamiam tradendus esset. Augustinus Tractatu 26. super Ioannem astipulatur huic doctrinæ, Ait enim, Credere, esse manducare. Et addit, Veteres Patres sub lege rem eandẽ nobiscum comedisse: Eadem enim fuisse illorum sacramenta, & nostra: quorum, quanuis signa sint diuersa, eadem tamẽ esse significata. Et in epistola ad Marcellinũ ait, sacramenta veterũ, & nostra in eo fuisse distincta, quòd illi crediderint in Christũ venturũ, nos in eũ, qui iam venerit. Et Leo Romanus episcopus, in epistola ad Constantinopolitanos, ait, nos accipientes virtutem cibi cœlestis transire in carnem Christi, quæ nostra facta sit. Irenæus non semel dicit carnem nostram, & corpora nostra ali carne, & sanguine Christi: quod nos, modò rectè intelligatur, minimè inficiamur. Nam quemadmodum ex naturalibus cibis fit sanguis, vnde animus nutritur, & corpus æternę vitę, quã in resurrectione habituri sumus, capax efficitur. Deinde non dubitamus, carnem, & corpus nostrum vesci symbolis huius sacramenti: quæ

Exemplum Dauidis.

Non est sacrificorũ moderari pœnas à Deo infligendas.

Claues ecclesiæ non moderãtur flagella Dei.

Alius finis diuinorũ flagellorũ.

Spiritus Christi principiũ est nostræ resurrectionis.

Causa nostræ resurrectionis non est caro Christi realiter mãducata.

In sacra cœna spiritu Christi donamur.

Quomodo caro & sanguis Christi ad resurrectionẽ conducant.

Quare Patres hoc interdũ sacramentis attribuant.

Locus Ioãnis in cap. 6.

ti: quæ symbola nomine rerum significatarũ appellantur. Cumq; audimus Patres loqui de vera carne, corpore, & sanguine Christi, quæ in Eucharistia manducemus, si spectare velis genuinum, & proprium illorum sensum, videbis eos aduersus illos hæreticos agere, qui negabant, Christum verè assumpsisse humanam carnem: eumque prædicabant tantùm per phantasiam, & apparentiam quandam visum fuisse hominem. Quod si ita esset, vt illi Patres prudenter dixerunt, sacramenta nostra essent irrita. Falsò enim nobis corpus, & sanguis Christi significarentur, si illa in Christo nunquam fuerint. Per spiritum igitur nostrum, quo animus noster vescitur, dum communicamus, corpus quoque nostrum instauratur, vt sit aptum organum spiritus sancti, vnde illi ex promissione diuina debetur vita æterna. Et quẽadmodum lignum vitis defossum in terram suo tempore virescit, & germinat, ita nostra cadauera commissa humo sub horam à Christo destinatam excitabuntur ad gloriam. Quòd si integra, tota, & necessaria causa resurrectionis nostrę, vt isti volunt, esset illa mãducatio carnis Christi, quam fingunt in Eucharistia realiter, & corporaliter à nobis percipi, quid fieret de Patribus veteris Testamenti, qui eam edere ad eum modum non potuerunt, cùm Christus nondum hominem induisset? Sed fortasse dicent, se de illis non loqui, sed de nobis tantùm: Nos autem non posse resurgere, nisi carnem Domini mãducemus: Christum enim nobis non illis hoc sacramentum instituisse. Sed isti, cùm hæc dicunt, non ne intelligunt, se iam mutare causam resurrectionis? Qua autem id authoritate, aut cuius permissu, aut iussu faciant, ipsi viderint. Nam quod vni populo est causa resurrectionis, id quomodo non erit alteri? Verùm vt hoc illis demus, quid tandem facturi sunt de paruulis, qui infantili ætate moriuntur, priusquam sacramentum Eucharistiæ percipiant? Cùm fateantur illos esse excitandos ad gloriam, vel hinc saltem intelligant, corporalem manducationem carnis Christi non tam esse necessariam ad resurrectionem: Spiritualis autem prorsus est necessaria, vt sine qua nemo potest ad salutem resurgere. Christus enim expresse ait: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.

Sine ue.

Probatur mandu cationem realẽ carnis Christi non esse causam resurrectionis.

Quid fiet de nostris paruulis?

Viuificabit & mortalia corpora uestra. Hoc ideo dicit, quia per spiritum habitantem in nobis facti iam sumus membra Christi. At non decet, vt caput viuat, et membra sint mortua. Dicit *corpora mortalia*: quoniam quàm diu hîc viuimus, mortem nobiscum vnà circumferimus. tum autem Deus mutabit naturam nostrorum corporum. Sed quoties audimus, corpora nostra dici mortalia, veniat nobis in mẽtem *peccati*. Nam per illud morti facti sumus obnoxij. Prudenter monuit Chrysostomus, ne fingamus nobis propter hæc Pauli verba, impios, quòd careant spiritu Christi, non esse excitandos à mortuis. Hîc enim non de omni resurrectione agitur, sed tantùm de salutifera, & beata. Vita enim damnatorum erit miseria sempiterna: Ita quę mors potius ea, quàm vita dicenda est. Vermis enim illorum non morietur: & ignis illorum non extinguetur.

Hîc nõ agitur de omni resurrectione ex mortuis, sed tantùm de salutifera.

Debitores sumus, non carni, ut secundum carnem uiuamus. Attexit dulcissimam exhortationem, vt viuamus iuxta spiritum, non autem iuxta carnem. Vtq; ostendat, id nos maximè debere facere, sumit rationem à iusto, & honesto. Cùm simus debitores, oportet, vt debitum bona fide persoluamus. Oritur autem hoc debitum ex beneficijs in nos collatis, quæ superius commemorauimus: scilicet, quòd Christus pro nobis sit mortuus, quòd nobis donarit suum spiritum, quo liberemur à condemnatione, à lege peccati, & mortis, quóque iustitia legis impleatur in nobis, simusq; & mortis Christi, & beatæ resurrectionis participes. Hinc obstringimur, ne amplius secundum carnem viuamus. Ad explendam sententiam Paulus addere debuisset, sed secundũ spiritum. Verùm hãc partem antitheseos supprimere voluit, quòd ex altera satis intelligatur. Sunt enim hęc opposita ex eo genere, vt vno cedẽte, statim succedat alterum. Annotauit hîc Chrysostomus, Deum ea bona, quæ nobis confert, gratis, & sponte dare, nos autem è diuerso, quicquid præstamus Deo, id facere ex debito: Nos enim ad id faciendum obstringi. Quod si ita est, vt re vera est, vbi sunt opera supererogationis? Respondeant enim mihi aduersarij: Sũtne ea secundum carnem, an secundum spiritum? Si secundum carnem, peccata sunt: si verò iuxta spiritum, sumus illorum debitores. Neque hoc significat Paulus, nos nihil debere carni: Ea enim certè nobis pascenda, & vestienda est: nec tantùm in nobis ipsis, verùm etiam in proximis, si opus habeant. At hîc de substantia carnis non disputatur, sed tantùm de corruptione, qua trahimur ad peccandum. Illi enim ita nihil debemus, nisi mortificationem, vti mox à Paulo dicetur. Et cùm ait, nos esse debitores non carni, satis ostendit, quàm necessaria sint bona opera. Illis autem oppilat os, qui eius doctrinæ detrahebant, quasi habenas laxaret vitijs. Mortem enim, & eam quidem æternam comminatur illis, qui viuunt secundum

Vnde nostra obligatio rectè uiuendi oriatur.

Contra opera supererogationis.

Naturæ seu substãtiæ carnis multa debemus.

Hîc nõ agitur de substantia carnis sed de naturæ corruptione.

Necessitas bonarum operum.

carnem. Qui trahunt verba Apostoli in libertatem carnis, illi non intelligunt, eum docere, Iustificatos absolui à damnatione legis, non autem ab eius obedientia. Ea enim in sanctis æternùm durat.

Si enim iuxta carnem uixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, uiuetis. Alia ratio ne probat, sanctè uiuendum esse, quæ ab utili, & inutili trahitur. Duo proponit, nempe uitam, & mortem: neq; hîc de temporarijs rebus agit, sed de æternis. Verum quidem est, non decere, ut prauitatem, & corruptionem, quæ nomine Carnis designantur, sequamur, ut duces uitę nostræ: neq; enim debita, quæ contraximus cum Deo ex beneficijs in nos collatis, hoc à nobis fieri paterentur: sed pauci mouentur hoc decoro: & ingenium humanum propter peccatum nimis est ad res cœlestes stupidum. Quare calcaria adhibenda sunt fortiora. Itaq; Paulus adiecit hanc rationem de uita, & morte.

Ratio ab utili & inutili.

Si spiritu facta carnis mortificaueritis, uiuetis. Hinc duo colligimus: primùm facta carnis esse adhuc in sanctis. Ea autem quis dubitat esse peccata? præsertim uerò, cùm sint mortifican-da? Alterum est, ista mortificari spiritu, quoniam humanis inuentis nihil promouetur. Nam quicquid Philosophorum uirtutibus agitur, peccatum est: quod illis non potest per Christum condonari. Vera igitur, & solida causa mortificationis à spiritu petenda est. Mortificare autem non aliud est, quàm sibi ipsi uim facere, & aduersari, atq; resistere prauis cupiditatibus. Rursus hîc quoq; Apostolus uidetur attingere discrimen inter peccatum mortale, & ueniale: non quòd omnia peccata natura sua non sint mortifera: sed quòd adiuncta morte, & spiritu Christi, condonãtur, ideò dicuntur uenialia. Mortalia uerò dicuntur, quæ in nobis non mortificantur, cùm cupiditatibus indulgemus, absq; pœnitentia uimus, aduersus conscientiam peccamus, neq; cupiditatibus reluctamur, sed propositum perseuerè uiuendi retinemus, neq; Christi spiritum, aut mortem interponimus. Hæc illa sunt, de quibus Paulus ait: Qui talia faciunt, regnum Dei non obtinebunt: & propter quæ, ut scribitur ad Ephesios, Ira Dei uenit super filios diffidentiæ.

Quid sit mortificare.

Etenim quicunq; spiritu Dei aguntur, Hi sunt filij Dei. Duabus rationibus probatum est, pios homines, & renatos non oportere uiuere secundum carnem: uel quòd iam eius rei sint debitores, uel quòd id illis magno commodo futurum sit, nimirum, quòd uicturi sint in æternum. Tertia ratio additur, quòd iam adoptati sint in filios Dei. Quo loco duo simul docemur, alterum eos ultrò, ac sponte operari oportere, ut qui non seruorum, sed liberorum spiritu donati sint, alterum, eos, qui sic uixerint, æternùm uicturos esse, uidelicet, quòd sint filij Dei. Ille enim æternus est, & immortalis. Esse autem eos filios Dei, triplici ratione confirmat: quòd agãtur spiritu Dei: quòd illum patrem inuocent: quodq; eis hoc spiritus testetur. Ratio ergo componi sic potest, Quicunq; sunt filij Dei, illi iuxta carnem non uiuunt: quoniam spiritu Dei aguntur, & Deum inuocant patrem suum, & spiritum sanctum habẽt in cordibus suis, testem adoptionis, quam sunt consequuti. Tales autem nos sumus omnes qui Christo credimus: Quare iuxta carnem nos non oportet uiuere. Cùm filij Dei dicantur, qui aguntur spiritu Dei, innuitur principium huius adoptionis non esse, nisi spiritum Dei: quo fideles ita trahuntur, ut à Paulo dicantur duci, id est, absq; uiolentia, & ulla coactione flecti. Qui spiritu carent, ignoratione tenentur, & impulsu cupiditatum agitantur. Spiritus autem Dei ita ducit, ut & quid agendum sit doceat, & ad id præstandũ uoluntatem, animum, uiresq; suppeditet. Non est satis nosse, quid facere oporteat, nisi addantur uires: & uires ipsæ frustrà darentur, si deesset notitia. Hæc secum duo adfert spiritus Dei, atq; ita electos suauiter ducit. Isto spiritu postquam sumus semel obsignati, arram æternæ uitæ, & adoptionem filiorum Dei adepti sumus. Cumq; non cogamur, aliquid inuiti agere, summa fruimur libertate. Ad ea enim incitamur, quæ uehementer cupimus.

Rectè uiuendum est quòd simus in filios adoptati.

Triplici ratione ostendimur filij Dei.

Principium adoptionis est spiritus Dei.

Duo secũ affert spiritus Dei.

Non enim accepistis spiritum seruitutis ad timorem: Sed accepistis spiritum adoptionis, per quem clamamus, Abba pater. Distinctione quadam Apostolus exprimit, quis nam sit ille spiritus, quo aguntur filij Dei. Alterum enim facit spiritum timoris, alterum adoptionis: quod non aliter intelligendum est, quàm quòd idem atque unus spiritus Dei duo producit effecta, quæ certo ordine inter se coniuncta sint. Homines enim iustificandos primùm terret lege, & minis, & flagellis, & conscientiæ uerberibus frangit, atque diuexat: quò de se ipsis planè desperantes confugiant ad Christum: quò cùm peruenerint, & illum fide amplexi fuerint, non solùm iustificantur, sed etiam ultro, & sponte ad iusta, recta, & sancta opera incitantur. Paulus ergo monet Romanos, eos iam ad posteriorem hũc gradum pertigisse, quasi illaturus sit: propterea necesse esse, ut alacriter, & promptè studeant iustitiæ. Sed quoniam hîc significari uidetur differentia ueteris, & noui Testamenti, operæpretium est uidere, quo spiritu nos nunc agamur

Quidam est spiritus timoris, quidam adoptionis.

De spiritu quo sub Euãgelio agimur, quóue Patres agebantur sub lege.

mur in Euangelio: deinde, quo Patres in Lege acti fuerint. Certè Chrysostomus hoc loco ea de re complura scribit, quibus ego non possum assentiri. Primùm enim statuit Iudæos veteres non habuisse spiritum sanctum. Quoniam autem videt hoc loco Apostolum disertè facere mentionem spiritus, hoc ideo ait fieri, quòd Lex veterum, cum lata esset à spiritu Dei, idcirco appellata fuerit spiritualis: & quoniam illi homines ea Lege instituti fuerint, idcirco hîc fieri mentionem spiritus. Et cùm in capite decimo prioris ad Corinthios, Patres illi dicantur comedisse eundem cibum spiritualem, & bibisse eundem potum de spirituali petra, non vult tamen Chrysostomus concedere, illos fuisse participes spiritus: sed ea idcirco ait spiritualia fuisse appellata, quòd non humanis, aut naturæ viribus, sed potentia Dei concessa fuerint. Et mirum quidem est, istum Patrem iudicasse, veterem populum exclusum fuisse à spiritu Dei: cùm in Exodo capite 31. legamus, Bezeleel, & Aholiam repletos fuisse spiritu sancto, sapientia item, atque intelligentia, vt omnia facerent, quæ Deus in opere tabernaculi facienda iusserat: & septuaginta seniores, qui Mosi dati fuerant adiutores, ita eius spiritus fuisse participes, vt etiam Prophetauerint: & Iosuam spiritu sancto fuisse præditum: & eundem spiritum Gedeonem induisse: & sanctum eundem spiritum à Saule recessisse: quod fieri non potuit, nisi eum antea habuisset. Quid, quòd Dauid ait in psalmo: Spiritum tuum ne auferas à me: Et spiritus tuus me deducet: Et, spiritu principali confirma me? Nec Eliam, aut Elizæum Dei spiritum habuisse negare possumus, cùm alter sibi optauerit duplicem alterius dari spiritum. Daniel etiam legitur, habuisse spiritum sanctorum. Verùm ad hæc tot oracula addemus etiam firmam rationem. Patres iustificatos fuisse, non dubitamus: Iustificari autem non potuerunt sine fide in Christum: At fides sine spiritu sancto, nec haberi, nec retineri potest. Quòd autem Chrysostomus ait, ideo Apostolum facere mentionem spiritus, quòd illi gubernarentur Lege, quæ lata fuerat à spiritu, friuolum est: quando quidem Lex facere non potest officium suum, vt homines ad Christum perducat iam perterrefactos, nisi vis eius iuuetur spiritu. Quot enim sunt Epicurei, & ἄθεοι, qui Lege audita neque ad Christum adducuntur, neque ob admissa scelera consternantur? Et ille locus in capite 10. prioris ad Corinthios, non ita intelligendus est, vt ille putat. Paulus enim ait, veterum sacramenta eadem fuisse cum nostris. Nam nisi ita esset, infirmari facilè posset ratio Pauli. Potuissent enim Corinthij existimare, Iudæos ideo tot supplicijs fuisse affectos, quòd sacramenta non haberent nostris sacramentis paria: & è diuerso, se, quamuis peccarent, non esse castigandos, quòd sacramenta haberent perfectiora, quæ Deum, quantumuis iratum placare possent, & omnia aduersa, quæ impenderet, propulsare. Verùm, cùm Paulus dicat, illorum sacramenta eadem fuisse, quę nostra, hoc præsidium illis pręripitur. Et huc spectasse Paulum, sine dubitatione ideo credendum est, quòd tantùm illorum sacramentorum veteris Testamenti meminerit, quæ nostris duobus respondent, cæteris omnibus, quę innumera fuerunt, prætermissis. Illos enim baptizatos fuisse affirmat, vt nos baptizati sumus: & addit, eos eundem cibum, & potum spiritualem percepisse, quem nos hodie percipimus, vt nostram Eucharistiam, aut Cænam Dominicam insinuaret. Si hanc causam tollas, aliam nullam reperies, propter quam istorum duorum sacramentorũ solùm meminerit. Adhæc, quid nos habemus in sacramentis nostris quod summũ, atq; præcipuũ accipere dicamur? Nonne Christum? At Apostolus testatur, veteres eum in suis sacramentis accepisse. Ait enim: Bibebant de spirituali consequẽte eos petra: Petra autẽ erat Christus. Christum verò bibere nullo modo possumus, nisi vnà spiritum etiam eius hauriamus. Quare putare non debemus, veteres non habuisse spiritum Dei: habuisse autem eos mercedes, & castigationes, fortasse dixeris, quasi ea nos non habeamus. Quid enim? Nonne Paulus grauiter minatur Corinthijs, si sequantur ea peccata, quæ veteres in deserto admiserant? Nonne ait, multos imbecilles esse, et multos dormire, quòd fœdum in modũ abusi fuissent Eucharistia? Et nõne ait: Cùm iudicamur, à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur? Quid quòd, ne merces quidem pijs hominibus in nouo Testamento desunt? Nam si quid damus in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipimus. Et qui sua relinquit propter Christum, centuplum accipiet etiam in hoc seculo. Sed addit Chrysostomus, illis promissam fuisse terram lacte, & melle manantem: nobis autem regnum cœlorum. Fateor equidem, veteres plures habuisse promissiones temporarias: non ita tamen, vt illis de vita æterna mentio non sit facta. Nam Christus de resurrectione testimonium adducit ex lege: Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob. Et Deus ait Abrahamo: Ego sum protector tuus, & merces tua magna valde. Et Daniel ait, Resurrecturos eos, qui dormierint in puluere terræ: alios ad vitam æternam, alios ad condemnationem sempiternam.

Probatur ueteres non caruisse spiritu Dei.

Lex non potest suum officium facere nisi iuuetur spiritu.

Locus ad Corinthios declaratus

Christum bibere nõ possumus absq; illius spiritu.

Veteribus nõ modo tẽporaria sed etiam æterna uita promissa est.

Et Esaias ait de damnatis: Ignis eorum non extinguetur, & vermis eorum non morietur. Vtq; cætera omnia, quæ infinita sunt, taceam, in Lege Christus ipse promissus est. Ipse enim ait, Mosen de se scripsisse: & Paulus ait, eum finem fuisse Legis. Adhæc multa alia sunt eiusmodi testimonia, & in Euangelijs, & in Epistolis Pauli: quæ omnia petita sunt à veteri Testamento. Addit Chrysostomus, veteres vsos fuisse externis purificationibus. Neque nos inficiamur, eos longè pluribus, & grauioribus ceremonijs obstrictos fuisse, quàm nos sumus: qui tamen omnino symbolis externis non caremus. Habemus enim nos quoque panem, vinum, & aquam sacramentorum nostrorum elementa: Christus autem idem & noster, & illorum sacramentis communis fuit. Negare enim nemo potest, Circuncisionem sacramentum fuisse regenerationis, quemadmodum est etiam Baptismus noster. Imò etiam Scholastici ipsi fatentur, peccatum originis condonatum fuisse veteribus in Circuncisione. Quare non ita facilè pronuntiandum erat, illos tantùm habuisse externas purificationes. Longè verò grauius est, quod addit, Illos manus cohibuisse à prauis operibus: nos verò mentem, & conscientiam. Videtur Chrysostomus, semper esse in ea sententia, vt dicat, Legem tantùm opus externum prohibuisse: postea autem Euangelium prohibuisse iram, odium, & animi libidinem: & non animaduertit, etiam veteres habuisse præceptum illud, Non concupisces: & Prophetas vbique requirere Circuncisionem cordis: & in primo mandato comprehendi fidem, spem, charitatem, & quæcunque ad spirituales animi motus pertinent. Quòd autem ait, illos impulsos fuisse timore, nos autem dilectione, verum id quidem aliquo modo est: at non ita, vt illi prorsus expertes dilectionis fuerint, nos autem prorsus absque timore simus. Sed de ea re plura infrà dicentur. Minimè verò omnium verum est, quòd ait, illos fecisse legem: nos autem ea superare quæ lege mandantur. Nam, vt aliâs probauimus, ne regenerati quidem ita possunt opera sua instituere, vt Legi diuinæ omni ex parte satisfaciant. Addit præterea, illos emendari nõ potuisse, nisi lapidatione, mutilatione, adustione, & alijs hoc genus pœnis: nos autem excommunicari tantùm, cùm extremum Ecclesiæ supplicium subeundum sit. Sed meminisse eum oportuit, pœnas illas, quas commemorauit, fuisse ciuiles, quas nostri etiam Christiani magistratus hominibus maleficis irrogant. Sed illi, inquit, habuerunt honorem adoptionis & filiorum tantùm nominétenus: nos autem re ipsa. Certe negari non potest, Deum in veteri Testamento appellatum fuisse patrem populi sui. Deo enim ait, se ex Aegypto vocasse filium suum primogenitum. Et Moses ait in Deuteromio: Deum, qui te genuit, dereliquisti. Et Malachias in 2. capite. Vnus est Deus, & pater omniũ nostrûm. Et Esaias, Filios enutriui, & exaltaui: illi autem spreuerunt me. Paulus etiam nónne ait: Quorum sunt testamenta, & adoptio? Loquebatur autem de patribus Israelitarum: ex quibus erat Christus secundum carnem. Ego dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes. Illi etiam ipsi Deum patrem inuocauerunt, cùm dicerent apud Esaiam, Tu es pater noster: Abraham enim ignorauit nos, & Israel nos non cognouit. Tanto verò affectu Deus pater fuit erga eos, vt dicat: Nunquid potest mater obliuisci filij sui? Sed quamuis illa possit, tamen ego non obliuiscar tui. Hæc hoc loco ita scribuntur à Chrysostomo, vt habeat aliâs multa similia: quæ, vt dixi, cautè, & cum iudicio legenda sunt. Augustinus tractans hunc locum, ait, hîc discrimen poni veteris, & Noui testamenti: quorum alterum in timore, alterum in dilectione situm sit. Addit præterea, extra controuersiam esse, spiritum adoptionis esse spiritum sanctum. Spiritum verò seruitutis opinatur illum esse, qui habet potestatem mortis, hoc est, Satanam. Sub malo enim spiritu tenentur, qui destituti gratia, & non regenerati viuunt sub Lege. Rebus enim temporarijs dediti sunt, & suis cupiditatibus obtemperant: non quidem vitio legis, sed quòd ipsi à Christo, & Deo sint alieni. Nõ enim possunt seruare Legem Dei. Ideo & inuoluuntur peccatis, & perpetuis furoribus incitantur. Subinnuit etiam, hîc interpretationem esse aliam: quasi spiritus hoc loco animum nostrum significet, qui interdum sit seruus cupiditatum, interdum verò agat sub libertate filiorum Dei. Sed hanc sententiam ait non posse consistere, quòd spiritus adoptionis paulò post apertè dicatur externus, & ascitius, nimirum afflatus diuinitus. Ita enim Paulus scribit: spiritus est, qui testimonium reddit spiritui nostro, quòd simus filij Dei. Quæ verba satis declarant, inter spiritum illum, qui suadet, & illum, cui suadetur, discrimen constituendum esse. Quod, inquit, si verum est de spiritu adoptionis, etiam de spiritu seruitutis idem sentiendum est. In eo itaque Augustino conuenit cum Chrysostomo, eos quos iudicat sub spiritu seruitutis esse constitutos, expoliatos esse spiritu Dei. Eos enim facit homines non regeneratos, & à Deo alienos, imò addictos spiritui Satanæ: de quibus non possumus intelligere Chrysostomum. Is enim rationem adfert, cur veteres caruerint spiritu, ex Lege, & sacramentis. Augustinus verò id vitio Lege,

Pluribus ceremonijs quàm nos erant obstricti ueteres.

Circuncisio sacramentum regenerationis ut baptismus.

Lapsus Chrysostomi, quòd ueteribus tantũ prohibitũ fuerit opus externum.

Vt nos timore nõ sumus prorsus expertes, ita ueteres non fuerunt omnino absq; dilectione.

Etiã ueteres fuerunt filij Dei per adoptionem.

Spiritus adoptionis nõ est animus noster, sed afflatus diuinus.

Lege factum fuisse negat. Quare eius sententia probabilior est, quàm Chrysostomi. Ego tamen in eo cum Augustino non facio, vt spiritum seruitutis putem, intelligendum esse Satanam. Duo enim hîc, vt dixi, effecta spiritus sancti intelligenda sunt. Primum est, cùm Legis notitia, & peccatorum conscientia percellimur, vt salute desperata, nisi ad Christum accesserimus, de nobis actum esse intelligamus. Quare duce eodem spiritu ad Christum accedimus, & illum promissionemque diuinæ misericordiæ fide complectimur: vnde nobis peccata condonantur, nosque in adoptionem filiorum Dei asciscimur. Vult igitur Paulus ostendere Romanis, eos iam extra primum illum gradum positos, & in Christo regeneratos habere adoptionem, atque idcirco eos oportere, non tantùm sanctè viuere, sed etiam vltrò ac sponte iustè operari. Huic nostræ interpretationi Ambrosius astipulatur. Ait enim, Apostolum hîc docere Romanos, eos non amplius sub Lege esse, sed iam sub fide agere. Itaque ego cum illo statuo, duos gradus conuersionis his verbis demonstrari. Quòd si quæratur de veteri populo, quomodo se habuerint ad spiritum Christi, ita rem explicari posse arbitror, vt Iudæos in tres partes diducamus. Alij enim ex illis prorsus impij erant, & ἄθεοι, qui cum populo Dei, præter nomen, habitationem, & Circuncisionem externam, nihil commune habuerunt. atque istos fateor, prorsus alienos fuisse à spiritu Christi, imò sub spiritu Satanæ vixisse. E diuerso alij fuerunt præclari, & sancti viri, vt Dauid, Ezechias, Iosias, Elias, Daniel, & alij complures huius generis: quos spiritum Euangelicum habuisse, nullo modo negare possumus: quamuis pro ratione temporis multis ceremonijs, & ritibus Legalibus coacti fuerint seruire. Fuerunt rursus alij infirmi, qui quamuis cum istis, quos commemorauimus, conferri non possent, tamen, cùm pij essent, in Messiam venturum crederent, eáque fide iustificarentur, eos non debemus putare alienos fuisse à spiritu Christi: quamuis propter illorum imperfectionem, Lex in eos magnam potestatem sibi vendicaret, illíque cum alijs cogerentur, prout illa tempora ferebant, infinitis ceremonijs subijci. Atque hæc ratio est, cur veteres dicantur, vixisse sub Lege, & sub spiritu seruitutis: Non habuerunt perspicua, & clara, qualia nunc sunt, sacramenta salutis suæ, nec mysteria de Christo ita vulgò habebãt reuelata, vt nos nunc habemus in Euangelio. Idcirco quamuis inter nostros multi versentur impij, & magna turba sit infirmorum, tamen dicimur absoluti à Lege, & quia absoluti sumus à ceremonijs, & quia sacramenta, & mysteria salutis per Christum partæ habemus explanatiora, & magis, quàm illorum erant vulgò, patefacta. Vocantur etiam veteres à Paulo paruuli, quòd sub tutoribus, & actoribus viuerent, & à Lege, tanquam à Pædagogo, instituerentur. Et cùm appellantur serui, eos intelligere debemus, fuisse frugi. Huiusmodi enim serui heros suos magna beneuolentia, & charitate complectuntur: perquam suasumque habent domini sui honorem sibi quoque honori fore. Nequam autem serui nunquam abstinent à vitijs, neque aliquid rectè faciunt, nisi verberibus adigantur. Duos istos illorum titulos, quos commemorauí, Paulus coniungit in epistola ad Galatas. Sic enim ait: Hæres, dum paruulus est, sub tutoribus, & actoribus viuit, nihilque differt à seruo, cùm tamen sit dominus omnium. Quibus verbis ostendit, veteres electos Dei, re vera fuisse hæredes: quamuis pro ratione temporis sub Legis Pædagogia, & elementis huius mundi, tanquam paruuli sub forma seruorum continerentur. Ita ego sentiendum existimo de veteribus. Nunc ad Paulum redeo. Is ostendit, Romanos iam esse iustificatos, vt non sint amplius sub Lege, & damnatione, sed per fidem, ac spiritum iam adoptati sint in filios. Quare par esse, vt qui in eam sortem ascíti sint, sui patris ingenium referant, vt quæ ab illo probentur, ipsi quoque comprobent: quæ ille damnet, & fugiat, ipsi quoque abhorreant, ac detestentur. Quanquam iste spiritus adoptionis, quoad hîc viuimus, non potest in nobis esse perfectus, & absolutus. Superest enim pugna perpetua carnis aduersus spiritum. Obseruandum etiam est, Paulum hîc mutasse antithesin: nam cùm mentionem fecisset de spiritu seruitutis, ratio sermonis exigere videbatur, vt diceret, eos accepisse spiritum libertatis: at pro libertate suppositit adoptionem, vt rem eam, quam tractabat, faceret illustriorem. Plus enim longè est, à Deo adoptari in filium, quàm asseri in libertatem. Sed quia nunc offert se nobis mentio de adoptione filiorum Dei, locus videtur postulare, vt de ea quoque aliquid dicatur. Iurisperiti, vt habetur in Institutionibus, definiunt adoptionem, esse actum legitimum, imitantem naturam, repertum ad illorum solatium, qui liberos non habeant. Adhæc, illi distinguunt adoptionem ab arrogatione. Nam arrogationem esse aiunt, cùm is, qui sit sui iuris, recipitur in locum filij: Adoptionem verò, cum is, qui sit sub aliena potestate, ascíscitur. Cauetur autem Legibus, ne maior natu adoptetur à minore. Monstri enim simile videbatur, vt filius patrem ætate

Spiritus adoptionis & spiritus timoris est Dei spiritus.

Duo gradus conuersionis.

Iudaici populi tres ordines.

Sancti ueteres erant quidem serui sed frugi.

Spiritus adoptionis in nobis non est perfectus & absolutus.

Plus est adoptari quàm liberari

Definitio adoptionis.

Arrogatio quid ab adoptione distet.

superaret. Atque idcirco Cicero adoptionem illam Clodij sepè grauiter exagitat. Iam Deus adoptat sibi electos suos, non quòd filium alium non haberet: Habuit enim Christum vnigenitum, in quo sibi optimè complacuit: sed quòd in omni natura humana nullos adhuc haberet filios. Per Adamum enim omnes ab eo fueramus abalienati. Quare Deus naturalem, & legitimum filium suum ea de causa misit in mundum, vt per illum alios multos ex nostro genere sibi filios cooptaret. Id autem vulgò non solet fieri. Nam qui vnicum habent filium, non quærunt sibi alios: imò lętantur, filium illum suum non esse cogendum, vt cum fratribus hęreditatem partiatur. Sed tanta fuit Dei, & Christi erga nos charitas, vt nos, quamuis immeritos, ad tantam dignitatem voluerit adsciscere. Neque hæreditas illa cœlestis eius est naturæ, vt pluribus communicata imminuatur. Iam videndũ est, quomodo nobis hęc adoptio contingat: Eam Paulus dicere videtur, nobis cõmunicatam esse per spiritum Christi. Ex eo enim habemus fidem, qua Christum pro nobis mortuum, & Dei promissiones complectimur: atq; ita à Deo adoptamur in filios. Hoc nobis Ioannes pulchrè indicauit ab initio Euangelij sui ita scribens: Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Ex his verbis intelligimus, nos fieri filios Dei, quando recipimus Christum. Id autem nõ fit, vel per Circuncisionem, vel per alias legales ceremonias, vel per opera bona moralia, sed tantùm per fidem: Eoq; Ioannes subiecit, his, qui crediderunt in nomine eius. Cùm autem illis dicitur potestas esse data, vt efficiantur filij Dei, non debemus putare, vt multi Sophistę inculcant, nos prius credere, deinde accipere potestatem, vt ascribamur ad numerum filiorum Dei. Nam potestas illo loco nihil aliud est, quàm ius, & prærogatiua. Ac si diceretur, eos, qui Dominum receperunt, & in eius nomen crediderunt, habere ius, & prærogatiuam, vt transeant in adoptionem filiorum Dei. Sed addit Ioannes, Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Primùm, cùm dicit: Non ex sanguinibus, intelligit, hanc adoptionem non contingere ordine naturæ, vt in hac generatione commisceantur semina maris, & fœminæ. Quam sententiam exprimit proximis verbis apertius. Ait enim: Non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri. Per carnem enim eum intelligere fœminam, ex duobus locis probari potest. Dicit enim Adamus de vxore sibi à Deo tradita: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Et Paulus ad Ephesios, Qui diligit, inquit, vxorem suam, seipsum diligit. Nemo vnquam carnem suam odio habuit. Atque hanc interpretationem Augustinus sequitur. Quanquam video, aliter etiam hunc locum exponi posse: vt, cùm dicitur, Non ex sanguinibus, intelligamus, non pertinere ad hanc adoptionem vi aliqua cognationis, aut stirpis. Nam id sibi Hebræi persuaserant. Semper enim importunè iactabant, se esse semen Abrahæ. Nec voluntate carnis ad hanc adoptionem peruenitur. Ad eam enim assequendam non iuuamur illis bonis, quæ caro solet appetere, opibus, inquam, potentia, robore corporis, forma, & alijs rebus id genus. Nec ex voluntate viri: nimirum illis bonis, quæ sunt præstantioris notæ, & maximè putantur decere viros, qualia sunt sapientia, prudentia, & opera virtutum moralium. Hæc enim omnia efficere non possunt, vt simus filij Dei. Sed ex Deo, inquit, nati sunt. Hoc omne habemus tantùm ex bonitate Dei, eiusque mera misericordia. Itaque Paulus ait ad Ephesios: Qui nos prædestinauit in adoptionem filiorum Dei. Ex eius igitur Electione & prædestinatione omnis ratio adoptionis nostræ pendet. Illius autem diuinæ voluntatis nulla à nobis ratio vel intelligi, vel reddi potest. Atque hinc illud est, quod Christus apud Ioannem ait, oportere nos nasci ἄνωθεν, id est, diuinitus, & ex supernis. Confert autem Christus hãc regenerationem cum vento. Spiritum, inquit, audis, & nescis, vnde veniat, aut quo vadat. Itaque Deus per Christum gratuito largitur nobis spiritum suum. Vtitur autem verbo, tanquam instrumento, idq́ue dicitur semen, quo renascimur. Donat etiam fidem, qua proposítũ nobis verbum promissionis recipiamus. Et ita iustificamur, & adoptionem filiorum Dei adipiscimur: quæ tamen, dum hîc viuimus, non potest esse perfecta. Quare Paulus dicet aliquanto post, nos expectare adoptionem filiorum, & redemptionem corporis: quæ nobis non contingent, nisi in beata illa resurrectione. Ista eadem Paulus scribit ad Galatas: Cum autem, inquit, venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum ex mulière, factum sub Lege, vt eos, qui sub Lege sunt, liberaret, vt acciperemus adoptionem filiorum. Quoniam autem sumus filij, misit Deus spiritum filij sui in corda nostra, in quo clamamus, Abba pater. Hæc verba ostendunt, ante plenitudinem temporis, fuisse seruitutem quandam legis: postea datum fuisse filium, per quem plenius acciperemus & spiritum, & adoptionem, qui designati sumus, & destinati, vt efficiamur filij Dei. Hanc adoptionem Christus videtur sacramento quodam in sua genealogia consecrasse. Nam cùm in Luca, & in Matthæo varien

tur

Deus nos adoptauit, cùm filium haberet.

Per spiritum & fidẽ adoptamur in filios.

Cõtra Sophistas.

Ioannis locus declaratur.

Vocabulo carnis fœmina interdũ significatur.

A prædestinatione pendet adoptio nostra.

Quibus gradib. perueniatur ad filiorum adoptionem.

Adoptio quam nũc habemus nõ est perfecta.

tur nomina progenitorum, adoptio miſcetur, vt ſæpe vnus idemq; homo vnũ habuerit patrem per naturam, alterum autem per adoptionem. Fuit etiam in veteri Teſtamento ſatis frequens vſus adoptionis. Nam & Iacobus adoptauit ſibi nepotes ſuos, Ephraim, & Manaſſen, vt ſibi eſſent aliorum filiorum loco, & ea ratio tantum valuit eo tempore, vt etiam mortuis adoptarẽtur liberi. Fratri enim defuncto ſuperſtes frater ex eius vxore ſuſcipiebat filios, & ſemen ſuſcitabat in Iſrael. Hæc, quaſi vmbra quædam, noſtram iſtam adoptionem in filios Dei figurabant. Vulgata editio habet, *Adoptionem filiorum Dei*: cùm in Græco vox illa, Dei, non legatur. Eſt enim tantùm υἱοθεσία. Sed diligenter conſiderandum eſt, & vnde per hanc adoptionem educamur, & quò transferamur. Eramus antea filij Diaboli, iræ, incredulitatis, diffidentiæ, huius ſeculi, perditionis, noctis, tenebrarum. Transferimur autẽ eò, vt & dicamur, & ſimus filij Dei, conſortes diuinæ naturę, fratres Chriſti, filij lucis, & vt ne peccemus, (nam qui ex Deo natus eſt, non peccat) vt proximos, & inimicos noſtros diligamus, quò patrem noſtrum cœleſtem referamus: qui facit ſolem ſuum oriri ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos: denique vt ſimus pacifici: illi enim filij Dei vocabuntur. Non autem ea eſt noſtra adoptio, vt intelligamus nati ex ſubſtantia Dei. Hoc enim proprium eſt vnius Ieſu Chriſti. Verbum enim Dei per naturam ex patre natũ eſt: quod tamen Arriani negauerunt. Nam cùm filium Dei facerent creaturam, neceſſe erat, vt eum non per naturam, ſed per adoptionem filium Dei eſſe dicerent. Magna ſanè eſt dignitas noſtra. Prouecti enim ſumus eò, non tantùm vt filij Dei vocemur, & ſimus, verum etiã vt Chriſtum fratrem habeamus. Itaq; Chriſtus quum reſurrexiſſet, dixit mulieribus: Ite, & dicite fratribus meis. Et quamuis veteres non fuerint expertes huius dignitatis, eam tamen non habebant ita publicè declaratam. Nihil autem obſtat, quòd multi inter eos fuerint infirmi. Nos enim etiam habemus multos infirmos in Euangelio. Paulus enim ad Corinthios ait, Non potuiſſe ſe loqui illis tanquam ſpiritualibus, cùm eſſent carnales, ideoq; lacte illos aluiſſe. Quod idem ad Hebræos ſcribitur. Et è diuerſo habuerunt illi nobiles in fide viros, quos non dubitamus in hac adoptione admodùm fuiſſe inſignes. Quòd etiam illo tempore fuiſſe, Apoſtolus teſtatur in hac epiſtola cap. 9. ait enim: Quorum eſt adoptio, & gloria, & teſtamentum, & legislatio, & cultus, & promiſsiones, & quorum ſunt Patres. Hic videmus, adoptionem ad illos quoq; pertinuiſſe. Ambroſius hoc loco docet, ex hac adoptione in homini bus piis magnam ſecuritatem exoriri. Et certè, cùm id nobis contingat per ſpiritum, quo interius agitamur, longè certius nos ſcire oportet, nos eſſe filios Dei, quàm filij huius ſeculi ſcire poſsint ſe eſſe filios eorum, quos appellant patres. Sæpè enim matres & viros, & filios ſuos fallunt: Spiritus autem Dei neminem decipit. Olim adulatores perſuadere voluerunt Alexandro, non fuiſſe illum Philippi Regis filium, ſed Iouis. Poſtea verò, cùm videret ſanguinem ſibi manare ex vulnere, ridens dixit, id ſibi αἷμα videri, non ἰχῶρ. Nos verò, quamuis multa patiamur, & vitam etiam ponamus pro Chriſto, nihilo tamen minus perſuaſi eſſe debemus, eſſe nos filios Dei. Nam, ne quid ea de re dubitemus, non tantùm habemus teſtimonium ſpiritus, verùm etiam ipſe filius Dei docuit nos Deum appellare, & inuocare patrem. Atque ea forma precum debet nos ab omni ſcelere, & turpi facto reuocare, ac etiam commonefacere, neue degeneremus à nobilitate tanti patris, neue eum ignominia afficiamus. Patribus enim magno videtur eſſe dedecori, ſi habeant flagitioſos filios. Cumq; ad hanc adoptionem, vt dictum eſt, peruenire non poſsimus, niſi per Chriſtum, & eius ſpiritum: nec Iudæi, nec Turcæ, nec homines à Chriſto alieni inuocare poſſunt Deum, vt patrem ſuum.

In ueteri teſtamẽto frequens uſus adoptionis.

Mortuis adoptabantur liberi.

In adoptione iſta uidendum, unde & quò transferamur.

Non ſumus filij Dei, quaſi ex illius ſubſtãtia procreati.

Chriſtus Apoſtolos uocauit fratres.

Patres antiqui ad optionem filiorũ habuerunt.

Certiores ſumus de hac adoptione quàm de patre carnis.

Alexander Magnus.

Chriſtus docuit nos Deum inuocare patrem.

Per quem clamamus, Abba pater. Hac eadem loquẽdi forma Apoſtolus vſus eſt ad Galatas. Ita enim ſcribit: Quia eſtis filij, emiſit Deus ſpiritum filij ſui, quo clamamus, Abba pater. Hac eadem forma Chriſtus primogenitus noſter frater orauit patrem in horto, Abba, inquiens, pater, tranſeat à me calix iſte. Nec mirum eſt, Apoſtolum vocem Græcam, & Syriacam, quatum lingua vulgò Iudæi vtebantur, coniunxiſſe. Primùm enim, hæc repetitio facit ad πάθος. Deinde Apoſtolus quaſi myſterio quodam docere videtur, tam Gentes, quàm Iudæos huius adoptionis promiſcuè fore participes: quorũ vtraq; lingua Deus inuocetur, vt pater. In primitiua Eccleſia aliquot voces Syriacæ, quæ tum erant in vſu, conſeruatę ſunt ab interpretibus: quę etiam aliquando occurrunt in ſacris literis, vt Meſsias, Cephas, Talitha, Cumi, Maranatha, Rabbi, Oſianna, Alleluia, Amen. Erant enim tum hæ voces notiſsimæ, præſertim cùm arctiſsima conſuetudo, & perpetuus ferè conuictus eſſet inter Ethnicos, & Iudæos ad Chriſtum conuerſos. Sed ex eo non oportet colligere, adhibendam eſſe linguam peregrinam in ſacris. Id enim ſpiritus ſanctus apertè prohibuit. Paulus hoc loco, cùm mentio

Quid ſibi uelit coniunctio duarum linguarũ & repetitio.

Lingua peregrina nõ eſt utendũ in Eccleſia.

Inuocatio piorũ est opus spiritus sancti.

nem faciat inuocationis, exponit opus spiritus sancti, quod in filios adoptiuos, & iam regeneratos statim exerit. Est autem hoc genus operis tanti momenti, & ponderis, vt Apostolus non dubitet, ex testimonio Prophetæ illi salutem attribuere. Ait enim, vt infra videbimus: Omnis, qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Non quòd preces nostræ salutem mereri possint: Ea enim apprehenditur sola fide. Ideoq; ne falleremur, statim explicuit, qua ratione illis salutem ascripserit. Ait enim: Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt?

Quomodo precibus adscribatur nostra salus.

Quæ nos verba satis docent, id, quod scribitur de precibus, fidei, tanquam illarum radici tribuendum esse. Sed quoniam hoc loco mentio fit timoris (sic enim scribit Apostolus: Non accepistis spiritum seruitutis iterum ad timorem) non erit abs re videre paucis, num Paulus nos ab omni timoris genere velit esse liberatos. Hoc primùm constet, Timorem nihil aliud esse, quàm animi affectum, quo percellimur ob imminens aliquod magnum, & exitiosum malum. Non solemus commoueri periculis, quæ procul absint, sed illis, quæ iamiam impendere videantur. Neque nos leuia, & ea, quæ parui momenti sint, perterrefaciunt. Timor itaque, quatenus spectat ad Theologum, respicit peccatum, iram Dei, castigationes, flagella, et ipsam denique gehennam. Sed duo numerantur genera timoris: quorum alter filialis appellari solet, alter seruilis. Et seruilem quidem esse aiunt, qui tantùm pœnarum, & gehennæ metu, vel à scelere retrahit, vel ad bene faciendum impellit. Id significauit Ethnicus poeta, cùm scriberet: *Oderunt peccare mali formidine pœnæ.* Filialis autem est, quo homines recte viuunt, & flagitia fugiunt, quòd cupiant illustrare gloriam Dei, quodq; iustitiam ipsam per se probent. Vnde idem poeta ait: *Oderunt peccare boni uirtutis amore.* De hoc duplici genere timoris multa passim traduntur ab Augustino multis in locis, & præsertim tract. 9. in Epistolam Ioannis: & habetur apud Magistrum Sentent. in tertio distinct. 36. vbi Augustinus duo loca è sacris literis profert, quæ videntur pugnare. Alter est ex Ioanne: Perfecta charitas foras pellit timorem. Alter è psalmo 19, Timor Domini manet in æternum. Manere, & pelli foras non consentiunt. Hanc ille pugnam componit: & ea ait, re vera non discrepare. Vt enim duæ tibiæ eodem spiritu inflatæ non discordãt, ita ait, duo corda, Dauidis & Ioannis inflammata eodem spiritu Dei, non posse inter se dissidere: verùm æquum, & attentum audi-

Magister Sententiarum facit quatuor timores.

Scholastici addiderunt quintum timorem.

Definitio timoris

Duo genera timoris.

Quomodo timor foras pellatur, & in æternum maneat. Simile.

torem requirere. Nam Ioannes agit de timore seruili, & perfecta charitate: Dauid autem agit de timore filiali. Itaque ait: Timor Domini castus, aut mundus (nam Hebraicè scribitur יראת יהוה טהורה) manet in æternum. Sic ille hanc speciem pugnæ componi posse arbitratur. Vtitur autem de vtroque timore tali simili. Constituamus, inquit, esse duas mulieres, vnam castam, alteram impudicam & adulteram. Vtraque certè harum timebit virum suum. Adultera timet absentem, ne redeat: præsentem autem, ne suum scelus intelligat. Casta verò vxor maritum timet præsentem, ne discedat, aut se minus amet, & aliqua offensione alienetur. Hoc simili Augustinus putat, vtrunque hunc timorem discerni posse.

Simile.

An timor seruilis sit utilis.

Alij præterea aiunt, seruilem hunc timorem non prorsus esse inutilem: cum enim viam charitati præparare. Primùm enim, inquiunt, animum peruadit, & homines absterret à peccatis, incitatque ad iustitiam metu pœnarum. Recta autem vita paulatim transit in vsum, & efficitur dulcis consuetudine. Atque ita tandem homines incipiunt facta sua referre in Deum, & iustitiam propter se ipsam colere. Quemadmodum enim seta, cum aliquid consuendum est, prima ingreditur, & secum filum annexum inducit, ipsa autem in eo, quod suitur, non manet. Ita, inquiunt, primùm nobis timor seruilis sese insinuat, excludendus postea, vbi charitas, & castus timor accesserit. Cæterùm, quid sentiendum sit de illis terroribus, qui in animis nostris fidem antecedunt, aliâs monuimus: nempe peccata esse ea coram Domino: si quid autem illos vtilitatis, aut commodi consequatur, id non illorum naturæ, sed bonitati spiritus sancti tribuendum esse. Is enim ad iustificationem nostram illis tanquam medijs abutitur. Magister Sentent. pro duobus generibus timoris, quæ Augustinus commemorauit, subiecit quatuor. Primum mundanum, quo homines, ne opes, voluptates, honores amittant, deficiunt potius à Christo. Est iste timor pernitiosissimus, & ab omni pietate remotissimus. Alterum seruilem, quem modò descripsimus. Tertium initialem, quo homines ita mouentur metu pœnarum, vt vnà etiam Deum respiciant, & aliquo iustitiæ eius, & voluntatis amore capiantur. Hic timor ex eius sententia permixtus est, ex timore seruili, & filiali. Postremò, purum illum timorem filialem cum perfecta charitate coniungit. Scholastici autem, qui Magistrum secuti sunt, vt ipsi quoque aliquid adderent de suo, timorem alium naturalem pepererunt, quo ea, quæ naturæ constitutioni aduersantur, naturæ ipsius impulsu refugimus. His breuiter, & fideliter ex Augustino, Magistro, & Scholasticis expositis

sitis, quid sentiendum sit, paucis exponam. Principio, fateor, non vnum esse timoris genus: scio enim aliter Petrum, aliter Iudam timuisse. Nam Iudas quidem ita timuit, vt desperaret: Petrus autem ita, vt ad Christum se reciperet, quem prius negando deseruerat. Dicemus ita que seruilem timorem esse, quo Deum iratum ita horremus, & fugimus, vt prorsus fide destituamur. Filialem autem, quo in medijs terroribus subleuamur per fidem, nec nos sinimus pauore absorberi. In pijs ergo hominibus nunquam timor distrahitur à fide. Hæc enim duo ita sunt coniungenda, vt semper fides timori moderetur: quod nisi fieret, facilè succederet desperatio. Vt enim Lex semper coniungi debet cum Euangelio, ita timor cum fide. Non ita complectimur Euangelium, quin semper meditemur obedientiam mandatorum Dei. Cumque videmus, quàm sæpè, quamq; grauiter deficiamus, nos ipsos reuocamus ad pœnitentiam. E diuerso Lex recipienda non est absque Euangelio. Id enim si fieret, nec illi sine Christo possemus obedire, nec illorum, quæ in illam admisissemus, veniam impetrare. Paulus itaque non auocat nos prorsus ab omni timore Dei: sed ab eo tantùm, qui vacet fide, quique à Deo, tanquam ab hoste, & à crudeli carnifice fugiat. Ille autem timor, qui moderatricem habeat fidem, reprehendi non potest. Est enim donum spiritus sancti, vt habetur in capite vndecimo Esaiæ. Proprium autem est donorum spiritus sancti, vt per ipsa omnes nostras virtutes, & affectus fidei moderationi subijciamus, eáque Deo verè, ac sincerè seruire faciamus. Hæc autem dona vulgò putant esse septem. Quòd si quæras, id vnde constet, statim citatur caput vndecimi Esaiæ. At si locum illum ad Hebraicam veritatem exigas, sex ibi tantùm dona reperies: nimirum, spiritum sapientiæ, intelligentiæ, consilij, fortitudinis, scientiæ, & timoris Domini. Sed istos in errorem induxit Latina versio: quæ non Hebraicam veritatem sequuta est, sed septuaginta interpretes. Illi inter spiritum scientiæ, & timoris interposuerunt spiritum, pietatis εὐσεβείας. Quo videntur interpretari voluisse, quis ille esset timor Dei, qui cadere posset in Messiam, de quo in eo loco sermo est. Timor enim ille nec seruilis est, nec filialis: sed tantùm obseruantia, pietas, & reuerentia erga Deum patrem. Nec semel tantùm hoc faciunt septuaginta, vt ita interpretentur timorem Dei. Nam in libro Iobi, vbi legitur, Timens Deum, illi transtulerunt, εὐσεβῆ. Neq; verò dona spiritus in tam angustum numerum cõtrahenda sunt, vt ea sex tantùm, aut septẽ esse arbitremur. Nam præter illa omnia, quæ in eo capite numerantur, idem Esaias alibi recenset spiritum iudicij & ardoris: & Zacharias spiritũ iustitiæ: & Paulus hîc spiritum sanctificationis: & Ioannes spiritũ veritatis: & Paulus iterum hîc spiritũ adoptionis: & ad Ephesios spiritum promissionis, & alia plura huius generis. His ita constitutis, iam videamus, quomodo & in hac vita, & in altera timor possit habere locum. Sancti in patria, quia habebunt perfectam charitatem, si propriè volumus loqui de timore, vt est motus de aliquo impendente graui malo excitatus, nihil timebunt. Id Augustinus fatetur in psalmum 5. in illa verba: Adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo. In illis autem tantùm esse potest illa εὐσέβεια, hoc est, obseruantia, reuerentia, cultus, pietas erga Deum: vt septuaginta exposuerunt spiritum timoris Domini. Atque ita tale donum potuit in Christo inueniri: qui alioqui neque peccatum, neque gehennam, neque paternas à Deo castigationes metuere potuisset. Quòd si dicas, eum timuisse mortem, id intelligere debes de naturali timore; de quo in præsentia non agimus. Atque hoc pacto intelligo Ambrosium, cùm in libro de spiritu sancto, affirmat, dona spiritus sancti esse in Angelis. Ex quibus verbis Scholastici eliciunt, esse in illis timorem Dei: nam certè cùm beati sint, id aliter intelligi non potest, quàm quomodò à me iam dictum est. De pijs autem in hac vita sic statuendum est, vt eos ne putemus filiali timore carere posse: modò ille timor ita intelligatur, vt supra docui, vt non solùm Dei offensam caueant, & lapsus contra eius voluntatem vereantur, sed etiam gehennæ, atq; iræ Dei, & pœnarum timore moueantur: cui tamen timori fides tranquilla consolatrix adest, & fiducia de misericordia Dei. Nam minas in sacris literis non debemus putare esse otiosas: pijs enim etiam inseruiunt: præsertim cùm perfectam charitatem, & absolutam regenerationem nondum sint consequuti. Christus ait Apostolis: ostendam vobis, quem timeatis: illum nempè, qui, cùm occiderit corpus, animam quoque mittere possit in gehennam. Et Paulus ad Corinthios profert exempla veterum Hebræorum, quibus ostendit, illos, cùm Dei sacramentis abuterentur, prostratos fuisse in deserto: quibus ille exemplis Corinthios monere voluit, vt cauerent similem vltionem. Multi, inquit, sunt imbecilles, & dormiunt multi. Quòd si nos ipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur. Nunc autem, cùm iudicamur, à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Et ad Philippenses: Cum timore, & tremore operemini salutem vestram. Et ad Romanos: Noli altum sapere, sed time. Ex his

Petrus & Iudas timuerunt diuerso modo.

Vera distinctio timoris seruilis & filialis.

In hominibus pijs timor nunquã separatur à fide.

Vt lex cum Euangelio, ita timor cum fide iungitur.

Paulus nos auocat à timore qui fide uacet.

Donorum spiritus sancti proprietas.

Quot sint dona spiritus sancti.

Qualis fuerit Christi timor.

Magnus est numerus donorum spiritus sancti.

Qualis timor in sanctis qui obierunt esse possit.

Quomodo Christus mortem timuerit.

Sancti dũ hîc uiuunt non possunt carere filiali timore.

Minæ in lege cõscriptæ non sunt otiosæ uerùm sanctis etiã prosunt.

videmus, homines pios non degere in terris absque timore Dei. Hic autem timor spectat multa malorum genera. Timent enim pij peccatum, lapsus frequentes, iram Dei, paternas castigationes, flagella, quæ Deus etiam suis infligit, cùm peccant, denique gehennam, quam se vident esse commeritos, nisi Deus misericordia sua, & Christus sacrificio, quod obtulit in cruce, nobis succurrat. Sed quid est, quod Ioannes ait, perfecta charitas foras mittit timorem? Scio esse quosdam, qui ea verba interpretentur in hunc sensum: Eos, qui verè Deum diligunt, non vereri propter pietatem subire omnia pericula, nec formidare persecutiones, sed in omnibus rebus aduersis fortiter perstare: quod Paulus in posteriori ad Timotheum alijs verbis scripsit: Non accepimus, inquiens, spiritum δειλίας, sed δυνάμεως, καὶ ἀγάπης. Itaque adhortatur Timotheum, ne erubescat testimonium Domini, nec se vinctum eius: sed fortiter perferat labores pro Euangelio. Hæc quamuis sunt vera, tamen locus Ioannis hoc non docet. Facit enim ibi mentionem iudicij Domini: quo non vult pios, qui Deum diligunt, perterrefieri. Et reddit rationem, quòd timor habeat cruciatum. Itaque libenter assentior Augustino, qui ait, Ioannem loqui de perfecta charitate. Quæ cùm haberi non possit in hac vita, non est expectandum vt esse possimus absque aliquo timore. Deinde possemus hoc loco intelligere illum timorem, qui disiunctus sit à fiducia: eóque homines facilè adigit ad desperationem. Nam qui credunt, & Deum verè diligunt, illi timorem suum viua fide sustentant.

Locus Ioannis expositus.

Idem spiritus cum spiritu nostro attestatur, quòd simus filij Dei. Ostendit ex his precibus, quibus Deum inuocamus, nos reddi certiores de adoptione, cuius antea mentionem fecerat. Nam cùm à spiritu sancto inter orandum incitemur, vt Deum appellemus patrem, prorsus persuasi esse debemus, ita esse: quoniam scimus, spiritum Dei mentiri non posse. Paulus in priori ad Corinthios ait, Neminem posse dicere Dominum Iesum, nisi in spiritu sancto. Hic ait, neminem posse ita orare, vt Deum vocet patrem suum, nisi id suggeratur à spiritu Dei. Hinc videmus, ea, quæ nobis traduntur credenda, quę́q; Dominus ipse docuit, non posse à nobis recipi, nisi prius nobis spiritus sanctus corda permoueat. Chrysostomus, vt hoc spiritus Dei testimonium confirmet, ait: Si hanc adoptionem prædicaret nobis aut homo quispiam, aut angelus, aut Archangelus, aut vlla creatura, possemus facilè dubitare. At cũ spiritus sanctus, penes quem summa rerum est, de illa testetur, quis ambigendi locus relinquitur? Si Rex aliquis, aut Monarcha virum aliquem è throno suo probaret, & commendaret, quis subditorũ auderet vllo modo obstrepere, aut se iudicio eius opponere? Cùm Apostolus ait, συμμαρτυρεῖ, innuit quodammodo, duo esse testimonia huius adoptionis: vnum, spiritum nostrum: alterum, spiritum Dei. Non enim leue, aut contemnendum signum eius adoptionis est, quòd habemus pacatam conscientiam, nosq́; iam credimus Deo esse reconciliatos, et charismatis alijs permultis nos iam experimur refectos esse, & recreatos. Quanquam hæc nostræ incredulitati, & infirmitati minimè sufficiunt. Nemo enim nostrûm est, qui conscientiam ita pacatam habeat, atque oportebat: quique tantum Deo fidat, quantum debebat. Quare cum imbecillum, & infirmum sit testimonium spiritus nostri, Deus adijcere voluit confirmationem spiritus sui. Is enim est, qui testatur vnà cum spiritu nostro, nos esse filios Dei. Hinc colligere debemus, quanti momenti sint preces tam publicæ, quàm priuatæ, tam cum ceremonijs, quàm sine ceremonijs. In eis enim confirmatur fides nostra, quòd per Christum adoptati simus in filios Dei. Cæterùm videat quisque, vt cùm Deum inuocat patrem, quod verbis pronuntiat, id animo etiam verè sentiat: ne consuetudine tantùm, aut hypocrisi ita faciat: aut cùm Deum lingua appellet patrem, corde aliud agat, aut secus existimet. Sed hîc quæri potest, quomodo timor ille, de quo supra tam multa diximus, cum hac securitate, & fiducia de adoptione nostra non pugnet? Respondeo, hæc inter se non posse conuenire, si respectu vnius eiusdémque accipiantur: Cùm autem varia ratione, & diuersis ex causis accidant, ea nihil inter se pugnare. Idcirco enim sancti timent, quòd videant se sæpè labi, & viuere contra præscriptum Legis Dei. Intelligunt enim peccata natura sua mereri iram Dei, flagella, gehennam. Hæc diligenter considerantibus timor incutitur. Ex altera verò parte, cùm fide respiciunt promissiones, & misericordiam Dei, liberantur illo timore, & de salute sua certi redduntur. Diuersas causas producere in animis nostris diuersa effecta, nihil prohibet. Id quod appositissimo simili facilè potest explicari. Qui ex alta turri terram despicit, illi si ueniat in mentem casus, & ruina, quam sibi cogitatione fingat, posse accidere, statim velit, nolit, mirificè expauescit, & toto corpore perhorrescit: Rursus autem cùm cogitat, se ita septum esse muro, vt cadere non possit, colligit animum, & de salute sua incipit esse securus. Ita pij homines, cùm considerant peccata sua, timent

Spiritus est q̃ suggerit ut Deũ tanquam patrem inuocemus.

Simile.

Duo adoptionis quodammodo testimonia.

Magni momenti sunt preces tam publicæ quàm priuatæ.

Securitas ac timor quomodo inter sese queant conuenire.

ment supplicium: cùm autem fidè respiciunt misericordiam Dei, de salute sua sunt securi.

Quòd si filij, igitur & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Hîc Apostolus ostendit, quid nam per hanc adoptionem consequamur: id nimirum vt simus hæredes Dei. Quod sanè leue videri non potest. Neque enim quicunq; filij sunt alicuius, statim etiam sunt hæredes. Eum enim locum soli obtinent primogeniti: quod hodie multis in Regnis fieri videmus: & in sacris literis apparet, Esau & Ismaelè hæredes non fuisse. Nos itaque sumus hæredes, & quidem non pauperis cuiuspiam hominis, aut leuium rerum: Dei enim hæreditatem consequuti sumus, & facti sumus cohæredes Christi. Cum Christo communem habemus hæreditatem patris: illiq; ita prorsus sumus insiti, penitusque coniuncti, vt eius viuamus spiritu. Tum autem adibimus hanc hæreditatem, cùm dicetur nobis: Venite benedicti patris mei, percipite regnum præparatum vobis ab origine mundi. Cohæredes autem sumus Christi: quoniam, vt ait Ioannes, Cùm apparuerit, similes ei erimus. Et Paulus ait ad Colossen. Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cùm autem apparuerit Christus vita vestra, tunc & vos simul apparebitis cum eo in gloria. Hæreditas, vt à Iurisperitis definitur, est successio in vniuersum ius defuncti. An hoc cuiquam parum videri potest, vniuersi diuini iuris fieri participes? Certè Petrus ait, nos fieri consortes diuinæ naturæ. Hîc annotauit Ambrosius, non fieri in hoc negotio, quod in mundo videmus vsu venire. Mori enim prius oportet testatorem, quàm successor hæreditatem adire possit. Deus autem non moritur: Imò nos, qui eius hæredes instituti sumus, prius morimur, quàm possessio nobis tradi possit. Christus quoque prius mortuus est, quàm ad gloriam sibi destinatã peruenirẽt. Præterea, quod attinet ad ciuiles Leges, hæres cum eo, qui eum hæredem instituit, vna eademq; persona reputatur. Ita nos per Christum tam arctè coniuncti sumus cum Deo, vt iam vnum cum eo simus, quemadmodum Christus orauit, Vt sint vnum, quemadmodum tu & ego vnum sumus. Omnia enim nostra sunt: nos Christi: & Christus Dei. Hanc hereditatem per spiritum Christi gratis obtinemus. Quare impiè faciũt Romani Pontifices, & eorum satellites Cardinales, & Pseudoepiscopi, qui hanc hæreditatem remissionis peccatorum, & accessionis ad regnum Dei sub suis illis adulterinis clauibus concluserunt, vt eam pro libidine venderent, & quem vellent, vel ad inferos detruderent, vel in cœlum transmitterent. Hîc rursus nobis occurrit Chrysostomus. Is, vt antè scripsit, Iudæos sub Lege exclusos fuisse ab adoptione filiorum Dei, ita hîc negat, eos fuisse hæredes Dei. & citat in hanc sententiam locum illum Matthæi: Malos malè perdet. Multi venient ab oriente, & ab occidente, & requiescent cum Abrahamo, Isaaco, & Iacobo: filij autem regni eijcientur foras: Et, transferetur à vobis regnum Dei. Ex his locis ille liquere putat, hanc hæreditatem non pertinuisse ad Iudæos. Verùm nos ne hîc quidem illi possumus assentiri. Deus enim dixit Abrahamo: Ego sum merces tua magna nimis. Et in parabola vel potius historia Euangelica, pauper Lazarus cõspectus est in sinu Abrahæ. Quod quid erat aliud, quàm Dei, & Christi hæreditatem adijsse? Paulus ad Galatas ait: Hæres quàm diu est paruulus, nihil differt à seruo, cùm sit dominus omnium, sed est sub tutoribus, & actoribus vsque ad præfinitum tempus à patre. Quæ verba satis indicant, veteres, quamuis specie quadam seruili vixerint propter Legem & ceremonias, tamen re vera fuisse hæredes, etsi essent paruuli. Ea autem conditio durauit vsque ad aduentũ Christi. Quæ verò Chrysostomus adducit ex Matthæo, non de bonis, & pijs Iudæis, sed de malis, & improbis colonis, qui hæredem interfecerunt, dicta sunt. Quare propter eiusmodi sententias non damnandi sunt omnes veteres Iudæi, aut à Dei hæreditate excludẽdi: Imò cogitare debemus, impios Christianos nihilo illis melius habituros. Multi enim sunt inter nos hypocritæ, atque impij, qui, vt Paulus ait, regnũ Dei non possidebũt. Et si hodie requiras Ecclesiã Smyrnensem, Philadelphiensem, aliasq;, quę in Asia, & Syria olim nobiles extiterunt, eas aut funditus euersas inuenies, aut sub Turcica tyrannide miserè habitas, nec minus afflictas, quàm hodie Iudæi sunt, qui sub Christianis, aut sub Turcis captiui degunt.

Non omnes filij sunt hæredes.

Quid sit hæreditas.

Deus non moritur, et nihilominus hæreditatem eius nobis licet adire.

Hæres cũ eo qui se instituit, pro eadem habetur persona.

Gratis hanc Hæreditatem consequimur.

Patres quoq; in ueteri Testamento hæredes erãt.

Impij Iudæi fuerunt ex hæreditati, non omnes.

Multi etiam sunt pseudo Christiani qui regnũ Dei non possidebunt.

Siquidem cum eo patimur, ut unà cum eo glorificemur. Quemadmodum antè docuit, fidem fieri adoptionis nostræ ex inuocatione, in qua spiritus sanctus contestatur cum spiritu nostro, nos esse filios Dei: ita hîc testimonium indicat, quo de hac hæreditate, quam commemorauit, adeũda possimus fieri certiores. Illam, inquit, omnino adipiscemini. Cum Christo enim regnabitis: quandoquidem id iam assequuti estis, vt cum illo patiamini. Tribulationes ergo & cruces sunt indicia, & argumenta, ex quibus colligere possumus nos fore hæredes Dei. Paulus ait ad Philippẽ. Illis datum esse pro Christo, non tantùm vt in illum credant, sed etiã vt pro illo patiantur. Prius istud donum, quod nos iam videmus impetrasse, fidem facit de

Crux & aduersa, indicia sũt hæreditatis adipiscendæ.

Donum prius fidem facit de posteriori.

posteriori, nos eo non esse aliquando destituendos. Non enim parua, aut leuis potentia Dei declaratur in illis, qui fortiter, & patienter aduersa, & persequutiones pro pietate sustinent. Scio esse alios, qui hæc verba aliter interpretentur: vt Paulus videatur conditionem quandam ascribere, per quam simus ad æternam hæreditatem transituri: nimirum, si prius multa fuerimus perpessi. Et certè Græca particula ἐάνγε in vtranque sententiam trahi potest. Hoc certum est, Paulum hîc transitionem quandam facere, quamuis mollem, & occultam ad istos consolandos de afflictionibus, quas perpetiebantur. Non tamen discedit ab instituto: sed eadem opera & inceptum suum persequitur, & eos consolatur. Est autem ac si ita diceret: eritis quidem hæredes: verùm hac lege, vt prius multa patiamini. Nihil Christus à vobis exigit, quod non ipse prius præstiterit: non ducit vos alia via, quàm qua ipse profectus sit: non propinabit vobis calicem, de quo ipse non biberit. Hoc tamen erit maximæ consolationi, quòd ea, quæ sumus perpessuri, non æquabunt eam gloriam, quæ reuelanda est in nobis. Ambrosius hanc interpretationem sequitur. Ego tamen iudicaui, locum ita esse intelligendum, quasi sit probatio consequentis ex antecedentibus: hoc pacto: Habebitis æternam hæreditatem: quoniam vnà patimini cum Christo. Qua eadem sententia vtitur in posteriori ad Timotheum: si cum eo commorimur, vnà cum eo regnabimus. Scribit hoc loco Chrysostomus, esse argumentum à maiori. Deus, inquit, permulta nobis concessit gratis. Cùm enim nihil præstitissemus, adoptauit nos in filios: dedit, vt se inuocaremus patrem: vnde sequuta est certa, & constans fides, quòd simus filij Dei. Iam verò hæreditatem, quæ superest, quomodo non dabit? præsertim cùm tolerantia grauissimarum calamitatem interceserit? Eam certè post tales, tantosque labores non negabit, qui gratis, & absque vlla nostra opera credentes in se præclarissimis donis affecit. Atque hoc modo statuit, Deum hominibus pulcherrimè consuluisse, qui ne suam iactarent operam, aut industriam, multa illis concessit gratis: rursus autem, ne illos puderet tanta dona absque labore esse adeptos, summam ab illis hæreditatem sine maxima fortitudine, tolerantia, contentione, cruciatu, afflictione adiri noluit. Hæc ille non malè, neque inutiliter: modò ita à nobis dextrè accipiantur, ne Legales promissiones cum Euangelicis confundamus. Id ne accidat, operæpretium erit, quid inter vtrasque sit discriminis, patefacere. Non in eo discrepant, vt quidam putant, quòd Euangelicæ non habeant adiectas conditiones: Legales autem sine conditionibus nunquam offerantur. Quemadmodum enim dicitur: Honora patrem tuum, & matrem tuam, vt sis longæuus super terram: &, Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis: Ita in Euangelio etiam legimus: Remittite, & remittetur: Date, & dabitur: &, Qui dimiserit patrem, aut matrem, aut vxorem, aut domum, aut agros mea causa, centuplum recipiet, & vitam æternam possidebit: & hoc loco, siquidem cum illo compatimur, vnà cum eo glorificabimur: & ad Timotheum: Si vnà mortui fuerimus, vnà regnabimus. Quare cùm hoc discrimen non sit, aliud quærendum est. Conditiones Legalibus promissis annexæ, precepta sunt, quę Lex ad vnguem iubet impleri: neque aliter promissa persoluet, nisi conditiones absolutè perfectę fuerint. Quamobrem apparet diligenter intuenti, conditiones Legis potuisse causas esse consecutionis præmiorum, quæ promittebantur. Nam si illæ perfectæ, & absolutæ fuissent, vt erant à Lege imperatæ, cum ipsis præmijs comparari potuissent, & meriti rationem habuissent. Sed cùm illæ ab hominibus præstari non potuissent, Deus ex sua misericordia subiecit promissiones Euangelicas illarum loco: quæ quamuis conditiones adiectas habeant, tamen offeruntur gratis. Nam quæ nobis ab illis imperantur, necessaria quidem sunt, si ea faciendi facultas, tempus, locus, occasio data fuerit. Hoc propter infantes dico, & eos, qui vltimo vitæ suæ tempore accedunt ad Christum iamiam morituri. Nam ab illis, vt à causis, æterna vita non pendet. Ea enim, vt iam diximus, & ab infantibus, & ab illis, qui in vltimo vitæ articulo conuertuntur ad Christum, sine illis conditionibus haberi potest. Et quia promissio, si ab illis, vt à legitimis causis penderet, non posset esse firma, cùm nemo homo sit, qui eas conditiones, prout proponuntur, implere possit, ea etiam causa promissio Euangelica sine illis conditionibus constare potest. Huc accedit, quod Paulus ait, non posse eas conferri cum ea re, quæ promittitur: quod veris, & legitimis causis, si ad sua effecta conferantur, non conuenit. Quare, si hæc tria coniungas, præmia Euangelica promitti gratis, conditiones illis non posse æquari, & promissiones oportere esse firmissimas, & meriti rationem auferes, & quo discrimine illæ à Legalibus differant, facilè cernes. Si roges, frustrà ne ergo positæ fuerint promissiones Legis, cùm nemo vnquam inuentus sit, qui eas conditiones præstare potuerit, respon-

Cõditio per quã sumus ad hæreditatem æternam transituri.

Hæreditatem habebimus uerũ ita ut prius patiamur.

Quid inter promißiones legales & Euangelicas.

Vtræq; habent conditiones appositas.

Conditiones legales ponuntur ut causæ adipiscendarum promißionum.

Promißio Euangelica sine conditionibus constare potest.

Tria hîc diligenter considerãda.

spondeo, nihil horum inaniter, aut temere fuisse factum. Idcirco enim conditiones impossibiles adiectæ sunt, vt homines suæ infirmitatis admonerentur, eaque penitus intellecta, se conferrent ad Christum, à quo recepti in gratiam, adepta iam iustificatione, illa eadem promissa possent obtinere. Nam quod ad ipsos attinet, iam ex legalibus reddūtur Euangelicæ: siquidem credentes in Christum venturum obedientia legis exercebantur; quæ quanuis inchoata tantùm, nec ad vnguem perfecta, Deo tamen probabatur. Itaque illi frui potuerunt oblatis promissionibus. Chrysostomus hoc loco miratur prudentiam Apostoli, quod, quum bonitatem, & misericordiam Dei celebrare statuisset, eius seueritatem, & iustitiam vno tantùm verbo complectatur. Suprà enim dixit, quàm dici potuit, breuissimè: Si secundum carnem vixeritis, moriemini. Hìc verò in recensendis beneficijs ita diligens est, vt omnia non tantùm enumeret, sed etiam præclaris amplificationibus illustret. Id Paulus non sine causa facit. Ornamenta enim ista, quibus dona Dei cohonestantur, multùm valent ad persuadendum fortitudinem, & tolerantiam calamitatum: quod Apostolus hoc loco maximè facere contendit. Antea suaserat mortificationem: nunc in persecutionibus suadet constantiā. Non enim satis est, si ipsi prauos affectus retundamus, nisi etiam nos ipsos mundo carni, diabolo, & prauis hominibus crucifigendos permittamus. Quàm autem accōmodatè, ac prudenter ad hæc tractanda Paulus accedat, gradatio, qua vtitur, facilè indicat. Quoniam adoptati estis, inquit, Deum inuocatis patrem: quod cùm ita sit, eritis etiam hæredes: nec id solùm, sed etiam cohæredes cum Christo, cum quo multa iam, & grauia patimini. Quid sit pati cum Christo, sic potest facilè explicari, si docuerimus, quæ causæ Christum induxerint, vt mortem tam acerbam in cruce subiret. Causę autem duę extiterūt: prior, vt optimo patri, quemadmodum ipse dicebat, obediret: altera, vt vinceret, & damnaret peccatum nostrum. Qui in tolerandis aduersis hæc dūo animo complectuntur, illi cum Christo patiuntur. Quæcunq; illis tristia, aut aduersa contigerint, statuant apud se, ea sibi ex Dei prouidentia accidere: perferantq;, quicquid oneris imponitur, vt Deo eius afflictionis autori libenter pareant, cogitent præterea his calamitatibus veterem hominē domari, peccatum frangi, & labem illam nobis penitus insitam, & innatam dissolui. Cur autem Deus, eos, quos sibi adoptauit, patiatur ita exagitari, non est difficile videre. Nam primùm quidem, vti iam diximus, vult peccatum in nobis imminui, & debilitari. Itaque quicquid aduersi toleramus, id omne nobis cedit in bonum, si modò Deum patrem diligamus. Præterea ita afflicti ad Deum inuocandum compellimur: cuius alioqui incredibile est, quàm simus immemores. Adhæc hoc pacto ab affectu mundi, & illecebris carnis per patrem clementissimum reuocamur: à quo maxima & cum nostra, & cum illius contumelia sæpe deficimus. Mitto, quod in primis dicendum fuit, vim & potentiā Dei maximè illustrari in hominibus sanctis, quum afflictiones, & calamitates animo infracto, atque alacri perpetiantur. Possent etiam aliæ causæ permultę afferri: sed istę paucæ in hoc tempus erunt satis. Cur autem mundus, homines impij, & diabolus, postquā aliquis conuersus est ad Deum, statim in eum omnibus acerbissimis rationibus sæuire incipiant, non admodum arbitror esse obscurum. Homines enim simul ac ad Christū accesserint vere, atque ex animo, protinus incipiunt cum impietate bellum gerere. Hinc odia in pios inflammantur, & persequutiones in eos increscūt. De tolerantia rerum aduersarum Apostolus nos duobus argumentis consolatur. Quorum alterum ducitur à fine hoc pacto: Ista piorum hominum mala sortientur finem optabilem, & felicem catastrophen: quare læto, & forti animo ferenda sunt. Alterum est, quòd ea, quæ patimur, quanuis molesta, & grauia videantur, tamen cum præmijs, quę alia vita reddentur, minimè conferri possint. Ex ista dispari proportione perspicuum est, si propriè loqui volumus, meriti vocabulum nostris bonis operibus non esse tribuendum. Chrysostomus hoc loco non inutiliter annotauit, Paulum, antequàm veniretur ad cohortationem patientiæ in aduersis, mirificè amplificasse splendorem, & dignitatem filiorum Dei: quod antea, quum de retundendis affectibus carnis ageretur, non vsque adeò facere curauit. Vt enim antè diximus, duplex est genus mortificationis: quorum alterum in eo situm est, vt spiritu facta carnis reprimamus: alterum, vt pericula, cruces, & omnia tormenta, quum est opus, pro Christo fortiter perferamus. Quæ duo si inter sese conferantur, aduersorum casuum tolerantiam longè difficiliorem esse intelligemus, quàm est pugna cum prauis animi cupiditatibus. Aristoteles in Eth. vt multa alia sapienter vidit, virtuti temperantiæ, quæ alioqui est laudatissima, fortitudinem esse anteferendam dixit. Hoc ne diabolum quidem latuit: nam quum ageret cum Deo de beato Iob, pellem, inquit, pro pelle, & cuncta, quæ habet, dabit homo pro anima sua. Quare extende in illum

Conditiones legales nō frustra sunt adiectæ.

Amplificatio donorū Dei persuadet fortitudinem.

Gradatio.

Quid sit pati cū Christo.

Duæ causæ, propter quas Christus ad mortem se obulit.

Duæ causæ item patientiā in aduersis persuadent.

Cur Deus patiatur suos ita uexari.

Hominibus ad Deū cōuersis illico aduersa contingunt.

Duplex genus mortificationis. Aduersorū tolerantia difficilior est, quàm pugna cum prauis affectibus.

aliquãtulum manum tuam, & intelliges, num in faciem benedicturus sit tibi. Naturali enim perspicacia, qua plurimùm valet, facilè animaduertit, hanc omnium tentationum esse maximam, quum de vita ipsa, qua nihil est dulcius, sit periclitandum. Fructus, quem capturi sunt, qui fortiter laborarunt, vt Paulus monet, semper ob oculos est habendus. Ita enim videbimus, cùm Christi causa patimur, id non illi, sed nobis ipsis summam commoditatem allaturum. Quod Latinus interpres reddidit, Existimo, id Græcè scribitur λογίζομαι. Id autem ad opinionem, quæ dubia, & incerta est, referri non potest. Vox enim ea maximè sumitur à supputantibus, qui rationes suas in summam conferunt, eam definitam, & certam habent. Sententia ergo est, ac si dixisset: Hoc mecum constitutum habeo, mala illa, quæ toleramus, minimè esse conferenda ad eam gloriã, quam expectamus. Afflictiones quidem pio rum non sunt natura sua ita leues: sed Paulus eas tantùm ex collatione extenuat. Continet itaque hic locus amplificationẽ felicitatis eius, quã Deus nobis pollicetur: quę ex eo redditur illustrior, quòd longè omnibus huius vitæ laboríb. antecellit: Quod pĳs hominíb. ita pe nitus persuasum est, vt de ipsis etiam tribulationíb. gloriẽtur. Hac eadem collatione Paulus vtitur in posteriori ad Corinth. cap. 4. Ait enim: Momentanea leuitas afflictionis nostrę mirum supra modum æternum gloriæ pondus parit nobis. His verbis ostenditur, quare æterna vita vincat omnes labores huius vitæ: nimirum propter pondus, diuturnitatem, & magnitudinem. Nam quæcunque hîc patimur, dicuntur à Paulo παραυτίκα, id est, momẽtanea. Addit etiam ἐλαφρὸν, qua voce eorum leuitas ostenditur. Gloriæ verò ex aduerso & æternitas tribuitur, & ingens pondus, quod excedat omnem modum.

Afflictiones alioquin graues extenuãtur collatione.

Quibus rationibus æterna uita omnes afflictiones nostras superet.

Quæ reuelabitur erga nos. Ait, hanc gloriam esse reuelandam, ne in præsentia putemur ea prorsus orbati: magnam enim eius partem iam obtinemus: quanquam ea nec perfecta adhuc est, nec mundo conspicua. Ita loquitur Paulus ad Coloss. Mortui estis cum Christo, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo: Quum autem Christus apparuerit vita vestra, tum & vos vnà apparebitis cum eo in gloria. Annotandum autem est, Paulum vna voce gloriæ complexum esse vniuersam felicitatem, quam expectamus. Sequitur autem in eo iudicium hominum, qui summi boni loco habere solent gloriam. De qua philosophi etiam ita statuunt, vt vmbram corpus, ita illam veram, ac solidam virtutem consequi. Gloria ergo duo complectitur, quæ vehementer sunt expetenda: primùm, vt quis virtutibus ornetur: deinde vt populari fama celebretur. Cur autem beatitudo, quam expectamus, in hac vita non reueletur, Chrysostomus putat, hanc esse causam: quòd ea huius vitæ statum longè superet. In eius autem amplificatione idcirco Paulus longius cõmoratur, vt Romanos ad tolerantiam afflictionum magis accendat. Miles enim vehemẽter confirmatur ad ferenda pericula, si speret, victoriam fore fructuosam. Et mercator nullis nauigationum, aut itinerum laboribus frangitur, si magnum speret fore quæstum. Pręterea à considerare debemus, longè aliam esse sortem ciuium huius mundi, atque sanctorum hominum, qui Christo seruiunt. Illi laborum suorum magnitudine superant ea bona, quæ contendunt assequi: nos verò, quãtumuis fortiter agamus, & strenuè, vt Paulus ait, tamen ne conferri quidem possunt opera nostra cum eo fine, quem nobis proponimus. Vt hoc discrimen facilè intelligamus, exempla Romanorum facilè nos docebunt. Brutus pro conseruanda patriæ libertate non dubitauit filios suos occidere. Qua in re id etiam spectauit, vt laudem boni ciuis assequeretur. Sic enim de illo Virgilius Poeta scribit: *Vicit amor patriæ, laudumq; immensa cupido.* Isti fuere fines Ethnicorum, exigui sanè, & tenues. Neque enim libertas, quam illi spectabãt, talis erat, qualis est nostra, qua liberamur à peccato, à Satana, à morte, ab ira Dei. Laudem illi quærebant humanam, rem sanè inconstantẽ, & parui momẽti. Noster autem finis est, vt nos Deo approbemus, cuius iudiciũ falli non potest. Torquatus etiam filium suum occîdit, quòd pugnando in hostem legem militarem violasset. Nos etiam, vt legem Dei conseruemus, dubitare non debemus, vbi erit opus, omnia grauissima perpeti. Non enim conferendæ sunt leges diuinæ cum legibus militaribus. Camillus eiectus patria, eam posteà oppressam à Gallis magno animo restituit: quòd non putaret, se posse alibi glorioſius viuere. At non ita rem mirandam faciet Christianus, qui læsus à quopiã in Ecclesia, depositio vlciscendi studio, fratrem, à quo læsus sit, iuuare, & Ecclesiã opera sua ornare velit: nam extra eam nec sanctè viuere potest, nec ad æternam felicitatem peruenire. Q. Mutius Scœuola dextram, quę aberrauerat in percutiendo Porsena, vltro coniecit in flammam. Quid igitur mirum, si quis ob adipiscendum regnum cœlorum non vnam manum, sed totum corpus offerre velit concremandum? Curtius armis instructus, & in equo sedens abiecit se vltro in hiatum terræ, quò ciuitas Romana liberaretur à lue: id enim oraculum responderat, quieturam Deorum iram, si quod

Nunc bona pars te nostræ gloriæ fruimur, sed occultè.

Gloria uniuersam felicitatem hîc significat.

Gloria comitatur uirtutem.

Gloria duo complectitur,

Cur beatitudo in hac uita non reueletur. Similia.

Discrimen inter seruos Christi, et mundi.

Exempla Ethnicorum.

Fines Ethnicorum exigui & tenues.

Laus humana inconstans, & parum uera.

si quod Romani habebant optimum, id in illum hiatum deijceretur. Nos oraculum longè certius habemus, non esse timendos eos, qui occidũt corpus, animam autem occidere non possunt. Decij se deuouerunt, vt legiones saluæ, & victrices euaderent. Nostri etiam martyres, cùm sanguinẽ suum fundunt potius, quàm vt à Christi religione auferantur, non possunt iactare, se facinus inauditum facere. M. Puluillus, cùm Ioui templum consecraret, & intereà ab inuidis nũtiaretur mors filij, nihil tamen est animo consternatus, nec ab incepto destitit: verùm, vt mortuus efferretur, imperauit. Quo ergo animo ferre debet Christianus, cũ audit à Domino: Permitte mortuos sepelire mortuos suos? Regulus quum iurasset, se Carthaginem esse rediturum, quanuis sciret manere se grauissima supplicia, tamen committere noluit, vt fidem violaret. Quare nos quoque, cùm in baptismo fidem Christo publicè dederimus, etsi eius seruandæ causa omnia nobis ferenda sint, tamen eam violare non debemus. Iactabunt alij contemptas opes, & voluntariam paupertatem susceptam propter Christũ: sed istis gloriantibus in mentem veniat Cincinnatus, qui post honorificas, & præclaras res gestas in Dictatura, libenter ad sua quatuor agri iugera colenda redijt. Meminerint, Valerium Publicolam post egregiè administratum Consulatum, ita pauperem esse mortuum, vt eius funus absque publica impensa efferri non potuerit: & Fabritium adeò suæ paupertatis non pœnituisse, vt Pyrrhi Regis aurum contempserit. Hæc illi tam magna, & splendida facinora ediderũt, tantùm, vt dixi, quò laudes humanas captarent, & terrenã illam Rempublicam conseruarent. Nos verò si pericula subimus, Deum ipsum habemus hæreditatem, & mercedẽ nostram, Christo futuri cohæredes. Regnum nobis cœlorum, & æternum cum angelis commercium, ceu palma proponitur. Apparet ergo, illorum egregia facta propositos fines, & præmia vicisse: nostra verò opera à proposita mercede infinito interuallo superari. Fateor equidem, illorum facta inter veras virtutes non esse numeranda: (erant enim potius vmbræ, & simulachra virtutum.) & opera illa, etsi præclara fuerint, si ciuilem rationem spectare velis, tamen coram Deo nihil aliud erant, nisi gloriosa, & splendida peccata: neque enim illi aut à fide, aut à dilectione Dei mouebãtur ad agendum, aut opera sua ad iustum finem dirigebant. Itaque Augustinus in 5. de Ciuitate Dei, capite 18. quum hæc, & alia his similia narrasset, prudenter adiecit: Vel hæc in nobis esse animaduertimus, vel eis nos sentimus esse destitutos. Siquando fecerimus eadem, nihil est, quòd nos efferamus, quum illi propter minora præmia paria fecerint. Sin verò nos tam debiles & infirmos agnoscimus, vt talia non audeamus, vehementer premi, ac pungi oportet animos nostros, præsertim quum Ethnicis ipsis inueniamur debiliores. Præterea istæ collationes ostendunt, Deum non attendere magnitudinem, & molem operum: nam alioqui illis præmia redderet, quæ nobis pollicetur. Hoc autem Deus maximè spectat, num Christo per fidem coniuncti simus, & quicquid facimus, id ad laudem, & gloriã nominis illius dirigamus. Vim autem, & facultatem edendorum illustrium facinorũ, ille pro sua misericordia, cùm iudicat esse oportunum, abundè suppeditat. Nos interim illi agamus gratias, quòd nostram conditionem illorum sorte fecerit meliorem.

Ethnici nõ erant præditi ueris uirtutibus.

Coram Deo sunt splendida peccata.

Deus nõ attẽdit magnitudinẽ & molem operum.

Quid Deus maximè spectet.

Deus nostrã conditionẽ longè meliorẽ fecit, pudet Ethnicis.

Etenim sollicita creaturæ expectatio expectat reuelationem filiorum Dei. Vanitati enim creatura subiecta est non uolens. Magnitudinem futuræ beatitudinis ex eo confirmat, quòd ea ab omni creatura expectatur, idq; non vulgariter, sed magna anxietate & sollicitudine. Hoc enim sonat ἀποκαραδοκία: cuius verbi etymon inde est, quòd ea, quę vehemẽter expectamus, exporrecto capite circunspectare solemus, num sese alicunde offerant. Chrysostomus ait, eam vocem significare vehementẽ expectationem. Ambrosius interpretatur expectationem assiduã & frequentẽ. Nititur autem hæc ratio definitioni summi boni. Nam si id bonum est, vt Aristoteles definiuit, quod omnia appetunt, id certè, quod ab omnibus creaturis maximè expectatur, necesse est esse summũ bonum. Causa verò, cur ab omnibus creaturis expectetur nostra reuelatio, est, quòd tantisper dũ illa differtur, omnis creatura subiecta sit vanitati. Locus qui dem iste est difficilis: sensum tamẽ hunc satis perspicuũ esse arbitror, Vniuersam creaturã in graui negotio versari, & vsq; ad nostrã plenã redemptionẽ molestis laborib. fatigari. Nam terra nostra causa maledictioni subijcitur, & spinas, tribulosq; producit, & ad nos alendos fructus caducos subinde reparat, & vastitates, ac ruinas nostra propter peccata ferre cogitur. Aer fit pestilens, modò riget frigoribus, modò incenditur æstibus, modò nubib. modò pluuijs obducitur. Animantia omniũ generum propagantur, & moriuntur, vt nos adiuemur: orbes cœlestes assiduè incitantur, occidunt, oriuntur, patiuntur deliquia: Luna deficit, & reficitur: in morte Christi obscurata est lux Solis: cumq; Christus veniet ad iudicandũ, vt Euangelistæ narrant, virtutes cœlorum laborabunt. Adhæc omnis creatura cogitur seruire

Definitio summi boni

Omnis creatura expectat reuelationẽ gloriæ nostræ.

Creaturæ nostra causa laborant usq; ad nostram redemptionem.

impijs, & illorum abusibus subiacere: quod Oseas propheta cap. 2. docet. Israelitæ bona huius mundi, quibus abundabant, non vero Deo, vt par erat, sed Baalo adscribebāt, illi gratias agebant, illumq; vnum inuocabant. Itaque Deus iratus ait: Auferam frumētum meum, vinum meum, & oleum meum: & liberabo lanam meam, & linum meum, ne operiant ignominiam tuam. Quibus verbis propheta ostendit, quum creaturæ auferuntur ab impijs, eas vindicari in libertatem, ne impijs cogantur amplius inseruire. August. in libro 83. Quæstionum, quæst. 67. hunc locum aliter interpretatur: nam, per omnem creaturam, homines intelligit, quemadmodum in Euangelio quoque sumitur. Sic enim Christus ait: Prædicate Euangelium omni creaturæ. Id autem idcirco conuenit homini, quòd in eo, tanquam in paruo quodam mundo, comprehensa sint omnia rerum genera. Quanquam Augustinus idem non inficiatur, hæc verba aliter quoque exponi posse. Verùm id monet cauendum esse, ne non puduit sibi fingere. Fatendum est, inquit, sanctos angelos ad imperium Dei nobis inseruire: sed cùm iam sint felices, & faciem patris videant, luctus, & dolor illis certè non conuenit, quem suscipiant nostra causa, ne fortasse deterius habere videātur, quàm Lazarus habeat in sinu Abrahæ. Huc adde, Paulum dicere, creaturam omnem subiectam esse vanitati, & non solùm ingemiscere, ac dolere, verùm etiam à seruitute corruptionis esse liberandam: quæ omnia in angelorum naturam incidere non possunt. Verùm, inquit Augustinus, nihil temere pronuntiandum est: satis est, modò caueamus absurdas ineptasq; opiniones hæreticorum, qui de gemitu, & luctu creaturarum multa perperam effutiuerunt. Quibus verbis Manichæos inter alios notari arbitror. Dicturus autem de sententia Augustini, qua per vniuersam creaturam putauit homines esse intelligendos, video, nostrū genus in duas partes esse diducendum: vt hominum alij sint pij, alij impij. Tum quærendum est, vtrinam horum tanto desiderio manifestationem filiorum Dei expetant. Impios opinor, non dicet: illi enim, quid alteri seculo euenturū sit, nil pensi habent. Supersunt igitur tantùm pij: qui cùm sint huiusmodi, citra cōtrouersiam appellandi sunt filij Dei. Sequetur ergo, solos filios Dei esse, qui expectent reuelationem filiorum Dei. Atque ita ijdem erunt, & qui desiderant, & qui desiderentur. Sed hoc videtur non latuisse Augustinum. Ait enim filios Dei, cùm nunc grauentur varijs molestijs, meliorem conditionem, quam sperant, aliquando reuelandam, concupiscere. Idq; sæpe accidit, vt, qui sunt in anxio, & difficili statu, quietiorē fortunam sibi aliquando concedi, vehementer cupiant. Verùm si consideremus ea, quæ mox à Paulo subijciuntur, non solùm illa, sed & nos primitias spiritus habentes, &c. videbimus distingui homines pios, & præditos spiritu Dei, à turba aliarum creaturarum. Id enim sibi vult illa particula, *Non solùm*. Quanquam scio esse quosdam, qui per eos, qui dicuntur habere primitias spiritus, non intelligant omnes in vniuersum Christianos, sed eos tantùm, qui magna copia spiritus tum temporis abundabant, quales erant Apostoli, Paulus ipse, & alij quidam pauci, Apostolico spiritu præditi: ac si diceretur: Reuelatio gloriæ filiorum Dei expectatur non solùm ab omnibus pijs, verùm etiam à nobis quoq; vberrimo Christi spiritu præditis: vt argumentū ductum sit ab optimorum, & prudentissimorū hominum iudicio, quod ad rem vel confirmandam, vel amplificandā maximè valet. Apostolus autem in præsentia non videtur vti illa distinctione. Prius enim pronuntiauit in vniuersum, nos qui sumus Christi, habere spiritum eius in nobis habitātem. Neque verò quòd mentionem facit primitiarum spiritus, eò spectat, vt vulgus hominum Christianorum distinguat ab Apostolis: sed primitias spiritus appellauit spiritū eum, quem nunc habemus: quòd plenos eius fructus, & vberes prouentus in altera vita habituri simus. Et Ambrosius, cùm illum locum interpretatur, Non solùm illa, sed & nos ipsi primitias spiritus habētes, statim subdit: Quum de vniuersa creatura iam dixerit, nunc de ipsis hominibus agit. Argumenta etiam, quibus Augustinus adductus est, vt communem aliorum interpretationem refugeret, non ita sunt grauia, & firma, vt illis multum tribuere oporteat. Nam cùm Paulus res inanimas nostram salutem cupere, & illius causa ingemiscere, & parturire faciat, προσωποποιίαν seu ἀνθρωποπαθείαν vti voluit. Quod qui sentiunt, vt cum hæreticis ineptiant, & absurda credant de Sole, Luna, & astris, non adducuntur. Ambigui hîc sumus inter duos tropos. Augustinus eum tropum sequitur, vt putet vniuersam creaturam significare hominem. Nos potius putamus esse προσωποποιίαν. Controuersia est, vtro potius sit vtendum. Is mihi videtur admittendus, qui Apostoli verbis magis est consentaneus, quiq; argumentum reddit grauius, & vehementius. Cùm noster sensus vtrunque efficiat, illum potius admittendū existimaui. Primùm quidem Apostolus subiecit, vt annotauimus: Non solùm illa, sed etiam nos primitias spiritus habentes, &c. Quæ verba

In homine comprehendūtur omnia rerū genera.

Non est putandū Lunā, Solem, angelos propriè ingemiscere.

Angeli nec uanitati, neq; corruptioni subiecti sunt.

Manichæi de luctu creaturarū multa impiè, ac ineptè fabulati sunt.

Duplex hominū genus.

Impij de futura gloria non sunt sollciti.

Soli pij & filij Dei futurā gloriā desiderant.

Argumentum à iudicio præstantissimorū ductū.

Primitiæ spiritus.

Eo tropo est utēdum, quod argumentum reddit grauius, & magis conuenit uerbis.

verba satis indicant, illum egisse antea non de hominib. sed de alijs creaturis. Deinde hęc ratio maximè valet ad augendam redemptionem nostram, quam expectamus, si eam intelligamus ab omni creaturarum genere expectari. De Angelis tantùm non videtur fore ita facilis explicatio: illi enim videri possent miseri, si nostra causa vel ingemiscant, vel parturiāt: quos tamen sanctos, & beatos esse credendum est. Cæterùm non id efficit illorum felicitas, vt prorsus omni affectionū genere sint spoliandi. Petrus in prima epistola sua cap. 1. ait, eos in promissa prophetarum, quæ ad Euangelium pertinent, desiderare intueri. Non enim locus ille ita legendus est, vt noster interpres vertit, In quem desiderant angeli prospicere, sed in quæ, εἰς ἃ, desiderant Angeli prospicere. Tenētur igitur cupiditate videndi hæc promissa impleta. In Zacharia leguntur inter myrteta instar equitum orasse magno affectu pro ciuitate sancta, vt rursus ædificaretur. Mitto, quòd in Euangelio legimus, illos magno affici gaudio, cùm peccatores videant conuerti ad pœnitentiam. Quare argumento à contrarijs, necesse est, vt pertinaciam, & obstinationem impiorum molestè ferant. De animis hominum piorum, qui iam vita sint defuncti, nemo ambigit, illos summa felicitate donatos esse. Illi tamen in Apocalypsi clamant, & precantur Deum, vt sanguinem, quem effuderunt, vlciscatur: magnoq; affectu laborant, vt stola corporis iam corrupti sibi aliquādo restituatur. Quare & angelis, & beatis animis ea felicitas tribuenda est, quæ ista genera affectionū, quas scriptura significat illis conuenire, non excludat. Quod eo minus mirum videri debet, quum Deum ipsum, fontem, & caput omnis felicitatis in scripturis legamus duci pœnitudine, mutare sententiam, & alia multa perpessum esse, quæ diuinæ illius naturæ non videantur conuenire. Ea verò, quemadmodum sint intelligenda, neque nunc est animus explicare, neque id à nobis hic locus requirit. Sed erit satis, vno verbo dicere, etiam in angelos talem affectū posse cadere, qualem Paulus hoc loco commemorat. Quòd si adhuc intelligere non possumus, quomodò id illorum non obstet felicitati, causa tamen non est, cur id negemus posse fieri. Tum autem demum id nobis erit perspicuum, quum ad eandem felicitatem peruenie-mus. Interea credamus sacris scripturis, quæ testantur, sanctos angelos huiusmodi affectib. laborare. Sed quomodò illos intelligemus subiectos esse vanitati? Facilè: non quidem iuxta naturę suæ, vt aiunt, substantiā, sed quod attinet ad illa opera, quæ Deus ab illis efficienda destinauit. Præfecti sunt ciuitatibus, regnis, prouincijs, vti Daniel diserte scribit: imò etiam adsunt singulis hominibus. Christus enim ait: Angeli eorum semper vident faciē patris mei. Et discipuli in Actis Apostolicis respondēt de Petro pulsante ad ostium, Angelus eius est: quanuis de nuntio Petri nonnulli conentur hoc interpretari. Et in Genesi, cap. 48. Angelus eius redemit me ab omni malo. Hæc probant, Angelos imperio Dei inseruire etiā priuatis hominib. Nos autem si quærere velimus, in quē finem Angeli regāt regna, prouincias, ciuitates, & singulos homines, quidq; illa tāta cura, & diligētia sibi velint, nihil aliud inueniemus, quàm eos id satagere, vt omnes homines Deo, & Regi suo obsequātur, illū agnoscant, & colant, & vt Deum suum venerentur. Quod cùm non succedat, & multi relicto vero Dei cultu, superstitioni, & idololatrię sese dedant, varijsq; flagitijs contaminentur, Angelorum opera suo fine, saltem secundario, destituitur, atque ita illi quodāmodò vanitati subiecti sunt: quod tamen fieri desinet, cùm à suis istis præfecturis absoluentur. Sed iam videndum est, quomodò Angeli eo tempore à seruitute corruptionis liberandi sint. Licet illorum natura, vel, vt loquuntur, substantia sit incorrupta, & immortalis, tamen illis perpetuò cum rebus caducis, & mortalibus negotium est: ea subinde reparant, & sufficiunt, aut ex diuino præcepto curant abduci, & perdi. Deinde Christi beneficium ad Angelos quoq; pertinere Paulus docuit ad Ephesios, & ad Colos. Ad Ephes. cap. 1. ait: iuxta beneplacitū, quod proposuerat in seipso vsq; ad dispensationem plenitudinis temporum recapitulare omnia per Christum, & quæ in cœlis sunt, & quæ in terra. Et ad Colosſ. cap. 1. In illo complacitum est patri vniuersam plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia erga se, pacificatis per sanguinem crucis eius per eundem siue quæ in terris sunt, siue quæ in cœlis. Hæc Chrysostomus interpretans ait, sine Christo angelos nobis fuisse infensos: vt hæ duæ naturæ angelorum, & hominū inter se disiunctæ, & alienatę fuerint. Spiritus enim cœlestes non poterant non odisse hostes Dei sui. Verùm quum se Christus interposuisset, iam homines rursus collecti sunt, vt idem caput haberēt cum Angelis, & membra eiusdem corporis cum eis effecti sunt. Itaq; Christus rectè dicitur ille, per quem facta sit ἀνακεφαλαίωσις. Fieri etiam potest, vt alia quoq; commoda per mortem Christi peruenerint ad Angelos, quę tamē nos è scripturis non facilè intelligimus, neq; huius instituti est ea inuestigare. Dicimus itaq; Paulum magna orationis grauitate, ac vehemētia creaturis omnibus sensum accōmodare, ac si

Angeli & si beati, non omni affectū sunt expoliandi.

Spiritus quoque sanctorum licet beati, multa desiderant.

Quomodò angeli possint dici vanitati subiecti.

Quis constitutus sit finis præfecturis Angelorum.

Angelorū opera interdū secundario fine destituuntur.

Quomodò à corruptione angeli dicātur liberari

Beneficiū Christi ad Angelos quoquomodò attinet.

Paulus magna uehementia orationis omnibus creaturis accōmodat sensum.

illæ dolerent, se ita impiorum hominũ abusibus esse expositas. Non enim obscura est in hoc statu rerum confusio. Pij enim malè habent, & indignis modis vbicũ accipiuntur: Impij verò omnibus bonis affluunt, eisq; omnia succedunt ex sententia. In hac rerum perturbatione pios homines oportet esse animo forti, & negotiorũ catastrophen toleranter expectare. Epicuri, & Athei, cùm vident omnia ita confusè geri, protinus ratiocinantur, Deum nulla teneri cura rerum mortalium, vt qui nec gratia, nec odio moueatur: neminiq; aut bene, aut malè faciat. Pij verò è diuerso apud se statuunt, quum Deus prouidentia sua omnia regat, & moderetur, futurum quandoq;, vt res non ita abeant: & mundum prout ad honorẽ Dei est institutus, meliori ratione corrigendũ esse, traducendumq; ad eam formam, qua Deus magis magisq; illustretur. Atque hinc nascitur incredibilis cõsolatio: vt cùm videamus omnes creaturas Dei subiacere tot incõmodis, ipsi quoq; illarum exemplo nos ipsos ad tolerãtiam confirmemus. Cùm orbis vniuersus tot calamitatibus diuexetur, nos etiam par est afflictiones incidẽtes æquo animo tolerare. Rationes autem propter quas angi, & dolere creaturas existimamus, quatuor enumerari possunt. Prima quidem est, quòd laboribus continuis fatigentur, vt nostris vsibus quotidianis inseruiant. Hinc sæpe accidit, vt cùm ipsi, quod subinde fit, grauiter peccemus, illæ vnà nobiscum supplicia luant: quod in diluuio, in Sodoma, & in plagis Aegypti non obscurè apparet. Est adhæc quædam sympathia inter omnes creaturas, & hominem, propter quam in rebus aduersis simul cum eo ingemiscunt, & vnà dolent. Postremò fit illis magna iniuria, quòd cogũtur seruire hominib. impuris, & sceleratis: Quod Oseas propheta spectauit, vt superius ostendimus, cùm diceret ex persona Dei: Auferã triticum meum, vinum meum, oleum meũ, & liberabo lanam meam, & linum meum, ne operiãt turpitudinẽ tuam. Ambrosius non vno in loco mecum facit. In epistola ad Horontianũ tractans hunc locum Pauli, inductione ostendit, omnẽ creaturã dolere, & expectare reuelationem filiorũ Dei. Et auspicatur ab anima: Ea, inquit, nõ potest non affligi, & trstiari, cùm sedeat in corpore, tanquam in gurgustio quodam conclusam esse, idq; non volentẽ, sed propter eum, qui illam subiecit. Consiliũ enim Dei fuit, vt ea cum corpore cõiungeretur, vt ex illius vsu, fructus aliquos aliquãdo non pœnitendos reportaret. Paulus enim ait in posterio ri ad Corinth. Omnes nos sistendos esse tribunali Christi, vt quisq; referat ea, quæ gessit per corpus, siue bonum, siue malum. Dicit etiam in eadem epistola, Nos ingemiscere, dum sumus in hoc terreno habitaculo, non quòd eo velimus expoliari, sed potius superuestiri. Et Ambrosius citat ex psalmis, Hominem vanitati similem factum esse: &, hominem esse vniuersam vanitatem. Quibus ego hoc quoque addendum censeo: vt hoc pondus corporis, & has molestias, quas eius causa animo obuenire Dauid quæritur, non ex instituto Dei profectas intelligamus, sed potius propter peccatum obrepsisse. Alioqui enim corpus datum est animo, non vt σῆμα, vt quidam fabulantur, sed vt aptissimum instrumentum, ad eximia opera, & præstantissima facinora conficienda. Pergit Ambrosius, & sua inductione Solem, Lunam, cæteráque astra ait, assiduo cursu fatigari, inferiores quoque creaturas nostra causa laborare. Ait autem, id non ingrato animo ab illis fieri, quum intelligant, ipsum filium Dei pro nobis sumpsisse formam serui, & sua morte vitam, & salutem suam procurasse. Deinde ait, illas se hoc nomine consolari, quòd aliquando sint liberandæ, & illarum laboribus aliquando imponendus sit finis. De his ego si iudicium ferre debeam, primùm num Sol, & Luna, aliaq; astra laborent illis suis conuersionibus, nonnihil ambigam. Prætereà figuratè ab Ambrosio dictum puto, creaturas omnes æquo animo ferre suas illas molestias, quòd sciant Christum filium Dei pro nostra salute crucis ignominiam, & mortem pertulisse. Neque tropo carere arbitror, quod ait, eas hac se ratione consolari, quòd intelligant labores suos aliquando esse finiendos, seqúe esse reparandas. Postremo loco angelos commemorat, eosq; ait animo non læto versari in supplicijs de malis hominibus sumẽdis, quòd tangantur misericordia, & malint beneficijs potius ornare, quàm pœnis affligere: præsertim quum Christus in Luca dicat, Angelos vehemẽter lætari de vno peccatore agente pœnitentiam. Idem Ambrosius exponens hunc locum ait, anxietatem creaturarum tandiu duraturam, quoad numerus eorum, qui seruandi sunt, impletus fuerit. Et vanitati subiectum esse, interpretatur mortale, & caducum esse. Vanitas ergo apud eum hoc loco est mortalitas, qua creaturarum vniuersitas ita laborat, itáque cum ea perpetuò luctari cogitur, vt Solomon meritò dixerit: Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Commentaria, quæ Hieronymo adscribuntur, non multùm videntur dissidere à sententia Augustini: nisi quòd illa per omnem creaturã, intelligunt vniuersitatẽ istorum iam inde vsque ab Adamo. Quam turbam sanctorum, vnà cum ipso protoplasto reuelationem filiorum Dei anxiè tradunt expectare,

Atheorũ sentẽtia de Deo.

Piorũ contraria sententia.

In aduersis consolãtur se pij ex emplo creaturarum.

Quatuor rationibus dicuntur angi creaturæ.

Ampla inductione ostenduntur creaturæ dolere nostra causa,

Corpus ab initio non fuit homini datum ut σῆμα.

Ambrosius figuratè loquitur.

Quandiu sit duratura hîc anxietas creaturarũ.

pectare, vt ipsi quoque nobiscum, vt docet epistola ad Hebræos, perficiantur. Origenes commemorat quædam de mente, quæ est pars suprema animi nostri, quam ait ingemiscere, & anxiè dolere, quòd cogatur perpetuò se demittere, vt multiplicibus corporis varijsque necessitatibus inseruiat. At Chrysostomus apertè facit nobiscum, Paulumq; fatetur vti prosopopœia: qui tropus familiarissimus est in sacris literis. Prophetæ enim, & Psalmi imperant interdum fluminibus, & syluis, vt manibus plaudant: interdum montes inducunt saltantes, interdũ colles præ lætitia subsilientes: non quòd re ipsa motum rebus inanimis & sensum affingant, sed vt bonum illud, quod ita ornant, significent esse tantum, vt ad stupidas etiam, & sensus expertes creaturas debeant pertinere. Solent etiam interdum Prophetæ syluas, vineas, terram ipsam, aliáque elementa inducere gementia & vlulantia, & domorum, atque templorum laquearia clamantia, vt malum illud, quod describunt, vehementius exaggerent. Nec mirum videri debet, si Paulus has phrases Prophetarum consectetur, quum idem fuerit in vtrisque spiritus Dei. Nec est difficile demonstrare, quomodò nostra infortunia redundent etiam ad creaturas. Nam quum homo adiudicatus esset maledictioni, terra quoque damnata est, vt maledicta, & spinas ac tribulos coacta sit producere. Et quemadmodum ea propter peccatum reddatur deserta & squalida, & scripturæ nos vbique docent, & experientia, si saperemus, satis nobis indicaret. Esaias ait, capite 24. Sol confundetur, & Luna erubescet. Et in euersione Babylonis idem Propheta scribit, Lunam, & sydera lucem non datura: Solem autem induendum esse caligine. De cœlo Dauid pronuntiat: Ab initio opera manuum tuarum sunt cœli: ipsi peribunt, tu autem manes: Vt amictum mutabis eos, & mutabuntur. Moses ait in lege: Dabo cœlum æneum, & terram ferream. Quod scimus factum temporibus Eliæ, quibus cœlum ita claudebatur, vt per tres annos, & dimidiũ pluuiam non dederit. Vnde illud scitum est, quod è diuerso texit Oseas Propheta: Exaudiam, inquiens, cœlum, & cœlum exaudiet terram, & terra exaudiet frumentum, vinum, & oleum, & illa exaudient Iesraelem. Denique quemadmodum omnis creatura inseruiat hominibus pijs, scriptura vbique indicat. Mare dedit iter Israelitis: petra effudit aquam: cœlum nubem, & manna: Sol Iosuæ constitit: Ezechiæ retrocessit. Quæ omnia licet perspicuè videre in vno Christo: in quo omnia sunt mirabili ratione recapitulata. Nascenti cœlum gratulatur, & noctu resplendet: Angeli adsunt canentes: stella ducit Magos: moriente, Sol obscuratur, & omnia tenebris inuoluuntur: petræ colliduntur: velum scinditur: monumenta reserantur: resurgente, fit terræmotus, & adsunt præstò Angeli: ascendentem in cœlum nubes complexa est. Quum autem redibit, concutietur vniuersus orbis, & virtutes cœlorum mouebuntur. Rursumque post iudicium tanta erit rerum innouatio, vt Esaias capite 30. dicat, fore, vt Luna luceat instar Solis: & lux Solis septuplo maior sit, si ad præsentem lucem conferatur. Sed nunquid vlla fit rebus creatis iniuria, quum citra suam culpam propter hominum pecc. ita vexantur? Respondet Chrysostomus, nullam fieri. Nam si propter me, inquit, factæ sunt, nihil admittitur iniustitiæ si propter me patiantur. Deinde addit, rationem æqui, & iniqui ad res inanimas, & ratione carentes non esse transferendam. Postremò si affliguntur nostra causa, quum apparebit nostra felicitas, vna etiam instaurabuntur. Idem Chrysostomus homelia 22. in Genesin exponit dilucidè, non esse iniustum, aut absurdum, si creatura propter homines aliquas calamitates cogatur ferre. Nam si quis, inquit, fortè incurrat in iram Regis, non modò ipse supplicio afficitur, sed etiam omnis eius familia opprimitur. Homo propter peccatũ factus est obnoxius maledictioni, & iræ Dei. quare non est mirum, si vniuersa creatura quę, hominis familia est, ingemiscat vnà cum eo, & doleat. Præterea adducit è scripturis omnem creaturam in diluuio fuisse submersam: in Sodomis cum flagitiosis hominibus omnia simul fuisse combusta: in Aegypto propter Pharaonis obstinationẽ omnes creaturas fuisse perditas. Et in libro de Reparãdis lapsis ad Theodorum ostendit, post diem iudicij omnia esse renouanda: quòd gloria Domini futura sit conspicua, vt impletura, & occupatura sit omnia. Scholia Græca vnà nobiscum agnoscunt prosopopœiam: & ideo asserunt creaturam à seruitute corruptionis esse liberandam, quòd propter nos facta sit corruptioni obnoxia. Adoptionem autem filiorum Dei ostendunt esse reuelandam, quòd nunc filij Dei vnà versentur cum filijs diaboli, neque facilè possint ab illis internosci. His adde, nos afflictionibus premi, infirmitate circundari, & lapsibus multis inquinari. Omnia hæc, etsi adoptionem, quam habemus per fidem, non faciant irritam, eam tamẽ ita obfuscant, vt nisi testimonio spiritus interiori cognosci non possit. Reuelabitur autem gloria nostra suo tempore: nec solùm apparebit, verùm etiam ex-

Prophetæ ac psalmi rebus inanimis affingũt nõ rarò sensum.

Pijs omnes creaturæ seruiunt. Christo seruiunt omnes creaturæ.

Post iudiciũ magna creaturarũ innouatio. Creaturis nõ fit iniuria, quòd propter homines uexentur.

Simile. Omnes creaturæ quodãmodò sunt hominis familia:

hibebitur. Habemus enim illam etiam in præsentia, sed nondum plenam, atque perfectam. Tunc autem prorsus absoluetur, & quicquid nunc deest, obtinebit.

Non uolens, propter eum, qui subiecit eam in spe. Hæc verba, vt annotauit Chrysostomus, non tribuunt creaturæ aut voluntatem, aut vim sperandi: sed tantùm indicant potentiam Dei, quę nobis subiecerit creaturas, vt pro nostro vsu frangantur, & occidantur. Subijci contra voluntatem, est, contra ingenitam, & naturalem propensionem. Videmus enim, omnem creaturam maximè cupere seruari, suæq; corruptioni, quacunque possit ratione sese opponere: paret tamen necessitati, & distractione sui hominum necessitati seruit. In eo, quod subijcitur, obserua potẽtiam Dei: in eo verò quod reluctatur, appetitum illi à natura insitum, qui non potest esse perpetuò irritus. Spes verò nihil hîc aliud est, quàm dispositio Dei, quæ eam sit, vt creatura aliquando liberetur, vtq; ista seruitus, qua premitur, habeat aliquando finem. Hîc rursus Ambrosius de laboribus Solis, Lunę, & astrorum multa cõmemorat. Et addit, etiam iumenta nostra causa indubitatò suspirare, & ingemiscere: cumq; illis quotidie labor, & afflictio renascatur, maximè cupere, vt aliquando conquiescant. Id autem consequi non possunt, antequã nostra conditio fuerit reparata. Scio philosophos hæc ridere, qui & mundum ab æterno somniant extitisse, & orbes cœlorum putant pari ac perpetua conuersione agitandos. Quum autem audiunt, nos ex sacris literis prædicare rerum omnium euersionẽ, conferunt nos cum hominibus indoctis & rudibus, qui aliquando timuerint ne cœlum rueret. Verùm isti Deo non tribuunt honorem suum. Nam Plato multò plus, & acutius vidit, quàm illi, qui sub persona Dei alloquentis astra, ita scribit: Natura quidem estis dissolubilia: etsi mea voluntate maneatis æterna. Dei enim voluntas est ille Atlas, qui cœli totius pondus humeris suis sustinet: quos si aliquando paulùm subduceret, statim omnia ruerent, & soluerentur. Cùm itaq; rerum duratio à mera Dei voluntate pendeat, & sacræ literæ, quę sunt eius internuntiæ, apertè doceant, creaturam aliquando esse conquiescturã, nos Deo honorem damus, qui hoc futurum credimus: Cumq; simus incerti de momẽto temporis, semper hunc exitũ rerum expectamus: interim verò animaduertimus, creaturas pro nostris pec catis modò bene, modò malè accipi. Quemadmodũ enim Cæcias attrahit nebulas, ita nostrarũ actionum cõditione omnium creaturarum statum trahimus: vt illæ tantisper bene maleq; agant, quoad nos aut boni, aut mali sumus.

Omnis creatura suam expetit salutem.

Appetitus à natura insitus, nõ est perpetuò irritus.

Philosopborum opinio.

Quonã & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatẽ gloriæ filiorũ Dei. Scimus enim, quòd omnis creatura ingemiscit, & simul parturit usq; ad hoc tempus. Hæc duo fidem faciunt, ista non de hominibus, sed de creatura esse intelligẽda. Nam si liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorũ Dei, omnino oportet eam diuersam esse à filijs Dei. Augustinus per creaturam intelligit naturã hominum, qui adhuc in peccatis, & infidelitate versantur, cùm tamẽ sint prędestinati, & aliquando seruandi. Acsi Paulus ita diceret: quãuis illi adhuc videantur alieni, tamen ipsi quoq; liberabuntur in libertatẽ gloriæ filiorũ Dei. Sed animaduertere debemus, Paulum de illis ijsdem subijcere, Gemunt, dolent, parturiũt: quæ in impios non possunt conuenire. Illi enim nullo nostræ felicitatis desiderio tenentur. Et Grecè est, συστενάζει, id est, cõgemiscere. Quæ vox ostendit, creaturã simul gemere. At quibuscũ? Nobiscũ videlicet: quibuscũ vnà dolet, & quodãmodò parturit. At si per creaturã intelligamus naturas insensibiles, & inanimas, quomodò ea dici potest subiecta non volens, sed propter eum, qui subiecit eam in spe? Certè videmus, omnia ita esse creata à Deo, vt se maximè cupiãt conseruare. Itaque plantæ, animalia, petræ, metalla obluctantur, & resistunt pro se quæque, ne pereant, & esse desinant: vsui tamen hominum cedunt, non volentia, hoc est, ex insita vi, & propensione. Illa enim tendunt in diuersum, nempe, vt se conseruent, & tueantur: sed cedunt potius prouidentiæ, atque imperio Dei. Quòd subijciuntur contra ingenium naturæ suæ, agnoscamus potentiam Dei, quæ cogit illa nostris vtibus inseruire. Quumq; ea videamus reniti, ne perdantur, & pereant, veniat nobis in mentem, qualis illis insitus sit appetitus. is autem naturalis est, & ideo in vniuersum frustrari non potest. Inde nomen spei est interpositum, non quòd illa propriè sperent: sed quòd hunc sit habitura tandem illa subiectio exitum. Augustinus hoc intelligit de hominibus: quod facillimè applicari potest. Non enim volentes, & vltro sibi accersiuerunt homines huius vitæ molestias, sed in eas propter peccatum à Deo coniecti sunt: qui tamen spem fecit, esse eos ex illis aliquando euasuros. Sed quoniam, vt diximus, ista expositio non conuenit, ideo ea ratione, qua antè ostendimus, Pauli verba commodius exponentur. Chrysostomus ait, non solùm nos esse reparandos, sed etiam eam creaturam, quæ infra nos iacet: nam & ipsa euehetur ad gloriã, quæ nostrum corpus glorificatum deceat. Facta est, inquit, propter nos corruptibi-

Ostenditur hîc quid per creaturam Paulus intelligat.

Scimus enim, quòd om

ptibi-

ptibilis: propter nos etiam immortalitate donabitur. Et adhibet accommodatissimum simile. Simile. Nutrix, inquit, diu laborat in alendo infante: at cùm ille adoleuerit, & regnum, aut principatum nactus fuerit, illa quoq; præclaris honorib. afficietur. Creatura, inquit, patitur propter te: tu verò propter te ipsum. Illa sub spe subijcitur præsentibus malis: tu vide, ne spem abijcias: alioqui deteriori loco eris, quàm inanimis creatura. In hac doctrina Pauli, Dei bonitatẽ, & prudentiam incredibilem admirari debemus, qui creaturas inter se arctissimo nexu colligarit, & eas admirabili sympathia homini cõiunxerit: vt si ille malè habeat, ipsę quoque malè habeant, ac gemant: eo autem restituto, ipsæ quoque sint instaurandæ. Scimus est Græcè, ὀιδαμεν: qua voce Apostolus indicat, se non tradere incerta & dubia: sed bene perspecta & cognita. Nisi enim ista vulgò, & publicè inter sanctos recepta fuissent, hac forma loquendi vti non potuisset. Non autem contentus est dixisse, creaturam ingemiscere, sed addit etiam, eam vnà dolere, idque eo doloris genere, qui multò sit omnium vehementissimus: συνωδινει, ait: quod est more mulierum parturientium cruciari. *Creaturarũ connexio, atq; sympathia.*

Non solùm autem illa. Pronomen, Illa, in Græco non habetur. Scribitur enim, οὐ μόνον δὲ: sed, illa, intelligitur. Quid autem spectetur, quum dicatur, *Non solùm*, suprà copiosè dictum est: videlicet, non vulgares, & simplices homines, sed vniuersa ista rerum creatarum machina.

Primitias spiritus habentes. Hac loquutione vel opulentiam significat, vel tantùm prælibationẽ. Sic enim ea bona dici possunt, quibus modò fruimur, si ad ea bona, quę expectamus, conferantur. A creaturis ergo Paulus transit ad homines, qui fide, ac spiritu Christi prædiți sint. Eos quoq; ait ingemiscere, & vehemẽti desiderio expectare, vt adoptio, & redemptio corporis nostri aliquando compleatur. Vnde apparet, eos imprudenter facere, vt Chrysostomus annotauit, qui voluptatum illecebris adducti hîc perpetuò manere velint: de abitu autem non sine magna tristitia cogitent. Nam quæ illa tanta est infelicitas, vt de ipsa miseria nostra gaudeamus? Ambrosius commendat spectatissimum senem Simeonem, quòd magna cum alacritate ad hunc modum precatus sit: Nunc dimittis seruum tuum ô Domine.

Expectantes adoptionem. Quid, inquit, Chrysostomus, illam toties susq; deq; versasti, quasi ea iam nobis parta esset, cùm nos appellares credentes, filios, hæredes Dei, & cohæredes Christi? Nunc autem videris nos frustrari, cùm scribas, nos, etsi habeamus primitias spiritus, tamen adoptionem eam adhuc expectare. Occurrit ad hęc, & ait, Apostolum hoc loco intelligendum esse de adoptione perfecta, & absoluta. Id enim ipsum videri significare, quum addit:

Redemptionem corporis nostri. Hæc ego verba non accipio in eam sententiã, quasi iam spiritu redempti simus, corpus autem supereſſe, quod posteà sit instaurãdum. Est enim adhuc in ipso animo, quod egeat instauratione. Multos enim in nobis prauos motus etiam inuiti experimur: peccata etiam supersunt adhuc non vndequaq; sanata: corpus etiam habemus non sine aliqua inchoatione redemptionis: est enim factum iam Dei templũ, & spiritus sanctus in eo habitat. Paulus ad Ephesios appellat nos carnem de carnib. eius, & os ex ossibus eius. Quod certè dici non posset, nisi & caro nostra, & corpus ipsum ex aliqua parte essent iam refecta. Cùm autem & in spiritu, & in corpore aliquid restituendũ expectemus, cur potius facit Paulus corporis, quàm animi mentionẽ? Dicam: Quia respexit originẽ malorum, quæ à corpore per semen ab Adamo traducũtur. Inde enim cœpit nostra cõtaminatio: neque vnquã ab radice poterit extirpari, nisi corpus per mortẽ deleatur, aut per extremam immutationẽ induatur gloria. Huc spectat oratio Apostoli, cùm adeò frequenter mentionem faciat corporis nostri, vltimo tempore redimendi. Nam ad Corin. ait: Cùm hoc corruptibile induet incorruptionem. & ad Philippenses: Corpus humilitatis nostræ configurabit corpori claritatis suę. His explicatis, locus ipse efflagitare videtur, vt de rerũ immutatione, quæ futura est in fine seculi, aliquid dicam. Primùm ea libet referre, quę Magister hac de re scribit in 4. Sententiarum, dist. 48. Cùm Dominus veniet ad iudicandum, Sol, & Luna obscurabuntur, non, inquit, adempto illis lumine, sed præsentia lucis copiosioris: Christus enim aderit Sol fulgentissimus. ideo cœli astra, vt lucernæ ad ortum Solis obfuscabuntur. Virtutes cælorum mouebuntur: quod potes intelligere de viribus, aut, vt quidam loquuntur, de influxibus, quibus corpora cœlestia rebus inferioribus moderantur: quæ tum à recto, & vsitato ordine discedent. Aut per istas virtutes intelligemus Angelos: qui assidua conuersione orbes cœlorũ torquent. Fortasse tum aut desistent ab opere solito, aut illud noua quadam ratione exequentur. Hæc postquã collegit ex Matthæo, & Luca, addit è loco, fore de- *Quoad animum quoq; non sumus adhuc perfectè instaurati.* *Corpus & caro nostra ex aliqua parte sunt refecta.* *Cur Paulus corporis magis, quã animi faciat mẽtionem, dum agit de redẽptione, quã expectamus.* *De immutatione rerum in fine seculi.*

liquia Solis & Lunæ. Sol, inquit ille, obscurabitur, & Luna vertetur in sanguinem, antequàm veniat dies ille Domini magnus, & horribilis. Et ex 65. capite Esaiæ: Ecce ego creo cœlum nouum, & terram nouam. Et mox: Luna lucebit vt Sol: & lux Solis erit septupla, hoc est, septem dierum. Et ex Apocalypsi: Erit cœlum nouum, & terra noua: quanuis ibi nulla fiat mentio aut Solaris, aut Lunaris lucis amplificandæ. Hieronymus locum illum interpretatur, Lumen Solis fore, quale fuit primis illis septem diebus, quibus mundus creatus est. Propter peccatum enim primorum parentum, lucem & Solis, & Lunæ fuisse, inquit, imminutam. Quod quidam è Scholasticis intelligunt, non de ipsa natura luminis, sed quòd & mundus, & homines minus fructus ceperint ex illis luminibus post lapsum, quàm habuerant anteà. Sed hæc omnia obscura, & incerta sunt. Quibus ego addo, nonnullos ex Rabbinis putare has loquutiones esse tropicas. Non enim in astris vllam fore immutationem, sed aiunt, hominibus mœstis, & statum infelicem suarum rerum lugentibus, ita exiguum fore fructum ex lumine Solis, & Lunæ, vt illis ea astra obscurata esse, & prorsus occidisse videri possint. Cùm autem contrà incipiant felicius agere, & ex animi sui sententia viuere, tum demum illis lumen Solis, & Lunæ visum iri conduplicatum, & multis partibus fulgentius, quàm anteà videbatur. Quam expositionem vt ego non nego, ita etiam fateor, fore, vt ad finem mundi magna istarum rerum fiat immutatio. Vtrunque ergo verum esse concedo, & in hac vita sæpe res adeò tristes accidere, vt dies alioqui clarissimi, nobis obscurissimi videantur, & ad finem omnium rerum statum creaturarum fore perturbandum. Quin etiam dum hic viuimus aliquando contingit, vt illa cœli lumina à suo naturali ordine dimoueantur: vt losue pugnante, & Christo moriente factum legimus. Addit Hieronymus in interpretatione eius loci, Solem tum accepturum mercedem laboris sui videlicet, tantas accessiones lucis. Zacharias etiam testatur, fore tum vnum perpetuũ diem: Tantam enim fore lucem, vt discrimen inter diem & noctem non sit futurum. Hæc si vera sunt, videre possumus, qualia futura sint glorioſa corpora sanctorum post resurrectionem: de quibus Christus ait: Fulgebunt iusti sicut Sol. Habebunt illi tum lũcem septuplo maiorem, quàm iste Sol habet, quo nunc vtimur. Nec mirum, inquit Chrysostomus, si creaturæ illo tempore tanto splendore illustrabuntur. Reges enim, quo die volunt filios suos inaugurari, curare solent, non solùm vt illi singulari apparatu, & pompa prodeant, verùm etiam vt serui illorum quàm honestissimè culti instructiq; incedant. Cùm ergo Christus sessurus tum sit conspicuus in throno suo, & iusti, qui sunt filij Dei, adituri sint regnum, & hæreditatẽ paternam, Deus efficiet, vt omnes creaturæ ornamentis admirabilib. & insigni splendore illustrentur. Quanquam Esaias ait, fore, vt Luna, & Sol amplius non luceant, sed Dominus ipse futurus sit in lucem sempiternam. Quibus verbis non significat illa astra esse peritura, sed tantùm, illorum lucem non fore sanctis necessariam: nam ea fortasse ortum, & occasum, vt modò habent, non habebunt. Verùm si roges illum, quem ea vsum habitura sint post iudicium, ingenuè fatetur, se nescire: hîc enim se scripturis destitui. Hæc fermè omnia habemus è Magistro. Nunc mihi quatuor excutienda esse arbitror. Primũ, quis nobis futurus sit vsus creaturarum, qtum ornati erimus illa gloria: Deinde, num illarum opera duratura sint: posteà vtrum natura, & substantia creaturarum conseruanda sit, qualisque ea futura sit: Postremò omnes ne mundi partes, an aliquæ tantùm sint reparandæ. Quòd ad primum attinet, qui perueſtigare voluerunt, quid commodi sanctis in altera vita ex renouatis creaturis sit accessurum, docuerunt nos, dum hîc agimus, ab eis bifariam iuuari. Primùm enim natura corporis, & vita, quam in præsentia degimus, illis fouetur, & sustentatur. Deinde etiam animus iuuatur, vt per has creaturas visibiles assurgat ad contemplationem Dei, vt Paulus docet in primo capite epistolæ ad Romanos. Vbi autem iam semel beati erimus, huiusmodi auxilijs creaturarum nihil amplius opus erit. Fruemur enim tum immortalitate, neque aut fame, aut siti, aut frigore, aut alijs huiusmodi incommodis amplius diuexabimur. Quod autẽ attinet ad cognitionẽ Dei, illũ videbimus facie ad faciem. Sed inquiunt, quoniam corporeus oculus non potest pertingere ad essentiã diuinã, vt Augustinus pulchrè docuit in libello de Videndo Deo, idcirco, ne oculus congrua delectatione destituatur, ornatum cœlorũ mirificũ, & rerum iam instauratarũ pulchritudinẽ illi tum esse offerendã: vt habeat nò solùm vnde se oblectet, & gaudeat, sed etiam vnde Dei potentiã, & infinitã sapientiam admiretur. Probabilia quidem sunt ista, fateor: sed ea sacris scripturis non confirmantur. Neque satis apparet, cùm Christi corpus, & infinita iustorũ corpora, Sole ipso magis lucentia oculis beatorũ conspicienda sint, quid præterea oblectationis afferre possit instauratarũ creaturarũ conspectio. Quare placet mihi candor, & simplicitas Magistri Senten. cùm dicat

Simile.

Quatuor in hac quæstione uidenda.

Duobus modis iuuamur à creaturis.

Oculus corporis non pertingit ad essentiam Dei uidendam.

dicat se nescire, quod in scripturis sacris non meminerit se legisse. Vtinam in alijs rebus desiderandis vti voluisset pari modestia, & fide. De actionibus autem creaturarũ, vtrum illę perpetuæ futuræ sint, nihil possumus pro certo definire. Angelus quidem in Apocalypsi iurat per viuentem in secula seculorum, non fore amplius tempus. Vnde quidam colligunt, motum cœlestium orbium cessaturum, quòd tempus sit numerus motus. Verùm hęc ratio non est firma. Fieri enim potest, vt cœlum moueatur, sed præ magna illa luce corporis Christi, corporumq; omnium beatorum, & Solis, & Lunæ, minimè possit obseruari. Quare durare potest motus, etsi tempus non existat. Tempus enim non est, nisi ex motu obseruato, & numerato. Sed addunt etiam aliam rationem, ideo cœlum cessaturum à motu, quòd eius assiduę conuersiones conducant ad generationem, & corruptionem rerum inferiorum conseruandam. quare cùm nulla amplius futura sit generatio, aut corruptio, nihil tum opus fore motu cœli. Ratio quidẽ ista probabilis est, at non necessaria. Poterit enim ille cœlestis motus, etsi non generationi, & corruptioni, tamen alij alicui negotio, quod nos ignoramus, inseruire. Hoc tamen mihi certissimum videtur, quodq; omnino affirmari debeat: Istas naturas rerũ non mansuras in extremo die, nisi aliquod opus habituræ sint. Pugnat enim & cum natura, & cum cõmuni ratione aliquid cõstituere, quod omnino sit otiosum. Quæ autẽ Deus his rebus opera sit adscripturus, facilè nos fateamur ignorare. Nunc de rerum substantia, & natura videamus, num ea post diem iudicij sit conseruanda. Id Petrus in posteriori sua epistola videtur negare. Ait enim, cœlos repẽtè, atq; instar procellæ esse perituros: & magno æstu elementa esse liquanda. Verùm Augustinus cap. 16. & 24. lib. 20. de Ciu. Dei, ait Petrũ collationem facere cum illis cœlis, qui tempore diluuij perierũt. Quod intelligi non potest, nisi de regionibus aeris, in quibus pluuiæ, & tempestates creari solent. Isti cœli post diluuiũ repositi sunt, & restituti verbo Dei, & nunc igni reseruantur. Imò Petrus posteà addit, nos iuxta repromissionem habituros esse cœlum nouum, & terram nouam. Ea repromissio facta est in cap. 65. Esaiæ: & repetita cap. 21. Apocalypseos: Quanuis ibi scribatur de mari, illud amplius non futurũ. Sed Augustinus in cap. 16. quod modò citauimus, dubitat: vtrum ea verba ita sint intelligenda, quasi mare prorsus sit desiturum, vtpote iam deflagrationibus exhaustum, & exiccatum: an quasi futurum quidem sit, sed innouatum, & immutatum. Augustinus eodem loco ait, de igne illo deflagrationis neminem, quòd quidem ipse sciat, nosse, quis nam, aut vnde futurus sit: quum tamen hodie scholastici ea de re infinita fingere, & fabulari nihil dubitent. Alij enim aiunt ignem illum fore elementarem: qui Dei iussu descensurus sit, atque omnia combusturus: alij somniant Solis radios ex repercussione esse multiplicandos, vt ex illis omnia succendantur: quemadmodum fieri videmus, quum radij solares feriunt specula ex chalybe, stuppam admotam inflammari. Addit Augustinus, elementa tunc exutura esse eas qualitates, quæ antea corporib. nostris corruptibilibus congruerant: indutura autem alias qualitates, quæ nostris corporibus immortalibus, & glorificatis conueniant: vt mundus innouatus aptè accommodetur hominibus per immortalitatem innouatis. Verùm hîc ego libenter ex Augustino scisciterer, vtrum constituat, corpora sanctorum post iudicium victura in hoc mundo? Quod si affirmabit, videbitur facere cum Millenarijs. Sin verò id neget, & asserat, quod nos credimus, corpora nostra esse in cœlum rapienda, quæ erit ista accommodatio qualitatum elementorum ad nostra corpora immortalia? Nisi fortè velit dicere, quãuis ista ad nostram immortalitatem nihil sint conducturа, tamen fore quandam analogiam, & proportionem inter ea facta iam immortalia, & nostra corpora glorificata. Si enim ea, vt Chrysostomus ait, propter nostrum peccatum facta sunt corruptioni obnoxia, par erit, vt nobis à morte liberatis, illa quoque à corruptionis molestia liberentur. Neque sanè huic innouationi quicquam obstat, quod habetur in libro Geneseos, Deum dixisse Nohe, Omnibus diebus terræ fore sementem, & messem: frigus, & æstum: æstatem, & hyemem: diem, & noctem. Hæc enim dicit futura diebus terræ. At illi erunt dies cœli, sabbatúmque, vt Esaias ait, ex sabbato. Hieremias quoque capite 33. ait: Num irritari potest fœdus, quod iniui cum die, ac nocte? Quasi diceret, id irritari non posse. Ita, inquit, ratum erit fœdus, quod pepigi cum domo Iuda, & cum domo Dauid. Pactum, de quo modo Propheta loquitur, de Messia suo tempore mittendo, vltra tempus præsentis status non est proferendum. Christus verò quum ait in Euangelio: Cœlum, & terra transibunt, verba autem mea non transibunt, non accipit transitum pro interitu: sed immutationem aliquam quandoque futuram prædicat, quæ tamen verbis ipsius nulla vnquã continget. Ea enim semper manebunt immota: & veritas illorum nunquã peruertetur. Huius interpretationis autor est Dauid psalmo 102. Opera, inquit, manuũ tuarum

Si desinit esse tẽpus, & motus desinit.

Creaturæ nõ manerẽt post iudiciũ, nisi aliquod futurũ esset earũ opus.

De igne conflagrationis extremæ.

Locus ex Genesi declaratus.

Quomodò cœlũ & terra transibunt.

sunt cœli. Ipsi peribunt: Tu autem manes. Sicut amictum mutabis eos, & immutabuntur. Huc accedit etiam Petrus. Nam quum dixisset, cœlos perituros, & elementa æstu liquanda esse, subiecit, nos iuxta repromissionem habituros esse cœlum nouum, & terram nouam. Et Hieronymus exponens caput 65. Esaiæ in hunc sensum adducit sententiam Pauli ex epistola priori ad Corinthios, cap. 7. Ait enim, figuram huius mundi præterire: quasi nolit dicere, naturam rerum, aut mundum ipsum interiturum, sed tantùm figuram, hoc est, statum, & formam huius temporis. Probatq; innouationem eam quam ponimus, non significare corruptionem naturæ, simili ducto ex gradibus ætatis nostræ. Quum enim ex pueris efficimur iuuenes, ex iuuenibus viri, ex viris senes, non destruimur, quod quidem ad hominis naturam attinet: sed à statu deteriori ad id, quod est præstantius his mutationibus transferimur. Cùm itaque conflagratio postrema iam accesserit, quam scripturæ satis apertè futuram docent, orbis vniuersus conflabitur: vtque aurum argentúmque, quum igne funduntur, non pereunt, sed puriora efficiuntur: ita mundus illo igne non perdetur, sed instaurabitur. Id nonnulli etiam ex Ethnicis scriptoribus senserunt, vt Heraclitus Ephesius, & Empedocles Siculus, alijque: qui hæc fortasse à maioribus suis acceperant, sed ea prauis opinionibus vitiarunt. Fuerunt complures ex veteribus Christianis, qui opinati sunt, creaturas mãsuras esse post aduentum Domini, & electis vsui alicui futuras. Putauerunt enim, quum Christus redierit, tantùm fore resurrectionem piorum: quam etiam primam resurrectionem appellauerunt. Inter quam, & postremam, qua impij sint excitandi, intercessuros esse mille annos: atque eo tempore toto Christum vnà cum sanctis regnaturum esse in mundo, totóque illo spatio diabolum esse alligandum: quemadmodum in libro Apocalypseos describitur. Videntur autem ansam opinionis suæ non tantùm ex Reuelatione Ioannis, sed etiam ex prophetis accepisse. Illi enim quum vaticinantur de regno Christi, permulta commemorant, quæ ad regna huius mundi, & ad voluptates, ac delitias spectare videantur. Illi verò, qui fuerunt in hoc errore, à Græcis χιλιασταὶ, à Latinis Millenarij dicti sunt. Neque sanè homines tantùm vulgares fuerunt patroni huius sententiæ, sed etiam viri præcipui in Ecclesia, & antiquissimi, Papias, Irenæus, Iustinus Martyr, Victorinus, Lactantius, Tertullianus, & alij complures non obscuri scriptores Ecclesiastici: quos ego non coniungo cum Cherintho: is enim alios errores multos de Seruatore nostro disseminauit. Ad id enim, quod istos patres sensisse diximus, adiecit duplicem impietatem: Primùm, sanctos ita in hac vita cum Christo regnaturos, vt omnibus voluptatibus corporis copiosè fruerentur: quod non aliud est, quàm naturam per resurrectionem innouatam rursus libidinibus, ebrietate, crapula, & alijs huiusmodi sordibus contaminare. Alter eius error fuit, in illo Christi regno Legales ceremonias, & sacrificia Mosaica esse reuocanda: quos errores nullus ex illis patribus, quos commemorauimus, secutus est. Nec difficile esset, illam insaniam ex scripturis refutare. Sed quoniam id à nobis alibi abundè factum est, nunc de ea re dicere supersedebimus. Tantùm hoc addam, Augustinum libro 20. de Ciuitate Dei capite septimo scribere, Si isti dixissent, Christum illo spatio mille annorum sanctis suis aliquid cœlestium charismatum esse collaturum, sententiam illorum futuram fuisse magis tolerabilem. Quo loco significat, se quoque aliquando idem sensisse: postea tamen, rebus melius expensis, locum Apocalypseos, vnde omnis ea suspicio videbatur emanasse, aliter exponendum iudicasse: videlicet, per illos mille annos totum illud tempus accipiendum esse, quod à Christi ascensione vsque ad eius extremum iudicium circumagitur: nosque offendere non debere numerus mille annorum. Familiare enim est scripturis sacris per numerum certum ac definitum, alium numerum incertum atque indefinitum significare. Quod quanuis multis alijs locis probari possit, hîc tamen duo tantùm satis erit annotasse. Christus ait Apostolis: Qui reliquerit domum suam, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut vxorem, aut fratres, &c. centuplum accipiet. Vbi per centuplum, magnam quandam, & quodammodò infinitam recompensationem intelligimus. Ita Deus pollicetur in Lege, se benefacturum esse colentibus se in mille generationes: quod nihil aliud est, quàm vsque ad posteros multò remotissimos. Regnat igitur Christus, vt Augustinus arbitratur cum sanctis toto hoc tempore, quod numero mille annorũ significatur. Verùm quomodò Satan hoc tempore dici possit esse ligatus, nõ ita facilè potest expediri: nam etiam nũc ab illo Ecclesia Christi grauiter diuexatur. Sed Augustinus idcirco eum ligatum putat, quòd vires eius fractæ sint, & Christus fortem armatum vicerit, vt ille non possit nũc ita sæuire, vt vellet: præsertim verò, quòd non possit electos, & ad vitam æternam prædestinatos à destinata salute auertere. Quãquam quod ad hoc attinet, etiam antequàm Christus ascen-

Simile.

Millenáriorum sententia. Resurrectio prima & secunda.

Aliquot uiri præcipui fuerũt chiliastæ.

Locus Apocalypseos.

Numero certo significatur indefinitus.

Satan dicitur ligatus, quòd fractas habeat uires.

ascenderet in cœlum, satanas non minus impediebatur, quàm nunc, ne electos posset ab æterna vita deturbare. Sed hîc responderi posset, eos qui ita vixerint, ante Christum paucos fuisse: Grassabatur enim Diabolus passim ferè per vniuersum orbem, exceptis quibusdam Israelitis, & alijs paucis. Nunc verò, postquam Euangelium per orbem terrarũ diffusum est, potentia, & vis satanæ multò magis coercetur: quod satis patet in extinctis oraculis, & idololatria vbique iam ferè profligata. Itaque existimo cum Augustino, hanc innouationẽ creaturarum non in eum vsum inseruituram, vt illis vtantur sancti in regno aliquo temporario viuentes cum Christo in mundo. Vaticinia autem Prophetarum, quę de regno Messiæ passim extant, & carnalia quædam commemorant, & ad regnum terrenum spectantia, ita accipienda sunt, vt ea intelligamus, regnum Christi, quod nũc exercet in Ecclesia, quodq; in die iudicij magna virtute exeret, eiusmodi metaphoris describere, qualibus nostrorum regnorum amplitudo, & maiestas vulgò constare existimatur. Quod ipsi Prophetæ satis subindicarunt, cùm multa interfererent, quę longè omnem fidem superarent, rerumq; humanarum cursum excederent. Ibi enim perspicuè docent, se loqui metaphoricè. Sed, vt ad institutum redeamus, orbem, quod ad eius naturam, & substantiam attinet, credimus non esse omnino interiturum: sed potius, vt habet Esaias, Petrus, & liber Apocalypseos, & Paulus hoc loco, eum esse innouandum. Renouationis autem huius conditionis duæ præcipuę assignantur: altera immortalitatis, altera lucis. Scholastici annotarunt, lucẽ illam non futuram esse talem, quę calorem efficiat: id enim si fieret, futurum, vt omnia facilè arescerent, & comburerentur. Nec difficilè est, inuenire lucem, quæ calorem non pariat: gemmæ enim multę inueniuntur fulgentissimę, quæ nihil caleant. His iam ita expositis considerandũ est de reliquis partibus orbis, an illæ quoque sint conseruandæ, vt plantæ, gemmæ, metalla, animalia bruta, & id genus alia. Scholastici putant, homine, qui præcipua est pars orbis terrarum, renouato, etiam creaturas esse restituendas. Quæ sententia verissima est: colligit enim ex dictis Pauli. Quod autem ad partes attinet, tantùm cœlum, & elementa, & hominum corpora putant esse relinquenda. Verùm ratio, quã adducunt, meo iudicio infirma est. Affirmant enim, ea tantùm habitura immortalitatem, quæ ad eam aliquo modo fuerunt facta: quale est corpus cœleste: quod omnino simplex est, neque à qualitatibus pugnantibus immutatur. Elementa etiam, quæ quamuis, quod ad partes attinet, generentur, & corrumpantur, tamen, quod attinet ad totum, semper manent. Ita dicunt etiam de homine: qui quamuis corpus habeat caducum, animum tamen habet immortalem: Imò corpus ipsum ita factum erat ab initio, vt posset non mori. Quare non erit absurdum, si illi quoque immortalitas communicetur. Verùm hæc ratio duplici nomine infirma est. Primùm, quia nulla subnixa authoritate verbi Dei, à multis partibus orbis remouet instaurationem: Deinde, quia id, quod assumit, æquè dubium est, atque id, quod concluditur: videlicet, ea tantùm esse immortalitate reparanda, quæ ex institutione ad eam videantur idonea. Nam cùm ista immortalitas liberale, ac merum sit donum Dei, non potest pendere à modo, & vi aliqua naturæ. Vis enim illa Dei, qua & cœli, & elementa restituentur ad immortalitatem, conseruare potest etiam reliquas orbis partes. Vtq; elementa tot manent, quamuis partes illorum generentur, & corrumpantur: ita species brutorum, & plantarum perpetuò durant, quamuis eorum individua sufficiantur, & pereant. Si quæras, quam ista habitura sint vtilitatem si perstiterint? Respondeo, eandem, quam tu attribuere poteris elementis. Quemadmodum enim tum nihil elementis indigebimus, ita ne brutis quidem, aut plantis, aut alijs partibus orbis. Visa mihi fuisset potior ratio, si dixissent, ideo se putare, alia non duratura, quòd scriptura conseruationis eorum non meminerit: Quanquam ne hanc quidem rationem video fore necessariam. Quamuis enim scriptura harum creaturarum mentionem seorsim, & expressè non fecerit, satis tamen est, quòd in genere creaturas instauradas significauerit, neque vnquam quicquam exceperit. Deinde, si rationibus contendendum sit, vti dicunt, Solem ideò esse illustrandum magna lucis copia, quòd eum par sit suorum laborum quodammodo mercedem accipere: ita poterunt reliquæ etiam creaturæ dicere, Se non minori labore, ac fide hominibus inseruiuisse, quàm Solem. His adde, Non minorem esse reliquis creaturis propensionem, & naturalem appetentiam ad se ipsas conseruandas, quàm Soli, Lunæ, cœlo, terræ: quare si illa suo desiderio frustranda non sunt, ne hæc quidem frustrari oportere. Hæc possent vtrinque dici probabiliter. Et Paulus ad Ephesios, & ad Colossenses ait, Omnia instauranda esse per Christum, siue quæ in cœlo sint, siue quæ in terris. Sed ne hoc quidem facit argumentum necessarium. Vniuersalia enim ita pronuntiata in sacris literis semper recipiunt exceptionẽ,

Quare magis dicatur nunc satan ligatus quàm ante Christi mortẽ.

Vaticinia Prophetarum de regno Christi sunt metaphorica.

Ipsi Prophetæ se metaphoricè agere ostenderunt.

Renouatiõis mũdi conditiones.

Non omnis lux calefacit.

Ratio Scholasticorum.

Immortalitas est merum Dei donum, nec à natura pendet.

Rationes probabiles hinc inde.

Vniuersaliter p nũtiata in sacris literis exceptionem recipiunt.

aut contractionem. Omnes, inquit, Christus, quotquot ante me venerunt, fuerunt fures, & latrones. Omnia mihi licent: sed non omnia expediunt. Potest hîc intelligi synecdoche, ut in illo toto partes aliquę accipiantur comprehensæ. Cumq; Paulus dicit, Creaturam liberandam esse à seruitute corruptionis, posset generaliter intelligi de mundo, quòd ille non amplius cogendus sit renouare creaturas per nouam generationem: non tamen ex eo sequitur, omnes creaturas, quod ad singulas species attinet, esse conseruandas. Pij igitur animi esse censeo, neutram partem pertinaciter affirmare. Nihil enim habemus alterutram in partem satis certò definitum. Hoc tamen ausim dicere, ex illis creaturis, quæ interierint, tantùm homines esse excitandos à mortuis. De alijs verò creaturis post diem iudicij conseruandis à cœlo, & terra, quorum scriptura meminit, nihil dicendum arbitror. Cùm enim scripturis destituamur, nihil est nobis nimis curiosè inuestigandum. Satis est, si hoc intelligamus, nostra causa inductam fuisse rerum corruptionem: & vicissim, vbi nos fuerimus reparati, omnia, quæ erunt mansura, fore, quàm antè fuerint, meliora. Ita verò nerui cognitionis nostræ intendendi sunt, vt ne ea nos prætereant, quæ sint ad salutem necessaria: cuiusmodi sunt dogmata de Deo, de iustificatione, de cultu, de bonis operibus, de vsu sacramẽtorum: qui nunquam erit sincerus, & purus, nisi natura eorũ fuerit bene percepta, & cognita. Nam si plus illis, aut minus, quàm oporteat, tribuamus, perpetuò errabimus. Scripturæ versantur in his maximè capitibus, vt homo Dei sit perfectus, & ad omne opus bonum instructus. Ea verò, quæ scripturæ non attingunt, existimemus, nõ esse ad salutem nostram necessaria. Spiritus enim sanctus adeo bonus est, vt, si necessaria essent, ea in scripturis omnino fuerit traditurus.

Neutra pars huius quæsiti pertinaciter affirmanda.

Videndum ne nos prætereant quæ sunt ad salutem necessaria.

Vsus sacramentorum non potest esse purus vbi eorum natura ignoratur.

Circa quæ uersentur scripturæ capita.

Quæ prætereuntur à scripturis sanctis non sunt ad salutem necessaria.

Siquidem spe seruati sumus. Spes autem, quæ uidetur, non est spes. Quod enim quis uidet, quomodo id etiam speret? Si autem, quod non uidemus, speramus, per patientiam expectamus. Dixerat Paulus antea, nos expectare adoptionem, & redemptionem corporis nostri: neque tantùm illam expectare, sed etiam ad illam gemitibus inenarrabilibus suspirare. Quod ne videatur parùm cõditioni filiorum Dei conuenire, qui pacem, & reconciliationem cum Deo partam iam habeant per Christũ, nunc opportunè subiecit, Salutem illam à nobis non re ipsa, sed spe tantùm obtineri. Quod tamen non ita intelligendum est, quasi nũc nullam eius partem habeamus: sed quod absolutio, & complementum eorum, quæ habemus, adhuc à nobis expectetur. Hinc videmus, quemadmodum spes, & fides, sint distinguendæ, quod ad ea bona attinet, ad quæ ab eis dirigimur. Fides enim iam apprehendit remissionem peccatorum, & iustitiæ imputationem per Christum. Spes verò adhuc expectat restitutionẽ integrã, plenamq; ab omnibus malis liberationem. Hęc nunc spe tenemus. Cui spei nõ aduersantur gemitus, & suspiria, imò cum ea maximè conueniunt. Spes enim duo præ se gerit: videlicet rei, quæ desideratur, absentiam, & certam illius expectationem. Quare quod differatur, & absit bonum optatum, angimur animo, nec possumus non dolere. Cùm autem certa sit expectatio, Deum promissa esse facturum, exhilaramur, & gaudemus: Ideo scripturæ passim lætitias, & gaudia sanctorum prædicant. Rei expectatæ absentiam Paulus ostendit ex natura spei. Ait enim, spes, quæ videtur, non est spes. Quæ verba per metonymiam exponenda sunt. Spes enim pro re speranda ponitur. Nihil autem aliud Paulus vult, quàm spem non esse de his quæ videntur. Videra dicit, quæ sunt præsentia: quibus & frui possumus, & oblectari. *Quod uidetur*, inquit, *non est spes*: Pro eo, quod spes est eius rei, quæ non videtur. Neque aliam rationem affert, quàm communem omnium sensum. Quod enim quis habet, inquit, quid speret? Postea explicat expectationem, quam dicebamus in spe contineri.

Quomodo fides & spes distinguantur.

Duo in spe clauduntur.

Dolor & gaudiũ spem comitantur

Spes accipitur pro re quæ speratur.

Si uerò, quod non uidemus, speramus, id per patientiam expectamus. His verbis Paulus declarat ad spem pertinere, vt forti, & æquo animo Dei promissa expectemus, licet ea absint, & diu differantur. Ideo verò requitur spes, quoniam bonum, quod expetitur, difficile est, & arduum, ne animos despondeamus. Erigit spes animum, ne aut aduersis rebus, aut dilationi cedat. Oportet etiam, vt quod speramus, non ita sit arduum, aut difficile, vt id nullo modo obtineri posse arbitremur: alioqui à sperando desisteremus. Nemo enim sapiens captat impossibilia. Proinde cùm æternam fœlicitatem nobis promissam contemplamur, duo hęc statim nobis occurrunt: illam à nostris viribus infinito interuallo distare, posse tamen à credentibus obtineri. Facultas autem eam assequendi neque à meritis, neque ab operibus nostris pendet, sed tantùm à misericordia Dei, & merito Christi. Hinc spei nostræ certitudo petenda est: quæ nulla prorsus esse posset, si aut meritis, aut operibus nostris fœlicitas æterna paranda esset. Hac certa expectatione in difficilibus casibus, & tentationibus animi nostri confirmantur. Militibus enim proponitur victoria: quæ cum res pulchra sit, & animis illorum vehemen

Quod speratur bonum, est arduũ ac difficile.

Spes non est de impossibili.

Spei certitudo nulla esset, si felicitas à meritis penderet.

hementer placeat, duas res in ea spectare solent: Primùm eam difficilem esse, & magnis laboribus, & periculis comparandam: deinde autẽ eam nõ tantùm possibilem sibi, sed etiam certam fore: atque ita pleni bona spe fortiter pugnant, & victoria potiuntur. Ex his propriétatibus, quas Paulus hoc loco attribuit spei, possumus eius definitionem elicere. Est ergo spes facultas nobis afflata à spiritu sancto, qua forti, & æquo animo expectamus, vt salus aliquando perficiatur in nobis, quam modò habemus inchoatam, & fide perceptam. Dari autem spem à spiritu sancto, satis ex eo apparet, quoniam humana ratione parari non potest. Expectamus enim ea bona, quæ nostram naturam longè superant. Eam in nobis patientem expectationem parere, Paulus indicat his verbis:

Definitio spei.

si quod non uidemus, speramus, id per patientiam expectamus. Speratæ verò salutis nos iam nunc partem aliquam percipere, superius expositum est. Paulus enim ait, nos iam adoptatos esse filios Dei, hæredes eius factos, & cohæredes Christi. Et epistola ad Hebræos docet, iam inchoata esse in nobis ea bona, quæ per fidem expectamus. Ibi enim fides describitur ὑπόστασις τῶν ἐλπιζομένων. Neque enim aliam basin spes habet, qua niti possit, nisi fidem ex qua nascitur. Sic enim dispositæ sunt præcipuæ tres virtutes, fides, spes, & charitas, vt altera alteram consequatur. Nam primùm per fidem cognoscimus æternum bonum, quod à Deo promittitur: Isti promissioni fides adhibet firmum assensum: atque inde in animis nostris spes emergit. Quoniam enim credimus, Deum veracem esse, & præstiturum, quod promisit, patienter expectamus, quo ad promissa reddantur, quamuis permulta interim durissima, diuq; ferenda sint. Ex eo autem, quod videmus, tanta nobis bona reddenda esse, magno illorum desiderio incendimur: id quod pertinet ad charitatem. Hîc est ordo productionis harum virtutum, atque ita vna præcedit alteram, & si re vera omnes eodem tempore, ac simul existant. Putare autem non debemus, fidem esse causam efficientem spei, aut ex his duabus nasci charitatem. Spiritus enim Christi vnicus est harum virtutum author: ille eas in animis nostris excitat ea ratione, qua iam diximus. Quomodo verò spei proprium sit, non pudefacere, & quomodo ea certitudinem habeat indiuulsè coniunctam, supra docuimus in quinto capite, cùm illum locum exponeremus, spes autem non pudefacit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris. Videndum autem est, cur Paulus hîc spei addat auxilium spiritus sancti. Id mihi videtur idcirco facere, quoniam fides, & spes complectuntur bonum, quod adhuc procul absit, nec aut sensibus attingi, aut ratione comprehendi possit. Mala verò ea, & calamitates, & praui affectus, quibus vrgemur, semper absunt, & sub aliquem sensum cadunt. Quare ne impetus illorum vim fidei, & spei obruat, adest nobis spiritus sanctus: cùm sancti ingemiscunt, & clamant, & periculum est, ne natura spem, fidemq; vincat, ille presto est, & animos eorum reficit, tantumq; adfert consolationis, quantum erat pondus afflictionis, vt Paulus ait cap. 1. posterioris ad Corinthios: Sicut abundant, inquiens, afflictiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra. Infirmitates eas nostras, quibus spiritus opitulatur, Paulus intelligit imbecillitatem virium naturalium, quæ per se ipsas non sunt pares molestijs, & aduersis casibus, quibus fideles perpetuò diuexantur. Auxilium autem spiritus nihil aliud est, quàm intimum quoddam, & arcanum robur, quo animi nostri confirmantur, ne succumbant in tentationibus. Augustinus De ciuitate Dei lib. 19. cap. 4. pulchrè ostendit quomodo Christiana spes ferat in ea bona, quæ videri non possint. Nam, si roges, inquit, hominem fidelem, quem constituat bonorum suorum, aut malorum finem, respondebit, vitam, & mortem æternam. Ea videri non possunt, nec ab humana ratione percipi: & propterea sapientes ethnicorum elati superbia, noluerunt spem suã in illis collocare. Itaq; fines bonorũ statuerunt esse alij animi, alij corporis bona, alij aut virtutem, aut voluptatem, aut vtraq; cõiuncta. Cæterum Deus irrisit eos: & vidit, quàm vanę essent illorũ cogitationes. Voluerũt enim ea potius habere pro summis bonis, quæ multis miserijs, & calamitatib. sunt permixta, quàm ea recipere, quę à verbo Dei sincera, solida, et firmissima offerũtur. Quis enim possit dicere pro dignitate, quàm miseris, & horrẽdis infortunijs corpus nostrũ sit expositum? Aegrotat, vulneratur, dissoluitur, fit incuruũ, laceratur, mutilatur: efficiuntur homines sæpe cæci, sępe surdi: quodq; ad mentẽ attinet, sępe insani, sępe phrenetici: neq; veritatẽ assequũtur, qui eius maximè sunt studiosi, quæ errores infinitos admixtos nõ habeat. Quomodo iactare potuerunt ethnici virtutes vt summa bona, cùm eas habeamus testes nostrarũ calamitatũ? Quid sibi vult tẽperantia, quę propterea datur, vt frenent ebrietates, comessationes, libidines, & animorũ turpes ac fœdi motus? Ista enim declarãt, eam nõ habere locũ, nisi in animis eiusmodi corruptioni adhuc obnoxijs: quę corruptio, quãtò est interior, tantò nos facit miseriores: &, vt hostis domesticus,

Fidem consequũtur spes & charitas.

Ordo productionis trium uirtutũ. Simul eodemq; tempore sunt hæ tres uirtutes.

Vna earum non producit alterã ut causa, sed spiritus sanctus est earum author.

Quid sit auxilium spiritus.

Finis bonorum et malorum apud Christianos.

Ethnicorũ fines

Mala quibus in hac uita exponuntur dici non possunt.

Virtutes morales sunt testes nostrarum calamitatũ.

in cordium noſtrorum penetralibus graſſatur. Iſti affectus, inquit Auguſtinus, ſunt uitia: quia, ut Paulus ait, nos impediunt, ne ea faciamus, quæ uelimus. Ad hæc quod munus eſt prudentiæ? niſi ut prouideat, ne fallamur per errorem in deligendis bonis, & euitandis malis? Certè niſi erroribus, & tenebris inuolueremur, hoc remedio non eſſet opus: cùm autem adhibetur, declarat, homines adhuc non eſſe felices, ſed magnis, & grauibus erroribus implicari, niſi prudentia utcunq; ſuccurrat. Iuſtitia quoq;, qua unicuiq; redditur, quod ſuum eſt, non alia de cauſa eſt neceſſaria, niſi ut latrocinia, rapinæ, uiolentiæ coerceantur. Neq; uerò ea tantùm poteſt inter homines obtinere, quin homines pij, & probi multa ſæpè fædè, atq; iniuſtè patiantur. Iam quid dicemus de fortitudine? Illa uerò armat homines, ut dolores, pericula, cruciatus, mortem deniq; ipſam, ſi neceſſe ſit, toleranter ferant. Inter hæc tanta mala auſi ſunt iſti ſapientes ſummum bonum conſtituere: quæ tamen mala dixerunt ita interdum poſſe augeri, ut uita ſit abrumpenda. O uitam beatam, exclamat Auguſtinus, quæ ut finiatur, mortis quærat auxilium. Nam ſi beata eſt, Cur illam abrumpunt, & fugiunt? Sin eſt miſera, Cur in ea collocant ſummum bonum? Sic illi à Deo irriſi ſunt: quia ſpem, quę nec uidetur, nec humana ratione percipitur, contempſerunt. Et quia, cùm eam audirent prædicari in uerbo Dei, ludibrio habuerunt, ideò Deus illos cœleſti ſua doctrina ut ſtultos & ridiculos condemnauit. Ratio Pauli, ut ad eam redeamus, eſt huiuſmodi: ſpes eſt rerũ abſentium, & earum, quæ non uidentur: ſpe autem ſeruati ſumus: Ergo ſalus noſtra adhuc non uidetur, nec humana ratione percipitur; imò uerò potius omnia nobis occurrunt ſaluti noſtrę contraria, & cum ea planè ex diametro pugnantia. Laboramus enim prauis affectibus: oppugnamur tentationibus: exercemur doloribus, & cruciatibus: ut ſi conſulenda ſit naturalis opinio, infelices multò potius, quàm beati ſimus exiſtimandi: Tamen ſi uolumus auſcultare præceptis Dei, in mediis iſtis malis fortiter ſperandum eſt. Nemini enim poteſt eſſe liberum, utrum ſperet, nec ne: præceptũ enim de ſpe omnes in uniuerſum tenet. Quemadmodum enim iubemur Deum colere, tanquam veracem, & conſtantem in promiſsis, ita etiam iubemur in eum ſperare. Dauid enim ait: Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ, & ſperate in Domino. Et Oſeas ait: Spera in Deum omni tempore. Et petrus: Sperate in eam gratiam, quæ offertur. Neúe quiſpiam excuſet, obſtare ſibi uitam malè actam, & peccata, ne poſsit ſperare: præceptum enim Dei non habet adiectam hanc conditionem. Et quamuis haberet, tamen accipienda eſſet ut conditio legalis, quæ nos nunc ſub Euangelio conſtitutos non tenet: potius reſpiciendum eſt ad Euangelicam promiſsionem, quæ oſtendit nos donandos eſſe felicitate propter Chriſtum, idq; gratis. Apoſtolus enim cùm dixiſſet: Stipendium peccati mors, ſtatim adiecit: Gratia verò vita æterna. Talem promiſsionem apprehendit fides, & ſic eam expectandam tradit ſpei. Quare non debet illa addere conditiones, cùm eas à fide nullas acceperit, quicquid hac de re ſcribat Magiſt. Sententiarum. Scio enim, eum libro 3. docere, ſpem noſtram niti non tantùm miſericordia Dei, ſed etiam meritis noſtris. Itaq; ait, ſine meritis ſperare, non ſpem eſſe, ſed præſumptionem. Hæc ſententia recipienda non eſt. Addit enim ſpei conditionem: cùm fides id, quod ſperandum eſt ex verbo Dei, ſine vlla vnditione apprehendat. Adhæc cùm aut latro, aut alius quiſpiam ſceleratus repentè conuertitur ad Deum, non ne habet ſpem? Cetè habet: Nam ſi de ſalute deſperaret, ad Chriſtum non confugeret. Talem autem ſpem quis dicat niti vllis meritis, cùm ille ſemper anteà ſceleratè vixerit? Verùm vt ſuperius etiam diximus, iſti hîc ſe pulchrum ſuffugium habere putant, ſi reſpondeant ſpem iſtam hominis recens conuerſi pendere à meritis, non quidem preteritis, ſed futuris: quòd ſperet, ſe præmia felicitatis conſecuturum, cùm opera fecerit, quæ ſe facturum eſſe confidit. Atqui hîc bis peccant: primùm, quia ſi conuerſus ad Chriſtum ſperet, ſe per merita vitam æternam habiturum, non verè ſperat: veræ enim fidei contradicit: Ea enim ſummam felicitatem gratis oblatam apprehendit. Deinde imprudentes ſtatuunt, id quod nondum ſit, cauſam eſſe uirtutis, quam actu & re ipſa fatentur eſſe in animo pœnitentis. Et ſi intelligant, eum ſperare felicitatem, cùm bene vixerit, ita tamen, vt non confidat, ſe peccando poſſe ad eam peruenire, nihil dicunt à noſtra ſententia alienum. Sed ita opera non ſunt cauſa ſpei: uerùm inter illam, & vltimum finem cadunt, vt media quædam, & primæ felicitatis inchoationes: vt homines, cùm ſperent, æternam beatitudinem ſibi gratis eſſe concedendam, ſperent, Deum ſibi bona etiam opera, ſi vixerint, gratis eſſe conceſſurum. Nam ſcriptura ſancta longè aliter, quàm iſti, docet. Dauid enim, cùm dixiſſet: Si iniquitates obſeruaueris Domine, quis ſuſtinebit? Et cum videret, peccata, quibus opera noſtra contaminantur, nos à ſpe reuocare, ſubiecit: ſperauit anima mea in verbo eius. Per verbum autem promiſsionem intelligit: cuius promiſsionis cauſam ſubiecit:

Quoniam

Putarunt aliqui uitam abrumpẽdam ob nimiũ ea lamitatũ pondus.

Quæ occurrunt in hac uita pugnare uidentur cũ ſalute noſtra.

Præceptum de ſpe, non eſt res adiaphora.

Spei non debent obſtare peccata.

Confutatur Magiſter Sententia.

Qui confidit meritis fidei contradicit.

Opera non ſunt cauſa ſpei.

Quoniam apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum est redemptio. Istæ sunt veræ ac germanæ causæ spei nostræ: promissio Dei, & eius copiosa misericordia. Idem alibi canit: Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo: quoniam adhuc confitebor illi. Hîc quidam obijciunt, Nos sola fide non iustificari: Paulum enim dicere, nos spe seruatos esse. Verùm illos cogitare oportuit, Apostolum hoc loco non agere de Iustificatione. Superius enim de illa scripserat, cùm diceret, nos fide, ac spiritu à Lege peccati, & mortis esse liberatos, adoptatos in filios, & hæredes, & factos cohæredes Christi. Hîc verò loquitur de perfecta redemptione, quæ adhuc expectanda est. Illam nos quoque fatemur spe teneri, cùm tamen iam per fidem assequuti simus iustificationem, & remissionem peccatorum. Adhæc sæpè monui, cùm scriptura tribuere videtur iustificationem aut spei, aut charitati, aut operibus nostris, ea loca ita intelligenda esse, vt ratio iustificationis doceatur non per causas, sed per effecta. Et intelligere debemus, quicquid operibus tribuitur, id omne propter fidem adiunctam fieri. Quare vt in muro fundamentum spectamus, & in arborum fructibus radicem, ita quicquid prima fronte operibus videtur ascribi, assignandum est fidei, vt omnium operum bonorum matri. Id quod Aug. non vno in loco pulcherrimè docuit. Alij vt probent spem pendere à nostris operibus, citare solent id, quod suprà à Paulo dictum est: Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio verò spem. Hîc, inquiunt, perspicuum est, ex patientia oriri spem. Audio equidem verba Pauli, sed ex illis non agnosco, patientiam esse causam spei: Nam primùm quidem satis intuenti apparet, Paulum in ista connexione non comparare causas cum effectis. Quis enim dixerit, tribulationem causam esse patientiæ? Ea enim multos adducit ad desperationem, & ad nefarias blasphemias. Ea autem, quæ Paulus in hac catena colligauit, instrumenta sunt, quibus spiritus sanctus vtitur ad istas virtutes in nobis excitandas. Sed fac, esse aliquam inter ista causæ rationem: adhuc tamen non sequeretur, patientiam esse causam spei. Contrà enim spes potius est causa patientiæ. Nemo enim æquo animo tolerat aliquid, nisi ex ea patientia speret aliquid. Certè Martyres spe confirmantur in cruciatibus, vt eos patienter perferant. Et mercator, nisi quæstum speraret, domi se contineret, nec per orbem terrarum vagaretur. Et nauclerus, nisi speraret, se posse appellere in portum, non solueret in altum, nec cum ventis, & fluctibus luctaretur. Fateor equidem, spem non nihil augeri patientia. Cùm enim videmus, nobis à Christo datum esse, vt eius causa æquo animo multa patiamur, magis, magisque confidimus, ea quoque, quæ supersunt, quæque expectamus, nobis aliquando esse danda. Vniuersam autem spem pendere à patientia, non adducor, vt credam. Nam, vt antè dictum est, per spem potius peruenitur ad patientiam. Re autem vera spiritus sanctus author, & causa est harum virtutum: Is verò agit ordine, vt vnam producat ex alia. Contra certitudinem eam, quam diximus, ex Dei promissione pendere, sophisticatur Pighius: promissiones generales esse, neque in eis aut mei, aut tui mentionem fieri. Itaque adhuc superesse dubitationem, cùm ad applicationem sit descendendum. Iste mihi videtur Dei promissiones facere in aere pendulas, cùm eas ita vult esse generales, vt nemo priuatim de se ipso certus esse possit. Certè qui Deum inuocat, eumque appellat Deum suum, generalem illum Deum sibi ipsi seorsim applicat. Nathan dixit Dauidi: Dominus transtulit peccatũ tuum: quod cuique petẽti similiter dicitur. Euangeliũ in eum finem prædicatur omni creaturæ, vt quisque singulariter eam promissionẽ amplectatur, & habeat remissionem peccatorum. Minister ait, Baptizo te in nomine patris, & filij, & spiritus sancti: idque intelligitur in remissionem peccatorum: Et quisque sibi ipsi priuatim accipit Eucharistiã. Atqui ista sunt sigilla, & obsignationes quędam promissionum diuinarum: obsignare autẽ nihil possunt, nisi promissiones iam esse huic, aut illi applicatas. Sed consulamus scripturas. Credidit Abrahã Deo: & reputatũ est illi ad iustitiam: & accepit circuncisionem signaculũ iustitię fidei. An obsignabat Circũcisio promissionẽ generalem? Non sanè: sed potius singularem, & iam collatam Abrahamo. Quare desinant isti fucum facere: & fateantur, spem habere eam certitudinem de salute, quam accepit à fide ob constantiam promissorum. Vt autem intelligas, spem aduersari dubitationi, reputa tecum, quem in finem ea sit à Deo hominibus concessa. Certè finis non est alius, quàm vt haberent, quo contra dubitationem luctarentur. Cùm enim de salute nostra dubitamus, nulla habemus arma alia, quibus hæsitationem illam superemus, nisi spem solam, quæ à viua fide oriatur. Itaque cùm ea semper pugnet cum dubitatione, nihil est, quod eam illi quisquam ascribat, vt perpetuam comitem. Spectemus naturam aliorum mandatorum Dei: & adhuc id, quod asserimus, magis etiam erit perspicuum. Iusit Deus, vt se vnum coleremus: quia videbat nos ad idolo-

Causæ spei nostræ.

Spe seruamur sed non ea iustificamur.

Ratio iustificationis, quandoque per causas quandoque per effecta ostenditur.

Patientia è spe oritur.

Spes nonnihil augetur patientia.

Quisque fidelis nouit propriè ac singillatim promissiones sibi applicatas.

Spes aduersatur dubitationi.

Quo fine spes data sit hominibus.

Cur Deus mandata dederit.

latriam, & superstitionem vehementer nostra sponte inclinare: idcirco nos aduersus hoc malum suæ legis verbo pugnare voluit. Iussit etiam, ne furaremur, ne occideremus, ne adultería committeremus: quòd nos videret ex vi corruptæ naturę ad hæc mala propensos esse. Ita etiam Deus iussit nos sperare: quòd videret nostrum infidele cor perpetua hæsitatione laborare. Vtq; in credendo non oportet respicere ea, quæ Dei promissis videntur reclamare (id enim Abrahamus optimè præstitit, cùm non consideraret corpus suum effœtũ, nec vxorem anum, & sterilem, sed dedit gloriam Deo) ita in sperando opera nostra spectare non debemus: ea enim propter suam deformitatem, & turpitudinem nos à sperando potius deterrerent. In vna promissione, & misericordia Dei oculi figendi sunt. Neque verò, vt multi criminantur, cùm hanc spei certitudinem inculcamus, fenestram aperimus ad laxè viuendum. Alia enim longè est securitas carnis, alia fidei, & spei laudata certitudo. Neque enim ea, vt aduersarij putant, timorem Dei depellit ex animis piorum. Suprà fusè docuimus, certitudinem salutis, & sanctum Dei timorem in cordibus fidelium probè consentire.

Cur iusserit Deus ut speremus.

Sperãdo nõ oportet opera nostra spectare.

Securitas carnis & fidei differũt.

Similiter autem, & spiritus auxiliatur infirmitatibus nostris: siquidem, quid oraturi simus, ut oportet, nescimus. Verùm ipse spiritus intercedit pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Præter fulcrum illud spei, quo patientia nostra sustentatur, Paulus ait, additum etiam esse auxilium spiritus sancti. Hoc illud est, quod Christus cùm discederet ex hoc mundo, pollicitus est Apostolis: Non relinquam vos orphanos, sed alium paracletum mittam vobis. Si componatur potentia spiritus sancti cum imbecillitate nostrarum virium, nostra infirmitas magno interuallo superabitur. Ideo Paulus vtitur hac collatione, vt ex eo nobis alacritas fiduciaq; crescat. Magnam hîc plagam accipiũt Pelagiani. Tantum enim abest, vt naturæ nostræ viribus nobis præsidio esse possimus, vt ne agnoscere quidem possimus per nos ipsos absque ope spiritus sancti, quæ nobis futura sint vtilia, quæue noxia. Quo autem pacto, quid petere oporteat nesciamus, & spiritus pro nobis postulet ineffabili gemitu, quoniam est intellectu valdè obscurum, primùm censeo referendas expositiones Patrum: deinde, quid in eis optimum videatur, ostendendum. Chrysostomus, cùm essent eo tempore graues in Christianos persequutiones, putat eos precibus vehementer orasse Deum, vt à tantis malis aliquando eximerentur: quod cùm nõ fieret, eos magnam animo cepisse tristitiam. Itaq; Paulum eos hac ratione consolari, quòd ipsi, quid orare, quidue petere oporteat, nesciamus. Idcirco Deus, qui id totum probè intelligit, nõ dat ea nobis sæpè quæ petimus, sed quæ ipse nobis scit fore vtilia. Ne autem videatur, eorum animos deijcere, ad quos scribit, quasi eos ad res spirituales rudes & ineptos iudicet, se ipsum quoque numerat cum illis, qui hac ignoratione laborabant. neque id falsò, aut consolandi tantùm causa facit. Ipse enim re vera sæpè orauit, vt liceret ire Romam, & tamen eũ Deus non exaudiuit. Orauit etiam, vt à se stimulus carnis tolleretur: hoc est, vt tribulationes reprimerẽtur, quemadmodum hoc loco Chrysostomus interpretatur. Et responsum accepit à Domino, satis illi esse debere gratiam suam. Orauit Moses, vt in terram promissam liceret ingredi: Orauit Hieremias populo salutem: Orauit Abrahamus veniam Sodomitis: Orauit Samuel absolutionem Saulis: Orauerunt duo Apostoli, vt sederent alter ad dextram, alter ad sinistram Christi in regno Dei. Sed isti vota sua non potuerunt impetrare: quid enim peterent, ignorabant. Et ad hanc rem explicandam, mirificè ait pertinere, ne nesciamus morem primitiuæ Ecclesiæ. Viguit enim ab initio in hominibus Christianis incredibilis vis spiritus: Alij enim pollebant sermone sapientiæ, alij sermone scientiæ, alij dono linguarum, alij sanationis. Quæ dona Paulus in priori ad Corinth. & alijs multis in locis recenset. Erat autẽ inter illa donum quoque rectè precandi, quo quidam reddebantur certi de rebus petendis à Deo, vt prorsus haberent exploratum, quid ad salutem esset conducturum. Ex his aliquis, cùm Ecclesia collecta esset, prodibat in medium, & omnium nomine orabat ea, quæ essent vtilia, non quidem vulgari, aut frigida ratione, sed vehemẽter compunctus, & multis cum lachrymis. Huius rei hodie vestigiũ aliquod supereſt: Nam cùm preces publicè habendę sunt in Ecclesia, Diaconus alta voce hortatur populum, vt orent, modò pro Ecclesia, modò pro hac, modò pro illa necessitate. Itaq; Paulus hîc nõ accipit spiritũ sanctum pro tertia persona in Trinitate, sed pro illo dono, quo fidelis aliquis afflabatur ad precandũ, vel pro animo homínis pij sic incitato à spiritu Dei. Quare Chrysostomus putat, spiritum hoc loco significare spiritualem hominem. Neque arbitratur illum sic orasse, quasi Deus docendus esset, sed tantùm, vt qui adessent, scirent quid petere oporteret. Quæ hucusque Chrysostomus annotauit, non sunt dissimilia veri. Sed hîc duo occurrunt scrupuli: prior, quòd Paulus inter dona spiritus, quę multis in locis commemorat, hoc genus doni non recenset. Sed hoc facilè diluitur. Nam donum precum in ea facultate comprehendi potest, quam Paulus appellat ἀντί λυτρ.

Spiritus sanctus est potentior nostra infirmitate. Contra Pelagianos.

Quomodo ignoremus quid oporteat nos petere.

Paulus nos semper auditus est in suis precibus. Exempla aliorũ sanctorũ q orarũt nec sũt auditi

Mos ecclesiæ primitiuæ.

Donũ rectè precandi.

Vestigium antiquitatis adhuc in ecclesia qualecunq; extat.

Spiritus sanctus hîc pro dono accipitur.

Donum precum Paulus an recenseat.

λυγλυ. Opitulamur enim fratribus non solùm eleemosynis, aduocatione, tutela, consilio: verùm etiam assiduis, & efficacibus precibus. Neq; puto, Paulum omnes facultates sancti spiritus expressisse: Spiritum enim timoris, & fortitudinis, quorũ Esaias meminit, pretermisit. Satis illi fuit aliqua numerare, ex quibus aliorum forma intelligeretur. Quanquã in Zacharia mentio etiam est spiritus precum. Ita enim scribit ca. 12. Effundam super domũ Dauid, & super habitatorem Hierusalem spiritũ gratię, & precum: quem tamen locũ Chaldeus interpres vertit miserationem. Nam Hebraicè est תחנונים Chaldaicè verò רחמין. Alter scrupulus est, quòd hæc expositio Chrysostomi nimium videtur contrahere auxilium spiritus sancti, ad illos, videlicet, solos, qui hoc peculiare donum habuissent: quasi ea, quæ hîc dicuntur, tantùm de publicis precibus intelligenda sint: cùm sermo Pauli videatur potius in vniuersum pertinere ad omnes. Nõ enim possunt fideles in omni loco leuare manus puras sine auxilio diuini spiritus. Ambrosius exponit ista generalius. Sed mirum est, quomodo ita legat: spiritus est, qui adiuuat infirmitatem nostrarum precum: nec solùm ita legat, sed etiam ita interpretetur. Nostris autem orationibus ait per spiritum adhiberi duplicem correctionem: vnã, si fortè petamus noxia: alteram, si recta quidem & commoda petamus, verùm ante tempus. Accedit, inquit, spiritus, & se super infundit precibus nostris, vt imperitiã, & improuidentiã nostram operiat, & suo motu ea petat, quę prosint. Augustin. in epist. 121. ad Probam De oran do Deo locum hunc fusè tractat: quæritq; num putemus, istos ita imperitos fuisse Christianę religionis, vt orationẽ Dominicam ignorarẽt? Non certè. Quomodo ergo ignorabant, quid peterent, cùm in ea omnia cõtineantur, quę vtilia sint & expetenda? Respondet, istos fuisse in magnis persequutionib. & verisimile esse, eos sępè orasse, vt liberarentur: quod illis interdum vtile esse potuisset, interdum noxium. Itaq; hîc haberi sermonem, non de quibusuis rebus, sed tantùm de indifferentibus: quę si non impetremus, nihil tamen esse causæ, cur quisquam animum despondeat: fortasse enim nocitura sunt, quę nos profutura credimus: & si impetramus, tamen animum non debemus insolenter attollere. Hæc enim, etsi dentur, tamen non semper faciunt ad salutem. Ea, quę in oratione Dominica continentur necessaria, non possunt malè optari. Ista autem non rarò à Deo irato cõceduntur, vt carnes Israelitis in deserto tanta cum indignatione concessę sunt, vt magna illorũ turba perierit. Ita illis petentibus datus est Rex, nõ tamen ex beneuolentia, sed in furore Domini. Diabolo petenti datus est Iob vexandus. Christus etiam permisit dęmonibus, vt irent in gregẽ porcorum. Paulo tamen petenti stimulus carnis auferri non potuit. Imò ne Christus quidem impetrare potuit, vt calix, qui iam imminebat, à se transiret. Nemo tamen audebit dicere, aut diabolũ, aut impios Israelitas acceptiores fuisse apud Deũ, quàm Christũ, aut Paulum. Quid autẽ sit, spiritũ orare pro nobis gemitibus ineffabilibus, Augustin. in ea, quam dixi, epistola exponit: Ait enim, nos hac in re laborare docta quadam ignorãtia. Nescimus enim, quid nobis futurũ sit vtile. Sed ex altera parte se insinuat spiritus, curatq; vt bona suspiremus. Dicũturq; gemitus ineffabiles, quia non ipsi effamur, aut eloquimur, quod petimus: sed spiritus est, qui ad ea petenda nos instigat. Neq; spiritus sanctus, hoc est, diuina persona sese deijcit, quasi minor sit patre, & oret: nos tantùm orare facit. Ita Deus dicitur tẽtare Hebręos, vt sciat: hoc est, vt aut ipsos, aut alios scire faciat. Hac de re Aug. in sermone contra Maximinũ Arrianũ prolixè loquitur. Dictum est Abrahamo, Nunc cognoui, quòd timeas Dominũ: Id nõ est aliud quàm ostendi, palàm feci, & declaraui, te timere Dominũ. Et Paulus ad Galatas: Nunc autem cùm cognoueritis Deũ, & addit correctionẽ, vel potius cogniti sitis à Deo, hoc est, edocti, & illustrati, vt cognoscatis. Hęc omnia loca ostendũt, ea quę fiunt ab hominibus pijs cœlesti affla tũ, Deo, & spiritui sancto tribui. Sed apertissimi duo loci, alter ad Galatas, alter ad Roman. si inter se coniungantur, id quod dicimus, dilucidè patefaciunt. Nam ad Romanos Paulus scribit: non accepimus spiritũ seruitutis iterum ad timorem, sed spiritum adoptionis filiorũ, quo clamamus, Abba pater. Hęc verba perspicuè docẽt, nos esse eos, qui clamemus. Ad Galatas verò: Emisit Deus spiritũ filij sui in corda nostra clamantẽ, Abba pater. Hîc spiritus dicitur clamare: non alia sanè ratione, nisi quia nos clamare facit. Nec bene affirmabant Arriani, Paulum dicere, spiritũ sanctum intercedere apud filium. Ex eo enim illi impiè inferre volebant, vt sicut statuebant, filiũ esse minorem patre, ita spiritum sanctum minorem esse filio. Hęc sunt Hęreticorũ somnia. Filius orat, & intercedit pro nobis: quia patre minor est, quòd attinet ad humanitatẽ. Spiritus intercedit: quia nos orare, et clamare facit. Et diserte ad Galatas dicitur, istũ clamorẽ, Abba pater, esse spiritus sancti. Quare Arriani ex suo capite non ex verbis Pauli finxerunt sibi, spiritũ sanctũ inuocare filiũ: non q̃ spiritus sanctus nõ extimulet nos ad inuocandũ Christum filiũ Dei. Sed hoc tantùm Aug. docet, eos ex verbis Apostoli

Paulus non commemorauit omnia dona spiritus

In oratione Dominica omnia cõtinẽtur utilia & expetenda.

De petitionibus rerum indifferentium agitur.

Quæ habentur in oratione Dominica nõ possũt male optari.

Tertia persona nõ se deijcit quasi sit minor Orat quia nos orare facit.

Spiritus clamat, qa nos clamare facit.

Contra Arrianos

non habere, quòd se tantopere euicisse gloriantur: videlicet, filium minorẽ esse patre, & spíritum sanctum minorẽ filio. Origenes ita interpretatur hęc verba, quasi spiritus sanctus nobis in precibus nostris sit quodammodo pręceptor. Pędagogus demittit se ad captũ puerorum, & præit illis in elementis nominandis, vt illi eum pronuntiando sonũ literarum imitentur: quod alioquí facere per se ipsos nõ possent: ita spiritus sanctus instillat nobis, quasi pueris, quid petere debeamus. Ex his omnibus interpretationibus duo possumus colligere. Primùm, hîc confutari Pelagianos, qui docuerunt, nos ex nostris viribus posse implere legem Dei. Nam si ne scire quidem possumus, quæ sint nobis vtilia, quomodo ea possumus præstare? Cumq; audiamus, spiritũ sanctũ intercedere pro nobis, reijcimus Arrianos: qui ex his verbis conabant ostẽdere, spiritũ sanctum esse creaturã, & minorẽ filio. Semper enim eum, qui oret, oportet minorẽ esse illo, cui supplex accedit. Filius quidẽ potest dici minor patre propter humanitatẽ: spiritus autem sanctus nullã vnquã suscepit creaturam in vna eademq; hypostasi, vt cum ea constitueretur vna persona. quare idcirco dicitur orare, quia nos facit orare. His omnibus aliud quiddã addi potest. Accidit interdũ, vt pij homines, dũ grauiter afflíguntur, tantummodo suspirent, neq;, quod sciant, precentur Deũ. Illis tamen imprudentibus quid agatur, ignaris, spiritus hæc suspiria, & istos gemitus intus & excitat, & moderatur: quæ pater, vt à spiritu sancto mota, & agitata audit, & intelligit, & spiritus votis annuit. Atq; ideo spiritus dicitur scrutari corda, quia animaduertit id, quod ipsi gementes, & suspirantes nõ animaduertunt. Adeo enim tentationũ magnitudine, & carnis imbecillitate interdũ opprimimur, vt orare non possimus: spiritus autem clam incitat, & accẽdit istos gemitus. Atq; iste sunt eius preces. Hoc nos non sentimus, quia non sumus ipsi, qui oramus: tantùm enim agimur diuino impulsu. Quamuis enim caro oppressa sit tribulationibus, tamen spiritus ingitus viget. Erant quandoq; Hieremias, Dauid, Iob occupati in lamẽtis, & querimonijs, vt de Dei iudicijs quodãmodo cõquererentur, quasi ea, aut iusta nõ essent, aut nimiũ essent acerba: nihilominus spiritus in eis non erat extinctus. Itaq; Deus nõ illis carnis gemitus imputabat, sed spiritus propositũ exaudiebat. Gemitus dicuntur ineffabiles, q nõ eloquerentur diserte, quid spiritus petat. Quod attinet ad hunc sensum, verba ordinari debent hoc modo: Ignarí sumus, quod tamẽ scire nos oportebat, quid oremus. Oramus quidẽ: sed quid nam illud sit, quod petimus ignoramus: Deus aũt scrutatur corda. nõ habet ille opus inquisitione. Scruta ri tamẽ dicitur, quoniã, quod homines perfectè, & exploratè scire volunt, diligenter scrutantur: ita Deus, quoniã abditissimas nostras cogitationes intuetur, dicitur scrutari corda. Alioqui ipse, antequã nos incipiamus petere, scit, quid nobis opus sit. *Scimus, quoniã diligentibus Deũ omnia cooperantur in bonũ.* Cùm Apostolus instituisset sermonẽ de aduersis fortiter tolerandis, idẽ voluit longius persequi, ea maximè ratione, q aduersa nostrã salutẽ promoueãt. Cumq; singillatim ostẽderit, nos iuuari spe, intercessiõe spiritus, & suprà docuerit, omnes creaturas ingemiscere nobiscũ, nũc pronũtiat in vniuersum, omnia nobis cooperari in bonũ. Non ait, Deũ curaturum ne vexemur rebus aduersis: sed naturam illarũ docet quodãmodo inuerti: vt quę ipsa per se nihil aliud, quàm exitium nostrum parere possint, nunc è diuerso cõmodũ nobis, & salutem adferant. Id autem illa non vi sua faciunt, sed electione, & prædestinatione Dei. Neq; mirũ, si Deo vim tantã tribuamus: Medicos enim videmus interdũ idem facere. Illi enim venena ex humanis corporib. per venenata pharmaca frequẽter educũt: & cicuta, quãuis ipsa alioquí pręsens venenũ sit, tamẽ ea arte tẽperata tantũ abest, vt lędat, vt venenũ etiã depellat. Ita afflictiones in hominibus pijs, nõ contra ipsos, sed contra reliquias peccati pugnãt. Ex his aũt Apostoli verbis inferre possumus ex cõtrario, Illis, qui aut nõ diligãt, aut oderint Deũ, omnia cedere in exitiũ: quod in Iuda alijsq; factũ scimus. Cùm enim ille exosum haberet Christũ, nullæ bonę occasiones, aut verba viuifica Euãgelij, aut potestas edẽdi miracula quicquã illi prodesse potuerũt. Iudęi quoq; cùm per desertũ circunducerentur, & à Deo pręclaris, et multiplicibus donis ornarentur, tñ sępè facti sunt deteriores. Ambrosius hãc sententiã sic connectit cũ illis, quæ præcesserunt: Tametsi laboremus graui ignoratione, vt vel petamus ea, quæ non sint petenda, vel ea, quæ petenda sint intempestiuè petamus, id tamen non idcirco nobis obest, cùm omnia beneficio spiritus ex misericordia Dei nobis cooperentur in bonũ. Annotandũ autẽ est, verbum, συνεργεῖ, posse accipi numero singulari, et referri ad spiritũ: q spiritus efficiat, & conuertat omnia ad bonũ ijs, qui diligant Deũ. Atq; ita πάντα erit casus accusatiui. Cęterùm sensus receptus planior est: & vsitata loquutio est apud Atticos scriptores, vt nominib. neutris in numero multitudinis verbũ tertię personę singularis numeri adiungat. Aug. De Correp. & Gratia adeo fusè accepit hãc sententiã, vt nõ dubitarit scribere, hominib. sanctis etiã peccata prodesse. Quod equidem etsi ego verũ esse nõ negauerim, tamẽ id nõ facilè dixerim cũ Pauli sentẽtia cõgruere. Nã & ea quæ iã dicta sunt,

Spiritus sanctus nunquã suscepit creaturam in eadem hypostasi.

Suspiria piorum in afflictionibus audiuntur.

Exempla sanctorum.

Gemitus ineffabiles, qui.

Cur Deus scrutari dicatur.

Simile.

Argumentum à contrario.

Exempla.

Electis etiam peccata prosunt.

quæcp̃ postea dicentur, ad calamitates & afflictiones pertinent. Sed idem Augustinus alibi locum hunc diligentius expendens, intelligit sarcinam molestiarum, & tribulationũ, quam ait hoc nomine fieri leuiorem, quoniam amamus Deum. Qui enim aliquẽ diligit ex animo, ita eius causa perfert molestias, vt nihil grauetur. Iacob pro Rahele seruiuit annos quatuordecim: & tam longum spatium prę amore breue admodum videbatur. Atque hoc est, quod Christus ait, Onus suum leue esse, & iugum esse suaue: non quòd ardua, & difficilia non sint, quæ Christiani & faciant, & patiantur: sed quia præ charitate, quam erga Deum gerunt, omnia durissima illis iucunda futura sint. Verùm Paulus hîc agit, non de eo genere boni, quod leue, ac iucundum sit, sed quod pijs conducat ad salutem. Quòd si roges, quomodo pijs aduersa prosint: respondeo, quia per illa Deus suos à blanditijs, & voluptatibus huius mundi, & à se ipsis reuocat. Tales enim sumus vitio naturæ, & natiua corruptela, vt non nisi aliquo nostro malo ad ea, quę verè bona sint, adigi possimus. E diuerso Diabolus per tribulatiões, & aduersa nos, quantũ potest, nititur à Deo abstrahere, idcp̃ in impijs non rarò efficit: in electis autem prouidẽtia Dei malitiam eius vincit. Deinde per has afflictiones, & calamitates peccatum quotidie magis magisc̃p̃ imminuitur, quod à natiuitate nobis perpetuò inhæret. Apostolus ait, hoc vsu venire diligentibus, quòd illi prius à Deo sint dilecti. Ioannes enim testatur, nos minimè præuenire dilectionem Dei. Nam nemo eum potest diligere, nisi prius ab eo fuerit dilectus. Mirum fortasse videri possit, cur Paulus dixerit, Diligentibus, ac non potius Credentibus, præsertim cùm aliâs iustificationem attribuat fidei. Verùm scire debemus, non agi hoc loco de iustificatione. Scribitur enim de aduersorum tolerantia. Cuius causam si ab initio repetere volueris, ad Gratiam, & spiritum sanctum recurrendum est. Inde statim oritur fides: per quam postquam amplexi sumus bonitatem, & promissiones Dei, è vestigio spes, & charitas enascuntur. Id igitur Paulus accepit, quod in aduersis rebus fortitudini proximo loco coniungebatur. Statim enim cùm diligimus Deum, eius gratia omnia aduersa patienter sustinemus. Non ergo summam, & præcipuam causam recensuit, sed proximam. Neue ibi sistamus gradum, subiunxit statim radicem, & fontem eius boni. Ait enim:

His, qui secundum propositum uocati sunt. Adhæc idcirco commemorat dilectionem, vt veram fidem, à ficta, commentitia, mortua, quæ nulla est, distingueret. Quidam enim iactant fidem, qui Deum nullo affectu prosequuntur: qui non tantùm alios decipiunt, sed etiam in primis seipsos. Vera fides est, quam Paulus describit ad Galatas, quæ per dilectionem operatur. Semper enim ex vera fide nascitur charitas. Fieri enim non potest, vt verum, & summum bonum certò cognitum non ametur, & vehementer cupiatur. Qui harum virtutum connexionem inter se, & ordinem non videt, nihil videt. Ita enim arctè colligantur, vt, quẽadmodum ex vera fide charitas necessariò sequitur, ita vicissim eum, qui fide careat, horrere Deum, eumc̃p̃ odio habere sit necesse: tantùm abest, vt eum amare possit. Dissimulare autem non debemus, homines etiam sanctissimos, dum hîc viuunt, tenuem admodum habere dilectionem Dei. Sæpè enim rapiuntur transuersi à cupiditatibus carnis: atque ea causa est, cur illi iustificatio ascribi non possit. Nam si dilectione nostra niteremur, cùm ea valde sit infirma, perpetuò nutaremus: Deus autem vult promissionem suam firmam esse, & solidam. Sed obijcies, fidem etiam nostram esse debilem. Fateor: ideoc̃p̃ fide, quatenus opus est, non nitimur: sed misericordiam Dei, & promissionem respicimus, quæ fide complectimur. atcp̃ ita iustificatio nostra non ab opere fidei, sed ab eius obiecto pendet. In hac tamen qualicunc̃p̃ infirmitate dilectionis erga Deum hoc habent pij, quod impij nõ habent, quòd à suis lapsibus ad Deum subinde sese recipiunt. Dolent, agunt pœnitentiam, & ita omnibus rebus pręponunt vnum Christum, vt eius causa ad omnia patienda sese offerant. Impij verò semper hærent in luto: ad Deum seriò non redeunt: sed in dies efficiuntur deteriores. Cùm Paulus scribit, οἶδαμεν, non leuem, & perfunctoriam notitiam intelligit, sed firmam, certam, solidam. Nemo enim, qui sit Christianus, de rerum cœtastrophe debet ambigere. Res piorũ abibũt in melius: impiorum verò in exitium. Nos quodammodo agimus Comœdiam: quę quamuis habeat turbulenta initia, & media, tamen fine lætò, & plausu concluditur. Impij autem agunt Tragœdiam, quæ quamuis magnifica, & elata videatur ab initio, tamen exitum habet funestum, & lachrymabilem. Hanc diuersitatem Abrahamus ille notat in Euangelio. Diuiti enim inflammis ardenti ait, Memento te bona accepisse in vita tua, Lazarum autem mala. Quare mirũ non est, si nunc res secus habeant. *Qui secundum propositum uocati sunt.* Hæc explicant, quinam illi sint, qui Deum diligant. Et rationem adfert, quare illis omnia cedant in bonum: quòd par sit, vt omnia inseruiant consilio, prædestinationi, & electioni Dei: vt quẽcunc̃p̃ ille seruare decreuerit, eum necesse sit omnes creaturas, quæcunc̃p̃ sunt, adiuuare.

Sententia Pauli ad calamitates est contrahenda.

Onera Christianorum cur dicatur leuia.
Non agit Paulus de iucũdo sed de condueibili.
Aduersa quomodo prosint pijs.
Diuersum Diaboli studium.

Deus diligendo nos præuenit.

Dilectio non est causa summa perferendarum molestiarum, sed proxima.

Charitas uerani fidem à falsa distinguit.
Fidei & charitatis connexio.
Sanctißimi homines tenuem dilectionẽ Dei habẽt
Cur dilectioni iustificatio nõ possit ascribi.

Discrimen inter pios & impios.

Nos Comœdiam agimus.
Impij tragœdiam
Abrahami testimonium.

Omnia oportet inseruire cõsilio prædestinationis

Vtitur voce, propositi, quam aliàs etiam in hoc negotio non semel adhibet. Nam in proximo capite ait: Vt electio secundum propositum Dei maneret. Et ad Ephes. cap. 1. Qui prædestinauit nos secundum propositum, & gratiam: cuius vi agit omnia secundum consilium voluntatis suæ. Et poster. ad Timotheum cap. 1. Qui vocauit nos vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed iuxta propositum, & gratiam. Et his verbis indicare videtur distinctionem quandam vocationum. Alia enim externa est per sacras literas, & conciones: alia interna, qua animus ipse diuino instinctu afficitur, quæ etiam ipsa non est vnius generis. Alia enim temporaria est, alia efficax, & constans. Apostolus, cùm ait secundum propositum, definit vocationem, eamq; contrahit ad illam efficacem, & constantem impulsionem. Chrisostomus hoc loco putat, propositum non esse referendum ad Deum, sed ad voluntatem, & consilium eorum, qui vocantur: vt Apostolus videatur tantum tribuere electioni Dei. Iudei, inquit, & ethnici, cùm hæc audirent, tumultuati sunt: percontati enim sunt, quid obstaret quin ipsi quoq; seruarentur. Videtur Chrysostomus, quoties ad electionem aut prædestinationem Dei tractandam venitur, nonnihil extimuisse, ne occasio aliqua daretur hominibus aut otiosè, ac nequiter viuendi, aut culpam suorum scelerum in Deum conferendi: quamuis idem interdum agat satis candidè, & omnia nostra bona, quæcunque sunt ascribat diuinę gratiæ. Hunc autem locum ita conatur eleuare, quasi Deus vocet quidem, atque eligat homines, sed eos tantùm, qui propositum ac voluntatem obediendi, vel iam habeant, vel habituri sint: verùm in eo vehementer errat quòd hoc negat esse propositum Dei. Verba enim, quæ sequntur, hoc totum apertè docent ad prædestinationem esse referendum. Sequitur enim: *Quos præscivit, eos & prædestinauit.* Et in proximo capite scribitur: Iuxta electionem, vt propositum Dei maneret. Ex quibus verbis videmus, prædestinationem non ex nostra voluntate pendere, sed ex proposito Dei. Quod idem docetur ad Ephesios, vbi scribitur, nos esse prædestinatos iuxta propositum, cuius vi Deus omnia operatur, iuxta consilium & voluntatem suam. Quo loco intelligi propositum Dei, negari non potest: multo autem id minus negari potest in primo capite ad Timotheum, vbi ita scribitur: Vocauit nos Deus vocatione sua sancta, non ex operibus nostris, sed ex proposito suo, & gratia. Quod idem Paulus docet primo capite ad Ephesios: Ait enim, nos prædestinatos esse in adoptionem filiorum Dei iuxta beneplacitum eius. Et Christus ait: Gratias tibi ago, sancte pater, quòd hæc absconderis à sapientibus & reuelaris ea parvulis. Quoniam ita placitum est ante te. Dicit autem Paulus propositū, vt indicet certitudinem: quòd stabilia & firma sint, quę Deus prouidētia sua decreuerit. Verùm probare vult, non debere homines se affligere, aut indignè ferre, si tribulationibus afficiantur, quòd illæ eis cessuræ sint in bonum, præsertim prædestinatis ad æternam salutem. Satis itaque apparet, cùm ex verbis, quæ sequuntur, tum ex instituto Pauli, propositum hoc loco ad Deum referendum esse, non ad eos, qui vocantur. Ambrosius non negat quidem esse propositum Dei: adactus tamen eodem, opinor, consilio, quo Chrysostomus, ait, Deum vocare, & prædestinare, quos nouerit esse credituros, & idoneos sibi fore, atque deuotos. Verùm non debemus statuere, electionem, & prædestinationem Dei pendere à præuisis operibus. Certum quidem est, neque id nos negamus, eos, quos Deus prædestinauit, si per ætatem licuerit, quandoque esse credituros, & deuotos fore, atque idoneos. Id enim Deus dabit: Nam prædestinat etiam ea media, per quæ veniendum aliquando sit ad finem. Ita enim nos quoque postquam decreuimus ligno aliquo vti ad vsum domesticum, illud ornare, atque expolire solemus ea forma, quæ operi faciendo maximè conueniat. Sed hîc quatuor nobis diligenter annotanda sunt. Primùm voluntatem credendi, & propositum consilium-qúe sanctè viuendi, quod aliquando futurum est in illis, qui eliguntur, nec ex illis nasci, nec in illis naturaliter hærere. Sunt enim dona Dei, non dotes naturæ: neque quisquam ea potest sua sponte sibi tradere. Quid enim habes, inquit, Paulus, quod non acceperis? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? At si ea donantur à Deo, vt certè donantur, id necesse est, non casu, aut temerè, sed ex consilio, & prædestinatione Dei fieri. cadunt ergo ista sub prædestinationem. Quemadmodum enim Deus prædestinat suos ad æternam vitam, ita eos etiam prædestinat ad bona consilia, sancta opera, & rectum vsum donorum Dei. Atq; hinc sequitur id, quod secundo loco annotandum est, rectum propositū nostrum, aut fid, autē bona opera prēuisa non posse esse causas prædestinationis. ita enim esset progressus in infinitum. Nam cùm ista, vt diximus, sint ex prædestinatione, non ex nobis ipsis, rursus quæri poterit, cur ea Deus isti potius, quàm illi largiri voluerit. Vbi si respondeas, quòd multi faciunt, quoniam Deus præuidit, hunc esse illis bonis bene vsurum, non item

Duplex uocatio

Vocatio hîc intelligitur efficax & constans.

Chrysostomi error.

Quid metuerit Chrysostomus.

Propositum hoc loco ad Deum referri debet.

Prædestinatio non à nostra uoluntate sed à Dei proposito pēdet.

Propositum denotat stabilitatem.

Ambrosius ad præuisa opera confugit.

Deus nō tantùm finem sed media etiā prædestinat Simile.

Quatuor annotanda.

Bona media non dantur à Deo casu sed ex prædestinatione.

item alterum: rursus non leuior quæstio erit de illo ipso bono vsu, cùm is quoque sit donum Dei, cur isti magis, quàm illi ex Dei prædestinatione contigerit. Atq; ad hunc modũ nullus erit inquirendi modus, nisi postremò velimus fingere, aliquid boni in nobis inueniri, quod non habeamus à Deo: quod dicere non solùm absurdum est, sed etiam impium. Tertiò constare oportet, quemadmodũ bona opera præuisa non possunt esse causæ prædestinationis, ita ea ex prædestinatione non conceduntur hominibus, vt sint causæ summi boni, hoc est, felicitatis, ad quam prędestinamur. sunt quidem media, per quę Deus nos adducit ad æternã vitam: causæ verò idcircò non sunt, quoniã beatitudo datur gratis, & ad illam ex mera Dei misericordia prędestinamur. Postremò statuere debemus, opera ista non semper in Dei prædestinatione præuideri. Multi enim paruuli ætate adhuc immatura sublati, ex Dei prædestinatione assequuntur æternam vitam, qui tamen nulla bona opera vnquam fuerant habituri: Deus enim præuidit eos morituros esse infantes. Id satis euidenter probat, præscientiã bonorum operum ponendam non esse prædestinationis causam: effectus enim legitimus non potest carere vera causa. Augustinus tractans hunc locum diserte ait, propositũ non ad electos referendum esse, sed ad Deũ. Quodq; maiori diligentia obseruandum est, scribens aduersus duas epistolas Pelagianorum, libro 2. ad Bonifacium ad finem, ait, Pelagianos postremò fuisse confessos, gratiam Dei esse necessariam, qua nostrum bonum propositum iuuaretur: eius autem gratię auxilium negauerunt dari reluctantibus: quod longè alienum est à veritate. Ab initio enim omnes ad vnum Dei placitis & voluntati reluctamur: neque illi vocanti vnquam assentiremur, nisi eius gratia sese interponeret. Et addit, Pelagianos hoc loco, quem habemus in manibus, *Propositum*, non retulisse ad Deum, sed ad eos, qui vocantur. Ego tamen non ea causa ausim insimulare Chrysostomum Pelagianismi: ille enim aliàs, vti dixi, quicquid habemus boni, ascribit gratiæ Dei, & aperte fatetur peccatum originis, quorum vtrunque Pelagiani negabant. Apparet tamen ex verbis Augustini, in huius loci expositione Pelagianos & Chrysostomum conuenisse. Augustinus eodem in libro fatetur, propositum nostrum adiuuari gratia Dei: non tamẽ ita, quasi illud sit ex nobis ipsis, non autem detur à Deo. Ad confirmationem autem huius sententiæ citat id, quod habetur in posteriori ad Corinthios ca. 8. Gratias autem ago Deo, qui dedit idem studium pro vobis in corde Titi. Ista verba satis docent, bona studia, & proposita, quæ sentimus in animis nostris immitti à Deo. Citat etiam psal. 77. Ego dixi, nunc cœpi: & hæc mutatio dextræ excelsi. Sed ego hoc testimonio non multùm niterer. nam ex Hebraica veritate longè alius habetur sensus. Ex his omnibus apparet, in quam partem accipi debeat vox illa, propositũ. Id autem, quod nos dicimus, verba ea probant, quæ sequuntur.

Quos enim præsciuit, illos & prædestinauit. Docet Paulus hac gradatione, propositũ Dei firmum esse. Constitutum enim habet, quicunq; sint prædestinati, eos ad æternam gloriam esse peruenturos: qui est finis prædestinationis. Placet quidem id mihi, quod Chrysostomus ait, excludi hinc omnem violentiam. Electio enim Dei neq; prædestinatis, nec reprobis vim vllã affert: verùm hoc certitudinẽ prædestinationis minimè tollit. Neq; enim verè Christianus, & pius ambigere debet, vtrum ad electionẽ Dei pertineat. Nam si de ea re vacillemus, quomodo possumus Deum appellare patrem nostrum? aut qua cum fiducia possumus orare? Quod autem ad hunc locum maximè facit, Pauli argumẽtum infirmum erit, & nihil persuadebit, si de salute nostra debeamus hæsitare. Monet Paulus Romanos, vt tribulationes ferat æquo animo, quod illæ sint eis cessurę in bonum. Neq; contentus fuit argumento sumpto à dilectione Dei: nam id infirmum erat: Nemo enim suo operi potest confidere: Ideoq; confert se ad prædestinationem, quòd illa firma sit, & falli nõ possit. Est autem ac si diceret: Qui à Deo prædestinati sunt, non tantùm illi credunt, & eum amant, sed etiam eis omnia, quantũuis aduersa, cooperantur in bonum. Vos estis à Deo prædestinati, quare bono animo estote: calamitates istæ aliquid vobis vtilitatis adferent, & vestram salutem promouebunt. In hac ratiocinatione si ambigas de minore, & eam suspiceris non esse verã, quid proderit Pauli persuasio? Argumentum profectò elumbe erit, & nihil concludet. Hoc videlicet efficiunt qui nos iubent perpetuò dubitare, vtrum simus ex numero electorum. Sed prætexunt studium sanctæ vitæ, scilicet, ne homines incipiant dissolutè, & securè, ac laxè viuere. At nõ debebant boni alicuius retinẽdi causa, nos isto præsentissimo, & maximè necessario bono spoliare. Est ille ludus puerorum, qui cùm socio volunt aliquid furtim surripere, eum ad aliud quippiam spectandum auocant. Nos verò si agemus prudẽter, nec sinemus nobis imponi, vtrunque commodum retinebimus. In primis enim non ambigemus de Dei erga nos bonitate, neque veniemus in dubium, vtrum electi, & prædestinati simus: Deinde certi iam

Bona opera præuisa non sunt causæ prædestinationis.

Bona opera non sunt causæ æternæ felicitatis.

Bona opera non possunt semper à Deo inseruandis præuideri.

Præscientia bonorum operum nõ potest esse causa prædestinationis Pelagiani tandẽ fassi sunt gratia nostrũ propositũ iuuari.

An gratia reluctantibus detur.

Pelagiani uocabulum, propositũ acceperunt ut Chrysostomus.

Vendicatur Chrysostomus à suspitione Pelagianismi.

Bona studia & proposita immittuntur nobis à Deo.

Gradatio.

Finis prædestinationis est gloria.

Violentia excluditur.

Certitudo manet Nemo pius dubitare debet an sit prædestinatus.

Argumentũ Pauli quo ad certitudinem de prædestinatione.

Qui iubent nos dubitare de prædestinatione non hortantur efficaciter ad patientiam.

Quouis prætextu non sumus expoliandi necessario bono.

Ludus puerorum.

reddíti de ſalute noſtra, magis, magiſq; accendemur, & inflammabimur tanto Dei erga nos beneficio, ne perditè viuendo ingrati erga eum inueniamur. Non ita ſuccurrendum eſt vni parti, vt altera, quæ maximè neceſſaria ſit, labefactetur. Ne ſecuritas carnis nos abducat ad vitia, non dubitandum eſt de prædeſtinatione Dei: nam ea certa eſt, & vt certa à Paulo proponitur: niſi dicere velimus, illum iſta perſuadendo ludere operam. Auguſtinus in libro de Correp. & Gratia, Si fallitur, inquit, Dei prædeſtinatio, qui prædeſtinati ſunt, pereunt: Illi autem non pereunt: igitur prædeſtinatio non fallitur. Item, Si illa, inquit, fallitur, Deus vincitur humano vitio, vt id, quod prædeſtinauit, non poſsit euenire: Sed potentia Dei noſtro vitio non vincitur: Ergo prædeſtinatio non fallitur. Impiorum & deriſorum eſt dicere, Deum in ſuis conſilijs aberrare. Ita enim Lucianus ludit in Timone, cùm fulmine ictum fuiſſet caſtoris, & Pollucis templum, illud longè aberraſſe, cùm alioqui miſſum à Ioue fuiſſet in Anaxagoram. Duo itaque animo pio ſtatuenda ſunt: primùm, Dei prædeſtinationem non poſſe aberrare à fine ſuo: alterum, vt nobis perſuadeamus, nos ad numerum prædeſtinatorum pertinere. Quod quamuis naturali cognitione comprehendi non poſsit, tamen ſpei, ac fidei certitudine teneri poteſt. Cúmque, vt audimus ex Paulo, Deus ipſe operetur ſalutem noſtram, illius prudentiæ permittere debemus, vt in nobis ſeruandis vtatur, quibus ipſe velit, inſtrumentis. Non enim noſtrum eſt illi præſcribere, vtrum nos per aduerſa ne, an per ſecunda ducere debeat, modò ad ſalutem nos perducat. Adhæc cùm Paulus nobis tam largum, tamq; certum fontem noſtræ ſalutis oſtenderit, non ſolùm de illo tanto bono gratias agere debemus, verùm etiam omni ſtudio contendere, ne erga tam benignum patrem ingrati inueniamur.

Dei prædeſtinatio non poteſt à fine aberrare.

Quibus rebus cõſtet fiducia ſalutis.

Non eſt noſtrum Deo præſcribere media quibus ad ſalutẽ ducamur.

Quos præſciuit, hos & prædeſtinauit, Præſcientia, de qua Apoſtolus hîc loquitur, etſi notitiã indicet, non tamen generalem illam, & cõmunem ſignificat, ſed cum fauore, atq; approbatione coniunctã, qua Deus aliquos eligit, & numerat pro ſuis. Id genus notitiæ impijs negatur. Dominus enim dicet fatuis illis virginibus, Neſcio vos: quod idem dicetur impijs, qui prophetarunt, & miracula ediderunt in nomine Chriſti: non ſanè, quòd Deus aut illos, aut illorum opera neſciat, ſed quòd ea non approbet, aut agnoſcat pro ſuis. De hac notitia Chriſtus ait in Ioanne: Ego cognoſco oues meas. Nouerat quidem Chriſtus alios homines, qui oues non erant: ſed illas ſingulari notitia cõplectebatur, & paſcebat. Et Paulus ad Timoth. ait: Nouit Dominus, qui ſint ſui. Et Dauid in pſal. Nouit Dominus viam iuſtorũ. Tanta eſt autem perſpicacitas diuinę mentis, vt ei ad res cognoſcendas nõ ſit expectandum dum extent in natura. Deus enim ea etiam, quæ non ſunt, nõ minus videt, quàm ſi iam extarent. Itaque Chryſoſtomus pulchrè ait, homines rebus præſentibus conſilia capere: Deo verò iſta iam olim probata, & diſpoſita fuiſſe erga nos. Videtur hîc præſcientia non latius aut fuſius accipi, quàm prædeſtinatio. Paulus enim deſcendẽdo à genere ad ſpeciẽ non diceret, Quos præſciuit, eos prædeſtinauit: nec, Quos prædeſtinauit, eos etiam vocauit: nec, Quos vocauit, hos & iuſtificauit. Poſſunt enim hoc pacto aliqui eſſe præſciti, qui non ſint prædeſtinati: & aliqui prędeſtinati, qui non ſint vocati: aliqui etiam vocati, qui non ſint iuſtificati: poſtremò, aliqui iuſtificati, qui non ſint glorificati. quod tamen non eſt ita. Apoſtolus enim vult perſuadere, omnia ceſſura eſſe in bonum, & nos pro certo fore glorificandos. Id probat ex eo, quòd ſimus vocati: At ſi vocari latius pateret, quàm glorificari, argumentum nihil concluderet. Quòd ſi ex vocatione rectè poſſumus inferre iuſtificationem & glorificationem, poſſumus etiam ex præſcientia inferre prædeſtinationem. Itaque probari ex hoc loco non poteſt commentum illud Scholaſticorum, qui præſcitos appellant tantùm damnatos, & reprobatos. Cùm enim non ſint prædeſtinati, neque proprium titulum vllum habeant, eos eſſe ſub communi nomine præſcientiæ relinquendos: Deum tantùm illorum mala opera, & damnationem præſcire: non autem eos ad illa prædeſtinare: ſed hac de re aliâs. Verùm vt Origenes hoc loco annotauit, ſcriptura nuſquã cõmemorat, homines prauos à Deo eſſe præſcitos. Quare cùm ſcriptura ita non loquatur, & præſciẽtia hoc loco non accipiat̃ fuſius, quàm prædeſtinatio, relinquamus illis ſuũ inuentum: præſertim cùm Petrus ca. 1. prioris epiſtolæ de Chriſto dicat, eum fuiſſe προεγνωσμένον. Hinc apparet, vocem eam, cùm attribuatur Chriſto, non tantùm reprobis conuenire: Chriſtus enim caput eſt omnium electorum. Videtur autẽ Apoſtolus more hominũ loqui. Illi enim primùm deligunt ſibi ea, quę placeãt, & in certos fines deſtinant, deſtinata parant, & ornant, atq; ad finem præſtitutũ faciunt idonea. Vt ſi cui occurrant prędlari lapides, eos primùm delegit, & deſtinat ad ædificium: deinde curat, vt poliantur ab artifice, & ad quàm ornatiſsimam figuram adducantur. Quomodo autem ſacræ literæ vtantur his vocibus prædeſtinationis & prędſciẽtię, ex alijs locis non erit difficile

Agitur hîc de præſcientia cum approbatione.

Deus uidet futura quaſi præſentia ſint.

Hîc præſcire nõ latius patet quã prædeſtinare.

Hîc uocare nõ latius patet quàm iuſtificare ac glorificare.

Commentum Scholaſticorum.

Vox præſcitum Chriſto conuenit ne dum tantùm reprobis.

Simile.

difficile videre. Actorum 2. Hunc cùm accepissetis per manus iniquorum, crucifixum interemistis τῇ ὡρισμένῃ βουλῇ καὶ προγνώσει τοῦ θεοῦ. Hîc scriptura consilium destinatum, & præscientiam coniungit. Et in cap. 4. Conuenerunt Herodes, & Pilatus ad faciendum, quæcunque ἡ χείρ σου καὶ ἡ βουλή σου προώρισε γενέσθαι. Hîc quoque prædestinatio coniungitur cum cõsilio diuino. Et Petrus epist. 1. cap. 1. Dispersis per Pontum, Galatiam, Asiam, & Bithyniam electis κατὰ πρόγνωσιν. Hîc quoque præscientia cum electione copulatur. Et in eodem capite illud habetur de Christo, quod superius adduxi, nempe, nos redẽptos esse pretiosissimo Christi sanguine, velut agni immaculati, qui præscitus fuit ante iacta fundamenta mundi. Neque omittendum est, præscientiam, & præfinitionem non tantùm hominibus, sed etiam rebus ipsis, & operibus conuenire. Paulus in priori ad Corinthios, Loquimur, inquit, sapiẽtiam inter perfectos, quam Deus prædestinauit in gloriam nostram. Et ad Ephes. Conditi sumus in Christo ad opera bona, quæ Deus præparauit, vt in illis ambularemus. Eiusmodi autem bona opera Deus præparauit per suam prescientiam, & predestinationem. Tempus autem eius prædestinationis nullum potest assignari. Ea enim, vt diximus, locum habuit ante iacta fundamenta mundi, & ante omnem temporis æternitatem. Quem autem in finem prædestinati simus, Apostolus explicat his verbis:

Scriptura quomodò ijs uocibus utatur.

Præscientia, & prædefinitio nõ tantũ homines. sed res & opera comprehendit.

Prædestinationõ in tempore, sed ab æterno debet constitui.

Vt sint conformes imaginis filij sui. Conformes esse imagini, est esse similes. Vnde cùm Christus sit perfecta imago patris, cùm illi conformes efficimur, accedimus ad similitudinẽ Dei. Qua autem in re hæc ad Christum conformitas sita sit, sic videtur intelligendum. Christus nunc est in gloria, & sedet ad dextram patris felix, beatus, immortalis. ad eandem illam felicitatem nos quoq; sumus destinati. Deinde Deus ita ordinauit, vt id nunc in nobis aliquo modo inchoetur in hac vita, quod pòst in altera vita perficietur. Itaq; conformes etiam reddimur Christo per bona opera, sanctos mores, & vitæ innocentiam. Adhęc, quemadmodũ ille, cùm ageret in hoc mundo, semper versatus est in cruce, & tribulationibus: ita nos quoque eius causa cruces, & tormenta oportet subire. Vtq; ista in Christo cooperata sunt ad felicitatem, & ad gloriam, ita etiam cooperabuntur in nobis. Sic enim de illo Paulus scribit ad Philipp. Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur. De nobis autem Paulus ait hoc loco: Diligentibus Deum, hoc est, prædestinatis, & vocatis secundum propositum omnia cedunt in bonum. De ista conformitate ad Christum per puritatem vitæ, dictum est alibi: Nolite conformari huic seculo: sed renouamini in nouitate mentis vestrę. Vtque nos redderemur similes Christo, ille per incarnationem voluit fieri similis nobis. Quare studendum est, vt Paulus habet ad Ephesios: vt in vnitate fidei, & agnotione veritatis Dei, occurramus illi in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, ne semper instar paruulorum vacillemus. Præterea docet iste locus, nos non tantùm prædestinatos esse ad vitam ęternam, sed etiam ad bona opera in hac vita, videlicet, vt simus conformes Christo. Paulus enim apertè scribit ad Ephesios, Nos esse conditos in Christo in operibus bonis, quæ Deus præparauit, vt in illis ambularemus. Quare turpiter falluntur, & insaniunt, qui blasphemas istas voces iactare audent: Si sum prædestinatus, seruabor, quocunque modo vixero. Miseri enim non vident, nos non tantùm ad æternam felicitatem predestinatos esse, sed etiam vt nos pure sanctéque geramus in hac vita. Prædestinatio enim est & finis, & eorum, per que ad finem peruenitur. Quod tamen nolim ita intelligi, quasi sine his medijs nemo ad æternam vitam prædestinetur. Infantes enim piorum, qui moriuntur in ea ætate, & seruantur, certè prædestinati sunt ad vitam æternam, quum tamen per ætatem bona opera sequi non potuerint. Sed hoc statuere debemus, dona Dei non casu conferri, sed certa ratione. Itaque quum bona opera sint dona quædam bonitatis diuinæ, ea citra prædestinationem non contingunt. Prædestinatio ergo tam ad huius vitæ bona pertinet, quàm ad vitam æternam. Hoc Paulus ait à Deo fieri ad honorem Christi.

Voces impiorũ abutentiũ prædestinatione.

Non tantũ prædestinati sumus ad beatitudinẽ. sed etiã ad sanctam uitam.

Prædestinatio ad bona opera non pertinet ad omnes, qui seruabuntur.

Dei bonitas in nobis adoptãdis

Vt sit primogenitus in multis fratribus. Ita bonus est Deus Opt. Max. vt, cùm filium haberet, & eum filium, in quo sibi bene complacuerat, tamen voluerit complures alios filios sibi adoptare ex nostro genere, inter quos Christus esset primogenitus. Semper fuit magna primogenitorum prærogatiua, & ante legem, vt apparet in Patriarchis, & etiam postea sub lege. Primogenitus habebat duas partes hæreditatis, & patri succedebat in administratione familiæ. Deus in primis amat ordinem. itaque quum vellet ordine regi hominum familias, dedit patrem, tanquam legitimum omnium domesticorum dominum: qui si fortè moreretur, aut ægrotaret, aut præ senio deliraret, ad filium maximum natu voluit familiæ gubernationem deriuari. Neque nos mouere debet, quod Aristoteles docet in

Primogenitorũ prærogatiua.

Ethicis,fratres inter ſeſe gerere dominatũ politicũ, & inter eos formam eſſe quandam Reipublicæ. Ille enim iſta intelligit,dum pater adhuc viuit, & adminiſtrat familiam ſuam. Tantiſper enim fratres inter ſe ſunt pari omnes poteſtate. Aut fortaſſe Græci non tantum tribuebant primogenitis,quantum Hebræi, quod ne hodie quidem videmus multis in locis fieri. Hoc tamen ſatis erit vno verbo annotaſſe, primogenitum cæteris fratribus præferri oportuiſſe,non vt in eos tyrannidem exerceret,ſed vt regeret,moneret,inſtaret,foueret,iuuaret. Quæ omnia Chriſtus ita præſtitit pro ſuis fratribus,vt illorũ cauſa mortẽ oppeteret:ideoq́, vt Paulus ait ad Coloſſ.in omnibus primas tenet. Quòd autem dicatur noſter frater primogenitus,id factum eſt ex diſpenſatione naturæ ſuſceptę. Nam alioqui quod attinet ad naturam diuinam eſt vnigenitus. Nos idcirco dicimur eius fratres, quia ſumus cooptati per gratiam. Primogenitura autem iſta Chriſti tum demum erit illuſtris,& honorifica, cùm prorſus inſtaurati participes efficiemur eius glorię. Debemus itaque & Deo gratias agere, & nobis ipſis vehementer gratulari, quòd talem,tantumq́ habeamus fratrem: quodq́ ſupereſt, illi nos prorſus regendos & formandos tradere. Quumq́ ſciamus,illum nobis propoſitum eſſe vt imaginẽ ad quam debeamus nos ipſos conformare, eum ſemper debemus habere ante oculos,vt regulam,& normam vitæ noſtræ.

Chriſtus nobis præſtitit fratrẽ primogenitum. Chriſtus eſt unigenitus iuxta naturã diuinam.

Quos prædeſtinauit,eos & uocauit: quos uocauit,eos & iuſtificauit: quos iuſtificauit,eos & glorificauit.

In hac catena nullus eſt annulus operum, aut meritorum. Audimus enim omnia fieri gratis,& ex mera Dei miſericordia. Quis enim prior illi dedit, & retribuetur ei? Omnia ſunt ex ipſo,per ipſum,& in ipſum: vt Paulus ait. Hîc docemur,quæ ſint principia Eccleſię,& elementa populi Dei. Eſt autem Eccleſia cœtus, non humana ratione coactus, ſed collectus præſcientia,prædeſtinatione, & vocatione Dei. Ita reſpiciunt non ſucceſsiones vllas naturæ,aut prærogatiuas,aut conditiones locorum:nam tantùm pro Dei iudicio, & beneuolentia diſtribuuntur. Poſt vocationem ſtatim ſubijcitur iuſtificatio. Inter quas cùm nihil intercedere poſsit,niſi ſola fides,meritò per eam dicimur iuſtificari:non quòd ea ſit iuſtificatio noſtræ cauſa:ſed quòd inſtrumentum ſit, quo apprehendimus vocationem nobis exhibitã per promiſsiones. Proprię verò cauſæ iuſtificationis illæ ſunt, quas Paulus hîc aſsignauit, præſcientia,prædeſtinatio,vocatio. Sita autem in eo eſt iuſtificatio noſtra, vt nobis peccata condonentur, nosq́ Deo reconciliemur. At bona opera, ſancta vita, inſtauratio virium,& dona ſpiritus ſancti poſteà conſequuntur, & pertinent ad glorificationem: ad quam etiam ea ſpectant, quæ expectamus danda in alia vita. Auguſtinus annotauit,nõ omnes,qui quocunque modo vocantur,ſed eos tantùm, qui ſecundum propoſitum Dei, & prædeſtinationem vocantur: vocatione,inquam, potenti, & efficaci, qua prorſus immutentur. Alioqui multi ſunt vocati, pauci verò electi. *Glorificauit*, inquit, præterito tempore: tum quia bona pars eius gloriæ iam nobis in manum data eſt: tum etiam,quia id, quod ſupereſt, tamen ſpe tenemus:quod corã Deo perinde eſt, ac ſi id iamdudũ accepiſſemus. Scholia Græca ad ſingula membra addunt, Ex propoſito. Vt,quos præſciuit ex propoſito: prędeſtinauit ex propoſito:vocauit ex propoſito,ne quid ſequatur abſurdi. Suſpicãtur iſti homines, Deũ facilè videri poſſe acceptatorẽ perſonarũ,niſi ex præſciẽtia operum homines prædeſtinet, & vocet: Verùm nihil opus erat,vt id extimeſcerent. Nullum enim hîc debitum intercedit. Personarum autem acceptio eſſe non poteſt,vbi nullum eſt debitum. Adhæc nullas Deus in hominibus perſonas inuenit,ſed cuique, quas vult,imponit. Sumus enim omnes ex eadẽ maſſa,omnibus ex partibus eodem modo corrupta,& vitiata: ibi nulla ſunt perſonarum diſcrimina. Id enim tantùm in quoque eſt, quod Deus ipſe cuique prędeſtinauerit. Deinde ſuprà ſatis docuimus,illud, Ex propoſito,non ad eos, qui vocãtur,referri oportere,ſed ad Deum, qui vocauit. Ambroſius ait, Vocare nihil aliud eſſe, quàm de fide cogitãtem adiuuare. Quæ ſententia in vniuerſum, quod attinet ad eos, qui vocantur, non poteſt eſſe vera. Quid enim cogitauit Paulus de fide Chriſti,quum Chriſtianos perſequeretur? Et Paulus ipſe in 2. epiſtola ad Corint. ait,nos non eſſe idoneos ad cogitandum aliquid ex nobis, tanquam ex nobis. Quare ſtatuere non debemus, initia fidei eſſe à nobis: quaſi nos priores incipiamus: deinde Deus ſequatur auxilio ſuo. Addit hoc loco Ambroſius, Deum compungere eos, quos ſciat eſſe audituros. Quo loco cauendum eſt,ne ſtatuamus auditum fidei ortum habere ex nobis ipſis. Itaque in Actis Apoſtolorum de muliere illa purpuraria ſcribitur,Deum illi aperuiſſe cor,vt attenderet illis,quę à Paulo dicebantur. Idq́ eſſe donum Dei,Dauid animaduertit ita orans:Inclina cor meum in teſtimonia tua. Et Solomon in Prouerbijs ait:Cor Regis in manu Dei: & quocunq́ voluerit,mouebit illud. Quod vt ibi dicitur de Regibus, ita in vniuerſum de omnibus debet intelligi. Hieremias enim ait,cap. 24. Dabo illis cor, vt cogno-

In iſta catena nullus eſt annulus operum, aut meritorum. Principia Eccleſiæ.

Cauſæ iuſtificationis.

Sancta uita, & bona opera pertinent ad glorificationem.

Non eſt acceptio perſonarũ, ubi debitũ nõ intercedit.

Deus perſonas imponit,alioquin omnes ſumus æquales in maſſa.

Initia fidei non ſunt à nobis, quaſi Deus nos cogitantes de fide adiuuet.

Purpurariæ mulier. Deus aperuit cor, ut attenderet.

cognoscant me: & ero illis Deus. Et cap. 31. Dabo, inquit, Dominus, leges meas in cordibus illorum, & in visceribus illorum inscribam eas. Et Ezechiel capite 36. Auferam illis cor lapideum, & dabo illis cor carneum. Et Esaias, Erunt, inquit, omnes docti à Deo: quod etiam Ioannes retulit. Addit præterea Ambrosius: De ceteris, quos Deus non præsciuit, non est illi cura: quia eos non præsciuit in hanc gratiam. Ac si credant, aut eligantur ad tempus, quòd videantur esse boni, ne iustitia contempta videatur. Non permanent, vt glorificetur, sicut Iudas Scarioth, aut illi septuaginta duo, qui cùm essent electi, tamen pasi scandalum, recesserunt à Seruatore. Ex his licet cognoscere, prædestinationem non esse communem omnibus: & multos esse, qui videantur electi, quòd vocati sint ad tempus, quum tamen re vera ad electos non pertineant. Est hæc gradatio Apostoli catena verè aurea, qua homines beandi trahuntur in cœlum, multò præstantior, quàm est illa Homerica, qua Iuppiter fingitur, orbem vniuersum regere. Ea nos contra omnes aduersos casus reddet insuperabiles. Quomodò enim possumus non placere nobis, quum videamus salutem nostram à Deo tot mediis præclarissimis procurari? Quomodò possumus nobis non gratulari tantam felicitatem?

Prædestinatio nõ est omnium.

Multi uidentur electi, qui tamẽ sunt uocati ad tempus.

Aurea catena Dei, qua trahimur ad cœlum.

Si Deus pro nobis, quis contra nos? Deus stat à nostris partibus, idq; non nutante voluntate, sed constanti, ac firma, vt pater pro filijs suis: quò nos ab omnibus malis tueatur. Quare nulla creatura potest nobis interuertere felicitatem eam, quam Deus nobis sua prædestinatione adiudicauit. Augustinus Sermone 16. de verbis Apostoli ait, Deum esse pro nobis, quos præsciuit, quos prædestinauit, quos vocauit, quos iustificauit, & quos glorificauit. Quum nondum essemus, prædestinauit nos: quum essemus auersi, vocauit nos: quum essemus impij, iustificauit nos: quum essemus impuri, glorificauit nos. Quare qui aduersus nos pugnare velit, aduersus Deum bellum suscipit, & aduersus stimulum calcitrat. Monet præterea ibi Augustinus, vt ex istis quinque commemoratis gradibus videamus, quot iam obtinuerimus à Deo, & quot supersint obtinendi, vtque de illis, quos videmus nos esse adeptos gratias agamus: de illis verò, quos adhuc desideramus, Deum debitorem teneamus: non quidem ita debitorem, quasi ea nostris meritis debeatur: sed quòd ipse se suis promissionibus obstrinxerit. Chrysostomus hoc loco, Quid tu, ô Paule, interrogas, inquit, Quis contra nos? Totus orbis insurgit contra nos: diabolus, tyranni, domestici, cognati, ciues, caro. Verum, inquit, est, omnia hæc cõtra nos pugnare, sed non proficient: imò potius salutem nostram promouebunt. Iobum tentationes, vxor, amici, Chaldæi, venti, cœlestis ignis, illustriorem, quàm antè fuerat, reddiderunt.

Qui nos oppugnat, cõtra Deũ bellum gerit.

Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Hactenus probatum est, omnia nobis cessura esse in bonum, quòd simus electi, prædestinati, & vocati à Deo. Hoc genus argumenti sumitur à causa. Id hîc probatur à signo, non quouis quidem, aut tantùm probabili, sed necessario, quod Græci τεκμήριον appellant. Dedit, inquit, filium suum pro nobis. Quibus igitur rebus parcet nostra causa, qui filio suo non pepercerit? Solent patres, vt filios redimant, omnia expendere. Deus autem è diuerso, vt nos redimeret, tradidit filium suum. Quum Abrahamus duxisset filium suum ad altare, eúmque Dei iussu immolare voluisset, Deus ipse testatus est, se tum demum videre, quanti ab illo fieret. Si illud Dei ipsius testimonio fuit argumentum magni amoris, & syncerę charitatis, quid nos debemus de ipso Deo iudicare, qui nostra causa filium suum dederit? Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret. Hoc illud signum est, quod Paulus perpetuò versat, & ornat. Suprà enim ait: Commendat Deus charitatem suam erga nos, quòd quum adhuc essemus inimici, Christus pro nobis mortuus est. Et ad Galatas: Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Et ad Corinthios: Nihil arbitror, me scire, nisi Christum Iesum, & illum crucifixum. Augustinus libro 2. cap. 33. De Nuptijs, & Concupiscentia, expendet id, quod Paulus ait, Christũ traditum esse pro omnibus. Paruuli, inquit, hîc non eximũtur. Ergo Christus pro illis quoq; mortuus est. Sunt ergo obnoxij peccato originis. Nam alioqui quid illis opus fuisset tali victima? Pelagiani dicebant, eos esse innocentes, & præsertim postquàm Christus pro illis mortem obierit. Imò cõtrà, inquit, Augustinus, quia Christus pro illis mortuus est, id est satis magno argumento, eos non esse innocentes.

Argumentum à causa, & à signo.

Deus fecit contrà quàm homines faciant.

Ab exemplo.

Probatur peccatum originale infantium.

Quomodò non omnia simul cum illo donauit? Omnia sic donata sunt, non vt obsint nobis, sed vt ad salutẽ cooperentur. Habemus enim Christũ ἀλεξίκακον, & Seruatorẽ. Quemadmodũ enim Deus per eius crucẽ, & mortem curauit mundũ, ita efficiet, vt quicquid nos afflictionũ perferimus, reddat nobis salutare. Videtur ista sanè humano iudicio, & primo aspectu terribilia: sed vt vespę aculeo exempto, strepere tantũ possunt, non autẽ pungere: ita res aduersę

Omnia donata sunt, ut ad salutem cooperẽtur, non ut noceant.

Simile.

etsi interdum oppugnent homines pios, tamen eos non deijciunt. Sed quum omnia nostra sint nobis per Christum donata, ea haud nobis ad felicitatem adipiscendam inseruiunt. In hanc sententiã Paulus ait in priori ad Corinthios: Omnia vestra sunt: vos Christi: Christus autem Dei. Quæ autem præcipua Christus nobis attulerit, in eadem epistola ita scribitur: Factus est nobis à Deo sapientia, iustitia, sanctitas, & redemptio. Et in Esaia cap. 50. describuntur eius miracula, veritas doctrinæ, innocentia vitæ, & grauissimæ pœnæ. Ista autẽ sunt maxima, & singularia bona. Sed cùm Paulus hoc loco dicat, in vniuersum omnia nobis donata, non ista tantùm debent intelligi, sed alia omnia, quæcunque sunt. Quumq; habeamus Christum omnium bonorum dominum, dubitare non debemus, omnia quæ eius sunt, esse nostra. Ille autem est hæres vniuersorum, & nos declarati sumus eius cohæredes. Vtque ille nobis donatus est à patre, ita nos vicissim illi ab eodem patre donati sumus. Itaque ait, nemi-

Pater omnia nobis donauit per Christũ, & nos omnes donauit Christo.

nem posse illos sibi eripere, qui sibi essent donati à patre. Et Dauid sub persona patris ait: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. Est tamen nonnihil discriminis inter ista duo dona. Christus enim nobis donatus est gratis, nullis intercedẽtibus nostris meritis. Christus autem sibi nos non gratis, sed suo sanguine, & cruce acquisiuit. Neque multùm refert, vtrum legas, χαρίσεται, an in præterito tempore, ἐχαρίσατο. Vtrunq; enim verum est. Quę enim habituri sumus in patria, ea nunc ipse habemus: coram Deo autem perinde est, ac si ea nunc re ipsa haberemus. Deinde multo maxima pars eorum, quę Christus nobis acquisiuit, iamdudum nobis collata est.

Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus est, qui iustificat. Quis condemnabit? Christus est, qui mortuus est: qui & resurrexit, & sedet ad dextram patris, & intercedit pro nobis. Ista bifariam legi possunt. Primò, vt sint duæ interrogationes coniunctæ, hoc modo: Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus, qui iustificat? Et subijciatur. Non: quasi nõ sit verisimile, illum eundem, qui iustificat, velle accusare. Deinde: Quis condemnabit? Num Christus, qui pro nobis mortuus est, & resurrexit, & sedet ad dextram Dei, & pro nobis orat? Ac si iterum respondendum sit, Non. Neque enim esse credibile, Christũ, qui tot, & tanta pro nobis gesserit, abduci posse, vt nos condemnet. Aliter hoc modo legi potest: Quis accusabit? & subaudiatur, Nemo: & subijciatur ratio: quia Deus iustificat. Item quis condemnabit? & iterum intelligatur, Nemo: & addatur alia ratio, Quòd Christus pro nobis mortuus sit: quasi sit subiectio Rhetorica. Hæc secunda interpretatio facilior est priori, & planior. Et annotandum est, hęc non asseri de operarijs, nõ referri ad merita, nec adscribi nostræ dignitati. Mentio enim fit tantùm de electis: illi autem hæc habent, quatenus electi sunt à Deo, & quatenus gratis iustificantur. Nam alioquí omnes multa habemus in nobis ipsis, quæ optimo iure & accusari, & dãnari possint. At si quis nos auderet accusare, tamen prestò est satisfactio. Itaque accusatio frustra institueretur. Christus enim intercedit: suo merito intercedit: pro filijs iã adoptatis intercedit. quare eius preces non possunt repudiari. Apostolus paucis verbis multa cõplectitur argumenta, quòd Christus sit mortuus, quòd resurrexerit, quòd sedeat ad dextram Dei, quodq; pro nobis intercedat: quæ omnia mirificè valent ad accusatorum nostrorũ conatus eludendos. Ambrosius ait, neminem posse, aut audere, præscientiam, & iudicium Dei retractare. Quis enim ea improbare potest, quæ Deus probet? Dei tribunal summũ est: qui ibi defenditur, aut absoluitur, nullibi damnari potest: nisi fingere velimus, aliquem Deo maiorẽ esse. Ista addunt ad ea, quæ habentur apud Esaiã ca. 50. Ibi enim Christus de se loquitur: Quis me accusabit? propè est, qui iustificet. Christus accusatus est à Scribis, & Phariseis, quòd esset sedítiosus, & blasphemus. Verùm propè, inquit, est, qui iustificet. Accusatus etiam est à veteribus Israelitis nimiæ seueritatis: quòd Sinagogam repudiasset, & populum suum hostibus tradidisset. Ille tamen respondet, se habere, qui se iustificet: nẽpe Deum. Et additur: Quis me condemnabit? Deus mihi est auxiliator. Hæc etsi propriè dicuntur de Christo, tamen etiam ad eius electos transferuntur: Iustitia enim eius est iustitia nostra. Alioquí quòd ad nos ipsos attinet, & accusari, & condemnari possemus. Quoniam autem sumus membra Christi, illius fruimur innocentia.

Neq; accusari, neq; dãnari possumus, quatenus electi sumus.

Multa in nobis habemus ex natura, quæ iure accusari posset. Si accusaremur, præstò esset satisfactio.

Multa argumenta, quibus probatur, nos neq; accusari, neq; damnari posse.

Quæ dicuntur de Christo, interdum ad eius electos trãsferũtur.

Non possumus accusari, neque damnari quà sumus Christi membra.

Hinc patet, iustificare, uerbũ esse forense, quod opponitur accusationi & damnationi.

Deus est, qui iustificat. Hæc iustitia sita est, vt sæpe diximus, in cõdonatione, & remissione peccatorũ. Hoc pacto absoluimur ad supremũ tribunal Dei. Hoc loco reuincũtur calũniæ illorum, qui clamare solent, nos falsò dicere, verbum Iustificandi trãslatum esse à foro, & significare absolutionem. Quid enim illi Paulo respondebunt, qui nobiscũ asserit idem apertissimis verbis? Iustificationem enim opposuit accusationi, & condẽnationi: quę certè propriè ad forum pertinent. Hebræi dicunt, הצדיק, & rursum condemnare רשיע: quæ verba à iustitia, & impietate ducuntur. Omnia ista Pauli eò spectant, vt nobis de egregia Dei erga nos

nos voluntate fidē faciāt. Quę dicit de morte, & resurrectione Christi, sunt manifestissima. Quid autem sit sedere ad dextrā Dei, non perinde liquet. Sermo est metaphoricus, ductus à principibus, & regibus, qui eos, quos in summo honore, ac pretio habent, ad dextram suam collocant. In psalmo 110. scribitur: Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Et Solomon quum vellet matrem suam Bersabam afficere summo honore, iussit illi poni thronum ad dexteram suam. Filij etiam Zebedæi postularunt à Christo, vt sibi liceret sedere, alteri ad dextram, alteri ad sinistram. De hoc summo honore sibi à patre concesso Christus ipse ait: Omnia mihi tradita sunt à patre meo: &, Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra. Et Ioannes Euangelista ait: Sciens Iesus, quòd omnia sibi tradita essent. Et Paulus ad Ephesios ait: Positus super omnem principatum, potestatem, virtutem, dominationem, & super omne nomen, quod nominatur siue in hoc seculo, siue in futuro. Et ad Philippenses: Dedit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum. Et ad Colossenses: Qui est principium, primogenitus ex mortuis, vt sit in omnibus primas tenens. Quoniam in illo cō placitum est patri, vniuersam plenitudinem inhabitare. Et quanuis dextra Dei, vti diximus, summum honorem, & summam dignitatem significet, non tamen sentiendum est, corpus Christi tam latè fundi, quàm latè patet eius diuinitas, & patris dextera. Illud enim, vt humanæ naturæ conditio requirit, certo, ac definito loco continetur, qui est cœlum, vt Petrus in Actis Apostolicis attestatur: vt articulus de ascensione fidem facit: vtque Augustinus, & multi alij patres docuerunt. Dicitur pro nobis intercedere, quò nobis addatur animus. Qui enim gratia valent apud aliquem, illorum preces non facilè ab illo repelluntur. Itaque Paulus commemorat, qua dignitate Christus apud patrem polleat. Hoc loco ita scribit Ambrosius: Nos & de patre, & de filio reddit securos. Antea enim dixerat, Deū nos iustificare: nunc ait de filio, eum pro nobis intercedere: suprà autem de spiritu sancto scripserat, illum pro nobis gemitibus ineffabilibus precari. Scholia Græca addunt, Christum, cùm esset in terris, frequenter orasse pro salute hominum. Dixit enim Petro: Orauí pro te, ne deficiat fides tua. Vtque Ioannes ait: Orauit patrem non tantùm pro credentibus, sed etiā pro creditūris omnibus, vt illos sanctificaret. Affixus etiam cruci eosdem patri suo commendauit, à quibus cōtumelijs, & morte afficiebatur. Atque hîc etiam audimus, illum minimè abiecisse eam curam, quam pro nobis cōseruandis, olim suscepit. Nunc enim, quum regnet in cœlis, tamen patrē pro nobis orat. Non fuit illi satis mori pro nobis, nisi adhuc etiā ministerio suo saluti nostræ seruiat. Arriani eò detorserunt hunc locum, vt ostenderent, filium patre minorem esse: quòd apud eum intercedat. precari enim, & esse supplices, inferiorū esse, non æqualium. Illis occurrit Ambrosius, aitq;, Apostolum ipsum fecisse filium æqualē patri. Ait enim eum sedere ad dextram patris: non posse ergo colligi ex istis verbis, eum patre minorem esse. Verùm hîc duo nobis occurrunt obseruanda: primùm personas in beata Trinitate distinctas esse. Nam si filius orat patrem, necesse est, aliam eius personam esse, aliam patris. Nemo enim orat se ipsum. Deinde obseruabimus patrem esse fontem, & primum principium omnium rerum, & personarū etiam diuinarum. Idcirco filius in nos deriuat ab eo quicquid est cœlestium donorum, & gratiarum. Chrysostomus ab hac sententia non dissentit. Ait enim, Paulum antea posuisse filium Dei æqualem patri, cùm eum dicat illi sedere ad dextram. Quòd autem dicitur orare, id non esse propriè accipiendum, quasi patri sit supplex: verùm sic, inquit, loquitur scriptura, vt ostendat filij erga nos voluntatē. Alioqui omnia habet in manu sua: & quemadmodum pater largitur vitam, ita largitur etiam filius: vtq; pater excitat mortuos, ita excitat etiam filius. quare nihil opus est precibus. Cumq; potuerit per se ipsum viuificare mortuos, redimere damnatos, iustificare impios, quæ opera sunt eximia, & maxima, cur non ea etiam possit, quæ supersunt sine precibus, per se ipsum cōficere? Deinde citat ex posteriori ad Corinth. capite quinto: Legatione pro Christo fungimur, quasi Deus obsecret per nos: Rogamus pro Christo reconciliemini Deo. Ecce, inquit, hîc Deus dicitur obsecrare homines, quum tamen illis cogitari non debeat inferior. Sed salua autoritate istorum Patrum, ego iudicarem alia ratione occurrendum esse Arrianis: Dicerem enim, filium orare patrem, non quà est Deus, sed quà homo est, & creatura. Locus autem adductus ex epistola ad Corinthios non multùm probat. Paulus enim disertè ponit similitudinis notam, ὡς: neque aliud sibi voluit, quàm Apostolos magno affectu agere, velutique obsecrare homines, vt redirent ad Deum. Ex quibus verbis elici non potest, Deum esse supplicem hominibus. Apostoli in Nouo Testamento egerunt maiori cum lenitate, quàm lex, aut Prophetæ in veteri: vbi omnia ferè referta sunt commina-

Quid sit sedere ad dextrā Dei. Metaphora.

Summū honorē, & summā dignitatē significat.

Corpus Christi non tam latè funditur, quàm latè patet natura diuina.

Omnes personæ Trinitatis stant à nostris partib.

Christus adhuc minister est nostræ salutis orando.

Arriani uoluerunt hîc probare filiū minorem patre.

Hinc patet distinctio personarum.

Pater est fons omniū personarum diuinarum, & donorum.

Orare hîc non accipitur propriè.

Deus dicitur obsecrare.

Filius orat patrē, non quà Deus, sed quà homo

Apostoli mitius egerūt, prædicando, quàm lex & prophetæ.

tionibus, & supplicijs. Eaq; verba Pauli ad humanitatem Christi esse referenda, ea, quæ antea dicta fuerant, satis demonstrant. Scripserat autem Paulus, Christum fuisse mortuum, resurrexisse, & subuectũ fuisse in cœlum ad dextram Dei: Quæ omnia cum diuina Christi natura non conueniunt. Quare consentaneum est, eam quoque particulam, quæ sequitur, ad humanam Christi naturam referri oportere: iuxta quam Christus ipse fatetur, se minorẽ esse patre. Ait enim: Pater maior me est. Et quandiu esset in terris, quoniã erat homo, subiecit se magistratibus, & parẽtibus suis: illis enim, vt Lucas narrat, erat subditus. Et apud Esaiam, fatetur, se vnctum fuisse à spiritu sancto: vt intelligamus, naturam eius humanam non solùm patre fuisse minorẽ, verùm etiam spiritu sancto. Deinde negari nõ potest, eum esse nostrum pontificem, & sacerdotem. Pontificis autem est, & offerre sacrificium, & orare pro populo. Christus semetipsum obtulit in cruce: cumq; absoluisset illud ministerium, alterum supererat, quod perpetuò exerceret, nimirũ vt pro nobis intercederet: nisi fortè statuere velimus, illum non amplius esse pontificem Ecclesiæ. At contrà Deus ipse promisit: Tu es, inquiens, Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Et adhuc per Christi sacerdotium peccata nobis condonantur, nosq; ipsi Deo reconciliamur. Habemus pontificem, vt scribitur ad Hebræos, qui ingressus est sancta, non manu facta, sed in cœlum ipsum penetrauit: quiq; potest infirmitatibus nostris compati, tentatus per omnia, secundum similitudinem. Quare debemus cum fiducia accedere ad thronum gratiæ: nam sacrificium pro nobis oblatum est acceptissimum. Per resurrectionem Christi, mors victa est, & infernus. Regno Christi, quod potentissimè exercet ad dextram patris, omnia gubernantur: & preces, quas pro nobis assiduè fundit, patri sunt gratissimæ & acceptissimæ. Legimus supra, etiam spiritum sanctum pro nobis intercedere: quod idem hîc asseritur de filio. Istæ duæ intercessiones si conferantur inter se, intercessio filij erit causa intercessionis spiritus sancti. Ille enim promisit, se iturum ad patrem, & missurum ad nos spiritum sanctum. Ille animos nostros ad precãdum ardenter cum gemitibus, & suspirijs excitat. Christus intercedit apud patrem: quoniã semper apud eum præstò est. Itaq; pater sacrificiũ olim ab eo oblatũ perpetuò recognoscit, illudq; odoratur in odorem suauitatis, & nobis redditur propitius. Atque idcirco Christus appellatur noster Mediator, & Aduocatus. Preces autem eius non tantùm Deo gratæ sunt, verùm etiam coniunctam habent satisfactionem. Quare cùm & Deo gratę, & iustæ sint, repulsam pati non possunt. Nos quidem, dum hîc viuimus, mutuò oramus pro nobis ipsis, idque ex præscripto verbi Dei. Inter nostras tamen, & Christi preces magnum est discrimen. Illæ enim, vti dixi, coniunctam habent satisfactionem: nostræ non habent. Nemo enim est nostrûm, qui vel pro se ipso, vel pro altero satisfacere possit apud Deum. Sanctos autem defunctos pro nobis orare, ex nulla scriptura canonica edocemur. Quare Christum solùm habere debemus pro mediatore, & aduocato: neque incerta pro certis sunt admittenda. Quam ego facilè admisero, sanctos in patria votis ardentissimis salutem electorum optare: non tamen ausim dicere, eos pro illis orare, præsertim quum scriptura id nusquam doceat. Et quanuis id faterer, non tamen ex eo sequeretur, nos oportere, sanctos defunctos inuocare. Non enim certi sumus ex verbo Dei, illos nostras preces audire posse. Grauiter itaque peccant, & in religionem, & in Christum ipsum, qui sibi nouos alios mediatores, & aduocatos, sanctos constituunt: quum vnus tantùm sit mediator Dei atque hominum homo Christus Iesus: qui nunc, vt Paulus ait, pro nobis intercedit. Idem testatur Ioãnes, inquiens: Scribo vobis, vt ne peccetis. Quòd si peccauerimus, aduocatũ habemus apud patrẽ Iesum Christum iustum. Augustinus contra epistolam Parmeniani cap. 8. ex his verbis annotauit Apostolum se ipsum à cæteris non excluisse. Non enim ait, Habetis aduocatum, sed habemus. Neminẽ enim esse adeò sanctum, quin aduocato, & mediatore Christo opus habeat. Præterea non ait: Me habetis intercessorem, se aduocatum habemus Iesum Christum. Taxat autem eo loco Augustinus Parmenianum, qui alicubi scripserat, Episcopos esse mediatores inter Deum, & populum: quod ait esse fidelibus intolerabile. Idem Augustinus libro 10, Confes. cap. 42. ita scribit: Quem inuenirem, qui me reconciliaret tibi? An eundum mihi fuit ad Angelos? At qua prece? quibus sacramentis? Et addit, multos fuisse, qui per Angelos reconciliari voluerint, & miserè decepti fuerint, quòd Angelus malus frequenter se transformet in Angelum lucis. Quòd si nobis cum Angelis agere non licet, multò minus licet cum sanctis mortuis. Hîc enim non minus periculi est à fallacijs, quàm ibi. Hæc eo loco Augustinus & piè, & sanè: qui tamen alibi sui temporis errorem fugere non curauit.

Quis nos separabit à dilectione Dei? num afflictio? num angustia? num persequutio? num fames? num nuditas? num periculum? num gladius? Postquàm Paulus tot rationibus vehementem Dei erga nos cha-

Christi ut pontificis duo ministeria.

Intercessio filij est causa intercessionis spiritus sancti.

Christus mediator & aduocatus.

Preces Christi et gratæ sunt, & iustæ.

Sanctos orare nõ docemur ex ulla scriptura canonica.

Etsi sancti pro nobis orent, non tamẽ sunt à nobis inuocandi.

Nemo tam sanctus, quin intercessione Christi opus habeat.

Episcopos esse mediatores inter Deum & populum est intolerabile.

Angeli non sunt adeundi precibus.

charitatem confirmauit, nunc per interrogationem exclamat, nihil inueniri posse, quod illam dilectionem, qua Deus nos prosequitur, interrumpat. Accuset nos, quicunq; voluerit: accidant res, quantũuis aduersæ: tamen omnia nobis cooperabuntur ad bonum. Hoc enim est proprium diligentis, vt ei, quem diligit, perpetuò benefaciat. Quare quum Deus nos ita amet, quicquid agit, aut quicquid nobis immittit, credendũ est nobis fore salutare. neq; vllæ res aduersæ nobis debent persuadere, nos à Deo non amari. Hæc ergo conclusio est eorum omniũ, quæ antè tractata fuerunt. Quòd autem Apostolus ait se habere persuasissimũ, vtinam id nobis quoq; sit bene persuasum. Recenset ea, quæ durissima videri solent, & quibus homines sæpe franguntur: atque hæc ipsa asserit, non impedire Dei charitatẽ erga nos: tantum abest, vt eam alia possint auferre. Immoratur Apostolus diutius in hoc loco, quòd id carni nostræ, & humanæ rationi difficulter possit persuaderi. Sæpe enim, cùm affligimur, dicere solemus, Deus, Deus meus, quare me dereliquisti? Idque longè alio affectu, quàm quo Christus ea verba pronuntiauit. Clamamus, Vsque quò irasceris Domine? & alia permulta id genus. Quicquid enim acciderit aduersi, id putamus indicium esse irati Dei, quum tamen ille ex summa charitate nos diuexari patiatur. Scio Ambrosiũ, Augustinum, & alios permultos hîc accipere charitatem pro eo amore, quo nos prosequimur Deum: quasi sensus Pauli sit, Quum Deus nos ita dilexerit, nonne nos vicissim illum constantissimè debemus redamare? Atque hæc sententia neque inepta est, neque impia. Alterã tamen ego magis præfero, quòd magis videatur facere ad scopũ Apostoli. Is enim hoc loco conatur persuadere, ne de charitate Dei erga nos ambigamus. Ideóque ait, illum præsciuisse nos, prædestinasse, vocasse, iustificasse, glorificasse, filium suum, & cum eo omnia vnà nobis dedisse, ipsumque Christum pro nobis apud patrem intercedere. Hæc omnia pertinent ad eam charitatem, quam Deus gerit erga nos. Paulò autem pòst Apostolus adijcit: Sed in his omnibus superamus per eum, qui nos dilexit. Hæc verba meæ sententiæ apertissimè subscribunt: ad quam accedit etiam Chrysostomus. Fateor equidem ex hac Dei erga nos beneuolentia excitari charitatem nostram erga illum: Paulus tamen videtur de illa priori, non de ista nostra sermonem instituisse. Qui verò hæc intelligi volunt de nostra charitate erga Deum, solent nonnihil ambigere, num electi, ac verè iustificati possint fidem, charitatem, & cæteras virtutes interdum amittere. Id enim Paulus videtur negare. Ait enim, Nihil esse, quod nos à charitate Dei possit diuellere. Hic enim sensus ex interrogatione, quam proponit, elicitur. Verùm quicquid alij sibi fingant, hoc nobis certissimum esse debet: homines sanctos non tantùm peccare posse, sed etiam interdum grauissimè labi: quod in historia de Dauide ac Petro videmus accidisse. Id autem diuinæ electioni nihil præiudicat. Huiusmodi enim lapsus prædestinatorum non possunt esse perpetui: nam restituuntur, & per pœnitentiam instaurantur. Et quanuis tunc Deus pro illorum merito spiritus sui, & virtutum spiritualium effecta illis eripiat, tamen, quum sit constans & immutabilis, eos amare non desistit: quanuis illi, dum peccatis ita iaceant inuoluti, nec sensum huius occultæ beneuolentiæ habeant vllum, nec fiduciam. Quódque attinet ad Pauli sententiam, dicendum esset, eum non negare, electos interdum & labi posse, & à charitate deflectere: sed tantùm eum ostendere voluisse, eam esse Dei beneuolentiam erga suos, quæ illis persuadere debeat, ne vnquam se patiãtur auelli ab eius charitate. Annotauit Chrysostomus, Paulum hîc non recẽsuisse res leues, & parui momenti. Tacuit enim cupiditatem pecuniarum, ambitum honorum, appetitum vlciscendi, & interdictas voluptates: quæ solent interdum homines firmos abripere transuersos. enumerauit autem horrenda, & grauissima, eáque quæ facilè naturam solent vincere. His enim verbis complectitur ea, quæ solent accidere in vita durissima, & acerbissima: vt carceres, ignes, vincula, dilaniationes, & alia id genus. Vtitur autem interrogatione, qua significet constantem certitudinem. Voces autem, quibus vtitur, non casu, aut fortuitò, sed summa arte spiritus sancti sunt collocatæ. Prima vox est θλίψις ἀπὸ τοῦ θλίβω, quod est frangere, aut premere vehementius. Primùm enim res bene constitutæ premi solent, aut frangi: deinde augetur malum, & accedit στενοχωρία, hoc est, angustia, vbi iam res in arctum contrahuntur, vt nescias, quod nam iam consilium capere, aut quò te vertere debeas. Accedit extrinsecus persequutio, quæ homines amicis spoliat. Sequitur fames, & nuditas: homines enim, quum coguntur fugere, laborant inopia rerum necessariarum. Additur periculum, vt in vitæ etiam discrimen veniatur. Et, ne quid desit, adiectus est ad extremum gladius. Hæc omnia, inquit Apostolus, non habent eam vim vt persuadere possint electis, se à Deo non amari. Hæc piorum incommoda Paulus enumerat in epistola priore

Homines putant aduersos casus indicia esse irati Dei.

Ambrosius hæc de nostra dilectione intelligit.

Lapsus prædestinatorum nõ sunt perpetui.

Artificiosa uerborũ collocatio.

ad Corinthios, capite quarto. Sic enim scribit: Arbitror, quòd Deus nos Apostolos postremos ostenderit, tanquam morti addictos. Quoniam spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus. Nos stulti propter Christum: vos autem prudentes per Christum. Nos imbecilles: vos autem validi. Nos contempti: vos clari. Vsque in hanc horam esurimus, & sitimus, nudi sumus, & colaphis cædimur: incertis vagamur sedibus, & laboramus operantes manibus nostris: malè audientes, benedicimus: persequutionem patientes, sustinemus: conuitijs affecti, obsecramus. Et in posteriori ad Corinthios, In carceribus supra modum, in laboribus abundantius, & quæ sequuntur. Et ad Timotheum, Qui piè volunt viuere in Christo Iesu, persequutionem patientur. Aliáque his similia passim occurrunt in scripturis. Augustinus de doctrina Christiana, & Erasmus in suis annotationibus, hunc locum, quem habemus præ manibus, indicant esse insignem λεπτότητα, & ornamentis Rhetoricis: nempe Gradatione, Antithetis, Contrarijs, Repetitionibus. Vrget etiam Apostolus interrogationibus, nihilque humile hoc loco, aut abiectum loquitur. Omnia enim magnifica sunt, & sublimia, siue res ipsas, siue personas spectare velis. Commemorat vitam, mortem, altitudinem, profunditatem, Deum, Christum, dextram patris, Angelos, dominationes, potestates. Postremò addit, hæc omnia ὑπερνικᾶμεν. Hanc Pauli orationem ita nobilem, & illustrem esse arbitrantur, vt ne Ciceronem quidem, aut Demosthenem putent dicere vnquam potuisse ornatius: non quidem, quòd spiritus sanctus istis ornamentis egeat: sed quòd ille interdum non dedignetur, ad ea se demittere, quum promouere possint vtilitatem nostram. Quod idcirco monendum putaui, vt iuuenes intelligant has vires dicendi pertinere ad dona Dei, eásque sibi vendicandas esse in tempore, vt spiritus sanctus illis posteà vti possit, quum erit opportunum Ecclesiæ.

Locus insignis λεπτότητα, & elegãtia orationis.

Artes dicẽdi nõ sunt ab adolescentibus contemnendæ.

Quemadmodum scriptum est: Propter te morti tradimur tota die: Reputati sumus uelut oues mactationis.

Quoniam difficulter persuadetur rationi, & carni nostræ, nos à Deo amari, quum afflictionibus exercemur, idcirco Paulus addidit probationem è scripturis, quâ istud paradoxũ confirmetur. Nam hîc agendum est fide, quę nitatur verbo Dei. Hoc testimonium desumptum est ex psalmo 44. in quo illi homines proponuntur conquerentes de tribulationibus suis, quos dubitare non possumus Deo fuisse charissimos. Sumus, inquiunt, vt oues deputatæ mactationi, hoc est, quibus nihil certius est, quàm quòd debeant occîdi. Sunt enim quædam oues, quæ aluntur lanę gratia, aut sufficiendę proli: illis vita ad aliquod spatium concedítur. Aliæ destinantur ad culinam: illæ in singulos dies, prout visum fuerit, occiduntur. Itaque sancti in eodem psalmo queruntur, se esse instar ouium cibi. Queruntur aliter secum agi, quàm actum fuerit cum veteribus patribus, quibus Deus præ se ferebat se impensè fauere, quum eos ditaret, pro eis propugnaret, eis victoriam concederet, eósque præclaris nominibus, ac titulis conspicuos, & illustres efficeret. Aliter, inquiunt, modò nobiscum agitur. Traditi enim sumus hostibus tanquam oues mactationis, vt in quos tantum eis liceat, quantum libeat. Verum quidem est, Deum voluisse quandoq; declarare charitatem suam erga sanctos, & veritatem doctrinæ suæ confirmare quum illos bonis, & facultatibus huiusmodi ornaret, vt veri dololatræ intelligerent Deum illum, quem patriarchæ colebant, & autorem fuisse mundi, & omnium bonorum distributorem: vt omnia, quæ expeti solent ab hominibus, posita sint in eius arbitrio. Quod vbi satis declarasset, etiam per res aduersas illos ita fortes reddidit, vt animo magno, & inuicta constantia testarentur, doctrinam Dei esse veram. Qua in re Deus similiter declarauit, se omnium animi bonorum, & virtutum heroicarum esse largitorem, & tantam esse suam potentiam, vt ex rebus etiam contrarijs idem effectum possit elicere. Quod autem Latinus interpres vertit, Mortificamur, reddendum erat, Occidimur. Hebraica enim vox est הרגנו: quanuis Græcum verbum θανατόω sit interdum Mortificare. Eo enim Paulus vsus est in hoc eodem capite, quum diceret: Quòd si spiritu facta carnis mortificetis, viuetis. Sed hîc, vt diximus, θανατόω significat occîdi, & morti tradi. Quod autem sequitur,

Deus usus est ad gloriã suam prosperitatibus & aduersitatib. electorũ suorum.

Deus ex cõtrarijs rebus eadem facit.

Tota die, significat assiduè mortem illis imminere, illósque nunquam securos esse, quin se putent iamiam ad mortem esse rapiendos. Quanquã Chrysostomus alio modo hoc amplificat. Necesse, inquit, est, vt homines semel saltem moriantur: Verùm quum sint parati animo, vt quotidie, si opus sit, mori velint, quotidie fructum habent martyrij, ac si quotidie morerentur. Multùm autem eos causa releuat, & consolatur. Non enim tanquam scelerati, aut malefici occiduntur, sed tantùm religionis, & pietatis ergô. Atq; idcirco aiunt, *Propter te.*

Atque

Atque ea de causa psalmus ille videtur quibusdam, non debere intelligi de prima captiuitate. Tum enim Iudæi non Dei, aut religionis causa plectebantur, sed quòd essent idololatræ, & ita impij, vt Deus illos noluerit amplius tolerare. Prorsus enim iam defecerant à Deo: liber legis erat penè obliteratus: templũ claudebatur: ciuitas Hierusalẽ sanguine prophetarũ redundabat. Est ergo hoc vaticinium de posteriori calamitate, quæ accidit tempore Machabæorum sub Antiocho, & Macedonibus. Tum enim Iudæi grauissima tormenta passi sunt, quòd vellent tueri leges Dei. Idcirco aiũt, Propter te occidimur. Et in alio versu subijcitur, Non tamen propter hæc oblíti sumus tui, aut contra pactum tuum perfidè egimus. Ista non ita dicuntur, quasi homines vnquam grauiora patiantur, quàm fuerint meriti. Nullus enim martyrum ita purè & innocenter vixit, quin aliquibus peccatis fuerit obnoxius. Atqui ea non solùm corporis mortẽ, verùm etiam nisi Christi mors intercessisset, æternas pœnas merebantur. Has autẽ pœnas & vexationes Deus non immittit, vt iratus: sed vt ipsius veritas, & gloria illustretur. Interim tamen, quemadmodum promisit, non solùm illis vitam æternam rependit, sed etiam in hac vita reddit centuplum. Sæpe enim cumulatissimè reponit ea, quæ illius causa amittebantur. Interdum etiam in medijs tribulationibus, atque in ipsa cruce, & morte tantum fortitudinis, & consolationis suppeditat, vt re ipsa plusquàm centuplum sit, si cum illis conferatur, quæ amiserunt. Et quoniam fidei nostræ mysteria arcana sunt, & recondita, vult ea Deus non tantùm scripturarum oraculis testata esse, sed etiam tormentis, & cædibus electorum. Ideóque Christus dixit Apostolis, quum eos mitteret in vniuersum terrarum orbem ad prædicandum: Eritis mihi testes in Iudæa, & in Samaria, & vsque ad fines terræ. Non est autem difficile, verbis testari veritatem. Illa verò testimonia grauissima sunt, quæ sanguine & morte consignantur. Sciendum tamen est, vt Augustinus monuit, pœnas, & supplicia, & mortem non efficere martyres, sed causam: nam alioqui multa grauia patiũtur, qui tamẽ non sunt martyres. Idem enim ad Bonifaciũ de correctione Donatistarum, & alijs in plerisque locis testatur fuisse suo tempore Circumcelliones, furiosum genus hominum, qui si non inuenissent occisores, se ipsos frequẽter darent præcipites, & ipsi sibi manus afferrẽt. Isti, inquit, non sunt habendi pro martyribus. Tria igitur requiri videntur ad rationem martyrij. Primum, vt doctrina, quæ defenditur, sit vera, & sacris literis consentanea. Alterum est, vt accedat integritas, & innocentia vitæ: vt non tantùm morte, sed etiam vita, & moribus ædificent Ecclesiam. Tertium, ne mors iactantiæ causa, aut nominis & famæ cupiditate appetatur. Paulus ait ad Corinthios: Si tradidero corpus meum, vt ardeam, charitatem autem non habeam, id mihi nihil prodest. Itaque nemo Anabaptistas, Libertinos, & alias hoc genus pestes habere debet pro martyribus. Isti enim, quum suos errores defendunt pertinaciter vsque ad mortem, charitate non mouentur nec erga Deum, nec erga homines. Quúmque bonos omnes odio habeant, Satanæ potius sunt, & errorum suorum martyres, quàm Christi. Duo habemus genera testimoniorum, quæ plurimùm conducunt ad notitiam veritatis: non tamen ea vsque adeò firma sunt, vt illis statim debeamus acquiescere: Miracula, & tormenta, quæ alicuius sententiæ defendendæ causa perferuntur. In vtroque genere magna adhibenda est cautio, vt doctrina, quæ proponitur ad gnomonem scripturarum examinetur. Paulus ex Dauide confert pios cum ouibus mactationi destinatis. In hac similitudine duo consideranda sunt. Primum, eos dici oues, quòd sint simplices, vt esse par est gregem Christi: deinde eos in ipsis supplicijs nihil reluctari sequentes exemplum Christi: de quo scribitur, quòd cùm velut ouis duceretur ad mortem, tamen non aperuerit os suum.

Sub Antiocho, & Macedonib. Iudæi multa sunt passi pro lege.

Deus his, q eius nomine uexãtur in hac uita, centuplum reddit.

Grauissima sunt testimonia, quæ sanguine consignantur.

Non supplicia, sed causa facit martyres.

Tria requiruntur ad martyriũ

Anabaptistæ, et Libertini non sunt martyres.

Duo genera testimoniorũ utilia, non tamẽ firma.

In similitudine ouium quæ considerandæ.

Sed in his omnibus superamus. ὑπερνικῶμεν, hoc est, egregiè vincimus. Particula ὑπὲρ hoc loco nihil pertinet ad opera supererogationis. Nihil enim sibi Paulus aliud voluit, quàm tantum viriũ donari à Deo, vt in hac lucta omnes hostes nostros magno interuallo superemus. Diabolus id agit, vt per hæc aduersa nobis extorqueat fiduciam, & dilectionem erga Deũ. At illa hoc pacto augetur potius. Nam tribulatio patientiam operatur: patientia probationem: probatio verò spem. Spes autem non pudefacit. Quibus autem viribus nobis contingat ista victoria, Paulus statim indicat, inquiens:

Per eum, qui dilexit nos, priusquàm nos illum diligeremus. *Et spiritum suum dedit nobis*, per quem potimur præclara victoria, alioqui per nos ipsos futuri longè impares tanto certamini. Deus est, vt prudenter annotauit Chrysostomus, quem in hac pugna habemus commilitonem: ideóque tam illustrem victoriam adipiscimur. Nec tantùm molestias quæcunq; sunt, superamus, sed etiam eos, qui nos insectantur, quantumuis graues & potentes videantur. Quod quemadmodum acciderit in Apostolis, Lucas describit luculenter in Actis. Quum

Deum habemus cõmilitonem in tormentis.

miraculum editum fuisset à Petro, & Ioanne, ita manifestum, vt negari non posset, Pontifices, & Scribæ victi rei magnitudine, quid consilij caperent, non habebant. Quid, inquiũt, his viris faciemus? Ac si dicerent, Hîc planè vincuntur artes nostræ: hîc potentia nostra nõ habet quod agat: hîc quò magis pugnamus, eò magis, apertiusq; superamur. Idem accidit Iuliano Apostatæ, vt habetur in historia Ecclesiastica. Cœperat ille omnibus modis torquere, & vexare Christianos: sed eius crudelitas & impotentia, illorũ patientia vincebatur. Id intelligens eius præfectus, eum submonuit, vt abstineret: ne & nihil proficeret, & se omnibus ridendum exhiberet. Hęc Dei vis efficit, vt per ea ipsa, quę victoriæ aduersantur, magna cum admiratione omnium victoriã illustriorem obtineamus. Quis enim credere posset, victum posse vincere? Occisum, crematum, dilaniatum posse in certamine superare? Hæc natura, ratio, mundus non intelligit. Quare ista adscribenda sunt vni Deo: in cuius manu quum positi sint euentus rerum, non pendent illi ab instrumentis certis, & definitis, sed à proposito, & consilio Dei: cui, quæ resistere videntur, maximè inseruiunt. Quidam videntur sic locum istum accepisse, quasi ideò contingat pulchra victoria, quòd magnitudine beneficiorum Dei extimulemur ad omnia durissima perferenda. Magnitudo verò donorum Dei hac maximè ratione cognoscitur, si cum illis, quæ nos vicissim rependimus, conferatur. Ille, qui pro nobis mortuus est, inquit Ambrosius, vitam suam posuit pro malis seruis. Quid ergo magni rependimus, quum serui inutiles pro bono Domino occumbimus? Huc adde, Mortem illius nobis vniuersis mirificè profuisse: quum è diuerso nostra mors illi nihil prosit. Et iuxta hanc interpretationẽ non est legendũ, *Vt nos per illum, qui dilexit nos*: sed *propter illum*. Eam lectionẽ habet Latina versio. Græcè verò habetur διὰ τοῦ: quæ propositio cum casu gignendi non solet, nisi rarissimè significare propter. Itaque conuenientius est, vt dicamus per eum, quemadmodum exposuimus ab initio. Atque ita legit Basilius ad Amphilochiam, De spiritu sancto, cap. 8. Quo loco pluribus ostendit, quid significet διὰ, quum tribuitur Christo. Non facit illum, inquit, minorem patre: sed hoc facit, vt ille sit mediator inter nos, & patrem: vt per quem quicquid est donorum, aut gratiarum ad nos à patre deriuatur: & per quem accessum habeat ad patrem, quisquis ad illum accedit. Electi enim, & sancti assumuntur à Christo, & iam reconciliati Deo patri offeruntur. Dumque ista declarat, adducit ea verba, quæ habemus præ manibus, & ea ita, vt dixi, interpretatur.

Quomodò beneficiorũ magnitudo rectè cognoscatur.

Persuasum enim habeo, quòd neque mors, neque uita. Paulus videtur Chrysostomo hactenus egisse de ea dilectione, qua Deus nos complectitur: hîc autem conuertere sermonem ad nostram charitatem, & obseruantiam erga Deum: quasi dicere velit, illam ita accensam esse in animis piorum, vt nulla vis creata illos ab eo possit auellere. Redditque causam, cur Paulus ita Christo adhæserit, vt ab eo non potuerit abduci. Quoniam, inquit, Christum ipsum amabat, non ea munera, quæ Christus largiri solet. Quandiu manet fundamentum amicitiæ, tam diu illa quoque constanter durat. Ideóque laudantur amicitiæ, quæ non inani, & mutabili, sed firma, & certa ratione nituntur. Quoniam ergo Paulus Christum ipsum quærebat, qui manet semper idem, & immutabilis, ideirco eius erga illum charitas firma, & constans permanebat. Quocirca illi excidere à Christo fuisset durius, quàm gehenna? vicissim autem illi adhærere, quouis regno iucundius. Ego tamen verisimillimum esse arbitror, Paulum persistere in eo, quod cœperat, vt summam Dei erga nos commendet dilectionem, vt certò sciamus, omnia quantumuis aduersa nobis in bonum esse cessura, quum à Deo nostro tantopere diligamur. Vtram autem interpretationem sequamur, non magni referre arbitror. Vtraque enim & pia est, & verbis atque instituto Pauli non inepte congruit. Dicere tamen voluí, quid mihi videretur magis consentaneum. πέπεισμαι, inquit Apostolus, hoc est, verè sum persuasus. Illam enim, si quæras, habes rationem ἀποδεικτικήν: Deus præsciuit, & prædestinauit nos. At istæ sunt causæ dilectionis Dei erga nos. Id ostenditur ab effectu, quòd optimus pater filium suum dederit nostra causa, & omnia nobis vnà cum eo. Adhæc, multæ dialecticæ, & probabiles rationes idem suadent, ab eximijs illis beneficijs, quæ sentimus nobis quotidie ab illo exhiberi. Ea enim, quanuis etiam malis hominibus sint sæpe communia, tamen vim habent & exhilarandi nos, & consolandi, postquàm semel alijs rationibus firmioribus persuasi simus. Probabilia enim, quanuis ipsa per se non satis perspicuè fidem faciant, adiuncta tamen ad argumenta firma, & demonstrantia rem efficiunt euidentiorem. Deinde si sequi velimus exempla in alijs præclarissimis viris, intelligemus, quo'nam pacto Deus illos summa charitate complexus fuerit. Spectemus etiam singulas nostras actiones: & in illis videbimus

Cur Paulus constantissimè Christum amauerit. Quæ amicitiæ laudabiles.

Rationes ex causis & effectis quòd à Deo diligamur.

Ad quid argumẽta probabilia ualeant.

bimus quemadmodum à Deo & adiuti sæpe, & seruati simus. Quanuis autem sensus noster planè expers sit harum rerum, (est enim alienus à rebus cœlestib.) tamen is quoq; in sanctis efficitur quodammodò spiritualis: quemadmodũ contrà in impijs etiã animus ipse redditur carnalis: itaque omnia, quæ pij etiam sensibus percipiunt, illis testatam faciunt Dei erga se beneuolentiam. Hac ratione Dauid omnia, quæ sensibus occurrerent, contemplans vt pignora diuinæ beneuolentiæ, inuitat, prouocatq; ea ad laudandum Deum. Non quòd ea putaret aut audire, aut loqui potuisse, verùm vt ostenderet, ea esse eius generis, vt quenuis attentum, & pium hominem, qui ea sensibus vsurpet, ad laudes Dei, & gratiarũ actiones possint incitare. Sunt etiam quędam nobis ipsa mente cognitissima, quòd sint prima principia: quibus tantũ conspectis statim sine probatione assentimur. In hac autem scientia diuinę erga nos charitatis, habemus pro primo principio spiritũ sanctum. Ille nobis intus atq; in animo fert testimoniũ, quòd simus filij Dei. Cùm ergo tot modis probata sit dilectio Dei erga suos, Paulus rectè ait, sibi persuasum esse. Cęterùm omnes istę rationes sunt eiusmodi, vt nitantur fide. Qua vna sublata, nihil hîc habebimus perceptum, nihil cognitum. Facit hic locus mirum in modum ad stabiliendam certitudinem nostræ salutis. Neque verò illi audiendi sunt, qui vt hunc locum nobis extorqueãt, respondere solent, ista tantùm ad Paulum pertinere: quasi ille solus, & alij pauci, qui reuelatione redditi fuerint certiores de sua salute, possint dicere, sibi omnino persuasum esse, se à charitate Dei nunquã fore abijciendos. Hîc certè non narratur historia: non refertur quemadmodũ Paulus vocatus fuerit in via: non scribitur quo pacto in sporta de muro demissus fuerit: tantùm conclusio inducitur earum rationum, quibus probare voluit, Deum nos vehementissimè diligere. Quare locus iste non solùm ad Paulum pertinet, sed etiam ad omnes fideles. Nihil enim contra nos facit, quòd Paulus sentẽtiam suam sub prima persona extulerit. Nam alioqui diceremus, id, quod scribitur ad Galat. Viuo ego, iam nõ ego, viuit verò in me Christus, de Paulo tantũ intelligendũ esse, nihil ad nos pertinere: Quodq; ait ad Philip. Mihi viuere Christus est, & mori lucrũ: Quodque ad Corint. Ego non arbitror, me scire aliquid, nisi Christum Iesum, & hunc crucifixum: & alia sexcenta huius generis, de nemine alio intelligi oportere, nisi de Paulo: quæ tamen omnia quiuis Christianus debet ad se accommodare, vt sententia illa Poetæ huc pulcherrimè quadrare possit, Heus tu, mutato nomine de te fabula narratur. Quòd si interdum quod ad hanc certitudinem attinet, titubamus, id non fidei vitio fit, sed quòd nos illam absolutam perfectámque non habeamus. Vt si quid Mathematicus de principijs artis suæ dubitet, id eius facultati non debet attribui: (est enim omnium aliarum certissima) sed eius potius inscitiæ, qui artem suam perfectè non didicerit. Quare, si nos aliquandò, vt fit, vacillamus de nostra salute, nullum est aliud opportunius remedium, quàm vt oremus cum Apostolis: Adauge nobis fidem. Ita Petrus fecit, quum se videret, iamiam obrui fluctibus. Ea omnia, quæ nobis aduersantur, Paulus in epistola ad Ephesios, redegit ad duo capita. Alia enim in natura posita sunt: alia à spiritibus aduersarijs importantur. Ita enim scribit: Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus spirituales astutias in cœlestibus. Hæc duo Apostolus miscet, ne quid relinquat. Quæ autem commemorat, tanti sunt momenti, vt videantur posse hominem à Deo alienare. Per vitam, & mortem intelligit omnia discrimina, quibus de vita, & morte periclitamur. Istorum omnium non est tanta vis, vt possint Dei erga nos charitatem interrumpere. Sed quum versamur in his discriminibus dicendum est, vt Paulus monuit in hac epistola: Siue viuimus, siue morimur, Domini sumus. In hoc enim Christus mortuus est, & resurrexit, vt viuorum, & mortuorum dominetur. Et ad Philippenses: Nunc, quemadmodum antea, Christus glorificabitur in corpore meo, siue per vitam, siue per mortem.

Sensus quodammodò efficiũtur spirituales in hominibus pijs.

Cur Dauid res inanimas ad laudandũ Deum inuitet.

Prima principia scientiæ diuinæ charitatis.

Iste locus facit pro certitudine salutis.

Locus iste uniuersaliter accipiendus est, non particulariter, quasi ad solum Paulũ attineat.

Quæ sub persona Pauli dicuntur, sæpe ad omnes attinent.

Vnde sit nostra fluctuatio de salute.

Simile.

Remediũ uacillationis.

Duo capita rerum, quæ nobis aduersantur.

Quid dicendũ, cùm premimur aduersis.

Neque Angeli. Angeli, vt est in epistola ad Hebræos, sunt administratorij spiritus, qui in ministerium emittuntur, propter eos, qui erunt hæredes salutis: quod non potest intelligi, nisi de bonis. Mali enim sæpe emittuntur ad puniendos impios, & ad tentandos homines: quanuis illorũ quoq; tentatio prędestinatis non sit inutilis. Cõstat verò Angelos malos omnibus modis contendere, vt nos abducant à Deo: quod tamen non efficient: tanta est erga nos Dei charitas. De bonis autem Angelis nihil tale possumus suspicari: illi enim errantes, quantum possunt, ad Deum reuocant, & de peccatorũ pœnitentia mirificè gaudent: quanuis & ipsi nonnunquam ad puniendum mittuntur. Chrysostomus tamen ostendit locum hunc etiam de bonis Angelis posse intelligi per ὑποβολὴν, aut ὑπόθεσιν. Quanuis enim hoc Angeli boni non faciant, tamen etiamsi facerent, conatus esset irritus: Nam ad eundem modum Paulus scribit ad Galatas: Si Angelus de cœlo doceat vos aliud Euangelium,

quàm quod didiciſtis, ſit vobis anathema. Et ad Corinthios: Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil ſum. Ea verba non ita ſunt accipienda, quaſi vera fides poſsit eſſe ſine charitate: ſed ſi ita poſſet fieri, nihil eam eſſe profuturam.

Neque principatus. Fortaſſe intelligit ſublimiores ſpiritus, quibus non niſi prouinciarum, & imperiorum, & regnorum cura committitur. Hoc ſenſit Daniel, quum ſcriberet de principe Græcorum, & Perſarum, & Michaelem populi Dei principem induceret.

Poteſtas & donum ſanationis opponuntur.

Neque poteſtates. Poteſtas, aut δύναμις apud Paulum ſignificat vim diuinitus collatam, ad edenda miracula, quibus cohibeantur impij: cui è diuerſo reſpondet τὸ ἴαμα, quod eſt, donum ſanationis. Vt enim illa facultate homines impij caſtigabantur, ita iſta vexati curabantur. Hac vi Petrus Ananiam, & Saphiram interfecit: Paulus Elymam Magum excæcauit, & multos, qui grauiter peccauerant, tradidit Satanæ. Hîc autem vocantur iſto nomine Angeli, qui mittuntur à Deo ſumpturi ſupplicia de impijs: quales fuerunt, qui Sodomam, & Gomorrham euerterunt. Talis etiam fuit Angelus, qui ſeſe interpoſuit inter caſtra Aegyptiorum, & populum Dei, & Pharaonem cum ſuis in mari præfocauit, quemq; Dauid conſpexit in area Areuna graſſantem in populum Dei, quiq; exercitum Sennacherebi abſumpſit incendio: etſi Deus eadem quandoque faciat per Angelos malos. Ita enim Dauid canit in pſalmo, Deum inflixiſſe plagas Aegyptijs per Angelos malos. Appellat ergo hoc loco Paulus ordines Angelorum per illorum miniſteria, atq; officia. Eoſdē autē titulos aſsignari tam bonis Angelis, quàm malis, apparet ex epiſtola ad Epheſ. duobus locis. Ita enim ſcribitur, Aduerſus principatus, & poteſtates mundi rectores: & in 2. capite ait, Nos aliquando vixiſſe iuxta ſeculum mundi huius, iuxta principem poteſtatis aeris. Neque verò iſta miniſteria Angelorum futura ſunt perpetua. Paulus enim ſcribit in priori ad Corinthios, Delendum eſſe omnem principatum, & poteſtatem, quum Chriſtus tradiderit regnum Deo, & patri: non tamen, quòd naturæ ipſæ, & ſubſtantiæ Angelorum ſint abolendæ: ſed quòd iſta officia non amplius futura ſint vſui, poſtquàm ſemel ad æternam felicitatem transferemur. Annotatione autem dignum eſt, in ſacris ſcripturis paucisſima tradi de Angelis. De illis enim accuratè, & ſubtiliter inquirere, magis ad curioſitatem noſtram facit, quàm ad ſalutem noſtram. Quæ autem ad ædificationem faciant, ea in ſcripturis diligenter proponuntur. Quod vtinam ſcriptores ſcholaſtici obſeruaſſent, ea in ſcripturis ſpinoſa, & inutilia reliquiſſent, quæ hodie fruſtra, & magna cum offenſione diſputantur. Vtile nobis erat intelligere eſſe aliquos angelos noſtris miniſterijs deſtinatos: ex eo enim intelligimus diuinam erga nos bonitatem. Ex altera etiam parte vtile eſt intelligere, eſſe aliquos malos ſpiritus, à quibus aſsiduè oppugnemur: & vt nobis ab illis caueamus, & vt aduerſus eos Dei auxilium imploremus. Atque hæc quidem, quoniam vtilia ſunt cognitu, ſacra ſcriptura non reticuit. Ambroſius exponens hunc locum, oſtendit nos à malis ſpiritibus fruſtra oppugnari. Ait enim, Simonem Magum ſubuectum in aerem volaſſe, idq; conſpectum fuiſſe publicè: non tamen eius fraudibus ſuccubuiſſe veritatem.

Tituli ordinum tam malis, quàm bonis Angelis aſſignantur.

Miniſteria Angelorum non erunt perpetua.

De Angelis pauca in diuinis literis habemus.

Neque inſtantia, neque futura. Hæc intelligi poſſunt de hoc ſeculo, & de futuro: aut de bonis, maliſque, quæ nobis offeruntur in præſentia: aut de illis, quæ nobis bene, maléue caſura promittuntur: vt accidit in tentatione primorum parentum. Tum enim fructus interdictus pulchrum ſeſe viſui, & guſtui ſuauem offerebat. Promittebatur ſimilitudo Dei, & noua prudentia, quaſi tum cæci eſſent, & oculos haberent clauſos. Latinus interpres addidit Fortitudinem: quæ tamen vox in Græcis codicibus non reperitur. Quare mihi videtur eſſe omittenda: & præſertim, quum antitheſin ſuam non habeat, quam alijs vocibus diligenter videmus adſcriptam.

Angeli ſumpſerunt interdum ſupplicia.

Neque altitudo, neque profunditas. Altitudo ſignificat, quicquid è cœlo nouum, atque inſitatum cõtingit: profunditas quicquid erumpit ex abyſſo, & infimis regionibus terrarum. Aliter autem altitudo accipi poteſt pro ſublimitate, & ſplendore rationum humanarũ, quæ è philoſophia peti ſolent. Paulus enim in poſteriori ad Corinth. ait: Arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia, ſed potentia Deo ad demolitionem munitionum, quibus conſilia demolimur, & omnem altitudinem, quæ ſe extollit aduerſus cognitionem Dei. Et iuxta hanc ſententiam per Profunditatem intelligemus, humilitatem animi, & læſionem corporis, ſecundum præcepta, & doctrinas hominum, quę verbotenus habent ſpeciem ſapientię, vt habetur ad Coloſſ, cap. 2.

Neq; ulla alia creatura poterit nos ſeparare à dilectione Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Hanc partem Paulus adiecit, vt exiſtimat Ambroſius, quò declararet, nos ne ab alia quidem vlla creatu-

creatura, quæ de nouo producatur, posse à Deo reuocari. Quasi antea creaturas eas, quæ extent enumerauerit, & deinde subijciat, neq; aliam creaturam vllam si produci posset, tantum habituram esse virium, vt dilectionem Dei, qua nos prosequitur, possit interrumpere. Citatq; Iannem, & Mambrem, qui coram Pharaone cum resisterent Mosi, suis præstigijs, nouas creaturas videbantur excitare. Mihi verò simplicior videtur expositio, vt dicamus, Paulum hac clausula voluisse absoluere inductionem, quam cœperat. Cùm enim vtimur inductione, & multa singularia collegimus, solemus addere ad extremũ cętera quoq; ita se habere, ut absoluatur ratio, quę alioquin esset imperfecta. Ita Paulus, cũ per antithesin omnia fere commemorasset, addidit pro clausula: Et si quæ sit alia creatura præter ista, tamen ea non poterit nos separare à charitate Dei.

Iannes & Mambres.

Quæ est in Christo Iesu domino nostro. Hoc additur ne putemus, nos nostra ipsorum causa amari à Deo. Ex nobis enim ipsis sumus illi odiosi, postquam originali labe quam contraximus ex Adamo, & alijs multis adiectis peccatis contaminati sumus. Nihil autẽ esse, quod Paulum posset diuellere à dilectione Dei, Chrysostomus ex eo facit coniecturã, quòd honoris Dei causa non recusarit abijci in gehennam. Atque hoc addit, proprium esse viri ingenui nunquam velle discedere à patre suo, quamuis ab eo acerbius castigetur. Nam qui adhæret Deo, & eius charitate ac beneuolentia tegitur, est instar lapidis quadrati, qui quocunque modo ceciderit, rectè cadit. Ex hac Pauli argumentatione facilè colligimus, Ecclesiam nunquam prorsus defecturam à Deo, nec vlla vnquam futura esse mala tam potentia, quæ illam possint funditus euertere. Quod Christus alijs verbis pollicitus est Petro: Portæ, inquiens, inferi non præualebunt aduersus eam. Est enim ea ceu rupes quædam fortissima, quæ quamuis fluctibus feriatur, loco tamen moueri non potest. Nam Ecclesia pertinet ad prædestinationem, & Dei charitate protegitur.

Simile. Ecclesia nunquã à Deo deficiet.

Quare nulla creatura potest contra eam præualere.

CAPVT NONVM.

HIVS capitis initium his, quæ iam dicta sunt, varijs modis connectitur. Chrysostomus enim, vt diximus, putat, Paulũ velle re ipsa ostẽdere, quàm firmiter diuinę charitati sit obstrictus: nimirum, quòd Dei causa paratus sit etiam exitium libenter subire. Alij verò arbitrantur, nouum hunc Apostoli sermonem ex eo nasci, quòd antea dixit, eos, quos Deus elegisset, nulla vi separari posse ab eius charitate. Itaque mirum videri potuisse, quomodo natio Hebræa potuerit à Deo reijci, quam vnam Deus præ cæteris omnibus nationibus elegisset. Quare aiunt, Apostolum statim subiecisse, nequaquam omnes Iudæos ad electionem Dei pertinuisse: casumq; illorum Dei decretis minimè aduersari. Mihi verò Apostolus videtur nouum quodammodo caput orationis sibi constituere. Hactenus enim probauit, iustificationem non contingere ex humana sapientia, aut philosophia, neque etiam ex operibus nostris, aut obseruatione Legis, sed tantùm ex fide Christi. Verùm duo alia supererant magni ponderis, quæ illum oportuit dissoluere. Illis enim duobus homines vehementer mouebantur: quibus nisi satisfieret, Apostolus videri posset lusisse operam. Illorum alterum erat, quòd promissio de salute facta esset posteritati Abrahami, & semini Israelis. Nunc autem, cùm illud genus hominum fidem in Christum non recipiat, necesse est, aut Dei promissionem esse irritam, aut, si Iudæi seruandi sint, iustificationem esse posse sine fide in Christum. Alterum: In nulla natione extitit vnquam tanta iustitia, tantum studium pietatis, tanta obseruatio Legis, quanta inter Iudæos. Absurdum autem fuerit, si dicamus, Deum nolle complecti eiusmodi iustitiam, quæ omnium nationum probitatem superaret. Ista duo sunt eiusmodi, vt de illis dubitare nemo possit: videlicet diuinas promissiones firmas esse, & egregiam iustitiam Deo esse gratam. His Paulus occurrit tribus proximis capitibus. Primùm ait, promissiones factas esse electis Dei: & addit, populum Israeliticum externum non esse re vera illum populum, cui factæ sint promissiones, quod ad multitudinem vniuersam attinet: atque id probat oraculis scripturarum. Quare si Iudæi excæcentur, ait, non sequi ex eo, Dei promissiones esse irritas. Postea distinguit iustitiam, vt alia sit externa, quæ constet ritibus & operibus: alia verò interior, quæ sita sit in spiritu & fide. Priorem illam ait Deum nihil morari: posteriorem autem esse, qua ille vnicè delectetur, quamq; perpetuò cõplectatur, eaq; Iudæos fuisse destitutos. Itaq;

Methodus.

Distinctio populi Israel.

Distinctio iustitiæ.

Deum externam illorum iuſtitiam nihili feciſſe. Hæc nono & decimo capite tractantur. Vndecimo verò, ne Iudæi putarent ſe funditus eſſe reiectos, Paulus addit ex illo populo ſu-
pereſſe nonnullas reliquias, quæ ſucceſſu temporis ad Chriſtũ ſint adducendæ. Quòd autẽ
Methodus noni capitis. attinet ad nonum caput, Apoſtolus ſeruat hunc ordinem. Primùm cùm Iudæis acerbũ eſſet audire promiſſiones Dei ad ſuum genus non ſpectare, & ſe ad numerum electorũ non pertinere, oſtendit Paulus, ſe iſta ſecum magno cum dolore cogitare, & paratum eſſe vel æterno ſuo exitio eam calamitatẽ redimere: Quibus verbis ſatis oſtendit, ſe nõ adduci odio gẽtis ſuæ, vt iſta de ea prædicet. Deinde accedit ad rem ipſam, fateturq; promiſſiones Dei cõſtantes eſſe: verùm illas non ad carnis propaginem pertinere. Idq; probat exemplo lucu-
lentiſsimo de Iacobo, & Eſau. Nam cùm illi ex ijſdẽ parentibus nati eſſent, tamẽ alter à Deo electus eſt, alter reiectus. Hîc Paulus inducit rationem humanam quiritantẽ, quòd Deus nõ agat eodem modo cum omnibus. Sed Apoſtolus reſpondet, quærendam non eſſe cauſam electionis Dei: Quod ipſum cùm humano ingenio non ſatisfaciat, excitatur alia querimonia, cur nobis vitio vertendum ſit, quòd ſimus obſtinati, nec accedamus ad Deum, cùm ea non videatur eſſe noſtra culpa, ſi Deus nos non elegerit? Hîc Paulus ait, non oportere vas figulinũ de ſuo fictore conqueri: Deũ alia vaſa finxiſſe ad honorẽ, alia verò ad contumeliã. Quam collationem nos cùm memoria repetimus intelligere debemus, quantum beneficij adepti ſimus, quòd diuinæ electionis ſimus participes. Quòd ſi Deus aliquos elegit è Iudæis, & plures ex Ethnicis, id ſcripturæ oraculis nõ aduerſatur, ſed potius teſtimonio Oſeæ Prophetæ confirmatur. Neque eſt cur Iudæi iuſtitiam ſuam iactitent, cùm illis non datum ſit, vt credant. Itaque iuxta Eſaiam impegerunt in lapidem. Quodq; alijs robur, & fundamentum extitit, id illis factum eſt ruina, & ſcandalum. Habent iſta diligenter conſiderata magnam
Vtilis eſt noſtris temporibus hæc tractatio. vtilitatem, & ad noſtra tempora optimè conueniunt. Videbatur eo tempore abſurdũ, quòd in Iſraelitico populo tam pauci crederẽt: & nobis hodie obijcitur, paucos eſſe, qui Euãgeliũ verè profiteantur, & ex eo viuant. Eo tempore ſuſpicabantur homines, Chriſtum non fuiſſe Meſſiam promiſſum in lege, quòd illè debuerit ſeruare Iudæos: iſte autem pauculos admodum ex illis elegerit. Præterea illi iactabant nomen populi Dei: ita hodie nobis obijcitur titulus Eccleſiæ. Et homines abſurdum eſſe arbitrantur, maximam partem orbis terrarum ab Euangelio diſſentire, & illos præſertim, qui honoribus & mundi ſapientia videntur excellere. Adhæc Paulus oſtendit, quæ ſint principia Eccleſiæ, videlicet electionem Dei, &
Quæ ſint principia Eccleſiæ. verbum. Hinc ait, rem metiendam eſſe, non authoritate, & applauſu multitudinis, aut ſplendore huius mundi. Hîc ergo locus inſignem habet conſolationem, ne noſtræ paucitatis nos pœniteat. Quanquam nõ dubitamus, Deum pro ſua miſericordia numerum in dies eſſe auctu-
Quibus rebus ecclesia interdum uincatur ab alijs cœtibus. rum, quò cœtus electorum impleatur: interim tamen fatemur, Eccleſiam neque à propagatione carnis, neque ab immenſa multitudine, neque à dignitatibus & honoribus, neque ab ingeniorum dotibus eſſe æſtimandam. his enim notis ſæpè ab alijs nationibus vincitur. Hæc duo, quæ hoc loco exagitantur à Paulo, nimirum, confidentia de ſtirpe, ac ſanguine, &
Genus ſuũ & opera ceremoniarum Iudæi plurimum iactabant. rituum, ac ceremoniarum fiducia, etiam Prophetarum temporibus iactabantur ab impijs Iudæis. Illi enim ſibi perſuaſerant, nunquam fore, vt vel ipſi in captiuitatẽ ducerentur, vel Reſpublica Iſraelitica vnquam eſſe, & florere deſineret. Prædicabant, ſe eſſe ſtirpem Abrahæ, & Patriarcharum: de ceremonijs autem, & externo Dei cultu tanta ſuperbia intumebant, vt eos Hieremias Propheta elegãti μίμησει hoc pacto irriſerit: Dicunt, inquit: Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini. Nitebantur etiam multitudine: cùm tamẽ re vera neque paucitas, neque multitudo ſatis firmum, & certum ſit argumentum de Eccleſia. Eſt
Eccleſia non eſt metienda penes multitudinem. paralogiſmus accidentis. Hæc enim tantùm ſunt Eccleſiæ accidentia. Sed multitudo, inquies, & numerus faciet argumentum ἐνδοξον. Fateor. At iudicium ſapientum, & meliorum eſt multò adhuc ἐνδοξότερον: illi autem ſæpe numero ſunt paciſsimi. Deinde opinio multitudinis faciat ſanè argumentum probabile: non tamen facit verum, aut neceſſarium. Neq; ita
Probalia nõ ſemper uera imò ſæpe falſa. poſſumus colligere: hæc ratio eſt probabilis, aut veriſimilis: ergo eſt vera. Multa enim ſpecioſa, & probabilia inueniuntur, quæ tamen poſteà cùm excuſſeris, inuenias eſſe falſiſsima. Et è diuerſo multa prima fronte videntur abſurda, quæ tamen, ſi explores, deprehendas eſſe
Numerus uerè credentium paruus eſt. vera. Docet nos experientia, numerum verè credentium admodum paruum eſſe, ſi cum Turcis, Iudæis, Hæreticis, Epicuris conferatur. Et Chriſtus ſuum gregem puſillum vocat: fateturq; multos quidem vocatos eſſe, paucos verò electos. Præterea Paulus hoc loco, & Prophetæ paſsim teſtantur non omnes Iudæos ſeruandos eſſe: ſed tantùm reliquias aliquas fore ſaluas. Cauſa ergo nec confirmatur, nec refutatur nomine paucitatis, aut multitudinis. Au-
Paucitas & multitudo cauſam non confirmant. guſtinus tamen videtur interdum obijcere Donatiſtis, quòd, cùm pauci eſſent, tamen ſibi aſcri-

aſcribérent Eccleſiam, damnato vniuerſo terrarum orbe. Verùm ſi quis diligẽter legat illas diſputationes Auguſtini, intelliget, Donatiſtas trib. in rebus maximè erraſſe. Primùm, quòd totam Eccleſiam in Aphrica tantùm, & in ſua multitudine eſſe crederent: alias autem Eccleſias per orbem terrarum diſperſas corruptas dicerent, quòd multi cum eis communicaſſent qui ſacros libros prodidiſſent: quaſi in hac vita Eccleſia aliqua poſsit inueniri, quæ careat prorſus omni labe, & ruga. Adhæc iudicabant, ſacramenta miniſtrorum improbitate contaminari: eoq; eos, qui ad ſuam Eccleſiam cõfugiſſent, rebaptizabant. Nos autem ſentimus, Chriſtum vbique terrarum habere Eccleſias ſuas. Nihil enim magis proprium eſt Eccleſiæ, quàm eſſe Catholicam, neque aut locis certis, aut perſonis ita alligari, vt aliàs eſſe nõ poſsit. Cauſa autẽ verbo Dei probanda eſt, non iudicio multitudinis, aut paucitatis. Nihil ergo eſt, quòd Anabaptiſtæ, aut Papiſtæ glorientur, illi de paucitate ſua, iſti de multitudine. Veritas em doctrinæ veris, & neceſſarijs argumentis petitis è verbo Dei probãda eſt, nõ probabilibus.

Tres errores Donatiſtarum.

Eccleſiæ proprium eſt ut ſit catholica.

Cauſa probatur uerbo Dei non paucitate uel multitudine.

Veritatem dico in Chriſto: non mentior: ſimul atteſtante mihi conſcientia mea. Ex his non modò ea diluuntur, quæ aduerſantur illi doctrinæ, quam expoſuimus, ſed etiam ſalutis noſtræ fons ipſe oſtenditur: fons, inquam, iuſtificationis, & gratiæ. Electio enim eſt Dei: à quo omnia bona dimanant. Cùm itaque Apoſtolus dicturus eſſet ea, quæ auditores moleſtè eſſent accepturi, præfatione aliqua voluit illorum animos ad audiendum præparare. Qui enim aliquid ſtudet alteri perſuadere, in primis videre debet, vt ſibi auditorem conciliet. Non enim ſolemus facilè audire eos, quibus nos odioſos eſſe ſuſpicamur. Ita autem librata, & temperata eſt hæc Apoſtoli oratio, vt nec nimium exulceret animos Hebræorum, nec illos tamen interea aliquid cælet, quod eos noſſe oporteat. quod idem concionatores noſtrorum temporum facere oportet. Frequenter enim peccari videmus in vtranque partem. Quidam enim aduerſarijs ſuis ita blandiuntur, vt multa illis remittant, quę remittenda non erant, & multa reticeant, quæ tamen ad ſalutem ſint cognitu neceſſaria. Ex altera parte quidam videntur ferri tanto ſtudio pietatis, vt illis ſatis non ſit, ea, quæ vera & neceſſaria ſint, docere, niſi inſuper aduerſarios omnibus modis exagitent. Atque ita fit, vt homines, quos illi volebant ad Chriſtum adducere, huiuſmodi conuicijs & clamoribus defatigati, in dies magis magisq; ab eo reſiliant, nedum veritatem ita oblatam amplectantur. Propoſitio Apoſtoli hoc loco hæc eſt: Incredibilem animo dolorem accepi ob reiectionem Iudæorum. Dolor, vt ait Cicero in Tuſculanis quæſtionibus, eſt ægritudo, quæ animum excruciat. Ea autem ſuſcipitur propter malum, quod iam imminere, & præſens eſſe videatur. Nam ægritudo propter malum, quod futurum ſit, non dolor, ſed timor appellatur. Si requiras, vnde naſcatur iſte dolor, reſpondeo, ex amore. Cùm enim malè ſit illis, quibus bene volumus, incipimus dolere. Illis autem, quos negligimus, aut charos non habemus, ſi quid infeliciter accidit, id nobis non ſolet eſſe moleſtum. Amplificat Apoſtolus miris modis orationem ſuam. Non enim tantùm dixit λύπην, ſed etiam adiecit ὀδύνην. Ea vox non vulgarem dolorem ſignificat, ſed eum, quo mulieres, cum parturiunt, cruciantur: quo dolore nullus ferè grauior aut acerbior exiſtimatur. Cumq; dixiſſet, *Magnum*, addidit etiam, *Aſsiduum*. Multæ enim ſunt moleſtiæ, quas temporis diuturnitas mitigat. Paulus autem ait, dolorem ſuum eſſe perpetuum. *Cordi meo.* Non eſt iſta qualitas momentanea, qualis eſſe ſolet ea, quæ ex vehementi quidem paſsione oriatur, ſed breui, & temporaria. Hic autem dolor radices altiſsimas agit in corde Pauli. Hebræos appellat fratres ſuos, quamuis ſæpè ab eis peſsimè acceptus. Erat ipſe Hebræus ex tribu Beniamin, quemadmodum ſcribit in epiſtola ad Philippenſes. Appellat autem eos fratres ſecundum carnem, vt ſignificet, ſe ab eis in religione diſſentire: vt qui nec iuſtificationem, nec adoptionem conſecuti eſſent per fidem Chriſti.

Quid obſeruare debeant concionatores.

Quid ſit dolor.

Amor cauſa doloris.

Dolor parturientium.

Optarim eſſe anathema. Dicere potuiſſet, vellem, aut ferre poſſem eſſe anathema. Sed verbo vehementiori ſignificare voluit vim ſuæ voluntatis. Eſſe anathema, longè plus eſt, quàm auelli, aut ſeparari. Iſta enim finem aliquem habere poſſunt. Quòd autem anathema factum ſit, nunquam licet poſtea vſurpare. Vt autem adderet verbis maiorem emphaſin:

Anathema nunquam licet uſurpare.

Ego ipſe, inquit, Optarim. Qua duplicatione pronominis ſe ipſum quàm ſignificantiſsimè voluit exprimere. Et cùm addit, *A Chriſto*, maius etiam adhuc pondus accumulat. Illum enim dicit Chriſtum, quem ſibi fatetur eſſe vitam, ſcientiam, ſapientiam, iuſtificationem, redemptionem: & à quo paulò antè prædicauit, ſe nulla ratione poſſe diuelli. Quid propriè ſit *Anathema*, Chryſoſtomus hoc loco fusè declarat. Anathemata, inquit, ea ſunt, quæ Deo conſecrata ſeponuntur ab alijs rebus, quæq́ue nec attingere, nec vſurpare quiſquam auſit. Itaq; per translationẽ illi quoq; dicuntur anathemata, qui ab Eccleſia tanquam cõtagioſi, & execrabiles remouentur, quibusq; nemo poſtea auſit vti familiariter. Vtriſq; hoc

Quid anathema

commune est, vt separentur, & remoueantur ab hominibus: sed ratio est longè diuersa. Illa enim honoris causa separantur, isti verò horroris, & odij, quòd sint detestabiles. Itaq; interdum appellantur piaculares. Latini quoque eodem modo *Sacrum* & in bonam partem vsurpant, & in malam. Nam Horatius, Sacer, inquit, intestabilis esto. Et Virgilius, Auri sacra fames. Hebræi quoque solent ita קדש vsurpare in vtranque partem: vt vox ea quandoque sit sanctificare, quandoque polluere: vt habetur Haggæi. 2. & Deuteron. 22. Apud eosdem ea dem voce significatur sanctus, & scortum, tam mas, quàm fœmina: vt habetur Deuter. 23. Anathema verò Hebraicè dicitur חרם. Sed vt ad Græcam vocem redeam anathemata alio nomine dicuntur Ἀφιερωμένα, dicata Deo, quòd vel seponantur, vel suspendantur. Ex hac declaratione satis apparet, quid Paulus sibi optauerit. Probationes propositionis suæ, qua dicit, se tam magnum dolorem accepisse, vt velit libēter pro fratribus suis fieri anathema, sunt duorum generum. Altera est à testibus, altera verò à causa. Est autem causa quòd sint Israelitæ, ad quos pertineat adoptio, Lex, gloria, testamenta, promissiones, quodq; Christus secundum carnem fuerit ex illorum patribus. Quod attinet ad primum caput de testibus, ait se dicere veritatem in Christo, quasi agat coram illo, eumq; sui sermonis testem citet. Deinde testatur suam ipsius conscientiam: idq; rectè, præsertim cùm de ea re agatur, quam præter Paulum cognoscere nemo possit. Nos enim soli nobis ipsis conscij sumus nostrorum affectuū: ideo Paulus conscientiam suam, quasi ad tribunal Dei testem vocat. Et quoniam ea quandoq; potest falli, cùm quisque sibi ipsi plus æquo blandiatur, & affectus suos maiores, quàm re ipsa sint, faciat, ideo addidit, *Per ſpiritum ſanctum.* Conscientia enim ab illo directa, & temperata nunquam fallitur. Hoc ergo iusiurandum Apostoli tribus cōstat insignibus testibus. Iurat autem magna cum grauitate, non leui, aut futili de causa, sed ea, quæ magnum adferat momentum ad salutem: illisq;, ad quos scribit, mirificè conducat. Cumq; sacramento cōtendat, se tantum cepisse dolorem, quantum iam exposuit, apertissimè liquet, ἀπάθειαν illā Stoicorum hominibus Christianis non conuenire. Quædam enim sunt ita natura comparata, vt statim, atque oblata sunt, naturali quodam motu ab illis abhorreamus: vt est mors: vtq; etiā sunt acerbi casus, cùm illis contingunt, qui nobis vel genere, vel patria coniunguntur. Christus certè fleuit de excidio Hierosolymorum: & tristis fuit, cùm esset paulò pòst moriturus. Et Paulus in posteriori ad Corinthios ait, se, cùm venerit, defleturum esse illos, qui non egerint pœnitentiam. Samuel Saulem reiectum à Deo prosecutus est lachrymis. Eundem Dauid occisum publico defleuit luctu. Hieremias etiam captiuitatem, & euersionem populi sui multis lachrymis & carminibus deplorauit. Sed ista, inquies, accidunt amicis nostris prouidentia & iussu Dei. quare, cùm acciderint, à sanctis viris lugeri non debent. Alacriter enim parendum est voluntati diuinæ. alioqui quid quotidie precamur, Fiat voluntas tua? Verùm scire debes, vtrunque posse fieri, prout animus noster diuersa spectat. Cùm enim intuetur graues casus, & calamitates hominum, eorum præsertim, quibus est aliqua necessitudine coniunctus, & dolet, & libenter vellet illa mala magno redimere. Contrà verò cùm intuemur decretum, prouidentiam, & voluntatem Dei, non tantùm ea boni consulimus, quæcunque sunt, sed etiam libenter, & alacri animo recipimus. Itaque apud Prophetas variæ occurrunt locutiones, prout illi diuersa spectabant. Quandoque videntur deprecari calamitates peccantium, easq; fieri, aclamentari: quandoque verò optare videntur, vt qui Deum odio habeant, puniantur, & pereant. Animus enim noster ceu chameleon, quocunque sese flexerit, affectum induit pro natura rei, quam contemplatur. Crassus, cùm filium suum videret esse occisum, & Legiones malè affectas, Vos, inquit, milites, alacriter pugnate, & Rēpub. fortiter defendite. Meus iste est priuatus luctus. Cùm spectaret casum suum, non potuit non dolere: at cùm poneret ante oculos salutem Reipublicæ, reuocabat animum ad alacritatem. Ita Brutus, ita Torquatus filios suos occiderunt, vt disciplina militaris, & publica libertas conseruaretur. Sed hîc occurrit alia quæstio difficilior, quomodo licuerit Paulo, velle anathema fieri à Christo, cùm debeamus Deum diligere super omnia: cumq; legamus in Euangelio, Qui dilexerit patrem, aut matrem, aut fratres plusquā me, non est me dignus. Hanc rem Chrysostomus ait ita esse obscuram, vt Paulus videatur, loqui ænigmata. Nam cùm antea dixerit, persuasum sibi esse, se à nulla creatura posse diuelli à charitate Christi, quo pacto nunc optare potest, vt fiat anathema pro fratribus suis? Fuerunt, qui putarent, ἀνάθεμα hoc loco esse κειμήλιον, hoc est, thesaurum charum, & magni pretij: qualia multa habere solēt homines nobiles aurea, argentea q;, & eximia aliqua arte elaborata: sed friuola est & puerilis hæc interpretatio. Nam si ita Paulus sensisset, debuisset dicere, non à Christo, sed corā Christo. Deinde quid hoc esset magni facinoris? Nemo enim est, qui nō cupiat gratus esse Deo, & ad

Sacer in bonā & in malam partē.

Quàm graue sit iuramentum Apostoli.

ἀπάθεια Stoicorum à Christianis aliena.

An liceat dolere ob aduersos casus proximorum.

Variantur loquutiones Prophetarum ex diuerso respectu.

Crassi exemplū.

An licuerit Paulo uelle anathema fieri à Christo.

& ad eius peculium pertinere: præsertim cùm sciat, eum esse summum bonũ. Ad hæc si Paulus thesauri loco fuisset apud Christum, quid id profuisset fratribus eius secundum carnem? Dicet forte quispiam, eum tum potuisse melius intercedere pro illis apud Deum. Sed, cùm preces fidelium, non meritis, aut dignitate precantium nitantur, sed tantùm viua, & efficaci fide, non oportuit Apostolum hæc verba hoc loco tam diligenter inserere. Orabat enim sine intermissione pro alijs, quamuis iuxta istorum sententiã non esset anathema. Refert quidem Chrysostomus hanc expositionem, sed eam idem fatetur ridiculã, & ineptam esse. Cõmentaria, quę ascribuntur Hieronymo, aiunt, hæc referenda esse ad illud tẽpus, quo Paulus persequebatur Ecclesiã Christi: quasi velit dicere, se à dilectione Christi nõ solùm nõ posse vlla ratione remoueri, sed etiam ea maximè causa discruciari, quòd olim optasset ab eo esse alienus. Quam interpretationẽ ego dum pressius consídero, video, nec verbis, nec instituto Apostoli cõuenire. Hîc em̃ eius est scopus, vt propter ea, quę postea dicturus est, persuadeat Iudęis de dilectione erga illos sua: ne videat odio inductus dicere, eos iam non esse populũ Dei, sed prorsus esse à promissione alienos. Id autẽ assequi nõ potest cõmemorando peccatum suũ, quo persequutus fuerat Ecclesiã Dei. Iudęi enim dicere potuissent, quãuis hactenus nos prosequutus fueris charitate, cùm stares à nostris partibus: postea tamẽ quàm te ad Christũ contulisti, mutasti animũ: & quoniã nos cœpisti habere infensos, idcirco nos nunc incessis maledictis. At si ista intelligant̃ de præsenti statu, quo literas istas ad eos dabat, & significetur illũ etiam tum voluisse pro eis esse anathema à Christo, de eius erga illos beneuolentia dubitari non potest. Hęc ergo nihil inseruiũt proposito Pauli, si ad illud tempus, quo ille adhuc infidelis erat, detorqueantur. Illum autẽ de eorũ exitio, non de suo peccato doluisse, satis id indicat, quod postea subditur: *Non quasi exciderit uerbum Dei.* Idcirco enim dolebat, cùm cerneret illos perire, quòd promissiões diuinæ infringi, ac violari viderentur. Id autem vt negat fieri, ita etiam vel suo ipsius exitio cupit redimere, ne factum crederetur, & nomen Dei male audiret. Hinc sunt illæ lachrymæ, atque illa vota, non autem, quòd persecutus fuisset Ecclesiam Dei: quod tamen non dubito illi magno perpetuoq; dolori fuisse. Cur autẽ eius doloris meminerit in præsentia, nulla est ratio, quam quidem ego videam. Præterea quid opus erat de hac re sacramẽto cõtendere? Omnes enim meminerãt, quàm olim fuisset Christo inimicus. Eius enim persecutio non in angulis gesta est, sed in publico, & in oculis omniũ. At dices, Idcirco iurat, vt fidẽ faciat hac de re vehementer se dolere. Id enim occultũ erat, nec sciri poterat ab omnibus: obscurę autẽ suspiciones confirmantur iureiurando. Ego verò neminem arbitror dubitasse, doluisse Paulo de inimicitijs, quas gesserat cõtra Christũ, cùm omnes viderent, quanto ardore illius Euangelium vbiq; terrarũ prædicaret. Non erãt itaq; ista ita dubia, vt fuerint iureiurando confirmanda. Præterea quid magni de se diceret? aut quomodo hac ratione se iurando fratribus cõmendaret? Sed præstat audire, quid verus Hieronymus de hac re senserit. Suppositítius enim est, qui illis cõmentarijs prętexitur. Verus autem est Hieronymus, qui scribit ad Algasiam, quæstione 9. Consulebatur enim ab ea de isto loco Pauli. Respondet esse grauem quęstionẽ, & non temerè prętereundam, præsertim cùm Apostolus ea, quæ dicit, confirmet iureiurando. Et admirabundus addit, inauditã esse prudẽtiam propter Christũ velle à Christo separari. Mox Paulũ confert cũ Mose, & cõtendit, vtrunq; prędituũ fuisse eodẽ spiritu. Ambo enim fuerunt pastores populi Dei. Vt aũt Christus ait, Boni pastoris est, animã pro ouibus suis ponere. Fugere em̃, cùm lupus ingruat mercenarij est, non pastoris. Iudicat ergo, Paulum mori voluisse pro salute fratrũ suorũ. Sciebat enim, eum, qui velit animã suam saluam facere perditurũ esse eam: quiq; eam perdat, esse eam seruaturũ. Atq; huc spectat id, quod suprà dictũ est, propter te mortificamur tota die: & æstimati sumus vt oues occisionis. Voluit, inquit, Paulus corpus suũ, & vitã ponere, vt spiritus illorũ saluus fieret. Deinde addit, nõ vno ex loco posse conuinci חרם hoc est anathema in veteri Testamento pro cæde, aut occisione accipi. Fatemur equidẽ, Apostolũ pro ouibus sibi cõmissis, proq; omnib. qui ad Christũ adduci possent, voluisse, optasseq; vitã ponere, vt in ipso implerentur ea quę deerant passioni Christi. Multa autẽ docent, nõ posse eius rei mẽtionẽ fieri hoc loco. Primũ enim, qui sic moriunt̃ testificãtes fidẽ Christi ad salutẽ proximorum, non sunt anathemata à Christo, sed illi maximè coniunguntur: sunt potius anathemata ab hominib. qui illos persequunt̃, et occidũt. Prętera חרם quòd ille ait, quãdoq; in veteri Testamẽto occisionẽ significare, nõ potuit vnq; redimi, aut ad alios vsus accõmodari. Animalia sic obligata Deo interneciõe perdebant̃: res inanimatę nũquã poterãt publicari, aut vsui cõmunis vitę inseruire. At Martyres, qui prędicãdo veritatẽ pro salute fratrum mortui sunt, nõ ea causa distrahebãtur à Christo, sed potius perpetuò apud illũ futuri, de vita migrabant.

Commentariæ Hieronymo aſcripta.

Paulus propter Hebræorum exitium nõ propter ſuum peccatum dolebat.

Hieronymus ad Algaſiam.

Martyres qui moriuntur pro Chriſti nomine non fiunt anathemata

Quid Moses à Deo petierit.

Ad hæc, quid respondebit de Mose? Ille enim non petijt, vt ipse occideretur, nisi Deus voluisset parcere populo: sed, deleas, inquit, me de libro, quem scripsisti: hoc est, si sequamur

Sepharadi.

cõmunem sententiam, me ex electorum albo expungito. Non enim recipio frigida commenta Rabbinorum: quorum Sepharadi ait: Si non parcis huic populo dele nomen meum

Alterius Rabbini sententia.

de libro Legis, ne ibi legatur. Hac expositione quid potest ineptius cogitari? Alius putat, expungi de libro, quẽ Deus scripserat, nihil aliud esse, quàm remoueri à magistratu, ne esset dux populi, quemadmodũ Deus iusserat in libro Legis. Hoc quidem acutius videtur esse, & verisimilius: tamen ex verbis ipsis sacræ historiæ reuincitur. Nam cùm Moses ardenter oraret, Dominus respondit, permitte mihi, Occidam simul populum hunc vniuersum, propter eius erga me contumaciam: teq; faciam principem alterius & maioris, & illustrioris populi. Quare nulla ratio est, cur Moses petere voluerit se exauthorari, ne dux esset illius nationis, cùm Deus id illi vltro volensq; obtulerit. Quare fatendum est, nihil aliud petijsse Mosen, quàm quod modò optat Paulus. Chrysostomus adeo auersatur hanc sententiam, quam Hieronymus defendit ad Algasiam, vt eos, qui ita sentiant, dicat tam procul abesse à vero, quàm cœcum à luce Solis. Confutationis autem suæ adducit hanc rationem: Paulus, inquit, multa prius de arctissima coniunctione, quam habebat cum Deo, prædicauerat, cùm diceret: Neq; tribulationem, nec angustiam, nec persecutionem, nec famem, nec nuditatem, nec periculum, nec gladium posse se separare à charitate Dei: Deinde, quasi non dum sibi fecisset satis, adiecit, Neque mortem, neque vitam, neque Angelos, neque principatus, neque potestates, neque instantia, neque futura, neque altitudinem, neque profunditatem, neque vllam aliam creaturam. Nunc post tot, ac tantarum rerum commemorationẽ, quid grandius, aut nobilius adferre poterat, quod ista vinceret? An, se velle libenter mortem oppetere, quò fratres suos adduceret ad Christum? Atqui hoc, inquit, leue admodum est, si cùm illis, quæ iam dicta sunt, conferatur. Antea enim bis dixerat, mortem: sed qui recusat vitam ponere pro veritate, & salute proximi, disiungit se à Deo timore mortis. Itaque nihil noui adderet ad ea, quæ antea dixerat. Quare existimare debemus, Paulum longè maiora spectasse, quàm quæ isti suspicantur. Alia opinio est eorum, qui opinantur, Paulum non retulisse ista ad illud tempus, quo hæc scribebat, sed ad illud, quo viuebat alienus à Christo. Idq; vt clarius intelligatur, animaduertere debemus, quosdam homines inueniri, qui postquam se ipsi aliquò coniecerint, alios conentur eòdem trahere: non quò d ipsis placeat locus, & conditio, ad quam se transtulerunt, sed quò adiunctis multis sociis aut minus reprehendantur, aut res malè incoata exitium habeat magis tolerabilem. Atque ita isti exponunt verba Pauli: Iudæi potuissent suspicari, Paulum ea causa voluisse alios omnes adducere ad Christum, quòd ipse iam se ad illum contulisset, non quòd causam ex animo probaret. Minimè verò, inquit Apostolus: imò ita mihi chara est salus vestra, itaque ex animo cupio vobis hoc bonum communicare, vt optarim anathema esse à Christo, & non dum vocatus ad eum, modò vos ad eum accederetis: hoc est, vehementer cuperem, vt vos veniretis ad Christum ante me. Atque id putant esse, fieri anathema pro fratribus. Idq; vt aliquo modo probent, Videas, inquiunt, eum non dicere, se cupere modo fieri anathema (id enim non potuit, postquam esset conuersus.) sed tantùm, optare se esse anathema, hoc est, nondum conuersum ad Christum. Sed hanc interpretationem quiuis facilè videre potest contortam, & spinosam esse: & tamen si eam reciperemus, non effugeret id, quod videtur maximè vitare voluisse. Quid enim? An non vident, eum, qui ex charitate cupiat olim fuisse anathema à Christo, eundem optare hoc quoque, vt fiat nunc anathema? Nam si illud faciat ad honorem Dei, quomodo hoc non facit? Hanc tamen interpretationem inter alias referunt Græca Scholia. Nolo eam nunc pluribus refutare, quòd non dubitem, eam non multos habituram defensores. Sunt alij, qui consilium istud Pauli probare velint ex diuina lege. Ita, inquiunt, sunt homines comparati, vt quiuis, cùm versetur in angustijs & rebus aduersis, ab alio quopiam velit libenter redimi, etiam cum ipsius redimentis dispendio. Addunt præterea, Legem Dei esse, proximos amandos, vt nos ipsos. Quoniam ergo ipsi libenter cuperemus, vt alius quispiã nostro loco damnationem subiret, idẽ nos oportere optare alijs, vt ipsi pro eis damnationem subeamus: ne aliter velimus proximis, quàm vellemus fieri nobis ipsis, si essemus eo loco. Et addunt, Quenq; nostrûm ita debere diligere proximum, vt Christus dilexit nos. At Christus nostra causa non solùm posuit vitam in cruce, sed etiam subijt maledictum, & à patre quodammodo deserebatur: Clamauit enim, Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti? Concludunt igitur, id, quod Paulus, & Moses fecerunt, ex lege fuisse debitum. Hîc si quæras, quis hanc legem præstet? respondebunt, Neminem: non tamen

Græca Scholia.

men ea causa dānari homines pios. Omnes enim quotidie plurimū à iusta legis obseruatione deficere: sed perpetuos lapsus nobis propter Christū cōdonari: quodq; deest iustitiæ nostræ, id ex Domini iustitia, quę nobis per fidē ascribitur, compensari: Non tamen propterea debere quenquā remittere studium præstandi hoc genus præcepti. Conandum esse pro viribus: si non successerit, dolendum esse: ita fore, ne peccatum nobis imputetur, modò ne studium prorsus abijciamus: quod quidā faciunt, qui vsq; eò ruunt, vt inimicos odio habeant, & persequantur. sed nō oportere nos nobis ipsis blandiri: esse enim quędā genera peccatorum, tam grauia, vt cum fide, & charitate non possint consistere: Fatendum tamen est, raram admodū esse eiusmodi virtutē, qualem audimus fuisse Mosis, & Pauli. Itaq; potest ista virtus appellari heroica. Pulchra quidem est ista interpretatio, & ab illis hominibus commēdata, quibus ego re vera multum tribuo, & pietatis, & eruditionis nomine: sed in ea cōsideranda duo mihi occurrunt scrupuli. Quod ad priorem attinet, Augustinus ait in libro de Sermone Domini in monte, Illam sententiam Christi, vt alijs faciamus, quod nobis fieri velimus, intelligendam esse de recta, & iusta voluntate. Quando enim rectè, ac iustè nobis ipsis aliquid fieri volumus, par est, vt idem præstemus alteri: verùm si ipsi cupiamus aliquid turpiter, aut iniustè pati, non est consentaneum, vt illud proximo faciamus. Fac enim esse alium impudicum hominem, & sceleratum, qui turpi consilio velit vxorem sibi constuprari: an ille idcirco sine peccato corrumpet alienam? Et si quis animum despondens in rebus aduersis cupiat aliquem sibi dari, qui se interficiat: an illi ea causa licebit occidere proximum? Quare cùm non arbitrer, iustam esse eius voluntatem, qui, vt liberetur à supplicio capitis, cupiat alium suo loco supponi, non possum fateri, obstringi hominem, vt ipse cupiat subire damnationem, quò alter liberetur, quòd ipse cupiat talia sibi fieri. Id enim, vt dixi, cupit contra rationem, & iustitiam. Quare, si pro fratribus aliquando optetur damnatio, alio nomine optanda est. Alter scrupulus est de Christo. Quamuis enim illę nostra causa mortem obierit, re tamen vera non est auulsus à Deo, nisi quòd eius humanitati suppeditatum non est auxilium, cùm in cruce extrema omnia pateretur. Subijt etiam maledictum ob pœnam legis, quam propter nostram salutem pertulit: habitusq; est, vt blasphemus, & impius, & quasi conuictus horum criminum est damnatus, non tamen æterna damnatione est à Deo separatus. Erasmus ait, Optarim, per modum potentialem, vt subintelligas, si esset possibile. Sed hæc expositio non dissoluit nodum. De eo enim ambigitur, An pro salute proximi liceat optare, aut velle fieri anathema à Christo. Et videri posset, quamuis esset possibile, tamen virum bonum nunquam debere in animū inducere, vt hoc velit, præsertim cùm ipso Deo, nihil possit inueniri melius. Sunt alij, qui putent, Paulū, cùm hæc optaret, habuisse cogitationem defixam, tantùm in exitio, & perditione Iudæorum: atque idcirco tantopere eum doluisse, vt statim impetu quodam charitatis voluerit illos sua vel damnatione redimere. Illum autem impetum, cùm à spiritu, & charitate proficisceretur, non potuisse Deo non placere. Non sunt, inquiunt, hęc verba hominis librantis sese inter Deum, & salutem proximorum, vt quasi habita matura deliberatione salutem suorū prętulerit Christo: sed, vt sancti viri liberales sunt suarum rerū, animaduersa ludęorū damnatione, cùm eam cuperet quocunq; modo auertere, offerre voluit pro eis, si fieri posset, suam ipsius damnationē, vt quasi facta permutatione illi eriperētur. Neq; verò ita sese offerebat, quasi victima pro illis esse vellet, aut quòd se tanto honore putaret dignum, vt, si ipse fuisset damnatus, illi liberarētur: sed, quòd illi nihil occurreret maius, quod offerret. Sed hanc opinionem id non nihil infirmat, quod non sit verisimile, Paulū ea, quæ scribebat, non scripsisse magno & deliberato cum consilio. Non ergo impetu, aut temerè impellebatur, vt ista diceret, sed magna, & graui deliberatione, vt quacunq; ratione salutem fratrum suorum redimeret. Neq; scio, an huiusmodi voluntas, quę postea corrigenda sit ad iustam regulam dilectionis Dei, quem amare debemus supra omnia, possit ascribi spiritui sancto. Et cùm Paulus loquatur, vt apparet, de re eximiæ charitatis, non videtur probabile, eum tantùm primū quendam impetū producere in medium, de quo possimus dubitare, an sit à spiritu sancto, an cōsentiat cū perfecta dilectione Dei, nisi accesserit emendatio. Nunc recensenda est sententia Chrysostomi, quę, cùm sit meo iudico, alijs omnibus longè planior, & expeditior, & vera, vt Apostoli verbis cōsentanea debet iudicari. Primùm ait, causam huius in Paulo desiderij quę rendā esse: quā si ignoremus, facilè possimus aberrare. Vt cùm circūcideret Timotheū, cùm tonderet caput, cùm susciperet votum, nisi scias, quem ad finē ista fecerit, facilè possis suspicari illū apertè Iudaizasse. At si rem ipsam penitius introspexeris, omni eum Iudaismi suspicione liberabis. Neq; id in Paulo tantùm, sed etiā in Abrahamo, in Phinees, in Elia spectan-

Quomodo intelligendum ut alijs faciamus qđ nobis fieri uolumus

Non est iustū ut quis uelit alterū pro se affici supplicio.

Christus nostra causa nō est auulsus à Deo.

Sancti uiri suarū rerum sunt liberales.

dum est. Quos, nisi causas diligenter excutias, habere possis pro homicidis. Quæramus ergo ex Paulo, Quis te ô Paule, ad hoc incitauit, vt velles fieri anathema à Christo? Respondebit haud dubiè: Nemo mihi hoc suasit, nisi ipse Christus. Volui quidem saluos esse fratres meos secundum carnem: tamen finem desiderij mei non fixi in illis. Hoc enim non tantùm propter illos, sed maximè propter Christum optaui: vt in hoc maximè gratia, & veritas eius eluceret. Non debet autem cuiquam videri absurdum, si saluti meæ dignitatem, atq; honorem Christi prætuli. Verùm huic rationi hoc videtur nõ parum obstare, quòd Paulus huius præcipui finis, summeq; suę voluntatis mentionẽ nõ fecerit. At ne id quidẽ temere ab eo factũ est. Voluit eñ inseruire causę: quod illi, si apertè dicere voluisset, minus succesisset. Dũ eñ cuperet persuasum fratrib. suis secundũ carnẽ, quantũ eos amaret, quòd se diceret optare illorum causa esse anathema à Christo, si adiecisset, id se propter Christi sui honorẽ facere, nescio quid videri posset detractũ de illo amore, quẽ se dixerat gerere erga fratres. Id ergo artificioſè reticuit, in quo tamen summa, & primaria causa fuit eius desiderij. Tamen ne prudens lector erraret ita verba temperauit, quę subijciunt, vt ex illis nullo negotio colligi possit, quid senserit. Sic enim scribit: Quorũ est adoptio, pacta, gloria, legislatio, cultus, promissiones: ex quibus sunt patres, ex quib. est Christus secundũ carnẽ: qui super omnia est Deus benedictus in sęcula. Amen. Hęc bene, & diligenter excussa declarant, quid Paulus in hoc suo tam ardenti voto respexerit. Reuocemus in memoriã, Israelitas vocatos fuisse à Deo: in professione Dei diu mansisse: leges Dei longo tempore custodiuisse: promissiones de Christo vẽturo, deq; alijs bonis per innumeros Prophetas accepisse. Cùm ergo illi tales fuissent, & tamen viderent iam excludi, Gentes autẽ aliæ, ignorantes Dei, & turpissimę idololatriæ deditę introducerentur, multi cœperunt offendi de prouidentia, fide, et gubernatione Dei. Itaq; aut illum blasphemabant, aut hunc Christũ in lege promissum non fuisse clamitabant. Hęc Paulũ vehementer torserunt. Noluit enim in Euangelij negotio rem induci scenicam, aut ludicrã, quasi Deus quod vni populo promiserit, alteri reddiderit: & Christus ludæis natus fuerit, nullis autem profuerit, nisi Gentibus. Paulum autẽ hac potissimùm ratione fuisse commotum, id satis indicat, quod non multò postea subijcitur: Non quasi verbum Dei exciderit. Quibus verbis ostendit, se ista monuisse, ne quis putaret, promissiones Dei labore inconstantia. Nec aliud fuit consilium Mosis, cùm cuperet deleri de libro, quem Deus scripserat, vel vt populo parceretur. Adiecit enim rationem, Ne fortè dicatur, Deum eduxisse populum ex Aegypto: sed non potuisse efficere, vt terram, quam illis promiserat, obtinerent: ideoq; illos occidere voluisse in deserto. Neq; Paulus hoc loco dicit, se optare, vt separetur ab amore Dei (nullo enim modo voluisset ab illo amando desistere:) tantùm optat excludi à felici coniunctione cum Deo, à choro Angelorum, & sanctorũ diuidi, & ęterni boni fruitione priuari. Hoc autẽ quiuis nostrũ velle debet, vt suã ipsius felicitatẽ postponat honorí Dei. Profert autẽ ista Paulus non de Gentibus, vt de Iudęis: non quòd pro illis quoq; tandẽ non esset facturus, quando idem esset discrimen honoris Dei: sed quòd tunc non ageretur de Gentibus. Illæ enim vndiq; se ad Christum vltro conferebant, cùm illi Iudæi vehementissimè repugnarent. Idem Chrysostomus in Matthęum, exponẽs illũ locum, satius esse vt vnũ membrum resecetur, & abijciatur, quàm vt totũ corpus pereat, ait, Paulũ hoc spectasse, vt de magno corpore seruato Deus haberet gloriã, se resecto, & facto anathemate: quàm vt ipse seruaretur, & magna Iudęorũ multitudo, quę fuit instar magni cuiusdam corporis, ab ijceret in gehennã. Hęc tanta charitas Pauli longè superat affectũ omniũ parentũ erga liberos. Atq; adeo tãta est, vt Chrysostomus scribens de sacerdotio, dicat se iusta causa fuisse deterritum ab eo munere, quòd se sentiret ab hoc genere charitatis tantùm distare. Idem De Prouidentia Dei scribit optabilius fuisse Paulo, agere in Gehenna, quàm videre fratres suos condemnari. Et addit, maiorem fuisse Paulo cruciatum, quòd videret exitium suorum luctuosorum, quàm si ipse cruciaretur in gehenna. Illum enim cruciatũ expetebat potius, quàm vt videret fratres suos miserè perire. Neq; hoc iudicium fallebatur. Proficiscebatur enim nõ à ratione, aut à sensu, sed ab impulsu spiritus Dei. Ab hac interpretatiõe Chrysostomi, Scholastici non multùm discedunt. Thomas enim ait, separationẽ à Deo, quæ fieret per peccatũ, Paulus nunquam optauit, neq; salua charitate optare potuit: separationem autem à felicitate optare licuit pro asserẽda gloria Dei. Imo addit, eum quandoq; voluisse pro fratribus suis ab ea separari, & eam differri ad tempus. Nam ad Philippens. scribit, Mori, sibi futurũ lucrum: tamen propter illos vtile fuisse, vt maneret in carne: idq; ostendit, se velle, & sperare, Deũ concessurũ, vt cum illis ad aliquod tempus versaretur. Ita inquit Thomas, etiã hoc loco optare potuit pro salute suorum fratrum, vt separaretur à Deo, vel in sempiternum, vel ad tempus.

Quæ causa Paulum in hoc desiderijũ impulerit.

Absurdum nõ est dignitatem Christi propriæ saluti præferre.

Cur præcipuam causam sui desiderij tacuerit.

Finis petitionis Mosaicæ.

Nollet Paulus desistere ab amando Deo.

Quisq; suam felicitatem debet postponere honori Dei.

Cur homo Paulus non optet pro gentibus.

tempus. Atqui hæc verba non posse intelligi de separatione temporaria, vox ipsa Anathematis satis declarat. Anathema enim significat eam separationem à communi vsu, quæ reuocari, aut restitui, nunquam vllo modo possit. Verbum autẽ Græcum, ἠυχόμην, significare potest, nõ tantùm optabam, sed etiam orabam. Neq; mirari debemus, Paulũ hoc optasse, cùm non posset fieri: (Illum enim dubiũ non est ad prędestinatos pertinuisse) voluntas eẽ nostra sępè rapitur ad ea, quę fieri non possunt. Ita enim Dauid orabat, Quis mihi det, vt moriar pro te, fili mi Absolom: cùm tamen fieri non posset, vt ille pro Absolomo moreretur.

Hæc non possunt intelligi de separatione temporaria.

Optabat Paulus quod fieri non poterat.

Voluntas interdum fertur ad impossibilia.

Cognatis meis secundum carnem. Necessitudo carnis sępenumero est ratio diligendi proximi, idq; ex charitate. Paulus ait ad Timotheum: Qui suorum, & maximè domesticorum curam non habet, abnegauit fidem, & est infideli deterior: quoniam prętextu religionis peius viuit, quàm infideles, qui solius naturæ ductu erga cognatos suos sunt beneuoli, & illis de rebus necessarijs prospiciunt. Sentire ergo debemus, carnis, & cognationis coniunctionem nobis à Deo dari, tanquam stimulum charitatis: non quòd res eiusmodi spectare debeamus tanquam nostras, sed tanquam à Deo nobis adiunctas. Alioqui enim nemo est, qui sibi parentes, fratres, patriã delegerit. Curare ergo debemus ea, quæ nobis data sunt à Deo: non autem operam nostram collocare pro libidine absque delectu: non quòd non debeamus omnes quicunq; sunt, charitate, & beneuolentia prosequi. Nunc tantùm agitur de gradibus, & ostenditur ordinaria, & vsitata via, vnde sit incipiendum: nisi fortè nos aliò trahat accidens aliquod magis necessarium. Quomodo ergo dicit Apostolus in posteriori ad Corinthios, se neminem nosse secundũ carnem, ne Christum quidem ipsum? Ibi, nosse, est fidere. Dicit autem se nulli externę rei amplius fidere, nisi vni Christo. Nam Pseudoapostoli perpetuò iactabant Iudaismũ suum, Christi prosapiam iuxta carnẽ, legem, ceremonias, & alia id genus, quasi ab istis reb. penderet hominũ salus. Sunt quidẽ ista Dei beneficia, eaq; non cõtemnenda: nemo tamen illis debet citra Christũ confidere. Hoc est illo loco apud Paulum, Nosse secundũ carnẽ. Imò ipsa Christi caro absq; vera, & solida fide nihil prodest. Sic enim Christus ipse ait in Ioanne, caro non prodest quicquam, spiritus est, qui viuificat. Non itaq; Christum nouimus nunc iudicio carnis, neq; illũ spectamus iuxta humiles cõditiones quas habuit dum in terris viueret. Paulus antea cùm versaretur adhuc in Iudaismo, multũ his reb. tribuebat: quòd esset Iudæus, ex tribu Beniamin, Pharisæus, quodq; ex suo populo Christus esset nasciturus. Imò tum in his rebus ponebat, & proram, & puppim salutis suę. Conuersus autem postea ad Christum omnem fiduciam suam in fidem eius contulit. Dicit igitur, se nihil iam nosse secundum carnem: eo nimirum modo, quo norat antea. *Qui sunt Israelitæ.* A priuata conditione, qua se ipsum iuxta carnẽ attingebant, ascendit ad publicã: nimirum, quòd illi essent Israelitæ, hoc est, populus Dei, סגולה peculiũ Deo charũ, grex, oues, sors, hęreditas Domini. Multę nationes, & ciuitates mirum in modũ sibi placebant, quòd essent Dijs quibusdã consecratę. Athenę cõmendabantur à Minerua, Delos insula ab Apolline, & Diana. Cicero in verrẽ laudat vniuersam Siciliã: sed in primis Ennam montẽ, quòd dicatus esset Cereri: quasi ille totus nihil aliud esset, quàm delubrũ, & templũ Cereris. Quantò magis honorificum erat Israelitis, quòd illa gens vniuersa esset vero Deo, creatori cœli, & terrę consecrata? Hinc debemus discere, Dei dona non posse ab hominib. ita contaminari, quin perpetuò sint suspiciẽda. Ne hîc erret, Paulus solet pulchrè distinguere inter dona Dei, & homines illis ornatos. Dona Dei semper sunt laudanda: homines verò prout sese gesserint, aut vituperãdi sunt, aut cõmendandi. Suprà ca. 3. Paulus hac eadẽ de re locutus est, cùm diceret: Quid igitur habet, in quo pręcellat Iudęus? Respondet, intuendo dona Dei: Multũ per omnẽ modũ. Primùm, quia cõmendata sunt illis eloquia Dei. Quid enim, si quidã illorũ non crediderunt? Nunquid incredulitas illorũ fidem Dei euacuauit? Absit. Postea tamen, cùm agitur de salute, vbi cõmunia vitia naturę, & infidelitas, & alia peccata spectantur, aliter loquit. Quid igitur, inquit, pręcellimus eos? Nullo modo. Idemq; vt ostenderet, quanti faceret eas dotes, quantũuis pręclaras, si destituamur fide, & aduersemur Christo, in epistola ad Philippen. cũ omnia recensuisset, quę habuisset in Iudaismo, ait se omnia illa reputare vt damna, & stercora: quoniã disiuncta à fide, nihil aliud quàm inflãt nos, & à Christo magis magisq; abducũt. *Israelitæ.* Est nomen patrium à Iacobo deriuatum: Estq; multò illustrior appellatio, quàm si dicti fuissent Iacobitæ. Acceperunt enim nomen non à natiuitate inditum Patriarchæ suo, sed à victoria partum, atq; ea adeò victoria, qua Deum ipsum vicit. Indicatur non vulgaris nobilitas eius viri, à quo nomen acceperunt, quòd Deum ipsum luctando vicerit. Idcirco enim diuinitus appellatus est Israel, quasi princeps cum Deo, quicq; Deo pręualuerit. Vnà autem cum nomine accepit symbolum, siue stigma, & notam in corpore. Ex eo enim tempo-

Caro Christi citra fidem nõ prodest.

Nobilitas à dijs quibus loca erãt consecrata.

Israelitæ consecrati Deo.

Distinguendum inter dona Dei & homines.

Israelitas dici præstantius est, quàm appellari Iacobitas.

Cur Iacob dictus sit Israel.

re cœpit claudicare. Vincunt pij Deum, cùm tentationes ab illo immissas vincunt. Abrahamus tentatus à Deo, vt mactaret filium suum, eam tentationem vicit, & euasit clarissimus. Vincunt item Deum, cùm omnia aduersa superant, quæ sine Dei prouidẽtia, & administratione illis non eueniunt. Ita Iobum, & alios multos sanctos viros in sacris literis fecisse legimus. Ita autem vincunt, vt illis omnia cooperentur in bonum. Vincunt denique, cùm promissiones oblatas à Deo, quantumuis arduas, & difficiles, viua & solida fide amplectuntur. Ita Abrahamus, cùm Deus illi polliceretur semen, vicit repugnantem sensum, rationem dissuadentem, & effœti corporis pigritiem, & ætatem vxoris, & perpetuam vsque ad illud tempus sterilitatem. Credidit Deo, & illi magnificè debitam gloriam asseruit. Hîtæ sunt victoriæ præclarissimę, quibus Deus vinci gaudet, & illis, quibuscum luctatus est, benedictionem impertitur. Mutantur illis nomina, vt dicantur principes cum Deo, ne huiusmodi victorias sibi potius ascribant, quàm Deo. Illi eas potius acceptas referre debent, cuius solius gratia illas obtinuerunt. Claudicant, & infirmum habent femur: quia caro, peccatum, & reliquiæ labis originalis, quò magis in hoc genere palęstræ vincimus, eò debiliores efficiuntur.

Quibusmodis pij dicantur Deũ uincere.

Allegoria claudicatiõis Iacobi.

Quorum est adoptio. Quòd sint cognati Pauli secundum carnem, id habent ex naturali propagatione. Nunc se ad ea confert, quæ naturam omnino superant: nimirum, vt homines adoptione fiant filij Dei. Id natura esse non possunt: verùm ex Dei singulari misericordia consequuntur, vt adoptione efficiantur eius filij. Hîc satis liquet, quod suprà mouebam, Iudaico populo adimẽdam non esse adoptionem, quin ipsi quoq; fuerint filij Dei. Loquimur autem, non de promiscua multitudine, sed de viris sanctis & fidelibus, qui fuerunt in illo populo. Sed dices, illos habuisse spiritũ seruitutis. Fateor, pro tẽporis ratione, qua detinebant sub multitudine ceremoniarum. Sed hoc nihil impediebat adoptionẽ: vt Paulus ostẽdit ad Galatas. Quanto tẽpore, inquit, heres paruulus est, nihil differt à seruo. Sub tutoribus enim, & actoribus, & pædagogis agit vsq; ad tẽpus prędfinitũ à patre, cùm tamen re vera sit heres, & dominus omniũ. Quòd si pertinuerint ad adoptionẽ, necesse est, vt & fide, & spiritu præditi fuerint. Imò si temporis vetustatẽ spectare velis, prius illi, quàm nos, ad istam adoptionẽ peruenerunt. Deus hominibus sanctis non solùm concedit, vt per adoptionem appellẽtur filij Dei, sed etiam illis largitur communionem naturæ suæ, & spiritum sanctum: quòd homines facere non possunt, cùm sibi aliquem adoptant in filium. Præterea, vt Paulus suprà monuit, meminisse debemus adoptionem sequi hęreditatem, hoc est, vt sint hęredes Dei, & coheredes Christi. *Gloria.* Qui scribunt de gloria, aiunt eam in duabus rebus esse sitam: nimirum, vt de aliquo habeatur honorifica existimatio, & ea externis aliquibus signis cõmendetur. Hæc duo Deus affatim præstitit populo Iudaico. Non solùm enim bene affectus erat erga eos, sed etiam hanc suam erga illos voluntatem continenter plurimis modis declarauit. Constituit inter eos Arcam fœderis, tanquam suum domicilium: ibi preces, & vota audiebat, & petentibus oracula reddebat. In Deuteron. scribitur, nullam esse adeo præclaram nationem, quæ Deum tam propinquum habeat, quàm habuerunt Israelitæ, cùm eius nomen inuocarent. Miles ille glorioſus in Eunucho iactat, Regem se habere in oculis: eumq;, cùm pertæsus negotiorum vellet miseriam illã expuere ex animo, se conuiuam seorsim, & solum habere voluisse: quòd regis intimam familiaritatem sibi summæ gloriæ duceret. Habuerunt etiam Hebræi gloriam, non solùm apud Deum, sed etiam ex collatione ad cæteras nationes. Dauid enim ait in psalmo: Non fecit taliter omni nationi, nec iudicia sua manifestauit eis. *Legislatio*, νομοθεσία. Cùm iam Deus asciuisset Iudæos in populum, eos voluit bonis legibus instituere: legibus, inquam, omnibus vel Solonis, vel Lycurgi, vel Numæ, vel Minois anteferendis. *Testamenta.* διαθῆκαι, hoc est, pacta. Vox ista licet interdum significet promissiones, tamen quoniam illarum postea fiet mentio, hoc loco, vt diximus, significat fœdera, quæ Deus non semel iniit cum populo. Ideóque Apostolus vtitur numero multitudinis. Deus enim percussit fœdus cum Abrahamo, cum Isaaco, cum Iacobo: illudque postea sub Mose, Iosua, & Iosia instaurauit: & postremò per Christum obsignauit. His fœderibus Iudæi diu ante comprehensi sunt, quàm nos à Deo adoptaremur. De veteri fœdere nulla est ambiguitas: de noua autem satis perspicua est historia Apostolica, & Euangelica. Primi enim ad Christum accesserunt Apostoli: per illos postea aduocatæ sunt Gentes. Tanti autem momenti fuerunt hæc pacta, vt non tantùm verbis, sed etiam externis symbolis fuerint obsignata: illa Circuncisione, nostra Baptismo. *Cultus.* λατρεία hoc loco significat rationem colendi Deum: quam Iudæi habuerunt à Deo ita præscriptam, vt aliquid ad eam addere non licuerit. At non ita se Gentes habuerunt. Illæ enim in sua idololatria subinde nouos ritus, & ceremonias comminisce-

Hebræi quoque fuerunt adoptati à Deo in filios.

Non pugnant habere spiritũ timoris & esse filios adoptiuos Dei.

Adoptati filij & spiritum habent & fidem.

Adoptatis liberis Deus cõmunionem suæ naturæ impartitur.

In quo sita sit ratio gloriæ.

Deus Israelitas affecit gloria.

Deus renouauit sæpius fœdus cũ Hebræis.

In fœdere nouo prius fuerunt Iudæi quàm gẽtes.

Ritus gentiũ non fuerunt cõstãtes.

miniſcebantur. *Promiſsiones.* Ex his ſalus pendebat. Nam qui fidem habent promiſsis Dei, habent & remiſsionem peccatorum, & æternam felicitatem. Inter Iudæos extabant promiſsiones, non tantùm de ipſorum ſalute, verùm etiam de vocatione Gentium. Gentes verò ipſæ huiuſmodi promiſsiones diuinitus datas non habuerunt. Imò ſi quis conſideret oracula, & reſponſa idolorum, videbit, illis magis fuiſſe curæ, vt futura prædicerent, quàm vt ſe aliquid factura pollicerentur. Sed duplices ſunt promiſsiones Dei: aliæ de rebus temporarijs, aliæ de Meſsia, & æterna ſalute. Hîc obſeruabimus promiſsionem de Chriſto factam, in aliis omnibus promiſsionibus fuiſſe comprehenſam: & in bonis illis temporarijs hoc vnum bonum ſemper fuiſſe promiſſum. Eſt adhuc alia quòq; diſtinctio promiſsionum: Aliæ enim ſunt Legales, aliæ Euangelicæ. De quibus, quoniam ſuprà dictum eſt ſatis, nunc eadē repetere non eſt opus.

Inter Iudæos extabat promiſsio de uocatione gentium.

Idola futura nuntiabant, non autē aiebāt ſe factura

Promiſsionū duplex genus.

Promiſsio de Chriſto in alijs promiſsionibus comprehendebatur.

Quorum ſunt Patres. Hæc prærogatiua non eſt parui momenti: magnum enim eſt, ex piis, & ſanctis parentibus eſſe procreatum. Deus enim promittit in Lege, ſe velle benefacere pijs, & iuſtis hominibus in mille vſque generationes. Id autem attribuendum non eſt dignitati carnalis ſeminis, aut naturalis generationis. Per illam enim homines naſcuntur filij iræ, & obnoxij peccato originis. Quicquid autem boni contingit filijs ſanctorum, id totum aſcribendum eſt miſericordiæ Dei. Vtque id intelligamus non proficiſci à natura, videmus ſæpenumero ſecus euenire, vt Heroum filij ſint noxæ, & ex bonis parentibus peſsimi naſcantur filij. Fit etiam interdum, vt ex hominibus peſsimis & profligatiſsimis naſcantur inſignes, & egregij filij. Non enim alligauit Deus gratiam ſuam elementis mundi. Adhibuit tamen promiſsionem non mendacem. Filij enim ſanctorum vel ſeruantur ad extremum, vel certè ex parentum ſuorum commercio, atque educatione multa præclara Dei dona conſequuntur, & occaſiones, & ſtimulos ad bene, ſanctéque viuendum, proinde ut illi, qui vulgò ex alijs hominibus ſuſcipiuntur. Iſmael enim, & Eſau, etſi denique euaſerint mali, tamen ex pijs parentibus multum commodi habuerunt ad ſectandam pietatem. Habuerunt domeſtica exempla ſanctitatis: verbum Dei continenter audiebant: initiabantur Circunciſione: ſacrificijs, gratiarum actionibus, & infinitis huiuſmodi pijs exercitijs ſub cura parentum occupabantur. Itaque negare non poſſumus, Deum ſe Iudæis obtuliſſe, quemadmodum & Gentibus, poſtquam Chriſtus veniſſet. Ipſe enim Dominus voluit eſſe illorum Eccleſiæ miniſter: & Apoſtoli primùm apud illos Euangelium cœperunt prædicare. Nam, quemadmodum legimus in Actis Apoſtolicis illi ſe non prius conuerterunt ad Gentes, quàm repulſi eſſent à Iudæis. Naſci ergo è ſanctis parentibus, & pijs maioribus, eſt donum Dei non contemnendum. Idque, ſi accedat fides, & pietas, vehementer conducit ad ſalutem: abſque illis autem grauius iudicium, & maiorem condemnationem accumulat: tantum abeſt, vt ſanctitatem aliquam, aut æternam vitam afferat.

Quicquid boni contingit ſanctorū filijs ex miſericordia Dei eſt.

Gratia Dei non eſt alligata generationi carnis.

Mali filij ex parentibus ſanctis orti multa conſequuntur bona.

Naſci ex pijs parentibus citra fidem et pietatem cōdemnationem auget.

Ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem. Cùm commemoraſſet eam dignitatem, quæ trahitur ex Patribus, adiungit etiam illam, quæ acceſsit ex poſteritate. Veteres quidem multos procrearunt filios Deo chariſsimos: ad extremum autem Chriſtus ipſe dignatus eſt ex ea gente carnem ſuſcipere: quod non leue fuiſſe donum, ex eo intelligi poteſt, quòd noſter Sol iſte mundanus nunquam ſe aliquò confert, quin locum illum illuſtret, & calefaciat, & fructum aliquem hominibus adferat. Quantò magis id aduentu Chriſti inter Iudæos factum fuiſſe exiſtimabimus? Nam is in ſcripturis Sol iuſtitiæ prædicatur. Porrò quemadmodum Chriſtus ſua natiuitate in carne ſummo honore affecit naturam humanam, ita ad gentem Iudæorum, ex qua ille naſci voluit, neceſſe eſt, vt ſumma gloria ex ea re, & ampliſsima dignitas redundarit. Omnia ea, quæ Paulus hactenus recenſuit, tanti ſunt momenti, vt nullus encomiaſtes aliquam nationem verius, aut breuius laudare potuerit. Nihil enim omiſit, quod ad nobilitatem, aut felicitatem ciuilem facere poſſet: mirificè autem omnia, & præclaro ordine cōgeſsit. Ariſtoteles in ſecundo Rhetoricorū ſcribit de nobilitate, eam in eo ſitam eſſe, vt aliquis maiores præclaros, & illuſtres habeat. Etſi enim ſæpenumerò inueniantur etiam noſtrorum temporum homines, qui edant facinora non minus præclara, quàm ſunt ea, quæ commemorantur de veteribus, tamen illa antiqua maiori ſunt admirationi propter vetuſtatem. Diſcrimen tamen eſt inter εὐγενεῖς, & γενναίους. Illi enim dicuntur εὐγενεῖς, qui ex præſtantibus maioribus nati ſunt: γενναῖοι autem ſunt, qui maiorem ſuorum virtutem retinent, & ab illis non degenerant. Videmus in familijs nobilium hominum idem ferè euenire, quod in ſegete, quæ alijs annis copioſius ſolet prouenire, alijs malignius. Et fit interdum, vt poſt aliquot annos ſteriles, ſequantur alij admodum fœ-

Simile.

Non poteſt ulla natio laudari cumulatius atque Iudæi nunc laudentur.

In quo ſita nobilitas.

εὐγενεῖς & γενναῖοι.

Simile.

cundi: Ita nobiles familiæ interdum multos viros præclaros tanquam messem copiosam effundunt, interdum tanquam solum effœtum ignauæ, atque otiosæ iacent: rursus autem postea ad maiorum virtutem quodammodo reuiuiscunt. Quemadmodum autem fiat ista degeneratio idem tradit ad hunc modum: Fit non rarò vt ingeniosorum, & acutorum parentum liberi, aut posteri euadant feroces, & crudeles: vt scribitur de posteris Alcibiadis: è diuerso è maioribus mansuetis, benignis, affabilibus nascantur posteri socordes, ignaui, stupidi: quod legimus accidisse in familia Cymonis, & Socratis. Hæc eadem licet contemplari in filijs Israel. Habuerunt Patriarchas, ceu principes generis, magnis virtutibus, & summa præstantia ornatos viros. Ex illorum posteritate subinde viri præclari nati sunt: quæ, quamuis interdum iacere videretur absque aliqua præstanti sobole, tamen Deus per interualla semper in ea excitauit aliquos, vel Iudices, vel Reges, vel Prophetas, vel Sacerdotes vita, sapientia, pietate excellentes. Adhæc idem Aristoteles in primo Rhetoricorum scribit, nobilitatem, aut felicitatem alicuius gentis in eo maximè consistere, vt cum prospero successu coniunctam habeat virtutem: quæ Duo Hebræis affatim concesserit. Addit præterea, populum dici nobilem, qui non sit ex colluuie, & confusione aliarum gentium conflatus: quo nomine Athenienses iactabant se esse αὐτόχθονας. Nulla autem natio ostendi potest, quæ genus suum ita purum, atque impermixtum habuerit, vt Hebræi. Illi enim Abrahamum sui generis principem nacti sunt: cuius nepos Iacobus duodecim liberos, à quibus procreatæ sunt duodecim tribus. Deinde quæuis tribus habuit certas familias, agros, ciuitates, regiones, quas incoleret. Breuiter, vt scribit Eusebius dè præparatione Euangelica, nulla Respublica nec Lacedæmoniorum, nec Atheniensium, quæ alijs omnibus videbantur illustriores, ita certum habuerunt genus, aut tribus, ita certas ab vno principe, & progenitore propagatas. Deinde ad nobilitatem requiritur, vt populus viuat suis legibus. At eas nulla vnquam natio tam habuit proprias, quàm Gens Hebraica. Leges enim illis propriè à Deo datæ sunt: quæ aliorum omnium populorum leges infinito interuallo superarent. Vixerunt autem suis legibus, quandiu Domino paruerunt. Is enim tum eos ab omnibus infortunijs tuebatur. Propter peccata autem abducebantur interdum in exteras nationes: verùm illa exilia non erant perpetua. Postquam enim dedissent scelerum suorum pœnas, restituebantur auitis sedibus. Præterea commendat populi nobilitatem vetustas. At nihil antiquum inueniri potest in historijs ethnicorum, quin constitutam Rempublicam Iudæorum longò post tempore sequutum sit. Ante Bellum Troianum quicquid traditur à scriptoribus ethnicis, fabulosum est. Illud autem bellum tum gestum est, cùm iam Respublica Iudæorum Ducem haberet Iephthe. Facit etiam non nihil ad nobilitatem habuisse multos præclaros viros. Nulli autem vnquam aut plures, aut præclariores extiterunt, quàm apud Iudæos. Taceo πολυτεκνίαν, & τεκνίαν, quæ apud Iudæos maximè floruerunt. Scio esse nonnullos, qui hanc nobilitatem ex maioribus deductam contemnant. Aiunt enim, ex equis sæpè nasci mulos. Et commemorant Iphicratem, qui cùm esset egregius imperator, & audiret sibi à quodam contumeliosè, atque insolenter obijci, quòd esset sutoris filius, ita respondit, Meum genus à me incipit: tuum autem in te desinit. Et qui alteri, aut fortunam, aut ignobilitatem exprobrat, idem facit, quòd qui vestes verberat, corpus autem non attingit. Vt enim vestes sunt extra corpus, ita nobilitas, & fortuna extra nos sunt, & in externis bonis numerantur. Cicero quamuis esset homo nouus, tamen nobilitatem contempsit. Qui studet venationi canes optimos ad venandum comparant, non catulos, quamuis sint ex optimo genere. Et ad pugnam equi robusti, & bellicosi quæruntur, non equorum bonorum pulli.

Stemmata quid faciunt? quid prodest Pontice longa
Sanguine censeri? aut quid longas auorum ducere turmas?

Ridiculum est gloriari, se posse ἑπτὰ πάππους numerare. His rationibus quidam vtuntur ad extenuandam generis nobilitatem. Neque ea aut importunè, aut inutiliter dicuntur, in eos præsertim, qui maiorum tantùm suorum virtute volunt videri nobiles, quum ipsi alioqui sordidè, turpiter, & obscurè viuant. Sed si quis cum virtute generis etiam nobilitatem adeptus sit, ex ea certè multum habet adiumenti. Non enim est nobilitas res, vt obijciebatur, planè externa. Proprietates enim, & notæ, & motus maiorum nescio quo pacto ad posteros transferuntur: quæ quamuis in proximis filijs, aut nepotibus sæpe non eminent, aut apparent, vi tamen quadam retinentur, & in alijs posteris reuiuiscunt, ita vt in illis spiritus maiorum, atque impetus ad virtutem renouantur.

Vera nobilitas exigit cum prosperitate fortunæ coniunctam uirtutem.

Hebræi habuerunt genus purũ & impermixtũ.

Hebræi uerè proprias leges habuerunt.

Genus Hebræorũ antiquißimum.

Bellum Troianũ circa tempora Iephthe.

πολυτεκνία & τεκνία.

Argumenta contra nobilitatem.

Iphicratis respõsum.

Simile.

Simile.

Quis usus horũ argumentorum.

Vtilis est nobilitas generis.

uantur. Quare cùm eiuſmodi igniculi in nobis reſeruentur, non ſunt reponendi prorſus inter externa bona. Neque conuenit collatio de mulo, quem dicunt ex equo procreari. Quoniam in mula ſiſtitur generatio: neque ea, ſi ſpectes communem naturæ curſum, poteſt longius viuere. At qui generantur ex parentib. nobilibus, quanuis ipſi degenerent, tamen poſſunt alios poſteà procreare. Et, ſi velimus in illa ipſa ſimilitudine conſiſtere, non parũ ornat mulum, quòd procreatus ſit ex equo. Ita enim de cauſa multò ſunt generoſiores aſinis. Iuuenalis autem, Cicero, & Iphicrates de illis nobilibus loquebantur, qui quum ipſi nihil haberent paternæ, aut auitæ virtutis atque indolis, tamen in pretio haberi volebant eo tantùm nomine, quòd eſſent ex nobili proſapia. Longè quidem præſtantior eſt, qui natus obſcuro loco ſuis ſe virtutibus illuſtrauit, quàm qui orti ex magna nobilitate vitijs & ſceleribus, & ignauia, & ſocordia & ſe, & genus ſuum dehoneſtẽt. Quantum autem Deus piorum poſteris tribuat non ſolùm ex hoc loco patet, ſed & ex illo Exodi, vbi pollicetur, ſe benefacturum iuſtis in mille generationes: verùm etiam ex eo, quòd Sacerdotes, & Reges ex certa ſtirpe deligendos eſſe decreuit. Hanc prærogatiuam non contempſerunt Ethnici. Is enim, qui laudauit Alcibiadem, quum in Olimpicis coronaretur, quem quidam putant fuiſſe Euripidem ait, eum, qui ſit futurus felix, oportere eſſe oriundum è nobili ciuitate. In quam ſententiã alia multa, ſi eſſet opus, citare poſſem. Verùm quid dicemus de noſtra ſorte? Num ſumus nos ludeis abiectiores? An cum illis collati videri poſſumus ignobiles? Paulus enim ita ſcribit: Videte vocationem veſtram, fratres. Non multi nobiles, non multi ſapiẽtes. Reſpõdeo nihil eſſe, cur vices noſtras eo nomine doleamus. Quãuis enim, ſi ſtirpem ipſam cogitemus, vnde ſumus exciſi, quamcũ negare non poſſumus fuiſſe oleaſtrũ, obſcuri ſimus & ignobiles, tamen poſtquã inſiti ſumus in Chriſtum, omnis eius nobilitas nobis veriſsimè cõmunicatur. Sumus enim iam non ſolùm eius membra, ſed etiam caro de carne eius, & os de oſſibus eius: vt iam omnes eius patres facti ſint noſtri patres: quę quanuis nobis naturali generatione non contigerint, ſatis tamen homini pio eſſe debet, quòd poſteà nobis donata ſint. Sed aduerſarij noſtri hoc genere nobilitatis Eccleſiarũ ſuarum antiquitatũ efferunt. Aiunt enim, ſe habere longam ſucceſsionẽ Epiſcoporũ: ideocũ ſe à vera pietate & cultu Dei non potuiſſe excidere. Quaſi verò in 11. ca. Zachariæ nõ legatur prophetia aduerſus paſtorẽ ſtultum. Et certè ſi Epiſcopis bonis, & pijs ſemper boni pijcũ cõtingerẽt ſucceſſores, aliquid fortaſſe dicere viderentur: ſed cùm ſeries illa ita ſæpe interrupta fuerit, vt, quemadmodũ Eccleſiaſticæ hiſtoriæ tradiderunt, interdũ Epiſcopis orthodoxis, & catholicis ſucceſſerint Arriani, apparet, eos iſta de ſe futiliter, & falsò gloriari. Certè Iudæi habuerunt ab Aarone vſcũ ad Chriſtũ ſeriem ſacerdotũ nunquam interruptam. Traditiones tamen illorum, & idololatriã ab eis inuectã Chriſtus vehementer reprehendit. Prophetæ omnes, qui ſubinde excitabantur, vt religionis vitia corrigerent, quæ inoleuerant, quos citare poterant ſuos maiores, quibus illi ordinaria ſerie ſucceſsiſſent? Quòd ſi hęc ratio valeret, nec Chriſtus, nec Apoſtoli potuiſſent diſcedere à Scribis, & Phariſæis, & Sacerdotib. Iudæorũ, quorum erat cõtinua atcũ interrupta ſucceſsio. Sicut ergo hæc argumenta cauſam illorum Sacerdotũ nihil tum releuarunt: ita hodie tueri nõ poſſunt errores Papiſtarũ. Chriſtus erat ſacerdos ſecundũ ordinem Melchiſedech: nec tamen habuit ante ſe ordinem continuũ ſacerdotum eius generis. Apoſtoli primi plantarunt Eccleſias, & defecerunt à pontificibus Iudęorum. Et Paulus in ca. 20. Acto. ait, ex ipſis Chriſtianis fore lupos, qui inuaderent in Eccleſiã. Cùm ergo tales lupi ſuccederent in locum Epiſcoporũ, & paſtorum, & puram doctrinã contaminarent, atcũ corrũperent, fuitne illis obediendũ? Tertullianus, Irenæus, Auguſtinus videntur interdũ huic ſucceſsioni nõnihil tribuere. Citant enim eam ad confirmandã antiquitatem ſacrarũ ſcripturarum, aduerſus illos, qui eas prorſus negabãt: docentcũ ex longa ſucceſsione, eas in Eccleſiis Apoſtolicis ſemper fuiſſe conſeruatas. Valetcũ nonnihil Epiſcoporũ ſucceſsio, quandiu priſcam virtutẽ, & pietatem, & religionẽ retinent. At ſi ab ea diſcedãt, illa fruſtra objicitur. Tantiſper illi audiẽdi ſunt, quoad tradant ſanam doctrinã. Chriſtus enim monuit, Scribas etiam & Phariſæos audiendos eſſe, quandiu ſedeant in cathedra Moſis: non tamen, cùm obtrudãt plantas, quas cœleſtis pater non plãtarit. Neque quiſquam nos debet criminari, quaſi velimus ſucceſsiones Epiſcoporum interrumpere. Optamus eas continuari: ſed ita tamen, vt corrupta inſtaurentur: vtcũ ipſi Epiſcopi aliquando tandem in animum inducant fungi officio Epiſcoporum: hoc eſt, vt piè docendo, rectéque viuendo Eccleſiam ædificent. Eximia illa dona Iudæorum, quæ Apoſtolus hactenus recenſuit, quæſtionem de illorum abiectione, & gentium vocatione reddunt difficiliorem. Quomodò enim excluſi ſunt, qui tot, ac tanta beneficia acceperant? Et Gentes quomodò inductæ ſunt, quæ à republica Iſraelis

Deus poſteritati ſanctorũ multa conceſſit.

Angentes abiectiores Iudæis habendæ ſint.

Inſitis Chriſto cõmunicatur omnis Chriſti nobilitas.

Papiſtarũ Eccleſiarũ antiquitas

Multi lupi ſucceſſerunt Apoſtolis in Eccleſia.

Patres continuæ ſucceſſioni uidẽtur aliquid tribuere.

Valet ſucceſſio, quando priſtina uirtus retinetur.

Succeſſores Apoſtolorũ audiendi ſunt, quandiu rectè docent.

Nos Epiſcoporũ ſucceſſionẽ minimè tollimus.

fuerant alienæ, remotæ à Deo, gloriæ illius expertes, absque legibus, fœdere, cultu, promissionibus? Quæ nec ad Patres, nec ad Christum, secundum carnem pertinerent. Sed Chrysostomus annotauit, Paulum tantùm enumerasse dona Dei: vt Iudæi nihil habuerint, quòd ea causa superbirent, cùm ipsi ea sibi non compararint. Non ait Paulus, eos fœderibus steti sse, leges obseruasse, aut Deum purè coluisse: tantùm commemorat testimonia diuinæ erga eos benevolentiæ.

Quæ numerauit Paulus, tantùm dona Dei sunt, non Hebræorum uirtutes.

Asseritur utraque Christi natura.

Ex quibus est Christus secundum carnem: qui est super omnia Deus benedictus in secula. Eximiam Christi commendationem adiecit, qua duas in eo naturas diserte confitetur cõiunctas in eadem persona, vt ex vtrisque constituatur Christus. Humana natura indicatur his verbis, *Ex Iudæis secundum carnem.* Nam per carnem phrasi Hebraica totus homo intelligitur. Diuina natura apertissimè describitur his verbis, *Qui est super omnia Deus benedictus in secula.* Significatur etiam ea non obscurè in eo, quod adiectum est, *Secundum carnem.* Ea enim particula ponenda nõ erat, nisi ille supra carnem aliquid aliud habuisset. Cum hac sententia pugnant Arriani, Mahumetistæ, & quicunq; statuunt, Christum esse purum hominem: quibus etiam accedunt Rabbini Hebræorum. Nam quemadmodum vitiata interpretatione corruperant legem, quod ad mores, & vitam attinet, quod apparet ex eo, quòd Christus legem interpretatur, & eorum commenta reprehendit: sic etiam fidem syncerã de Messia venturo deprauauerant, vt eum purum simplicemq; hominem fore existimarent. Interrogati enim à Christo, quid nam sentirent de Messia, responderunt, eum futurum esse filium Dauidis, nihil de eo altius, aut sublimius cogitantes. Quamobrem Christus illis obiecit psalmum 110. vbi Dauid appellat Messiam dominum suum, quòd minimè conueniret puro simplicíq; homini ex illius posteritate prognato: quemadmodum illi malè suspicabantur. Ambrosius exponens hunc locum contendit, hæc verba omnino applicãda esse ad Christum, quòd nullius alterius personæ mentio fiat, cui possint aptè accommodari. Si nolunt, inquit, ista intelligi de Christo, ostendant personam aliam commemoratam à Paulo, cui possint attribui. Quòd si præter Christum, nihil aliud possunt inuenire, relinquãt Christo gloriam, quæ illi à Paulo tribuitur. Fatetur quidem Ambrosius, cùm pater & filius vnà in scripturis coniunguntur, patrem Deum appellari, filium verò Dominum: idq; ait fieri, quòd prædicemus nos vnum Deum colere. Quòd si repeteremus nomen Dei, posse nos fortasse videri ab illa vnitate nonnihil discedere: atq; ea causa sic epitheta variari. Ego verò video id in scripturis non esse perpetuum. Legitur enim in psalmo, vt citatur in epistola ad Hebræos: Propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ. Hîc quum agatur de patre, & filio, Dei nomen bis repetitur. Ait præterea, Christum esse super omnia, haberi etiam in epistola ad Philipp. Ibi enim scribitur, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestiũ, terrestium, & infernorum. Ex quo loco non minus, quàm ex isto, quem hîc tractamus, colligit diuinam naturam in Christo. Non enim ab omnibus adoraretur, nisi esset Deus. Nam in Apocalypsi Ioannes prohibitus est ab Angelo ne se adoret. Conseruus, inquit, sum tuus: caue feceris. At Christus, quum se sæpius permitteret adorari, apertè testatus est, se verum esse Deum. Nam quum diuini, syncerí, & puri cultus asserror esset acerrimus, nunquam tulisset, se Dei loco adorari, si re ipsa Deus non fuisset. Imò, inquit, Paulus adeò voluit asserere Christum esse Deum, vt verbis suis subiecerit, Amen: quæ particula citra controuersiam facit ad magnam asseuerationem. Chrysostomus etiam videtur ista adscribere filio. Ait enim, Paulum, quum recensuisset ingentia beneficia, quæ Deus in Hebræos contulerat, quę tanta fuerunt, vt saluator noster ea ex gente carnem assumpserit, hac exclamatione, & gratias egisse, & laudem in filiũ Dei reiecisse: neq; id immeritò, præsertim, quum sciret, Christum à Iudæis passim blasphemari, & contumelijs affici, maximè verò cùm eius Euangelium & prædicationem à se repellerent. Nos aliâs docuimus testimonijs adductis è scripturis, & quidem certissimis, Christũ esse Deum: ea non est necesse hoc loco repetere. Ioannes in cap. 5. primæ epistolæ disertè pronuntiat, Christũ esse verum Deum, & vitam æternam. Id nunc satis erit annotasse, Apostoli sententia, quam tractamus, multas hæreses perstringi, & confutari. Manichæi docuerunt, Christum non habuisse verũ corpus, sed tantùm phantasma, & illusionem oculorum fuisse: quicquid in eo corpus humanũ præ se ferebat. At Christum Paulus ait habuisse carnem, eamq; ex Hebraica gente fuisse sumptam. Quæ Pauli verba contra illos etiam faciunt, qui fatentur, Christum habuisse quidem verum corpus: sed illud allatum fuisse è cœlo, non sumptum ex Maria virgine. Nugantur enim Christum corpus suum per illam traduxisse, non aliter, quàm aqua deriuatur per canalem, aut per fistulam. Paulus autem apertè prædicat, carnem Christi fuisse factam, non per Hebræos, sed ex Hebræis. Arrius etiã his verbis confutatur: qui ausus est impudenter affirmare,

Rabbini, Mahumetistæ, & Arriani confutantur.

Amen uocabulũ ualde asseuerat.

In commentarijs epistolæ prioris ad Corinth.

Pater appellatur Deus, & filius Dominus in scripturis, quando simul coniũguntur.

Regula illa non uidetur perpetua.

Adoratio Christo exhibita, diuinitatis eius testimonium.

mare, Christum tantùm fuisse creaturam: & ore blasphemo filium Dei negare esse Deum. Huc accessit Nestorius, qui vtranq; in Christo naturam confessus est, sed eas ita inter se disiunxit, vt statueret, coniunctionem inter eas tantùm esse per gratiam: vnam autem personam ex illis duabus non cõstitui. Itaque inficiatus est, beatam Virginem posse dici θεοτόκον: eam enim tantùm appellandam esse hominis matrem: diuinæ enim naturæ non posse conuenire, vt denuò generetur. At non vidit, Paulum hîc dicere Christum esse ex Iudæis, quod attinet ad carnem. Fatemur quidem, ea, quæ in vniuersum dicuntur de Christo, modò de hac natura, modò de altera esse intelligenda. cùm tamen ipse Christus vna tantùm sit persona, & hypostasis. Ita Deum immortalem dicimus natum, crucifixũ, mortuum. Est enim cõmunicatio quædam idiomatum, seu proprietatum ex admirabili connexione duarum naturarum: quam Nestorius dissociare, & diuellere conatus est. Non tamen sum nescius, Erasmũ hoc loco alias duas lectiones comminisci, præter istam receptã, quam nos sequimur. Earum altera est, vt ita legamus, Ex quibus est Christus secundũ carnem, vt ibi ponatur stigme: deinde sequatur, quod supersit, vt ἐπιφώνημα auulsum, quo Paulus dicat, Deũ, qui est super omnia, laudandũ esse in secula: vt Deus vel patrem significet, vel totam Triadem. Altera est, vt ita legamus, Ex quibus est Christus secundũ carnem, qui est super omnia, atque ibi pũctum affigamus: deinde subdamus, vt membrum per se ipsum comprehensum, Deus benedictus in secula. Has ego lectiones non video, cur debeam recipere. Cùm enim communis, & recepta lectio perspicua & plana sit, eam potius sequendam censeo. Nam istæ lectiones interpolunt nouam apostrophen vel ad Deum patrem, vel ad sacram Triadem, cùm nihil sit necesse. Deinde Paulus videtur idem facere, quod Hebræi Prophetæ, & Psalmi sæpe facere consueuerunt, vt posterior pars periodi idem repetat, quod in priori dictũ fuerat. Id autem multò clarius, & efficacius facit in præsentia. Prius enim attigit diuinitatem Christi, quum diceret, secundum carnem: ea enim particula non erat necessaria, si præter naturam humanam in Christo nihil fuerit. Et addit:

Communicatio idiomatum.

Mos prophetarũ & psalmorũ.

Ter probatur ex hoc loco diuinitas Christi.

Qui est super omnia: quod vni tantùm Deo conuenit. Quod ergo his clausulis dictũ fuerat obscurius, id altera parte periodi profert explicatius. Ait enim:

Qui est super omnia Deus benedictus in secula. Amen. Neque leuis est ratio Ambrosij, Non esse querendam hoc loco rem, aut personam aliam, cùm tantùm de filio sermo fuerit institutus. Erasmus excusat hoc suum inuentum, quod nihil diuinę naturę, quam in Christo statuimus, præiudicet: præsertim cùm ea ex alijs locis scripturarum abundè conuincatur. Respondemus, nos etiam probè scire, naturam diuinam in Christo permultis alijs locis scripturarum satis esse testatam: sed hunc tamen iudicamus cum cæteris esse retinendum: nam id videmus factum esse ab omnibus Patribus. Neque conuenit, vt Ecclesiæ armamentarium sine causa exhauriatur: quod potius implendum nobis est quotidie, & instaurandum. Sed dicet fortasse: Alijs locis parum confidunt, qui pro isto vno tantopere contendunt. Nos certè alijs locis non parum fidimus, sed cùm hic satis firmus & clarus sit, eum amittere noluimus. Commentaria Origenis testantur hæc dici de Christo: quasi Paulus his verbis refellat eos, qui ea tempestate non audebant apertè Christũ appellare Deum: quod mirum est audiri ex Origene, cùm ille alioqui de filio Dei non rectè senserit. Sed Erasmus putat, hanc partem in illis commentarijs ad Roman. esse adiectitiam. Ait enim, Ruffinum, aut eum, qui cunque fuerit, qui vertit Origenem, quædam de industria emendasse, ne lectores nimium offenderentur. Et Hieronymus contra Rufinum testatur, Origenem in alijs libris nũquam bene scripsisse de illis, de quibus erasset in libris περὶ ἀρχῶν. Quod si verum est, quum in illis libris pessimè senserit de filio, facilè euincetur in commentarijs ad Romanos hæc ab eo non potuisse scribi. Sed quicquid sit de Origene, eius enim commentaria ad Roman. non extant Græcè, vt de illis iudicare possimus aliquid. certum est Cyprianum scriptorem antiquissimum in libro 2. contra Iudæos, capite 5. vti hoc testimonio ad asserendam Christi diuinitatem: quanuis, quum citet Pauli verba, vocem illam, Deus, intermittat. Quod idem videmus factum ab Hilario in Psal. 122. Verùm id videri potest accidisse librariorum incuria, vt Erasmus ipse confitetur. Neque omittendum est, particulam illam, *Super omnia*, posse adiungi ad illam particulam, quæ sequitur, εὐλόγητος: vt sensus sit, Deus, qui laudandus est super omnia.

Non autem quasi exciderit uerbum Dei. Ea, quę Paulus dixerat de encomio Iudæorũ, vt Chrysostomus ait, videntur auxisse quęstionem. Offendebantur enim Iudęi, quòd ipsi, qui essent adoptati in populũ Dei, & donati lege, & instructi promissionib. abijcerẽtur, & in ipsorum locum gentes, quę semper fuissent alienæ à Deo, sine adoptione, sine lege, sine promissione

vlla de Christo surrogarẽtur. Iamq; hoc scandalum ita inter eos creuerat, vt dicerent, Christum, quem Paulus annuntiabat, non esse verum Messiam promissum Dei. Hæc Paulus, cùm secum reputaret, Iudæos reiectos esse, vehementer deplorabat. Verùm ne quis putaret, illum ita dolere, quasi putaret promissiones Dei factas esse irritas, ideo nunc & se, & illas defendit. Non, inquit, ego ideo hæc dico, vel ideo tantopere doleo, quòd arbitrer Dei sermones excidisse: scio enim promissiones eius constantes, & firmas esse, quanuis isti pereant. Deploro quidem illorum casum: non ita tamen, quasi fœdus, & pactũ à Deo initum cum filijs Abraham violatum putem. Etsi enim Iudæi excæcati repudiẽt Euangelium, promissiones tamen Dei manent constantes. Quod autem mouet me, vt meam gentem sic deplorem, id est, quòd quum sciam illi nationi factas esse promissiones, videamq; tam multas ex ea perire, iam intelligo salutem illam promissam tantùm ad paucos pertinere: quod quidem ego molestissimè fero.

Causa doloris Pauli.

Non enim omnes, qui sunt ex Israel, ij sunt Israelitæ: neque qui sunt semen Abrahæ, omnes filij: sed in Isaac uocabitur tibi semen. Vt hæc perspicuè intelligamus, scire debemus, Apostolũ hoc accipere, vt rem ex sacris literis notissimam, promissionem factam fuisse Iudæis de Christo, & de æterna salute: Iudæis, inquam, hoc est, posteris Abrahæ, ex eius carne nascituris: causam tamen salutis, & recipiendi Christum non esse naturalem procreationẽ ex Abrahamo. Nam si ea fuisset causa, nulli ab eo prognati frustrari potuissent promissione Dei. Frustratos autem fuisse nonnullos Apostolus ostendit in Ismaele, & Esau: qui quanuis carnalem propagationem ex Abrahamo nacti essent, tamen à promissione exciderũt. Promissio ergo, vti diximus, data est carnali posteritati Abrahami: etsi terrena illa generatio causa non fuerit, vt rem esset efficax, & in omnibus haberet locum. Remouet Paulus duo, quæ non vult esse causas promissionis: carnalem propagationem, & opera. Quæ ergo erit causa promissionis? Certè non alia, quàm electio Dei, & propositum. Ad hæc duo remouenda vtitur Paulus diuinis oraculis: & commemorat exempla de Ismaele, & Esau. Quod autem attinet ad Isaacũ, quem Deus Ismaeli prætulit, id habetur in lib. Gene. Duo verò loci sunt de Iacobo: alter in Genesi, alter in propheta Malachia. Extant etiam præterea promissiones de vocatione gentiũ: sed de illa in præsentia non agitur. Ea posteà tractabitur suo loco, vbi ostendetur repulsis Iudeis Gentes esse surrogatas: idq; multis scripturarum testimonijs confirmabitur. Nunc agitur tantùm de promissione facta generi Abrahami. Dicit autem Apostolus, promissionem quidem factam fuisse indefinitè, non autem singulis, qui ex illa prosapia essent orituri. Pertinebitq; promissio ad semen electum: ad quod multi adiunguntur propagatione carnis, in quibus promissio non sit efficax. Omnibus ea quidem offertur: sed non impletur in omnibus. Quemadmodum enim Respublica Israelitica Dei misericordia discreta fuit à cæteris nationibus: ita eadem illa Dei misericordia quidam ex Israelitis eligebãtur diuinæ promissionis futuri participes, quæ ad omnes in vniuersum non pertinebat. Hinc scire possumus, multos ex Iudæis propter illam promissionem recepturos Christum, & ad salutem peruenturos. Dei enim promissio nullo pacto potest esse mendax. Et ob eam causam Apostolus suprà tanti fecit gentem suam, quòd videret, promissionem Dei in ea adhuc etiam habitura esse locum. Neque obstat, quòd maior pars tum temporis excæcata fuerit: id enim futurum esse, prophetarum oracula prædixerant: à quibus ostendebatur indefinitã promissionẽ per arcanum Dei propositum contrahi ad paucos. Qui arbitrãtur hęc pertinere ad gentes, promissionem ad illas pertrahunt: quasi illæ verè factę sint Israelitæ, & semen Abrahami: præsertim cùm Paulus dicat cap. 3. ad Galatas: Qui sunt ex fide, ij sunt filij Abrahæ. cumq; Ioannes Baptista dicat in Euangelio: Potens est Deus ex lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Nos quidem non inficiamur, Gentes ad Hebræorum nobilitatem translatas esse: verùm quum id non habeant ex naturali propagatione, vt Israelitæ, non cõtingunt Abrahamum per carnem, sed tantùm per spiritum, & fidem ad illum pertinent. Nos ergo sumus ascititij, adoptati, & insiti in illud genus. Omnia quidem ista vera sunt: sed Paulus de his non agit hoc loco. Hoc tantùm vult ostendere, in Israele propagato ex Abrahamo iuxta carnem adhuc etiam latitare semen electionis, & aliquas eius reliquias ad extremum esse seruandas. De gentibus autem posteà suo loco disputabitur. Interim tuetur Dei promissiones, ne videãtur inconstantes, & infirmæ, cùm tam pauci ex Iudæis per Christum seruentur.

Causa salutis nõ est ex carnali procreatione.

Opera, & carnalis propagatio nõ sunt causæ salutis.

Electio est causa salutis.

Promissio est facta posteris Abrahami indefinitè.

Non enim omnes, qui sunt ex Israel, sunt Israel: Neque quia sunt semen Abrahæ, omnes filij. Sed per Isaac uocabitur tibi semen. Hoc est, non qui filij carnis, hi sunt filij Dei: sed qui sunt filij promissionis, recensentur in semen. Quærit hoc loco Chrysostomus, quis iste sit Israel, & qualenam hoc sit semen. Obseruat autem filios carnis, non esse filios Dei: non tamen negat, eos esse filios Abrahami. Putat autem Apo-

Apostolum hoc loco eos appellare filios Dei, qui eo modo nascantur, quo Isaacus nascebatur. Is autē procreatus est ex promissione & verbo Dei. Dei enim sermo, & promissio eum finxit, & formauit in vtero matris. Et quanuis matris vterus adhibitus fuerit ad procreationem, tamen cùm ille aridus iam esset, & sterilis, non potuit eius procreationis esse autor. Ita, inquit, fideles, cùm regenerantur in baptismate, per verbum, & promissionē Dei renascuntur. Quòd si dicas, aquam etiam concurrere, fatemur id quidem: illa tamen ex se res frigida est, & sterilis, vt vterus Saræ. Quicquid ergo fit in baptismo, id totum spiritus sancti est, & diuinæ promissionis. Probatur mihi, quòd Chrysostomus non tribuit regenerationē aquę, sed eam potius ad spiritum sanctum, & verbum Dei refert. Duo tamen, quę assumit, illi non ita facilè concedo: primùm, scopum Pauli esse, vt contrahat promissionem Dei ad Gentes. Hic enim, vt diximus, primùm agitur de Iudæis: deinde, cùm filij Hebræorū diu ante Christum fuerint regenerati, & promissionem salutis suæ circuncisione habuerint obsignatam non aliter quàm nos nunc baptismo, quid opus erat regenerationē tantùm ad baptismum contrahere? Intelligamus potius, Israelitico populo, qui iuxta carnem ex Abrahamo duxerat originem, promissionem propositam fuisse indefinitè. Ea in pueris Hebræorum circuncisione obsignabatur. Itaque ille populus suprà dictus est pacta, & promissiones habuisse. Et Petrus in Actis Apostol. Hebræos appellat filios pactorum, quòd promissiones Dei illis, vt diximus, fuissent generaliter propositæ: quanuis illæ in omnibus non essent efficaces. Ad hunc modum intelligenda sunt multa loca in Prophetis, vbi populus Israeliticus indefinitè appellatur populus Dei, quanuis re ipsa multi ex illis à Deo essent alieni. Est apud Esaiam: Filios enutriui, & exaltaui, illi autem spreuerunt me: & apud Ezechielem Deus ait, Filios Israelis esse filios suos, propter hanc videlicet promissionem vulgò apud illos publicatam, & circuncisione, multisq; alijs ceremonijs, & ritibus confirmatā. Tamen quum multi ex illis à pietate, & à salute exciderent, satis apparebat, non omnes fuisse filios Dei, aut semen Abrahæ, cui promissa ex electione deberentur. Quare quum Paulus dicat, Non omnes, qui sunt ex Israele, sunt Israel, per Israel secundo loco intelligit semen illud, cui adiuncta est electio: per filios autem, & filios Dei, & filios promissionis, intelligit eos, ad quos perfectio promissionis per Dei propositum contracta esset. Primum exemplum adducitur de Isaaco, & Ismaele, ex capite 21. Geneseos: vbi Abrahamus iubetur ancillam, & filium eius eijcere: quemadmodum Sara postularat. Quoniam in Isaac, inquit, vocabitur tibi semen: hoc est, illa promissio, quam feci semini tuo, per electionem in Isaaco cōcludetur, neque ad alterum filium tuum Ismaelem pertinebit. Hic locus declarat, id quod antea promissum fuerat generaliter, per arcanam Dei electionem ad quosdam singulares homines reuocari. Alterum oraculum de hac eadem re in 18. capite Geneseos extat: In tempore hoc veniam, & erit Saræ filius. Hoc Deus pollicitus est, quum ab Abrahamo susceptus fuisset hospitio sub quercum Mambræ. Natus iam erat Ismael: tamen Deus Abrahamo singulariter promittit, fore illi filium è Sara, in quo definiretur promissio, quæ antea pendere incerta videbatur. Vt si cui complurium liberorum patri promitteretur, fore, vt in sua stirpe regnum esset habiturus, non statim posset intelligere, quis ex illis filijs esset ad eam dignitatem euehendus: verùm definitio ea in electione tantùm clauderetur. Paulus ex his ostendit, arcanum Dei propositum moderari, & contrahere id, quod promissum fuerat in vniuersum. Non quasi Dei electio pugnet cum promissione, imò eam potius perficit, & absoluit, in illis tamen, in quibus decretum est, vt perficiatur. Neque putare debemus, electionem Dei naturali procreationi esse alligatam. Et quum Apostolus filios carnis, & filios promissionis commemoret, per filios carnis eos intelligit, qui nihil in se singulare, aut egregium habeant, præter carnis prosapiam, quam à sanctis Patriarchis traxerint. Filios autem promissionis appellat illos, quibus promissio per electionem iam sit addicta. In hoc autem exemplo de Esau, & Ismaele, animaduertendum est, Apostolum ab hypothesi ascendere ad thesin, vt ex eiusmodi singularibus factis consuetudiuem diuinæ electionis colligat. Hic monemur, nunquam resiliendum esse à fide verbi Dei, quanuis illa, quæ in eo traduntur, humanæ rationi, & iudicio excidere, aut irrita fieri videantur. Certè oportet eo tempore summam fuisse dubitationem, quum iam publicè extarent promissiones Iudaicæ genti factæ: ex altera autem parte nulli mortalium essent, qui Christo magis resisterent, aut eius Euangelium acerbiori furore repellerent. Apostolus tamen inuicta fide perstat: & sese de promissione Dei, vt iam expositum est, consolatur. Eodem modo hodie vsu venit de liberis fidelium. Habemus promissionem, Deum velle, non tantùm nostrum esse Deum, verùm etiam seminis nostri: quæ promissio cùm sit indefinita, arcana Dei electione infantibus applicatur: non quidem

Isaacus natus ex promissione.

Regeneratio nō est aquæ tribuenda.

Quomodò in prophetis multa oracula de populo Israel intelligenda sint:

Promissio generalis per electionem ad aliquos singulares contrahitur.

Simile.

Electio seu propositū moderatur promissionibus.

Electio non pugnat cum promissione.

Itur ab hypothesi ad thesin.

Paruulos baptizamus sub fide promissionis indefinitæ. Contra Anabaptistas.

semper omnibus, sed certis quibusdam, prout diuino proposito visum fuerit. Quod quum nos lateat, sequi autem debeamus externum verbum, quod cõmendatum est Ecclesiæ, sub ea promissione paruulos nostros baptizamus, quemadmodũ suos veteres circuncidebant. Id factum Anabaptistæ reprehendunt, quòd neque de spiritu, neque de fide, neque de electione illorum paruulorum nobis quicquam constet. Verùm nos ista nihil moramur: tantùm respicimus verbũ Dei, quod in generali, atque indefinita promissione nobis offertur. Executionem autem eius Deo committimus, cùm de illius electione non possimus iudicare. Sed illi vicissim nobis dicant, quánam ratione tingant adultos, quum incertum sit, an illi pertineant ad electionem, & vtrum, quæ dicunt se credere, ac profiteri, verè dicant, & sincero animo ad Christum accedant. Hîc nihil possunt respondere, nisi se sequi confessionem fidei, quam adulti faciunt coram Ecclesia cùm sint baptizandi. Verùm cùm ea confessione facilè possint decipi, neque aut de animo illorum, aut de electione aliquid certò sciant, nihil est, quòd nos accusent. Idem enim prorsus nobis accidit in paruulis, qui offeruntur Ecclesiæ baptizandi, quod illis in adultis.

Non solùm autem, sed & Rebecca ex uno conceperat Isaac patre nostro. Nondum enim natis pueris, cùm neque boni quippiam fecissent, neque mali. Ad exemplum superius de Isaaco, & Ismaele, adiungit aliud de Iacobo, & Esau: Neque id absque magna causa. Potuissent enim homines suspicari diuersitatem extitisse in Isaaco, & Ismaele, quòd alter esset ancillæ filius, alter liberæ: quod in Iacobo, & Esau non potest prætexi. Habuerunt enim eundem patrem, & eandem matrem, fuerunt fratres vterini, & gemelli concepti eadem hora. Itaque quod ad naturã, aut carnis propagationem attinet, nulla inter eos assignari potest differentia. Quare cùm alter illorum reiiciatur à Deo, alter eligatur, necesse est, vt id totum voluntati & electioni Dei tribuatur, tanquam altiori principio, quo illi distinguãtur, qui carnalis generationis naturam eandem habuerint. Atque hoc exemplo secundo Paulus altius etiam ascendit, nec solùm carnalem generationem à causa efficaciæ promissionis Dei remouet, verùm etiam opera. Ait enim paruulos illos nondum fuisse editos in lucem, nihil fecisse aut boni, aut mali: neque eo nomine illos fuisse inter se discretos, vt alter reiiceretur, alter eligeretur: alter diligeretur à Deo, alter odio haberetur. Hæc duo Hebræi perpetuò de se iactare solebant, vt res præclarissimas, nobilitatem generis, & operum sanctimoniam. Alterum horum Paulus iam antea remouerat: nunc remouet etiam opera.

Opera & carnis propagatio posteriori exemplo remouetur.

Cùm nondum nati essent, aut boni aliquid egissent. Apostolus hoc loco quędã dicturus est, à quibus ratio humana vehementer abhorreat: nam primũ ait, meram Dei bonitatẽ, & clementiam principium esse electionis. Id quod homines, cùm se ipsos nimium mirentur, & amẽt, non facilè concedunt. Vellent enim in se ipsis potius principia constituere salutis suæ, neq; id totum Deo libenter cõmittere. Deinde ait istam Dei liberalitatem, & misericordiã prorsus esse solutam legibus, vt nemini teneatur, quin aut prętereat, aut eligat liberè, quos velit. Hîc etiam vehementer offenditur nostra ratio: æquũ enim hominibus videtur, vt, cùm omnes pari conditione sint, Dei quoq; sit erga omnes par, atq; æqua propensio: nam id aiunt esse iustitiæ. Itaque tacitè videntur Deum insimulare προσωποληψίας. Adhæc his Apostoli verbis damnatur error illorum, qui putauerunt animos nostros, aut peccasse, aut iustè vixisse antequàm in corpora demitterentur. Nam si ita esset, Apostolus non rectè dixisset, nisi dogmata sectaretur. Sentiendum ergo est, animos nostros non antea fuisse, quàm quum corporibus coniungerentur. Non enim potuissent otiosè agere: & si quid fecissent, id certè aut iustum fuisset, aut iniustum: atque ita aliquid fecissent boni, aut mali. Verùm qui putant, Deum in electione sequi opera præuisa, negant, se his Apostoli sententijs confutari. Nam quod Paulus ait, Deum alterum horum elegisse, alterum repudiasse, antequàm nati essent, id aiunt referendũ esse ad summã Dei perspicaciã, qua ea, quæ futura sunt, longè antè videt, quàm existant. At Apostolus, cùm statim subijciat, vt maneat electio secundũ propositũ, nõ videtur ad opera præuisa respicere, sed tantùm ad summam Dei voluntatem. Sed se ne hîc quidem teneri aiunt: Electionem Dei affirmant regi præscientia, qua cùm præuideat, qualis quisque futurus sit, ita eum quenq; aut reiicere, aut eligere. Idem etiam dicunt de proposito Dei, illud oportere esse iustum, & idcirco ad prescientiam operum attemperari: & ideo dici propositum, quòd omnino, atque immutabiliter futurum sit, quod Deus præuidit. Atqui si sic esset, vt isti fingunt, Paulus dicere debuerat, vt operibus, aut meritis maneat suus honos: quod tamen non dicit, sed istis opponit electionem, & propositum Dei. Et addit diserte, Non ex operibus, & quasi de industria negat id, quod isti tantopere student obtru-

Duo hîc traduntur ab humana ratione ualde aliena.

Animi nostri non prius uixerunt, quàm corporibus cõiungerentur.

Contra eos, qui putant electionẽ ex operib. præuisis constare.

dere.

dere. Quare ita sentire, non videtur aliud esse, quàm aduerso flumine nauigare, & cum Apostoli consilio apertè pugnare. Nam Paulus, ne quid deesset ad confirmandum id, quod dicimus, Electionem Dei summam esse causam salutis nostræ, adiecit:

Sed ex uocante. Ex quo intelligimus, salutem nostram vniuersam pendere ab eo, qui elegit, & vocat. Et vehementer absurdum est, aliquid in homine constituere ita bonum, vt possit Dei voluntatem permouere ad eligendum. Quicquid enim boni est in homine, id omne proficiscitur à Deo: nisi dicere velimus, posse aliquid esse boni, quod non sit à Deo: quod esset ex creatura facere Deum. Quòd si fateri volunt, omnia bona, quæ homines aut facturi sunt, aut facere possunt, manare à Deo, illud etiam certè cõcedent, & dabunt, Deum illa non temere, aut casu, aut inconsultò distribuere. Iam verò si ista ex electione, & prædestinatione Dei distribuantur, non possunt ea esse electionis, aut prædestinationis causæ. Adhęc Apostolus paulò pòst ita omnia reuocabit ad voluntatem Dei, vt nostram ipsorum voluntatem excludat. Ait enim, Miserebor cuius misereor: & misericordiam præstabo, cui misericordiam præsto. Itaque non est neque volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Nęue indignemur, Deum ita nobiscum agere, vtitur simili de figulo, qui ex eadem massa faciat aliud vas in honorem, aliud verò in contumeliam: additq;, Lutum tamen de suo fictore non posse conqueri. Præterea periculosum est, & à pio viro alienum, eam electionis Dei causam assignare, quæ nec à Paulo, cùm eam rem propriè tractet, ponatur, nec in omnibus sacris literis vsquam extet. Hoc enim est nobis ipsis fingere, quod nostræ rationi videatur consentaneum. huc adde, ne hanc quidem ipsam fictionem posse per omnia humanæ rationi satisfacere. Augustinus enim contra duas epistolas Pelagianorum libro 2. cap. 7. fingit, duos paruulos nasci ex impijs parentibus, & à Christo alienis: vtrunque exponi, & derelinqui, vt moriatur: Et alterum quidem mori: alterum autem esse viuaciorem, & superueniente fortè homine aliquo Christiano seruari, & ad Ecclesiam deferri, & baptizari, & cum alijs fidelibus participem fieri Christi. Certè de alterius pueri salute nihil habemus, quod possimus pollicerì: de alterius autem, si puer moriatur, vix dubitamus. Quòd cùm ita sit, vnum illorum affirmamus fuisse electum, alterum reprobratum. Quid ergo hîc spectauit electio Dei? Opera præuisa non potes dicere, quum ea, quæ futura non erant, præuideri non potuerint. Nam Dei prouidentia ea, quæ futura sunt, prouidet non autem ea, quæ nũquam erunt: imò potius illa præuidet non esse futura. Videmus itaque, commentum illud de operibus præuisis non posse in omnibus casibus ne humanę quidem rationi satisfacere. Quare Paulo potius credendum est, qui nos ad supremam causam adducit, nempe ad voluntatem Dei: cui certè iniuriã facimus, si quã aliam illa altiorẽ esse credimus. Quid oportet ad hominum facta confugere, cùm omnes ex natura nostra eiusdem simus proprietatis, & eiusdem ingenij? Massa enim illa Adami, vnde omnes deriuamur, vitiata est, & corrupta: ad quam si quid fortè addatur boni, id habet à mera, & sola bonitate Dei. Deinde qui ista docent, videntur Paulum facere admodum stupidum, & hebetem, qui videre non potuerit id, quod ipsi tam facilè intelligant. Nam ille electionis diuinę nullam adducit aliam causam, nisi propositum, & voluntatẽ Dei. Postremò etiam exclamat, O altitudo diuitiarum, &c. Isti verò homines acuti ex tanta difficultate adeò facilè, vnò, inquam, verbulo sese expediunt. Augustinus dum hunc locum exponeret adhuc presbyter, & recens baptizatus, etsi videret, Deum non posse respicere futura nostra opera, vt causas prædestinationis, qua nos complectatur, tamen causam dilectionis putauit esse præuisam fidem. Et sententiæ suæ quoad vtranque partem, hanc adfert rationem: Certum est opera bona in nos à spiritu sancto deriuari (per eum enim Deus operatur omnia in omnibus, & idem Deus nobis spiritum sanctum elargitur) opera ergo bona, inquit, quum proficiscantur à Deo, non possunt eius electionem aut prædestinationem commouere. Deum autem putabat respicere fidem nostram, & eos eligere, quos præuidit esse credituros, quòd putaret fidem esse à nobis. Etsi enim, inquit, legimus, Deum operari omnia in omnibus, non tamen legimus, Deum credere omnia in omnibus. Quare vt credamus, id nostrum esse putauit: vt autem bene operemur, id à Deo prouenire. Hæc ille scripsit, quum adhuc esset rudior, sequutus, vt mihi quidem videtur, patris sui Ambrosij doctrinam. Is enim hoc loco eadem docet, Deum videlicet eligere eos, quos sciat esse credituros. Verùm Augustinus, quum iam haberet iudicium ætate atque exercitatione maturius, hanc sententiam reuocauit, vt apparet ex primo lib. Retract. capite 23. quo in loco ita de se scribit: Illa non scripsissem, si fidem, non minus, quàm bona opera, Dei donum esse intellexissem. Fidem autem dari à Deo, colligit ex eo, quod scribitur ad Ephes. cap. 6. Charitas, & fides à Deo patre, & Domino nostro

Nihil boni debet in homine poni. quod uoluntatẽ Dei ad eligendũ se permoueat.

Deus temere sua dona minimè distribuit.

Quæ Deus nobis largitur, nõ sunt electionis causæ.

Ipsa quoq; uolũtas nostra excluditur, ne sit electionis diuinæ causa.

Si hæc statuatur causa electionis, nec quidẽ sic humanæ rationi satisfiet.

Omnes homines natura sua eiusdem ingenij, & propensionis ad malum.

Hæc opinio Paulum facit admodum stupidum.

Errauit Augustinus, dum esset presbyter.

Augustinus reuocauit errorem suum.

Fides non minus est donum Dei, quàm bona opera.

Iesu Christo. Et in eadem epistola, capite 2. Gratia seruati estis per fidem, & hoc non ex vo-
bis. Donum enim Dei est: non ex operibus, ne quis glorietur. Ad Timotheum verò, Mise-
ricordiam, inquit, consequutus sum, vt sim fidelis: non autem ait, quòd essem fidelis. Huc
adduci possent loca alia complura in eandem sententiam: sed in præsentia hæc decreui fo-
re satis. Quod autem attinet ad verba Pauli, nemo debet mirari, Apostolum, quum loqui-
Propositũ et electio quare Deo tribuantur. tur de his rebus, tribuere Deo propositum, & electionem. Scripturæ enim sacræ passim se
accommodant infirmitati nostræ, & cum hominibus loquuntur humano more. Illis voci-
bus intelligimus constantiam, & immutabilitatem diuinæ voluntatis. Quemadmodum e-
nim homines, quæ temere instituererunt, ea, re melius considerata postea mutare solent:
quæ autem bene cogitata, & deliberata decreuerunt, ea volunt esse firma, & perpetua, ita
cogitant etiam de Deo: Quare Paulus eius voluntatem appellat propositum, & electio-
nem. Oraculum redditum est Rebeccæ, Maiorem ex illis duobus fratribus seruiturum es-
se minori: ea enim consuluerat Deum, quid fratres in vtero suo inter se confligentes signi-
Deus ponit discrimẽ inter eos, qui nascuntur. ficarent. Ex hoc oraculo videmus, Deum esse, qui ponit discrimen inter eos, qui nascun-
tur, quum alioqui natura sint æquales. Promissiones autem factæ huic aut illi generi, &
huic aut illi posteritati, non aliud significãt, quàm ex illo genere, aut posteritate aliquos es-
se eligendos: sed qui nam illi sint, nos iudicare non possumus. Nos potius debemus effe-
cta spectare: & quos videmus vocatos esse, credere, bonis operibus vacare, eos habere
pro electis, semperque in hoc negotio ad mandata & promissiones, hoc est, ad verbũ Dei
Cùm arcana sit prædestinatio, ad quæ respicere debeamus. externum respicere. Nam de arcano Dei consilio, quod ad singulos homines attinet, nihil
habemus reuelatum: verùm his Chrysostomus videtur aduersari. Primùm ait, ortum fuisse
graue scandalum de reiectione Iudæorum, & electione Gentium: præsertim quum Gentes
semper immundæ extitissent, Iudæi autem promissiones luculentissimas habuissent. Perin-
de enim, inquit, est, ac si filius Regis, cui hæreditate videtur deberi regnum, deiiciatur, & in
Simile. eius locũ impurus quispiã de plebe homũcio, modò è carcere liberatus surrogetur. Quod
certè si fieret, inquit, grauis nasceretur offensio. Nam si quis causari vellet, filium Regis idcir
co abiectum esse, quòd malè se gessisset, diceret aliquem eo meliorẽ ascisci oportuisse, non
æquè malum, & perditum: quare quum Gentes meliores non fuerint, quàm Iudæi, vtros-
que similiter aut puniri, aut ornari oportuisse. Gentes autem æquè peccasse, atque Iudæos,
& idcirco regno Dei fuisse indignas, ex eo apparet, quod suprà dictum est in primo capite,
& deinde in tertio, Omnes peccauisse, & egere gloria Dei. Et omnino mirũ videri potest,
Deum id voluisse Iudæis promittere, quod non esset redditurus. Nam homo quidem, cùm
futurorum sit ignarus, si mutet aliquando sententiam, potest aliquo modo excusari: Deus
verò non item, quum omnia euentura, quæcunque sunt, perspicuè præuideat. Quomodò,
inquit, dissoluit ista Paulus? Hoc modò subdit, vt declaret, quis nam sit verus Israel, cui
Nota Chrysostomi methodũ ac interpretationẽ factæ sint promissiones. Vultque omnino, ea, quæ hîc à Paulo dicuntur, ad vocationem
Gentium pertinere: eas enim esse verum Israelem. Deinde ait, dissolutionem quæstionis
in eo sitam esse, quòd Gentes ad Christum per fidem venerint: Iudæi autem reiiterint fi-
dei, & Euangelium repulerint, operibus tantùm legis intenti. Atque hoc, ait putandum
non esse Dei vitio factum, quum ille velit omnes homines saluos fieri. Ingenuè tamen fa-
tetur, Paulum hoc non dicere. Putat enim, eum non soluere quæstionem, sed tantùm au-
gere difficultatem: quemadmodum fecerat in quinto capite, quum probare vellet, iusti-
tiam Christi nos seruare: id autem, ait, videri à vero alienum, vt iustitia Christi in nos re-
dundet. Probare itaque hoc debebat: quod tamen non fecit: sed ita potius scripsit, si con
taminati sumus vnius peccato Adami, quomodò vnius Christi iustitia non mundabimur?
Hîc ait adductũ esse aliud dubiũ, quomodò peccatũ Adami nobis obesse potuerit: quod ta
men à Paulo non sit dissolutũ. Quòd autẽ has quæstiones ita reliquerit indiscussas, ex eo fa
ctũ putat, quòd Paulus primo quoq; tempore voluerit Iudæis os oppilare, quibuscũ tum lu
ctabatur. De his exẽplis, inquit, quę adducit, ex professo nõ disputat, sed id tantũ quærit, vt
sua ex illis reddat magis perspicua. Ac si diceret: Hoc vos offendit, Hebræi, quòd videatis
vos reiici, & Gẽtes adduci ad regnũ Dei. Annõ videtis, eadẽ in vestris Patriarchis accidisse?
Illi eñ sunt abiecti, ad quos hereditas videbaẽ pertinere. Deus enim nõ expectat successũ,
sed statim videt, hunc esse bonum, illũ verò esse malũ. Et in eadẽ causa, cùm tempore Mosis
omnes obnoxij essent morti propter idololatriã admissã in aureo vitulo, tamẽ alij ex illis pu
niti sunt, alij Dei misecordia sunt cõseruati. Misereor, inquit, Deus, cuius misereor: & mise-
ricordiã præsto, cui misercordiã præsto. Pharao excitatus est, vt Dei potẽtia in eo declarare
tur: sed cur ille præ cæteris est excitatus? An propter inobedientiã, & obstinationẽ? Qua-
si verò

verò alij quoque non fuerint æquè, atque ille, inobedientes & obstinati. Et quum promissiones videantur factæ Israelitis, & illi iam ita creuerint, vt æquent arenam maris, cur tantùm reliquiæ saluæ fient? Has, inquit, omnes quæstiones Paulus mouet: nec tamen soluit. Neque enim expedit, vt tu tuam quæstionem nimis citò dissoluas, cùm aduersarius hæreat in eodem luto. Superuacaneum enim est, vt tu omnem laborem subeas, cuius pars æqua subeunda sit ab aduersario. Idque sitentes facere, antagonista tuus inflabitur, quasi sua quæstione potuerit tibi negotium facessere. Solue, inquit, tu primùm, ô Hebræe, istas eadem quæstiones, quas tibi ex lege proposui. Quod si facere non potes, quid mihi insultas, quasi viceris? Vult ergo Chrysostomus, hæc à Paulo ea ratione, qua diximus, proponi: solutionem autem adferri posteà, cùm dicet, Gentes ideo fuisse ascitas, quòd venissent per fidem: Iudæos autem fuisse explosos, quòd abiecta fide legis tantùm operibus confiderent. Addit præterea, Deum omnia scire, antequàm fiant: & quis bonus, quisq; malus futurus sit, præuidere: & idcirco illius iudicio standum esse: neq; oportere ab illo rationes quærere electionis suæ. Hominum autem iudicia sæpe falluntur: itaque videmus, eos à Deo sæpe grauiter puniri, quos alioqui nos putamus esse optimos: & quos nos horremus, vt pessimos mortalium, illi sæpe ab eo coronantur. Ille omnium corda nouit, & videt: nos externa tantùm signa attendimus, & sequimur iudicium aliorum. Id nihil opus est, vt Deus faciat: videt enim causas rerum: itaque illius iudicio est acquiescendum. Hæc verba Chrysostomi in vniuersum probari non possunt. Multa enim continent à scopo Pauli aliena. Primum id est dissentaneum, quòd ea, quæ hîc dicuntur Paulo, trahit ad vocationem Gentium: deinde quòd asserit, Deum eos eligere, quos videat esse credituros, quod suprà pluribus refutauimus. Deinde, cur ipse audet causam assignare electionis Dei, quam ingenuè fatetur, Paulum nusquam ponere? Quomodò autem sit verum, Deum velle omnes homines saluos fieri, aliàs diximus, neque id nunc opus est repetere. Hoc tantùm dicam, illam propositionem non esse vsque adeò simpliciter intelligendam. Præterea falsum etiam assumit, quum ait, Paulum hoc loco quæstionem propositam non soluere. Apertissimè enim ait, causam salutis nostræ esse electionem Dei: Electionis autem diuinæ nullam vult esse aliam causam, quàm propositum Dei, & eius erga nos meram charitatem, & beneuolentiam. Neque quicquam, illo simili iuuatur, quod adducit ex quinto capite huius epistolæ. Ibi enim Paulus ait, non esse absurdum dicere, nos ita frui commodo iustitiæ Christi, vt per illam iustificemur: quandoquidem vnius delicto, atque inobedientia multi damnati sumus. Hoc, inquit, probare debuit, nos peccato ab Adamo contracto infectos esse: quod tamen non fecit, sed reliquit indissolutum. Imò Paulus probauit, nos participes esse illius maculæ, ex eo, quòd morimur. Moriuntur autem illi etiam, qui peccauerunt non in similitudinem præuaricationis Adami. Ex morte igitur, tanquam ex effectu, satis probauit peccatum originis. Nam quod Paulus infrà dicet, cùm agetur de vocatione Gentium, & reiectione Iudæorum, Gentes venisse ex fide, Iudæos autem quæsiuisse salutem ex operibus legis, id non ponit, vt causam, sed tantùm vt effectum prædestinationis. Statim enim quæri potest, vnde Gentes habuerint fidem suam. Quòd si illam habuerunt à Deo, vt certè habuerunt, quare eam illis dedit Deus? Non alia certè de causa, nisi quia voluit. Mittamus ergo hæc, vt Apostoli sermoni parum congruentia: & potius hoc videamus, quemadmodum Apostolus hoc loco tres errores confutet. Primùm os oppilatur Manichæis, qui multum tribuebant horæ natiuitatis: quasi de vita, morte, alijsque hominum casibus astrorum arbitrio iudicandum sit. Nam Paulus ait, Iacob, & Esau simul fuisse natos: in quibus tamen videmus in omni vita maximam extitisse diuersitatem. Refutat etiam Pelagianos, qui docuerunt, arbitrium adeò esse liberum, vt quenque pro meritis suis à Deo præuisis statuant eligi: qui error etiam alibi explodituir à Paulo validissimis rationibus. Nam ad Ephesios ait: Qui elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti. Non, inquit, quòd essemus sancti elegit nos, sed vt essemus sancti. Et ad Titum: Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit. Et ad Timotheum: Qui vocauit nos vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum suum propositum, & gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora secularia. Ex quibus verbis videmus, electionem Dei constare ex gratia, quam habuerimus ab æterno. Adhæc his Pauli verbis confutatur etiam Origenes, vt diximus. Ait enim, istos duos nihil egisse aut boni, aut mali.

Recitata sententia Chrysostomi excutitur.

Quæ hîc dicuntur, non pertinet ad uocationem gentium.

Quod Paulus nusquam ponit, ei nõ est affigendum.

Paulus quæstionem propositã in hoc ipso capite dissoluit.

Paulus probauit nos inquinatos esse Adami peccato.

Gẽtes ex fide uenisse ad Christũ nõ est causa prædestinationis, sed effectum.

Deus non dat fidem suis temere, sed ex proposito.

A Paulo confutãtur Manichæi.

Confutantur Pelagiani.

Confutatur Origenes.

Maior seruiet minori. Videtur esse promissio temporaria. Verùm antea non semel monuimus, fundamentũ, & basin istarum promissionũ terrenarum esse promissionem de Christo,

Quæ sit basis promissionũ terrenarum.

& de æterna salute per illum adipiscenda. Idqúe ex hoc potest colligi. Nam si dominatũ primogenituræ spectes, non inuenies Iacobum ad eam peruenisse. Ille enim fratri Esau, dum reuerteret, nunquam imperauit: imò potius quum rediret è Mesopotamia illi supplex fuit, orauitq; vt ab eo misericordiam impetraret. & omnino Esau videtur longè eò fuisse potentior. Quanquam de posteritate vtriusque non est dubitandum, promissionem habuisse locum: nam temporibus Dauidis & Solomonis Iudæi potiti sunt Idumæorum ditione. Verùm sti, & felicitatis æternę. Id enim Paulus agit, ne aduersari videatur promissioni diuinę, quòd pauci ex Iudæis recipiantur ad Euangelium, quum multò maxima pars illorum excludetur. Quumqúe adduxisset testimonium de Iacob & Esau, maiorem seruiturum esse minori, eius oraculi hanc attulit rationem, vt maneat electio secundum propositum. Quod cùm durum videatur humanæ rationi, confirmat ex oracuło Malachiæ.

Primogenituræ possessionem Iacob non in se ipso, sed in posteris habuit.

Sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Oracułum, quod hîc citatur, ratio, & causa est alterius oraculi, quod adduxerat antea, Maiorem seruiturum esse minori. Id confirmat ex eo, quod scriptum erat, Iacob dilexi: Esau autem odio habui. Hęc verba scribuntur apud Malachiam sub initium primi capitis: quo in loco Deus ita exprobrat populo suam ingratitudinẽ: Ego dilexi vos. Illi verò introducũtur ita respondẽtes: In quo dilexisti nos? Tum Dominus, Iacob, & Esau nónne fratres erant? tamen ego Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Id ex eo probat, quòd cùm essent fratres, tamen Iacobum Esau prætulerit: & Esau quidem dederit terram vastam, & solitariam: quodq; passus non fuerit, vt Edumæorum captiui tas restitueretur: imò minatur, si illi conarentur regionem suam euersam reædificare, se illam esse perditurum. Israelitis autem dedit terram bonam, & fertilem: qui si pro suis peccatis in tè in exilium abducerẽtur, pollicetur, se illos esse reducturum, & illorum auitum regnum in integrum restituturum. Sed hæc in præsentia, quia terrena sunt, non considerabimus. Hoc tantùm diligenter expendendum arbitror, ex amore Dei sequi vitam æternam, ex odio verò æternum exitium. Quidam hoc loco magna curiositate de Ismaele, & Esau inquirunt, seruati ne sint, an condemnati. Quod idem alij faciunt de Solomone, Origene, & alijs similibus. Verùm hæc ego missa facio, & de Esau, atque Ismaele id solùm pronuntio, quod nobis scripturæ sacræ tradiderunt. Nulla autem oracula extare puto, ex quibus de illorum salute quicquam possimus definire. Scriptura de Esau ita loquitur, illum tanto odio prosequutum fuisse fratrem suum, vt eum occidere voluerit: vendidisse illum ius primogenituræ suæ, parentes ira incendisse, quum vxores duxisset alienigenas, fuisse hominem vioientum, & terram Chanaan promissam patribus despexisse: & in epistola ad Hebræos scribitur, eum, quanuis multas lachrymas interposuisset, tamen locum pœnitentiæ non inuenisse. De Ismaele etiam legimus, eum non tantùm Saræ, sed etiam Dei voluntate fuisse reiectum. De amborum tamen posteritate non negarim aliquos potuisse seruari: non minus quàm ex stirpe Iacobi aliquos euadere potuisse perfidos, & obstinatos. Satis enim est ad electionem, & reiectionem Dei, vt pars aliqua ex vtraque stirpe aut probata, aut reiecta fuerit. Atque huius sententiæ fautorem habeo Ambrosium: qui affirmat, sanctissimum virum Iobum fuisse ex familia Esau. Quod tamen ego, quanti faciendum sit, nescio. Hoc tantùm ausim affirmare, quicunque seruati sunt ex Israele, eos seruatos esse gratia Dei, & suæ salutis promissionem habuisse: & è diuerso, quicunq; seruati sunt ex Esau, eos quoque mera Dei gratia esse seruatos: sed de illorum salute nullum peculiare oraculum extitisse: quicunque autem ex illo genere condemnati sunt, illos propter sua peccata esse condemnatos: sententiam autem de reiectione posteritatis Esau indefinitam esse, nec de singulis esse intelligendam. Mirum autem omnino videri potest, Deum in electione sua facere non tantùm contra existimationem nostram, sed etiam contra suas ipsius leges. Non enim humano solùm more primogeniti alijs fratribus præponuntur, sed etiam ex præscripto legis Dei sacri erant, & duplicem portionem hæreditatis obtinebant. Sed Deus idcirco ita facit, vt intelligamus, nos gratia tantùm seruari, non ob vlla priuilegia, aut conditiones huius vitæ: deinde etiam vt intelligamus, eum prorsus omnibus legibus esse solutum. Eius enim voluntas ipsissima est iustitia, & omnis recti, ac iusti regula. Quoniam autem arcanam istam electionem homines cognoscere non possunt, ideo eos oportet ad leges Dei, quæ inuulgatæ, & propositæ sunt omnibus, se accommodare. Nam Isaacus filium Esau circuncidit, vt Deus iusserat: nec magnopere sollicitus erat, electus ne ille à Deo, an reiectus esset: prorsus enim tum ignarus erat diuini consilij. Mater verò, quum audiuisset oracułum, & fidem illi, vt par erat, haberet, curauit, vt benedictio pro Dei volun-

Posterius oracułum est causa prioris.

Declaratio loci Malachiæ.

Ex amore Dei æterna uita: ex odio eiusdem æternum exitium

Quid de ipso Esau statuendum.

Qui sentiendũ de stirpe ipsorũ.

Promissiones indefinitæ neq; de singulis quibusque intelligendæ

Deus facit contra leges suas.

voluntate distribueretur: Atque ita eius diligentia factum est, vt illam Iacob fratri suo præriperet. De qua voluntate quum etiam pater diuino spiritu factus esset certior, nullo modo voluit factum suum, quod iam transegerat cum Iacobo, esse irritum. Posset iam Paulus videri satis superque defendisse veritatem promissionum diuinarum, quum tanta diligentia post exemplum Ismaelis, & Isaaci, qui & è diuersis parentibus, & diuerso tempore erant nati: alterum etiam par fratrum inducit, Iacobum, & Esau: in quibus omnia fermè fuerint æqualia. Nati enim sunt & ex ijsdem parentibus, & eodem die, vtque Augustinus ait in epistola ad Sixtum, ex eodem coitu: ne quis cauillari possit, patrem fuisse meliorem, quum vnum procrearet, quàm quum alterum. Mater verò, quæ eos gestauit in vtero, fuit eadem. Et quanuis potuerit spatio illo temporis, quum esset grauida, mores, & ingenium immutare, id tamen non potuisset ita prodesse vni, vt obesset alteri. Quanquam ex Græco non apparet, eos susceptos fuisse ex vno coitu. Hoc tamen legitur, Rebeccam ex vno patre nostro cubile habuisse. Sed Augustinus Latinam versionem sequutus est. Deinde non est dissimile veri, eos, qui nati fuerint eodem die, congressu etiam eodem fuisse genitos: præsertim quum Apostolus in hoc pari geminorum fratrum conetur omnia discrimina prorsus tollere. Animaduertenda etiam est in Paulo solertia diuini spiritus: qui quum statuat ex sacris literis, ex his duobus fratribus alterum electum fuisse, alterum reiectum, non aliam rationem, aut causam adfert eius diuini consilij, nisi vt maneret electio secundum propositum. Quoniam autem vidit, hoc minimè satisfacere humanæ rationi, ideo sententiam suam confirmauit oraculo Malachiæ: qui statim à principio primi capitis ita scribit: Dominus dilexit vos. Et dixistis, in quo dilexit nos Dominus? Respondet Propheta: Nonne Iacob, & Esau fratres erant? Ego verò Iacob dilexi, Esau autem odio habui? Idem ergo est apud Malachiam, Diligere, quod apud Paulum, Electionem Dei manere secundum propositum. Nec prætereundum est, quum Apostolus hæc duo testimonia ita coniungat, eum non oscitanter legisse scripturas. Quare nos quoque studeamus idem facere, quum loca scripturarum vel ab Apostolis, vel ab alijs scriptoribus videbimus citari. Paulus quum legeret Prophetam Malachiam, & videret, Deum probare dilectionem suam erga Iudæos, ex eo, quòd Iacobum dilexisset, Esau autem habuisset odio, quum tamen fuissent gemelli fratres, statim se retulit ad historiam Geneseos, atque ibi plurima obseruauit, quæ ad hoc argumentum ornandum, atque amplificandum plurimum conducerent: nimirum, quòd nati fuerint eodem tempore, & ex ijsdem parentibus: quódque oraculum fuerit editum, quum essent adhuc in vtero, neque adhuc aut mali quippiam fecissent, aut boni. Et quum ista consideraret, animaduertit præsius dictum fuisse à Propheta, quod ab ipso non sine magna vtilitate, & ædificatione posset dilatari: ita nobis quoque vsu veniet, si velimus loca scripturarum diligenter expendere, quæ interdum citantur ab Apostolis. Prophetæ fuerunt, vti sæpe diximus, interpretes librorum Mosis. Conciones habuerunt de pœnitentia, non solùm exaggerantes peccata, sed etiam Euangelicas de gratia promissiones proponentes. Ea hoc loco Malachias pulcherrimè complexus est. Adhæc Paulus acutissimè vidit, dilectionis Dei, & eius oraculi, quod matri de paruulis reddebatur, nullam causam ex operibus, aut meritis fuisse assignatam. Ista, inquam, quod ad hunc locum attinet, possent esse satis, nisi mihi scrupulus hic aliquis esset refutandus. Erasmus enim in libro, quem scripsit de Libero arbitrio, quum ea loca, quæ modò commemorauimus, videret contra se stare, illa ita dissoluit, vt primùm dicat, responsum fuisse Rebeccæ de rebus temporarijs, maiorem seruiturum esse minori: posse autem Deum pro sua libera voluntate efficere, vt aliquis velit, nolit, pauperem vitam agat, aut seruiat: quem tamen ab æterna salute non sit reiecturus. Deinde addit, hæc testimonia apud Paulum pugnare, quum in suis locis non ita pugnent. Hic equidem hominis non tantùm prudentiam requiro, sed etiam pietatem. Neque enim fas est putare, Paulum, quum faceret prima fundamenta Christianæ religionis, mala fide citasse scripturas, aut ea attulisse pro testimonijs, quæ parum ad rem facerent. Non lusit Paulus in sacris literis, vt quæ in suis locis non pugnarent, ea in suis scriptis faceret pugnantia: hoc enim fuisset, vt calumniator blasphemus, atque impius Porphyrius, abuti simplicitate imperitorum. Sed si quando intelligere non possumus, quomodò testimonia, quæ citantur à Paulo, & alijs Apostolis, ad illorum sententiam faciant, cur non potius fatemur nostram ipsorum animi infirmitatem, & oscitantiam, qua efficitur, vt non possimus res diuinas ad amussim contemplari? Quod autem ait redditum fuisse oraculum Rebeccæ de rebus temporarijs, nihil eum iuuat: adhuc enim firma est Pauli ratio.

Industria spiritus sancti in Paulo.

Paulus diligentissimè scripturas legit.

Prophetæ interpretes Mosis.

Paulus fideliter adduxit scripturas, non in eis lusit.

Quum enim definit, aliquem fieri aut dominum, aut seruum, aut diuitem, aut pauperem, his testimonijs euincit, id nullis ex hominum meritis, aut operibus contingere: nam illud vnum Paulus respicit. Facito moueri quæstionem, cur diuina electione alius fiat princeps, alius subditus, alius afflictus sit, alius fortunatus: hîc illud certè controuertitur, vtrum ex hominum virtutibus, & meritis, an ex mera Dei bonitate ista ita distribuantur. Paulus nihil prorsus loci relinquit meritis: imò ait, Deum prius ista euentura decreuisse, quàm illi, qui ea facerent, nascerentur: & prius constituisse, illum dominum, hunc seruum fore, quàm illi aliquid facere, aut cogitare possent. Quæstio igitur in genere, & in vniuersum proponitur: non autem tantùm de forma dominatus aut seruitutis. Quare siue illa temporalia, siue spiritualia fuerint, idem est omnino scopus, quem Apostolus sequitur: nimirum ea sine vllis nostris operibus, aut meritis contingere. Exagitaretur apud philosophos vt ridiculus, si quis sententias assumeret, ad rem propositam nihil pertinentes: quantò minus id nos debemus à Paulo factum iudicare? Vt autem intelligas, ea testimonia maximè cum re proposita conuenire, ostendam non tantùm temporaria in illis, sed etiam atque adeò maximè spiritualia contineri. Nam quum Deus pollicetur, populum maiorem seruiturum esse minori, id, nisi velimus desipere, putare debemus ea de causa futurum, quòd minor gens recipienda sit à Deo in gratiam, & futura sit eius populus. Nam alioqui nec minor populus maiorem, nec infirmior robustiorem posset vincere. Deus tantùm est, qui sese interponit, & fauet illi populo, quem decreuit fore suum. Populum autem Dei sequuntur infinita spiritualia beneficia: videlicet, verbum Dei, cœlestis benedictio, afflatus diuini spiritus, remissio peccatorum per Christum, & postremò vita æterna. Referamus animos ad ipsam historiam, vt Paulus fecit: & in benedictione Iacobi intelligemus, in primis esse spiritualia, quæ illi pater Isaacus imprecatur: nimirum vt illi, non tantùm fratres, sed etiam gentes subijciantur: quod nemo est, qui non videat, implendum fuisse in eius semine: nec tamen in omni, sed in eo tantùm, qui tam diu, & tam sollicitè expectabatur: qui haud dubiè fuit Christus, quem hodie & Iudæi, & Gentes colunt. Benedicentes, inquit, tibi benedicantur: & maledicentes tibi maledicantur: Hæc autem Christo solùm, & electis conueniunt. Quisquis enim illum colet, æterna felicitate afficietur: quisquis autem aut in illum, aut in eius membra contumelioſus erit, æterno exitio, & execrationi erit obnoxius. Eadem etiam intelligenda sunt in oraculo Malachiæ. Nam si posteritas Iacobi erat bene habitura, Esau autem malè, nō quæritur, spiritualiáne illis Deus, an temporalia polliceatur: sed vtrum pro illorum operibus, & meritis velit illis ea tribuere. Hoc autem in toto illo Propheta non inuenies: quod Paulus etiam diligenter obseruauit. quanquam ista quoq; ad spiritualia sunt referenda. Quomodò enim factum est, vt Respub. Israelitarum conseruaretur, vt illi terram haberent commodam ad habitandum, vtq; ex captiuitate Babylonica restituerentur? Non alia certè de causa, nisi quòd haberent Deum propitium. Deus autem suis, quorum propriè vult esse Deus, prouidet commoda non tantùm in hac vita, est enim hominis totius Deus, & non minus animi, quàm corporis rationem habet, nec tantùm in hac vita, sed etiam in futura. At expendamus Malachiæ cōsilium. Arguit populū ingratitudinis erga Deum: Deus, inquit, vobis est pater, & dominus: vos tamē illum nec amatis, nec reueremini: cùm tamen ille nos dilexerit. Illam autē dilectionem probat ex duplici Dei erga illos beneficio: primùm quòd Iacob dilexerit, & illum Esau prętulerit, cùm essent gemelli fratres: deinde quòd alteri dederit ad habitādum felicem, atq; vberem terram: alteri infœcundam, & sterilem: quodq; alterius captiuitatem restituerit, alterius autem voluerit esse perpetuam. Ita diuina dilectio probatur ex effectis: eius autē dilectionis nulla allata est causa. Fateor quidē, posteros Esau semper fuisse homines malos, & populo Israelitico infensos, &, quanuis eos affinitate contingerent, tamen semper contra eos aduersarios, atque hostes egisse. Aiunt etiam quidam Mahumetum ex illa gente esse oriundum: etsi alij sint, qui eius prosapiam ad Ismaelitas referant. Deinde etiam terræ propter peccata sterilitas infligitur. Itaque Dauid ait, Propter peccata populi terram conuerti in desertum, & à Deo tradi in salsuginem. Sed ista neque à Paulo, neque à Propheta describuntur, vt causæ diuinę dilectionis. Imò si ista expositio Malachiæ affingeretur, eius reprehensio nonnihil extenuaretur. Nam cùm populo exprobrat ingratitudinem, quòd eos Deus dilexisset, potuissent vno verbo respondere, ideo nos dilexit, quia nos id merebamur: præuiderat enim opera nostra fore bona: atque ea causa nos dilexit. Multum ergo ponderis huic reprehensioni detrahitur, si hanc opinionē admittamus. Laborāt multi nonnihil de odio, & dilectione Dei: aiuntq; eum nec diligere, nec odisse, vt nos solemus. Id equidē fateor: ille enim amat sine omni perturbata affectione: & amat perpetuò:

Siue de spiritualibus siue de tēporarijs quæstio intelligatur, perinde quoad scopum res habet.

Ad spiritualem promissionē oraculum propositum reuocatur.

Benedictiones patrū ad Christū & eius membra reuocanda sunt.

Deus nō tantùm suis terrena, sed etiā æterna prospicit.

Terra propter peccata sterilis redditur.

petuò: non enim mutatur: odio etiam habet sine perturbatione: & quoniam non est mutabilis, perpetuo odio prosequitur, quos odit. Præterea aiunt, hęc æstimanda esse ex effectis, vt Deus dicatur illũ amare, cui bene facit: & illum odisse, quem præterit, & relinquit in peccatis: & propter scelera, quę admiserit, postea grauiter punit. Hîc ego non pugno: quamuis cùm id concedo, verè asseram cum sacra scriptura, Deum amare, atque odisse: & ex eo consequi ea effecta, quæ modò commemorauimus. Et quoniam vim amoris diuini, atque odij non possumus per scipsam intelligere, ideo ea æstimamus ex effectis, videlicet, vel ex donis, vel ex pœnis. Caput autem quæstionis est, dilectio ea ex meritisne nostris, an gratis proficiscatur. Apostolus merita excludit: alij confingunt opera præuisa. Illorum opiniones nõ erit alienũ referre: vt videamus, quomodo intelligedũ sit, Deũ aut odisse, aut diligere. Chrysost. existimat, Iacobũ ideo fuisse dilectum, quòd esset bonus: Esau autẽ repudiatũ, quòd esset malus. Quòd si dicas, eos, cùm nondum essent nati, nihil fecisse aut boni, aut mali, respondet, Deo nihil opus esse, vt expectet euentum rerum. Eum enim oculo perspicacissimo suæ præscientiæ clarissimè ante omnem æternitatem videre, quæ futura sint postea: eumq; solum verè agnoscere, qui digni futuri sint electione sua, quicq; indigni. Verùm hîc Chrysostomus nõnihil aberrat à vero, cùm dicat, Deum in hominibus ipsis inuenire aliquam dignitatẽ, propter quam debeant eligi. Hoc enim quid aliud est, quàm caput ipsum gratiæ, non tantùm imminuere, verùm etiã prorsus tollere? Nam si ex nobis ipsis digni sumus qui eligamur, certè gratia Dei nobis gratis non confertur. Fatetur tamen, Apostolum hoc non dicere: nam si respõdisset, Iacobũ ideo fuisse electum, quòd esset bonus: Esau autẽ reiectũ, quòd esset malus, ait, Iudęos statim regerere potuisse, si nos propter malitiã nostram reijcimur, Gentes, quę nunc receptę sunt, an nobis erant meliores? Id illi omnino pernegassent. Gentes enim laborabãt grauissimis peccatis: tamen ait, admitti potuisse Gentes, quæ iam vocatę essent, bonas esse, quod fidem Christi recepissent: quam Iudęi omnibus modis oppugnabant. Paulus autẽ noluit ita respondere, sed totũ reiecit in diuinã præscientiã: cui certè, inquit, nemo sanus potest aduersari. Per illam enim Deus præuidet, qui boni futuri sint, quicq; mali. Sed hîc rursus hallucinãtur. Paulus enim non resoluit quęstionẽ in præscientiã Dei, sed in eius voluntatem, misericordiã, potentiã. Ait enim, non esse volentis, neq; currentis, sed miserentis Dei: eumq; misereri, cuius velit: & quem velit indurare: postremò figulũ posse ex eadem massa fingere vas aliud in honorẽ aliud in contumeliam. Et ad Ephes. ait, nos electos esse iuxta beneplacitum voluntatis eius. Addit Chrysostomus, cùm dicitur, Maiorem seruiturũ esse minori, ostendi ex eo, ius, & nobilitatem primogenituræ non prodesse illi, qui prior ex vtero fundebatur, sed virtutẽ, quam Deus ante opera præuiderat. Hîc difficilè est intelligere, quænam illa virtus sit, quę opera præcesserit. An enim fortè opinatur, nasci istos homines virtute prędituros? At id in scripturis inueniri non potest: illę enim testantur homines nasci filios iræ, & peccato obnoxios. Sed quantum possumus conijcere ex illis, quę consequuntur, accipit virtutem pro animo idoneo, & procliui ad bona. At eiusmodi animum Deus in electiõe spectare nõ potest. Non enim est cuiquã natiuus & proprius, sed prorsus pendet à fauore, & gratia Dei. Nam, vt scribitur in libro Geneseos, omne figmentum humani cordis malum est. Quoniam autem videt, in verbis Apostoli nullam fieri mentionem de præscientia, operæpretium est videre, vnde eam tandem eliciat. Quod Paulus dicit, Vt maneat electio secundum propositum, id ita interpretatur, vt in illo partu geminorum Deus electionem suam declararet iuxta propositum, hoc est, iuxta præscientiam futurorum operum, quam electio sequitur. Verùm illum probare oportuit, propositum significare tantùm præscientiam: quod certè non potest: id enim potius significat deliberatam sententiam, & decretum animi. Neque quicquam eos iuuat, quòd quidam argutantur, Paulum, cùm ait, Non ex operibus, excludere opera iam facta, non autem facienda. Quasi verò interfit quicquam factáne ea sint, an facienda. Nam Apostolus cùm dixisset, Nos seruari gratia, adiecit, si ex gratia, non ex operibus: & si ex operibus, non ex gratia. Nam ista inter se habent eiusmodi antithesin, quod attinet ad electionem, & salutem nostram, vt vnum excludat alterum. Adhæc Paulus, cùm dixisset, non ex operibus, subiecit, sed ex vocante: quæ vox vel vna homines deterrere debuisset, ne meritis tantum tribuerent. Sed Chrysostomus, & alij eius similes semper aiunt, Deum eligere & vocare eos, quos sciat esse credituros. Itaque Chrysostomus subijcit, Nemo iactet sententiam scripturarum, aut diutinam seruitutem, cùm Deus non dico exteriora, sed internam etiam animi dignitatem spectet. Ait igitur, cedendum esse arcano diuinę electionis, quòd sit incomprehensibile. Cæterùm cùm nos quoque fateamur, hæc arcana esse incomprehensibilia, id aliter ab illo

Deus uerè amat & uerè odit.

Deus an amet uel odio habeat ex præuisis operibus.

Deus nõ inuenit in hominibus aliquam dignitatẽ propter quã sint eligendi.

Paulus non resoluit quæstionẽ ad Dei præscientiã sed ad eius uolũtatem.

Animus ad bona propensus nõ est nobis natiuus, uerũ à Deo pẽdet.

Chrysostom. per propositũ intelligit præscientiam Quid sit Dei propositum.

Nihil interest operа dixeris facta, an facienda.

Contra opera & merita.

Quomodo arcanum Dei dicatur incomprehensibile.

accipitur, aliter à nobis. Ille enim putat, illud arcanum esse nobis incomprehensibile, quòd dignitatem, & indignitatem eorum, qui eliguntur, aut repudiantur, non possimus perspicere. Nos autem illam obscuritatem referimus ad ordinem diuinorum consiliorum: quæ vt credimus esse iusta, & æqua, ita eius iustitiæ rationes, & causas non videmus: eásque in hoc electionis negotio non ex rebus peti oportere contendimus, sed ex ipsius Dei summa, & ineffabili sapientia. Chrysostomus verò, dum sectatur hominum ipsorum dignitatem, quam, ait, nos non posse animaduertere, Deum autem probè intelligere, proponit

Simile Chrysostomi.

exemplum Matthæi: qui cùm esset publicanus, & in sordido, atque abiectissimo munere versaretur, tamen gemma fuit in cœno demersa: quam Deus non solùm admiratus est, sed etiam collegit, & gratia, & donis complurimis expoliuit. Hîc videtur apertè dicere, Matthæum ex se ipso illam dignitatem habuisse: nam Gratiam, ait, postea fuisse adiectam:

Duo similia.

quóque se magis explicaret, adiecit duo similia: Primum de gemmarijs artificibus, qui non deligunt eas gemmas, quas vident ab hominibus ignaris, & à vulgo probari, sed, cùm habeant oculos eruditos, illas interdum sectantur, quas illi reñciunt. Alterum est de equorum domitoribus: qui non statim eos pullos deligunt, quos rustici iudicant esse meliores: sed habent certas quasdam notas, quas vulgus hominum non videt, ex quibus agnoscant, futuram generositatem in equis, vbi adoleuerint. Ita Deus elegit meretricem, latronem, publicanum, repudiatis Pontificibus, Scribis, Pharisæis, in quibus vulgus omnem doctrinam, & sanctitatem sitam esse existimabat. Sæpè etiam in Ecclesia, qui plurimi fiebant, & videbantur excellere, illi cùm grassaretur persequutio, prosternebantur: cùm interim homines abiecti & viles martyrij gloria triumpharent. Quare, noli, inquit, à tanto opifice causas inquirere, cur hic dilectus sit, ille abiectus: cur hic coronetur, ille puniatur. Nam si dilexit Iacobum, Esau autem odio habuit, id certè iniustè non fecit. Requirit autem animum nobilem, & mentem gratam. Qui enim sunt tales, etsi interdum labantur in vitia, tamen è vestigio resiliunt. Et, quamuis aliquando diutius immorentur in peccatis, Deus tamen aliquando illos eximit. Qui autem mente sunt corrupta & vitiata, etsi interdum videantur lucere bonis operibus, tamen quicquid faciunt, id omne animi prauitate vitiant.

Exempla Chrysostomi.

atque huius sententiæ exemplum etiam profert. Dauid enim non studio, aut malitia, sed carnis impetu, & libidinis vehementia abductus est in peccatum: ideóque absolutus est à Deo, & in viam redijt. Pharisæus autem, quoniam sibi videbatur abundare operibus bonis, sua gloriatione, & hypocrisi perdidit omnia. Hæc Chrysostomus in summa, exponens, quomodo Deus Iacobum amauerit, & Esau odio habuerit. Sed quàm ista parùm

Sententiæ Chrysostomi confutatio.

consentiant cum verbis Apostoli, etsi intelligi possit ex illis, quæ leguntur in hoc capite, tamen ex ijs maximè liquet, quæ habentur in vndecimo capite huius epistolæ: vbi describitur responsum Eliæ diuinitus redditum, Deum reliquisse sibi decem hominum millia, qui genua sua non incuruassent coram Baal: vbi Paulus inquit sic, Reliquiæ iuxta electionem

Quid sit electio gratiæ.

gratiæ saluæ fient, non ex operibus: alioqui gratia non esset gratia. In quibus verbis animaduertenda est phrasis Hebraica, luxta electionem gratiæ. Id enim perinde est, ac si diceretur, luxta electionem gratuitam. Nam ea lingua filius perditionis nihil aliud est, quàm

Si ab operib. pendeat electio, gratia nõ est gratia.

filius perditus. Verùm vt intelligeremus, electionem nostram gratuitò constare, Paulus ita excluſit opera, vt illis receptis, dicat, Gratiam non posse amplius esse gratiam. Atque hactenus de Chrysostomo. Nunc excutiamus hac de re Hieronymi sententiam. Ille quæ-

Hieronymi sentẽtia.

stione decima ad Hedibiam, vt mihi quidem videtur, parum auspicatò incipit. Ait enim hunc locum obscurissimum esse: cùm alioqui in verbis Apostoli, quod quidem ad quæstionem attinet, nulla sit ambiguitas. Ille autem, atque alij eius similes inducunt obscuritatem, dum humanæ rationis offensionem, student, plusquam oporteat, euitare. Nam Paulus, si grammaticum sensum spectare velis, & interrogationem, & responsionem, & perspicuam verborum dispositionem, si vspiam aliâs, hoc certè loco maximè obseruauit. Ne-

Non est prætexenda huius capitis obscuritas.

que parum contumeliosum esset in spiritum sanctum, si ille doctrinam de summo capite nostræ salutis, voluisset ita de industria obscurare, vt à nobis non possit intelligi. Agitur enim hoc loco de re longè omnium grauissima: cuinam videlicet rei salutem, atque electionem nostram tribuere debeamus: præuisis ne operibus nostris, an gratuitæ misericordiæ Dei. Hieronymus ista præfatus confert se postea ad perstringendum Origenem, dissimulato tamen eius nomine. Is enim quum vellet iustificare Deum, quod attinet ad dilectionem Iacobi, & odium Esau, qui nihil adhuc fecissent aut boni, aut mali, ait, id accidisse propter ea, quæ animi illorum gesserant, priusquam venirent in corpora. Ex illis enim meritis fieri, vt in hac vita diuersæ sint hominum sortes. Hæc Hieronymus meritò taxat. Non enim

Agitur hîc de sũmo capite nostræ salutis.

hæc

hæc ad Christianam pietatem pertinent, sed ad dogmata Platonis, & Pythagoræ. Nam illi varios animorum circuitus, & abitus, & reditus confinxerunt. Quin potius, inquit Hieronymus, fatemur nostram ignorantiam? Hanc ego sententiam vt laudo, ita eam video ab illo, qui eam protulit, non retineri. Is enim si voluisset contentus esse pia ignoratione, non confinxisset illas interrogationes, & hypotheses Pauli, quæ re vera nullæ sunt. Sed noluit Apostolum videri contra communem sensum ista docuisse. Nam cùm Paulus dixisset, Iacob dilexi, Esau autem odio habui, & postea subiecisset, Num est iniquitas apud Deum? respondisset autem, Absit, & probasset testimonijs scripturarum, Deum temperare, ac moderari electionem iuxta voluntatem, misericordiam, & potentiam suam. Hieronymus ea, quæ Paulus simplicissimè tradiderat, voluit inflectere, & contorquere, veluti si ista Paulo per interrogationem importunè obijciantur: ac si cùm Paulus respondisset, Absit, procax cauillator pergat, & dicat: Si Deus dicat Mosi, Miserebor, cuius misereor; & misericordiam præstabo, cuius miserebor, iam non erit, neque volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Et si Pharaonem in hoc ipsum excitauit, vt in illo ostenderet potentiam suam, quid ille aliud potuit? Et si sumus veluti lutum in manu figuli, quid adhuc conquerimur? Quis potest eius voluntati resistere? Nihil supererit liberi arbitrij? Respondeat Paulus impudentibus istis obiectis: Quis tu es, ô homo, qui sic agas cum Deo? Ex tua ipsius petulantia satis potes intelligere, te non esse, tanquam lutum in manu figuli. Lutum enim non conqueritur de fictore suo: tu autem non dicam grauiter conquereris, sed vocem blasphemam in creatorem tuum emittis, eumq; iniquum vocas. atque hoc ipso declaras, te habere liberum arbitrium, quòd quicquid libet, etiam contra Deum ipsum loqueris. Quòd si Deus voluit multa patientia sua diu sustinere Pharaonem, & erga alios misericordiam suam declarare, non est ea causa abs te accusandus: in hominum potius vitia crimen conferendum est. Quemadmodum enim ad vnum eundemq; calorem solis, limus induratur, & cera liquescit, ita vna atque eadem bonitate Dei, alij redduntur obstinatiores, alij redeunt ad sanitatem. Ideoq; Gentes admissæ sunt in gratiam, quòd fidem Christi reciperent: Iudæi autē relicti, & repudiati, quòd eam fidem oppugnarent. Quare non homines ipsi, sed illorum voluntates eliguntur. Apparet ergo ex his, Hieronymum quoque putasse, electionē Dei pendere ex voluntate, & operibus hominum. Ad finem autem huius decimæ quæstionis ait, se legisse apud quendam, cuius tamen nomen supprimit, Apostolum non tam dissoluere quæstionem, quàm eam scripturarum testimonijs magis implicare, & curiosum inquisitorem ob iurgare ad hunc modum: O homo, tu quis es? nempe lutum in manu figuli. Quare petulantiam istam tuam silentio æterno compescito, & memento humanæ infirmitatis. Quod attinet ad dissolutionem quæstionis, si Hieronymus de illa loqui velit, in qua humana prudētia possit acquiescere, nos quoque fatebimur, quæstionem non esse dissolutam: sed si de eo genere solutionis loquatur, quod Christianæ pietati debeat esse satis, quodq; in hac vita haberi possit, nihil huic dissolutioni deest. De hac eadem re idem Hieronymus scribit in Malachiā, exponens locum, quem habemus præ manibus in hanc sententiam: Dilectio, & odium Dei est vel ex præscientia, vel ex operibus. Illos enim Deus amat, quos videt esse hostes peccatorum: illos autem odit, quos videt velle ędificare ea, quæ ipse vult euersa. Denique ait, Deum dici amare, aut odisse ἀνθρωποπαθῶς, quemadmodum dicitur irasci, dolere, lætari: ideo autem eum dici odisse malos, quò nos ea fugiamus, quæ illum scimus habere odio. Sed etiam Rabinos Hebræorum, scio & præsertim Chimchi, dum hunc locum Malachiæ exponunt, confugere ad opera. Sed illis ego hominibus etsi in vocum proprietatibus, & phrasibus nonnihil tribuendum iudico, tamen in sensu, & dogmatis non multum concedo. Sunt enim prorsus obcœcati: & Christum, qui vnicus est scopus omnium scripturarū, videre nolunt. Quod autem ad Hieronymum attinet, ab illis, quæ scripsit in his locis, quæ adduximus, prouoco ad ea, quæ doctè, piéque scripsit contra Pelagianos. Illi enim salutem nostram pendere putabant ex operibus nostris, & meritis: Isque in fine tertij dialogi admodum commendat Augustinum, nec vsquam alibi, quod meminerim, de illo loquitur honorificentius. Sanctum eum, & eloquentem vocat, librosque eius aduersus hanc hæresim vehementer probat: præsertim verò librum de Baptismo paruulorum ad Marcellinum, & ad Hilarium. Dicitque se in ea disputatione nolle longius progredi: quòd aut eadem sibi dicenda essent, quæ Augustinus antea dixerat, aut, si alia vellet adducere, cùm Augustinus iam antea meliora occupasset, lusurus esset operam. In illis autem libris, quantum Augustinus auersetur hanc sententiam, Electionem scilicet pendere ex operibus, quiuis, qui eos legerit, facilè poterit iudicare. Deinde multa profert è scripturis, ex quibus

Plato & Pythagoras.

Hieronymi dies λογισμὸς.

Taciti expositoris interpretatio

Quæstio ista non potest ita solui ut humanæ rationi satisfaciamus.

Hieronymus in Malachiam.

Hieronymus contra Pelagianos.

Hieronymus Augustinum laudat.

clarissimè apparet, vim nostri liberi arbitrij ita esse fractam, & debilitatam, vt salus nostra ex eâ pendere non possit. Iosephus inquit, abducitur in Aegyptum, cùm autem iam captiuus clauderetur in carcere, custos eius potestati, ac fidei omnia commisit. Eius rei causa redditur, quòd Dominus esset cum eo. Interpretatur Pharaoni somnia: euehitur ad decus Regiæ potestati proximum: pascit patrem, & fratres: Iacob descendit in Aegyptum: crescit in gentem numerosam: eius soboles postea educitur. atque hæc omnia Deus dicitur effecisse. Vbi ergo, inquit Hieronymus, est potestas liberi arbitrij? Et Salomon ait, toto corde tuo confidens esto in Domino: in tua autem sapientia ne exalteris. In omnibus viis tuis cognosce eum, vt rectas faciat vias tuas. Ab eo gressus hominis diriguntur. Et Paulus: Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Et adhuc, inquit, audes de libero arbitrio superbire, & abuti beneficijs Dei in contumeliam largitoris? & præsertim, cùm idem vas electionis iterum scribat: Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, vt abundantia fortitudinis nostræ sit ex Deo & non ex nobis. & rursus: Qui gloriatur, in Domino glorietur. Cumq; Dominus dicat in Euangelio: Ego sum vitis, & vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, ille adfert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere: &, Nemo potest venire ad me, nisi pater meus traxerit eum: His verbis frangit superbientem arbitrij libertatem. Addit etiam, animaduertendum esse, eum, qui trahitur notari antea fuisse tardum, imò potius detrectantem, & inuitum. Cùm hæc ita sint, quæ nam tanta erit virtus arbitrij nostri, qua Deus moueri possit, vt nos eligat? Certè ne fingi quidem potest vlla: cùm ea quanta quanta sit, semper Dei gratiæ accepta referenda sit. Nunc videamus, de hac re quid Origenes sentiat. Rectè ille quidem auspicatur, si persistere posset in sententia. Ab initio enim ait, electionem non esse ex operibus, sed ex proposito Dei, & arbitrio vocantis. Et in proximo superiori capite, exponens illum locum Pauli, Quos præsciuit, hos prædestinauit conformes fieri imagini filij eius, ait, præscientiam non posse accipi pro nuda, & simplici notitia. Deum enim præscientia sua complecti etiam impios, quos tamen non prædestinat, vt fiant conformes imagini filij sui. Ait ergo notitiam illam significare affectum, & charitatem, qua Deus aliquos complectitur: quemadmodum Paulus ait ad Timotheum: Nouit Dominus, qui sint sui: cùm tamen etiam alienos non ignoret. Ita Christus scribitur, non nosse peccatum: cùm tamen haud dubiè peccati naturam nouerit. Dicitur autem non nosse, quia non probabat, nec illud vnquam admisit. Leuitæ etiam, qui vnà cum Mose Israelitas idololatras occiderunt, dicuntur nec patrem, nec matrem, nec propinquos, nec amicos agnouisse, quòd nullo priuato affectu ducerentur, vt illis parcerent, aut ab illorum cæde temperarent. Cùm igitur Paulus dicat: Quos præsciuit, eos etiam prædestinauit, interpretatur, Deum illos prædestinasse, quos dilexit. His ita pulchrè constitutis posteà attexit longè contraria, præfatus nonnihil, vt Hieronymus, de loci obscuritate. Simile etiam Pauli propositum comminiscitur: illum videlicet in hac epistola ad Romanos idem facere, quod qui hospitem velit circunducere per amplissimam Regiam. Ille enim dum per diuersa spatia, cubicula, conclauia deducitur, sæpè efficitur, vt nesciat, nec quà ingressus sit, nec quà sit exiturus. Hæc similitudo quibusdam quidem videtur placere: mihi verò non probatur. Id enim videtur non obscurè significare, Deum nobis commendasse sacras literas, quasi Labyrinthum, in quo aberraremus. Neq; enim hoc loco vlla est obscuritas, nisi quæ ab istis hominibus affingitur. Ait ergo, Paulum, cùm dixisset è Malachia, Iacob dilexi, Esau autem odio habui, sibi ipsi statim obiecisse, Quid ergo dicemus? Nunquid est iniquitas apud Deum? & respondisse sibi, Absit: quam responsionem putat esse repetendam, quoties Apostolus à morosо, & peruicaci percunctatore interrogetur. Fingit enim, aliquem ita interrogando pergere: Si Mosi dictum est, Miserebor, cuius misereor: & misericordiam præstabo, cui misericordiam præstitero, igitur non est neque volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Hîc, inquit, subijciendum est, Absit. Deinde si visum est Deo excitare Pharaonem, vt in eo ostenderet potentiam suam, ergo cuius vult miseretur: & quem vult, indurat. Quid ergo adhuc conqueritur? Voluntati enim eius quis potest resistere? Hîc iterum addit, Absit. Non alia autem causa textum sic contorquet, nisi quòd nolit sensum humanum nimium offendi, aut liberum arbitrium labefactari. Hanc autem contortam expositionem illi ipsi parum satisfeciisse, apparet ex eo, quod adfert ex libello de Libero arbitrio, quem ait se conscripsisse: quamuis ille liber hodie non extet. Conatur autem in eo hæc verba, ac si Pauli ipsius essent, non autem alterius alicuius interrogatoris, interpretari. Non leuiora, inquit, plus liberum arbitrium, quàm quod legimus in Dauide: Nisi Dominus ædificet

Testimonia quæ Hieronymus adducit contra liberum arbitrium.

Vis liberi arbitrij nostri tanta non est, vt Deũ ad nos eligendos mouere potuerit.

Simile Origenis.

Sacræ literæ non sunt instar Labyrinthij.

Cur ab ijs Patribus locus iste ita perturbetur. Origenes scripsit libellum de libero arbitrio.

ficet domum, in vanum laborant, qui ædificant eam. Aliquid quidem facit ædificator, sollicitus enim est, & laborat: sed Deus remouet impedimenta, & concedit, vt ædificiũ perficiatur. Ita intelligi vult id, quod scribitur ad Corinthios: Neque qui rigat, neque qui plantat est aliquid, sed Deus, qui dat incrementum. Licet ergo nos laboremus, Deus tamen est, qui nostris laboribus dat perfectionem, & complementum. Ad hunc ille modum putat commodè exponi posse hanc sententiam: Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Verùm hoc cauillum Augustinus, cui ego in hac re subscribo, compluribus in locis pulcherrimè confutat. Nam ita, inquit, possemus ex altera parte sententiam inuertere, & ita dicere, Non est miserentis Dei, sed volentis, & currentis hominis. Sed de hac re agemus fusius suo loco: tantùm in præsentia referre voluimus, vt videres ipsum Origenem priori suæ interpretationi non admodùm confidere: pergit tamèn in ea, & molestum, atque importunum interrogatorem sic repellit: O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? & illi litem moueas? cùm sis tanquam lutum in manu figuli? Neque alio responso dignatur molestè percunctantem. Ita enim ait, Christum interrogatum, in qua potestate ea faceret, Scribis respondere noluisse: quibus profectò respondisset, si illi pio, ac docili animo interrogassent. Nam ita etiam dominus, qui seruum habeat responsatorem, qui detrectet imperata facere, & causas eorum, quæ mandantur, molestè inquirat, diceret illi: Quid tu ista quæris? sic volo, quia placet: responsurus alioqui, si à fideli, & obsequenti seruo interrogaretur. Idcirco Deus, cùm celaret multos, quid esset acturus, tamen Danieli viro desideriorum arcana sua reuelauit. Ita nos quoque, nisi temerarij, atque importuni erimus inquisitores, poterimus in scripturis cognoscere causas amoris, atque odij Dei erga Iacob, & Esau: quamuis procacibus, & petulantibus interrogatoribus ea responsio, quæ hìc à Paulo datur, debeat esse satis. In priori autem epistola ad Timotheum scribitur, In magna domo vasa esse: alia aurea, alia argentea, alia fictilia. hoc loco ea distinctio vasorum non describitur. Hoc tantùm Paulus dicit, Figulum ex eadem massa posse fingere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam. Ad Timotheum autem ratio assignatur diuersitatis. Sic enim scribitur: Qui se purgauerit ab his, erit vas in honorem, Deo sanctificatũ, & paratum ad omne opus bonum. Ex quibus verbis inferre possumus ex contrario, Qui se non purgauerit, & mundauerit, erit vas in contumeliam. Ecce, inquit, causa, quæ Romanis non reddebatur, Timotheo redditur. Quare Iacob idcirco dilectus est, quòd se ipsum emundasset à peccatis (scriptura enim reddit illi testimonium, eum fuisse virum simplicem, placidum, parentibus obsequentem.) Esau autem propterea habitus est odio, quòd se non purgasset, sed in malitia, & impietate perseueraret. Hęc expositio Origenis multa continet, quæ probari nõ possunt. Primùm, quia non perstat in his, quæ à principio dixerat: nimirum, electionem nõ constare operibus, sed proposito Dei, & arbitrio vocantis: deinde, quia obscurat ea, quæ in Apostolo sunt perspicua: Tertiò, quia in libro de libero arbitrio ostendit, se non sequutum esse eam expositionẽ, quam adfert in præsentia: præterea, quia putat, Apostolũ hoc loco nõ dissoluere quæstionẽ, vbi eam de industria proponit, & tractat, sed eam soluere in epistola ad Timotheum, vbi eam rem obiter tantùm attingit: postremò, quia ex illis Apostoli verbis solutionẽ nõ rectè colligit. Nam ex illa Pauli sententia, Qui se ipsum purgauerit, erit vas mũdum, nõ debet inferri, hominẽ posse suis viribus se ipsum purgare. Id enim Deus facit, nõ nos ipsi. Neq; valet argumentũ à præcepto, aut adhortatione ad cõprobãdas vires nostras, & arbitrij libertatem. Deus enim sæpe mandat, sæpe hortatur ad hunc modum: si hoc, aut illud feceris hęc, atq; illa tibi contingent, vt infirmitatem nostram intelligamus, & agnoscamus, vnde ea, quæ præcipiuntur, petenda sint. Mundari autẽ, & purgari, vt à Deo conceditur, ita non potest esse causa electionis. Nunc accedo ad Ambrosium, qui ab istis penè nihil discedit: nam propositum Dei ipse quoque vult significare præscientiam. Et cùm Apostolus dicat, vt maneat electis secundum propositum, expendit illam vocem, Maneat: atq; inde colligit, Dei præscientiam nõ posse falli: nec fieri posse, quin ita quidq; eueniat, vt Deus quidq; præuidit euenturum: cæterùm ait, Deum diligere, atque odio habere, tanquã præscium futurorum, non autem vt acceptatorem personarum. Sed certè Deus non potest dici acceptare personas, ex eo, quòd à nobis creditur gratis amare, atque odisse, quos velit, non ex præscientia meritorum. Nam acceptatio personarum est, cùm aduersus iustitiam distributiuã spectamus conditiones, quæ hominem non efficiunt dignum, aut dono, quod distribuitur, aut officio, quod mandatur: Vt, si cui detur episcopatus, quòd sit pulcher, proceræ staturæ, aut strenuus miles, præteritis interim alijs dignis & idoneis hominib. Huius autem vitij Deus iure accusari nõ potest. Nullas enim in nobis reperit personas, aut qualitates, aut conditiones. Omnes enim ex æquo sumus ex vitiata conspersione Adami. Quare quicquid postea

Causam reddit Origenes amoris Dei erga Iacobũ & odij aduersus Esau.

Confutatur Origenis opinio.

Quid sit acceptio personarũ.

Simile.

accedit aut donorũ, aut dignitatis, id non à nobis habemus, sed ex bonitate Dei. Sed redeò ad Ambrosiũ, qui putat, quosdã eligi, quòd Deus sciat eos esse credituros: alios autem reprobari, quòd eos sciat veritatẽ esse auersaturos. Apparet etiã, August. cùm esset adhuc rudior, necdum Episcopus, sequutum fuisse hanc patris sui sententiam: postea tamẽ eam, re melius examinata, retractauit. Sententia autem Ambrosij est, dilectionem, atque odium Dei nasci ex fide, aut infidelitate præuisa. Itaque addit, præscius ergo Deus illos futuros malę voluntatis, non habuit eos in numero bonorum: quamuis Christus dixerit septuagintaduobus discipulis, qui postea auersi sunt ab eo, sicuti scribitur in 6. Ioannis: Gaudete, & exultate, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis. Etenim ij dicuntur fuisse scripti iuxta quandam præsentem iustitiam: non autem iuxta præscientiam. Et Deus cùm sit iustus iudex, iudicat secundum præsentem iustitiam, non autem secundum præscientiam. Idcirco quod Dominus dicit Mosi in Exodo capite 23. Si quis peccauerit in me, delebo eum de libro meo: ita intelligendum est, vt secundum iustitiam iudicis tum videatur deleri, cùm peccat: iuxta præscientiam verò Dei nunquam scriptus fuit in libro vitæ. Nam Ioannes ait: Egressi sunt ex nobis, quoniam non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, certè mansissent nobiscum. Postea definit Ambrosius præscientiam Dei, & eam ait esse, qua Deus definitum habet, qualis vniuscuiusque voluntas futura sit, in qua sit mansurus, per quam aut condemnetur, aut coronetur, itaque non esse personarum acceptationem in præscientia Dei. Et ait, fieri posse, vt, qui ad finem futuri sint boni, fiant interdum mali: vt vsu venit in Dauide: & è diuerso, vt qui mali euasuri sint ad extremum, & sint condemnandi, tamen interdum videantur boni: vt Saul, Iudas, Salomon, & Ioas, quandiu Ioiada sacerdos vixit. Videmus, Ambrosium hac sua sententia eò adduci, vt ad euitandam acceptationem personarum, electionem Dei reuocet ad præscientiam operum: ne Deus videatur iniustus. Sed nos iam ostendimus, æquitatem, & iustitiam Dei nihil periclitari, si rectè intelligatur, in quo consistat vitium acceptionis personarum. Ex recentioribus autẽ Phocius, cuius sententia refertur inter Scholia Græca, per propositum, vt alij, intelligit præscientiam operum: atque inde asserit oriri electionẽ, cùm per eam inter homines ponatur discrimen. Electionem autem esse non posse, nisi posito aliquo discrimine in illis rebus, quę debeant eligi. Nos autem dicimus, hanc differentiam non ex rebus ipsis petendam esse, quę eliguntur, sed ex vario Dei proposito erga illas. Quid enim inuenitur in hominibus boni, id ex mera Dei misericordia, & bonitate profluit. Nec Deus præscire potest, aliquid futurum esse, nisi quod velit esse. Nam, cùm omnia, quæ sunt, ex eius voluntate habeant, vt sint, quicquid præscit futurum, id necesse est, vt velit. Quare non inuenit Deus in hominibus, sed ipse in illis ponit differentiã. Subdit idem Photius: Etiamsi non esset alia ratio electionis diuinæ, quàm eius voluntas, tamen ei deberemus acquiescere: sed est alia, nimirum præscientia operum. Verùm iam ostendimus, quid istum deceperit: nempè, quòd putet, differentiam, quæ necessaria est in electione, semper à rebus eligendis petendam esse: cùm sæpe manet à mera voluntate eligentis. Sed venio ad Augustinum, qui in Quæstionibus ad Simplicianum libro 1. quæst. 2. hanc fusissimè tractat. Quę rit in eo loco, cur misericordia Dei, quæ adfuit Iacobo, defuerit Esau. Respondet, non posse dici, quòd alter crediturus esset, alter nõ esset crediturus: quòd fides ipsa sit donũ Dei, id alij quoque, inquit, fatentur: sed ideo aiunt alterum credidisse, quòd donum illud oblatum accipere voluerit: alterum non credidisse, quòd noluerit. At hoc responsum non satisfacit. Tum enim quiuis posset suę voluntati fidem suam ascribere, atque ita dicere: Idcirco credidi, quia volui. Et sic haberet, de quo posset gloriari. & gratia Dei, & fides nostra esset ex opere. Adhæc Paulus scribit ad Philippenses, Deum esse, qui operatur in nobis & velle, & perficere pro sua voluntate. Nemo ergo potest velle credere, nisi Deus hanc illi voluntatem dederit. Præterea, non esset miserentis Dei, sed volentis, & currentis hominis. Et mirum est, inquit Augustinus, si quæratur ex istis, An bona voluntas sit donum Dei, si hoc negare audeãt: sed fortasse dicent, Deus frustrà miseretur, si homo nolit: quod imprudenter dicitur. Omnis enim homo vult, cuiuscunque Deus miseretur. Si autem quæras, quidnam in nobis bonam voluntatem efficiat, respondemus, vocationem Dei. Sed obstare videtur, quod legitur in Euangelio, Multos vocatos esse, paucos verò electos. Id non esset verum, si vocatio vim haberet immutandi voluntatem. Hîc dicimus, duplicem esse vocationem Dei: vnam communem, qua homines vtcunque excitantur quidem, sed non flectuntur: quòd illis ea non placeant, quæ proponuntur: alteram verò congruam, idoneam, efficacem, qua tanguntur, ac verè mutantur animi. Hoc pacto vocatus fuit Iacob non Esau: itaque ille diligebatur: hic verò odio habebatur. ille attrahebatur: iste relinquebatur. Neque iuuat, si dicas, hominum voluntates

Præscientiæ Dei iuxta Ambrosiũ definitio.

Iustitia & æquitas Dei non periclitatur.

Non est electio nisi ubi est rerũ discrimen.

Differentia rerum eligendarũ non ab ipsarũ rerum natura sumitur, sed à proposito Dei.

Fides nostra minimè est effectũ nostræ uoluntatis.

Bona uolũtas est donum Dei.

Duplex uocatio Dei.

Deo nõ deest modus quo flectat humanas uoluntates.

tates interdum obfirmatas esse: nõ enim est credibile, Deo deesse modum, quo illas flectat, & immutet, si velit. Itaq; si constituimus Deum esse omnipotentẽ, nulla poterit esse tanta hominum obstinatio, quin eam possit expugnare, non quidẽ cogendo, quod naturę volũtatis prorsus repugnat, sed persuadendo. Nec opus erat, vt Deus, cùm odio haberet Esau, aliquid illi malitię infunderet, vnde fieret malus: id enim ex se, & ex natiua consperſione abunde habuit. Satis erat, vt non daret illi, vnde fieret bonus. Duo igitur sunt, quæ oportet constanter retinere: primùm, non esse iniquitatẽ vllam apud Deũ: alterum, illũ misereri, cuiuscunq; voluerit: & quemcunq; voluerit, pro suo arbitrio indurare. Quæ duo etsi humana ratio nõ facile potest inter se coniungere, tamen Augustinus quò Dei iustitia vtcunq; facilius intelligat, adhibet simile de creditore, cui duo sint debitores: quẽ, si alteri remittat, & ab altero exigat, ne mo potest iure accusare. Quare, si humana iustitia, ex iustitia diuina ortum habet, mirum est, homines posse hoc sibi permittere, vt, quod in hominibus iustũ esse fateantur, id reprehendant in Deo. Et Iacob, & Esau dãnatione originalis peccati tenebãtur. Nihil ergo iniustè fecit Deus, si alteri remisit, eumq; suo fauore, & gratia dignitas est: ab altero verò iusto iudicio pœnas exegit. Debitores de animo creditoris superbe, ac temerè iudicant, præsertim cùm ab illis non plus exigat, quàm debeatur. Quàm autẽ importunè homines velint Deũ impedire, ne, quę ipsius sunt, quibus velit, pro suo arbitratu donet, Christus ostendit in Euãgelio sub persona patrisfamiliâs. Nònne, inquit, licet mihi de meo facere, quod volo? An oculus tuus nequã est? Ego bonus sum. Tolle, quod tuũ est, & vade. Cæterùm scribitur in lib. Sapi. cap. 2. Nihil odisti eorum, quæ fecisti. Quare cùm Esau à Deo factus fuerit, non videtur potuisse ab illo haberi odio. Respondet Augustinus naturã distinguendam esse à peccato: atq; ita respondet, Deum amasse Esau, quod attinet ad naturã: odisse autem propter peccatum. At huic responsioni animus non acquiescit: nam hac eadem ratione, Deus videri potest odisse Iacobum: nam ipse quoq; obstrictus fuit originali peccato nõ minus, quàm Esau. Hîc occurrit Augustinus, aitq;, Deum odio habuisse peccatũ vtriusq;: non tamen eodem modo. Nam peccatum in Iacobo extinctũ esse voluit per condonationẽ. Et cum illum ab eo debito exemisset, dictus est illũ diligere. Peccatum autẽ in Esau odio habuit, & omnino punitũ voluit. Atq; ita, cùm Esau relinqueret obstrictũ peccatis, quę condonare noluit, dicebatur eũ odisse. Denicq; sic interpretatur eam sententiã, Iacob dilexi, Esau autem odio habui: illum liberatum fuisse à peccato: hunc autem in peccato fuisse relictũ. Quomodo autẽ homo, & peccatum Deo vel placeant, vel displiceant, ita declarat, vt primùm dicat, ponendã esse ante oculos naturam, deinde peccatum, tertio loco pœnam, qua crimen à Deo castigatur. Primùm, inquit, amat Deus, neq; id vnquã per se ipsum odio habet. Peccatum autem sua natura odit: quamuis interdum, cùm sub ratione pœnæ ab eo inflígitur, quatenus instrumentum est diuinę iustitiæ, illi non omnino displiceat: tum enim eo peccato alij electi, ne similiter peccent, cõpescuntur. Declarat autem ista pulchro simili: Iudex, inquit, furem, cùm sibi sistitur, quatenus homo est, nõ odit: Furtum verò condemnat. Ne pœnã quidem, qua illum iubet ad metalla deportari, odit: imò eam potius illi infligit, vt bonã. Ex qua Augustini sententia obiter annotabimus, ea tempestate leges Romanas non condemnasse furẽ ad suspendium, sed tantùm ad metalla. Cùm igitur peccata sæpe habeant rationẽ pœnæ, vt ex 1. cap. huius epist. colligimus, apparet, Deum sub hac ratione illa non odisse. Quomodo autem velit peccata, nõ omnes idem sentiunt. Quidam enim putant, Deum permittere tantùm, non autem propriè velle peccatum: ne videantur facere Deum authorẽ peccati, atq; ob id iniustũ, si punire velit in homine, quod ipse fieri voluerit. Verùm si quis diligenter excutiat hanc permissionẽ, inueniet tandem, eam esse Dei quandam voluntatem. Nam si permittit peccatũ, id vel volens facit, vel nolens: At nolens certè non permittit (nam Deo inuito nihil posset fieri) permittit ergo volens: ergo vult peccatum non impedire. Quidam, vt hoc effugiant, statuunt in Deo duplicẽ voluntatem: vnam efficacẽ, alterã remissam. Signum efficacis esse volunt iussa, præcepta, mandata: remissę autẽ consilia, & adhortationes. Addunt etiam, Deum nolle etiã, aliàs efficaciter, aliàs remissę. Nolle autem eum efficaciter, signum esse prohibitionẽ: remisse verò eum nolle, signum esse permissionẽ. Atq; hoc pacto, aiunt, Deum nolle peccatum. Sed quia vidẽt, si Deus efficaciter nollet peccatum non posse vllo modo committi, dicunt, eum nolle quidem peccatum, sed remisse. Hæc acutè quidem distinguuntur: sed nõ nihil dubito, an ea ita in Deo inueniri possint. Verùm, ne fruſtrà contendamus, facito, ita esse: adhuc tamen non effugiunt, quin Deus aliquo modo dicendus sit velle peccatum. Vnde enim illud est, quòd peccatum nolit quidem, sed remisse? Nihil hîc habent respondere, nisi quòd id aliquo modo velit. Reiectio enim non est remissa, nisi aliquid accedat contrarij, nimirum, vo-

Voluntati repugnat ut cogatur. Esau non infudit Deus malitiã, sed nõ dedit unde fieret bonus.

Quæ duo sint hîc retinenda, quamuis humana ratio non possit ea coniungere.

Deus impedire non potest quin sua donet arbitratu suo.

Nihil odisti eorũ quæ fecisti, quomodo intelligendum.

Iacob non minus quàm Esau erat obstrictus originali peccato.

Odit Deus omnium peccata sed diuersa ratione, electorũ uult cõdonare, punire autẽ reproborũ. Quomodo Iacob diligatur, Esau odio habeatur, cùm uterq; sit in peccato.

Tria consideranda, Natura hominis, peccatum, & pœna.

Deus peccato, qua pœna est, utitur.

Leges Romanæ furti crimen capitale nõ fecerũt

An Deus peccatum uelit.

Deo inuito nil potest fieri.

Opinio dicentiũ uolũtatẽ Dei efficacẽ aut remissã esse in uolendo & nolendo.

Non uidetur in Dei uoluntatẽ cõtentio & remissio ponenda.

luntatis: vt, aqua ex calida nõ fit tepida, niſi admiſceatur aliquid frigoris. Quare quòd dicũt, Deum nolle peccatũ, ſed remiſsè, id nõ alia cauſa fit, niſi quòd illud aliquo modo velit: itaq; iſta permiſsio, quam fingunt, redigitur poſtremò ad voluntatẽ. Ridiculum autẽ eſt, quòd timent ne Deus hoc pacto iniuſtus eſſe videat: nam Dei voluntas prima eſt iuſtitia, vt quicquid ille velit, ſtatim neceſſario ſit iuſtũ. Et eadẽ actio, vt eſt in nobis, & à nobis proficiſcit, quoniã manat à vitioſo principio, peccatũ eſt: vt autem fluit à Deo, iuſta eſt. Cupiunt iſti aliquo modo humanæ rationi ſatisfacere: quod tamen hoc pacto minimè ſuccedit. Coguntur enim fateri, Deũ, cùm velit peccatis peccata punire, ſubtrahere gratiã: quo vnico fulcro voluntas noſtra ſuſtẽtari poteſt, ne peccet. Quare ſi de induſtria remouet id, quo ſolo peccatũ prohibetur, licet non id iniuſtè faciat, quomodo dici poteſt nolle omnino peccatum, quod ſubductionẽ gratiæ neceſſario ſequitur? Dicimus itaq; Deum actionẽ quidẽ velle, quæ natura producitur, ea quippe, niſi Deus vellet, produci omnino nõ poſſet: deformitatẽ autem, & priuationẽ iuſtitiæ, qua actio illa deficit, et aberrat à regula, per ſe ipſam nõ velle: ſed eatenus tantùm, quatenus eſt pœna peccati, &, vti diximus, inſtrumentũ declarandæ iuſtitiæ diuinæ. Quin & Auguſt. ait, Deum velle non tantùm remouere gratiam, ſed etiam occultè agere in animis peccantium, non minus quàm ſolet in corporibus: & voluntates inclinare, ſiue ad bonum, pro ſua miſericordia, ſiue ad malum, iuſto quidem iudicio, ſed tamen occulto. Et hanc ſententiam habet contra Iulianum libro quinto cap. 3. Et de Gratia, & libero Arbitrio ca. 21. eamq; probat variis, & multis teſtimoniis ſcripturarum. Quod autem Deus ſcribitur nolle, & odiſſe peccatum, id accipiendum eſt, quod ad legem, & ſcripturas, et regulam viuendi nobis reuelatam attinet. Dicitur etiam odiſſe peccatum, quia illud punit, & quia illud non ſua ipſius cauſa vult, ſed, vt diximus, propter aliud. Quatenus ergo peccatum facit, non odit: & quatenus odit, non facit. Ad ſummam ſi propriè ac ſimpliciter loqui velimus, Deum nec vellе peccatum, nec eius authorẽ dicemus. Hæc obiter: ad Auguſtinũ redeamus. Is pergit oſtendere, & electionem, & reiectionem pendere à voluntate Dei. Ait quidem, nos habere liberum Arbitrium: ſed illud ad iſta quid valet? Quis enim credat, niſi eius voluntas moueatur? In noſtra autem poteſtate non eſt vt moueamur illis rebus, quæ offeruntur: neq; enim capimur, niſi illis rebus, quæ placent. Vt autem placeat nobis concio, lectio, cogitatio de rebus diuinis, fit afflatu ſpiritus ſancti. Et addit Auguſtinus, quod attinet ad maſſam, ſeu conſperſionem humanæ naturæ, vnde omnes educimur, nihil eſſe diſcriminis, quo Deus moueri poſsit, vt hunc potius, quàm illum eligat. Imò ſi, ſepoſita Chriſti gratia, naturam hominum ſolã ſpectemus, nihil poteſt occurrere diſcriminis, niſi quòd vnus altero ſit ingenioſior, aut paucioribus ſceleribus contaminetur, aut artibus melioribus ſit præditus. At ſi quis dicat, Deum iſta aut in electione, aut in reiectione ſpectare, apertè aduerſabitur ſcripturæ ſacræ. Paulus enim ad Corinth. ita ſcribit: Videte vocationem veſtram, fratres: quoniam non multi ſapientes, non multi nobiles, non multi potentes: ſed ſtulta mundi elegit Deus, &c. Fuerunt præterea complures philoſophi acutiſsimis ingeniis, & viri alij grauiſsimi: vt Socrates, Cato, Scipio: qui, ſi cum alijs conferantur, videri poſsint quàm pauciſsimis vitijs laboraſſe. Fuerunt alij artibus præclariſsimis, & facultatibus ornati: quos tamen Deus præterijt, & ad ſe homines indoctos, peccatores, ſceleratos aduocauit. Hoc ergo ſolùm ſupereſt, vt, ſi Deus iſta non reſpiciat, dicant, eum tamen habere rationem voluntatis. At ne id quidem affirmari poteſt. Nam, vt diximus, non eſt ſitum in poteſtate voluntatis noſtræ, vt ea bonis, & ſanctis perſuaſionibus moueatur. Nam quæ fuit voluntas Pauli eo ipſo tempore, cùm vocaretur? Certè ille nihil aliud cogitabat, quàm vt occideret homines Chriſtianos, & prorſus perderet, atque euerteret Chriſtianam pietatem: illico tamen conuerſus eſt ad Deum, veritasq; ita illi proponebatur, vt ſtatim arrideret, & animum eius penitùs totumq; immutaret. Non eſt ergo, quòd quiſquam Deum accerſat iniquitatis: nam cùm cõdonat & ignoſcit, largitur de ſuo: cùm autem punit, & pœnas exigit, quod ſuum eſt, optimo iure exigit. Scribit iſta Auguſtinus, vt dixi, in libro Quæſtionum ad Simplicianum, quæſtione ſecunda, In epiſtola verò ad Sixtum, quæ eſt numero 105. ait, Deum non inuenire homines eligendos, ſed facere. Nec aliud, inquit, in Iacobo dilexit, quàm ſuam gratuitam miſericordiam: Eſau autem odio habuit, quòd eius nollet miſereri. Quæ iſti, inquit (de Pelagianis loquitur) vt euitent, aiunt, Deum ſpectaſſe opera præuiſa: quaſi tantum acumen Paulo defuerit, neq; iſtud videre potuerit, quod iſti acuti homines perſpexerunt. Tum equidẽ fuit locus, vt Paulus ita reſponderet, cùm ſibi obiecisſet, Quid dicemus? Nunquid eſt iniquitas apud Deum? Abſit. Vno iſtorũ verbulo quæſtionẽ illico ſoluiſſet: imò potius nullã habuiſſet quæſtionẽ, quam ſolueret. Cogitãdum nobis eſt, quid ibi Paulus molitus ſit, quid egerit, quid voluerit.

Permiſsio redigitur ad uoluntatẽ Dei uoluntas eſt prima iuſtitia.

Deus cum uult punire peccata peccatis gratiam ſubtrahit.

Electio & reiectio à uoluntate Dei pendet.

Non capimur niſi rebus quæ placent.

Spiritu Dei efficitur ut nobis uerè bona placeant

In Adami maſſa nullum eſt diſcrimen quod ad electionẽ Dei faciat

Pauli exemplum

Cur Deus nõ accuſandus iniquitatis.

In Iacobo Deus tantùm ſuam miſericordiam dilexit.

Eſau odio habuit quòd eius noluerit miſereri.

Paulo non defuit acumen.

Voluſt

Voluit autem inculcare gratiam Dei: quem ſcopum qui habent ob oculos, non poſſunt iſta confingere. Et in Enchiridio ad Laurentium cap. 98. ſcribit, Paulum, ſi hęc voluiſſet, nequaquam dicturum fuiſſe, Nō ex operibus: imò dicturum potius fuiſſe, Ex præuiſis operibus: Iacob dilexit per miſericordiā gratuitam, Eſau autem odio habuit per iudiciū iuſtum. Qui ergo ſunt in vocatione ſancta collocati, agnoſcant, ſibi collatā eſſe gratiam indebitā: in alijs autem, qui malè pereunt, intelligant, quid ſibi debitum fuerit. Poſt ſententias patrum ita commemoratas breuiter dicendum ſtatui, quid de hac re tota iudicē. Primùm intellígo, Diligere, nihil aliud eſſe, quàm alicui bene velle: Odiſſe verò, nihil aliud, quàm alicui male cupere, aut illi bene nolle. Eos ergo Deus dicitur amare, quibus vult ęternam ſalutē, hoc eſt, ſummā felicitatē: illos autem odio proſequi, quibus eam non vult. Iam his ita conſtitutis, controuerſia eſt, vtrū Deus felicitatē velit electis ex operibus præuiſis, an non: & quemadmodū eam reprobis nolit. De dilectione dicemus primùm. Ea ex pręſcitis operibus eſſe nō poteſt. Nā Paulus ait: Non ex operibus, ſed ex vocante. Et cùm Deus bona opera in hominib. non inueniat, ſed ex ſua miſericordia in illos ea deriuet, quomodo poſſunt ea eſſe cauſę dilectionis eius? Et in 11. cap. huius epiſt. Paulus ait, Reliquias ſaluas fore iuxta electionē gratię. Quod ſi ex gratia, iam non ex operibus. Et hoc loco idem Apoſtolus effecta quoq; promiſsionum diuinarū tantummodò ad voluntatē, & potentiam, & miſericordiā Dei reuocat. Itaq; nihil nobis amplius audendum eſt. Et cap. 1. ad Epheſ. ait, Nos prędeſtinatos eſſe in adoptionem filiorum, iuxta beneplacitum volūtatis Dei. Et, ſi daremus homines conſequi ſalutē ex operibus præuiſis, euitare non poſſemus, quin homines dicerentur ex operibus iuſtificari. Tum enim ex operibus noſtris ſequeretur Dei præſcientia: ex pręſcientia prædeſtinatio: ex prædeſtinatione vocatio: & ex ea poſtremò iuſtificatio. Conſentiremus etiā cum Pelagianis, iuſtificationē, ac merita incipere à nobis ipſis: & Deū poſtea addere gratiā, miſericordiā, & varietatē donorum. Neq; exiſtimare debemus, opus Dei, quod eſt ęternū, initium habere à re aliqua temporaria. Eodem modo dicimus, odium Dei non pendere ab operibus præſcitis. Nam Paulus ęquè de vtroq; fratre pronuntiauit, Non ex operibus, ſed ex vocante. Et ſi concederemus, odium Dei manare ex pręuiſis operibus malis, inferri poſſet ex contrario, vt ait Auguſtinus, dilectionē quoq; Dei naſci ex pręuiſis operibus bonis. Huc accedit, hanc rationem in omnibus, qui eliguntur, aut reprobantur, non poſſe habere locum. Multi enim inter Iudæos, & Turcas pereunt in ipſa infantia, & dānantur, & idcirco numerantur inter eos, quos Deus odio habeat: in quibus tamen nulla opera mala potuit prævidere, cùm ea illi nulla fuerint habituri: imò pręſciuit potius, illos nihil fuiſſe facturos. Neq; quicquā iuuat, quod quidā dicunt, Deū vidiſſe, quid facturi fuiſſent, ſi ſuperuixiſſent. Hoc enim pacto iuxta rationē humanā non ſeruaretur ęquitas diuina: cuius tamē defendendę cauſa iſti tantoperè laborant. Statim enim veniet in mentē, cur iſti reiecti ſunt ob illa opera, quę nec fecerūt, nec vnquā facturi erant? At feciſſent ea, inquies, ſi ſuperuixiſſent. Eſto. Sed conditionalis propoſitio nihil affirmat. Et Deum hāc rationē in ſua dilectione aut odio nō ſequi, Chriſtus ſatis declarat, cùm dicat, Væ tibi Corozaim: vę tibi Bethſaida: quoniā ſi in Tyro, & Sidone facta fuiſſent, quæ facta ſunt in te, iamdudum in cinere, & cilicio pœnitentiam egiſſent. Et, vę tibi Capernaum, quę in cœlum eleuata es: quoniā vſq; ad infernū deprimeris. Si enim facta fuiſſent in Sodomis, quę facta ſunt in te, ciuitates illę iam extarent. Hęc verba ſatis indicant, Deum nō ſpectare, quid aliquis facturus fuerit. Nam dedit miracula male vſuris: bene autē vſuris non dedit. Adhęc memineris, in illis verbis nō dici, eos, qui miracula nō habuere, ſi ea fortè habuiſſent, fuiſſe per ſe ipſos credituros, quaſi hoc in illorum natura, aut libero arbitrio poſitum fuerit: Id enim illis Deus dediſſet. Et cùm ſit oratio conditionalis nō debet ex illa inferri categorica. Vt cùm dicitur, ſi equus volaret, haberet alas, non ſequitur ex eo, habere alas, aut volare, eſſe ex natura equi, aut Equum volare poſſe, ſi haberet alas: cùm ad volandum plura requirātur, quàm alę. In eo ergo conuenit electio, & reprobatio, quòd neutra ex operibus præuiſis pendeat. Differunt tamen bifariā: primùm, quòd quāuis peccata non ſint cauſæ reiectionis, tamen ſunt cauſæ æternæ damnationis, ad quā ordinati ſunt reprobi. Non enim niſi iuſto iudicio condēnantur: neq; habent, quòd de iniuſtitia Dei poſsint iure conqueri. Opera verò bona nec principiū ſunt electionis Dei, nec verę cauſę felicitatis ęternę. Neq; hîc audiendi ſunt Scholaſtici, qui ſtatuunt in illis meritū, vt loqui ſolent, de condigno. Contrà enim Paulus docet, non eſſe condignas paſsiones hnius tęporis ad futurā gloriam, quę reuelabitur in nobis. Alterū diſcrimē eſt, quòd bona opera, ad quę ſumus prædeſtinati, vt per ea ducamur ad felicitatē, ea habemus non ex nobis ipſis, ſed ex prędeſtinatione Dei. Peccatum autē inſitum nobis eſt ab ipſa natiuitate. Nam in iniquitatibus concepti ſumus, & in peccatis conce-

Quid ſit diligere Quid ſit odiſſe.

Electio Dei ſeu prædeſtinatio nō eſt ex prævviſis operibus.

Iuſtificaremur ex prævviſis operib, ſi ex illis eligeremur.

Aeternū Dei opus nō oritur ex re temporaria. Odium Dei non eſt ex operibus præſcitis.

Cauillum explo-ditur.

Dedit Deus mira-cula malè uſuris bene uſuris non dedit.

Neq; electio neq; reprobatio pendet ex prævviſis operibus. Diſcrimen inter electionem et reprobationem. Non eſt concedē-dum meritum. Bona opera ex Deo habemus nō autem peccata.

pit nos mater noſtra. Quidam tamen conati ſunt probare, dilectionẽ Dei pendere ex operibus, ex 8. cap. libri Prouerb. Ibi enim Deus ita loquitur: Ego diligentes me diligo. Atqui ex illis verbis id, quod volunt, inferri non poteſt. Fateor equidẽ, amari eos à Deo, qui Deũ diligunt: non tamen ſequitur, Deum ex eo incipere amare illos, quòd ipſi eum diligant: imò potius è diuerſo ſequitur, ideo illos amare Deum, quòd Deus illos diligat. Ita enim nos Ioānes docet: Non quòd nos Deum dilexerimus: ipſe enim prior dilexit nos. Vt autem & ea, quæ iam dixi, & ea, quæ poſtea dicenda ſunt, clarius intelligantur, explicãdæ nobis ſunt quatuor voces, quæ à Paulo in hac tractatione vſurpantur: videlicet, Dilectio Dei, electio, prædeſtinatio, & propoſitũ. Dilectio, vt antè diximus, eſt, qua Deus vult aliquibus felicitatẽ. Electio eſt, qua vnum præfert alteri. Prædeſtinatio eſt, qua ſic dilectos, & alijs prælatos dirigit ad finem, quem illis conſtituit, nimirum, ad vitam æternam, per congrua media. Iſta autem eo ordine inter ſe iunguntur, vt prędeſtinatio dilectionẽ, & electionem conſequatur. Nam, quẽadmodum diximus, quos Deus dilexit, & alijs prætulit, eos dirigit ad finem. De dilectione verò, & electione aliter ſtatuẽdum eſt in Deo, quàm ſolet in hominibus euenire. Homines enim, cùm vident aliquem ornatum præclaris dotibus, eum eligunt præ cæteris: deinde illi bene cupiũt, & pro viribus bene faciunt: Deus verò, cùm in hominibus nihil inueniat boni, tamen ex mera miſericordia, et ſingulari bonitate, quoſdã diligit, eisq; multa decernit bona. inde ſequitur electio. Hoc enim nomine alijs præferunt, quia diliguntur à Deo, non ſua vlla dignitate. Vtq; ſe habet dilectio, ad electionẽ, ita odium ad reprobationem. Quare non diſplicet, quod Magiſter Sentent. citat ex Auguſtino, prædeſtinationem eſſe præparationem ad gloriam: Reprobationẽ verò eſſe præparationẽ ad æterna ſupplicia, modò adiungantur ea diſcrimina, quę paulò antè cõmemoraui. Nunc ſupereſt explicãda quarta dictio, nempè propoſitum. Id autẽ dicimus nihil eſſe aliud, quàm beneplacitum, τὴν εὐδοκίαν: quod colligimus ex epiſtola ad Ephe. 1. cap. vbi ita ſcribitur: Qui prędeſtinauit nos, vt adoptaret in filios per Ieſum Chriſtũ in ſeſe, iuxta beneplacitum voluntatis ſuæ. Et mox, prædeſtinati ſecundũ propoſitũ ipſius. Hęc declarant, propoſitũ, & beneplacitũ accipi pro eadẽm re, & pertinere ad voluntatẽ. Propoſitũ ergo Dei eſt placitũ voluntatis eius: ſumiturq; vt genus, ad definiẽdã prędeſtinationẽ & reprobationẽ. Auguſt. enim ait, prędeſtinationem eſſe propoſitũ miſerendi: reprobationẽ autẽ propoſitum non miſerendi. Et iuxta hanc ſententiã Paulus ait in hoc cap. Vt maneat electio ſecundũ propoſitum. Sed de his omnibus infrà agetur plenius.

Deus non ex eo incipit nos diligere quòd ipſi eum diligamus.

Ordo inter dilectionem, electionem & prædeſtinationem.

Dilectio & electio aliter in deo atq; in hominib. locum habent.

Quid ſit Dei propoſitum.

Propoſitũ eſt genus prædeſtinationis.

Quid ſit prædeſtinatio ex Auguſtino.

Quid itaq; dicemus? Numquid eſt iniquitas apud Deum? Abſit. Dum caro, & prudentia humana ſic audit omnia ad voluntatẽ Dei reuocari, incipit tumultuari. Id enim non poteſt ferre: prætexitq; reuerentiã diuini nominis, cùm re ipſa mortificationẽ horreat, neq; pati poſſit, vt omnia ſua diuinę poteſtati ſubijciantur. Itaq; quidam ita auerſantur omnem ſermonem de prædeſtinatione, vt ſtatim ad primam eius mentionẽ fugiant. Atqui id fieri nõ poteſt ſine grauiſſima ſpiritus ſancti iniuria: quaſi ille aliquid docere voluerit, quod aut inutile eſſet, aut perniciſum. Nos autem audire debemus Paulum de ea vtiliter diſſerentem. Quod vt citra periculum faciamus, cauere debemus à fictionibus, nec aliquid addere his, quæ nobis ſacra ſcriptura tradidit. Si nos intra iſtos terminos contineamus, nihil erit periculi. Paulus genera tim propoſuit, odium, & dilectionẽ Dei ab vna eius voluntate pendere, non autẽ ex operibus hominum. Id nunc probat ex vtroq; latere: idq; duplici ſcripturę teſtimonio. Sed antequàm illa producat, obijcit ſibi id, quod humanę prudentię iniquum videri poſſit. Quid, inquit, dicemus? Nunquid eſt iniquitas apud Deũ, ſi ſuo arbitratu ita faciat? Reſpondet, atq; execratur eiuſmodi ſuſpicionẽ. Abſit, inquiens. Quòd autem humana ratio ſic offendatur, & prædeſtinatio, & reprobatio pendeat à mera voluntate Dei, ex eo fit, quòd homines arbitrantur lædi iuſtitiã diſtribuentem, quæ exigit, vt reddantur paria paribus. Cumq; homines omnes in ſtirpe Adami pari conditione contineantur, nõ putant eſſe ęquũ, vt vnus ad ęternam ſalutem prædeſtinetur, alter autẽ ad ęternũ exitiũ abijciatur. Origenes, vt hanc in Deo iuſtitiam tueretur, docuit, animas hominum antequam veniant in hanc vitam, habere opera vel bona, vel mala: propter quę deſtinentur, vel ad exitium, vel ad felicitatem. Pelagius autẽ exiſtimauit, iuſtitiam Dei aſſerendam eſſe ex operibus præuiſis: quam opinionem nõ ille ſolùm, ſed etiã alij multi ex Patribus cõplectebantur. Neq; ſatis mirari poſſum, homines adeo fuiſſe ſollicitos de iuſtitia Dei: cùm ea non poſsit venire in periculum. Voluntas enim Dei, eſt prima iuſtitię regula. Idem autẽ homines ſuam ipſorum iuſtitiam, quę non tantùm periclitatur, ſed etiam ſæpe violatur, & frangitur remiſsè & negligẽter curant. Paulus autẽ, vt occurrat errori humanę cogitationis, probat electionẽ Dei non ex iuſtitia diſtribuente, vt iſti fingũt deriuari, cùm Deus nullo iure obſtringatur, vt ea cuiquam donet, quæ dare decreuit, ſed

Malè factũt qui abhorrent à tractatione prædeſtinationis.

Vnde humanæ rationis offenſio.

Peruerſa hominũ ſollicitudo.

Sed ex mera misericordia & liberalitate Deum aliquos assumere, & ornare. In parabola, quam Dominus proposuit, datus est singulis operis denarius diurnus: illis quidem, qui totum diem laborauerant, ex pacto: alijs uerò, qui tantùm unam horam fuerant in opere, ex misericordia. Cùm autem illi primi indignarentur, patersamilâs respondit: Non licet mihi de meo facere, quod uolo? Certè licebat, & præsertim cùm id ad meram misericordiam pertineret. Quod autem ad iustitiam distribuentem attinet, Tolle, inquit, quod tuum est, & uade. Distinxit igitur distributionem ex iustitia ab ea donatione, quæ proficiscitur ex misericordia. Ita Paulus docet hoc loco, electionem Dei, non ad iustitiam, ut isti fingunt, sed ad misericordiam pertinere. Atque id confirmat oraculo scripturæ, ita inquiens: Nam Mosi dicit:

Alia est distributio ex iustitia & alia donatio ex misericordia. Electio non pertinet ad iustitiã sed ad misericordiam.

Miserebor, cuius cunque misereor: & misericordiam præstabo, cuicunque misericordiam præstitero. His verbis Deus docet, non aliam esse causam misericordiæ suæ, quam erga aliquos exhibet, quàm ipsamet suam misericordiam. Itaque miror nonnihil, quomodo Pighius, vir alioqui, vt sibi videtur, acutus, inter præcipuas suas rationes, quibus contendit, Deum prædestinare ex præuisis operibus, hanc etiam interposuerit: quasi, nisi id sit constitutum, iustitia Dei, qua bona sua distribuit, nullo modo possit consistere. Quomodo enim non intelligit, Apostolum hoc idem sibi obijcere? idque non alio nomine dissoluere, quàm quòd Deus hac in re nõ ex iure agat nobiscum, aut ex debito, sed ex misericordia? Id enim oraculum, quod hîc citatur, apertissimè declarat. Ridiculum autem est, id Paulo affingere, quod ille, ne dicat, maximopere cauet. Velle cum Deo iure agere, id est, Deum in ordinem cogere: quod vt à nemine fieri potest ita à nemine ratione prædito tentari conuenit. Et Paulus, cùm ait: Quid ergo dicemus? Nunquid est iniquitas apud Deum? docet his verbis, se optimè nosse, quid soleat hominibus in mentem uenire, cùm audiunt de hac re disputari. Annotandum etiam est, Paulum, quamuis excusare posset doctrinam suam, quod hæc absurda ex illis, quæ ipse docuerat, non sequerentur, tamen summo studio pietatis ferri ad repellendam blasphemiam, & respondere, Absit: quasi dicere uelit, indignum esse talia de Deo cogitare. Et addit rationem, quòd non possit iniustum esse, quod Deus de se ipso testatur, & agnoscit esse suum. Deus autem ipse dixit Mosi: Miserebor, cuius misereor: & misericordiam præstabo, cuicunque misericordiam præstitero. In hac sententia duo sunt annotanda: primùm, bona ea quæ Deus nobis decernit, ex ipsius tantùm pendere misericordia: deinde illorum causam extra Dei beneuolentiam nõ esse quærendam. Ait enim Mosi, se illis misericordiam exhibiturum, quorumcunque se misereat. Iam si Deus hos limites nostræ cognitioni præscribit, nimium illi audaces videri debẽt qui vlterius velint progredi. Monui suprà, Origenem, & Hieronimum ad Hedibiam, hæc verba, vsque ad illum locum, O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? putare sub aduersarij persona esse posita: quod à ratione contextus ipsius longè est alienum. Paulus enim interposuit responsum suum, cùm aduersario responderet, Absit. Itaque consentaneum est, vt ea quæ sequuntur, adferantur à Paulo pro ratione vehementis reiectionis. Regerit enim quodammodo cum execratione, Absit: idque luculenter ostendit inserta particula, *Enim*: qua sensus proximi ratio redditur. Huc accedit, quòd hæc sententia citatur è scripturis: quod Paulus aduersarij personæ tribuere non solet. Obijcit enim sibi ea, quæ ab humana prudentia statuuntur contra sententiã diuini spiritus: sibi verò ipsi id retinet, ut has humanas cogitationes, quæ uideantur obstare, ex scripturarum testimonio refutet. Mitto, quòd Origenes, cùm eius expositionis absurditatem uideret, illi non multùm confidit, sed aliam eius loco suppossuit. Chrysostomus uerò & Ambrosius hæc uerba tribuunt ipsi Paulo: quamuis à iusta interpretatione nonnihil discedant. Chrysostomus enim ait Paulum hoc loco rem magis etiam obscurare, quò eò Iudæos adigat, ut de quæstione, pro qua tantopere tumultuantur, ne ipsi quidem possint quicquam respondere. Illi enim quærebant, cur reiecto suo genere, Ethnici assumerentur. Paulus ut illis os oppilaret, & uos, inquit, mihi dicite, cur reiecto Ismaele, Isaac fuerit receptus? cur Iacob adamato, Esau fuerit odio habitus? Verùm quia in istis utcunque responderi potuit, quòd illi mali essent, isti boni, ideo adducit hunc locum ex 33 capi. Exodi ubi Deus, cùm propter idololatriam, quam populus commiserat in Vitulo, iussisset multos interfici, tamen reliquæ multitudini ignosci uoluit. Hîc nullum relinquitur eiusmodi perfugium: idem enim erat omnium crimen. Itaque Deus ait Mosi, *Miserebor cuius misereor*: Hoc est: Ego solus possum discernere, quare huius uelim misereri, illius nolim. Id tu uidere non potes: quare in hac re mihi cede. Neque caret aliqua emphasi, quòd Apostolus hîc nominatim posuerit Mosen. Nam cùm ille huius rei causam non uiderit, cùm tamen Deo fuerit

Deus non est in ordinẽ redigendus.

Causa donorum dei quæ nobis cõfert nõ est quærẽda extra illius bonitatem

longè omnium mortalium familiariſsimus, certè multo minus alij eam uidere poterunt.
Reprimit ergo Paulus his uerbis, & pudefacit temerariam hominum inquiſitionem: quòd
ſolus Deus merita, & dignitates eorum, quos eligit, quibúsque ignoſcit, præuideat. Hæc
Interpretatio Chryſoſtomi confutatur. interpretatio tria inducit, parum, ut mihi uidentur, uero conſona. Primùm quòd dicit, Apo-
Non eſt Spiritus ſancti quæſtionem obſcurare ad ſalutem neceſſariã ſtolum obſcurare quæſtionem: cùm eam maximè patefaciat, nec ſit ſpiritus ſancti, ueritatem,
quæ ad ſalutem noſtram adeo ſit neceſſaria, occultare. Præterea ſumit ſibi, Deum iſtis uerbis
loquutum eſſe cum Moſe de hominibus illis, qui occiſi ſunt propter idololatriam, illiſq; qui-
bus Deus uoluit ignoſcere: quod, ut oſtendemus, cum narratione parum conuenit. Poſtre-
mò rem reuocat ad iuſtitiam, & ad præſcientiam meritorum: cùm Paulus iſta reducat ad ſo-
lam Dei miſericordiam. Ambroſius uult hæc auferri ab Apoſtolo in hunc ſenſum: quaſi
Deus dixerit, miſerebor eius, cuius eram præſcius conuertendi, & apud me permanſuri.
Et miſericordiam præſtabo ei, cui miſericordiam præſtitero: id eſt, illi dabo miſericordiam,
quem præſciui poſt errorem recto corde ad me reuerſurum. Atque hoc, inquit, eſt, dare illi,
cui dandum eſt: & illi non dare, cui dandum non eſt: ut eum uocet, quem ſciat, uelle obau-
dire: illum autem non uocet, quem ſciat, nolle obaudire. Vocare autem, inquit, eſt com-
pungere ad recipiendam fidem. In hac etiam interpretatione primùm illud non probo, mi-
Quid uocare ſit Ambroſio. fereri idem eſſe, quod præſcire. hæc enim uerba longè diuerſa ſignificant. Quare alterum
Miſereri non eſt præſcire. illorum ex altero interpretari, eſt attexere ſua, non reddere ſententiam Apoſtoli. Cumq;
dicit, Deum dare, cui ſit dandum: & non dare, cui non ſit dandum, reſpicit iuſtitiam Dei:
cùm Deus ipſe, ut Paulus teſtatur, omnia reuocet ad miſericordiam. Neque uerum eſt,
Deum illos tantùm uocare, quos ſciat eſſe audituros: uocauit enim aſsiduè Iudæos, quos
ſciebat futuros rebelles: niſi fortè non aliam intelligat uocationem, niſi efficacem: ſed ea uo-
catio, non eſt ex eo, quòd homines proni ſint ad audiendum, ſed ut eos faciat poſſe audire.
Auguſtinus autem ſcribens in hunc locum, putauit, Deum non opera futura reſpicere, ſed
fidem. Atqui eam ſententiam, ipſe poſtea firmiſsimis rationibus retractauit, libro ſecundo
Retractationum, capite primo & libro primo capite uigeſimo tertio. Nunc ſupereſt, ut,
quemadmodum Pauli uerba planè indicant, electio, & beneficentia Dei tantùm ab eius mi-
ſericordia pendeant. Quòd autem hæc uerba, *Miſerebor cuius miſereor*, intelligẽda ſint, ut Chry-
Commentoratur hiſtoria Exodi. ſoſtomus uoluit, de aliorum cæde, aliorum abſolutione, non uidetur cum hiſtoria poſſe con-
uenire. Nam illa cædes narratur capite trigeſimo ſecundo. Ante autem, quàm ad alterum
locum perueniatur, qui eſt in capite trigeſimo tertio multa interponuntur. Poſt factam enim
cædem Dominus iuſsit Moſi, ut aſcenderet ex illo loco: dixitq; ſe non iturum cum eis, quòd
eſſet populus duræ ceruicis. Id populus, cùm audiſſet, doluit uehementer, & fleuit. Rurſusq;
Moſes orat Dominum, ut ſecum uelit proficiſci, additq;, ſe non iturum, niſi hoc ſibi Domi-
nus polliceatur. Tandem Dominus expugnatus iſtis precibus reſpondet, ſe id facturum,
quòd Moſes in oculis ſuis gratiam inueniſſet. Eo Moſes audito, ſubijecit: Oſtende ergo
mihi gloriam tuam. Cui Dominus: Ego tranſire faciam omne bonum meum in conſpectu
tuo, & clamabo nomen meum Iehoua coram te: & miſerebor, cuius miſerebor: & miſera-
bor, quem commiſerabor. Illi ergo mihi uidentur ſenſiſſe melius, qui hunc locum intelligen-
Locus eſt intelligendus nõ de idoloatris ſed de Moſe dum putauerunt, non de idololatris occiſis, aut conſeruatis, ſed tantùm de Moſe: ac ſi Deus
dixerit, ſe illi daturum, ut ſaltem poſteriora ſua uideret, idque non ex ipſius merito, ſed tan-
tum ex ſua miſericordia. Verùm utrouis modo uerba illa accipias, modò omnia referas ad
miſericordiam Dei, optimè ex illis ſequitur, quod Apoſtolus contendit: nimirum, Non eſſe
uolentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei. Verùm ut de illo loco dicam, quod ſentio, pri-
mùm admoneo, Apoſtolum ſequutum eſſe uerſionem Septuaginta: illi enim habent, quod
hic ſcribitur Ελεήσω ὃν ἂν ἐλεῶ: καὶ οἰκτειρήσω, ὃν ἂν οἰκτειρῶ. Hebraicè autem eſt רחמתי את אשר אחן
רחמתי את אשר ארחם primum uerbum eſt a חנן quod eſt, gratia & fauore proſequi. Alterum
uerò ſignificat miſereri, ſed ea potiſsimum miſericordia, qua matres filios complectuntur.
Hoc enim uerbum coniunctionem habet cum רחם quod eſt, uterus, aut uenter, in quo
matres paruulos ſuos geſtant. Deinde cum dixiſſet, ſe effecturum, ut omne ſuum bonum
tranſiret corã Moſe, adiecit, ſe tranſeundo acclamaturum eſſe nomẽ ſuum Iehoua: quod,
ut habetur in proximo capite, præſtitit. Cumq; clamaſſet Iehoua, ſubijecit diuerſa ſua nomi-
na quibus diuinæ naturæ proprietates explicantur. Illorum nominũ hîc quodammodo ſũ-
mam complectitur, cùm ait: miſerebor cuius miſereor. Neque diſcrimen aliquod eſt inter
Septuaginta & hebraicam ueritatem, niſi quod illi uerbum efferunt in præſenti tempore in
ſecunda parte utriuſque membri: cùm in Hebræo idem tempus utroque loco cõſeruetur. Sẽ-

sus autem, quèm nos adferimus, optimè cum Paulo conuenit. Nam si proprietates Dei, quibus utitur erga nos, comprehensæ sint in misericordia, ex eo optimè probatur, nostrã etiam electionem non aliunde pendere: idque nobis est longè utilissimum. Nam si salus nostra in nostris manibus esset sita, nos eam perpetuò impediremus. Quomodo autem huius diuinæ uoluntatis, qua à Deo eligimur, iuditium habere possimus, Christus nos docuit, cùm nobis patris decreta reuelaret, hæc, inquiens, est uoluntas patris, ut qui uidet filium, & credit in eum habeat uitam æternam. Facit hæc sententia Dei, quam Paulus citat ex libro Exodi, aduersus eos, qui statuunt, Dei misericordiam ex æquo oblatam esse omnibus. Dicit enim Deus, non se miserturum omnium, sed illorum tantùm, quorum sit miserturus: quibus uerbis declarat, se certis quibusdã, nõ omnibus impẽdere suã misericordiã. Ex hoc oraculo Apostolus infert Ergo nõ est uolentis, neq; currentis, sed miserentis Dei. Vnde intelligimus, totum tribuedũ esse Deo: quam doctrinam humana prudentia ferre non potest. Statim enim ita secum ratiocinatur: ergo nos nihil agimus: tantùm sumus trunci aut lapides. Nos autem ista non docemus. Affirmamus quidẽ, nos agere, sed nõ nisi actos spiritu Dei: quemadmodũ Paulus docet in hac epistola cap. 8. Qui spiritu Dei aguntur, inquit, hi sunt filij Dei. Et Propheta Ezechiel ait: Faciam, ut ambuletis in uijs meis. Modum autem quo aliquid agamus impulsi, atq; acti à Deo pulchrè intelligemus, si octauum caput huius epistolæ cum 4 cap. ad Galat. conferamus. Nam in 8 cap. Paulus ita scribit: Non accepistis spiritum seruitutis iterum ad timorem, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater. Ad Galatas autem ait: Quoniam estis filij, emisit Deus spiritum filij sui in corda nostra, clamantem, Abba pater. Cum ergo ad Galatas doceat, spiritum sanctum orare in nobis, ad Romanos autem dicat, nos ipsos orare, intelligere debemus, nos quidem ipsos orare, sed actos atque impulsos à spiritu Dei. Neque enim sumus trunci, aut lapides. Illa enim nõ nisi uiolenter impelluntur nos autem à spiritu Dei non cogimur inuiti, sed persuademur, & quicquid facimus, uolentes facimus. Trunci, & lapides, cùm mouentur, nec intelligunt nec uolunt: nos autẽ, cùm impelimur à Deo, & intelligimus, & uolumus, & assentimur. Quanquam hæc quoq; ipsa habemus à spiritu Dei. Adhæc fatemur, multa ciuilia & naturalia opera, cùm uires nostras non superẽt subijci arbitrio, & uoluntati nostræ: quanquam etiam ista credimus, & prædicamus, Deum regere, & gubernare, ut eius sapiẽtissimæ prouidentiæ uisum fuerit. In his autem, quæ Deo grata sint, & ad salutem nostram pertineant, moueri nõ possumus, nisi agamur à spiritu Dei. Augustinus in Euchiridio ad Laure. cap. 32 multa scribit, quæ ad istius conclusionis Paulinæ interpretationẽ faciãt. Ait enim, hæc illis maximè aduersari, qui statuũt, principiũ salutis nostræ ex nobis ipsis proficisci: quod illi certè docẽt, qui uolunt prædestinationẽ manare ex præuisis bonis operibus. Nam si ita esset, contra Pauli sententiam, esset uolentis, & currentis. Fatetur quidem Augustinus, neminem posse credere, sperare aut diligere, nisi uelit: sed hanc ipsam uoluntatem credẽdi, sperandi, diligendi, ait nõ esse, nisi à Deo. Vanum enim est, quod quidam dicunt, non sufficere hominis uoluntatem per se, ideoq; opus esse misericordia Dei: quasi bonum opus & ex nostra uoluntate, & ex gratia proficisci, & conflari debeat. Nam si ita esset, Paulus dicere potuisset, non esse miserentis Dei, sed uolentis hominis, & currentis. Nam iuxta hanc sententiam, nec gratia quidem Dei sufficeret, nisi ad illam se adiungeret uoluntas humana. Quod cùm nemo christianus satis piè aut debeat, aut possit dicere, restat, ut Paulus idcirco dixerit, nõ esse uolentis, aut currẽtis, sed miserentis Dei, ut intelligamus, illius gratiæ totũ esse tribuendum. Præcedit sanè, inquit ille, uoluntas nostra multa Dei dona: quoniam, cùm iustificati sumus, in dies augetur gratia, & uaria Dei munera conferuntur: non tamen omnia dona præcedit: quandoquidem ut sit bona, pendet à Deo. Atque inde est, quòd oramus Deum pro illis hominibus, qui sunt adhuc obstinati, atque impij: quod certè frustra fieret, nisi intelligeremus, positum esse in manu Dei, ut illorũ peruersa uoluntas immutetur. Idem Augustinus ad Simplicianum lib. 1 quæst. 2 exponens hunc locum, Non hoc, inquit, Apostolus dixit, quòd adiutorio Dei ad id, quod uolumus, perueniamus: sed ex ea intẽtione qua dicit alibi, Deus est, qui operatur in nobis & uelle, & perficere pro bona uoluntate: ubi satis ostendit, etiam ipsam bonam uoluntatem operante in nobis Deo fieri. Nam si eo sensu hoc dixisset, posset dici, non miserentis esse Dei, sed uolentis, & currentis hominis. Huc igitur Paulus respexit, ut doceret, nos nisi efficaci Dei uocatione non uelle: cùm illa uocatio sit effectrix bonæ nostræ uoluntatis. Et quamuis Deus multos uocet, illorum tamen dicitur misereri, quos efficaciter uocat. Ex uerbis igitur Apostoli, & iusta interpretatione Augustini colligimus, totum ascribendum esse Deo, quicquid à nobis rectè geritur. Chrysostomus hîc

Quomodo uolũtas diuina reueletur nobis quo ad prædestinationem.

Contra eos qui statuunt dei misericordiam ex æquo oblatam omnibus.

Nõ sumus trunci neque lapides.

Quomodo agamus acti à deo. Discrimen inter ciuilia & quæ ad eternam salutem pertinent.

Bona opera non sunt diuidenda ut pars nostra sit & pars Dei.

Voluntas nostra nõ præcedit omnia dei dona. Oramus pro obstinatis, quod sciamus esse in manu dei eorum conuersionem

se uehementer torquet: & quamuis superiora illa uerba concesserit esse Pauli, tamen hîc contendit esse ἀντίθεσιν. Quod quàm sit alienum à sensu Pauli, uerborum series ipsa declarat. Nam, quod nunc infertur, per interrogationem non inducitur. Sed nota illa igitur, satis declarat, hoc concludi ex illo oraculo, quod citatũ erat ex libro Exodi. Deinde uidebimus paulò post, Apostolum ex his, quæ dicta sunt, incipere cõmunicare cum aduersario de rebus propositis. Sic enim dicet postea: Dices ergo mihi, quid adhuc conqueritur? Voluntati enim eius quis resistet? Illa obijciũtur aduersus ea, quæ modò allata sunt. Hac enim de re aduersarius conqueritur, quòd non sit neque uolentis, neque currentis, sed miseretis Dei. Illi autem, qui uident, fieri non posse, quin hæc uerba dicantur sub persona Pauli, aiunt, illum quæstionem propositam non dissoluere, sed tantùm argumentari, & obiurgare. Nos uerò hæc argumenta, & has obiurgationes ipsissimam esse dicimus quæstionis dissolutionem. Nam si reprehenditur, quisquis aliam exquirit causam electionis Dei, præter eius misericodiam, & uoluntatem, profectò apertè constituitur, electionis posse nullam aliam dari causam: præsertim uerò, cùm diuinæ literæ præter hanc nullam agnoscant. Alij ut uerba ista Apostoli leniãt non est uolentis, neque currentis, contendunt id non accipiendum esse simpliciter, sed ex collatione: quoniam illud paruum est, & ut illi loquuntur, modiculum, quod nostrum est, & affertur à nobis, si cum opulentissima Dei gratia conferatur, iure optimo nihil dici potest, cùm tamen re uera sit aliquid. Atque hoc tropo eludere uolunt hanc Apostoli sententiam. Nos uerò rursus quærimus, illud ipsum, quod dicunt, modicum, ex se ne ipsis habeant an à Deo. Id à Deo esse, negare non possunt: Paulus enim ait ad Corinthios: Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Verùm aiunt, se id aliquo modo accepisse à Deo. hominem enim ab ipsa creatione id habuisse, ut libera potestate suo arbitrio uteretur: ut, cùm offertur gratia, eam accipere possit, si uelit: cùmq; pulsatur ostiũ cordis, Dominum, si uelit, possit admittere: cùmq; inuitatur, ut credat, si uelit, possit assentiri. Hoc, illud est modicum, & paruum, quod statuunt ab ipsa statim creatione in nobis esse positum. Hoc aiunt, Deum nobis reliquisse liberum: quasi cùm hominem creasset, & eum suæ potestati reliquisset, ire uoluerit ad cõuiuium Aethiopum, ut Homerus fabulatur. Sed longè aliter habet: Deus enim res, quas condidit, perpetuò regit, & mouet: nec eas unquam ipsarũ arbitrio committit. Verùm agamus fortius. Illud ipsum modicum, quo se dicunt assentiri, admittere, accipere, respondeant, quidnam tandem sit. Certè, cùm sint homines prædita ratione, nihil possunt respondere, quod nõ sit aut intelligentiæ, aut uoluntatis opus. Quod autẽ attinet ad intelligentiam, Paulus ait: Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei: imò ne potest quidem: quandoquidem illi sunt stultitia. De illis ergo rebus nihil cogitare possumus ex nobis tanquam ex nobis. Quare illud modicum, quod ad intelligentiam attinet, ereptũ illis est, nec in hominis potestate relinquitur. At si dicas in uoluntate tua esse positum ut uelis assentiri, & acquiescere, Paulus tibi se opponet: Nam ad Philippen. ait, Deus est, qui operatur in nobis & uelle, & perficere. Et Ezechiel Propheta ait, Deum esse, qui auferat cor lapideũ, & reponat cor carneum. Et Christus seruator noster ait: Sine me nihil potestis facere. Quare illud modicũ, siue in intelligentia, siue in uoluntate situm sit, his rationibus ostenditur non esse nostrum. Nam si daremus, illud ipsum esse ex nobis, quod isti toties inculcant, non excluderetur gloriatio: quiuis enim iustus, posset dicere de se, adeptus sum gratiam, quoniam illam oblatam accepi: & Deo promittenti credidi, quoniam sum assensus: & habeo Christum quoniam illum uenientem admisi. At Paulus clamat, excusam esse gloriationem nostram, non quidem per legem operum, sed per legem gratiæ, & fidei. Neque uerò negare possumus aduersarij, illud tantillum, quod uolunt tantopere stabilire, esse aliquod opus. At Paulus non ita excusit opera à iustificatione, ut illis relinqueret proximum locum à fide: sed ut ea, quod quidem ad uim iustificandi attinet, prorsus, & in uniuersum excluderet. Non enim solùm dixit, nos iustificari gratis, sed adiecit: sine operibus. Quare quod dicunt Pauli sententiam, simpliciter, sed ex collatione intelligendam esse, commentitium, & inane est. Sed scripturæ inquiunt, alibi sic loquuntur. Nam scribitur in Psalmo: Nisi Dominus ædificauerit domum in uanum laborant, qui ædificant eam. Et Paulus ad Corinthios ait: Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed Deus, qui dat incrementum. Hæc, inquiunt, certum est, ex collatione esse exponenda. Re enim uera & qui ædificat, & qui plantat, & qui rigat, facit aliquid: sed illud, quicquid est, quoniam parum est si conferatur ad opus Dei, idcirco illi dicuntur nihil esse, & frustra laborare. Quod ad priorẽ locum attinet, dicimus, Dauidem loqui de operibus ciuilib. in quibus cõcedimus, homines multũ sudare, atq; efficere. Frustra tamen illi elaborant nisi

Hîc soluitur quæstio proposita.

In nobis esse aliquid sed modicũ quidda nonnulli dicunt.

Illud autẽ modicum à deo se accepisse aiunt in creatione.

Deus non discedit à rebus conditis quin eas perpetuò regat, & gubernat.

Confutatur aliquid modicum in ijs rebus esse nostrum.

Si concedatur illud modicum nõ excluditur nostra gloriatio.

Illud tãtillum est aliquod opus.

Opera in uniuersum exclusa sũt à causa iustificãdi Pauli sententia, simpliciter est accipienda nõex collatione.

nisi Deus fauere velit illorum conatibus. Suscipiant Cæsar, Alexander, Cato quantum volunt laboris, aut in regno, aut in republica, omnia frustra cadunt, nisi Deus det successum. In altero loco Paulus agit de sancto ministerio Ecclesiæ. Nec ego hoc dabo aduersarijs ministerium Ecclesiasticum aut paruam rem esse, aut dici posse nihil. Est enim honorificum, & à sacris literis grauissimis verbis cõmendatur. Quod ergo ad munus attinet, nõ est nihil: ad cõferendam autem vitam spiritualẽ, vt Paulus ait, planè nihil est. Illam enim per se dare non potest nec perfectam, nec imperfectã. Minister quidem Ecclesiæ proponit verbum Dei, & sacramenta: ad vitam autem ipsam cœlestem cõmunicandam non attingit. Quare Paulus verè, ac propriè loquutus est, nec opus habuit tropo illo, quem isti fingunt, collationis. Deinde, facito, scripturam vti alibi his loquutionibus, an statim sequetur, id circo hanc quoque sententiam ita esse accipiendam: præsertim cùm demonstratum sit firmissimis argumentis, esse re vera neque volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Ideoq; electionẽ nostram, aut prædestinationem non ex nostris operibus constare, sed gratis, & ex misericordia Dei. Cæterũ adhuc argutantur, aiuntq; se, cùm victi sint rationibus non inficiari, nos eligi à Deo gratis: sed id non efficere, quin respectus aliquis habeatur ad opera præuisa. Ita enim aiunt, nos dicere cum Paulo, Vitam æternam esse gratiam: cùm tamen fateamur, Deum reddere vnicuiq; secundum opera sua. Quòd si Deus potest respicere opera, cùm vitam æternã det gratis, quid eum impediat, quò minus possit hominẽ gratis prædestinare, quanuis respiciat opera præuisa? Nos ad ista respondemus, vitam quidem æternam dari gratis: quę tamen sequatur bona opera non tanquã merita, sed tanquã gradus necessarios, per quos ad eam ab adultis perueniatur. Atq; hunc ordinem scriptura ipsa ponit. Opera autẽ vlla nostra ante ce dere prædestinationẽ, nusquam nos scripturæ docuerunt: imò contrà Paulus ad Eph. ait, ad hoc prædestinati sumus, vt simus sancti, & immaculati: & ad Timot. ait, se consecutũ esse misericordiam, vt esset fidelis. Cur igitur volunt isti ordinem peruertere, maximè cùm ipsorũ simile non conueniat? Nam vita æterna sequitur bona opera, non autem est illorũ efficiens causa. at prædestinatio est causa bonorũ operum. Deinde respectus ad bona opera in prædestinatione, vt diximus, seruari non potest in omnibus. Multi enim prædestinantur ad vitam æternam: multi deputantur ad æternũ exitium, qui nulla prorsus opera sint habituri, vt in paruulis apparet. Firmũ ergo est, & inconcussum, cùm venitur ad electionẽ, & infusionẽ spiritus, nihil esse in nobis, quo Deus adducatur, vt ista præstare velit. Nam in prædestinatione, vocatione, iustificatione nihil boni præcedit in nobis: glorificationẽ autem præcedũt opera bona. Eius rei ratio est, quòd non statim, vbi iustificati sumus, morimur: itaque spatiũ illud temporis, quod intercedit, oportet habeat opera, quibus fides nostra declaretur, & iustitia, quam per diuinã electionem sumus consecuti. Per voluntatẽ autem Paulus intellexit conatũ animi: per cursum autẽ, sancta opera in vniuersum, metaphora satis vsitata in scripturis. Paulus enim alibi de se scribit: Bonum certamen certaui: cursum consummaui: & ad Corin. Sic currite, vt cõprehendatis: & ad Gal. Bene currebatis, quis vos impediuit? Ex ista sententia duo debemus colligere: primũ, salutem, siue electionẽ nostram non esse volentis, nec currentis, hoc est non ex meritis nostris, sed ex Dei sola misericordia: quemadmodum Deus ait in cap. 9. Deut. Ne dixeris, propter iustitiam meam induxit me Dominus in hanc terram: Alterum est. Non esse volentis, vt velit: neque currentis, vt currat: sed eum hæc habere à Deo. Ita Paulus ad Corin. cùm dixisset, se plus omnib. alijs laborasse, subiecit: Non ego autem, sed gratia Dei, quę est in me. Securis non dicitur facere arcam, sed faber, qui illa vtitur: ita nos quoque instrumẽta sumus Dei & ad volendũ, & ad agendũ: sed Deus est, qui ista in nobis facit. Hîc obijciunt: Igitur non erimus domini actionũ nostrarum, si Deus sit, qui opera nostra facit in nobis. Isti non intelligũt, Deum creatorẽ tanta sapientia in omnib. rebus operari, vt eas non moueat, nisi eo modo, quo mouendæ sint. Quare cũ nostra voluntas ita sit à Deo facta, vt cogi non possit, non adigit eam Deus, vt inuita quippiã faciat: sed illi ex se ipso dat, vt vltro, & sponte faciat. Sumus itaq; domini nostrarũ actionũ, quatenus coacti nihil facimus. Excluſit igitur iam Apostolus & conatus, & opera nostra: non tamen eo consilio, vt viuamus otiosè. Quoniam autem hîc de prædestinatione, & æterna Dei electione agitur: ideo ista non sunt vlterius dilatanda, quàm locus ipse patiatur. Postquàm semel regenerati sumus, & habemus spiritum Dei, segnitiæ, atque socordiæ omnis prorsus tollitur occasio. In Ambrosij interpretatione hoc est annotandum, quod primùm fatetur, non in voluntate petẽtis, sed in arbitrio dantis esse debere id, quod poscitur. Quæ sententia si simpliciter acciperet, pulchrè nobiscũ faceret: verũ ille in aliũ longè sensum ista dixit. Statim enim subiecit, An enim dandum sit, dantis debet iudicio pensari, Dauid & Saul petũt

Quid de ciuilibus conatib. sentiendum.

Sacrũ ministeriũ & res magna est, & nihil est.

Tropus unius loci nõ semper cõuenit alteri.

Bona opera ultrà æternã sæpe antecedunt prædestinationẽ, haud possunt anteuertere.

Prædestinatio est causa efficiẽs bonorũ operũ, non uita æterna.

Prædestinatio & reprobatio sæpius est absq; operibus.

Cur opera bona in adultis præcedant uitam æternam.

Nos instrumẽta Dei sumus.

Voluntas humana cogi non potest.

Ob prædestinationis dogma nõ est otiosè uiuendum.

veniam: sed Deus iustè iudicauit, vter bono animo peteret, vter malo: & iustitia eius in iudicando euentu potest declarari. Quia cùm vterque illorum in graues regni necessitates incíderit, Dauid monstrauit dignitatem suam: qui eiectus à filio patienti animo casum tulit, neque passus est interfici Semei, quum sibi malediceret. Saul verò fractus aduersis rebus desperauit de Domino, & à spiritu malo per pythonissam iuuari voluit. Hęc declarant, Dei iudicium no fuisse falsum. Sic intelligit, Non esse volentis, neque currentis: quòd non sit satis velle, nisi Dei iudicium confirmauerit, eam voluntatem esse bonam. Verùm hæc interpretatio apertè pugnat cum illa particula, Sed miserentis Dei. Nam quod Paulus refert ad Dei misericordiam, iste retulit ad iudicium. Chrysostomus etsi putet hanc clausulam, Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei, esse antithesin sub aduersarij persona pronuntiatam, tamen qui, vt opinor, videt id non congruere, ita conatur hunc locum aliter interpretari, vt, etiamsi dicantur verba esse Apostoli, nihil tamen ex eo dicat sequi absurdi: Apostolum enim nihil aliud voluisse, quàm docere, totum non esse volentis, aut currentis: opus enim etiam esse gratia Dei: & idcirco non esse fidendum nostris operibus, & virtutib. Verùm nos iam satis antè docuimus, istam sententiam alienam esse. Nam qui sibi ipsis aliquid retinent, neque totum remittunt Deo, quanuis illud paruum esse & modicum videatur, tamē aduersantur sacris literis. Nam illæ apertissimè docent, quod ad hoc genus rerum attinet nihil esse in nobis positum. Cumq; Paulus dicat, gloriationem excluſam esse nō per legem operum, quum illud ipsum modicum, quod isti retinere volunt, non possit aliud esse quàm opus, verbis tantùm, & frustra dicunt, nihil esse, de quo possimus gloriari: re enim vera materiam gloriationis relinquunt. De his Chrysostomus infrà loquitur, quum interpretatur hæc verba, Quòd si Deus volens ostendere iram, &c. Itaq; apparet, tam ipsum, quàm alios occasionem interpretationis suæ sumpsisse ab Origene.

Dicit enim scriptura Pharaoni: In hoc ipsum excitaui te, ut ostendam in te potentiam meam, & ut annuntietur nomen meum in tota terra. Itaque cuius uult, miseretur: & quem uult indurat. Augustinus ad Simplicianum sic ista connectit cum illis quæ iam dicta sunt: Ostendendum fuit Apostolo, non esse hominis volentis, sed miserentis Dei. Idcirco inducit scripturam, quæ hoc testatur de Pharaone: nempe eum in hoc excitatum fuisse à Deo, vt in eo ostenderet potentiam suam. Præterea annotauit conclusionem hîc diuersam esse à superiori: Non enim hîc ait, Non esse nolentis & contemnentis, sed reprobantis Dei, vt antea dixerat, Non esse volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Eius diuersitatis hanc ego video rationem: quoniam opera mala merentur calamitatē, & exitium, bona autem opera non merentur felicitatem. Potest itaq; esse mali hominis, vt condemnetur, bene autem operantis non est, vt seruetur. Nec tamen idcirco sentire debemus, Deum ex malis operibus præuisis adduci, vt nolit alicuius misereri: id enim ex mera ipsius voluntate pendet. Nam quod ad peccatum attinet, non minus noxij illi offeruntur, quos decreuit eligere, quàm quos reprobare. Est autem dignum attentione, maiorem esse controuersiam de hac parte, quàm de superiori. Minus enim displicet hominibus, si dicantur prædestinari, atque eligi, quàm si odio haberi, & reprobari ex mera Dei voluntate, sine omni ratione meritorum: quum tamen de vtroque parem esse oporteat rationem. De Pharaone scribitur capite 9. Exodi: In hoc excitaui te, vt ostenderem in te potentiam meam. Ea idcirco dicebantur, quia Pharao, quò magis resistebat voluntati Dei, eò magis victrix Dei potentia, & manus reddebatur illustrior. Nam subinde plagis grauioribus affectus est, quoad cum omni suo exercitu in mari demergeretur. In his verbis à Paulo citatis primùm annotare debemus propositū, seu destinationem Dei. Declaratur enim hac loquutione, In hoc ipsum excitaui te, eam reprobationem manasse, non ex volente Pharaone, sed ab æterno proposito Dei. Deinde exponitur finis, cur fuerit reprobatus: nimirum vt in eo Dei potentia declararetur. Hunc autem finem semper debemus in animo retinere: illum enim Paulus in primis spectat, non solùm hoc loco, sed etiam infrà, cùm exponit, Cur Deus pertulerit vasa iræ: id enim ideo factum docet, vt ostenderet diuitias potentiæ suæ. Vtq; in summa dicamus, quicquid Deus agit, eò spectat, vt insignissimæ illæ, & nobilissimæ ipsius proprietates declarentur: quæ quum infinitæ sint, tamen ad duas præcipuas contrahuntur, ad bonitatem videlicet, & iustitiam. Hoc idem in creaturis etiam omnibus agnoscimus. Illarum enim opera nihil aliud sunt, quàm explicationes ipsarum naturæ, atque ingenij. Itaque maxima pars cognitionis rerum naturalium petitur ex effectis. Quum autem Deus sit perpetua ἐνεργία, vel, vt philosophi loquuntur, ἐντελέχεια, idcirco, quum perpetuò operetur, nunquam desinit se ipsum declarare. Et quoniam opera eius non temere, sed ex destinato proposito proficiscūtur, ideo Paulus monet nos, qui sint fines, quos sibi diuinum consi-

Conclusio à superiori diuersa.

Malè agentis est ut cōdemnetur, non autem bene operantis, ut seruetur.

Cur Deus nō reprobet ex malis operibus præuisis.

Hîc magis offenduntur homines.

Finis reprobationis.

Finis operū Dei est, ut ipsius nobilissimæ proprietates declarentur.

Opera creaturarum illarū naturam indicant.

consilium præstituit in agendo. Pharao dicitur excitatus à Deo in hoc. Id referre possumus ad primam eius creationem: quòd Deus eum idcirco cõdiderit, & extare voluerit, vt specimen esset iustissimæ suæ potentiæ. Potest etiam hæc excitatio intelligi de regno: quòd Deus illum euexerit ad tantam monarchiam. Possumus etiam non incommodè interpretari inter tot plagas alijs cadentib. & moriẽtibus, Deum voluisse illum supersedere ad eum vsq; finem, quem destinauerat. Videtur autem illud verbum spectare ad inobediẽtiam, & rebellionem, qua Pharao semper restitit mandato Dei: quasi dicatur, In hoc ipsum excitaui te, vt affligeres populum meum, & mihi resisteres, quò in te demõstretur potentia mea. Quẽadmodum autem Deus excitauerit Pharaonem, aut eum indurauerit, vt sibi aduersaretur, non idem videtur omnibus. Quidam enim id intelligunt de permissione, quòd nolint vllo modo Deum videri causam istius indurationis: verùm suprà ostendi, permissionem, si eius naturam bene excutias, ad voluntatem pertinere. Neque sacræ literæ obseruant illam distinctionem, quam isti fingunt: videlicet, bona opera fieri Deo volente: mala verò illa tantùm permittente. Nam in capite 6. ad Hebræos, vbi sermo est de profectu, & bonis operibus, additur, Hæc faciemus, si Deus permiserit. Nec non ad Corinth. priori, capite vltimo, in eodem sensu, idem legitur verbum. Ex quibus verbis & loquutionibus colligimus, permissionem esse Dei voluntatem: & eam pertinere etiam ad bona opera. Deinde Augustinus non videtur plenè assentiri illi distinctioni: Nam contra Iulianum libro quinto, capite tertio. Et de Gratia, & Libero arbitrio, capite 21. vti superius citauimus. Ait, Deum inclinare hominum voluntates, vel ad bona, pro sua misericordia, vel ad mala occulto quidem iudicio, sed tamen iusto: nec minus in animis hominum malorum agere, quàm in corporibus. Atque huic sententiæ sacræ literæ astipulantur. Nam Esaias capite 13. in persona Dei, Ecce, inquit, ego suscitabo contra vos Medos, qui de argento non cogitabunt, nec desiderabunt aurum: arcubus suis pueros configent, & fructus ventris non miserebuntur: nec parcet filijs oculus eorum. Hîc Deus non ait, se tantùm permissurum, vt isti grassarentur in populum, sed etiam minatur, se illos esse excitaturum. Et ab initio capitis, inquit, præcepi sanctificatis meis: Quo loco, Sanctificatis, nihil aliud significat, quàm destinatis. Et subiecit eodem loco: Et vocabo fortes meos. Et Hieremias scribens de eadem re, capite 51. Ecce, inquit, ego suscito contra Babel spiritum dissipantem. Et mox, Dicam ad eum, qui extendendo extendit arcum suum, & qui sese eleuat in lorica sua: non parcetis adolescentibus eius. Exterminate omnem exercitum eius. Et posteà, Excitauit Dominus spiritum regum Medorum: quoniam cogitatio eius est contra Babel. Atque in eodem capite declarat, Deum aliâs vsum fuisse opera Regum Babel ad perdendas alias nationes. Sic enim ait: Malleus tu meus fuisti, & arma bellica. Per te enim conquassaui gentes, & per te perdidi regna. Illos tamen in istis operibus, ad quæ alioqui excitãtur à Deo, peccasse, ex eo patet, quòd quanuis qui ab illis affligebantur, meritò à Deo punirentur, tamen isti non id agebant, vt placerent Deo, sed tantùm vt exaturarent odia sua, & exercerent ferociam, & cupiditati, atque ambitioni satisfacerent. Id Esaias capite decimo, diligenter expressit: Assur, inquit, virga furoris mei, & baculus iræ meæ in loco istorum. Ad gentem simulatricẽ mittam eum, & ad populum indignationis meæ: præcipiam ei, vt rapiat spolia, & vt diripiat prædam, & ponat eum in conculcationẽ, quasi lutum platearũ. Ipse autem non sic arbitrabitur: nec cor eius sic cogitabit. Sed est in corde eius, vt extirpet, & succidat gẽtes non paucas. Dicit enim, An nõ principes mei pariter sunt Reges? Hęc satis docent, Deũ non tantũ sinere, aut, vt isti dicunt, permittere peccata, sed etiã præbere occasiones, quibus animi impiorum hominũ irritentur. Immittit etiam interius cogitationes vehementes: quæ, quanuis ab animo bono trahi possint in bonã partẽ, tamen ab animo vitiato corrũpuntur, & rapiuntur ad malũ: idq; futurũ esse, Deum, qui eas vel per se ipsum, vel per Angelos, vel per diabolũ immittit, nõ latet. Potuit fortasse Deus excitare in Pharaone vehementẽ cogitationẽ de tuendo regno: quæ cogitatio si animus eius fuisset bonus, cõuerti potuisset in bonã partẽ: quoniã autẽm animus eius fuit malus, nec erat à Deo immutatus, ideo ea cogitatio incitauit eum ad iniustè sæuiendũ in Hebræos. Quare veritus, ne nimiũ augerentur, & viribus, ac numero vincerent Aegyptios, primùm Hebręorũ paruulos iussit crudeliter occîdi: deinde timens, ne dominatus sibi, quem in Hebræos acceperat, eriperetur, néue illi se per Mosen assererent in libertatem, apertè restitit verbo Dei. Quoq; magis magisq; Dei iussa proponebantur, eò magis illa cogitatio de retinendo dominatu intendebatur: atque ita quodammodò per ἀντιπερίσασιν obdurabatur. Sic Pharao intelligitur excitatus ad resistendũ Deo.

In quibus rebus Pharao dicatur à Deo excitatus

ἀντιπέρισασις.

Tyranni peccãbant, dum Hebræos affligerẽt Dei uoluntate.

Nota de Pharaonis excitatione.

Vt annuntiaretur nomen meum in tota terra. Quum dicit, totam terram, vnà cum Iudæis

complectitur exteras nationes. De Iudæis dicitur in 14. cap. Exodi: Viderunt filij Israel manum magnã, quam exercuerat Dominus contra Aegyptios. Deinde illa victoria celebrata est à Mose, & Maria insigni epinicio. Quod ad exteras nationes attinet, scribitur in libro Iosue, cap. 2. Rahab meretricẽ ethnicam dixisse explotatoribus Hebræorum: Audite sunt hîc virtutes, & plagæ, quæ factæ sunt in Aegypto à Deo vestro: & conterriti sunt nimis.

Nomẽ Pharaonis

Ambrosius annotauit hoc loco, nomen Pharaonis non fuisse proprium, sed potius cognomen omnium Regum Aegypti: illos enim tum omnes dictos fuisse Pharaones, vt posteà dicti sunt Ptolemæi, quum Macedones rerum potirentur: quemadmodum Romanorum Imperatores dicti sunt Cæsares, aut Augusti. Et re vera constat, alium fuisse Pharaonem Regem Aegypti, quum Iosephus eo descenderet, alium autem istum, de quo nunc agimus, cuius odium, & crudelitas erga Hebræos describitur in Exodo. Vnde autem vox ea ducta fuerit ab initio, sic possumus coniectura consequi. Verbum פרע hebraicum, inter alia significat, vlcisci præsertim in Hiphil. Existimo igitur sapientes Aegyptiorũ vetustis illis temporibus illo cognomine significare voluisse, cuiusmodi esset functio & potestas Regia: nimirum, principem esse ministrũ Dei: qui, vt Paulus ait ad Romanos, gladium gestet, & vindex sit in eos, qui malè faciant. Quare Rex Aegypti, quoties nomen illud suum audiebat, redire potuit in memoriam, scelerum, & flagitiorum vltionem ad munus suum pertinere: subditi autem ea appellatione perculsi in officio continerentur: si tamen Aegyptiaci vocabuli etymon liceat ex hebraica lingua petere. Et cùm Apostolus subijciat:

Dicit enim scriptura, monere videtur, hæc in Ecclesijs non esse reticenda. Nam quum Deus voluerit, ista tam diligenter literis consignari, voluit etiam haud dubiè ea in Ecclesijs doceri: quod vehementer facit contra eos, qui de prædestinatione putant nihil doceri oportere. Augustinus quidem prædestinationem censuit esse prædicandam: sed ita tamen, ne animi auditorum alienentur à pietate. Et certè si de illa tradamus, quantum habetur in sacris literis, incitabũtur homines, vt de se moderatè sentiant, & vt magnificè de Deo: vtq; illi perueniunt, intelligant, quid ipsi fuerint commeriti, si Deus voluisset summo iure cum ipsis experiri. Neque aliò spectauit Paulus, cùm hoc exemplo Pharaonis vteretur, quàm vt doceret, Deum idem habere ius in omnes homines, quod hîc testatur, se habuisse in Pharaonem. At que hinc oportet colligere, quanuis prædestinatio, & reprobatio neminem cogant, tamen à finibus, quos Deus cõstituit, neminem posse declinare. Nam de Pharaone perspicuũ est, illum neque flagellis, neque portentis potuisse ab obstirmata sententia dimoueri. Videre etiam possumus, Non esse volentis. Nam quàm diu homines sunt obstirmati, & abhorrent à pietate, nisi mutentur à Deo, certè ipsi per se suis viribus nunquam possunt exurgere. Verbum hebraicum, quod hîc habetur, est אעמיד חיך. à verbo עמד id autem significat stare. Sed in coniugatione Hiphil est, facere stare, aut erigere, aut constituere: quanuis multi illud interpretati sint, Seruare: quasi cadentibus, & morientibus alijs, Pharao conseruatus fuerit, & manserit. Atque hanc interpretationem sequitur Chaldaicus paraphrastes: eamq; septuaginta interpretes amplexi sunt. Sic enim transtulerunt: ἕνεκεν τούτου διετηρήθης ἕως τοῦ νῦν. Sed ad Pauli propositũ id magis facit, quod nos secuti sumus: videlicet, Deũ ad hoc ipsum contra se stare fecisse Pharaonem. Sed quocunq; modo sumatur, referendum est ad prædestinationem, & propositum Dei. Deus enim nihil temere, aut casu agit: sed omnia certo, & præstituto consilio. Et quemadmodum præcipuos quosdam scribitur prædestinasse antequàm nascerentur (sic enim Esaias ait, cap. 49. Dominus ex vtero vocauit me: & de ventre matris meæ recordatus est nominis mei: Et Dominus apud Hieremiam, cap. 1. Priusquàm te formarem in vtero, noui te: & antequàm prodires ex ventre, sanctificaui. Et Paulus ad Galatas: Qui me segregauit ab vtero matris meæ) Sic etiam sentiendum est de improbis: Deum videlicet, etiam eos ad finem suum destinasse, neq; temere cum illis agere. Hoc exemplo proposito, Apostolus concludit.

Contra eos, qui nollent de prædestinatione quicquam doceri.

Prædestinatio et reprobatio certa sunt, quãuis neminem cogunt.

Deus omnia præstituto cõsilio agit, nil temere.

Igitur cuius uult, miseretur: & quem uult, indurat. Contendunt quidam, hanc esse obiectionem sub persona aduersarij: sed filum ipsum orationis, si diligenter inspicias, hanc interpretationem non feret. Statim enim post hæc verba Apostolus ipse obiectionem addit, ita scribẽs:

Dices ergo mihi: quid adhuc conqueritur? Nam uoluntati eius quis resistit? Cùm ergo Apostolus ipse distinctè, & perspicuè ostẽdat obiectionẽ, quid oportet anteuertere, & seriem orationis de industria perturbare? Quiuis, nisi qui spõte cæcutiat, & videre nolit, intelligere potest, proximam obiectionem adferri aduersus ea, quæ modò cõclusa sunt. Verùm in his verbis ordine eo, quo debent, acceptis, hoc est annotatione dignum: Scripturam diuinam, quum de

Vti Deus ab æterno quosdam prædestinauit, ita etiam aliquos reprobauit.

Dei

Dei iudicijs agitur, vti horribilibus, & atrocibus vocibus: cuiusmodi sunt hîc de Pharaone hęc hebraica. קשה הורסך בד Et in alijs locis, facere errare, seducere, excęcare, impinguare cor, tradere in reprobum sensum, & in affectus ignominiosos, & alia similia: quibus verbis, cùm spiritus sanctus velit homines magno terrore, & consternatione animi vereri iustitiam, & vindictam Dei, qui illa fictis interpretationibus extenuare, & lenire volunt, quasi Deus ad ista nihil faciat, sed tantùm, vt aiunt, sinat, & permittat, videntur de industria diuino consilio aduersari. Vult Deus ostẽdere, quàm horribiles, & calamitosas pœnas infligere soleat, non tantùm corporibus, sed etiam animis impiorum: isti verò ea quantùm possunt maximè obscurant. Verum quidem est, legi in libro Exodi, non tantùm induratum esse, & aggrauatum esse cor Pharaonis, sed etiam ipsum Pharaonem induratum esse cor suum: atqui ista maximè ad rei explicationem faciunt: tantùm abest, vt inter se pugnent. Verum enim vtrunq; est: & Deum induratum esse cor Pharaonis, & Pharaonem ipsum induratum esse cor suum. Habuit enim Pharao, vt quiuis alius habet, ingenium peruersum, & corruptum: ex quo, tanquam ex seminario, oblata occasione omnia peccata erumpunt. Quum ergo Deus destituit homines suo auxilio, eosq; relinquit in tam deprauato statu, si posteà obiecerit occasiones, quibus animus irritetur, negari non potest, esse eum aliquo modo, non tamen propriè causam erumpentium actionũ. Quando igitur Deus dicitur indurare, aut tradere in cupiditates, non intelligimus, eum de suo instillare in homines nouam malitiam, aut peccatum. Quidam, cùm audiunt huiusmodi voces, imaginantur, Deũ id agere, quod homines solent, cùm implent inania vasa: quasi homo peccatũ non habeat, sed Deus id illi extrinsecus infundat: sed longè aliter se res habet. Homo enim nascitur, & cõcipitur in iniquitatibus: quis ergo esse potest peccato vacuus? Hoc nobis tanquam firmum, & à sacris scripturis iactum fundamentũ omnibus modis tuendum est. Iam cùm homo talis sit, hoc est, filius iræ, & sub maledicto positus, nisi peculiari gratia, & spiritus auxilio per Christum sanetur, vitiorũ, & malitiæ in se ipso abundè habet. Aliud etiam argumentũ habemus, quod etiam philosophi viderunt: videlicet, Deũ, cùm sit simplex, & purus actus, perpetuò omnia mouere, neque quicquam sinere esse otiosum. Quoniam autem omnia sapientissimè regit, non mouet res nisi iuxta conditionem naturæ, quam res quæq; habet, si de cõmuni & vsitata orbis administratione loquamur. Cœlum torquet in circuitum, quòd is motus illi sit aptissimus: & eodem modo mouet, & impellit alias creaturas. Ita fatendum est, hominem moueri à Deo iuxta naturam suam: nempe vt ratione agat, & voluntate, atque ita, vt eius arbitrium non cogatur: sed quicquid agit, vltro, ac sponte agat, siue bonum illud sit, siue malum. Itaq; quoniam in nostro genere aliqui liberati sunt, & gratia spiritu q; redempti à corruptione eius massæ, quæ contaminata est in Adamo, alij autem cùm relicti sint in peccatis, & vitio sint obnoxij, idcirco Deus, cùm perpetua agitatione omnia incitet, vtrunq; istud genus hominum ad agendum impellit, nec alterutrum sinit esse otiosum. Quare homines iustificati, & præditi spiritu Dei rectè mouentur, & Deo grata faciunt, quantum huius vitæ conditio patitur, ex ingenio, scilicet emendato vi gratiæ, & fidei. Sed qui regenerati non sunt, etiam illi perpetuò incitantur: & quanuis moraliter, & ciuiliter aliqua bona interdum faciant, nihil tamen, quod Deo placeat, præstare possunt: imò, quicquid agunt, semper peccant. Peccatum autem illud iam, vt opinor, satis apparet, quemadmodum & ad Deum pertineat, & ad illos. Verum ergo est, & Deum induraſſe cor Pharaonis, & illum cor sibi ipsi induratum esse. Quod, vt magis sit perspicuum, illustrabimus hoc simili, quo etiam D. Lutherus est vsus. Facito aurigam esse aliquem, qui multos habeat equos, eosq; perpetuò stimulet, nec patiatur esse otiosos: illi agitati mouebuntur: & quicunq; sunt integri, & sanis cruribus, & pedibus rectè gradientur: at si qui ex illis sint claudis, & morbosis pedibus, gradientur etiam illi, cùm incitãtur, sed tardè, ac turpiter: nam claudicabunt. At claudicatio illa non esset, nisi agerentur. Quiescentib. enim equis claudicatio non cernitur. principiũ tamen claudicationis, hoc est, morbum, aut debilitatẽ crurum equi ipsi in se habent, non acceperunt ab auriga. Ita Deus, quoniã nos perpetuò agitat, & incitat sua energia facit nos incurrere in diuersas occasiones, quibus, cùm simus mali, bene vti non possumus. In hoc autem simili hoc discrimen animaduerti debet, in manu Dei situm esse, vt liberet nos à peccato natiuo, liberali sua gratia, & spiritu, cùm positũ non sit in potestate aurigæ, vt sanet vitiosos pedes equorum. Hoc præterea tribuitur diuinæ sapientiæ, vt vitia sic producta, dirigat in optimum finem: & his malis abutatur, tum ad salutem electorũ, tum etiam ad illustrandã potentiã suam. Quod Ambrosius, vt declaret, vsus est simili à medicis, qui damnatorũ hominum supplicio vtuntur ad iuuandos homines. Incîdunt enim illorum corpora, spectant, & explorãt intestina, & omnia rimantur, vt intelligant morborũ princi-

Dura uerba, quibus Deus cũ reprobis utitur.

Deus non tantũ corporibus, sed animis impiorũ grauissimas pœnas infligit.

Et Deus induraſſe Pharaonem, & ipse se ipsum

Nota diligenter hanc explicationem.

Non instillat Deus in homines nouam malitiam.

Homo nascitur in iniquitate atque peccato.

Deus nihil otiosum in mundo sinit.

Homo à Deo mouetur iuxta suã naturam.

Alieni à Deo quid agunt, peccant.

Simile.

Sapientia diuina peccata dirigit in optimum finem.

pia,& posſint posteà alios curare. Tria autem sunt in his Apostoli verbis potissimùm expendenda. Primùm ait, Non esse volentis, neque currentis, sed miserentis Dei: Deinde addit, In hoc ipsum excitaui te: postremò, cuius vult miseretur, & quem vult indurat. Istæ omnes loquutiones magnum habent pondus, vt nos reuocent à consideratione meritorũ nostrorum, ad simplex, & merum Dei placitum. Cumq; audimus Deũ indurare, nihil aliud intelligere debemus, quàm effectum iræ, & vltionis Dei: siue ea à Deo ipso, vt loqui solent, immediatè, siue per diabolũ, siue per homines malos, exerceatur. Ista enim omnia nihil possunt efficere, nisi quantum illis à Deo conceditur. Tam ergo verum est, Deum indurare quem vult, ad declarandam potentiam suam, quàm verum est, quod Solomon ait in Prouerbijs, illum facere impium in diem malum. Chrysostomus ait, hoc exemplum Pharaonis cum priori rectè conferri. Quemadmodum enim Moses videre non poterat, cur alij qui ex populo Israelitico interficerentur, quum alijs in eadem causa peccantibus ignosceretur, ita nunc ab hominibus videri non potuit, cur vnus Pharao delectus fuerit, in quo Deus iudiciorum suorum seueritatẽ ostenderet. Multi enim erant alij, qui Deo non minus, quàm ille aduersarentur. Posteà addit, Apostolum potuisse Iudæorũ exemplo id confirmare, quod instituerat: sed eum magna prudentia id in Rege barbaro, & alieno à populo Dei ostendere voluisse, quod illi posteà in se ipsis animaduerterent. Deinde ait, id quod dicitur, Deum induraſſe, nihil aliud significare, quàm Deum magna bonitate, patientia, & lenitate Pharaonẽ pertulisse. Quod ad primũ attinet, exemplũ istud de Pharaone cum illo priori de Mose rectè coniunctũ esse nõ inficior: etsi illa verba ad Mosen facta, aliter fuerim interpretatus. Verùm Deum in illis aut dignitatẽ, aut indignitatẽ spectasse, id pernego. Quod cùm iam antea satis à nobis copiosè refutatũ sit, hoc loco reuocari non oportet: Sed vtrum, Indurare, sit misericordia, & bonitate vti erga aliquem, mox videbimus. Prius tamen operæpretium arbitror esse referre, quid de hac re Origenes senserit. Nam ab illo, tanquã à fonte, alij videri possunt traxisse erroris sui initia. Adfert ille simile de patrefamiliãs, qui multos habet seruos. Is, cùm videat, illorum diuersa esse ingenia, primùm omniũ ea studet cognoscere, vt cuiq; munus idoneum pro sua cuiusq; conditione cõmittat. Atque ideo, quos videt idoneos esse ad agriculturã, eos rus emãcipat: quos aptos ad mercaturã, eos ablegat ad forum: quos posse pecus pascere, eos curat pastores fieri: quos autẽ videt aptiores fore ad mẽsam, & ad cubiculũ, domi retinet. Interea quoniã videt, propter seruile ingeniũ, quo prædíti sũt, illos interdum cõmissuros esse, vt opus sit flagellis, ad hoc præstandũ requirit eiusmodi ingenia, quæ sua sponte ferantur ad crudelitatẽ: vt cùm castigatione sit opus, habeat aliquem ad manum, qui multò durior sit, quàm illi, qui sint corripiendi: quiq; pro suis sceleribus non tam emendatione, quàm morte dignus sit: cuius tamẽ interitũ postremò velit proficere ad emendationẽ cæterorũ. Itaq; cùm illum mittit ad sumendam vltionẽ, ita inquit: Ad hoc ipsum excitaui te: Ideoq; ait, Paulum nõ scribere, Ad hoc ipsum feci te: ne culpa videretur referri ad conditorẽ: sed Deum voluisse malitiã illam, quam sibi ipsi Pharao acquisierat, esse alijs fructuosam. Induraſſe autem eum ait cor Pharaonis, quòd noluerit subitã, & plenã de eo vindictam sumere, sed potius vti plagis paulatim ingraueſcentib. Hac enim Dei patientia & bonitate Pharaonẽ fuisse obduratũ. Hęc Origenes in hæc verba: cui ego duobus potissimùm in locis non subscribo. Primùm, quia hanc indurationem à Deo in vniuersum retorquet, & totam transfert in Pharaonẽ: Deinde, quia eum ait patientia, & bonitate Dei fuisse induratũ. Prætereo quòd videtur etiã asserere, Deum elegisse Pharaonẽ, vt talia exempla in eum ederet, quòd esset durissimus, & inemendabilis. Id enim alienum est à libera reprobatione Dei: quæ, vt Paulus ait, proficiscitur à Deo sine vllo respectu operum. Commentaria etiam, quę adscribuntur Hieronymo, eadem ista adferunt: & assignant rationem, quare Deus voluerit præ alijs omnibus deligere Pharaonẽ, in quo tam seueriter iudicia sua patefaceret: nimirum, quòd iam mensuram peccatorum suorum impleuisset: quod de Sodoma, & Amorrhæis legitur. Atqui hoc est statuere, reprobationem manare ex operibus malis. Addunt præterea, Deum prospectum voluisse Israelitis suis interitu Pharaonis, ne hujus mundi tyrannos extimescerent, cùm Regem tam potentẽ viderent sua causa à Deo esse prostratum: vtq; iustitiam Dei semper habentes in oculis, cauerent sibi ab omni scelere. Superest iam, vt Pighium audiamus: qui sententiam Origenis, aliorumq;, quos retulimus, omnino suscepit defendendam. Addidit autem ille Origeni ferè nihil, nisi fucum, & sophisticen: vt error pictus, & coloratus esset aliquantò vendibilior. Primũ ait, neminẽ oportere cogitare, Deum induraſſe Pharaonẽ: ita enim videri posse, ereptam illi fuisse libertatẽ, nec illum fuisse causam peccati sui: quodq; de illo dicitur, idem de alijs quoq; esse constituendũ.

Deum indurare quid significet.

Alij erãt, qui nõ minus Deo aduersabantur, quàm Pharao,

Excitauit Pharaonẽ, quòd sta tim pauire noluerit, inquit Origenes.

Dicitur Pharao iam mensuram peccatorũ suorum impleuisse.

Interitu Pharaonis Deus prospexit Israelitis,

In sum-

In summa non vult, homines destitui libero arbitrio: nam id si detur, Deum fore iniustum, qui homines puniat sine illorum culpa. Hæ videlicet sunt rationes, propter quas, dum huic loco nititur satisfacere, negat, Deum cor Pharaonis induraſſe. Sed quod ad primũ attinet, rem aut dissimulat, aut non intelligit. Non erat autẽ difficile videre, quomodò illa indu-ratio, & à Deo, & à Pharaone esse potuerit. Pendet enim ab vtroque, vt suprà multis expli-cuimus. Itaque nec Pharao, nec quisquam alius impius, quum sic tractatur, potest excusari. Quòd autem dicit, ereptam fuisse Pharaoni libertatẽ, nec illum potuisse aliter facere, quid necesse erat, vt id Pighius tãto per exaggeraret, cùm Paulus ipse idem sibi obijciat? Sic e-nim ait: At dices mihi, quid adhuc conqueritur? Voluntati enim eius quis resistit? Quare quod Pighio absurdum videtur, orthodoxũ est, & catholicum: nimirum, liberum arbitriũ, etsi in rebus moralibus aliquid possit, tamẽ in rebus sanctis, & cœlestibus, & quæ Deo pla-cere possint, nihil posse, nisi sanetur. Nam Paulus ait, quod impossibile erat legi, quatenus infirmabatur per carnem. Et ad Hebræos scribitur de peccato in spiritum sanctum, Impos-sibile esse, eos, qui semel illuminati fuerint, gustauerintque donum Dei, si semel prolaban-tur, postea reformari per pœnitentiam. Quid hîc dicet Pighius? Nónne audit auferri li-bertatem? Mirum verò est, quomodò dicat, Deum visum iri iniustũ, si talem indurationem puniat, quam ille vitare nõ potuerit. Nam si ea ratio valere debeat, nõ posset Deus sine ma-gna nota crudelitatis, & iniustitiæ punire peccatum originis: quod certè nemo nostrũ po-tuit nascendo euitare. Istæ ergo rationes, cùm ita sint infirmæ: probare non possunt, Deum non induraſſe cor Pharaonis. Iam, quum Paulus, & sacra scriptura vtatur verbo, Indura-di, videamus, quemadmodum illud Pighius extenuet. Primùm ait, Deum omnibus ho-minibus æqualem se patrem exhibere: hoc est, clementem, benignum, patientem, lenem in tolerandis peccatis: atque ea benignitate quosdam adduci, vt conuertantur, & agant pœ-nitentiam: alios autem eadem illa benignitate abuti, & indurari. Ita enim ait calore Solis eodem, & vno limum indurari, ceram liquefieri. Diuersitatẽ autem istam pendere à nobis, ostendere vult ex epistola ad Hebræos, cap. 4. Sic enim ibi scribi: Siquidem terra, quæ im-brem in se sæpius venientem combibit, & progignit herbam commodam ijs, quorum ope ra colitur, recipit benedictionem à Deo: quæ autem producit spinas, & tribulos reproba est, & obnoxia maledictioni: cuius exitus tendit ad combustionem. Ecce, inquit, vnus, at-que idem est imber, fertilitatem afferens: sed pro diuersitate terræ longè diuersus est suc-cessus. Hæc enim dat bonas fruges: altera autem spinas, & tribulos. Sic, inquit, bonitas, patientia, lenitas Dei vna omnibus exhibetur, sed ea alij conuertuntur: alij suo vitio indu-rantur. Discrimen ergo, inquit, in illis est, non in voluntate Dei. Posteà explicare vult ra-tionem loquutionis, & ostendere, quomodò Deus dicatur indurare. Sæpe fit, inquit, vt aliquis benignus, & humanus dominus, cùm videat indulgentia, & lenitate sua seruos fieri deteriores, ad extremũ excandescens ita exclamet, Ego ipse sum, qui vos perdidi: ego ipse vos corrupi. Atqui ille istis verbis nihil aliud vult significare, quàm se illos nõ castigasse: at-que ita illos ea lenitate factos fuisse deteriores. Putatque similem phrasim haberi in hac epi stola ad Romanos: sic enim Paulum scribere, An diuitias bonitatis eius, & patientię, & lon ganimitatis contemnis? An ignoras, quòd benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem secundum duritiem tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ. Hic, inquit, vides distinctum opus Dei ab opere nostro. Dei opus est, patientia sua, & bo-nitate, & longanimitate nos adducere ad pœnitentiam: Impij verò opus est, abuti ea leni-tate, & sibi thesaurizare, hoc est, coaceruare, atque recondere iram Dei. Atque hac ra-tione iudicat intelligendas esse sententias Prophetarum, quales sunt: Quare seduxisti nos Domine? induraſti cor nostrum, ne timeremus te? &, Cur decipiendo decepisti popu-lum tuum? quasi Prophetæ querantur, Deum fuisse nimis lenem, & nec puniuisse, nec ca-stigasse populum: atque idcirco illos ita euasisse vitiatos, & corruptos. Ita enim dicimus, e-quum corrumpi, nisi freno frangatur, & dometur: ita pater dicitur corrumpere liberos, ni-si eos, quum opus sit, castiget, & puniat. Et dicere solemus illis, qui ita faciunt, Cur per-dis equum? Cur corrumpis liberos? Atque ad hunc modum putat, Prophetas conque-stos fuisse cum Deo. Absurdum autem est, & alienum à vero, quòd sumit, bonitatem Dei eandem propositam esse omnibus, vt discrimen in hominibus tantùm sit, non autem in Deo. Alios enim amplecti bonum oblatum, alios illud respuere, atque obfirmari. Nam contrà potius in hominibus æqualitas, & paritas constituenda est, vt qui ex eadem massa oriundi parem liberi arbitrij conditionem habeant, & ipsi per se non possint rectè facere. Quum ergo hæc infirmitas, vel potius impotentia ex æquo sit in omnibus discrimẽ in gra-

Pighius iniustũ Deum facit libero arbitrio de-iecto.

Negat Deũ cor Pharaonis indu raſſe.

Liberũ arbitriũ nisi sanetur in rebus diuinis, & cœlestibus nihil potest.

Punitur peccatũ originis, quod e-uitari nõ potest

Simile.

Dei bonitas non æqualiter omni-bus tributitur.

In hominũ natu-ra est æqualitas.

Non omnes eadem ui & efficacia trahuntur.

tia, vt in mouenti, & efficienti causa constituendum est: quòd non eodem modo trahuntur omnes. Duplex enim est vocatio, altera efficax, altera communis. Ridicula autem est illa similitudo de cera, & luto. Nam post lapsum Adami ista distinctio non cadit in liberum arbitrium. Non enim ex omni hominum genere alij sunt cerei, alij lutei. Deus enim, vt Paulus ait, ex eodem luto fingit vasa sua: & pro ratione artis suæ eidem luto diuersas imponit formas. Neclocus ille ad Hebræos ad huius institutum quicquam facit. Ibi enim scriptura hortatur homines, qui verbum Dei sæpe audiunt, vt sanctè viuendo studeant esse fructuosi: quod si fecerint, eos Dei benedictionem adepturos: at si malè viuant, & semen verbi Dei corrumpi apud se, & inutile fieri patiantur, eos maledictioni fore obnoxios. Ad quam rem illustrandam vsus est pulcherrimo simili sumpto à terra. Non est ergo eo loco sermo de libero arbitrio, & gratia, sed de verbo Dei, & hominibus, qui Christum in Ecclesia profitentur: quos Deus hortatur, ne sint temporarij, & solo nomine Christiani. Quod idem Christus voluit in parabola de semine facto partim in bonam terram, partim in petrosam, partim in spinas, partim in viam publicam. Describitur itaque sors imbris verbi Dei, quòd non semper cadat in homines bonos, & Dei gratia, ac spiritu reformatos. Possemus ergo dicere, terram bonam electos esse, terram autem sterilem esse reprobos. Terra autem. vt habet imbrem à cœlo, ita ab eodem habet fertilitatem, & sterilitatem. Ita Deus est, qui nobis snppeditat, & verbum suum, & gratiam fidei, qua ipsum vtiliter percipiamus. Quod autem Pighius, esse phrasim vsitatam, vt bonus, & clemens dominus dicat seruis, eius lenitate abutentibus, Ego ipse vos corrupi: Ego ipse vos perdidi, id equidē non nego. Sed illum probare oportuit, Paulum hoc loco ita loqui. Nam quum Deus intelligatur aliter indurare corda hominum, iste tropus non facilè conueniet cum verbis Pauli. Primùm enim valde dura est orationis inuersio, si pro eo, quod Paulus dixit, Deus indurat cor Pharaonis, nos dicamus, Deum prorsus explodendo, Pharao indurat cor suum, quum abutatur bonitate Dei. Præterea si, vt Pighius putat, idem sit indurare, quod benefacere, misereri, & clementiam exhibere, non erit patris bene & clementer gubernantis, condonare peccata, adoptare in filios, & dona varia largiri, sed castigare, & punire. Atque ita sequentur multa absurda. Nam quum Deus abegit filios Israel, in captiuitatem, dicetur, misertus illorum, quoniam eos puniebat. Quúmque illos reduceret ex captiuitate, quoniam illis bene faciebat, dicetur eos induraſſe. Ita mittere filium suum in mundum, quod erat incredibilis clementiæ argumentum, erit mundum indurare: & per Titum, & Vespasianum Hierosolymam perdere, atque euertere, erit Iudæorum misereri. Ita glorificatio sanctorum pertinebit ad indurationem, & supplicium inferni ad misericordiam. Quúmque Deus omnibus benefaciat, pluat super iustos, & iniustos, & Solem suum oriri faciat super bonos, & malos, si sequemur Pighium, dicetur omnes indurare. Ad hæc quis negare poterit, Pharaonē fuisse percussum à Domino, & castigatum? præsertim quum tot plagæ numerentur, quibus Deus eum percusserit? Atqui eo tempore maximè, vt Pighius somniat, Deus misertus eius esset, non autem eum induraſſet. imo quanuis Deus dicatur interdum induraſſe cor Pharaonis, quum plagas illas remoueret, tamen si historiam Exodi diligenter legas, inuenies eadem dici, quum Pharao percuteretur, & plagæ inducerentur. Nam quum immitterentur pediculi, & Magi non possent idem facere: cùm pecora peste occiderentur, quumq; vbique ita pustulis laboraretur, vt ne Magi quidem ipsi possent euadere, nominatim adscribitur, induratum fuisse cor Pharaonis. Postremò Paulus ait, diligentibus Deum omnia cooperari in bonum. Quare siue illis prospera, siue aduersa immittat, semper illorū miseretur, neque vllo modo dici potest, illos indurare. Neq; quicquam proficit Pighius, cùm, quasi Deum velit excusare, eum indurare dicit, cùm nolit puni re eos, qui merentur pœnas. Nam ne hoc quidē pacto, si consulas humanam rationē, Deus effugere potest suspicionem crudelitatis, & iniustitiæ. Nam si lenitas illa noxia est, idque Deum non latet, cur eam adhibet? Non ne videri possit pater iniustus, si filios suos in tempore non castiget? Tolerat quidem multa Deus, idq; non inuitus, sed sua voluntate. Quòd si id tolerat, & vult, quod nostræ saluti aduersatur, quomodò non videbitur resistere saluti nostræ? Sed dedit, inquies, liberum arbitrium. At ratio dicet, O Deus, quicquid vel castigando, vel indulgendo egeris, nihil est, nihil est, nisi me prius immutaueris, & pro corde lapideo, cor carneū reposueris. Frustra sibi isti fingūt, Deum cōmunem quandā gratiā proponere omnib. vt eam accipere possit, qui velit: quasi in nostra sit potestate, vt eam aut amplectamur, aut reijciamus. Nam si ita esset, à nobis esset initiū salutis nostrę: atq; ita, dū arbitrij nostri libertatē volumus conseruare, Deū ipsum sua electione, & libertate expoliamus.

Parabola Christi de semine.

Terra bona sunt electi.

Tropus Pighij non cōuenit uerbis Pauli.

Quæ ad misericordiam & clementiā pertinēt

Pighius frustra Deum excusat.

Pater dicetur iniustus, qui filios in tempore non castiget.

Falsa Pighij & quorundam aliorū imaginatio.

Si enim

Si enim omnibus ex æquo gratiam suam proponit, vt isti putant, neminem ipse prædestinabit, aut eliget: nam in hominibus potius erit positum, vt eum aut repudient, aut eligant. At scriptura vbique Deo tribuit electionem eorum, quos velit seruari. Et Christus ait: Non vos elegistis me, sed ego elegi vos. Magnæ cuiusdam est arrogantiæ, Deum ita velle redigere in ordinem, vt nostra voluntas sit regula diuinæ electionis. Id ab istis, vt opinor, imprudenter dicitur, cùm affirment, eos recipi à Deo, qui gratiam illius velint admittere: eos autem reijci, qui nolint. Quanquam isti, huiusmodi strophis, & suffugijs non satisfaciũt, quod maximè quærunt, humanæ rationi. Nam si dare velimus id, quod fingunt, illud ipsum parum, &, vt aiunt, modicum, quo possimus vel admittere, vel reijcere oblatam gratiam, esse in nobis ex nobis ipsis, quum in confesso sit, Deum illud, quantulumcunq; est, posse ita iuuare suo spiritu, vt non deflectat à vocatione, nec superetur à cupiditatibus, quæret adhuc humana ratio, cur id non præstiterit, præsertim quum id nullo suo incõmodo, sed solo nutu facere potuerit. Certè si pater videat filium suum impacturum vspiam, & casurũ, nonne eius officij sit, remouere offensionem, & occurrere periculo? Imò id non tantùm patris est, sed etiam cuiusque viri boni: maximè verò si fieri possit absque ipsius iactura aut damno. Atqui id citra controuersiam de Deo possumus affirmare: illi enim nihil potest deperire, cùm suos gratia & spiritu suo defendat. Neque quicquam iuuat, quod quidam dicunt, non esse par, vt homines cogantur ad bona: quoniam dicemus, homines non petere, vt cogantur, sed vt voluntas sua bona fiat, & ita mutetur, vt nõ superetur à peccato. Id autem potest impetrari absque coactione. Sancti enim, qui iam sunt in patria, vltro & sua sponte adhærent Deo, idq; perpetuò, nulla interim interposita coactione. Sed obijciunt, si ita esset, homines nulla habituros esse merita. Ea enim maximè consistere in eo paruulo, quod dicũt in nobis esse reliquum, si illo rectè vtamur. Sed hîc quoque respondebit humana prudẽtia, Quid ista iuuant, tum tanto periculo, & exitio infinitorũ hominum? Deinde plurimùm ad gloriã Dei pertinet, vt non meritis nostris, verùm illi totum feratur acceptũ. Vides ergo, in quàm varios, & cæcos labyrinthos isti sese conijciant, quum Deum volunt excusare, cui patrono nihil sit opus? Apud pios enim omnes non minus constare debet, Dei voluntatem iustam esse, quàm esse Deum. Isti autem suis illis excusationibus quid quæso proficiunt? Id nimirum, vt pro vna blasphemia, quam prætexunt se velle euitare, quæ tamen re vera nulla est, imprudentes in absurda multa incidant. Imò eò postremò deducuntur, vt velint, nolint, statuant aliquid boni ita proficisci ab hominibus, vt non pendeat à Deo. Clamant, absurdum esse, Deum ponere causam indurationis: at velim ex ipsis audire, in quem articulum fidei hoc absurdum incurrat. In nullum certè, si rem ita accipiant, vt suprà à nobis est exposita: videlicet, non esse cogitandum, Deum ex se malitiam aliquam transfundere in homines. At si dixerint, quod certè dicunt, se ista statuere, ne homines offendantur, scire velim, quid in homine offendatur ex hac doctrina. Respondebunt, scio, humana ratio. At si eius offensionem tanti faciunt, cur non rescindunt omnes fermè articulos fidei? Nam ea an non absurdã putat nouam rerum omnium creationẽ? non ne absurdam putat esse, vt cætera taceam, mortem Christi, & mortuorum resurrectionem? Paulus ad Corin. ait, Hominem animalem non percipere ea, quæ sunt spiritus Dei. ea enim illi stultitiam esse. Et quid tandem nobis dicendum est, vt humanæ rationi satisfiat? An dicemus Deum, quod attinet ad singularia, res humanas non curare, sed eum in vniuersum tantùm mundo prospicere? An eum dicemus permittere homines sibi ipsis, & neminem damnare ad æterna supplicia? Hęc enim, & alia similia, vt ab humana prudentia non abhorrẽt, ita sacris scripturis maximè aduersantur. Videmus ergo hoc cõmentum etsi fortasse bellum, & acutũ videatur, tamen istis hominibus non prodesse. Iam excutiendæ nobis sunt sententiæ Prophetarum, in quibus Deus interdum videtur dici causa deceptionis, & erroris. An eos dicemus deprecari nimiam Dei lenitatẽ? & ita dicere, O Deus, quid tam diu ignoscis populo tuo? Quid eos non castigas, ne ita decipiãtur, & errent? Hîc equidem non possum satis mirari tantam istorum negligentiam in expendendis dictis Prophetarum. Certè, si quis diligẽter legat caput 60. Esaiæ, vbi ita legitur, Cur nos, ô Deus errare fecisti, & cor nostrũ auertisti à timore tuo? videbit, hanc querimoniam esse potius de fallacijs, & deceptionibus pseudoprophetarũ, quàm de lenitate Dei. Non enim id orat Esaias, vt populus castigaretur: sed potius dolet, & deplorat captiuitatem. In quarto etiam capite Hieremiæ idem penè est sensus. Decipiendo, inquit, Domine decepisti populum tuum. Dicebant, Pax, pax: & ecce gladius. His verbis Hieremias cõqueritur, ludeos deceptos fuisse per falsos prophetas, quòd videat instare calamitatem: non tamen eam Propheta precatur populo, sed potius eam magno cum do-

Nostra uolũtas nõ est regula diuinæ electionis,

Patris est, quando potest, à periculo filium liberare.

Sancti, qui sunt in patria, nõ coguntur ad bene uolendum.

Suis excusationibus isti Deum nõ liberant.

Deũ indurare, ut exposui, non est absurdum. Si rationi humanæ satisfaciendũ sit, articulos fidei oportet rescindere.

Acutũ commentum non peruenit, quò dirigitur.

Prophetæ nõ deprecantur Dei lenitatem.

lore cõminatur. Idem adhuc apertius agit Ezechiel, cap. 14. Si vir, inquit, (malum autem vi-
rum intelligit) consuluerit Prophetam, & ille eum respondendo fefellerit, ego decepi Pro-
phetam illum dicit Dominus, & delebo eum. Quomodò autem Deus errare faciat, decipi-
Quo pacto Deus decipiat. at, & seducat, exponitur in libris Regum. Ita enim ait Dominus spiritibus, qui coram ipso
stabant: Ecquis decipiet Achabum? Respondit malus spiritus, Ego decipiam. Tum De-
us, Quomodò? Ero, inquit ille, spiritus mendax in ore omnium Prophetarum Achab.
Et Deus, perge, inquit, & prævalebis. Hæc historia describit, Deum incitare diabolum ad
mentiendum, eúmque velle efficacem esse, & prævalere. Idem etiam Paulus docet ad Tes-
salonicenses: Quoniam, inquit, charitatem veritatis non receperunt, immittet Deus illis
spiritum erroris, vt credant mendacio. Ex his apparet, Prophetas non precatos fuisse De-
um, vt puniret populum: vt Pighius existimat. Quòd autem ait, Paulum capite secundo ad
Locus secundi capitis ad Rom. Romanos ostendere, Deum lenitate, & clementia sua homines indurare, vehementer fal-
litur. Nam quum Paulus dicat, An diuitias bonitatis eius, & tolerantię, & lenitatis contem-
nis, ignorans, quòd bonitas Dei ad pœnitentiã te adducit? Sed iuxta duritiam tuam, & cor
impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ, &c. Vt intelligas sensum horum verborũ, con-
siderare debes, quid antea dixerit. Inuexit autem contra eos, qui quum videant, & iudicent
quid sit rectum, tamẽ contra suam ipsorum cognitionem, & iudicium faciunt. Itaque Apo-
stolus ait: Scimus, quòd iudicium Dei est secundum veritatem aduersus eos, qui talia agũt.
Cogitas autem, ô homo, qui iudicas eos, qui talia faciunt, & eadem facis, quòd tu effugi-
turus sis iudicium Dei? Huiusmodi itaque hominibus Paulus minatur grauissimas pœ-
nas: quas multi, quòd eas non experirentur, sed differri viderent ad finem, contemnebant.
Paulus ergo interrogat, num propter illam dilationem contemnant bonitatem Dei: quam
Dilatio pœnæ inuitat ad pœnitentiam, non indurat. dicit esse datam, vt ad pœnitentiam adducantur. His verbis admonemur, vt spatium con-
cessum ante damnationem ne negligamus. Admonet igitur eos Paulus de officio. Et Au-
gustinus contra Iulianũ, lib. 5. cap. 3. ait, ista benignitate Dei, qua pœnæ, ita differũtur, homi-
Inuitatio hæc nõ est efficax, nisi in electis. nes inuitari ad pœnitentiam: verùm hanc inuitationem efficacem non esse nisi in electis.
Nam vt homines adducantur ad pœnitentiã, plus requiri, quàm vt tantùm differantur pœ-
næ. Oportet enim, vt Deus intus corda moueat. Itaque Paulus ad Timotheum, vbi monet
episcopũ, vt perpetuò doceat aduersarios, addit, si fortè Deus det illis resipiscentiam. Nihil
Dei donum est, ut eius bonitate bene utamur. est, quod Pighius fingit, proposita hac Dei bonitate, homines posse vti ea per se ipsos. A
Deo enim est, vt aliquis ea bene vtatur. Apparet itaq; dilationem illam penè inuitationẽ es-
se ad pœnitentiam, non indurationem, quæ in hominibus ante illam dilationem existit, &
à Deo non infunditur, sed quoquo modo in lucem producitur. Vnde quicquam non facit
cõtra nos, quod Paulus addidit, homines iuxta duritiem suam thezaurizare sibi iram. Nos
enim non negamus, duritiem eam dici nostram: quoniam initia illius habemus in nobis ip-
sis: etsi ea non se prodat, & in actum non erumpat, nisi Dei motu incitemur: siquidem
in Deo viuimus, mouemur, & sumus. Nõ egit igitur Paulus illo loco de induratione, vt pro
ficiscitur à motu Dei, sed vt ex nobis est. Cumq; illam appellat nostram, nihil à nobis dissen
tit. Solent proferri quædam loca scripturarum, quæ huic sententiæ videãtur aduersari, qua
Locus Iacobi. dicimus Deum homines indurare. Iacobus enim primo capite ait, Nemo cùm tentatur, di-
cat, se tentari à Deo. Deus enim vt non tentatur malis, ita neminem tentat. Sed quisq; cùm
Tentatio per afflictiones est à Deo. tentatur, à propria concupiscentia illicitur, & abstrahitur. Primùm, hîc intelligere debe-
mus, Iacobũ non agere de omni genere tentationis: eam enim, quæ fit per afflictionẽ, non
possumus vllo modo negare esse à Deo. Scimus enim, eum tentasse Abrahamũ, & patres in
deserto, non vt ipse illos haberet cognitos, verũ vt illi se intelligerent, & explorarẽt. Sed Ia-
Cur Deus tentarit patres. cobus loquitur de ea tentatione, quæ principia habeat in nobis ipsis: nimirum prauitatem
naturæ, & effrenes cupiditates: quæ quanuis, nisi Deo summo & principe mouente, atque
impellente, non possint exerceri, vt in simili aurigæ superius est expositum: atque ita ex v-
traq; parte, hoc est, & à Deo, & à nobis pendeant, non tamen, ea causa homines possint ma
litiam suam excusare, & eius causam referre in Deum. Satis enim ad eam sua spõte pronum
Homines peccata sua non possunt in Deũ reijcere, ac se ipsos excusare. est impiorum ingenium. Atq; hoc illud est, quod Iacobus reprehendit. Non vult enim ho-
mines, cùm peccant, de Dei agitatione perpetua cogitare, sed potius de insita sibi malitia,
& prauitate, à qua illecti voluptatem capiunt in sceleribus. Quúmque Deus peccata pec-
Deus nõ puniret peccata, nisi ea detestaretur. catis vlciscatur, ea certè, nisi detestaretur, non puniret. Neque peccata illa, quibus alia
peccata punit, aliter, quàm quatenus supplicia sunt, & ad iustitiã pertinent. Quo autem mo
do Iacobus intelligat, Deum nõ tentare, pulcherrimè explicuit illis verbis: Quoniã, inquit,
Deus non tentatur malis: hoc est, non habet mentem corruptã prauitate, & malis affectib.

Diabolus

Diabolus autẽ, & improbi homines, non incitant quenquã ad malũ, niſi quatenus ipſi prius ſunt corrupti. Quare ab hac tentandi ratione Iacobus Deum liberat: quod etiam nos ipſi quoque facimus. Non enim ſtatuimus, eum indurare quenquam ad peccandum ex iniuſtitia, & praua mente. Citant etiam Paulum ita ſcribentem ad Theſſalonicenſes: Hęc eſt volũtas Dei ſanctificatio veſtra. Verùm & iſte locus, & alij ſimiles intelligi debent de voluntate patefacta in ſcripturis, & in lege: non autem de voluntate Dei arcana, & efficaci. Quæ ſanè vna in ipſo eſt non multiplex, ſed quæ non ita omnia profert, quin aliquid ſibi adhuc retineat occultum ſuo tempore declarandũ. Obijciunt etiam quod Paulus ſcribit ad Timotheũ: Deus vult omnes homines ſaluos fieri. Sed ille locus intelligendus eſt, quod attinet ad omnia hominũ genera, non autem de hominib. ſingulis. Atq; ille ſenſus cum verbis Pauli pulchrè conuenit. Iuſsit enim Paulus eo loco preces fieri pro magiſtratibus. Quoniam autẽ magiſtratus abhorrebat à religione, & perſequebatur doctrinam Chriſti, ne quis ea cauſa putaret, ſtatum eum alienum ita eſſe à ſalute, vt qui verſarentur in illo non poſſent in gratiam recipi, adiecit, Deum velle omnes homines ſaluos fieri, etiã Reges, & magiſtratus. At ſi quis velit eum locum de ſingulis hominibus exponere, intelligere oportet de voluntate reuelata quam alij, ſigni vocant. Nam ea promiſsiones Dei proponit in vniuerſum, & neminem excipit. At ſi ea verba velis tantùm ad efficacem voluntatem contrahere, de electorum vniuerſitate illa oportet interpretari. Neq; id alienum eſt à phraſi ſacrarum ſcripturarũ. Ita enim legimus, Omnes viſuros ſalutare Dei: &, omnes fore doctos à Deo. Atq; huc Aug. reſpexit cùm huiuſmodi loca ſic exponeret: omnes, quotquot ſeruantur, ſeruari voluntate Dei.

Deus non tentat ob corruptionem qua laboret, cùm ea prorſus careat.

Cuius uult miſeretur, & quem uult, indurat. Vtrunq; effectum eſt à voluntate Dei. Sed velitne Deus hoc magis, quàm illud, nõ poſſum ſimpliciter reſpõdere. Nam ex vna parte occurrit, Dei maximè propriũ eſſe miſereri, & ingeniũ boni eiuſmodi eſſe, vt ſeſe quàm plurimis cõmunicet. Ex altera autẽ parte videmus maiorem partem relinqui. Chriſtus enim ait, Multos eſſe vocatos: paucos autem eſſe electos. Quare hęc definitio arcano tantùm Dei iudicio relinquenda eſt. Iam propoſitæ quæſtioni ſatisfactum eſſet, ſi mens humana poſſet quieſcere. Cùm enim ea obiecisſet Paulo, qui conſtituerat, dilectionẽ, atq; odiũ Dei non conſtare ex operibus, ſed tantùm ex vocante, hoc videri poſſe iniuſtum, atq; iniquum, reſpondet Apoſtolus, Deum non teneri, neq; obſtringi vllo iure, aut debito iuſtitię. Hîc enim non de iuſtitia agi, ſed de miſericordia. In quam ſententiam citauit locum illum, Miſerebor, cuius miſereor. Itaq; concluſit, non eſſe volentis, neq; currentis. Non eſſe autem volentis, aut currentis, declarauit exemplo Pharaonis. Nam de eo Deus dixit: In hoc ipſum excitaui te. Poſtremò pro firmamento adiecit, Deũ miſereri, cuius velit: & quẽ velit, indurare. Hęc, inquã, poſſent videri ſatis. Sed Paulus vidit, adhuc cor humanum æſtuare. Itaq; adhuc ſibi obijcit:

An Deus potius uelit miſereri quàm indurare.

Dices ergo mihi: Quid adhuc queritur? Etenim uoluntati eius quis reſiſtet? Verbum illud, Queritur, Græcè eſt μεμφεται. Itaque aberrant nonnihil, qui illud putant eſſe, quærere, aut requirere. Si verbum illud μεμφεται accipiatur impersonaliter, ſenſus erit: Quæ nam vulgò, ac paſsim eſt iſta querimonia, quòd alij iuſti ſint, alij iniuſti? Cùm Deus miſereatur, cuius velit: & quẽ velit, induret? Ac ſi diceret, Non oportere homines de ea re conqueri, cùm totum ſitum ſit in manu Dei. Sed multo melius eſt, vt verbum illud intelligatur perſonaliter, & pro nominatiuo ſubijciatur Deus. Mox enim Paulus reſpondet, Non eſſe hominis, vt cùm ſuo fictore diſputet. Et tamen Apoſtolus ipſe reddidit rationem, cur Deus fecerit alia vaſa in honorẽ, alia in contumeliam: nempe, vt declararet bonitatem, & potentiam ſuã. Cùm ergo ſermo ſit de Deo, aduerſarius obijcit: Et quid queritur Deus? Nam voluntati eius quis reſiſtit? Deũ autem conqueri de hominibus malè ſe gerentibus, paſsim ſcripturę teſtantur. Chriſtus in Euãgelio cum lachrymis queritur, Iudæos non agnouiſſe viſitationem ſuam. Et, quoties, inquit, volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alis, & noluiſti? Et in primo capite Eſaiæ Deus ita loquitur, Filios enutriui, & exaltaui: illi autem ſpreuerunt me. Et infinitũ eſſet, omnia huiuſmodi loca colligere. Indicat Apoſtolus paucis hiſce verbis, quæ nam illa ſint, quibus humana ratio maximè perturbatur. Ea autem ſunt, primùm, quòd Deus velit homines indurari, & excæcari: deinde, quòd eius voluntas ita ſit robuſta, vt non poſsit ſuperari. Ex his enim videt, ſe conſtringi in neceſsitatem, à qua maximè abhorret. Hæc Paulus attingit hoc loco: & primùm ait, voluntati eius, quis reſiſtit? Quibus verbis declarat, Deum velle id, quod fit in nobis. Cumq; addit, Quis reſiſtit, declarat fortitudinem, & poteſtatem voluntatis diuinæ. Neceſſarium ita ſolet definiri, quod non poteſt aliter ſe habere. Sed non ſimplex, aut vna eſt neceſsitas. Quædam enim eſt coactionis: quæ in hominis voluntatem cadere non poteſt. Fieri enim non poteſt, vt voluntas inuita velit.

Deus conqueritur ſæpe de hominibus.

Quæ maximè rationem humanã conturbent.

Quid ſit neceſſarium.

Triplex eſt neceſsitas.

Non omnis neceſsitas eſt coactionis.

Qua neceſsitate peccandi urgeamur.

Altera eſt, ex intrinſeca naturę proprietate. atq; huiuſmodi neceſsitatem ad peccandũ poſt lapſum, ſi remoueatur ſpiritus & gratia, ſtatuimus in hominibus. Nam ex ſe ipſis nõ poſſunt aliter ſe habere: quamuis cum natura illorum non pugnet, quin à Deo iuuari poſsint, & immutari. Tertia neceſsitas eſt, quam appellant infallibilitatis, aut conſequentiæ, vel, vt dialectici dicunt, ſenſus compoſiti: quæ eſt, cum actiones noſtræ non conſiderantur vt à noſtra natura, aut ratione, aut voluntate fluunt: ſed vnà ſpectantur cum prædeſtinatione, & præſcientia Dei. Et quamuis humanæ rationis perturbatio, quod attinet ad hanc neceſsitatem, iſtis diſtinctionibus vtcunque ſedetur, eſt tamen alter Labyrinthus, in quo vehementer errat. Videt enim, Deum iubere Pharaoni, vt dimittat populum: atque ex eo colligit, id eum velle. Ex altera parte audit Deum dicere, Ego indurabo cor Pharaonis: ex quib. verbis colligit, eum noluiſſe dimitti populum. Iudicat itaque ſenſus humanus, valde abſurdum eſſe, vt

An Deus eodem tempore idem uelit & idem nolit.

Deus eodem tempore idem velit, & idem nolit. Pius autem animus, vt ex hac ambage ſeſe explicet, reuocabit ad memoriam ſententiam Eſaiæ, prolatam ſub perſona Dei: qua etiam Chriſtus ſeruator noſter vſus eſt in Euangelio: & Paulus in Actis Apoſt. cùm Romæ apud Iudæos incredulos habuiſſet concionem. Audite, inquit, verbum, & non intellígite: videte viſum, & non cognoſcite. Incraſſa cor populi huius, ne intelligat: obtura aures eorum, ne audiant: excæca oculos eorum, ne videant: ne fortè conuertantur, & ſanem eos. Et Chriſtus in Euangelio ait, ſe veniſſe in iudicium: vt videntes non viderent. Hęc dicta oſtendunt Deum

Locus Eſaiæ.

Deus quoſdam uult excæcari, quib. tamen uult ſuum uerbum proponi.

velle quoſdam excæcari: & tamen interim velle illis proponi verbum ſuum. Chriſtus enim mittit Apoſtolos ſuos prædicatum in vniuerſum orbem. Et quamuis neminem excipieret, cui nollet Euangelium prædicari, nõ tamen omnibus aperit cor, vt audítæ veritati aſſentiantur. Itaq; ſequitur, vt electi credant: improbi autem indurentur, vtq; illorum peccatum grauius efficiatur, cùm adempta iam ſit ignorationis excuſatio. Paulus enim ait in primo capite huius epiſtolæ: Inuiſibilia Dei à creatura huius mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque eius virtus, & diuinitas: ita, vt ſint inexcuſabiles. Chriſtus quoque ait, ſi non veniſſem, & loquutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent: non quòd alioqui futuri fuiſſent abſque peccato: ſed quòd tam graue peccatum non haberent: iſſent. Nam poſtquam audiſſent Chriſtum, adempta iam erat omnis ignorationis excuſatio. Quare cùm obſtrepit nobis humana ratio, Vocare aliquem, & eum tamen interim nolle venire, nihil aliud eſſe, quàm velle ludere, & fallere. imponamus ei ſilentium, & dicamus cum

Remedium contra rationem humanam.

Apoſtolo, O homo, tu quis es, qui contendas cum Deo? Et oſtendamus meram eſſe demẽtiam, conari lemmatis, & ſyllogiſmis captare Deum, atque illi obijcere, eum non minus abſurdè facere, quàm ſi quis vocet amicum ad conuiuiũ, multaq; videat obſtare impedimẽta: quæ cùm ipſe, cùm poſsit, non remoueat, tamen indignetur, niſi ille veniat: aut ſi quis mittat ſeruum ſuum aliquò, quem ſciat impediendum eſſe in curſu, & quamuis ipſe remoras eas, cùm poſsit, non auferat, tamen ſeruum tardantem velit punire: aut ſi magiſtratus hominem vinctum in carcere iubeat egredi, cùm tamen illi non ſoluat vincula. Hæc iſtis abſurda videntur duplici de cauſa. Primùm quia nõ intelligunt, quorſum Lex, & vocatio, & præcepta

Non unus eſt finis uocationis & legis.

data fuerint. Putant enim ea non alium in vſum data eſſe, quàm vt præſtentur. At Paulus ait, per legem eſſe cognitionem peccati. Sunt homines ita ſuperbi, & ſtupidi, vt putent, ſe ſtatim poſſe omnia, modò tantùm indicetur, quid ſit agendum. Vt ergo ſuam impotentiam, & imbecillitatem intelligerent, neceſſe erat, vt acciperent legem, & vocarentur nondum liberati. ita enim neceſſe erat, vt experirent, ſolam per ſe notitiam non eſſe ſatis. Altera cauſa, cur iſti turbentur, eſt, quòd non videant alteram vtilitatem, quam ex hac re electi capiunt. Cùm enim intellexerint, quàm ſint infirmi, incitantur, vt de ſe modeſtè ſentiant, & implorent auxilium Dei, & natiuam ſuam imbecillitatem in reprobis, qui deſeruntur, magis ac magis agnoſcant, & ſe tales futuros fuiſſe confiteantur, niſi præter notitiam veritatis ſpiritu, & gratia Dei fuiſſent adiuti. Ex his ergo apparet, quæ abſurda videbantur, quàm vtiliter, & ſapienter fuerint inſtituta. Et quoniam non omnes, qui audiunt Euangelium intus à Deo efficaciter mouentur, hinc eſt, quòd Paulus ait ad Corinthios, illud eſſe aliis odorem vitæ ad vitã: aliis verò odorem mortis ad mortem. Hæc eſt plana & ſimplex eius pugnæ, quæ apparet in voluntate diuina, conciliatio. Et quoniam in his vocationibus, & promiſsionibus videtur exprimi aliquam Dei voluntatem, quæ tamen effectum non habeat, à quibuſdam Theologis non imperitè dictum eſt, aliam eſſe voluntatem ſigni, ſeu antecedentis: aliam efficacem, ſeu conſequentis. Fit enim ſæpe, vt Deus aut comminetur, aut polliceatur aliquid, quod tamen non ſit euenturum. Nec tamen Deus propterea mentitur, aut fallit: Denuntiat enim illa, vel prout natura tum eſt conſtituta, vel prout ex malis meritis accidere poſſet, niſi interueni-

Ex uocatione inefficaci reproborum electi iuuãtur.

Non eſt pugna in uoluntate diuina.

Voluntas antecedentis & conſequentis.

ueniret alíqua mutatio. Ita mors denuntiata est Ezechiæ: quoniam morbus ille, quo laborabat, sua natura erat lethalis. Propheta ergo illis minis denuntiauit volũtatem Dei signi: hoc est, quantum constare poterat ex ví naturæ. Mutatio autem contigit ex voluntate Dei, efficaci, quam appellant consequentem. Niniue etiam propter grauia scelera dígna erat, quæ euerteretur. Itaque illis Ionas denuntiauit voluntatem Dei antecedentem, quam appellant signi. Cùm ergo Deus vocat Pharaonem, aut alium quempiam reprobum, ex illa vocatione, aut promissione externa intelligímus voluntatem antecedentem, aut signi: non autem illam alteram arcanam, quam appellant efficacem, aut consequentem. Quare non potest Deus negare se ipsum, neque in istís voluntatibus secum pugnat: Sed doctrina, & promissionibus promíscuè, & generaliter propositís, excitat animos ministrorum Ecclesiæ, vt alacriter prædicent verbum, idq; omnibus: quod certè non facerent, si de arcana sua voluntate illos fecisset certiores. Nam si scirent, se agere cum reprobis, caderent prorsus animis, & deficerent. Ex altera autem parte, cùm videmus, fructum ex doctrina, & prædicatione nostra non succedere, eo ipso nos consolamur, quòd eius rei simus iam antea præmoniti, multos esse, qui Dei proposito sint excæcati. Augustinus in libro de spíritu & Litera capite 34. quo in loco agit de hac re, ait, se, si interrogetur de singulis hominibus, cur Deus velit, istos audire Euangelium, at non exaudire, alios autem & audire, & complecti, non habere, quid respondeat, nisi illa tantùm duo, O altitudo diuitiarum, &c. &, Nunquid est iniquitas apud Deum? Absit. Quòd si qui sunt, inquit, qui istis responsis non acquiescant, caueant, inquit, me doctiores: sed interea caueant præsumptores, præsumptores autem appellat eos, qui vel ad præuisa opera, vel ad alia similia commenta confugiunt. Illa enim cùm non doceantur in sacris literis, rectè dici possunt humanæ præsumptiones. Ambrosius hoc loco ait, non posse resisti voluntati Dei, quòd ille sit longè omnium potentissimus. Et quoniam Deus pater est omnium, ideo nulli malè vult, sed, quæ fecit, vult manere incolumia. Nullo ergo modo conuenit illi, vt sit iniustus. His verbis Ambrosius vult ostendere, hanc potentiam diuinæ voluntatis ea temperari iustitia, vt respiciat hominum dignitates, & merita. In qua etiam sententia est Origenes. Ait enim voluntatem Dei potentissimam quidem esse, sed eandem tamen rectissimam. Itaq; scribit, In nostra voluntate habemus, vt mali simus, aut boni. Et in quancunq; partem inclinabimus, non possumus resistere diuinæ voluntati, quin ea nos afficiat vel præmio, vel pœna, prout iustum fuerit. Quia non habemus in nostra manu, quales ad pœnas, aut ad qualia præmia destinemur. Quod Origenes ait, positum esse in nostra manu, vt aut boni simus, aut mali, id nõ est verũ. Quia salus nostra tota sita est in regeneratione, quę vniuersa pendet à gratia, & spíritu Christi. Hæc enim est natura generationis, vt is, qui gignitur, ad se ipsum gignendum nihil operetur: imò ne possit quidem. Qui autem dicit, in nobis situm esse, vt simus boni, ille certè Christi beneficium vel planè tollit, vel mirificè imminuit. Atqui nos dicimus, & docemus, Dei voluntatem rectam esse, etsi eam negemus pendere vel à creaturis, vel ab hominum meritis. Hanc obiectionem,

Deus cum denũtiat quæ non succedunt non propterea mentitur Exempla.

Generationis natura.

Quid conqueritur? & uoluntati eius quis resistit? Apostolus inducit aduersus conclusionem prius allatam: *Cuius uult miseretur, & quem uult indurat:* & potissimùm, quod ad eius conclusionis partem posteriorem attinet. Admodum enim absurdum víderi possit, Deum pro sua voluntate aliquem índurare. Imò sæpe in Patribus, atque in ipso etiam Augustíno, qui tamen in hac causa stat à nobis, legímus índurationem esse ex iusto iudício Dei: ac si dícant, Deum illos tantùm índurare, qui illud suis sceleribus mereantur. Non ergo videtur índuratio pendere à voluntate Dei, quemadmodum Paulus hoc loco docet. Ille enim simpliciter pronuntiat, Quem vult, índurat. Verùm ad hoc intelligendum, reuocare debemus ad memoriam, quæ antea díximus concurrere ad índurationem. Primùm enim est in nobis vitium innatum, quo planè alienati sumus à Deo. Non est autem aliud índuratio, si credímus Augustíno in capite quarto, De prædestinatione, & Gratia, quàm obuiare mandatis Dei. Deinde sequitur, nos à Deo relinqui in hoc malo. Itaque idem Augustinus ait eodem loco, Deum índurare, quos nolit emollire: excęcare, quos nolit illuminare: repellere, quos nolit vocare. Et quod ad hoc attinet, Apostoli sensus erit, *Cuius uult misereturr & quem uult, indurat:* hoc est, non misereť. Atq; in hoc Dei opere aut miserendi, aut nõ miserendi nullæ nostræ sunt partes. Ipse enim libere misericordiam suam distribuit, cui vult. Cumq; ita relinquímur in genuino malo absq; misericordia, accedit perpetua motio, atq; agitatio Dei, qua nullam creaturã sinit esse otiosam. Quanquam ne hoc quidem ipsum, quin moueamur, & agitemur, in nostra potestate relinquitur. Tertio autem loco, cùm offeruntur occasiones,

Quæ concurrãt ad índurationẽ.

Indurare est nolle emollire.

Deus liberè cui uult misericordiam distribuit.

Non est in nostra potestate quin moueamur & agitemur.

& immittuntur cogitationes in animum, vel ab ipso Deo, vel eius iussu atque voluntate ab Angelis, aut Diabolo, vnde induratio illa sese magis exerit, & maior efficitur. hîc animaduer tere licet iustitiam Dei. Achab enim, cùm esset pessimus, merebatur decipi à Diabolo per ministerium Pseudoprophetarum. Et Pharao, cùm crudelis esset in pegrinos & paruulos, meritus est, vt sic irritaretur, & proderet indurationem suam. Cùm igitur Deus dicitur indu rare, intelligere debemus, eum nolle misereri. Homines autem impij relicti ab eo, cùm eius perpetuo motu incitati non possint quiescere, edunt opera eius voluntati, & mandatis re pugnantia. Quare cùm Deus misereatur cuius velit, & cui velit, donet, & à quo velit exigat, accusari non potest iniustitiæ. non enim agit ex debito. Quòd si, inquit Augustinus cap. 6. eiusdem libri, quis eum velit importunè accusare, quasi debeat misericordiam suam iure im pendere, audiet ab Apostolo id quod sequitur, O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Annón habet figulus luti potestatem ex eadem massa faciendi aliud vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Hoc loco Paulus primùm reprimit hominem obloquentem, quòd nolit huic allatæ definitioni acquiescere. Deinde inducit simile illud de luto, & figulo: quo & hominum murmura compescit, quia lutum non litigat cùm figulo: & sententiam, de qua nunc agimus, cõfirmat: videlicet, & electionem, & reprobationẽ pendere à voluntate Dei. Postea addit extremam rationem, cur Deus habere voluerit vasa alia honorifica, alia contu meliosa: nimirum, vt in ea ostenderet gloriam, & bonitatem suam: in illa autem iustitiam, & potentiam. Sed animaduersione dignum est, Paulum in his obiectionibus, increpationib. & responsionibus nihil eorum, quę dixerat, aut mutare, aut retractare. Relinquit enim omnia suo loco. Cumq; odium, & dilectionem, electionem, & reprobationem reuocasset ad volũ tatem Dei, adactus his obiectionibus nihil secus docet, & tradit, quàm anteà docuerat, & tradiderat: imò potius eadem fortissimè confirmat. Augustinus in Enchiridio ad Laurentiũ cap. 9. & in libro 83. Quæstionum, quæst. 68. ait, fuisse quosdam qui existimarent, Paulum hoc loco defecisse in reddenda ratione, & ideo contulisse se ad obiurgationes. Sed hoc est iniuria afficere spiritum sanctum, qui loquebatur in Paulo. Ait etiam, fuisse alios hæreticos, qui suo arbitratu ausi fuerint plura expungere ex sacris literis, quasi postea ab hominibus in serta fuerint, non autem ab initio ita scripta: & ex illis fuisse Martionẽ, Manichæum, & eius modi alias pestes: contra quos licuerit ex authoritate scripturarum disputare, quòd eas ni si pro sua libidine non admitterent. Innumera illi loca remouebant, quæ, voce ab ipsis vsur pata, interpolata dicerent. Inter cætera sustulerunt locum istum, quem habemus præ manibus. Cum enim multa de voluntate Dei comminiscerentur, & causas quærerent de institutione creaturarum, repulsi, & confutati hac obiurgatione Apostoli, eam reiecerunt, tanquã adulterinam, & alienam. Nos autem cùm orthodoxa pietate omnes Canonicos libros recipimus, & hæc Pauli verba amplectimur, & veneramur. Quibus tamen in verbis hoc videtur esse mirum, quòd ita aduersarium compescat, quasi ratio vlterius non possit reddi: cùm tamen postea demonstret ex fine, cur Deus alia vasa facere voluerit in honorem, alia verò in contumeliam: quò scilicet bonitatem, & gloriam suam, & potentiam, & iustitiam patefaceret. Sed hoc ideo fit, quoniam quæstio bifariam potest accipi. Et si quæratur generaliter cur ex omni hominum numero aliqui reijciantur à Deo, aliqui eligantur, causa ea finalis assignari potest, quam iam diximus. At si de singulis hominibus quæramus, cur iste sit vas misericordiæ, ad bonitatem Dei declarandam, ille autem sit vas iræ ad patefaciendam eius iustitiam, nullam habemus aliam causam, præter meram voluntatem Dei eligentis, & reprobantis: cui nisi interrogans acquiescat, meritò audiet ex Paulo, O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Id fortasse simili aliquo possumus illustrare. Si Faber habeat ante se magnã vim laterum, eiusdem prorsus figuræ, & magnitudinis, & interrogetur, cur alios in imo, & in fundamento ponat, alios autem in sublimi, respondebit, quòd illud ædificium & tectum habere oporteat, & fundamentum. Sed si pergas adhuc quærere, cur istos lateres ad fundamẽta collocet, magis quàm alios, cùm omnium eadem sit figura, & magnitudo, nihil aliud respondebit, nisi quòd ita libuerit. Cui responso nisi acquiescas, vt ineptus, & importunus per cuntator repelleris. Pauca quidem sunt ista Pauli verba, sed magni ponderis. Est enim argumentum à collatione humanæ naturæ ad diuinam: quæ immenso inter se spatio disiungun tur. Abrahamus, cùm interrogaret Deum de excidio Sodomorum, & vereretur ne longius querendo procederet, quàm homini scire fas esset, probè, & religiosè se summisit. Cum sim, inquit, terra, & cinis, loquar ad Dominum meum. At hunc modum humana ratio, nisi regenerata, non potest seruare. Ideoq; nunc definita à Paulo quæstione, non acquiescit. Augustinus autem in Quæstione 68. in Librum Geneseos, ait, his verbis homines non deterreri ab inqui-

Exemplũ Achabi. Exemplum Pharaonis.

Quimutilauerint sacras literas

Quæstio proposita bifariam potest accipi. Causa electionis reddi potest & non potest reddi.

Simile.

Exemplum Abrahami.

inquisitione modesta & pia spiritualium rerum: sed tantùm importunam curiositatẽ reprehendi: quæ quàm altè hæreat in filijs Adam nondum regeneratis, nemo potest existimare. Imò etiam iustificati vix hîc sibi temperare possunt. Itaque Iobus in Dialogo illo, quem habuit cum amicis, sæpe ait, se miro teneri desiderio disputandi, & contendendi cum Deo, si liceat, de rebus aduersis, quas sibi videbatur indignè pati. De quo prauo desiderio sub finẽ libri reprehensus à Deo, professus est, se agere velle pœnitentiam in fauilla, & cinere, quòd ita fuisset loquutus. Versio Latina habet, Qui respondeas Deo. Sed ea non plenè exprimit Græcum verbum ἀνταποκρινόμενος. Illud enim verbum non tantùm respondere significat, sed etiam respondendo cõtradicere, aut responsationibus cõtẽdere. Ex his obiectionibus, quæ hactenus inductæ sunt, Num est iniquitas apud Deum? Quid adhuc conqueritur? Voluntati eius quis resistit? elicitur firmum argumentum, Paulum cõstituisse, tam electionem, quàm reiectionem pendere ex mera voluntate Dei: Nam alioqui locus non erat hæc obijciendi. Nam si digni tantùm eligerentur, & reijcerentur indigni, quæ esset ratio obmurmurandi? Statueretur enim illud genus iustitiæ, quod maximè quærit humana ratio: neque quicquam loci esset his offensionibus. Itaque non nihil miror, Pighium, & alios similes, vti his, quæ Paulus hoc loco sibi obijcit, & refutat, ad opinionem suam confirmandam, tanquam solidis argumentis. Nam Pighius ait, Si Deus homines induraret, Pharao non esset causa peccati sui, cùm voluntati Dei non possit resistere. Et, si Deus, inquit, non ageret ex præuisis operibus, in electione sua iniquus esset, & peccaret in iustitiam distributiuam. At hæc eadem Paulus obijcit sibi: neque, vt illis satisfaceret, opus putauit esse ad istorum figmenta confugere. In hoc certè maximè declaratur mortificatio fidei, vt gloriam omnem demus Deo, & quæ alioqui iniusta viderentur, ea ab illo credamus fieri iustissimè. Collatione illa de luto, & figulo Paulus ostendit, Deo licere in homines optimo iure, quicquid velit: & homines oportere eius voluntati patienter & submissè se subijcere. Posse autem Deum pro suo iure, & arbitratu homines aut honore afficere, aut relinquere in contumelia, ex eo probat, quòd figulus habeat eandem potestatem in vasa ea, quæ fingit. Imò multò plus iuris Deus habet in homines, quàm figulus in lutum: Infinitis enim partib. homo longius distat à Deo, quàm vas à figulo. Nam figulus, cùm sit homo, de terra sumptus est: lutum autem, velit nolit figulus, necesse est esse lutum. Deus autem hominem, si velit, potest in quiduis conuertere, imò, si libeat, in nihilum etiam redigere. Quod ergo conceditur figulo, id quo iure potest negari Deo? Et si homines lutum sunt, si conferantur ad voluntatem Dei, cur ei non acquiescunt? cur tam importunè illi obmurmurant? Et quoniam Paulus ait, figulum habere potestatem fingendi vasa, vt velit, ex eo satis ostendit, Deum non spectare opera. Nam si ita esset, potestas illa nulla esset: & figulus plus posset, quàm Deus. Nam figulo licet pro suo arbitratu vasa fingere: Deum autem oporteret sequi hominum merita: nostráque facta essent illi pro regula electionis. Atqui apertè videmus, hoc Apostolum agere præcipuè, ne sit positum in manu nostra, quo pacto nos Deus debeat fingere. Sed aduersus ista Erasmus pugnat in suo Hyperaspiste, non esse mirum, si Deo adimatur ea potestas, quam ipse sibi detraxerit. Neque enim voluisse eum aliquid sibi licere facere, quod ipsius iustitiæ repugnaret. Ad hanc obiectionem respondemus, Paulum in primis dicere, figulum habere hanc potestatem: quam certè videmus, illi non esse ademptam. Quare par est, vt eadem potestas Deo quoque relinquatur. Quod autem ait, Deum sibi hanc potestatem ademisse, id non est verum. Fateor equidem, Nolle Deum id sibi licere, quod pugnet cum ipsius iustitia. Sed hîc nihil est, quod iustitiæ aduersetur. Imò hoc addimus, hîc non haberi sermonem de iustitia, sed de misericordia gratis impendenda, aut non impendenda. Nemini enim debet Deus primam suam misericordiam: ideóque sequitur posse eum misereri cuius velit: & cuius nolit, non misereri. Putat etiam Erasmus absurdum, quod asserimus, respectum meritorum pugnare cum libertate, & potestate Dei, quod ad eligendum, aut reprobandum attinet. Impium enim esset, inquit, si aliquis damnaretur absque malis meritis peccati. Nos id quidem confitemur: sed addimus, non agi hoc loco de damnatione, sed tantùm de reprobatione, vt opponitur electioni, seu prædestinationi. Et cum Apostolo dicimus, Deum, cuius velit, misereri: & cuius nolit, non misereri. Et quamuis Deus non condemnet, aut tradat æterno exitio, nisi eos, qui peccato fuerint contaminati, non tamen ob aliquod malum meritum præterit eos, quorum decreuit nolle misereri. Neque propterea iniustè facit. nemini enim quicquam debet. Cùm autem dicimus, si Deus ex hominum meritis aut miseretur, aut non miseretur, nullam fore eius potestatem, quam hoc loco Paulus prædicat, Erasmus respõdet,

Pij nõ deterrẽtur ab inquisitione modesta sed ab importuna curiositate.

Exemplum Iobi.

Mortificatio fidei.

Plus iuris habet Deus in homines quàm figulus in lutum.

Ex ista collatione probatur Deũ non spectare opera.

Non agitur hîc de dãnatione sed de reprobatione

Nota discrimẽ inter damnationẽ & reprobationẽ

ſi non reſpiciat opera, nullam fore eius conſtantem & immobilem iuſtitiam. Verùm ſæpius iam oſtenſum eſt, non agi hîc de iuſtitia diſtribuente, qua Deus in prędeſtinatione, & reprobatione teneatur paria paribus reddere. Cùm enim omnes naſcantur demerſi in labe peccati, poteſt pro ſuo arbitratu quorundam miſereri, quoſdam autem eodem arbitratu præterire, & ſuo eos loco relinquere: quod eſt illorum non miſereri. Nititur etiam inſuper Eraſmus oſtendere, poteſtatem Dei quodammodo per promiſſiones contrahi, ac definiri. Cùm enim Deus iuraſſet aut Abrahamo, aut Dauidi, niſi vellet fidem fallere, debuit omnino præſtare pollicita. Non eſt ergo, inquit, adeo abſurdum, ſi poteſtas Dei, de qua nunc agitur, non ponatur prorſus libera à reſpectu operum. Sed Eraſmum videre oportuit, ſimilitudinem illam de promiſſionibus non rectè huc accommodari. Nam de prædeſtinatione nulla vnquam legitur cuiquam facta promiſsio. Imò promiſsiones ſemper prædeſtinationem conſequuntur. Nam ea eſt omnium promiſsionum origo. Deinde Paulus apertè facit hanc poteſtatem liberam ab omni reſpectu operum, dum eam confert cum poteſtate figuli. Is enim in fingendis vaſis nullum conſiderat luti meritum. Deinde ſuprà diſertiſsimis verbis dixit, Non ex operibus, ſed ex vocante.

Prædeſtinatio eſt origo promiſſionum.

An dicit figmentum illi, qui ſe finxit, cur me finxiſti ſic? Iſta in Eſaia, & Hieremia leguntur. Nam Hieremias cap. 18. ſic ſcribit: ſurge, & deſcende in domum figuli: & ibi faciam te audire verba mea. Deſcendi igitur in domum figuli: & ecce, ille faciebat opus ſuper rotam: diſſipatūq; eſt vas, quod faciebat ex luto, quod erat in manu figuli. Et conuerſus faciebat ex illo vas aliud, ſecundum quod oculis figuli rectum videbatur vt faceret. Factumq; eſt verbum Domini ad me dicens: Nunquid ſicut figulus iſte potero vobis facere, domus Iſrael? dicit Dominus. Ecce ſicut lutum eſt in manu figuli, ſic vos eſtis in manu mea, domus Iſrael. In his verbis Prophetæ illud Paulus potiſsimùm reſpexit, homines ita eſſe in manu Dei, vt lutum eſt in manu figuli: & figulum ex luto vaſa fingere, prout illi viſum fuerit. Hæc, inquam, Apoſtolus tranſtulit ad ſuum inſtitutum. Hieronymus in hūc locum, ait Prophetam ideo primùm miſſum fuiſſe ad figulum, quòd ea quæ oculis videmus, ſoleant in mente hærere tenacius. Quod autem primum illud vas, quod à figulo fiebat, diſſipatum fuerit, id ait, agente diuina prouidentia contigiſſe, vt manus artificis neſciens errore ſuo parabolam figuraret: quam Dominus ipſe interpretans ait. Si figulus habet hanc poteſtatem, vt ex eodem luto reficere poſsit illud, quod fuerat diſſipatum, ego in vobis, qui quantum in vobis eſt, videmini prorſus perijſſe, idem efficere non potero? Vtq; ſignificet, eſſe liberum arbitrium, ait, ſe & mala denunciare illi, atque illi Regno, & rurſus bona: quo homines adducantur ad pœnitentiam, & mala illa, quę prædicta fuerant, ne eueniāt. Mox autem ne libero arbitrio nimium tribuatur, ait, nec ſtatim totum erit hominis, quod eueniet, ſed eius gratiæ, qui cuncta largitus eſt. Et paulò infrà, Vbi ergo eſt, inquit, ſine gratia Dei poteſtas liberi arbitrij? & proprię iudicium voluntatis? cùm ſit grandis offenſa Dei, ſequi cogitationes ſuas, & praui cordis facere voluntatem? Hęc pulchrè ſcribuntur illo loco à Hieronymo, de Libero arbitrio, prauitate humani cordis, & Gratia Dei. Atque, vt licet colligere ex epiſtola, quam præfixit huic capiti, abſoluerat tum temporis opus illud contra Pelagianos. Nemo autem offendi debet, quòd Hieremias videatur agere de afflictiōe, & proſperitate rerum temporalium, cùm Paulus hîc agat de ſpiritualibus. Nam, vt aliâs docui, beneficia rerum temporalium, & promiſsiones, quæ ad illas pertinent, ad Chriſtum reuocandæ ſunt. Itaq; in illis, quoties occurrunt in Prophetis, cogitare primùm debemus reconciliationem cum Deo per Chriſtū, propter quem largitur ſuis omnia bonorum genera. In oculos ſemper debet incurrere peccatū, & quod ipſi admittimus, & in quo naſcimur. Itaq; mirum non eſt, ſi Paulus, qui habuit legis, & Prophetarum perfectam intelligentiam, ſic iſta coniungat inter ſe. Miror autem Eraſmū dicere, verba Hieremiæ idcirco facere ad propoſitum Pauli, quod ne ille quidem agat hoc loco de ſalute æterna. Idq; ex eo liquere putat, quòd ludęi re vera ab illa nō ſint excluſi. Apoſtolum enim ipſum fuiſſe ludæū: & multas illius populi reliquias hodie quoq; ſubinde conuerti. Arbitratur ergo mentionē fieri de abiectione ludæorū, quod attinet ad res externas: quòd euerſa fuerit illorum Reſpublica, & templum, & ſacerdotiū, & quęcunq; faciebant ad gloriā illius gentis in varia loca iam diſperſę, & aliis nationibus ſeruientis, ſucceſsiſſeq; illis Romanos, & populos alios, qui antea fuerant idololatræ. Iſta nec veriſimilia ſunt, nec cum verborū ſenſu, atq; cōtextu conueniunt. Nam ſi tantùm de externis rebus agatur, & temporarijs, quid oportuit Paulū eas ſua ſalute voluiſſe redimere? Cur optauit, ſe eſſe anathema à Chriſto pro fratribus ſuis iuxta carnē? cur initio capitis 10. ita ſcribit: Fratres, propenſa quidem volūtas cordis mei, & deprecatio, quæ fit ad Deum pro Iſraele, eſt ad ſalutem. Nam his verbis

Cur Propheta miſſus eſt ad figulum.

In Prophetis, coniungēda ſunt ſpiritualia cum rebus temporarijs.

Paulus hîc de rebus temporarijs non agit, ſed de æterna ſalute.

verbis ostendit, haberi disputationem non de rebus temporarijs, sed de salute æterna. Quæ rebatur enim, quomodo veritas promissionum Dei constare posset, cùm tot Iudæi repellerent Euangeliũ, & in incredulitate sua morerentur. Et in cap. 11. additur, Dedit illis Deus spiritum cõpunctionis, oculos, vt non videant, aures vt non intelligant, vsq; ad præsentẽ diem. Quare ea, quę hîc dicuntur, nullo modo detorquenda sunt ad externã scenam, & põpam Iudaicę Reipublicæ. Verùm alius est scrupus, quẽ Pighius conatur elicere ex isto cap. Hieremię: videlicet, potestatẽ Dei, quę adumbratur potestate figuli, pendere à respectu operum. Subditur enim, inquit, in Propheta ex persona Dei: Si dixero de aliqua gente, aut regno, vt dissipẽ, & euertã, & destruam, & illi pœnitentiã egerint, ego quoq; agam pœnitentiam de afflictione, de qua eram loquutus. Etsi loquutus fuero, vt ędificẽ, & plantem, & illi se auerterint à iustitia, pœnitẽbit me quoq; de bono illo, de quo loquutus fuerã. Ecce, inquit, Pighius his Deus asserit, opera figuli talia futura, quales se homines præstiterint. Quare etsi Paulus quęstionẽ hîc non dissoluat, tamẽ ex hoc loco Prophetę colligitur dissolutio. Hæc Pighius. Sed longè aliter intelligendus est contextus Prophetæ. Nam cùm Deus prius exposuisset, homines esse in manu sua, vt lutum est in manu figuli, & idcirco se posse de illis facere, quod vellet, quoniã hęc sententia eneruare potuisset prędicationẽ Prophetarũ (statim enim vt illi aut promisissent aliquid boni, aut denuntiassent aliquid mali, auditores dixissent, si nos sumus in manu Dei, vt lutũ in manu figuli, quid nos facere possumus? aut quod remediũ possumus contra Dei voluntatẽ cõparare? Deus enim omnino faciet, quod instituit) huic malo occurrere voluit spiritus sanctus. Docet itaq;, Deũ in istis minis, & promissionib. non semper reuelare voluntatẽ illam suã arcanam, & immobilẽ, qua firmissimè decretũ habet, quid sit facturus: sed tantùm voluntatẽ, quam appellant antecedentẽ, & signi, hoc est, admonitio nis: quòd prędens illorũ status hoc requirat. At Paulus hoc loco, & Propheta in initio capitis agũt de illa voluntate Dei, atq; potentia, qua omnia iure optimo pro suo arbitratu & fingit, & refingit. Adhęc Pighius existimat, solutionẽ huius quęstionis haberi in cap. 27. Ecclesiastici: vbi ita scribitur: vasa figuli probat fornax: & homines iustos tentatio. Ex his colligit, illos, qui constanter, fortiterq; perstiterint in tentationib. haberẽ ex eo, vt sint vasa in honorem: eos autẽ, qui non perstant, sed franguntur, fieri vasa in contumeliã. Sed iste in sua illa ratiocinatione nõ animaduertit, se, si velit metaphoram istam persequi, coactum iri fateri, tam vasa honorifica, quæ adhibẽtur ad mensam, quàm etiam ollas, & matulas, quibus vtimur ad vilia ministeria, oportere omnino perstare in igne. Nam vilissima etiam vasa, si frangerẽtur, iam non essent vasa, imò ne vili quidem apta ministerio. Frustrà ergo hic argutatur, & plus colligit ex metaphora, quàm oporteat. Id enim solùm sapiens voluit, tentatione probari homines, quales sint: non autem illos ex ea probatione nancisci conditionem suam: sed eam, quam prius habuerunt, tum demùm manifestam facere, & in lucem prodere. De loco ad Timotheum, vbi scribitur, in magna domo esse multa vasorum genera, superius egimus, & explicuimus sententiam Origenis, à quo iste mutuatus est, quicquid attulit. Habet etiam Propheta Esaias quædam, quæ nonnihil faciant ad hæc verba Pauli: Nam cap. 45. ita scribit: Vę illi, qui contendit cum fictore suo, testa cum testis terræ. Nunquid dicit lutum ad figulum suum, quid facis? Operi tuo non fuerunt manus? hoc est, ita imperitè, & ruditer opus finxisti, ac si non haberes manus. Amplissima est sententia huius loci: arguit enim omnes illos, qui accusant opera Dei, cuiuscunque sint generis: ideóque Paulus eam sententiam transtulit commodè ad institutum suũ: quò eos cõpesceret, qui cõqueruntur de potẽtia Dei, & indignè ferunt, Deũ misereri, cuius voluerit: & cuius noluerit, eius non misereri. Quanquã multi sunt, qui putent, Paulum non citasse ista testimonia Prophetarum, sed ad ea potius alludisse. Atq; ita putãt, eundem alibi, cum scriberet, An nescitis, quòd modicũ fermenti totã massam corrũpit, alludisse ad ea verba Christi, quibus iussit Apostolos cauere à fermento Scribarũ, & Phariseorũ. Sed de hac re nihil cõtendo: nam siue alluserit, siue Prophetarũ istorũ sententias produxerit, ad rem ipsam perinde est. Neq; nouũ videri debet, si Paulus, cùm vtatur testimonio scripturarũ, id non expresserit: quãuis enim interdũ soleat ascribere, Sicut scriptũ est, id tamẽ perpetuò non seruat. Nam ad finẽ capitis 11. simpliciter, & sine vlla citatione ita scribit: Quis cognouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit? Atqui ea clausula totidem verbis legitur in Esaia. Sed certum est, Paulum hoc toto contextu retinere sensum vtriusq; loci: & Hieremię, quòd simus vt lutum in manu figuli, qui fingat, & refingat, quicquid velit: & Esaiæ, quòd luto non liceat disputare cùm fictore suo, aut illi de opere suo obloqui. Atq; ad hunc locum maximè faciunt ea, quæ in Ecclesiastico, si quis eum librum recipiat, leguntur cap. 33. Et homines orti sunt de terra, vnde creatus est Adam. Sed Dominus multiplici scię-

Deus nõ semper totam suam uoluntatem patefacit.

Locus Ecclesiastici.

Ex patientia in tentationibus nõ prædestinamur.

Dum scriptura utitur Paulus non semper eam citat.

Paulus & Hieremiæ & Esaiæ sensum sequitur

tia distinxit eos, & institutа illorum mutauit. Ex ipsis benedixit, & exaltauit: & ex ipsis sanctificauit, & ad sese applicauit: & ex ipsis maledixit, & humiliauit, & conuertit eos à separatione ipsorum, quasi lutum in manu figuli plasmare illud, & disponere. Paulus ergo, cùm hæc scribit, non tradit noua, & inaudita, sed iam recepta, & in scripturis prodita: quem si doctores imitarentur, non confugerent ad respectum meritorum: præsertim cùm scripturæ, cùm de electione, aut reprobatione agitur, eam doctrinam non agnoscant. Ambrosius hæc exponens primùm ait, Apostolum hoc ex Esaia proposuisse, quasi proprium: Et fatetur, in potestate authoris esse, qualem velit condere creaturam. Sed addit: Cùm omnes ex vna, atque eadem massa simus in substantia, & cuncti peccatores, alius Deus miseretur, & alium despicit non sine iustitia. In figulo enim sola voluntas est: in Deo autem voluntas cum iustitia. scit enim Deus, cuius debeat misereri. Hæc Ambrosius. Quibus in verbis, quòd iustitiam coniunctam esse ait cum voluntate Dei, cùm aut miseretur, aut reprobat, si rectè intelligatur, minimè negabimus. Scimus enim, in Deo nullam prorsus esse iniustitiam. nemini enim ille facit iniuriam. In hoc autem resistimus, quòd isti rationem diuinæ iustitiæ petendam putant ex hominum operibus, & meritis: nos enim eam tantùm ex Dei ipsius sapientia petendam iudicamus: de qua nihil nobis statuendum est, nisi quantum à Deo ipso in scripturis sanctis sit reuelatum. Commentaria illa, quæ ascribuntur Hieronymo, duo annotarunt: primùm, hanc responsionem Pauli quodammodo ex hypothesi prolatam esse, quasi ita dicat aduersario: Etiamsi ita esset, vt tu tibi fingis, Deum, cuius voluerit, misereri, & quem velit, indurare, tamen ne id quidem deberes vsqueadeo molestè ferre, vt cum Deo certare velles, & eum quodammodo in ius trahere. Hæc interpretatio assumit, verba illa, cuius vult, miseretur, & quem vult, indurat, posita esse sub persona aduersariorum. At id contextus ipse non patitur, nam Apostolus ad ea statim subijcit obiectionem: Dices, inquiens, igitur mihi: Quid adhuc conqueritur? Et voluntati eius quis resistet? Neq; debemus seriem verborum pro nostra libidine mutare. Præterea cùm Paulus dicat, figulum ex eadem massa posse facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam, putant hanc similitudinẽ applicandam esse ad Israelitas, & Aegyptios. Et propterea tradũt, duos illos populos videri profectos ex eadem massa, quòd vtrique polluti fuerint eodem genere peccati, nempe, idololatriæ. Nam, vt Ezechiel testatur, etiam Iudæi colebant idola Aegypti: tamen, quamuis æquè vtrique peccassent, Deus Iudæos nihilominus honorificè liberauit, Aegyptios autem abiecit ad perniciem. Sed nihil necesse est, ea, quæ generaliter ab Apostolo prolata sint, de certis hominum generibus intelligere. Neq; agitur hoc loco de flagellis, aut supplicijs irrogatis à Deo, in quibus liceat facilè meritorũ rationẽ deprehendere: sed de prima illa electione, quam Deus habuit ante iacta fundamenta mundi. Neq; satis quadrat, quod scribit Methodius Martyr in libro de resurrectione, vt citat in Græcis Scholijs. Exponit enim hæc de Deo, qui potestatẽ habeat in extremo die excitandi corpora defunctorum ex eadem massa elementorũ, partim ad honorẽ beatitudinis, partim ad cõtumeliam dãnationis. Nam extrema illa condẽnatio, & gloriæ adiudicatio multùm distant ab electione, & prædestinatione, de qua nunc instituta est à Paulo disputatio. Hoc tamen interea animaduersione dignũ est, nos, cùm tribuimus Deo potentiã in electione hominũ, qualem figulus habet in fictione vasorũ, nequaquã docere, talem Dei potentiã, & voluntatẽ esse tyrannicã, aut alienã à iustitia. Cùm enim nemini fiat iniuria, & hoc genus authoritatis Deo iure optimo conueniat, necesse est, & electionem & reprobationem iustam esse, etsi eius iustitiæ ratio nec ab eligendorum, nec à reprobandorũ operibus pendeat. Quòd, vt magis liqueat, scire debemus, Deum, cùm aliquẽ præterit, & eius non miseretur, nihil tamen illi adimere. Ita enim figulus nihil de honore, aut dignitate argillæ detrahit, cùm ex ea facit vasa ad vsum contumelioſum. Imò sæpe videmus, reprobatos ornari à Deo præclaris donis: etsi illis misericordiam, quæ salutem adferat, non impendat. Quare cùm illis nihil à Deo detrahatur, nihil habent, quòd Deũ accusent iniustitiæ, si ab eo prætereant. Hæc de interpretatione verborum Pauli. Nunc non erit, opinor, ab re, videre, quid Chrysostomus in hunc locum attulerit. Ille enim, cùm intelligeret, se hac similitudine vehementer premi, videretq; ex ea sequi, nec electionẽ, nec reiectionẽ pendere à meritis operũ, magna arte conatus est, vim eius similitudinis imminuere. Similitudines, inquit, non sunt recipiendæ ita, vt valeant in omnes partes: nam alioqui multa absurda consequerent. Deus enim interdũ in sacris literis cõfert cum Leone: ex qua tamẽ similitudine hoc tãtùm debes decerpere, esse in Deo immẽsum robur, & inuictam fortitudinem: quæ in Deum iure optimo conueniunt. At si pergere velis, & crudelitatem, feritatemque leonum in Deum transferas, nemo feret. Dicitur etiam Deus vrsæ esse

Dei uoluntas est cõiuncta semper cum iustitia.

Iustitiæ ratio in electione petẽda non ex est operibus nostris.

Iulæi colebant idola Aegypti.

Quæ ab Apostolo dicuntur in uniuersum generaliter intelligenda sunt.

Disputatio instituta est de electione ante iacta mũdi fundamenta.

In electione uolũtas Dei non est tyrannica.

Deus nihil adimit ijs quorum non miseretur.

Reprobi sæpe ornantur magnis donis.

Deus dicitur leo

Deus dicitur ursa.

esse similis: quod referendum est ad vires vlciscendi: non tamen idcirco tribuere debes Deo deformitatem eius beluæ, & irrationabilem iracundiam. Deus etiam dicitur ignis: quòd omnia possit absumere, & purgare: non tamen idcirco dices illum sine intelligentia, & sensu, & voluntate grassari: Verùm non oportuit Chrysostomum in explicanda illa similitudinum regula tantopere laborare. Est enim in confesso, similia in omnes partes non valere: neque nos omnia, quæ figulo, & luto conueniunt, transferimus ad Deum. Neque enim Deo manus, aut rotam affingimus: nec homines sensu, & voluntate, & intelligentia spoliamus, vt sint prorsus instar luti. Fatemur ergo, quod Chrysostomus ait, similitudines sæpe claudicare, & in illis expendendis summum adhibendum esse iudicium. Sed Chrysostomus putat, hunc tantùm esse Pauli scopum, vt homo reprimatur, ne Deo velit obtrectare: ita enim se argilla gerit erga figulum. Atque hũc quidem scopum nos etiam admittimus: sed interim addimus alium: nempe Deum pro suo iure posse misereri, cuius voluerit, & cuius noluerit, non misereri: quæ libertas in tractando luto tribuitur etiam figulo: id quod si dempseris à scopo Pauli, querimonię illi, quę obijcitur, non erit occursum. Errabat enim ille obiector duobus modis: primùm, quòd obtrectaret Deo: deinde quòd illi videretur velle inurere iniustitiam. Vtrique parti Paulus occurrit hac similitudine: nam, quod ad obtrectationem attinet, sic inquit: An dicet figmẽtum illi, qui se finxit, cur me finxisti ad hunc modũ? Quod autem attinet ad iniustitiam, Deum satis purgat ab ea nota, cùm eum ait nihil contra suum ius facere. figulum enim habere potestatem, vt vasa fingat pro arbitratu suo. Quòd si ista similitudo non attingat vtrunque caput, illi, qui ita cum Deo litigat, os non obstruitur. Nam si semel audierit, Deum non esse re vera instar figuli, nec posse iure facere quod velit, clamabit, similitudinem eam nihil ad se pertinere. aliter enim de Deo statuendum esse, aliter de figulo. Sed Chrysost. non dissimulauit, quid hac in re tantopere formidaret: id nimirũ, ne periret liberũ arbitrium. Ne putes, inquit, contra liberũ arbitriũ hîc quicquã dici. Apostolus enim potius hac similitudine cõmẽdare vult obedientiã erga Deũ: vt nos illi eadẽ facilitate obsequamur, qua lutum sequitur manũ figuli. Atqui Paulus de hac obedientia ne vnum quidẽ hoc loco verbum facit. Deinde nõ sequitur, perire liberũ arbitriũ, etsi Deus in electione hominũ opera, & merita nõ respiciat. Etsi enim in facultate nostra nõ sit, vt vel eligamur, vel reiiciamur, multa tamen alia possunt nobis esse libera. Est ergo Paralogismus, à secundum quid ad simpliciter, si ita dicas: Homines in hac re non sunt liberi: ergo, in alijs rebus nullam habent libertatẽ. Citra controuersiam necesse est, vt & Chrysostomus, & omnes pij fateantur, non esse in cuiusquam facultate, vt absque originali peccato concipiatur: sed an ex eo aut debimus concludere, nullam nobis aliam præterea relictam esse libertatem? Adhæc, quis id habet in manu sua positum, vt regeneretur, & in Christum inseratur? Id enim acceptum referendum est gratiæ, & fauori Dei. Nihilominus tamen adepta semel regeneratione, infinita sequuntur, quæ nobis relinquuntur libera. Quare sensus iste Pauli, quem nos sequimur, non aufert liberum arbitrium: nisi forte velimus talem nobis voluntatis libertatem fingere, vt possit sibi ea omnia arrogare, etiam quæ à Deo donantur gratuito. At id à vero sensu fidei alienum est. Nemo enim venit ad Christum, nisi tractus à patre. Et Christus ait Apostolis: Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Addit Chrysostomus præterea, Apostolum non agere hoc loco de ratione, qua Deus administrat creaturas, sed de ea summissione, quam nos illi debemus exhibere. Fateor equidem, non agi hîc de administratione vel omnium creaturarum, vel omnium humanorum euentuum: non tamen dubito, Paulum loqui de illo administrationis genere, quo ante iacta mundi fundamenta alijs tribuit misericordiam, alijs non tribuit. Fateor præterea, hominem oportere demisse, atque humiliter de se ipso sentire: non tamen ita, vt adhibere debeat mendacium. Quare si sentiamus, non esse nos verè tanquam lutum in manu figuli, vt Deus pro suo arbitrio possit vel fingere nos, vel refingere, sed cogatur sequi, & spectare nostra opera, iustum non est, vt aliter aut doceamus alios, aut nobis ipsis persuadeamus. Neque enim propter humilitatem, et deiectionem animi, debemus de nobis aliter sentire, quàm sumus. Huc addit Chrysostomus, ista non pertinere, nec ad hominis conditionem, nec ad mentis necessitatem, sed tantùm ad varietatis dispensationem. Ne nos quidem hîc aut de mentis necessitate, aut de hominis conditione loquimur: sed de electione, aut reprobatione Dei: quæ, non video, cur non possit appellari dispensatio, cùm Deus misericordiam impendat, & dispenset, quibus velit. At Chrysostomus eam intelligit dispensationem, qua Deus rependit hominum operibus ex illorum natura. Quod certum est, Paulum hoc loco non agere. Adhæc, ait, se ista statuere, ne homo pro ni videatur extra culpam, & putetur immerito damnari: néue Paulus sibi ipsi videatur ad-

Deus dicitur ignis.

Error duplex eorum qui de se in hac quæstione opponunt.

Nec deo est obtrectandum neq; iniustitia illi inurenda.

Paulus de obedientia hoc loco verbum non facit

Non perit liberũ arbitrium ex libera Dei electione.

Non est in nostra facultate ut citra originale peccatum nascamur.

Non tale liberum arbitrium danãtur est quod omnia sibi possit arrogare.

Submissionis prætextu non est adhibendum mendacium.

Electio potest dici dispensatio misericordiæ.

Homo nõ potest esse liber à culpa, cùm in ea nascatur.

uersari: is enim vbiq; ferè coronat voluntatẽ: sed ista ad nostrã sententiã non consequuntur. Qui enim potest homo liber esse à culpa, cùm & in peccato nascatur, & in iniquitate concipiatur? Neq; Paulus eam coronat voluntatẽ, quę nobis innata sit, quamcq; ex proprio ingenio habeamus: verùm eam, quę à Deo facta, & immutata sit, non casu, aut fortuitò, sed destinato consilio, & proposito. Deinde, vt vim collationis, qua vehementer premitur, vtcunq; diluat, & infirmet, ait, naturã similiũ esse hyperbolicã, quam oporteat res eas, de quibus agitur, plurimùm vincere: alioquí enim nõ posse eas hominũ animos permouere. Ne id quidẽ nos negamus: illud tamen addimus, in metaphoris, & figuris quantũuis illustribus, atq; vehementibus, perpetuò, quemadmodũ antea monuimus, integrum retinendũ esse scopum. Postremò existimat nos decipi, quòd similitudine luti adducti, putemus, omniũ hominum, cùm eandẽ habeant substantię naturã, easdem etiã esse volũtates. quam opinionẽ ab animo stupido, atq; hebeti concipi arbitratur. Nos autẽ ita stupidi non sumus, vt voluntates hominum vndecunq; putemus easdẽ esse. Sed ingenium humanũ spectamus iam inde vsq; ab initio, vbi nullus in eo vsus voluntatis esse potest. Et admoniti sacris literis agnoscimus illud prorsus corruptũ esse, & deprauatũ. Et quod ad hoc quidẽ attinet, non immeritò omniũ hominũ voluntates statuimus esse pares. omnes enim educũtur ex eadẽ massa. Postea cùm venitur ad ętatẽ grandiorẽ, qua vsus voluntatis conceditur, dicimus omniũ hominũ studia, & desideria esse eadẽ: non quidẽ simpliciter, nam varia sunt studia & diuersi conatus, sed omnes ad malum, quatenus lege peccati gubernantur. Destituti enim gratia Dei nihil ex se aliud, quàm peccata proferre possunt. In hoc tamen agnoscimus diuersitatẽ voluntatum quòd nõ omnibus offerũtur ęqdẽ occasiones. Singuli enim habẽt impulsus suos, prout aut educationis, aut corporis, aut operis, aut loci, aut temporis ratio ferre solet. Ex quo fit, vt peccatũ originis in varias formas vitiorũ erumpat. Quod autẽ ait, vasa figulina non habere discrimẽ ex massa, sed tantùm ex instituto illorũ, qui ea vsurpant, atq; ita homines habere sua discrimina ex electionũ, & voluntatũ diuersitate, id planè non est verum. Nam vasa figulina nequaquã primùm vsurpatione distinguuntur, sed officio figuli. Homines enim idcirco illis dissimiliter vtuntur, quòd efficta sint diuersa forma. Ita homines priusquã discernant suis desiderijs, & voluntatibus, discernuntur prędestinatione, aut reprobatione Dei. Si quis diligenter expendat similitudinẽ, quam Paulus affert, vt, missso Chrysostomo, ad eum aliquando veniamus, inueniet similitudinẽ propositę quęstioni aptiorẽ, & cõmodiorem non potuisse inueniri. Materia enim ea, qua figulus vtitur, adeo vilis est, & abiecta, vt si fortè ex ea fingat vas aliquod pulchrũ, & elegãs, quod aut mensæ, aut alij vsui honorifico sit destinandũ, totum id tribuendum sit industrię atq; arti figuli. Cùm autem è diuerso ex argilla fiunt ollæ culinarię, materia non potest conqueri, sibi fieri iniuriam. Erat enim ipsa natura sua abiectissima: imò potius, cùm ad vasa ita vilia destinetur, negare non potest, suæ illi ita deformi naturæ multũ ornamenti accessisse. At si aurifaber, aut gẽmarius ex auro, aut lapidib. pretiosis vas aliquod ad contumeliosum ministeriũ fabricaret, posset nõ immeritò accusari, quòd materiã pretiosam ita sordidè atq; indignè tractaret. Ita enim ethnicus Poeta Bassum perstrinxit, quòd prę nimio luxu ventris onus aurea trulla exciperet. Cõsiderauit itaq; Paulus, hominẽ post peccatum, tam quod ad corpus, quàm quod ad animã attinet, ita factũ esse abiectum, & vilẽ, vt si electione Dei ad ęternę gloriæ dignitatẽ euehatur, id totum non præstantiæ naturæ suæ, quæ iam propter peccatũ redacta est in miserrimã conditionẽ, sed summo artifici assignare debeat. At si quis in diuina electione prętereat, fiatq; vas irę, non tamen potest ea causa Dei prædestinatio accusari, quasi creaturã dignam infra meritũ suum abijciat. Non ergo immeritò in diuinis literis inuenimus hanc metaphoram sępius repetitam. Bene enim cõsiderata prędara doctrinã exhibet. Est enim locus ille, vt mihi quidẽ videtur, insignis in 56. capite Esaiæ, vbi Propheta supplex orat Dominũ sub persona populi afflicti captiuitate Babyloni ca. Tu, inquit, es pater noster: nos autẽ lutum. tu es figulus: nos verò opus manuum tuarum. Non potuit populus magis appositè abiectionem suam, atque indignitatem confiteri: aut magis explicare misericordiã, quam à Deo implorabat, quàm illa similitudine ducta à figulo, & à patre. Cùm enim Deus dicitur figulus, significatur eum, & posse, & scire ex hominibus facere glorioso: cùm autem dicitur pater, ostenditur, illum ea esse erga suos voluntate, vt id etiam velit facere. Ollæ ergo, vt Apostolus concludit, non licet cum fictore suo, hoc est, cum Deo expostulare, quòd destinata nõ fuerit ad mensam regiã. Et quãuis ea, quæ Paulus hîc tradit, ad electionẽ, & prædestinationẽ pręcipuè pertineãt, tamẽ ad ædificationẽ nostrã latius patere possunt: vt ex his verbis colligamus, nõ licere nobis de statu nostro cõqueri, & quasi cum Deo litigare. Si caro nobis suggerat, præstitisse nos esse ditiores, honore maiore

Quomodo uolũtates hominũ eædem sint & non eædem.

Peccatum originis in uarias formas uitiorum erumpit.

Quæ sit prima hominum discretio.

Quàm sit commoda similitudo figuli.

Locus Esaiæ.

Quæ Paulus dixit posſũt adhuc latius patere.

maiore prædítos, robuſtiorí corpore, eam íllíco reprímamus hac ſímílítudíne, quòd ſímus lutum ín manu figulí. Hac cogítatíone admoníti non audebímus de noſtra ſorte conqueri, aut cœlí, atque aeris íntemperiem, aut rerum alíarum adminiſtratíonem ímprobare. Hoc enim quíd alíud eſt, quàm lutum velle leges præſcríbere figulo? Meminerit ígitur homo conditionis ſuæ: cùm ſit ípſiſſima vanitas, par non eſſe, vt cum optimo, & fortiſſimo Deo auſit diſceptare. Dauíd ait Pſal. 38. Obmutuí, & non aperuí os meum: quoníam tu feciſtí. Hæc eſt firmiſſíma ratío, cuí ín omnibus caſíbus humanæ vítæ perpetuo eſt acquieſcendum: quícquíd accídit, fieri iuſſu, & voluntate Dei. Huiuſmodi meditatío facit homines ín rebus proſperís moderatos, neque eos patítur ínſoleſcere. Cùm enim cogítant, ſe eſſe tanquam lutum in manu figulí, íntelligunt ſtatím, ílla omnia è veſtígío poſſe euertí, & eam felícítatem recídere poſſe ín ſummam míſeríam. Rurſus ín rebus aduerſís hac conſolatíone ſuſtentatí non deſpondẽt anímum. Vtq; íntelligant, ſummum íllum figulum poſſe argíllam extremæ ínfelícítatís repente mutare ín vas glorioſum.

Quæ cogitatio poſſit homines ad modũ facere moderatos.

Vnde petenda ſit conſolatio in aduerſis.

Si Deus uolens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, tulit multa animi lenitate uaſa iræ apparata ad interitum: ut notas faceret diuitias gloriæ ſuæ erga uaſa miſericordiæ quæ præparauit ad gloriam. Cùm Apoſtolus ante demonſtraſſet ex vi efficienti, lícere Deo, tanquam figulo, quoſdam homines elígere, & quoſdam reprobare, idque ita prorſus pro ípſíus arbítrío, vt cauſa reddí non poſſit, quare híc electus ſit, ílle reiectus, poſtea hoc loco ídem probare voluit à fine. Is autem eſt, vt bonitas, & potentía Dei declaretur, íncolumí tamen interím eíus íuſtítía. Nemo verò eſt, opínor, quí neſcíat, fínem alíum longínquum, & remotum eſſe, alíum propíorem. Hîc attíngítur extremus fínís: quí eſt declaratío proprietatum díuinarum. Ad Epheſios attíngítur fínís propínquíor: dícímur enim ad hoc electí, vt ſímus ſancti, & inculpatí, quod ídem ſignificatur ín epíſtola ad Tímotheum. Sic enim Paulus de ſe ſcríbít: Miſericordíam conſequutus ſum, vt ſim fidelís. Vltra autem hos propínquos fines alter extremus conſequítur: nímírum, vt gloría, ſíue potentía Dei declaretur. Hæc autem ratío petíta non eſt ex arcano díuíní conſílíj, aut ex profunda abyſſo díuínæ ſapientíæ, verùm ex íllís, quæ ſeſe facilè offerunt mentíbus píorum. Lectío autem íſta paulò eſt obſcurior: quod etíam Orígenes annotauit, & poſt íllum Eraſmus. Vídit Orígenes, coníunctíoní íllí, εἰ δὲ nihil eſſe, quod reſpondeat, eſſeque ἀνανταπόδοτον: ideóque putauit, ſine ílla coníunctíone poſſe ſenſum ſatís clarum, & expedítum eſſe. atquí id ego facere non auſím. Nefas enim eſſe íudíco, vel íota, vel apícem vnum ín ſacra ſcríptura commouere. Eraſmus putat redditíonem haberí poſſe, ex íllís, quæ paulò antè dícta fuerant: vt hîc ſít ſenſus: Si Deus volens oſtendere ſuam potentíam, tulít vaſa íræ, quò notas faceret díuítías gloríæ ſuæ &c. &, O homo, tu quís es, quí reſpondeas Deo? &, Non'ne poteſtatem habet figulus lutí? Aut ſuppleri poſſe, quod deeſt: Non habent homines, quod accuſent Deum. Caluínus, vt ſenſum reddat magís perſpícuum, legít hæc verba per ínterrogatíonem: Quíd ſi Deus volens oſtendere? &c. vt ſít ſpecies reticentíæ. Aít, Deum velle oſtendere íram, & notam facere potentíam ſuam, idque per vaſa íræ, quæ tulít multa lenítate. Impíj dícuntur vaſa íræ: quía comparata, deuota, deſtínata ſunt ad vltíonem.

Quæ Deus tulit.

Ē ſcriptura neq; iota, neq; apex mutandus.

Hîc haberí poteſt duplex ínterpretatío: quarum prior eſt, Deum produxiſſe, & creaſſe ea vaſa: & ſíc Auguſtínus pleríſque ín locís hunc locum cítat: Altera eſt, Deum impíos iam productos, & creatos non ſtatím euertere, aut perdere, vt merentur, ſed eos díu ſuſtínere, ac tolerare. Hîc poſterior ſenſus mihí magís arrídet, quàm prior: non quídem propter verbi ſignificatíonem (nam re vera ἤνεγκε vtrunque ſignificat) ſed quía Paulus adíungít, ἐν πολλῇ μακροθυμίᾳ. Níſi quís fortaſſe velít dícere, Deum oſtendere magnam lenítatem, cùm eos producat, quos ſcíat, ſíbí fore hoſtes, & rebelles: quod tamen non ita propríè dící poteſt, ſí vocís íllíus, μακροθυμίας, legítimam ſignificatíonem expendamus. Tolerat ítaque Deus díu vaſa huíuſmodí: quía ita fíunt magís conſpícua. Nam ſí ea ſtatím frangeret, non facilè animaduertí poſſet, aut elucere potentía Dei: neque homines facilè poſſent ab íllís ſíbí exemplum ſumere. Cùm autem Deus ímpíos díu toleret, & eos ad extremum ſua vi potentíſſima puníat & conterat, non tantùm declarat ſuam potentíam, ſed etíam eadem opera oſtendit, quàm copioſa fuerít ípſíus míſerícordía erga electos. Iſtí enim dum ſe conferunt cum íllís ita relíctís, deiectís, fractís, íntelligunt, quantum ín ſe beneficij, quantúmque míſerícordíæ ſít collátum. hîc habemus fínem. Cauſam verò, cur alíj ad íram deputatí ſint, alíj ad míſerícordíam, ex íllís, quæ íam dícta ſunt, oportet petere: nímírum, ex voluntate, & poteſtate Dei. Per, vaſa, Paulus hoc loco ſignificauit inſtrumenta. Vnde pulchrè annotauit Auguſtínus, σκεῦος non eſſe apud Græcos,

Cur Deus uaſa perditionis diu toleret.

Vaſa ſignificant inſtrumenta.

σκεῦος, ἀγγεῖον.

id quod liquorem continet: id enim, inquit, alio nomine appellatur ἀγγεῖον: sed σκεῦος putat esse impedimenta, aut instrumenta: quod etiam apud Hebræos est in viu. Nam Iacob appel lauit Simeonem & Leui כלי חמס vasa fraudis, aut doli: quòd instrumenta fuissent istorũ vitio

Vas electionis.

rum. Quo eodem Hebraismo Paulus dictus est, vas electionis, hoc est organũ, & instrumen tum à Deo electum. Et Paulus in 2. ad Timotheũ, Qui se, inquit, mundauerit ab his, erit vas in honorem sanctificatum, & ad omne opus bonum præparatum. Declarant huiusmodi lo-

Deus quibus mo dis utatur homi nibus.

cutiones, quàm homines per se ipsos nihil possint. Deus enim illis vti dicit, non solùm, quia mouet eos, verùm etiam quia dirigit, & applicat ad quæcunq; voluerit: quod nõ tantùm de

Deus etiã impijs hominib. utitur.

pijs intelligendum est, verùm etiam de impijs. Quamuis enim ex se ipsis habeant prauitatẽ, & corruptelam, ea tamen Deus vtitur vt instrumẽto consilij sui. Itaq; scripturę solent homi-

Exemplum Iudæ

nes nefarios, & crudeles tyrannos, virgam, securim, gladiũ, malleũ Domini appellare, quòd ipsius prouidentia, & moderatione moueantur. Nam quamuis perpetuò peccent, & impiè agant, tamen eam fallere, & frustrari non possunt. Sic enim Iudas, cùm ita auaritia laboraret, vt quiduis facturus esset quęstus causa, Dei præparatiõe inseruiuit prędestinatę actioni, qua Christus traditus est Iudęis pro salute nostra. itaq; dici potuit vas irę aptatũ ad interitũ. Ap-

Cur impia uasa dicantur ad interitum.

tatio ista, etsi modis illis, quos iam declarauimus, sit ex Deo (reprobat enim ab ęterno, & po stea ita exigentibus hominum meritis, excæcat, & indurat) tamen, quia homines reprobati à Deo habent in se ipsis corruptionem, & vitium, ideo Paulus simpliciter dicit, vasa illa apta ta esse ad interitum, nulla facta aptantis mentione: quia etiam à se ipsis intelligi possunt esse

Dei mentio fit in uasis misericordiæ non in uasis exitij.

aptata, nõ minus, quàm à Deo. Postea tamen, cùm ageretur de electione, quoniam in nobis nulla habemus initia pietatis, idcirco Paulus diserte nominauit Deum: Quæ præparauit, in-

Cur uasa iræ ac misericordiæ dicantur.

quit, Deus. Quemadmodũ igitur colligere possumus ex hoc locutionis genere, omnes ho mines sunt vasa Dei: ita autẽ distinguuntur, quòd alia sint iræ, alia misericordię, prout Deus proprietates suas in illis exercet, atq; declarat: nam alioqui ex natura sua inter se non distin

Propter nos deus hoc discrimen uasorum uoluit.

guuntur. Alij enim eo tantùm nomine præstant alijs, quòd electi sint, & misericordiã consequuti, cùm alij præteriti sint, & reprobati. Voluit autem Deus existere hanc diuersitatẽ vasorum, quod vnico in genere non possit declarare excellentiam suam. idq; propter imbecil litatem intelligentiæ nostræ potissimùm usu venit: quod idem videmus accidere in cogni tione rerum naturalium. Omnes admiramur lucem Solis: at certè eius claritas nõ vsq; adeo spectabilis videretur, si alia omnia æquè lucerent, atq; ille. Nam ex aliorum astrorum obscu rius lucentium comparatione, lucis eius magnitudo clarius cognoscitur: quæ tamen ex no cturnis tenebris multò adhuc magis est cõspicua. Ita misericordia & bonitas Dei erga elec tos luculenter agnoscitur, cùm considerat̃ disparibus gradibus cõmunicata: tum autẽ de mùm clarissimè relucet, cùm oculos referimus ad condemnationẽ impiorũ. Ex eo enim de prehẽdimus, quàm Deus clemẽs, & benignus fuerit erga nos, qui passus nõ sit nos in tali ca lamitate perpetuò versari. Voluit autẽ Deus extare hãc bonitatis suæ cognitionẽ, nõ quòd ex ea felicitas aliqua ad ipsum redeat, sed vt nos tantę Dei erga nos misericordię meditatio ne inflãmati, & gratias agentes, ad eum facilius adducamur. Annotandũ est pręterea, Augu stinũ De nuptijs, & concupiscentia ad Valeriũ, hac Pauli sententia, qua statuit omnes homi nes esse vasa Dei, &, siue electi sint, siue reprobi, eius voluntati inseruire, respondere Pelagia

Nota argumentũ Pelagianorum.

nis. Illi enim peccatũ originis pręter alias rationes, hac etiã ratiõe oppugnabãt, quòd Deus, cùm creet homines, vt Catholici dicũt, sub hac culpa, videatur eos creare Diabolo. Omnes enim, quicunq; infecti sunt labe aliqua peccati, citra cõtrouersiã sunt mãcipia Satanæ. Aug.

Responsum Augustini.

autẽ respondet illis ad hunc modũ: Deũ à principio fecisse parentes humani generis innocẽ tes, & nulli peccato obnoxios. Postea autẽ quàm illi lapsi essent, voluisse eum alios homines ex illorũ stirpe progenerare: noluisse autẽ massam aliã creare vnde eos produceret. Creare ergo eum homines, qui iuxta naturã quidẽ boni sunt: peccatũ verò, quo cum nascunt̃, illum non fecisse: sed illud in massa ipsa pręexistens reperisse: non tamen idcirco eum dici posse

Mali etiã uelint nolint cõsilio dei seruiunt.

creare homines Diabolo. Mali enim, & reprobi, etsi se dedant prauitati, & malitiæ, tamẽ ve lint, nolint, Dei consilio inseruiunt. Imò ne Diabolus quidẽ ipse effugere potest, quin mini

Argumentum Pelagianorũ cõtra Paulum dirigitur

stret Deo. Id Paulus apertissimè declarat, cùm ascribit Deo vasa, nõ tãtùm misericordiæ, sed etiã irę. Moueant ergo, inquit Augustinus hãc quęstionẽ nõ nobis, sed Paulo. Is enim ait Deũ in

Cur Deus creet homines quos nouit esse damnandos.

star figuli facere alia quidẽ vasa in honorẽ, alia verò in contumeliã. Nec alia de causa repro bos appellat vasa iræ, nisi quòd sint instrumenta Dei. Cùm itaque Deus & istorum, & Dia boli, quorum isti serui sunt, malitia vtatur pro arbitratu suo, non debet dici impios homines alteri potius creare, quàm sibi. Atq; hoc ipsum illis etiã responderi potest, qui solẽt quærere, cur Deus velit creare homines, quos sciat esse damnandos. Nimirum, quòd decreuerit vti illorum

vti illorum malitia, quam tamen ipse non fecit. Dicitur autem Deus ostendere potentiam suam in vasa iræ, quum supplicio afficit, & punit, quòd tum non videatur peccata dissimulare. Impij enim euadunt postremò ita petulantes, & effrenes, vt videantur quodammodò insultare Deo, Et Deus infirmioribus facilè videri posset, furori malorũ cedere, nisi illorum peccata puniret. Huc spectantes Prophetæ sæpe in scripturis orant Deum, vt perdat impios, nec illorum scelera diutius impunita esse sinat, ne infirmiores offendantur, & impij reddantur insolentiores. Videbant enim sancti viri, ex declaratione iudiciorum Dei multos interdum resipiscere, & infirmos nutantes confirmari, atque ex vltrice illa potentia, & vindicta illustrius effici nomen Dei. Locus iste à Paulo tractatur vocibus ita magnificis, & significantibus, vt nihil vehementius, aut efficacius in tanta breuitate dici potuerit. Habes enim hîc declarari potentiam, atque iram Dei, idque eius longanimitate, ac patientia: Habes vasa iræ aptata in interitum: habes vasa misericordiæ, quæ præparata sint ad gloriam, vt in illis ostenderentur diuitiæ gloriæ Dei. Omnia autem ista prudenter commemorata sunt à spiritu sancto, vt magnam ex illorum consideratione ædificationem elicere possimus. Sed quum audimus mentionem fieri iræ Dei, existimare non debemus, illam esse eiusmodi affectum, quo Deus perturbetur: Deus enim semper est pacatus, & tranquillus. Hac autem voce declarantur effecta iræ. Id enim Deus puniendo facit, quod homines irati facere solent, vt iniuriam illatam, & contemptum vlciscatur. Eiusmodi autem vindicta exerit, & demonstrat potentiam suam: quia homines rebelles, & pertinaces subijcit sibi vel inuitos. Annotandum etiam est, impios in scripturis appellari non tantùm vasa iræ, sed etiam filios iræ: quibus loquutionibus idem ferè ostenditur. Fit tamen interdum, vt ex quibusdam vasis iræ conflentur vasa misericordiæ: etsi Paulus in præsentia de illis non loquatur. De illis enim hîc tantùm agit, qui æterno exitio futuri sunt iræ diuinæ instrumenta. Agitur enim hoc loco de prædestinatione, & reprobatione, quæ fixæ sint, & immutabiles. Dicitur autem Deus præparare vasa misericordiæ: quo verbo significatur, eos, quos Deus elegit, natura sua nihilo esse meliores, quàm alios: nam quæ præparantur, non sunt per se idonea: ideóque aptatione quadam opus habent. Hinc ratio elici potest aduersus merita: nam si ex nobis ipsis non sumus idonei, sed Deum oportet nos præparare, nemo iure potest, quòd rectè facit, sibi ipsi adscribere. Valet præterea hæc loquutio non parum ad exprimendam spontaneam bonitatem Dei erga electos. Non enim tantùm largitur illis æternam vitam, sed etiam illos ad eam præparat. Monemur etiam vt, quoties videmus impios florentes opibus, & gratia, exturbari suis diuitijs, & dignitatibus, ne tribuamus id casui, aut hominibus, aut imprudentiæ, sed potius potentiæ, & vltrici iustitiæ Dei. Attendendum præterea est, quod Apostolus ait, Deum magna lenitate ferre vasa iræ. ideóque nos quoque illum imitari studeamus. Si enim ille, quum tam potens sit, non statim vlciscitur, indignũ est, vt nos infinito interuallo illo inferiores minimas quasq; iniurias primo quoq; tempore persequamur. Hoc certè non est imitari cœlestẽ nostrum patrem, qui Solem suum oriri facit super bonos, & malos: & pluit super iustos, & iniustos. Christianorum est, sequi doctrinam Christi. Christus autem ait: Estote perfecti, sicut pater vester cœlestis perfectus est. Hanc Dei bonitatem ne Ethnici quidem ignorarunt, sed eam nobis proposuerunt imitandam. Cleanthes enim philosophus, quum esset in theatro, & à Poeta quodam graui scommate notaretur, id ita patienter tulit, vt ne vultum quidem mutarit. Posteà autem, quum Poeta agnosceret culpam suam, & veniam precaretur, respondit Cleanthes, philosophum hominem non debere commoueri, cùm Dij ipsi quotidie à Poetis illusi, & contemptim habiti, tamen id ita leniter, & patienter ferrent. Quòd verò Paulus ait, Deum non solùm gloriam suam declarare voluisse, sed etiam diuitias, ea voce significat inexhaustam copiam, & vim incredibilem erga electos bonitatis Dei. Qua eadem ratione alibi appellat Deum diuitem in misericordia: & suprà in hac eadem epistola dixit, An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Et paulò pòst exclamat, O altitudo diuitiarum sapientiæ, ac scientiæ Dei. Tanta enim est copia misericordiæ, & bonitatis, qua Deus vtitur erga suos, vt nunquam videatur sibi satisfacere in illis ornandis: à qua perfectione nos tantùm absumus, vt cùm vel leuissimũ officium in fratres nostros conferamus, statim incipiamus defatigari. Nomine autẽ Gloriæ, mihi placet, vt per metonymiã intelligamus bonitatẽ. Nam ex ea declaratione bonitatis nascitur gloria. Origenes ait, Deũ ostendere lenitatẽ seu patientiã, cùm impiorũ peccata differt inulta: potentiã autẽ cum ea aliquando punit. Per vasa misericordiæ intelligit eos, qui se à sordib. emundauerũt. Sed vti docuimus, nemo potest se ipsum emũdare, nisi cui Deus id dederit. Cũ igit hæc emũdatio

In puniendis malis quomodò potentiã Deus ostendat.

Vnde sanctorum Prophetarũ imprecationes in impios.

Orationis Paulinæ significantia.

Ira Dei.

Filij iræ, & uasa iræ.

Non omnia uasa iræ & filij iræ eiusdem rationis Contra merita.

Expressio bonitatis Dei.

Vltrix Dei potẽtia in casu impiorum expendenda.

Metaphora à diuitijs.

Gloria Dei pro bonitate accipitur.

pendeat à misericordia Dei, non potest esse causa, cur simus vasa misericordiæ. Addit Origenes, ista vasa non præparari ad gloriam irrationabili, aut fortuita gratia: sed cùm se expurgauerint à sordibus. Atqui, vt diximus, ista expurgatio nō potest dici causa gratiæ: ea enim gratis datur: nec misericordiæ: nam ea, antequàm à nobis quicquam fiat, impenditur, videlicet ante iacta fundamenta mundi. Neque verò, si nostris meritis gratiam non acquirimus, ideo gratia illa irrationabilis videri debet. Proficiscitur enim à summa Dei sapientia: quæ satis in se rationum habet: nec eas oportet vt mutuetur à rebus creatis: imò ne fortuita quidē dici debet: nam, vt philosophi docent, ea sunt fortuita, quæ citra propositum, & consilium eueniunt. at cùm Deus omnia efficiat iuxta suum consilium, & voluntatem, videri non debet quicquam fortuitò, aut casu fieri. Cuicunq; autem dat gratiam, eam æterno instituto, & decreto dat. At si Origenes, quum ista scribat, ad nos respiciat, qui donamur gratia, & velit fortuitò accidere, quòd gratia non detur omnibus, sed immerentibus, & aliud agentib. conferatur, non multùm equidē reluctabor. Pauci enim sunt electi, vt Dominus ait: neque quisquam nostrûm causa fuit, cur eligeretur. Et idcirco in scripturis iusti appellantur sors Dei. Et dum hac de re cogito, venit mihi in mentem id, quod Plutarchus refert ex sententia Platonis: videlicet, vitam hominū esse instar illorum, qui ludunt alea. Eos enim primùm oportet feliciter iacere: deinde, quicquid ceciderit, eo prudenter vti. Ita nobis, vt æternam vitam adipiscamur, prima felicitas est necessaria, vt simus in albo, & numero electorum, vtq; vocemur, & iustificemur per gratiam, & spiritum Christi. Hęc autem postquàm sumus consequuti magna industria, sollicitudine, prudentia nos ipsos oportet exercere, & cum Deo sapienter cooperari. Addit Origenes, mirari se, quo pacto Deus velit declarare irā suā: cùm ira sit ab eo longè aliena, & bonitas sit eius naturæ maximè propria. Dauid enim ait, Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine? quam abscondisti timentibus te? Tamen huius rei hanc adfert rationē, quòd nobis expediat esse sub metu iræ, ne pro nostra fragilitate declinemus ad lapsus, & spe diuinæ benignitatis soluamur in negligentiam. Cæterùm si per iram Dei accipiamus potentiam, qua administrat iustitiam, & vlciscitur peccata, illam ego non putauerim à Deo esse alienam. Id autem, quod citat ex Dauide, non ita accipio, quasi velit, Deum omnem bonitatem suam occultare: nam bonam eius partem, etiam dum hîc viuimus, experimur. Sed ego Dauidem de illa bonitate loqui arbitror, quę manet nos in altera vita. Atqui ad hunc modum sicut bonitas Dei absconditur, ita occultātur extrema etiam supplicia damnatorum: vt hac in re nulla ex parte sit discrimen. Fateor equidem, esse in electis timorem Dei: sed illum nego plus prodesse, quàm fiduciam: quæ in eo sita est, vt diuinam bonitatē in diuinis promissionibus oblatam amplectamur. Philosophus quidam, cùm illi vitio daretur timiditas, Ea causa, inquit, minus pecco. Id nos inuertere possumus, & dicere, Quò plus habemus fidei, & spei, eò nos minus peccare. Putat etiam Origenes, notas fieri diuitias gloriæ Dei, quum illi, qui contemnuntur ab hominibus, assumuntur à Deo. Ita enim antiquitus natio Iudæorum fuit abiecta, & vilis, vt grauissimo genere seruitutis opprimeretur. Ita posteà Ethnici, cùm & idololatria, & alijs infinitis vitijs essent coopertí, tamen accersiti sunt ad Christum. Verum hîc debemus considerare non agi tantùm de aliquo vniuerso populo: sed ea, quæ hîc dicuntur, posse ad singulos homines accommodari. Prętereà Paulus ex vltione, quæ sumitur de vasis iræ, vult declarari diuitias gloriæ in vasa misericordiæ, Nec videtur agere in præsentia de assumptione, quæ fit per electionem, sed de executione prædestinationis. Scholia Græca aiunt fieri à Deo vasa misericordiæ, propter fidem præuisam, & virtutes consecuturas. Sed nos satis fusè ostendimus, hęc omnia non esse causas misericordiæ Dei, sed eius potius effecta. Ambrosius hoc loco primùm expendit, quid sit, vasa aptari in interitum. Id autem ait Deum facere, cum lenitate, ac longa patiētia differt pœnas: eo enim pacto homines fieri minus excusabiles. Deus autem expectando dicitur vti patientia: quoniam illos præuidet non esse conuertendos. Videtur autem magna patientia, si id expectes diutius, quod scias non esse euēturum. Non tamen id Deus frustra facit. Illud enim spatium, quod conceditur, etsi impijs non prodest, tamen prodest electis: illi enim istorum exemplo resipiscunt. Ex his apparet, illa verba, Aptata ad interitum, ab Ambrosio referri ad Deum: quum tamen re vera ad homines ipsos possit trahi: qui vitiata natura, & deprauato ingenio satis apti sunt sua sponte ad interitum. Quanquam, vt superius docui, idem attribui potest etiam Deo. Adhęc Ambrosius diuitias gloriæ, interpretatur, dignitatē illam, quam in æterna felicitate sumus habituri. Quam quidem etsi non ignoro plenissimam fore declarationem diuinę misericordiæ, tamen hunc Pauli sermonē ad eam non arbitror contrahendum. Dei enim misericordia erga electos abundè proditur, & cùm vocantur

Expurgatio nostra nō est causa gratiæ, aut electionis.

Gratia Dei non est irrationabilis tāetsi à meritis nostris nō pēdet.

Gratia Dei non est fortuita.

Quoad Deū nil casu fit, neq; fortuitò.

Simile.

Quo sensu ira non sit à Deo aliena.

Plus prodest fides, quàm timor

Responsum philosophi.

Patientia Dei, quæ non prodest impijs, prodest electis.

cantur, & cùm iustificantur, & cùm sanctè viuunt. Deinde præparare, putat esse præscire qualis quisque futurus sit. At si istam præscietiam diuellat à beneplacito, & proposito Dei, & ab illa misericordia, quã Deus in eligẽdo sequitur, nõ possum illi vllo modo subscribere. Nam præparatio significat dona, quæ electis conferuntur. Chrysostomus etiam hunc locum fusè tractat: & quæ sint vasa iræ, exponit exemplo Pharaonis. Putat enim Pharaonem suo vitio appellatum fuisse vas iræ, quòd cordis duritia, & obstinatione semper in se iram Dei magis magisq; accenderit. Quòd si per iram Dei intelligamus extremũ eius effectum, nimirum supplicium extremæ damnationis, verum est, quod ait Chrysostomus. Quivis enim impius illud sibi assiduè peccãdo accendit. At si ita interpretemur iram Dei, quòd Deus ab initio noluerit alicuius misereri, quodq; aliis conseruatis, Pharaonem cum aliis multis voluerit præterire, hoc certè illi sibi non pepererunt. Hoc enim ex mero Dei proposito, & libera voluntate factum est: nimirum non ex operibus, sed ex vocante, quò electio maneat secundum propositum. Idcirco dictum est, Iacob dilexi: Esau autem odio habui. Et, cuius vult, miseretur: &, quem vult, indurat: vt Paulus suprà docuit. Addit Chrysostomus, Quemadmodum Pharao nihil omisit, quod faceret ad suam ipsius pernicie̅, ita Deus nihil non fecit, quod facere posset ad illius correctionẽ. Primùm fateor, omnia, quę fecit Pharao, quum essent peccata, promouisse eius damnationem. Deum autem nihil omisisse, quod ad eius salutẽ faceret, nõ concedo. Non enim nouit eum, quomodò eum moueri oportuit ad hoc vt seruaretur: etsi omnia ea, quæ Deus fecit erga Pharaonẽ, eiusmodi fuerint, vt nisi incidissent in obfirmatum animum, maximũ momentum ad illius salutem habere potuissent. Verùm cùm Deus cor illi non emolliuerit, nec duritiẽ abstulerit, quod nisi fiat, nemo seruari potest, non potest dici fecisse omnia, quæ ad eius salutem conducere potuissent. Addit: Deus tulit eum multa lenitate, vt eum adduceret ad pœnitentiã: quod nisi voluisset, eum tandiu nõ pertulisset. Fateor equidẽ, ea, quæ Dominus fecit, indicia esse potuisse salutaris voluntatis: ideoq; ea ad voluntatẽ signi esse referenda: non autẽ ad voluntatẽ efficacem, de qua in præsentia disputamus. Nam si hoc genere voluntatis Deus illũ voluisset adducere ad pœnitentiam, id absq; omni dubitatione fuisset consecutũ. Omnia enim quę voluit, fecit in cœlo, & in terra: Et voluntati eius nemo resistit. Imò Deus in hoc eum potius excitauit, vt ostenderet in eo potentiã suam. Quæ sequuntur in Chrysostomo, sunt diligenter annotanda. Ait enim, cùm Paulus ait, Quæ præparauit ad gloriam, non in hoc dicit, quòd omnia velit esse Dei. Nam si ita esset, nihil prohiberet, quò minus omnes seruarentur. Quòd Chrysostomus negat omnia esse Dei, id illi non est dandum. Nam si nihil est nostrum, nihil autem habemus, quod à Deo non acceperimus, sequitur necessariò, omnia esse Dei. Et connexio, qua vtitur, infirma est: nam qui totum Deo tribuunt, non tamen concedunt, omnes esse seruandos. Illud enim totũ, quod tribuitur Deo, negant distribui omnib. Sed ideo Chrysostomus putauit consecutionẽ tenere, quòd crederet, gratiã Dei ex æquo dari omnib. & in nostra manu situ̅ esse, vt eam vel repudiemus, vel admittamus. sed id superius abundè cõfutauimus. Nos ergo affirmamus, totũ esse Dei: neq; tamẽ exinde sequi, omnes adepturos esse salutem. Sed posteà se magis etiã prodit. ait enim: Quemadmodũ Pharao propria iniquitate factus est vas iræ, ita isti propria bonitate facti sunt vasa misericordię. Hęc nõ sunt vndequaque consona veritati. Etsi enim iniquitas hominibus est propria (nam cùm in ea cõcipiantur, & nascãtur, nõ est opus, vt ea aliunde infundatur) probitas tamẽ nostra, propria dici nõ potest. Nam scribitur ad Corin. Christũ factum esse nobis redemptionẽ, iustitiã, sapientiã, & sanctificationẽ. Si habemus iustitiã ex nobis ipsis, & propriã, nonne Christus gratis mortuus erit? Mirum certè mihi videri solet, quomodò isti Patres, cùm interdũ de gratia Dei, & de misericordia optimè scribant, posteà tamẽ alicubi erumpere in hæc dicta, quib. sana doctrina mirificè vitietur. Sed cùm hic Pater alioqui doctissimus, textum ipsum Pauli viderit huic sententiæ aduersari, nam Paulus appellat electos vasa misericordiæ, dixit: Quanuis potior pars sit Dei, tamen modicũ quiddã, & ipsi secũ attulerunt. Et idcirco eos Apostolus neque vasa fiduciæ appellat, neq; vasa virtutũ, sed vasa misericordię. Atq; hoc modo fatetur dici posse totũ esse Dei, quòd illud, quod nos afferimus, minimũ quiddam sit, si cum eo conferatur, quod habemus à Deo. Verùm hac de re suprà multa diximus, cùm explicaremus verba illa, Non est volentis, neq; currẽtis, sed miserentis Dei. Illud nunc tantùm addemus, nobis, cùm ista docemus, iniquè à quibusdam obijci, ex eo sequi, homines nihil debere agere, sed stipites tantùm oportere esse, & lapides: quæ certè à nostra doctrina valde sunt aliena. Dicimus enim homines, quum resipiscunt, assentiri verbis Dei, amare, velle, cupere salutem. Sed hæc tamen dicimus effecta esse misericordiæ, cuius iam illi facti sint vasa: neque quic-

Deus aliqua omittit, quæ facerent ad nostram salutem.

Deus cor Pharaonis non emolliuit, nec abstulit eius duritiem.

Si Deus omnino voluisset Pharaonem pœnitere, id factum esset.

Omnia sunt Dei quæ ad salutem faciunt.

Etsi totũ est Dei non tamen omnes consequũtur salutem.

Probitas non est nostra propria.

Ponit Chrysostomus minimũ esse quod ex nobis est.

Homines nõ habendi ut stipites, & otiosi.

Homines nihil facere potuerunt ut electionẽ Dei assequerentur.

quam ea efficere potuisse, vt primitiuam Dei electionem adipiscerentur. Atqui ea, quæ sequuntur in Chrysostomo, longè adhuc duriora sunt. Ait enim, Deum, quantum in ipso fuit, misertum fuisse etiam Pharaonis: quodq; ille seruatus non fuerit, id totum per illius stetisse voluntatem: vt Deus nihil minus illi fecerit, quàm alijs, qui seruabantur. Aliud autem est, Deum donis aliquibus ornasse Pharaonem: aliud illius fuisse misertum: vt hoc loco Paulus loquitur de misericordia. Hîc enim agitur de summa, & capite electionis, cùm scribitur, Cuius vult miseretur: & quem vult indurat. Non dubitamus autem esse donum Dei, vt quis verbis moneatur, & in scelere aliquandiu toleretur. Non tamen semper, qui ita monetur, & toleratur, numerandus est inter electos, eos præsertim, qui misericordiã ex prædestinatione consequuntur. Deinde, quomodò verum esse potest, Pharaonem nihilo minus habuisse à Deo, quàm vasa misericordiæ, cùm Deus cor eius non emolliuerit, nec obfirmationem illam fregerit, nec eum ad meliora mutauerit? Nam hęc omnia dari electis, & illis, quos Deus vult seruari, negari non potest. Hęc ego idcirco volui pluribus recensere, vt quid Patres de hac quæstione senserint, ex ipsis potissimùm intelligeretur: vtq; ab ipsis Apostoli verbis eluceat, quantum à scopo, & natiuo verborum sensu aberrarint.

Pharao à Deo multòminus quã uasa misericordiæ habuit.

Quos & uocauit nos, non solùm ex Iudæis, uerùm etiam ex gentibus. Quemadmodum & Osee dicit: Vocabo non populum meum, populum meum: & non dilectam, dilectam. Et erit in loco, ubi dictum fuit illis, Non populus meus uos, ibi uocabuntur filij Dei uiuentis. Iam dissolutum est caput quæstionis, quam Apostolus hactenus tractauit. Vt autem eius quæstionis methodus melius adhuc intelligatur, ea paulò altius repetenda est. Apostolus iam cõcluserat, iustitiam cõtingere non ex operib. sed ex fide. Ex hac sententia duo videbantur sequi absurda: alterum, promissiones Dei quibus sese Abrahami posteritati obstrinxerat, cùm Iudæi Christum, eiusq; doctrinam reijcerent, irritas fieri: alterum, opera illa ceremoniarũ, & sacrificiorũ, quæ ita speciosa videbãtur, apud Deũ pro nihilo haberi. Cæterùm hæc quæstio posterior tractabitur capite 10. De priori autem Apostolus hîc egit copiosè, ostenditq; promissiones non excidere, etsi multi essent ex Iudæis, qui non seruarentur. Etsi enim promissiones indefinitè, atque in vniuersum proponãtur, eas tamen efficaces non esse, nisi tantùm in electis. Promisit Deus Abrahami posteritati salutem. Sed id de ea posteritate intelligendum erat, quæ coniunctam haberet electionẽ. At eam ostendit liberam, nec alligatã carnali stirpi. Nam Ismael, & Esau reiecti sunt, qui tamen, quod ad carnem attinet, ad posteritatẽ Abrahami pertinebant. Quoq; magis Apostolus confirmaret hanc libertatem electionis Dei, absoluit eam etiam ab omni respectu operum. Et idcirco ita scribit de illis gemínis, Quum nondum quicquam egissent, aut boni, aut mali, dictũ est de illis, Iacob dilexi, Esau autem odio habui: non ex operibus, sed ex vocãte: vt maneat electio, secundum propositum. Atque hoc progressu Apostolus hactenus vsus est. Nunc ex ea libertate electionis ita probata, & constituta, exponit, quemadmodum ea, non tantùm se inter Iudæos continuerit, verùm etiam emanarit ad gentes: imò ex gentibus longè maiorẽ fructũ ceperit, quàm ex Iudęis. Quod quia dictu fuit odiosum, & facilè potuit Iudęos offendere, Apostolus id ex sua persona pronũtiare noluit: sed vti potius maluit oraculis Prophetarum, quæ hoc futurũ esse apertissimè prædixerunt. Ex hac methodo satis, vt arbitror, perspicua, liquidò apparet, Apostolum non cœpisse ab initio huius capitis agere de vocatione gentium, vt multi putant. Hoc enim solum docuit, promissiones Dei non esse irritas, etsi multi ex Iudæis condemnentur: quòd executio promissionis pendeat à libera electione. Nunc ab ista libertate electionis diuinæ, quæ nec generi, nec operibus est alligata, Apostolus pulchrè descendit ad vocationem gentium. Itaque ait,

Methodus quæstionis & solutionis.

Non cœpit Apostolus ab initio capitis agere de uocatione gentiũ

Quos uocauit, non tantùm ex Iudæis, sed etiam ex gentibus. In quibusdam codicibus græcis additur ἡμᾶς: vt relatiuum οὓς ad illud pronomen referatur: nam si istud pronomen desideretur, Apostolus videri posset non conseruasse genus antecedentis. Videtur enim alioqui dicendũ potius fuisse ἃ, quàm οὓς: quoniã antè dixerat σκεύη neutro genere. Cùm autem vtitur relatiuo masculeo, transitionem facit à metaphora ad rem ipsam, quæ tractabatur: nimirum ad homines vocatos, tum ex Iudæis, tum ex gentibus. Cùm ait, *Quos uocauit*, ex effecto declarat, prædestinationem non tantùm ad Iudæos, verùm etiam ad gentes pertinere. Vocationem hoc loco intelligo efficacem: quam Augustinus ex Pauli phrasi vocat Secundum propositum: eam videlicet, qua electi trahuntur ad salutem. Ea autem est diuinæ prædestinationis effectum. Nam alioqui cõmunis vocatio etiam reprobis proponitur: ideóque non potest esse certum electionis signum. Monemur ergo, ne quid de diuina prædestinatione ausi simus pronuntiare, nisi quantũ ea se prodit ex effectis. Ita enim Paulus hîc probat, gentes pertinere ad electionem, quòd vnà cum Iudæis vocentur ad Christum. Sed obseruare debe-

Vocatio efficax effectũ est prædestinationis. De prædestinatione nihil pronũtiandũ, nisi quatenus ex effectis se prodit.

debemus, Paulum ab initio, vt rem leuius proponeret, minus aliquātò dicere, quàm posteà sit probaturus. Ostendet enim, paucos vocatos esse ex Iudæis, idque ex testimonio Esaiæ. Primùm autem expedit id, quod primo loco posuit: videlicet, gentes fuisse vocandas ad Christum. Et de ea re citat testimonium Oseę, ita inquiens: sicut in Osea dicit. His verbis ostendit, Deum edidisse hoc oraculum, idq; per Oseam Prophetam. Alludit autem ad initiū vaticinij Oseæ, vbi ita scribitur: Principium quo locutus est Dominus in Osea.

Vocabo non populum meum, populum meum: & non dilectam, dilectam. Et erit in loco, ubi dictum fuerat eis. Non populus meus uos, ibi uocabuntur filij Dei uiuentis. Quomodò hæc verba accommodari possint ad gentes, multùm ab interpretibus laboratur. Hæc autem videtur saniorum expositorum sententia tam ex veteribus, quàm ex recentioribus: Quum Iudæi propter idololatriam, & alia scelera deiecti de dignitate populi, tamen prædicentur denuò esse in eundem locum restituendi, diuinæ misericordiæ futuri participes, non videri alienū, vt Gentes quoq;, quæ antea non fuerunt Dei populus, ad eandem dignitatē accerserentur. Nam Israelitæ propter suam impietatē reiecti à Deo, nihil iam aliud erant, quàm gētes. Et cùm illi, qui vocātur, & à Propheta, & ab Apostolo appellentur non populus Dei, & alieni à misericordia luculēter apparet, quæ vita, quæq; opera nostra sint, antequā vocemur ad Deū. Quare meritò redarguendi sunt illi, qui homines etiā ante iustificationē, statuūt aliquo modo esse iustos, & de congruo, vt loquuntur, suis factis promereri, vt iustificentur. Quod autem attinet ad Prophetę vaticinium, vt perspicuè intelligatur, eius summam, quàm possum paucissimis complectar. Voluit Deus, moneri Israelitas per Oseam tum de flagitijs idololatriæ, quam admittebant, tum etiam de supplicijs, quæ Deus erat inflicturus: quóque illi magis percellerentur, simplici orationis genere vti noluit, sed graui, & figurato. Iussit enim Deus Prophetæ vt vxorem fornicationum duceret, & ex illa scortationum filios procrearet. Eo facto Deus docere voluit, se nationem illam Iudæorum copulasse sibi vt vxorem: cùm tamen illa ab initio scortatrix extitisset. Nam & parentes Abrahami idololatræ fuerunt in Chaldæa: & maiores Israelitarum fœdissimis superstitionibus seruierunt in Aegypto: illos tamen dominus dignatus est assumere, atque habere pro suis. Deinde etiam ex illa synagoga nati sunt filij scortatores, qui supra omnem modum idola coluerunt. Decreuit ergo Deus tantam iniuriam vlcisci, quam illi pro tot ac tantis beneficijs reposuerant. Et idcirco primum filium Oseæ iubet nominari Izrehel: quę vox significat semen Dei: sed longè alia etymologia, quàm qua Iudæi maximè gloriabātur, se videlicet esse Dei semen. Deus enim hoc loco nomine illius filij significare voluit, Iudæos à se instar iacti seminis dispergendos esse, atque vbiq; terrarū dissemināndos. Euertendū enim erat regnum decem tribuum, cui præfuit Iehu. Quoq; magis Deus magnitudinem iræ suæ ostenderet, filiæ, quæ posteà nata est, nomen imponi voluit לא רחמה quòd misericordiam non esset assecuta. Et filium postremo loco natum dici voluit לא עמי, id est, non populum meum. Hæc nomina erant symbola eius populi abijciendi ita, vt amplius non esset populus Dei, nec eius misericordiæ beneficio fruiturus: qua pœna Iudæi prorsus æquati sunt cum Gentibus. Itaque cùm posteà Propheta promittat, eos vocandos esse populum Dei, & participes fore misercordiæ, nihil prohibet, quin etiam Gentibus idem beneficium conferri possit: nam illę quoque tum erant non populus Dei. Neque tacuit Propheta, vnde futura esset ista reconciliatio: nimirum ex eo, quòd omnes isti, qui sic essent reuocandi, vnum sibi nomen imponerent, videlicet Christum Iesum, Messiam & Seruatorem. Cœpit autem instituī hæc instauratio, quum populus reduceretur à captiuitate. Qua in re considerandum est non tantùm ciuile corporum beneficium, sed multò magis, quòd reducti fuerint ad restituendā Ecclesiam, & cultum Dei instaurandum, quo vera pietas aleretur, & crescceret: quæ omnia in eo nunc maximè perficiūtur, quòd multi subinde vocantur ad Christum. Paulus autem hoc loco coniungit duo testimonia: alterum ex primo capite Oseæ, alterum è secundo: quodq; primo loco ponitur, sumptum est è secundo capite. Verba hebraica ita habent, ורחמתי את לא רחמה ואמרתי ללא עמי אתה ואני אהיה לו, hoc est, miserebor eius, quæ misericordiam non est consecuta: & dicam ei, qui non est populus meus, populus meus es tu. Alterum testimonium est ex primo capite, vbi ita scribitur, והיה במקום אשר יאמר להם לא עמי אתם יאמר להם בני אל חי, Hoc est, & erit in loco, vbi dictum est eis, Non populus meus vos, ibi vocabuntur filij Dei viuentis. Quum Deus appellat populum Israeliticum, non populum suum, ostendit, quid illis possit exprobrari, quum superbiant contra Gentes, quæ vocabantur ad Christum (dicebat enim eas à Deo fuisse alienas) idem enim in ipsos quoque potest regeri. Deus enim ipse per Prophetam de illis ita pronuntiat. Ex hoc oraculo Apostolus concludit, non oportere videri nouum,

Qui uocantur prius erant alieni à Deo.

Alienorū à Deo non possunt esse bona opera. Contra meritum congrui.

Oseæ locus.

Nomina symbola erant futuri euenti.

Loc Oseæ.

Quomodò hæc gentibus congruant.

Quomodò hæc gentib. cõgruãt.

aut indignum, quòd gentes pertineãt ad electionem, & factæ sint participes misericordiæ, & vocationis Dei. Id enim quod videbatur impedimento esse, ne illud eueniret, vt Prophe ta testatur, Iudæis commune erat cum gentibus. Etsi quis diligenter perpendat sententiam horum duorum locorum, videbit, quod in Prophetis solet sæpe fieri, Deum ponere ob ocu los peccatum, quo Israelitæ laborabant: hoc est, idololatriam: deinde supplicium denuntia re, quod illis erat inflicturus. Ne autẽ inciperent desperare, addit vnicum remedium, nimi rum Seruatorẽ nostrum, & Messiam tandiu antè expectatum. Hoc autem indicato, & con stituto, statim sequitur id, quod hîc docet Apostolus: vt quum tam Iudæi, quàm gentes sint in perditione, atque exitio, ex vtroque populo consurgat Ecclesia, quę est corpus membro rum Christi. Ex æquo enim vtrique distabant à salute. Sed mirum videri possit, quomodò Apostolus vocet eos, non dilectos, qui per conuersionem trahuntur ad Christum. Si enim antequàm vocarentur, pertinebant ad electionem, quomodò vocari potuerunt, non dile cti? Sed scire debemus, licet scriptura loquatur interdum iuxta definitionem prędestinatio nis, & eos appellet filios Dei, qui nondum sint conuersi ad Deum (ita enim Ioannes scribit,

De prædestinatis dupliciter scriptura loquitur.

vt qui dispersi erant filij congregarentur: quo loco gentes nondum regeneratæ appellãtur filij Dei) sæpe tamẽ è diuerso loquitur de hominib. iuxta præsentẽ eorum conditionẽ: quẽ admodũ hîc videmus fecisse Apostolũ: vtq; facit ad Ephe. cap. 2. vbi ait, eos olim fuisse alie nos à Deo, extraneos à testamentis, & paulò antè filios iræ. Non est autem parua dignitas

Partes adscitorum in populũ Dei.

ascisci in populum Dei: id enim in eo situm est, vt credamus in Deum: & fidem sacramentis habeamus obsignatam, quodque credimus, publicè profiteamur: Deúmque nostrum, & publicè & priuatim inuocemus, & colamus: atque ita viuamus, vt eius verbum nobis præ scribit, & spiritus suggerit. Latinus interpres habet, Et *non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam.* Græcè autem legitur, ἠγαπημένην, & οὐκ ἠγαπημένην. Quanquam Hieronymus ex ponens hunc locum ait, in quibusdam codicibus fuisse οὐκ ἠλεημένην: atque hanc lectionem magis etiam probat, vt Prophetæ sententiæ magis consentaneam. Et fortasse contigit, vt scriba quispiam istam diuersitatem lectionum animaduertens in Latina versione voluerit vtranque retinere: cùm Paulus altera tantùm vsus fuerit. Quàm autem non sit parua digni tas, ad quam Propheta, & Paulus dicunt electos euehi, vt efficiantur populus Dei, Ioannes ostendit in principio Euãgelij sui. Dedit, inquit, potestatem filios Dei fieri, nempe illis, qui nati sunt ex Deo, & receperũt Christum. Petrus etiam in epistola sua respexit ad hoc Oseæ oraculum. Ait enim, nos ex non populo factos esse populum: & misericordiã iam esse con secutos, qui fueramus expertes misericordię. Verùm Origenes obijcit, Iudæos fortasse hoc loco esse dicturos, ista ad se tantùm pertinere: in sacris enim literis non facilè ostendi, Ethni cos appellari non populum: & eos aliquando ascisci ad populum Dei. Huic ob iectioni sic ille respondet: Deus non loquitur rupibus, aut lapidibus, sed cordibus hominũ, & conscientijs. Itaque qui impiè agunt, & perditè viuunt, velint, nolint, audiunt à conscien tia, & à spiritu suo, se à Deo alienos esse, atque ab illo discessisse: vt contrà, cùm sese emen

Vocationẽ gentiũ scripturæ luculenter testantur.

dare cœperint, & sanctè viuere, audiũt in corde suo, se esse populum Dei, & ad illum acces sisse, & ad illũ pertinere. Verùm si Iudæi hæc nobis obijciant, non debemus ea causa ex hac arena discedere, quasi vocatio gentium non satis luculenter demonstretur è scripturis: illæ enim pluribus locis vtrunque abundè docẽt, & gentes natura sua à Deo esse alienas, & per gratiam Christi successuras esse in locum Iudæorum, qua de re infrà dicetur fusius. Verum quidem est, quod ait Origenes, illa scripturarũ testimonia parum nobis prodesse, nisi spíri tus intus loquatur cum animo nostro, & testetur, nos esse filios Dei. Chrysostomus consen tit cum hac interpretatione, quam iam attulimus: aitque Iudæos, quum propter sua peccata abiecti essent, factos fuisse non populum Dei, atque ita pares fuisse gentibus. Nihil autem referre ait, quòd Iudæi recens abiecti fuerint, quum gentes nullo vnquam tempore fuissent populus Dei: eosdem enim prorsus in eandem conditionem recidisse. Hæc mihi vehemen ter probantur omnia. qanquam, cùm excutio locum Oseæ, video illum loqui tantùm de re gno decem tribuum: imò regnum Iudæ excipit nominatim. Cùm ergo Propheta vaticina

Locus Oseæ cur non possit de Iudæis intelligi.

tur, populum illum decem tribuum eò redigendum esse, vt futurus sit, non populus Dei, cumq; rursus subijcit, eundem denuo vocandum esse populum Dei, apparet hæc omnino de Israelitis non posse intelligi. Illæ enim decem tribus nunquam restitutæ sunt ab illa capti uitate Assyriorum. Nam qui tẽpore Nehemiæ, & Esdræ redierunt, ad tribum Iudæ, & Ben iamin pertinebant: & partim etiam ad tribum Leui, quæ sparsim habitabat in sortibus ista rum tribuum. Videtur ergo Paulus accipere Prophetam in hanc sententiam, vt intelligat conuertendos esse ad Christũ non tantùm Iudæos, verùm etiam ex gentibus: quanuis heri

potest

poteſt, vt illi qui adhuc detinentur ex Iudæis, poſtremo tempore reuocandi ſint ad Eccleſiam Chriſti: vti mox ex vndecimo capite audiemus. Iam ſequitur, vt, quum ex teſtimonio Oſeæ demonſtrata ſit conuerſio Gentiũ, id expediatur, quod Apoſtolus propoſuit ſecundo loco: videlicet Iudæorum, qui ſeruandi ſint, paruum fore numerum. Id probat ex alio Propheta:

Eſaias autem clamat ſuper Iſrael: Si fuerit numerus filiorum Iſrael ut arena maris, reliquiæ ſaluæ erunt. Clamare dicit Eſaiam, quòd perſpicuè loquatur & clarè: cumq; eum clamentem introducit, attentionem commouet Iudæorum, vt ſuum preconem diligentius audiant: Intereà autem loci reſpexiſſe videtur ad id, quod habetur apud Eſaiam capite 46. Clama, ne ceſſes: quaſi tuba exalta vocem tuam. Summa verò huius oraculi eſt, Quanuis carnali propagatione populus Iudaicus creuerit in eam multitudinem, vt conferri iam poſsit cum arena maris, paucos tamen ex illis fore liberandos. Id autem intelligitur partim de temporibus Ezechiæ, quibus totum etiam regnum Iudæ, vna duntaxat excepta Hieroſolyma, occupatum fuit: partim de tempore babylonicæ captiuitatis, in qua multi ſunt mortui, priuſquàm facultas eſſet redeundi. Multi etiam ex illis redire, quum poſſent, noluerunt, quòd iam liberè inter Babylonios habitarent: nec vellent ſe recipere in Iudæam ad labores, & paupertatem: & bona, quæ pepererant, relinquere in Babylonia. Sic etiam accidit tempore Chriſti: perpauci enim ſeruati ſunt: qui tamen fructus maximos, atque vberrimos attulerunt: nam, vt habetur in hoc vaticinio, iuſtitiam fecerunt redundare. Apoſtoli enim, quanuis pauci, tamen Chriſtũ per omnẽ orbem terrarũ prædicauerũt: idq; ea celeritate, vt Paulus & ad finem huius epiſtolæ, & ad Coloſſenſes dicat, ſua tempeſtate Euangelium vbique ferè fuiſſe prædicatum. Itaque Propheta ait, Deum feciſſe conſumptionem: id eſt, vehementer extenuaſſe illum numerum, & ex ea multitudine, quæ fuit inſtar arenæ maris, paucos tantùm elegiſſe. Annotandum autem eſt, hoc loco Paulum de electione ratiocinari ex effectis: & ex eo, quòd pauci ex Iudæis ſeruati eſſent, oſtendere prædeſtinationem ad paucos eorum tantùm pertinere. Hæc ſunt verba Eſaiæ, ex capite decimo, כי אם יהיה עמך ישראל כחל חים שאר ישוב בן בלמן חרוץ שוטף צדק כי כלה ונחרצה אדני יהוה צבאות עשה בקרב כל הארץ. Quod Eſaias dicit, In medio vniuerſæ terræ, non eſt generaliter intelligendum, ſed tantùm de terra Iudæorum. De illa enim terra vna Propheta loquitur: & Paulus ſcribit de Iſraele. Eſtq́ue iſta phraſis Prophetis perfamiliaris. Quod ideo moneo, quòd ſciam eſſe quoſdam, qui hęc interdum vſurpant de vniuerſo numero fidelium: commoti videlicet illa Chriſti ſententia, Multi vocati, pauci verò electi. Quæ ſententia, vt eſt veriſsima, ita ad hunc locum non eſt neceſſe vt pertineat. Vidit Paulus, hæc Eſaiæ verba multùm valere ad abſtrahendos animos hominum à fiducia carnis, & propagationis humanæ: docent enim ex tanta multitudine filiorum Iſrael, quæ fuit inſtar arenæ maris, tam paucos habuiſſe ſalutem. Quæ autem tum gerebantur, non ſolùm fuerunt vmbræ, & typi Eccleſiæ Chriſti, ſed eius inchoatio quędam, & progreſſus. Vtq́ue illa eo tempore erant non obſcura, ita in aduentu Chriſti euidentiſsima acciderunt. Paulus ſequutus eſt verſionem Septuaginta interpretum, vt Eccleſia Romanorum, ad quos ſcribebat, intelligere poſſet ea, quæ ab illo ex Prophetis citabantur: niſi quòd Septuaginta adiecerunt græcam vocem, λόγον, & phraſin hebraicam retinuerunt. Nam apud Hebræos דבר, quod transferunt verbum, ſignificat etiam rem, aut negotium. Ita de adulterio Dauidis legimus diſplicuiſſe Deo verbum Vriæ. Et Moſes ait, Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod exit ex ore Dei: quibus verbis ſignificat potentiam Dei rebus non eſſe alligatam: ſed eum poſſe paſcere ſuos, ſi velit, quacunque alia re, non minus, quàm pane: itaque non fore mirum, ſi Iſraelitæ in deſerto alerentur manna, quod cecidiſſet de cœlo. Senſus ergo erit, Deum facturum ſermonem, hoc eſt, rem illius populi conciſam, breuem, extenuatam, vt ea tanta multitudo ad paruum numerũ eſſet contrahenda. Atque hoc eſt, quod Hieremias conqueritur octauo cap. & Ezechiel 11. Et Amos propheta confert reliquias populi iudaici cum ouicula deuorata à leone: quam quum paſtor velit liberare, tantùm crus eius recuperare poſsit, aut auriculam: ita ait, quum Iudæi abducti fuerint in captiuitatem, minimam illorum partem eſſe redituram domum. Hebraicè habetur, Conſumptionem factam, נחרצה, quod ſignificat non tantùm imminutum, & acciſum, ſed etiam definitum ac determinatum, quaſi lata iam ſententia: quæ ſignificatio pulchrè inſeruit conſilio Apoſtoli. Vult enim oſtendere, hanc imminutionem, atq; abiectionem populi, quam Deus erat facturus, pendere ex deſtinato propoſito, & prædeſtinatione: non quòd Iudæi ſuis peccatis non eſſent commeriti, vt abijcerentur: ſed quòd hæc omnia à ſententia electionis & reprobationis eſſent conſtituta. Ex his enim, tanquam

Cur Eſaias dicatur clamare.

Iudæi conuerſi ad Chriſtũ pauci fuerunt, ſed fructuoſi.

Quid ſit Hebræis דבר.

Paulus hîc ex effectis argumentatur.

ex effectis, Paulus oſtendit, paucos ex Iudæis electos eſſe, multos autem reprobatos. Ad hanc imminutionem, & acciſionem Iſraelitarum Ioannes Baptiſta videtur reſpexiſſe, quum diceret, Securim poſitam eſſe ad radicem: & ventilabrum eſſe in manu Chriſti, quo pugaret frumentum in area. Et in hanc ipſam ſententiã Paulus infrà dicet, reliquias fore ſaluas ſecundum electionem per gratiam. Micheas etiam propheta fingit Deum inſtar vindemiatoris: qui collectis vuis, ſæpe pauculos quoſdã racemos relinquit in vinea. Et Eſaias ait, relinquendã eſſe filiã Hieruſalem, tanquã tuguriũ in vinea. Et tempore diluuij octo tantũ animę relictæ ſunt ſuperſtites. Iſti tamen pauci, qui relinquẽtur, incredibilẽ fructũ adferent. Quemadmodũ enim ſemina, cùm pauca ſint, tamen magnam vim ſucci, & humoris terreni ad ſe trahunt, & in ſuam naturam conuertunt, & pro ſingulis granis interdum tricena, interdũ ſexagena, interdũ centena reddunt: ſic puſillus ille grex Chriſti prędicatione ſua magnas Gentium Eccleſias conuertit ad Euangelium. Atque hoc eſt, quod Oſeas prophęta, quum egiſſet de abiectione populi, adhuc tamen dixit, numerum eius fore inſtar arenæ maris. Quod idem vaticinatus eſt Hieremias capite 33. cùm de fœdere per Chriſtum inſtaurando loqueretur. Nam illi, qui ex Ethnicis à diſcipulis Chriſti conuertebantur, facti ſunt Iſraelitæ, quòd Chriſtum pro capite haberent, eius membra eſſent, ſpiritu eius viuerent, & caro de carnibus eius, atque os ex oſsibus eius efficerentur. Et hoc Chriſtus monuit, quum diceret, Deum poſſe etiam ex lapidibus excitare filios Abrahæ. Neque aliud ſibi voluit Eſaias, quum hoc loco ſubiiceret, luſtitiam eſſe inundaturam. Origenes ait, Prophetam iſta vaticinari, quòd præuideret Iudæorum infidelitatem, propter quam forent abiiciendi: & ideo putat Prophetam dixiſſe, Si fuerit populus tuus, tanquam arena maris, quòd illi ſuis peccatis ſeſe reddidiſſent ſteriles, eſſentque infrugiferi, vt arena eſt, ex qua nihil naſci poteſt. Multitudo autem, ait, piorum, quæ proditura erat ex ſemine Abrahami, confertur cum ſtellis, non autem cum arena. Verum quidem eſt abiectos fuiſſe Iudæos propter ſuam infidelitatem, & ſcelera: at ſi volumus tenere ſenſum Pauli, intelligere debemus ex iſtis, tanquam ex effectis demonſtrari, electionem Dei tantùm ad paucos eorum pertinuiſſe. atque ita iſta cum ſuperioribus connecti poſſunt. Deinde quum non animaduerteret Origenes conſuetudinẽ locutionis hebraicæ, quod attinet ad vocem illam, λόγος, putauit eam ſententiam intelligendam eſſe de doctrina noui teſtamenti: quòd operaſ legis, & veterum ceremoniarum ab ea tollenda eſſent, quodq; ea omnia, quæ iam credimus, in breuiſsimum ſymbolum contracta ſint. Cumq; Origenes non tantùm cæteris omnibus Patribus antiquior fuerit, ſed etiam tanquam fons quidam, de quo maxima pars illorũ hauſerunt interpretationes ſuas, non eſt mirum, Chryſoſtomũ eadem fermè ſcribere. Ait enim, iſtos paucos, quorũ Propheta meminit, ea de cauſa manſiſſe, quòd ſe exhibuiſſent dignos. Deus, inquit, non moratur genus, aut numerum: ſed tantùm ſpectat dignitatẽ. Sed ſcire debemus, quicquid in homine dignitatis, aut boni eſt, id totum ex Dei beneplacito proficiſci, neque quicquam in nobis eſſe, quod non acceperimus à Deo: itaque Paulus ait, ſufficientiam noſtram ex Deo eſſe, nec poſſe nos, ne cogitare quidem quicquã quaſi ex nobis. Addit præterea Chryſoſtomus, Propheram voluiſſe docere, non ſolùm paucos fore ex Iudæis, qui ſeruarentur, ſed etiam quomodò illi ipſi ſeruandi eſſent: videlicet non operib. legalibus, aut magno apparatu ceremoniarũ, ſed fide, quæ admodũ ſit breuis. & fidem ponit pro obiecto fidei: nimirum, pro illis rebus, quæ creduntur. Et in hanc ſententiã de breuitate doctrinæ conceſſerunt recentiores, qui non ſpectarunt hebraicæ locutionis conſuetudinẽ. Verùm eſt, fateor, ab Euangelio reſectas eſſe veteres ceremonias: tamen quod attinet ad caput, & ſummam doctrinæ, nos nihil nunc minus habemus, quàm illi tum habuerunt. Et quoniam Septuaginta interpretes vſi ſunt græco verbo συντελεῖν, quidam Latinè reddiderunt conſummationem, aut perfectionem afferre: quaſi Euangelium non tantùm innouatum ſit, ſed etiam perfectũ, & abſolutum: videlicet, quòd Chriſtus, cùm ageret de mutua dilectione dixerit, Mandatum nouum do vobis: quodq; contraxerit omnia præcepta in duo capita: nimirũ, dilectionis Dei, & proximi. non tamen Chriſtus propterea mutauit doctrinam. Licet enim noſtra ſint clariora, eadem tamen ſunt, quæ fuerunt veterum. Neque Chriſtus idcirco dixit, ſe dare mandatum nouum, quaſi illud fuiſſet veteribus inauditum: ſed in eo ſita erat illa renouatio, quòd energia gratiæ, & vi ſpiritus, quem Chriſtus in Apoſtolos copioſiſsimè effudit, illud præceptũ pene iam obliteratũ in animis hominũ renouauit. Verbum etiam abbreuiatũ aliqui putant hoc loco ſignificare Chriſtũ: quòd ille, cùm eſſet filius Dei, ſe ipſum exinaniuerit, & ſuſceperit formã ſerui. Sed quicquid iſti dicant, ſatis cõſtat ex verbis ipſis & Oſeæ, & Eſaiæ, has expoſitiones alienas eſſe. Vterq; enim agit de multitudine eorum:

Simile.

Gentes conuerſæ ad Chriſtum fiunt Iſraelitæ.

Quæ credimus in breuiſsimum ſymbolum ſunt contracta.

Noſtra doctrina & ueterum Hebræorũ eſt eadẽ.

Quomodò Chriſtus dederit mandatum nouum.

eorum, qui abijciendi sint, & de paucitate reliquiarum: quod textus ipse diligenter perpensus docere potest. Nam cùm dictum esset, Si fuerit numerus filiorum Israel tanquam arena maris, reliquiæ saluæ erunt, statim subiectum est: Sermonem enim finiens, & concidens, videlicet, Deus in iustitia. Quibus verbis ostenditur, quoniam, γαρ, est particula causalis, rationem prioris sententiæ assignari: ideoque tantùm reliquias fore saluas, quòd Deus ita cæteros abscissurus esset, & decurtaturus.

Et quemadmodum prius dixit Esaias: Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti fuissemus, & Gomorrhæ assimilati fuissemus. Cùm ait, Esaiam prius ista dixisse, indicat, haberi hæc capite primo: nam hoc oraculum, quod hîc commemoratur, scribitur in decimo. Cùm autem Propheta ita conquæstus sit, apud veteres patres ita contigisse, vt numerus illorum, qui seruabantur, vehementer imminueretur præ numero illorum, qui peribant, Paulus vult ex eo cõcludere, istos iniuria conqueri, quum nihil sibi aliud viderent accidisse, quàm quòd acciderat patribus: quibus certè non poterant sese dicere meliores. Nisi pauci relicti essent, inquit, instar seminis, essemus Sodoma: nam eius ciuitatis incolæ omnes excidio perierunt. Etsi enim Lothus euaserit, non tamen erat indigena, sed peregrinus. Philosophatur rursus Origenes hoc loco de semine relicto: & putat, à Propheta significari Christum, quòd ille esset illud semen vnicum Abrahamo repromissum, de quo Paulus scribit ad Galatas. Ac si diceret Propheta, nisi Christus ex nobis nasciturus esset, deteriori loco essemus, quàm Sodoma. Sed hæc interpretatio non est necessaria. Etsi enim Christus est caput omnium eorum, qui seruantur, tamen hîc disertè agitur de paruo numero reliquiarum. Quod autem attinet ad cæteros, qui obijciebantur, ego nihil dubito illos deteriori fuisse loco, quàm Sodomitas. Nam Ezechiel scribit, tantã fuisse iniquitatẽ Israel, vt iustificaret Sodomam. Et Christus, vt ait Matthæus, dixit, tolerabilius fore Sodomæ, quàm illis ciuitatibus Galileę, in quibus prædicasset, & edidisset miracula. Imò ait, Si ista in Sodomis fuissent facta, adhuc manerent ciuitates illæ. Et ratio est: quoniam illi obruti fuerunt omni libidine, & se exhibuerunt crudeles, & barbaros erga hospites. Iudæi autem præterquàm quòd istis flagitijs, aut etiam pluribus, & grauioribus erant contaminati, Christi etiam insuper doctrinã, & miracula contempserunt, eumque in crucem sustulerunt, eiusque Apostolos ignominiosissimè ex suis finib. expulerunt. Ex eo autem, quod Propheta dicit, Dominũ reliquisse, intelligimus conseruationem nostram ab eo pendere, non à nobis. Ille nos elegit: ille cauet, ne labamur: ille nos incitat ad sanctè viuendum: ille regit: ille nobis largitur perseuerantiam. quare cùm hęc sint eius dona, illi accepto ferenda sunt. Cur autẽ Deus appelletur Dominus Sabaoth, variæ assignãtur rationes. Quidam dicunt, per exercitus, quorum Deus sit princeps, intelligi stellas: quæ cùm ab Ethnicis cultæ fuerint pro Dijs, ex hoc titulo satis apparet, quantum illis præstet Deus, qui colebatur à Iudæis. Nam ex hac voce monstratur, illum esse omnium cœlestium orbium, atque ornamentorũ moderatorem & principem. Alij putant, Deum ita fuisse appellatum propter castra Hebræorum, in quorũ medio gradiebatur Arca fœderis, quoties per desertũ esset castrametandum. Alij rursus ad Angelos hoc pertinere volũt, qui sint Dei acies. Mihi verò videtur ita fuisse appellatus, quòd omnes creaturæ sint tanquam illius exercitus. Sunt enim instrumẽta illius potentiæ, ac voluntatis: nec minus illi parent, quàm milites Imperatori: imò etiam impij homines, & diaboli imprudentes, & ignari eius consilio inseruiunt. Et quanuis quæ Propheta Esaias vaticinatus est de paucitate eorum, qui essent saluandi, acciderint tempore Ezechiæ regis, quo tempore ciuitas Hierosolymitana euasit ex obsidione Synnacheribi, & in restitutione captiuitatis babylonicæ, vnde pauci admodum redierunt, veriora tamen extiterũt tempore Christi, quando per Titum, & Vespasianum funditus euersa est Hierosolyma cum vniuersa republica Iudęorum. Chrysostomus expendens illud, quod scribitur, Deum esse, qui reliquerit semen, fatetur istos paucos, non ex se ipsis conseruatos fuisse, sed ex Deo: quod ego eum arbitror intelligere, quemadmodum sæpe declarauit, ex collatione eius, quod nos afferimus. Id enim si comparetur ad illud quod suppeditatur à Deo, parum admodũ esse, & pro nihilo reputari. Nos autem dicimus cum Hieremia, Misericordiæ Domini, quoniam non sumus consumpti.

Iudæi reiecti deteriori loco, quã Sodomitæ.

Cõseruatio piorum prorsus à Deo pendet.

Deus Sabaoth quid.

Omnes creaturæ sunt exercitus Dei.

Quid igitur dicemus? Quòd Gentes, quæ non sectabantur iustitiã, apprehenderunt iustitiam: iustitiam autem eam quæ est ex fide. Israel verò, qui sectabatur legem iustitiæ, ad legem iustitiæ non peruenit. Apostolus ab initio huius capitis tractare cœpit de principijs nostræ salutis: hoc est, de electione, & reprobatione. Deinde ostendit fines: videlicet, electos destinari ad salutẽ, eamque cõsequi: reprobatos verò in damnatione relinqui, & à Deo reijci. Nunc agit de medijs, per quæ electi adducantur ad salutem, reprobi verò ad exitium. Media autem ea esse ait, fidem, & incredulitatem.

Electis fides datur, qua apprehendant iustitiam, hoc est, salutem, alij relinquuntur destituti fide: ideoq; iustitiam ad salutem non assequuntur. Quæ ab initio capitis Apostolus disputauit, ea sine vllo nostro assensu locum habuerũt, antè videlicet, quàm facta essent fundamenta mundi. Fides autem, & incredulitas, de quibus nunc agitur, in nobis fiunt: non tamen eodem modo. Fides enim non est ex nobis, sed afflatur à Deo: est enim Dei donum. Incredulitas autẽ ipsa per se erumpit ex peccato originis. Hęc duo facilè possunt à nobis cõprehendi: quiuis enim in se ipso experitur, credat ne, an nõ credat. Duo autẽ illa prima, electio videlicet, & reprobatio, quoniam pertinent ad arcanam volũtatem Dei, nec sensu à nobis, nec ratione cognosci possunt. De illis à spiritu tantũ, & à scripturis certiores reddimur. Et Apostoli methodo facilè videmus, quàm illi prorsus ordinem peruertant, qui prædestinationem, & reprobationem pendere volunt ex operibus nostris. Debuerant illi considerare Paulum ista in præsentia recensere, vt effecta illorum principiorum: quanuis inde non eodem modo pendeãt, vt ex his, quæ sæpe diximus, liquet. Vult enim ista esse media, per quæ alij ad salutem, alij ad condemnationẽ adducantur. Conducũt etiam ea, quæ nunc Apostolus docet, ad solutionem alterius quæstionis. Ex eo enim, quòd iustificatio tantùm per fidem erat constituta, duo videbantur absurda consequi. Primùm, promissiones Dei esse irritas: quòd Israelitæ, quibus illæ videbantur esse factæ, alieni essent à salute. Occurrit Apostolus, promissiones esse firmas: eas enim per electionem contrahi: electionem esse liberam, & non tantùm ad Iudæos, & Gentes extendi, verùm etiam longè plures ex Ethnicis complecti, quàm ex Iudæis. Alterum dubium erat, quòd inter Iudæos multa erant opera speciosa, & splendida, quæ videbantur ad iustitiã pertinere. Et absurdum videri posset, si ea à Deo improbarẽtur: quod tamẽ dici oportuit, si iustificatio cõstaret ex fide. Hoc Apostolus dissoluit, aitque non esse mirum, si id genus operum reijciatur à Deo, quòd careat fide, sine qua esse non possit iustitia, quam habemus apud Deum. Et quanuis de hac re plura dicantur in proximo capite, hîc tamen incipit ad illa gradum facere. Cùm autem Apostolus dicat, Gentes, quæ non sectabantur iustitiam, ad iustitiã peruenisse, Iudęos autem non peruenisse ad legem istitiæ, quam sectabantur, possumus eo intelligere, quàm potens sit diuina prædestinatio, quæ prædestinatos etiam imprudentes, & aliud agentes, tamen adducat ad fines suos. Ostenditur etiam ex eo, quanta sit imbecillitas humanarum virium, quum reprobati quantumuis maximè conentur, & studeant, tamen ad iustitiam non pertingant, sed in sua damnatione relinquantur. Videtur etiam παράλογον, quod Paulus proponit hoc loco: nempe, non quærentes, inuenisse: studiosè autem quærentes fuisse frustratos. sed tamen valet ista sententia plurimùm ad refellendum illud, quod Iudęi Ethnicis semper obijciebant: videlicet, Gentes perpetuò alienas fuisse à lege: se autem semper eius fuisse studiosos. Paulus enim hîc ostendit, id saluti Gentium non obstitisse. Atque idcirco vehementer miror, Chrysostomum dicere, Paulum hoc loco apertissimè soluisse quæstionem, quam ab initio capitis proposuerat: scilicet, Ethnicos idcirco fuisse electos à Deo, quòd essent digni: Iudæos autem reiectos, quòd futuri essent indigni, & mali. Hic locus docet, eos, qui conuertuntur ad Deum, non prius consectatos fuisse iustitiam: imò ab ea prorsus fuisse alienos: eos autem, qui studebant operibus, & legi iustitiæ fuisse abiectos. Hoc quoniam, vt dixi, est παράλογον, ideò id Paulus simpliciter non profert, sed elicit potius ex testimonijs Prophetæ, quæ antè attulerat: aitque: Quid igitur dicemus? ac si diceret, Hoc ex illis, quæ dicta sunt, consequitur, maximam partem Iudæorũ abiectam esse cum illo suo externo studio legis: Gentes autem esse ascitas, quæ nihil minus curassent, quàm pietatem. Quàm verò hîc offendatur humana ratio, ex eo sciri potest, quòd Pharisæi, & Scribæ Christum propterea traduxerunt, quòd admitteret publicanos, & peccatores. Quumque peccatrix illa muliercula accederet ad lauandos & vngendos pedes Domini, Pharisæus conuiuator dixit, Si hîc Propheta esset, sciret profectò, quæ, & qualis esset hæc mulier. Scire tamen debemus, probatam illam, & receptam sententiam, Qui quærit, inuenit, ex his verbis non refelli: ea enim intelligenda est de illis, qui rectè, atque ordine quærunt. Id autem fieri non potest, nisi ab ijs, qui iam sint renati. De talibus Christus ait: Qui quærit, inuenit: & pulsanti aperietur. Quid autẽ sit discriminis inter bene maleq; quærentes, hîc ostenditur. Nam discrimen situm est in fide, & incredulitate. Paulus, quoniam est prædicator Euangelij, vbiquæ nobis commendat fidem, vt instrumentum, quo salus apprehenditur. Præterea hic locus manifestissimè docet, iustitiam, quam assequimur per Christum, nierum, & purum esse donum Dei: quoniam datur non quærentibus: ab illis autem, qui illam cupidè consectantur, non apprehenditur. Iugulantur etiam hac ratione illi, qui nobis obtrudunt opera

Incredulitas ex originis peccato erumpit. Fidem & incredulitatem in nobis ipsis sentimus

Duo dubia, quæ contra iusticationem per fidem emergunt.

Speciosa opera cur à Deo interdũ reijciantur.

Quanta sit vis prædestinationis

Sententia Pauli videtur quid παράλογον.

Qua in re Christus valde Iudæos offenderit.

De illa sentẽtia Qui quærit, inuenit.

Quid sit rectè quærere, & malè quærere.

Iustitia, quã habemus per Christum, est purum Dei donum.

opera præparationis. Nam quæ præparatatio esse posset in illis, qui iustitiam non sectantur? Si opera nostra mererentur, vt isti dicunt, ex congruo veram iustitiã, illi non potuissent iustificari, qui, vt Paulus ait, iustitiam non quæsiuissent. Deinde quidam Ethnici secuti sunt eiusmodi opera, quæ procul dubio ciuili ratione erant bona. Nam Socrates, Aristides, Scipio, Cato, aliíq; similes præclaras virtutes coluerunt. Hanc autem fiduciam de misericordia Dei, quæ nobis per Christum cœlesti spiritu afflatur, ignorarunt. Proinde moralem illam iustitiam sectati sunt, eámque non infeliciter sunt assequuti. Cæterùm Paulus in præsentia de illa non loquitur: re enim vera peccatum est, & ad iustitiam nihil confert. Adhæc Apostolus, quum dicit, gentes non sectatas fuisse iustitiam, minus dicit, quàm velit indicari. Non enim solùm iustitiam non sectabantur, sed eam apertè oppugnabant, & malè viuendo, & diu multúmque prædicatoribus Euangelij reluctando. Origenes hoc loco animaduertit, Apostolum ipsum sibi aduersari: eum enim alibi scribere, illos fieri vasa misericordiæ, qui se ipsos purgarint à sordibus: & à principio huius epistolæ scripsisse, gentes ideo fuisse iustificatas, quòd lumine naturæ impleuissent legem: hîc autem illum contradicere, gentes assequutas esse iustitiam, cùm iustitiam non fuissent consectatæ. Cùm ergo videat hoc loco Origenes, se verbis ipsis Apostoli manifestò teneri, ad elabendũ quærit stropham, sed eam admodum inanem, & frigidam. Ait enim, aliud esse sectari legem, aliud insectari: eos enim sectari legem, qui eam descriptam student imitari: idque fecisse ludæos, quibus lex per Mosen lata & descripta proponebatur: ideoq;, quum eam sectarentur, iustitiam non fuisse assequutos. Insectari autem legem putat esse, eam naturæ lumine insitam in animis nostris operibus exprimere. Et idcirco gentes, etsi legem scriptam non sequebãtur, quoniam eam non habebant, tamen ad iustitiam pertigisse, quòd legem naturalem animis ipsorum insertam præstitissent. Verùm, hoc commentum satis à se ipso proditur, & refutatur. Apostolus enim cùm loquitur de gentibus, nullius meminit legis: sed tantùm ait, illas, cùm sectati non fuissent iustitiam, tamen iustitiam fuisse consecutas. certum ergo, & firmum est argumentum. Nam quocunq; modo acceperis iustitiam, siue ex naturæ lege, siue ex lege Mosaica, gentes sine illa dicuntur assecutæ iustitiam. Vanum ergo est, quod Origenes toties iactauit, homines propterea fieri vasa misericordiæ, quòd se ipsos expurgent à sordibus. Quæ verò sit sententia illius loci, superius indicauimus. Gentes verò ea, quæ legis sunt, natura præstitisse, ita exposuimus, quòd multa fecerint externa disciplina, quæ in lege Mosaica præciperẽtur: vt quòd fugerint furta, stupra, adulteria, & alia siuiusmodi. Itaque Paulus concluserit, eos non caruisse notitia turpis, & honesti, iusti, & iniusti: vt, cùm multis in rebus laberẽtur, & peccarẽt, ignorationis nomine non possent excusari. Sunt alij, qui intelligãt ea verba de gentibus ad Christum iam conuersis, quæ spiritu sancto donatæ, diuina mandata exequerentur, & demonstrarent & vita & operibus iustitiam non constare lege Mosaica: id quod à Iudæis perpetuò iactabatur. Cæterùm prior interpretatio magis accedit ad verba Apostoli, Vtráuis autem admittatur, nullum hinc habet patrocinium Origenes, ad probandum, homines assequi iustitiam ex dignitate operum: imò verba ipsa Apostoli apertissimè docent, veram iustitiam pendere non ex studio aut dignitate hominũ, sed ex bonitate, & misericordia Dei. Ait enim Israeltas sectantes legem iustitiæ, ad iustitiam non peruenisse. At id rationi humanæ perabsurdum videtur, videlicet hos non sectando assequutos esse, illos autẽ sectando esse frustratos. Animaduertere tamen debemus, Israelitas non rectè, nec legitimè fuisse sectatos. Nam si ex sententia legis eam fuissent persequuti, quum Christus sit finis legis, certè illi credidissent, atque ita fuissent iustificati. Quoniam autem Paulus hoc loco bis repetit iustitiam legis, quidam putant, ea verba non eodem modo vtrobiq; accipi. Nam primo loco per legem iustitiæ, legem externã accipiendã putant: secundo autem loco veram iustitiã: quasi dicat Paulus, ludæos externę obseruationi legis studuisse, ad verã autẽ iustitiã in Christo non potuisse peruenire. Quam interpretationẽ ego quidem non reprehendo: existimo tamen ea verba vtroq; loco eodẽ modo posse sumi: vt sensus sit: quanuis ludæi sibi in animo proposuissent legem à Deo latam seruare, quæ appellatur Lex iustitię, quòd in ea perfectissima iustitia contineatur, tamen vacui fide, ac spiritu Christi legem seruare non potuerunt, atque idcirco à proposito, & animi decreto exciderunt: vt nec haberent veram iustitiam, quam gentes fuerant assecutæ, & illa, quam sectabantur, frustrarentur. Hoc autem illius erroris caput erat, quòd destituti fide, atq; interim se operib. iustificari posse, arbitrati, tantùm operibus incumbebant. At sine fide frustra ista suscipiuntur. Fides enim anima & vita est eorum omniũ, quæ præcipiũtur in lege. Cùm igitur illi à præscripto legis deficerẽt, Christũ non habuerunt, per quem illis legis transgressio posset cõdonari, & per quẽ, quod

Contrà opera præparationis.

Morales actiones ad assequendam iustitiã Dei nil conferunt.

Distinguit Origenes inter sectari et insectari iustitiam.

Paulus hîc nõ legis, uerùm iustitiæ meminit.

Quomodò gentes naturaliter fecerint ea, quæ sunt legis.

Vera iustitia nõ ex hominum studio, sed ex Dei bonitate pẽdet.

Iudæi non rectè iustitiã sectabantur.

Quare Dei lex dicatur iustitiæ.

Caput erroris Iudæorũ in sectanda iustitia.

Fides anima præceptorum Dei.

deerat, reſarciretur. Hæc autem opera, de quibus Paulus loquitur, Patres referunt ad ritus & ceremonias legis Moſaicæ, verùm id nos oſtendimus alienũ eſſe ex ipſa methodo, & doctrina, qua Paulus vtitur in hac epiſtola. Orta quidẽ primũ cõtrouerſia eſt, vt ſæpe diximus, de ceremonijs. Paulus autẽ, vt probaret, eas non poſſe iuſtificare, adhibuit generale mediũ: videlicet, nulla opera, cuiuſcunq; tandem ſint generis, quatenus opera ſunt, vim habere iuſtificãdi. Intellígit ergo hoc loco Paulus per opera, non tantùm ceremonias, ſed etiã omnia officia vitæ. Præterea annotatione dignũ eſt, quod Paulus hoc loco ita ſtatuit, iuſtitiam apprehendi per fidẽ, vt opera opponat per antitheſin. Nam cùm dixiſſet, gentes aſſecutas eſſe iuſtitiã per fidem, ſtatim ſubiecit, Iudæos à lege iuſtitiæ excidiſſe, quãuis eam ſuiſſent cõſectati: nimirũ, quia non ex fide. Quare autẽ eam conſectati non fuerint ex fide, rationem ſubdit: quoniam ex operib. Vnde ſequitur, eos non iuſtificari, qui operib. adſcribũt iuſtitiã. Illis enim fidere, & iuſtitiã tribuere, certũ & euidens eſt impedimentũ, ne ad veram iuſtitiam poſsis pertingere. Annotauit Chryſoſtomus, dicta iſta Pauli, quæ vel ad gentes, vel quæ ad Iudæos pertinent, ad tria miranda capita poſſe cõtrahi. Primũ enim de gentibus ait, eas iuſtitiam eſſe conſecutas, quod Iudæis auditu permoleſtum fuit. Illi enim voluiſſent ſoli colligi in regnum Chriſti. Deinde, quod magis etiam eſt mirandum, eas ait, iuſtitiam eſſe conſecutas, cùm iuſtitiæ non ſtuderent. Quod autem omnium eſt maximè mirabile, ait iuſtitiã fidei, quam gentes apprehenderũt, longè maiorẽ eſſe iuſtitia operum. Atq; idcirco Paulus ſuprà in hac eadẽ epiſtola ita ſcripſit: Si Abraham ex operibus iuſtificatus eſt, habet gloriam: ſed non eſt quòd glorietur apud Deum. Quomodò autem iuſtitia fidei maior, & præclarior ſit, quàm iuſtitia operum, id ego ſic intelligo: quòd, quanuis opera hominũ non regeneratorũ honeſta eſſe videantur, & illuſtria, & ciuilem aliquam iuſtitiam adferant, tamen ea iuſtitia tam parui ſit momenti, vt coram Deo nulla ſit, imò potius pro peccato habeatur. Deinde ſanctitas & rectitudo operũ, quæ fiunt ab hominib. regeneratis, etſi Deo placeat, tamen ad exactũ eius iudicium non ſuſtinet examinari. Noſtræ enim iuſtitiæ ſunt inſtar panni menſtruati. Et omnes precamur Deum, vt ne intret in iudicium cum ſeruis ſuis. Vnde patet iuſtitiam operum, ſiue antecedant, ſiue ſequantur regenerationem, eſſe minorem iuſtitia fidei. De Iudæis etiam Paulus iſta commemorat: primùm eos ad legem iuſtitiæ non peruenìſſe, cùm tamen ſtudioſiſsimi fuiſſent legis Moſaicæ, quæ haud dubiè omnem in ſe iuſtitiã continebat. Deniq;, quòd maximè etiam eſt mirabile, illos ait, ne ad minorem quidem iuſtitiam peruenìſſe. Non enim ſanctè viuebant, vt lex viuendum præſcripſerat. Redarguit hic locus operarios. Hinc enim facilè videre poſſunt, ſe, ſi fidant operib. non poſſe iuſtificari. Præterea Paulus hìc docet, qua de cauſa Iudæi non crediderint, Ait enim:

Impegerunt in lapidem offenſionis, & in petram ſcandali. Offenſi ſunt Iudæi in Chriſto, quòd expectaſſent, Meſsiam ſuum fore magnum aliquem orbis monarcham, magnifico faſtu, & apparatu illuſtrem, Quocirca quum viderent Chriſtum abiectũ, & humilem, eum cœperunt deſpicere. Expectabant etiam eum Meſsiã, qui externa, & ſuperſtitioſa ſanctitate foret conſpicuus. At cùm illum viderent cum publicanis, & peccatoribus conuerſantẽ, magnopere offendebãtur. Reprehenduntur præterea Iudæi acriter, quòd quum Chriſtum ferre non poſſent, eum à ſe contumelioſè repudiarint. Nec diſsimilis eſt ratio noſtrorum temporum in prædicatione Euangelij. Caro enim ferre non poteſt reprehenſiones: offenditur paucitate credentium: maximè verò, quòd videat fideles perpetuò affligi. Huc accedit, quòd homines ciuiles mutatione religionis timent, ne turbetur, & diſsipetur reſpublica. Qui autem profitentur ſpeciem aliquam pietatis, quanuis ab ea re vera longiſsimè abſint, cùm audiunt Deo tribui vim iuſtificandi, ab hominib. autem non poſſe ſatisfieri legi Dei, clamant, à nobis feneſtram aperiri ad licentiam, & omnem morum bonorum inſtitutionem peruerti. Itaque vndique homines impingunt in Chriſtum. Quare Chriſtus rectè monuit, Beatus, qui non fuerit ſcandalizatus in me. Quòd ſi quis conferre velit ſcandalum Iudæorum, propter quod Chriſto non crediderunt, cum ſcandalo Papiſtarum, propter quod non tantùm abiiciunt Euangelium, ſed etiam illud perſequuntur, inueniet, Iudæos multò tolerabilius peccaſſe. Illi enim videri poſſunt tantò iuſtiorem occaſionem habuiſſe, cur Chriſtum abijcerẽt, quòd illorũ ceremoniæ, ritus, iudicia à vero Deo inſtituta fuerant. Illa autẽ omnia, propter quæ Papiſtæ repudiant Euangelium, ab hominibus inuenta ſunt, & tyrannidem Antichriſti confirmant. Apoſtolus, cùm videret, horribile dictu eſſe, vt Meſsias, tantopere, & tandiu expectatus, eſſet Iudæis offenſio, & ſcandalum, ne videretur illud malitioſè ex ſuo capite confinxiſſe, adfert Eſaiæ Prophetæ oraculũ, quo id ita fore, longè antea prædictum fuerat. Annotandum autem eſt, hoc teſtimonium collectum eſſe ex duobus capitibus, 8. & 28.

Id Pau-

Quid per opera hoc loco Paulus intelligat.

Fidei per antitheſin opponuntur opera in aſſequenda iuſtitia.

Qui operib. adſcribunt iuſtitiã, non iuſtificantur

Tria præter ſententiã Iudæorũ hìc eliciũtur.

Quomodò iuſtitia fidei ſit maior iuſtitia operum.

Offenſio Iudæorum.

Ad noſtra tempora hæc eadẽ pulchrè accommodantur.

In Chriſtũ ferè omnes impingunt.

Iudæi Papiſtis longè tolerabilius peccarunt.

Id Paulus ita refert: Ecce pono in Sion lapidem offensionis, & petram scãdali: & omnis, qui credit in eum, non pudefiet. Prima, & vltima pars huius sententię sumitur ex 28. cap. Esaiæ. Id autem quid in medio collocatur, petitum est ex 8. cap. Quo in loco Deus Zebaoth dicit lapis in sanctuariũ, quod ad pios attinet: & lapis offensionis, quod attinet ad impios: quibus non solùm dicitur esse in offensionem, sed etiam in laqueum, & in tendiculam. Cùm autem, quod ibi à Propheta ascribitur Deo zebaoth, hîc idem ab Apostolo tribuatur Christo, vnde ex eo apertissimè colligitur, Christum esse illum Deum zebaoth, qui antiquitùs patribus proponebatur. Quodque illo tempore agebatur, id pulcherrime conuenit cum eo, quod hîc tractatur ab Apostolo. Quemadmodum enim veteres hoc oraculo auocabantur à fiducia, quam collocabant in Aegyptijs, & Assyrijs, ita hîc eodem reuocantur à fiducia operum, & meritorum, ne Christus, qui datus est ad salutem, illis ruina efficiatur. Et si ista oracula vera fuerunt tempore Esaiæ, multò certè veriora extiterunt in aduentu Christi. Principium, & finis huius testimonij sic habent apud Esaiam capite vigesimooctauo. Ecce ego fundo in Zion lapidem, lapidem probationis, hoc est, probatum: est enim phrasis hebraica, qua, vt sæpe diximus, isti casus genitiui resoluuntur in adiectiua, Anguli, & pretij, hoc est, angularem, & pretiosum: solidum fundamentum. Qui credit, non festinabit. Hæc quidem dicta sunt, dum historia Ezechiæ esset in manibus: tamen dubium non est, Prophetam respexisse ad Christum, cuius Ezechias typus fuit: præsertim cùm Christus iuxta carnem ex eo rege esset nasciturus: ex quo non vmbratilis, sed vera, & certa salus ventura esset populo Dei. Quemadmodum autem Christo conueniat ratio fundamenti, Apostolus declarauit ad Corinthios, Fundamentum, inquiens, aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus. Paulus sequutus septuaginta ita scribit, Qui crediderit, non confundetur. Confundi autem, seu pudefieri nihil aliud est, quàm frustrari: quòd certè solet vsu venire, cùm res aliter cadunt, quàm sperabamus. Obseruandum est, eandem istam proprietatem, quam Paulus hîc tribuit fidei, suprà assignatam fuisse spei. Ait enim capite octauo, spes non confundit. Vnde colligimus, cùm fides prior sit spe, & spes in ea concludatur, spei proprietatem fidei quoque conuenire, videlicet, non pudefacere. Sensus in Hebræo admodum est elegans. Ille enim, qui verè credit, patienter expectat promissa, nec festinat. At increduli, statim videre volent complementum promissorum: quod si aliquandiu differatur, sese præcipitant, & desperant. Posset etiam sic intelligi, eos, qui fideliter credunt, non esse præcipites in exequendo consilia sua. Prius enim explorant voluntatem Dei, neque quicquam impetrare volunt, nisi quod sciant illi fore gratum. Chrysostomus hoc loco, Impingere, interpretatur, non credere. Quemadmodum enim, qui aliò respiciunt, quàm quò eundum est, facilè impingunt, ita illi etiam impingunt, qui aliud in Christo spectant, quàm ad quod missus est. Lapis sæpe non videtur, vel quod paruus sit, vel quòd in terram sit depressus: incautum tamen hominem sæpe impellit ad lapsum. Ita Christus fuit, cùm ageret in terris. Itaque Hieremias de illo ait, vidimus eum: & non erat aspectus: & idcirco illum non reputauimus. Hoc scandalo citra controuersiam Iudęi laborarunt. Id Paulus testatur ad Corinthios: Si eum, inquit, cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Sed quoniam hæc ignorantia eiusmodi fuit, vt ipsi sibi fuerint eius causa, non potuit eos excusare. Quodque hoc loco dicitur de Christo, idem scribitur in priori ad Corinthios. Prædicamus, inquit Paulus, Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Græcis autem stultitiam: vocatis autem & Iudæis, & Græcis Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam. Et Simeon apud Lucã ait Christum esse positum in ruinam, & resurrectionem multorum. Nam credentes illum habent pro fundamento, atq; illi prorsus innituntur: ideoq; non possunt ruere: increduli autem impingunt in illum, & atteruntur. Quærit Origenes, cur Christus Iesus, cùm alioqui pulcherrimis titulis insigniatur (dicitur enim Pastor, ostium, via, lux, veritas, & alia id genus) hîc à Paulo horribili nomine appelletur offensio, & scandalum: & Philosophatur, Christum fuisse scandalum, hoc est, remoram, & impedimentum currentibus ad peccata. eum enim inde homines reuocasse monendo, prædicando, corrigendo. Sed hæc aliena sunt à sententia Pauli. Vtile enim fuisset huiusmodi scandalum, & maximè fecisset ad ædificationem: Apostolus autem de eo loquitur genere offensionis, quo Iudæi corruebant. Dicemus ergo potius, Christum esse lapidem, quo vel homines fideles ædificantur, vel increduli præcipitati in damnationem ruunt. Esaias Christum appellat lapidem fundamenti: quia eo Ecclesia nititur. Dicitur angularis, quòd ad illum in Ecclesia copulentur duo parietes: videlicet Gentium, & Iudæorum. Dicitur etiam pretiosus, quòd ad præstantissimum

Christus est deus zebaoth.

Locus Isaiæ.

Christus est fundamentum.

Quid sit cõfundi

Fides & spes eãdem habent proprietatem.

Simile.

Iudæi non excusantur sua ignorantia.

Simeonis prædicatio de Christo.

Cur Christus dicatur lapis fundamẽti, lapis angularis & lapis pretiosus.

finem ædificet. Ad hoc idem alluſit Petrus cap. 2. primæ epiſt. Ad quem, inquit, accedentes, qui lapis eſt viuus, ab hominibus quidem reprobatus, apud Deum verò electus, & pretioſus. Deinde ipſe quoq; vtitur teſtimonio Eſaiæ: Ecce, inquit, pono in Sion lapidem in ſummo ponendum angulo electum, pretioſum: & qui crediderit in illo non pudefiet. Vobis igitur pretioſus eſt, qui creditis: cæterùm illis, qui non credunt, eſt lapis, quem reprobauerunt ædificantes. Cùm vterque Apoſtolus dicat, fidem non pudefacere, aperte oſtendunt, homines, qui verè, & fideliter credunt, cùm hoc ſit ingenium fidei, oportere certos eſſe de ſalute.

Certitudo ſalutis commendatur.

Caueamus ergo, ne, quemadmodum Iudæi gloriabantur de iuſtitia Legis, quam nullam habuerunt, ita nos quoque fidamus vmbratili ſecuritati fidei, quæ mortua, & nulla eſt, niſi opera ſecum coniuncta habeat. Videamus etiam, ne impingamus in Chriſtum, hoc eſt, in verbũ eius: quod illi faciunt, qui cùm reprehenduntur, & audiunt ſibi pœnitentiam inculcari, illicò reſiliunt. Quòd ſi Chriſto lapidi verè inniti volumus, neceſſe eſt, vt ſuperſtitiones, quæ longè ſunt ab eo alienę, procul ablegemus: nam in iſto fundamẽto non poſſunt rectè ſuperſtrui. Poſtremò ne taceamus, aut diſſimulemus veram, & ſanam doctrinam, ſtultè verentes, ne illa prædicatione homines offendantur. Cùm ergo Chriſtus datus ſit orbi terrarum, quãuis multi in illum ſint impacturi, adhibeamus nos dexteritatem, & iudicium, vt omnia tradamus prudenter in loco, & tempore, prout ſuggeret ſpiritus ſanctus: ita tamen, ne timore offenſionis veritatem deſeramus.

Qui impingunt in Chriſtum & uerbum eius.

DE PRAEDESTINATIONE.

VERVM, ne in diſputando vagetur oratio, quod facilè fieri poſſet in tam lato campo de diuina prædeſtinatione, cuius valde ſinuoſa eſt tractatio, omnia quę dicturi ſumus, in quatuor capita diſtribuemus: Videlicet, vt Primò excutiamus eius naturam, & definitionem: Deinde, quæ ſint illius cauſæ: nihil enim ſciri poteſt, quod non cognoſcatur per cauſas. Tertiò, quę effecta prædeſtinatio pariat in hominibus: multa enim ſunt, quæ ſatis perſpicuè intelliguntur ex effectis: Poſtremò, vtrum vis eius ea ſit, vt hominibus neceſsitatem adferat: & vtrum libertatem voluntatis humanæ vel auferat, vel impediat, & vtrum ea mutari poſsit. His partibus excuſsis, diſputationi finem imponemus. Non polliceor tamen me omnia, quæ dici poſsint eſſe dicturum. Infinita enim ſunt, quæ occurrunt de hoc negotio cogitantibus. Ea tantùm attingam in præſentia, quæ magis videbuntur neceſſaria, & poſita in acriori controuerſia: quibus ita congeſtis non erit difficile alijs, plura ſibi aliunde corrogare. Antequam autem ad definitionem prædeſtinationis accedamus, duo mihi expedienda ſunt: primùm, an ſalua pietate Chriſtiana liceat de prędeſtinatione aut diſputare, aut concionari, ne, ſi id non liceat, impiè facere videamur. Alterum, quoniam, vt Dialectici tradunt, quæſtio, An aliquid ſit, naturaliter præcedit eam, qua quæritur, Quid quidque ſit, ne illum ordinem perturbemus, videndum eſt, ſit ne aliqua prædeſtinatio: quò eam poſtea poſſimus ſecurius definire. Quòd ad priorem quæſtionem attinet, ſcire debemus, varias eſſe electiones Dei. Quædam enim ſunt ad certum munus obeundũ, vt ad regnum, aut ad apoſtolatum: Alię autem ſunt ad vitam æternam. Atq; iſtæ interdum diſiunguntur. Fit enim ſæpe, vt qui eligitur ad regnum, non ſtatim eligatur ad vitam æternam. Quod etiã accidit de Apoſtolatu, vt in Iuda. Interdum tamen coniunguntur, vt vbi agitur de electione temporaria, intelligamus agi etiam de æterna. Sic Paulus ait, ſe vocatum eſſe Apoſtolum, & ſegregatum fuiſſe ab vtero matris, videlicet, ad Apoſtolatum, & prædicationem Euangelij: ſimul tamen intelligit, ſe prædeſtinatum fuiſſe ad æternam ſalutem. Chriſtus etiam dixit, ſe elegiſſe diſcipulos, vt irent, & fructum afferrent, & fructus eorũ maneret: ſimul autem eos iuſsit eſſe bono animo, quòd nomina illorum eſſent ſcripta in cœlis. Eſt igitur inter iſtas electiones magnum quoddam diſcrimen: eſt etiam inter eas magna coniunctio, vt vna ſæpe pro altera accipiatur. Ita Paulus ea, quæ de Iacobo, & Eſau in Geneſi, & Malachia prædicta videntur eſſe temporaria, mira prudentia tranſtulit ad ſpiritualia. Iam, quod ad hanc poſteriorem electionem attinet, video multos fuiſſe, qui hanc diſputationem minimè iudicarint attingendam: quorum rationes explicat Proſperus, & Hilarius epiſcopus Arelatenſis olim Auguſtini diſcipulus, in duabus epiſtolis, quæ præfinguntur libris de prædeſtinatione ſanctorum. Scriptæ autem illæ ſunt ex hac occaſione, quòd cùm Auguſtinus ſcribens contra Pelagianos de gratia Chriſti, multa in ſuis libris inculcaſſet de prædeſtinatione, multi ex fratribus, & quidem non obſcuris per Gallias fuiſſent perturbati, & mirificè offenſi: aſſerebant enim

Partitio quæſtionis.

An ſalua pietate liceat de prædeſtinatione diſputare.

Electionum Dei uarietas.

Rationes dicentium de prædeſtinatione haud eſſe diſputandum. Proſperus & Hilarius.

enim hac prædicatione proſtratis adimí conatum reſurgendi: ſtantibus autem torporem afferri: quòd vtrique iudicarent, ſuperuacaneam eſſe diligentiam, cùm Dei prædeſtinatione conſtitutum iam de ipſis eſſet: vt reprobati non poſſent reſtituí: electí autem nullo modo poſſent excidere: neque tamen curſum conſtantem, & firmum poſſent retinere, cùm eſſent incerti de ſua prædeſtinatione. Itaque cùm hac doctrina tollatur induſtria, & tantùm ſuperſit fatalis quædam neceſsitas, præſtare, vt de ea ſuperſedeatur. Addunt præterea ſuperfluam eſſe diſputationem de re, quæ non poſsit comprehendi. Scriptum enim eſſe, quis cognouit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius eius fuit? Putabant ergo docendum eſſe, Deum ex ſua bonitate velle omnes homines ſaluos fieri: quòd autem omnes non ſeruentur, id ex eo fieri, quòd omnes nolint ſalui fieri. atque hanc doctrinam aiunt tutam eſſe: contrà autem doctrinam iſtam de prædeſtinatione auferre omnem vim, & vſum & prædicationum, & admonitionum, & correctionum. Nam ſi certus conſtituatur numerus electorum, qui nec imminui, nec augeri poſsit, fruſtrà laboraturos eſſe concionatores. Nam ſi diffinitio Dei ſit immobilis, erit Chaos impenetrabile inter electos, & reprobatos, vt nullus ex iſtis migrare poſsit ad illos, aut ab illis tranſire ad iſtos: itaq; caſſus, & inutilis erit omnis labor docentium. Viſa etiam illis eſt hæc doctrina recens, quòd veteres Patres aut nihil, aut parum admodum de ea tradidiſſent, aut alia ratione diſſeruiſſent. Cumque vſque ad Auguſtini tempora Eccleſia contra hæreticos fidei dogmata defendiſſet, abſque iſta doctrina, ſe quoque etiam tum ea carere poſſe: Nihil enim aliud facere eos, qui iſta docent, niſi vt homines reuocent ad incertum diuinæ voluntatis: id autem nihil eſſe aliud, quàm illos adigere ad deſperationem. Hæc omnia obiecta ſunt Auguſtino: quæ ſi vera eſſent, nos iſtam nunc quæſtionem temerè, & inconſultò ſuſciperemus. At rationes, quibus Auguſtinus ſe defendit, noſtrum quoque inſtitutum tueri poſſunt. Quare, quæ hoc loco dicturi ſumus, ea ex duobus eius libris breuiter colligemus: quorum alter inſcribitur, De Bono perſeuerantiæ: Quo in libro capite 14. 15. & 20. refutat illas obiectiones, quas commemorauimus: Alter De correptione, & Gratia: vbi capite 5, 14. 15. & 16. idem tractat. Primùm quidem miratur, iſtos arbitrari, doctrinam de prædeſtinatione ſubuertere commoda prædicationum: præſertim cùm Paulus doctor Gentium, & prædicator orbis terrarum eam doctrinam in ſuis epiſtolis & ſæpe, & luculenter, & ex profeſſo inculcet: vt in hac epiſtola ad Romanos, ad Epheſios, ad Timotheum. Imò Lucam quoque in Actis Apoſtolicis, & Chriſtum ipſum in ſuis concionibus ait eius mentionem facere. Chriſtus enim ait, quos pater dedit mihi, eos nemo poteſt rapere de manu mea: Et multos vocatos eſſe, paucos electos: Et vltimo illo die ait ſe reſponſurum piis, Venite benedicti patris mei: poſsidete regnum paratum vobis ab origine mundi: Et agit gratias patri, quòd abſcondiſſet ea à ſapientibus, & reuelaſſet paruulis, quod ſic ei placitum eſſet. Alio etiam loco, ego, inquit, ſcio, quos elegerim: Et, non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos. Quòd ſi Chriſtus, & Apoſtoli hac de re ſæpe in concionibus ſuis verba fecerint, nemo, inquit, putare debet, hanc doctrinam aduerſari prædicationibus. Negat etiam eſſe conſentaneum, ſi voluntas, ſalus & bona opera noſtra pendeant à voluntate, & diffinitione Dei, idcirco ſtudium, & conatum, & ſolicitudinem noſtram abijciendam eſſe. Paulus enim, cùm dixiſſet, Deum operari in nobis & velle, & perficere, tamen non deſtitit rectè monere. Cumque ſcripſiſſet ad Philippenſes, Deum, qui cœperat in illis, perfecturum eſſe opus, quod inchoauerat, vt inculpati eſſent in die Domini: quibus verbis tribuit Deo & initium, & ſucceſſum bonorum operum, tamen eos in eadem epiſtola mirificè adhortatur ad ſanctitatem. Chriſtus etiam iuſsit Apoſtolos credere: & tamen ex altera parte ait, Neminem poſſe ad ſe venire, niſi quem pater traxerit. Ait etiam: Qui habet aures audiendi, audiat. Tamen Deus in ſcripturis ait, ſe daturum cor diuinitùs, vt intelligant: oculos, vt videant: aures, vt audiant. Iſta igitur inter ſe non pugnant: videlicet, diffinitionem bonorum operum penes Deum eſſe, eorumque donum tantùm à Deo eſſe ſperandum: & ſtudium, curam, ſolicitudinem rectè, & ſanctè viuendi à nobis eſſe adhibendum. nam, vti diximus, diuinæ literæ vtrunq; tradunt. Præterea ſi prædeſtinationem hac de cauſa negare volumus, cùm eodem modo præſcientia Dei certa ſit, & falli nõ poſsit, an ideo negabimus, Deum omnia præſcire, ſi qui fortè ſint, qui hac doctrina offendantur? Et de Bono perſeuerantiæ cap. 15. profert exemplum, quod ſuo tempore accidit. Ait ſecũ fuiſſe quẽdam in eodem monaſterio hominẽ parùm probatæ vitæ: Ille, cùm moneretur erroris, dicere ſolebat, Talis ero, qualẽ me Deus præſciuit futurũ. At iſta cùm diceret, inquit Auguſtin. vera quidem dixit, ſed quamuis verè ſentiret, tamen factus eſt in dies peior: denique etiam ad

Rationes quibus Auguſt. defendit tractationes & diſputationes de prædeſtinatione.

Doctrinam prædeſtinationis Paulus aliquoties inculcauit.

Chriſtus & acta Apoſtolorum meminerunt.

Non pugnat cum prædicatione qd' Paulus reliq. Apoſtoli & ipſe Chriſtus docuit.

Salus & bona opera noſtra pendent à Deo, nec tamẽ ſtudium recte viuendi abijciendum eſt.

Tam præſcientia dei quàm prædeſtinatio certa eſt Exemp ũ ab Auguſtino allatum.

Res non redditur mala ex eius abusu.

Præscientia Dei nos à studio precum reuocare nõ debet.

Dona dei nõ agnoscuntur nisi cognito eorũ fonte

Quis sit fons donorum Dei.

Iubemur gratias agere de electiõe

Iuuat dogmá gratuitæ iustificationis.

Non est doctrina noua cum in sacris literis prodita sit.

Hæreses causæ fuerunt dogmatũ diligentius tractandorum.

Patres Augustino antiquiores hanc doctrinam tractarunt.

Prædestinatio quomodo sit obscura & non obscura.

Cum acturi quippiam sumus non est consulenda prædestinatio sed scriptura.

Definitus numerus electorũ prædicationem non impedit.

Multæ consolationes ex doctrina prædestinationis.

Omnibus est prædicanda sed non eodẽ modo prædestinatio.

vomitum, inquit, reuersus est: qualis tamen, inquit, adhuc futurus sit, Deus nouit. Si iste abusus sit veritate, non propterea quisquam pius negabit Deum omnia præscire. Atque hanc Dei præscientiam nihil obesse bonis operibus, Christus ostendit, cùm discipulos suos iuberet orare, & interim admoneret, Deum probè scire, quibus rebus illis opus esset. Præscientia ergo Dei non reuocat nos à studio precum. Vtilia enim, & necessaria, quæ Deus decreuit se daturum, per hoc medium se decreuit daturum esse. Falluntur etiam, qui hanc doctrinam putant esse inutilem: imò parum vident, & eius vtilitatem non intelligunt. Pijs vehementer expedit, vt néue alijs hominibus, néue sibi ipsis fidant: sed in vno Deo omnem spem suam, & fiduciam collocent. Quòd certè verè atque ex animo facere non possunt, nisi quibus persuasum est, & salutem suam, & omnia bona, non à se ipsis pendere, sed à Deo. Ne dona quidem Dei intelligimus, nisi ex quo fonte manent intelligamus. Fons autem est liberale propositum, & misericordia Dei exhibita illis, quos elegit ante mundi constitutionem. Qui hoc non videt, Dei erga se bonitatem non videt. Hac doctrina adduci possunt homines, vt ne in se ipsis, sed in Domino glorientur: quod illi facere non possunt, qui illud parum, quantulumcunque est, propter quod affirmant se à Deo eligi, arbitrio suo ascribunt. Habent enim in se ipsis, de quo possint gloriari. Adhæc scriptura vult nos mortificari, & demisse agere. id nihil facilius efficit, quàm hæc doctrina. Certitudo etiam salutis, quam defendimus, nulla alia ratione magis constat, & in epistola posteriori ad Thessalonicenses Paulus iubet nos de hac re gratias agere Deo, quòd à Deo simus electi. Atqui id facere non possumus, nisi & res tota nobis sit perspecta, & cognita. Nec sine hac doctrina satis defendi potest gratia Dei contra Pelagianos: illi enim docebant, electionem Dei contingere ex nostris meritis. Periret etiam gratuita iustificatio, nisi de prædestinatione rectè sentiremus. Cùm igitur ista doctrina sanè intellecta ad tam multa valeat, non debet cuiquam videri infructuosa. Et cùm prodita sit in sacris literis, certè dici non potest noua. Quòd si Patres ante Augustinum de ea minus diligenter loquuti fuerint, non debet videri mirum: occasiones enim, cur dogmata diligentius excuterentur, erant hæreses, quæ in Ecclesia subinde nouæ pullulabant. Et cùm ante Pelagium nemo Dei gratiam oppugnasset, nihil opus erat, vt eam quisquam defenderet: sed cùm nouus error esset excitatus, necesse erat, vt ista doctrina diligentius expenderetur. Neque tamen Patres, qui Augustinum ætate præcesserant, semper de hac re tacuerunt. Id enim Augustinus ipse probat capite decimonono, de Bono perseuerantiæ. Ambrosius in Lucam ait, Deum potuisse, si voluisset, ex indeuotis, facere deuotos. Et rursus ait, Deum illos vocare, quos dignatur: & illum, quem voluerit, facere religiosum. Ista scribit in eum locum, vbi scribitur, Samaritanos noluisse Christum admittere. Citat etiam Gregorium Nazianzenum, qui ait, Deum vtrunque dare, vt fideles & credant beatam Trinitatem, & illam confiteantur. Quòd autem causabantur, hanc rem obscurissimam esse, nec posse intelligi, sed potius homines ad incerta diuinæ voluntatis reuocare, Respondet obscuritatem esse impenetrabilem, si quis velit quærere rationes iudiciorum Dei, cur, alijs præteritis, iste, aut ille eligatur. At si tantum de prædestinatione doceatur, quantum sacræ literæ tradunt, ea non sunt ita obscura, quin fidei nostræ satis perspicua esse possint. Neque consulendus, vt, qui sit aliquid acturus, secum de prædestinatione deliberet: sed potius, vt ad voluntatem Dei in scripturis expressam sese referat: quenque item confidere oportet se à prædestinatione non esse excluſum. Neque quicquam obest prædicationi, quòd certus sit, & immobilis, vt re vera est, numerus electorum. Non enim id agimus prædicando, vt transferamus homines ex albo reproborum in album electorum: sed quò, qui ad electos pertinent, ministerio verbi ad destinatum sibi finem adducantur: quod idem ministerium, vt istis est vtile, ita cæteris exitiosum est, & illis omnem adimit excusationem. An verò prædestinatio, & electio ad salutem dici possit omnibus conuenire, vt Deus velit, omnes homines saluos fieri, posteà dicemus suo loco: interim tamen Augustinus monet tacendam non esse veritatem de prædestinatione, quod periculum immineat, ne ex prauo eius intellectu confirmetur prauum dogma: neque propter eos, qui non sunt capaces, fraudandi sunt capaciores. Cumque ex hac doctrina multæ consolationes peti possint, ea promiscuè & doctis, & indoctis est proponenda: etsi non semper eodem modo. Quibusdam enim lac conuenit, quibusdam solidus cibus. Eadem autem res potest ita commodè tractari, vt & doctis, & indoctis satisfiat: id quod Augustinus ipse prudenter præstitit: qui non solùm de hac re contra Pelagianos acutissimè disputauit, sed etiam in homilijs, & familiaribus concionibus de eadem re planè, & facilè tractauit ad populum.

populum. Quid, inquit, est profundius illa sententia Ioannis: In principio erat verbum? aut ista altera, Verbum caro factum est? Quibus in sententijs multi hallucinari possent, & perniciosè errare: non tamen desistimus illa & doctis, & indoctis proponere: diuersa tamen adhibita loquendi ratione. Non ita debet prædestinatio proponi populo Dei, vt dicamus, siue hoc feceris, siue non feceris mutare non potes diffinitionem Dei: & si sis electus, quicquid feceris, non potes à salute remoueri. Hæc enim homines infirmos, & rudes facilè possent lædere. Imperiti medici est, vel potius malitiosi, pharmacum alioqui bonum ita inepte, & indecenter applicare, vt obsit valetudini. Vt autem hæc doctrina commodè, & cum fructu proponatur, spectari debent fines, & vtilitates, quas prius exposuimus. Eò autem dirigatur omnis oratio, vt qui sunt Christi, ne suis viribus fidant, sed Deo: & eius agnoscant dona, & in Deo glorientur, non in se ipsis: & gratiam, & misericordiam sibi exhibitam sentiant: & se gratis per Christum iustificari. Intelligant etiam se esse prædestinatos, vt efficiantur conformes imagini filij Dei, in adoptionem filiorum, vtque ambulent in operibus bonis. Postremò, vt testata illis sit certitudo diuinæ erga ipsos beneuolentiæ. Adhæc quæuis res habet ansas, quibus commodè capi possit: quæ si alio modo, aut alijs partibus arripiatur, vel elabetur è manibus, vel apprehendentem lædet. Collegimus ista ex illis Augustini libris, quos modò citauimus, quibus respondet ad obiectiones Hilarij, & Prosperi. Nunc duo superfunt dissoluenda. Primùm, quòd aiunt, nos constituere necessitatem quandam fatalem: deinde, quòd putant, homines hoc pacto adduci ad desperationem. Quòd ad primum attinet, si per fatum intelligant vim quandā manantem ex astris, & connexionem causarum inexpugnabilem, qua etiam Deus ipse cogatur in ordinem, nomen fati non iniuria repudiabimus. At si eo nomine intelligant ordinem causarum, qui Dei voluntate gubernetur, ea res videri non potest à pietate aliena: quamuis ab eo nomine iudicem esse abstinendum: ne rudiores putent, nos probare fictiones ethnicorum. Hac de re præclarè Augustinus in 5. de Ciuit. Dei cap. 8, Neq; hac prædestinatione mutantur naturę rerū, quod attinet ad necessitatē, & contingentiam: vt in tractatione de prouidentia diximus. Imò effectu prædestinationis, hoc est, gratia, efficimur liberi à peccato, & serui reddimur iustitię: quæ seruitus sancta est, & in Domino verè amabilis. Tantum autem abest, vt spes nostra propter prædestinationem frangatur, aut imminuatur, vt etiam multò maximè confirmetur. Paulus enim in 8. cap. huius epistolę, cùm dixisset, Spes non confundit, & adiecisset, Diligentibus Deum omnia cooperari in bonum, id confirmauit ex prædestinatione. Quos enim Deus præsciuit, inquit, eos prædestinauit. Et addit posteà, Quis nos separabit à dilectione Dei? An tribulatio? an angustia? Et mox, Neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, &c. Non igitur ad desperationem adigimur hac doctrina, sed multò potius in spe confirmamur, & magnā ex ea consolationem accipimus. Et certè multò tutius est, salutem nostrā Dei curę, & prouidētię cōmittere, quàm iudicio nostro. Nos enim, vt sumus mutabiles, nos ipsos in dies, imò in horas singulas perderemus. At salus nostra, cùm in Dei manu sit collocata, salua est, & sarta tecta. addo postremò, id magis etiam facere ad gloriam Dei. Quare non debemus abhorrere à doctrina de prædestinatione: & præsertim cùm ita pars quædam Euangelij: quod non ex aliqua parte, sed integrum, & totum recipiendum est. Atque hæc hactenus de prima parte exordij. In altera parte videndum est, sit ne aliqua prædestinatio: ne videamur velle rem fictam, & commentitiam definire: non quòd aliqui vnquam apertè, & ex professo Dei prædestinationem ausi fuerint negare: sed quòd quidam fuerint, qui ea posuerint, quibus datis, consistere non possit prædestinatio. Dicunt enim quidam, & inter eos in primis Pighius, non esse in Deo nec præteritum, nec futurum: ideóque eum in præsentia, hoc est, semper prædestinare, atque præscire. Nosq; aiunt ex eo falli, quòd putemus, Deum iam antè, & in præterito aliquos prædestinasse. vnde multa absurda colliguntur. Deo, inquit, omnia sunt præsentia: ergo semper præscit, & prædestinat. Et idcirco infert, in vnoquoque esse positum, qualis à Deo præsciatur: & in manu nostra situm esse, vt prædestinemur, quales velimus. Verùm hæc sententia longè aberrat à vero. Etsi enim in Deo non est vicissitudo temporum, nec aliquid aut prætereat eum, aut ab eo expectetur, creatura tamen ea, quam Deus præscit, & prædestinat, non caret initio. Quare cum ea non sit Deo creatori coæterna, necesse est, vt Deus eam prius prædestinarit, quàm illa nasceretur. Nam prædestinatio est ex illo genere diuinarum actionum, quæ respiciunt aliud. Non ergo oportet confugere ad æternitatem Dei: in ea enim homines cum Deo creatore non communicant. Id melius, & clarius intelligi potest ex tempore præterito. Sic ergo dicito: Quidam homines iam mortui sunt, & præte-

A simili argumētatur Augustin.

Quæ cauenda in prædicanda prædestinatione. Simile.

Qua dexteritate tractanda sit prædestinatio.

An ex ista doctrina cōstituatur fatalis necessitas.

A fati nomine abstinendū licet res bene intellecta non sit mala.

Prædestinatione efficimur liberi. Cogitatio de prædestinatione spē confirmat.

Nostra salus tutius deo quàm nobis ipsis committitur.

Prædestinationis notitia facit ad gloriam Dei.

Prædestinatio pars est Euāgelij Nemo dei prædestinationem simpliciter negauit. Oppugnatur Pighius.

Licet in Deo non sit uicissitudo tēporum, attamen ipsæ creaturæ nō carēt initio quæ prædestinatæ sūt priusquam esse incipiant.

rierunt. Deo autem omnia sunt præsentia: Ergo Deus nunc illos prædestinat: & nunc etiam in illorum manu situm est, quomodo prædestinentur. Hîc nemo tam hebes est, quin absurditatem sentiat. Non enim illi nunc prædestinantur, cùm ad finem iam peruenerint: nec in illorum potestate situm est, aut vt ne sit, aut etiam quomodo sit, quod iam receperint. Quod si ratio tam est infirma de præterito, quomodo potest esse firma de futuro? Sed mittamus hoc argumentum, quod tamen est firmissimum: & expendamus loquutionem scripturarum. Non'ne Paulus ait de illis geminis, priusquam nati fuissent, aut aliquid egissent boni, aut mali, dictum est, maior seruiet minori? Et ad Ephesios non'ne asserit, nos prædestinatos fuisse ante iacta fundamenta mundi? Hæc loca, & alia similia permulta manifestissimè declarant, homines prædestinari antequàm incipiant esse. Quod qui nobis aufert, magnam vna nobis eripit consolationem: quam ex eo percipimus, quòd à Deo scimus nos prædestinatos esse ad gloriam ante omnem æternitatem. Sed videamus, quorsum Pighius sic ista torqueat. horsum videlicet, vt confutet, res nostras esse definitas, & destinatas à Deo, antequàm fiant. Tum enim eius iudicio periret libertas humani arbitrij, & homines sub necessitate relinquerentur. Huic malo ita putat posse occurri, si dicamus, Deum omnia facere in præsenti. Sed cogitare debuit, in Prophetis, atque alijs scripturis multa legi vaticinia: in quibus longè antequàm fierent, multa erant determinata, & præfinita, quomodo fierent. Quid hîc faciemus? Censebimúsne, illa vaticinia nihil horum præcessisse, quæ erant futura? Christus ait, Oportet impleri scripturas. Quare istæ fictiones nihil promouent. Tantùm student isti homines, rem claram, & perspicuam suis commentis offuscare, vt sepiæ atramentum suum effundunt, ne capiantur. Longius etiam progreditur Pighius, aitque, non esse hominibus præfixum à prouidentia Dei tempus aut genus, vel vitæ, vel mortis: imò ait, multos fuisse, qui quod ad Dei prouidentiam attinet, diutius viuere potuissent: nisi vel negligentia, vel intemperantia vitam suam imminuissent. Nam si hæc ita definita essent, inquit, Sicarius, cùm hominem interficit, posset excusari, quòd executus esset voluntatem Dei. Miror equidem, homini theologo tam anile commentum potuisse excidere. Quasi verò Sicarius, cùm aliquem occidit, spectet, quî placeat Deo. Id illi curæ est, tantùm vt latrocinetur, & aut odium, aut inimicitias suas expleat. Vnde enim ille scire potuit, hanc esse voluntatem Dei, cùm Deus in legibus suis contrà iusserit? An putat, Iudam excusari posse facinorosæ proditionis, quòd audisset à Domino prædici scelus suum? Et an idcirco excusabitur Pharao, quòd Deus prædixisset, cor eius obfirmatum iri? Stultum ergo est, ex definitione rerum, quam in Deo collocamus, inferre excusationem peccatorum. Sed addit Pighius aliud etiam argumentum: Si res nostræ ita essent à Deo definitæ, tolleretur omnis nostra solicitudo, & cura, & studium. Nam quid prodesset, inquit, vitare itinera infesta, & periculosa, aut nauigationem hyemalem, aut crapulam, aut cibos insalubres, si & genus, & tempus mortis, & alia id genus sint apud Deum iam ante certò constituta? Hîc mihi venit in mentem, quod Origenes habet libro secundo, contra Celsum: vbi recitat sophisma iactatum inter eos, qui disserebant de Fato. Quidam fuerit ægroto, non esse aduocandum medicum: quoniam, inquit, Fato iam antea constitutum est, te vel conualiturum ex hoc morbo, vel non conualiturum. Si est in fatis, te esse conualiturum, nihil opus est medico: Si non est, nihil iuuabit medicus. Siue ergo fatum decreuerit te conualiturum, siue non conualiturum, frustrà aduocabitur medicus: Alter amico suo simili argumento dissuadet nuptias. Duces, inquit, vxorem, vt liberos procrees: Atqui si est in fatis, vt suscipias liberos, eos etiam sine vxore suscipies: Si non est, vxorem ducere ad eam rem nihil proderit. Quicquid ergo fatum decreuerit, frustrà vxorem duces. Ita illi irridebant, & exagitabant fatum. Ostendere enim volebant, in quæ absurda homines inciderent, si fatum tueri vellent. Contrà, qui fatum defendebant, has rationes dissoluebant: ostendebantque eas homines nihil impedire. Fingebant ergo, ægrotum ita respondere: Imò si fato constitutum est, vt conualescam, aduocabo medicum: quoniam ægrotis ille profitetur valetudinẽ restituere: vt eius opera fati decretum assequar. Illum autem alterum, qui deliberabat de ducenda vxore, ita fingebant respondere: si definitum est, vt suscipiam liberos, quoniam id nulla alia ratione fieri potest, quàm coniunctione maris & fœminæ, volo vxorem ducere, vt locus esse possit fato. Hæc sibi etiam responsa Pighius arbitretur. Nam illum etiam scripturæ sacræ apertè redarguunt. Ezechiæ enim vitæ additi sunt quindecim anni. Et captiuitati Babylonicæ præscriptum est septuaginta annorum tempus. Et Christus ait, pilos omnes capitis nostri numeratos esse: nec passerculum caderum esse ad terram sine voluntate Dei. Illud quoque futile est, quod addit, preces nostras

fore

Mortui nunc non prædestinãtur cũ ad finem peruenerint.

Concluditur homines prædestinari priusquã esse incipiant.

Vaticinia præcessérunt futura & tamen hominum libertatem non corrumperunt.

Quando Sicarius quempiam interficit non spectat dei uoluntatem. Ex prædestinatione nõ infertur excusatio peccatorum.

Sophisma iactatũ in disputatione de fato.

Dissolutio Sophismatis adducti.

fore inanes si definita sint rerum euenta. Hac de re diximus aliâs: Deum non tantùm decreuisse, quid nobis uelit dare, sed etiam media determinasse, perquæ uelit nos ad ea peruenire. Et Christus ait, Deum scire, quid nobis opus sit, & tamen nihilominus monet ut oremus. Hoc nihil aliud est, quàm hominem subducere à diuina prouidentia. Ea enim non est noua, sed æterna dispositio rerum. Morti Christi ita erat & locus, & tempus, & modus præscriptus, & in Prophetarum uaticinijs reuelatus, ut aliter fieri non posset. Christus ipse ait: Nondum uenit hora mea. Et quod uerum erat in Christo, quomodo negari potest in alijs? Fatemur in syderibus longè ante uideri rationes, & causas uentorum, imbrium, tempestatum, serenitatis, & siccitatis: & eas non ponemus in Deo, qui infinitis partibus plura complectitur, quàm cœlum? Scripturæ non tantùm id apertè loquuntur, quod paulò antè diximus de illis geminis, priusquam nati fuissent, aut aliquid egissent aut boni, aut mali, dictum fuisse, maior seruiet minori: Iacob dilexi, Esau autem odio habui, sed etiam in futurum, Miserebor, cuius misereor: &, non ex operibus, sed ex uocante: ut maneat propositum secundum electionem. Et in Deuteronomio, Elegit semen eorum post eos. Dauidi definita est posteritas usque ad Christum: cúmque peccasset, audiuit, gladium non recessurum à domo sua: & uxores suas à proximo suo constuprandas esse palam. Et de Hieremia, priusquã formarem te in utero, noui te. Christus ait, electos etiã seducendos esse, si fieri possit: &, quicunque sibi dati essent à patre, neminem eos posse extorquere de manu sua. Et in Actis legitur, Crediderunt quotquot ordinati erant ad uitam æternam. Hoc etiam loco Deus confertur cum figulo, qui certè, antequam operetur, designat in animo, quod genus uasis uelit fingere. Et paulò suprà, Quos præsciuit, eos etiam prædestinauit conformes fieri imagini filij sui. Hic priori loco prædestinatio ponitur, postea sequitur cõformitas ad imaginem filij Dei. In Actis quoque legimus, Iudæos cepisse Christum, & eum crucifixisse iuxta præscientiam, & definitum consilium Dei. Quid plura? Paulus ad Ephesios ait, nos fuisse electos ante iacta fundamenta mundi. Hæc satis docent, nos minimè falli cùm docemus, præscietiã, & prædestinationẽ Dei ante omnẽ æternitatẽ præcedere ea, quæ præscita sunt, & prædestinata: neque huic definitioni quicquam obesse, quod in actione diuina nihil sit aut præteritum, aut futurum. Ex his quæ adduximus è sacris literis, satis apparet esse aliquã prædestinationẽ Dei. quod etiã docebunt ea, quæ postea dicturi sumus. Id nunc interim ratione confirmabitur, & ea sanè, quæ meo quidem iudicio ἀπόδειξις uideri debeat. Finis, ad quem facti sumus, naturam longè superat, ita ut ad illũ nostris uiribus peruenire nõ possimus. Deo ergo præparatore, & ductore opus est. Itaque Paulus ait ad Ephesios, Quæ oculus non uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus se. Cùm ergo ad finem deducendi simus à Deo, id fieri non potest casu, aut temerè, sed consilio Dei, idque ab æterno destinato, & constituto. Nunc cùm tutò possimus accedere ad definitionẽ, incipiẽdũ existimo ab eo, quod dialectici appellant, Quid nominis. Græci prædestinationem dicunt προορισμὸν ἀπὸ τοῦ προορίζειν, quod est antè determinare, & definire, ὁρος enim est terminus. Disterminãtur igitur electi à non electis. Latini dixerũt prædestinationẽ. Nam destinare nihil aliud est, quàm in animo quippiã designare firmiter, & constanter statuere: aut aliquid firmo animi decreto aliquò dirigere. Sed prædestinatio, quam dicimus, potest bifariam accipi: uel quatenus ad executionem perducitur, ut quòd Paulus proficiscens Damascum conuertitur ad Christum, atque ita separatur ab incredulis: uel quatenus apud Deum ab æterno est, antequam homines nascantur. De hac Paulus loquitur ad Galatas, se segregatum fuisse in Euangelium scribens, ab utero matris, longe antequã conuerteretur. ad Ephesios item cùm inquit, nos prædestinatos ante iacta mundi fundamenta. Et ad Romanos de geminis ait, antequam aliquid boni fecissent aut mali, Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Nosq; in præsentia de hac æterna Dei prædestinatione loquimur. Altera enim nihil aliud est, quàm huius declaratio. Potest igitur prædestinatio & comuniter accipi, & propriè. Quoniam autem Deus omnia destinato consilio facit, nihil casu aut fortuitò, procul dubio quicquid creat, & facit, aliquem ad finem, & usum destinat. Hac ratione nec impij, nec Diabolus ipse, neque peccata excludi possunt à prædestinatione. omnibus enim ijs rebus Deus utitur, quomodo uoluerit. Itaque Paulus impios homines deuotos ad extremam damnationem appellauit hoc loco σκεύη, hoc est, uasa Dei quibus iram patefacit. Et Salomon in Prouerb. ait, Deum omnia fecisse propter se ipsum, & impium etiam ad diem malum. Et de Pharaone dicitur: In hoc ipsum excitaui te, ut ostenM

Preces non sunt uanæ si definita sint rerũ euẽta. Homo & facta eius minimè subducẽda sunt à diuina prouidẽtia.

De Christo definita erant omnia certißimè.

Non Deo negandum quod cœlo & astris tribuimus.

Probatur ijs locis prædestinationẽ ante omnẽ æternitatẽ creaturas præcessisse.

Firma ratione probatur esse prædestinatio.

De definitione prædestinationis Quid nominis.

Destinari.

Prædestinatio duplici modo accipitur.

Alia distinctio prædestinationis

derem in te potentiam meam. Imò si ita accipiatur prædestinatio, erit rebus omnibus communis. Neque aliud ista uox significabit, quàm Dei de creaturis suis æternam dispositionẽ ad usum aliquem suum. Cæterum sacræ literæ hanc uocẽ nõ facilè usurpant, nisi de electis: quamuis in quarto capite Actorum legatur: conuenerunt ad faciendum, quodcunque manus tua, & consilium prædestinauerat, ut fieret: quæ tamen uerba si ad mortem Christi, & humani generis redemptionem referantur, extra salutarem electionem non egrediuntur. Sed si ad illos quoque spectent, qui aduersus Dominum conuenerunt, reprobos etiam comprehendunt. Nunc autem nos iudicabimus de scripturis, quemadmodum illæ plerunque loqui solent. Itaque Theologi etiam Scholastici electos tantùm non autem reprobos, aiunt prædestinari. Eam sententiam nos quoque in presentia sequemur: non sanè propter rationem, quã adducunt, illa enim ualde infirma est, ut postea docebimus suo loco: sed quoniam uideo scripturas plærunque ita loqui. Quare in hac tractatione sanctos tantùm sub nomine prædestinationis comprehendemus. Atque hac de causa puto Augustinum librum suum inscripsisse, de prædestinatione sanctorum: quæ significat decretum Dei, quo sancti instituti sunt ad cõmunionem salutis, prædestinationi uerò per antithesin reprobationem opponemus. Hæc hactenus de nomine. Nunc antequam perueniamus ad ueram, & propriam definitionem oportet quædam προθεσθαι: quorum primum pertinet ad præscientiam Dei, quæ, ut Paulus testatur, coniuncta est cum prædestinatione. Quos enim præscíuit, inquit, hos prædestinauit. Et si omnia in Deo sint unum, & idem, tamen ea ad captum, & intelligentiam nostram eius attributa aliqua ratione sunt distinguenda. Primùm ergo scire debemus, notitiam Dei latius patere, quàm eius præscientiam. Nam notitia porrigitur nõ tantùm ad præsentia, præterita, & futura, sed etiam ad ea, quæ nunquam futura sunt, siue possibilia ea sint, siue, ut loquuntur, impossibilia: præscientia autem est, non nisi de illis, quæ futura sunt. Et idcirco præscientia requirit uoluntatem, quæ præcedat: nihil enim futurum est, nisi Deus id esse uelit. Nam alioquí impediret. Præscit ergo Deus ea, quæ uult esse futura. Deinde non omnes quos Deus præscit, eos etiam prædestinat: præscit enim etiam reprobos, quos scit esse damnandos Sed quemadmodum præscientia Dei uoluntatem coniunctam habet, & tamen ad notitiam seu intelligentiam Dei pertinet: ita è diuerso prædestinatio, & si absq; præscientia esse non possit, tamen propriè ad uoluntatem pertinet. Id Paulus ostendit ad Ephesios, cùm docet, nos prædestinatos esse iuxta propositum, cuius ui Deus omnia operatur iuxta decretum uoluntatis suæ. Ex his utcunque uidere possumus, quomodo prædestinatio iungatur cum præscientia, quidq; ab ea differat. Iam uideamus, quid ea cum prouidentia aut commune, aut diuersum habeat. Hoc habet commune cum prouidentia, quòd utraque requirit notitiam, & refertur ad uoluntatem, quodq; utraque spectat futura. In eo autem differunt, quòd prouidentia omnes creaturas complectitur: prædestinatio autem, quemadmodum nos de ea loquimur, sanctis tantùm, & electis conuenit. Deinde prouidentia dirigit res ad naturales fines prædestinatio autem ducit ad ea, quæ naturam superant: quale est, adoptari in filium Dei, regenerari, imbui gratia rectè uiuendi, postremò peruenire ad gloriam. Itaque non dicimus, bruta prædestinari: finis enim istius supranaturalis non sunt capacia. Ne Angeli quidẽ modò prædestinantur: illi enim iam assequuti sunt finem suũ: prædestinatio autem futura respicit Quod diximus, prouidentiam ad omnia pertinere, id sic probari potest, quia Deum nihil latet: alioquí non esset sapientissimus. Quòd si omnia norit, uel ea regit omnia, uel multorum curam abijcit. Si quarum rerum curam abijciat, id idcirco facit, uel quia non potest, uel quia non uult curam earum gerere. Si non potest, non est potentissimus: si nolit, non est optimus. Negare autem, Deum sapientissimum, potentissimum, optimum esse, id est planè eum negare esse Deum. Superest ergo, ut Deus rebus omnibus prouideat: quod scripturæ infinitis in locis apertissimè testãtur. Docẽt enim Dei curã extẽdi usque ad arborũ folia, usq; ad capillos capitis, usquead passeres. Obiter sic definiri potest prouidentia: est Dei ordinata, immobilis, & perpetua uniuersarũ rerũ administratio. Cũ Deũ dico, magna eũ authoritate prędit ũ, & potentem dico. Administratio significat, non esse tyrannicam gubernationem, sed placidam suauem, paternam. Nam tyranni uiolenter opprimunt subditos, & ad suum commodum, & libidinem omnia referunt. Deus autem neminem uiolenter premit: neque ex hac gubernatione, quicquam ipse commodi capit: sed tantùm creaturis bonitatem suam communicat. Est hæc administratio uniuersarum rerum. Nulla enim res eam subterfugit, nec potest absq; ea durare. Dicitur ordinata: quia coniuncta est cum summa sapientia, ut nihil admittat con-

De prædestinatione tantùm sanctorum tractabitur.

Quid significet prædestinatio.

Notitia Dei latius patet quàm eius præscientia.

Præscientiã Dei antecedit uoluntas.

Præscientia Dei latius patet quã prædestinatio.

Præscientia pertinet ad intelligẽtiam, prædestinatio ad uolũtatem

Quibus reb. prædestinatio consentit cum prouidẽtia.

Differentia prædestinationis & prouidentiæ.

Bruta non prædestinantur.

Cur Dei prouidẽtia dicatur omnibus communis.

Definitio prouidentiæ Dei.

Dei gubernatio non est tyrannica

Cur prouidentia sit immobilis.

fusionis. Immobilis est: quia scientia huius administratoris non fallitur nec eius potentia frustratur. Est etiam perpetua: quoniã Deus ipse rebus adest. Neq; enim cum creasset res, eas sibi ipsis reliquit: imo ipse in illis est, easque perpetuò agitat. In ipso enim uiuimus, mouemur, & sumus. Tantùm de prouidentia. His rebus fatum etiam est affine. A quo, si accipiatur ut supra diximus, pro necessitate quadam ineuitabili, quæ à ui astrorum pendeat, Patres meritò abstinuerunt. Sed si nihil aliud significet, quàm certam connexionem causarum secundarum, quæ non feratur temerè, aut fortuitò, sed Dei prouidentia gubernetur, proque eius uoluntate mutari possit, non uideo, cur res ipsa debeat à quoquam respui. Quoniam tamen periculum est, ne aliquando erretur, Augustinus iudicat, ab ea uoce esse temperandum. Meminisse etiam debemus eius, quod aliàs docuimus amorem, electionem, & prædestinationem Dei ita inter se ordinari, ut sese certa ratione consequantur. Primùm notitiæ Dei offeruntur omnes homines non felices imò egeni, & miseri. quos Deus pura simplicique misericordia diligit, eis bene uult, illosque discernit ab alijs, quos præterit, & sua beneuolentia non complectitur. atque illi hac discretione dicuntur eligi: Electi autem ad finem destinantur. Augustinus de prædestinatione Sanctorum capite decimo, prædestinationem sic definit, ut eam dicat esse præparationem gratiæ. capite duodecimo, ait, eam esse præscientiam, & præparationẽ donorũ Dei, quibus certò liberãtur, qui liberãtur: cæteri uerò in massa perditionis relinquuntur. Alibi eam appellat propositum miserendi. Magister sententiarum in primo distinctione quadragesima, definit esse præparationem gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro. Has ego definitiones non reijcio: quia tamen rem uniuersam non complectuntur, pleniorem aliam, qualem potero, afferam. Dico igitur, prædestinationem esse sapientissimum propositum Dei, quo ante omnem æternitatem decreuit constanter, eos, quos dilexit in Christo, uocare ad adoptionem filiorum, ad iustificationem ex fide, & tandem ad gloriam per opera bona, quò conformes fiant imagini filij Dei, utque in illis declaretur gloria, & misericordia creatoris. Hæc definitio complectitur, ut opinor, omnia, quæ ad naturam prædestinationis pertinent. Eius singulæ partes possunt ex sacris literis demonstrari. Primùm, accipimus propositum pro genere. Nam uox ea communis est & prædestinationi, & reprobationi. Paulus ad Ephesios ait, nos esse prædestinatos iuxta propositum Dei. Et in hac epistola ad Romanos, ait: Vt maneat propositum iuxta electionem. Quid autem sit propositum, intelligimus ex primo capite ad Ephesios. Ita enim scribitur, Deum prædestinasse nos iuxta suum beneplacitum. Ex his uerbis apparet, id appellari beneplacitum, quod Paulus postea uocauit propositum. Id autem pertinere ad uoluntatem ea declarant quæ sequuntur. Cuius ui, inquit, Deus operatur omnia secundum consilium uoluntatis suæ. Hanc autem uoluntatem intelligere debemus esse illam efficacem, quam appellant consequentis: qua efficitur, ut Dei prædestinatio ne frustretur. Apellamus hoc propositum sapientissimum: quoniam Deus nihil agit temerè, aut fortuitò, uerùm omnia summa cum sapientia. Itaque Apostolus supra prædestinationem coniunxit cum præscientia: quos præsciuit, inquiens, hos prædestinauit. Quo proposito Deus ab æterno. Hoc ideo additur, quia prædestinatio non est res noua, neque eiusmodi, quæ, ut multi fingunt, non antecedat res priusquam fiant. Paulus ait in posteriori ad Timotheum, Qui uocauit nos uocatione sua sancta, non ex operibus nostris, sed iuxta suum propositum, & gratiam, quam accepimus ante tempora secularia in Christo Iesu. Hîc apertè uidemus, cum prædestinatione Dei coniungi seculorum æternitatem. Et ad Ephesios dicimur electi ante iacta fundamenta mundi. Quo decreuit constanter. His uerbis docemur, Dei prædestinationem esse immutabilem. Paulus enim ait in posteriori ad Timotheum, Firmum stat fundamentum, Nouit Dominus, qui sint sui. Et supra capite octauo Apostolus cum uellet docere, spem non pudefacere, & sperantes certò seruandos esse, attulit probationem ex prædestinatione: Quos præsciuit, hos etiam prædestinauit, inquiens. Et subijecit, Quis nos separabit à charitate Dei? An tribulatio? an angustia? Et Iacobus ait, apud Deum non esse mutationem, aut uicissitudinum uarietatem. Et apud Esaiam Deus clamat: Ego sum Deus, & non mutor. Et in hac epistola capite undecimo, cum ageretur de prædestinatione, Paulus ait: Absque pœnitentia sunt dona, & uocatio Dei. Quòd autem Deus apud Hieremiam capite decimo octauo, dicit se mutaturum sententiam, quam esset alicui genti

Cur prouidẽtia sit immobilis.

Amor electio prædestinatio quomodo sit cõiuncta.

Quomodo Augustinus definiat prædestinationẽ

Prædestinatiõis plena definitio

Propositum est commune prædestinationi & reprobationi.

Propositum Dei est eius beneplacitum.

Propositũ pertinet ad uoluntatem.

Voluntas Dei efficax.

Prædestinatio non est res noua

Prædestinatio Dei est immutabilis.

Quandoq; promissa Dei & minæ immutantur.

comminatus, si modò illi agere uoluissent pœnitentiam: id non est intelligendum de prædestinatione, sed de illis, quæ prædicuntur euentura ex uoluntate Dei, quam appellant signi: uidelicet cùm hominibus denuntiat per prophetas, uel quid illorum peccata sint promerita, uel quid illis ex naturalibus causis immineat. Quos dilexit in Christo. Hoc addimus, quia quicquid Deus donat, aut se decreuit donaturum, dat id & daturus est per Christum. Vtque sæpe citauimus, Paulus ad Ephesios ait, nos electos, & prædestinatos esse in Christo. Is enim princeps est, & caput omnium prædestinatorum. Imò nemo prædestinatur nisi ad id, ut efficiatur membrum Christi. Vocare in adoptionem filiorum. Ita Paulus ferè ubique loquitur: præsertim uerò capite primo ad Ephesios. Ibi enim ait, nos esse prædestinatos in adoptionem filiorum. Vocationem autem sequi statim ad prædestinationem, ostendunt illa uerba iam adducta: Quos prædestinauit, eos & uocauit. Ad iustificationem ex fide. Ad uocationem adiungendam esse iustificationem, his ijsdem uerbis Paulus docet: Quos uocauit, hos & iustificauit. Per fidē nos uerò iustificari ita perspicuè demonstratum est, ut hîc luculentiori declaratione non sit opus. Ad gloriam per opera bona. Hoc etiam Paulus docet eodem loco. Quos iustificauit, inquit, hos & glorificauit. Hanc autem gloriam per bona opera consequuturam, nosque esse ad illa prædestinatos, locus ille ad Ephesios sæpius iam citatus apertè probat. Primùm enim ait, nos prædestinatos esse, ut sancti, & inculpati simus coram Deo. Postea ait, Deum præparasse opera bona, in quibus ambulemus. Quò conformes fiant imagini filij Dei. Inchoatur quidem in nobis hæc imago per regenerationem, cùm iustificeamur: perficitur quotidie per opera bona, in adultis: absoluitur in æterna gloria. In paruulis uerò locum habet hæc confirmatio, dum inchoatur per regenerationem, & absoluitur in extrema illa gloria. In ipsis tamen propter ætatis defectum, bona opera non exiguntur: ut in eis declaretur misericordia & bonitas Creatoris. Hic est finis prædestinationis extremus, nobis à Paulo in similitudine figuli adumbratus: qui potestatem habet fingendi uas aliud in honorem, aliud in contumeliam. Ita Deus præparauit uasa sua in gloriam, ut in illis gloriam suam declararet. Ex hac definitione colligimus, Deum electis prædestinasse, non tantùm gloriam, sed etiam bona opera, hoc est, media, per quæ uult electos suos ad gloriam peruenire. Ex eo uidere possumus, quàm turpiter fallantur illi, qui flagitiosè uiuunt, & interim tamen iactant, se esse prædestinatos. Scripturæ enim docent, iuxta Dei prædestinationem homines non perduci ad gloriam per scelera, & flagitia, sed per uitæ ac morum probitatem. Nec illi audiendi sunt, qui clamant, Quocunque modo uixero, Dei prædestinatio locum suum obtinebit. Hoc enim prorsus est ignorare, quid sit prædestinatio, & ea uelle impudenter abuti. Iam examinata ad hunc modum definitione, singillatim per singulas partes colligemus quædam non inutilia. Primùm illud, prædestinationem esse opus Dei, & in diuina mente esse collocandam. Nam & si homines dicantur esse prædestinati, non tamen in illis statuenda est prædestinatio. Ita etiam res dicuntur scitæ, & cognitæ: cùm tamen in ipsis nulla sit cognitio, aut scientia: sed tantùm in homine cognoscente. Quare, quemadmodū nos prouidere possumus aut pluuiā, aut frigus, aut fructus futuros, ita Deus homines prædestinat, qui nondum existant. Ex illis enim, quæ referuntur ad aliud, quædam necessariò existunt simul, ut pater, & filius: quædam autem non sunt simul, ut prius, & posterius, scientia, & scibile. Prædestinatio ergo refertur ad hoc posterius genus relatiuorum. Quæ tamen, cùm sit, ut diximus, in mente prædestinantis, illa, ad quæ prædestinati diriguntur, sunt in eis, nimirum gratia, iustificatio, bona opera, & glorificatio. Hæc enim locum non habent, nisi in sanctis. Quòd autem effecta prædestinationis in eius definitione exposita sint, nihil est mirum. Hæc enim definitio dari non potest, nisi correlatiua, ut uocant, exprimantur. Definitur quidem prædestinatio: sed necessariò exprimuntur, & notantur fines, ad quos homines per illam diriguntur. Et idcirco cùm ex præscientia coniunguntur: quoniam Deus, & initia, & media, & fines salutis nostræ nouit. Sciendum præterea, cùm apud Patres, ut fit interdum, prædestinatio appelletur præscientia, eam tùm significare non tantùm notitiam, sed etiam approbationem: quæ, ut declarauimus, pertinet ad propositum. Quare nos, ne ista confunderentur, propriè loqui uoluimus. Postremò uidendum etiam est, quonam pacto in prædestinatione, bonitas, sapientia, & potentia Dei, quæ eius sunt præcipuæ proprietates, coniungantur.

Dona dei ueniũt ad nos per Christum.

Christus est caput omniũ prædestinatorum.

Non potest qui malè uiuit suam iactare prædestinationem.

Prædestinatio non in rebus est sed in mẽte Dei.

Prædestinatio ẽ priusquam prædestinati.

Fines prædestinationis sunt in prædestinatis.

Cur effecta in ista definitione posita fuerint.

Quomodo prædestinatio interdum præscientia nocetur.

tur. Propositum ipsum, quod est ex bonitate, collocatur in diuina uoluntate: præscientia ostendit sapientem præparationem: quia uoluntas nihil proponit, quod antea non sit notum: denique, quum ad executionem uenitur adest potentia. Nunc uerò, quia eadem est scientia oppositorum, & unum illorum uehementer facit ad cognitionem alterius: quemadmodum definimus prædestinationem, ita definiemus etiam reprobationem. Dixi supra, me sentire cum Scholasticis, reprobatos non esse prædestinatos: non quòd rationem illorum ita firmam esse iudicem, sed quia scripturæ ita plærunque loqui solent. Hæc est illorum ratio: quia prædestinatio non tantùm ad finem dirigit, sed etiam ad media, quæ ducunt ad finem. Sed cùm peccata sint media, propter quę homines damnantur, aiunt, Deum non posse constitui illorum causam. Certè, non potest Deus si rectè ac propriè loqui uelimus, causa peccatorum pronunciari, quem tamen à peccatorum gubernatione ac regimine haud quaquam possumus prorsus excludere, causa quippe illarum actionum est, quæ nobis peccata sunt: quamuis ut sunt à Deo, sint mera iustitia. Deus enim peccata alijs peccatis punit. Peccata ergo, quatenus sunt pœnæ, hominibus à Deo, ut à iusto iudice infliguntur. Deinde Deus est, qui gratiã suam hominibus subducit: qua subtracta, necesse est, ut illi labantur. Cumque illius agitatione omnes & uiuamus, & moueamur, opera certè omnia, quæ facimus, necesse est, ut quoquomodo eius impulsu fiant. Quanquam nihil opus est, ut ab illo nobis infundatur noua malitia. Ea enim tum propter labem originis satis abundè habemus ex nobis ipsis: Tum etiam propterea quòd creatura si à Deo non iuuetur, per se ipsam in deterius uergit sine modo & fine. Deus præterea, & quidem iustè subministrat reprobis & impijs occasiones peccandi, & mirabiliter inclinat hominum corda, non tantùm ad bona, sed etiam, ut Augustinus ait, iusto iudicio ad mala. Imò etiam abutitur hominum malitia uelint, nolint, ad eos fines, quos sibi proposuit. Et sacræ literæ non dubitant dicere, Deum tradere homines in reprobum sensum, & eos excœcare, & seducere, & alia multa similia. Nec tamen propter hæc omnia peccatorum nostrorum uerè causa dici potest, cùm ueram peccatorum causam satis in nobis ipsis habeamus. Quare illa ratio Scholasticorum non est firma, nec satis certo fundamento nititur. Reprobatos tamen separo idcirco à prædestinatis, quòd scripturæ homines damnandos nusquam, quod ego sciam, appellent prędestinatos. Quam ego sententiam, & si rationem non uiderem, tamen sequendam esse iudicarem, propter authoritatem uerbi Dei. Puto tamen sacram scripturam ita loqui, quòd quemadmodum antè diximus, prædestinatio spectet ad illos fines, quos natura non possimus assequi: quales sunt, iustificatio, bona uita, glorificatio: per quæ Deus nos extollit longè supra omnem uim naturæ. Peccata autem, propter quæ damnamur, & si non effugiunt Dei gubernationem, eo nimirum modo, quo iam diximus, tamen uires naturæ nostræ non superant. Quiuis enim ex se ipso satis procliuis est ad peccandum. Sit igitur reprobatio, sapientissimum Dei propositum, quo ante omnem æternitatem decreuit constanter absque ulla iniustitia eorum non misereri, quos non dilexit, sed præterijt: quo iusta illorum condemnatione iram suam erga peccata & gloriam declararet. Priores partes huius definitionis iam declaratæ sunt, cùm prædestinationem definiremus, usque ad illam partem, Absque iniustitia. Ea pars idcirco adijcitur, quia Deus nemini facit iniuriam, & si aliquibus misericordiam suã non impendat: Non enim obstringitur cuiquam ullo iure, aut tenetur ex debito cuiusquam misereri. Itaque Deus respondet in Euangelio: An oculus tuus nequam est? Ego bonus sum. Nónne licet mihi facere quod uolo de meo? Idem Paulus docuit ex potestate figuli. Asserit tamen nullam ea causa iniustitiam cadere in Deum. Hîc enim agitur de misericordia, non de iustitia. Et Mosi responsum est in Exodo, Miserebor cuius misereor &c. Eorum non misereri &c. His uerbis significatur, omnes homines natura sua esse in miseria. Misericordia enim nõ impenditur, nisi miseris. Ex hac miseria Deus aliquos liberat, & hos dicitur diligere. Alios præterit, & illos odisse dicitur, cùm eorum non misereatur. Quò iusta illorum condemnatione iram suam erga peccata, & iustitiam declararet. Iusta dicitur horum damnatio, quoniam propter peccata illis infligitur. Neque tamen hinc inferre debemus, peccata præuisa causam esse, cur quisquam reprobetur. Ea enim non efficiunt, ut Deus proposuerit nolle misereri. Causa tamen sunt damnationis, quæ sequitur ultimo tempore, non autem reprobationis, quæ fuit ab æterno. Finis extremus reprobationis est

Deus nõ est causa peccatorum si propriè loquamur.

Peccata nõ sunt omnibus modis extra ordinem prouidẽtiæ Dei. Loquutione scripturarũ reprobi sunt à prædestinatis separandi

Reprobati quare non dicantur prædestinari.

Definitio reprobationis.

Deus illis non facit iniuriã quorum non miseretur.

Homines natura sua sunt in miseria.

Reprobi damnãtur propter eorum peccata.

Peccata præuisa non sunt causa cur quis reprobetur.

declaratio potentis iustitiæ Dei, ut Paulus docuit: uasa ista, scilicet, esse aptata ad iram: quia Deus uoluit ostendere in illis potentiam suam. Et Deus respondit de Pharaone: In hoc ipsum, excitaui te, ut ostenderem in te potentiam meam. Finis propinquior est damnatio: quæ, quatenus est iusta ita Deo probatur. Porpinquior autem finis sunt peccata. Deus enim iusit, ut populus excœcaretur, ut ne intelligerent, ut ne audirent: ne fortè, inquit, conuertantur, & sanem eos. Nam peccata, & si, ut peccata sunt, à Deo legibus condemnentur, quatenus tamen sunt iustæ pœnæ ab eo irrogantur pro malis impiorum meritis. Cœterùm gradus sistendus non est in finibus istis propinquioribus: Progrediendum est longius, ut tandem ad illum finem perueniamus, quem Paulus proposuit: nimirùm, ut ostendatur iustitia Dei. Atque hæc hactenus de primo articulo. Veniamus iam ad secundum: in quo de prædestinationis causa quæritur. Cùm prædestinatio sit propositum seu uoluntas Dei, ea autem sit omnium rerum prima causa, quæ idem est cum substantia Dei, fieri non potest, ut eius sit ulla causa. Non tamen idcirco inficiamur, diuinæ uoluntatis interdum aliquas assignari posse rationes: quæ quamuis dici possint rationes, non tamen sunt appellandæ causæ præsertim efficiendi. In scripturis autem quandoque assignari rationes uoluntatis Dei, ex multis locis colligi potest. Dominus dicit, se ideo circuncidisse filios Israel per desertum potius quàm per compendia, per quæ eos ducere potuisset, ne subitò haberent hostes obuios. Adamus etiam collocatus est in paradiso, ut eam coleret, & custodiret. Et Deus testatur, se nolle adhuc Cananæos expellere è terra Chanaan, quòd mensuram peccatorum suorum nondum expleuissent. Quamuis autem, ut dictum est, Scripturæ interdum rationes diuinæ uoluntatis afferre soleant, nemo tamen audere debet de illa certa certam rationem reddere, nisi quam collegerit è scripturis. Nam, ut sumus obtusæ intelligentiæ, facilè nostra somnia pro ueris rationibus usurparemus. Finales autem causas diuinæ prædestinationis esse, non inficiamur. Disertè enim ponuntur à Paulo: & præsertim, cùm illud citat de Pharaone: In hoc ipsum excitaui te, ut ostendam in te potentiam meam: de electis autem, inquit, Deum uoluisse in illis ostendere gloriam suam. Materialis etiam causa utcunque potest assignari. Homines enim, qui prædestinantur: & ea, quæ Deus decreuit largiri electis ex prædestinatione, qualia sunt, uocatio, iustificatio, glorificatio, dici possunt materia, circa quam prædestinatio uersatur. Annotandum præterea, finem interdum posse accipi prout à nobis mente, & desiderio concipitur: habetque tum rationem efficientis, quia sic animo comprehensus impellit homines ad agendum. Aliâs autem accipitur, ut est in ipsis rebus, utque nos illum post labores consequimur. Et tum propriè dicitur finis: quòd tum absolutum sit opus, & nos conquiescamus, ut qui finem consilij nostri adepti simus. Propterea autem ponimus hanc distinctionem, ut, si quando interrogemur, an Deus prædestinet homines propter opera, ne temerè uel affirmando, uel negando præcipitemus sententiam. Nam ambiguitas est in illa uoce, propter, quomodo ea sit intelligenda. Nam si bona opera accipiantur, prout re ipsa sunt, & fiunt, quia Deus ad hunc finem nos prædestinat, ut rectè uiuamus, quemadmodum habet epistola ad Ephesios, nos nimirum, electos esse, ut sancti, & immaculati simus, & Deum præparasse bona opera, ut in illis ambulemus, quod ad hanc sententiam attinet, propositio est affirmanda. Sin illa uox, propter, referatur ad causam efficientem, quasi bona opera, quæ Deus præuidit nos facturos, tanquam merita quædam sint, & causæ, quæ Deum mouere possint, ut nos prædestinet, hunc sensum non admitimus ullo modo. Fieri quidem potest, ut effecta prædestinationis sic inter se conferantur, ut unum sit causa alterius. Diuini autem propositi non possunt esse causæ. Nam uocatio, quæ est effectum prædestinationis, causa est, ut iustificemur. Iustificatio etiam causa est bonorum operum: & bona opera tam & si causæ non sunt, mediâ tamen sunt per quæ Deus nos traducit ad uitam æternam. Nihil tamen horum causa est, aut medium cur à Deo eligamur: ut è diuerso peccata causæ quidem sunt, cur damnemur, non tamen cur à Deo reprobemur. Nam si ea essent causæ reprobationis, nemo posset eligi. Par enim est omnium conditio: Etenim omnes nascimur in peccato. Quòd si quando Augustinus dicat, homines iustè reprobari propter peccata unà cum reprobatione sumit extremum eius effectum, uidelicet damnationem. Non autem ita dicendum est, si per reprobationem intelligamus Dei propositum non miserendi. Illud enim non minus liberum est, quàm proposito

De causa prædestinationis.

Diuinæ uoluntatis quandoq; ratio non potest assignari, sed nunquam causa, præ ertim efficiens.

Rationes diuinæ uoluntatis tũ assignare possumus quas diuinæ literæ subministrant.

Prædestinatio potest habere finalem causam.

Materialis causa utcunque in prædestinatione reperitur.

Duplici ratione consideratur finis.

Nos prædestinari propter bona opera & uerũ & falsum esse potest.

Vnum effectum prædestinationis causa potest esse alterius, at diuini propositi causæ esse non possunt.

Si peccata essẽt causæ reprobationis nemo eligeretur.

Dei propositũ miserendi æquè liberum est atq; non miserendi.

positum liberandi. His ita iam constitutis, reddendæ sunt rationes, propter quas negamus, bona opera præuisa esse causas prædestinationis. Prima est, quoniam scripturæ hoc nusquam docent. Tanta autem de re nihil debemus constituere sine scripturis. Scio tamen, quosdam id uoluisse colligere ex priori epistola ad Timotheum: ubi ita scribitur, In magna domo sunt uasa aurea, argentea, & lignea. Quòd si quis se emundauerit ab his, erit uas Dei honorificum, & ad omne bonum opus idoneum. Ex his concludunt, quosdam idcirco destinari, ut sint uasa honorifica, quòd sese expurgauerint à sordibus peccatorum, & corrupta doctrina. Et quia dicuntur posse id præstare, aiunt in unoquoque positum esse, ut à Deo feliciter prædestinetur. At isti non rectè colligunt. Sententia enim Pauli eo loco sic accipienda est. Dixerat antea: Firmum stat fundamentum: Nouit Dominus qui sint sui. Ac si diceret, homines quandoque falli possunt: eos enim sæpè iudicant esse pios, qui longè absint à pietate. Quibus verbis perstrinxit Hymenæum, & Philetum. Paulò enim antè de peruersa illorum doctrina sermonem fecerat. Illi autem docuerant, resurrectionem iam esse factam. Paulus ergo non uult homines iudicari pro ut apparent primo aspectu. Deus enim in hoc mundo tanquam in magna domo, habet uasa alia aurea, alia argentea, alia lignea, alia fictilia. Et ille optimè scit quæ ex illis sint honorifica, & quæ facta in contumeliam. Nos autem, qui arcanum uoluntatis eius non habemus perceptum, & cognitum, de illis iudicare possumus tantùm ex effectis: quòd quicunque fuerit mundus à uitiosa doctrina, & piè uiuat, ille sit uas in honorem. Neque probatur ex hoc loco, homines posse mundare se ipsos, aut sese efficere uasa honorifica. Nam, ut Paulus nos docuit in hac epistola, Dei solius est hoc efficere. Is enim tanquam figulus habet potestatem ex eadem massa faciendi uas aliud ad honorem, aliud ad contumeliam. Iste ergo locus alterum interpretatur. Quare non debemus plus colligere ex illis Pauli uerbis, quàm eiusmodi expurgationem esse inditium, quo nos de dignitate, aut indignitate uasorum in Ecclesia iudicemus. Deus est, qui uerè nouit, qualis quisque sit: & firmum stat eius fundamentum: quia falli non potest. Nos autem per quædam tantùm indicia, & effecta de alijs possumus iudicare. Atque hoc illud est, quod Christus monet, Ex fructibus illorum cognoscetis eos. Neque rectè intelligunt Apostolum, qui ex illis uerbis, si quis se ipsum emundauerit ab his, docere uolunt, positum esse in nostro arbitrio, ut nos ipsos faciamus uasa honorifica. Non enim uires arbitrij nostri deprehenduntur ex propositionibus hypothetícis: ut ita inferamus, sacræ literæ monent, si hoc aut illud feceritis, aut si crediderítis, habebitis salutem: ergo ex nobis ipsis possumus credere, aut sanctè uiuere. Infirmæ sunt huiusmodi connexiones. Quia Deus alibi docet, se facturum esse ut in uijs eius ambulemus. Præcepta ergo, & adhortationes, & conditiones adhibentur ut intelligamus, quid à nobis requiratur, qualesque futuri sint, qui ad Deum pertinent, & æternam uitam sint consequuturi. Quare, non debemus ex istis locis elicere quid possint uires nostræ. Facilè autem est explicatu, cur homines, qui purgantur à Deo, tamen dicantur purgare se ipsos. Quia Deus non agit in hominibs, tanquam in stipitibus. Lapides enim mouentur sine sensu, & uoluntate. Deus autem, quum homines regenerat, eos ita mundat, & renouat, ut ipsi & intelligant ea, quæ faciunt, & ea maximè cupiant, & uelint, postquam semel pro corde lapideo acceperint cor carneum. Itaque postquam semel sunt regenerati, fiunt cooperatores Dei, & ultrò sanctitati, uitæque puritati incumbunt. Deus per Mosen præcepit Israelitis, ut sese sanctificarent. Et tamen aperte alibi testatur sese eum esse, qui sanctificet populum. Et Paulus ad Corinthios ait, Christum factum esse nobis sapientiam, iustitiam, redemptionem, & sanctificationem. Deus etiam iubet, ut credamus: tamen scripturæ alibi testantur, fidem esse donum Dei. Ex his ergo omnibus satis constat, quàm parum iste locus faciat pro aduersarijs, quocunque illi se conuerterint. Huc adde, scripturas non tantùm non docere prædestinationem non esse ex operibus præuisis, sed planè contrarium tradere. Nam Paulus uti uidimus in hac epistola pronunciat de illis geminis, antequam nati fuissent aut aliquid fecissent, uel boni, uel mali, dictum fuisse, Maior seruiat minori: Et Iacob dilexi: Esau autem odio habui: ut non sit ex operibus, sed ex uocante. Negat ergo uel dilectionem, uel odium Dei proficisci ex operibus. Ridiculi autem sunt, qui cauillantur, Paulum explodere quidem opera iam facta, non autem facienda. Non enim uident Paulum hoc loco re-

Quare bona opera præuisa nõ sint causæ prædestinationis.

Locus ex epistola posteriori ad Timotheum.

Homo per se ipsum facere se potest uas honorificum.

Ex propositionibus hypothecis nõ probatur liberum arbitriũ

Deus purgat pios & ipsi purgare se ipsos dicũtur.

Scriptura docet prædestinationẽ non esse ex præuisis operibus.

Cauillum excluditur.

mouere uoluiſſe omne genus diſcriminis ab illis duobus fratribus, ut prorſus intelligatur fuiſſe pares, quod quidem ad ipſos attinet. Nam cùm diceret, illos natos fuiſſe eodem patre, eadem matre, editos etiam eodem partu, nihil aliud ſpectare uoluit, niſi ut ex illorum parita te oſtenderet Dei electionem eſſe liberam, ut alterum illorum eligere potuerit, alterum autem reijcere. Quòd ſi tantùm relinqueretur diſcrimen in operibus præuiſis, fruſtra à Paulo conſtituta fuiſſet tanta æqualitas. Paulus ergo in uniuerſum ait, non ex operibus: qua uoce opera tam facienda, quàm facta complectitur: Idque ut certius intelligeremus, ſubiecit: ſed ex uocante. Relegat ergo nos Paulus ad Deum, non ad opera. Et ſi diligenter ſpectes omnia ea, quæ ſequuntur in hoc capite, uidebis, Apoſtolum ea, quæ tradit de prædeſtinatione reuocare ad iſta capita: uidelicet, ad potentiam: ait enim, Nonne poteſtatem habet figulus? Ad propoſitum, ſeu beneplacitum: nam ad Epheſios utitur utraque uoce: Ad uoluntatem: Nam ait, Cuius uult miſeretur, & quem uult indurat: Ad miſericordiam ſeu dilectionem: ait enim, Non eſt uolentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei: &, Iacob dilexi: Eſau autem odio habui. Cùm Paulus, quicquid cauſæ uel hîc, uel alibi de prædeſtinatione tradit, reuocet adhæc quatuor capita, dubitare poſſumus de eius ſententia? aut aliter audebimus pronunciare? De operibus autem ne uerbum quidem unum facit, ubicunque hoc negotium tractat, niſi ut ea excludat. Deinde conſidera mihi, id Pauli ſcopo quàmmaximè aduerſari, ut opera præuiſa ſtatuat eſſe cauſas prædeſtinationis. Ita enim opera forent, cauſæ iuſtificationis. Atqui Apoſtolus eam doctrinam in hac epiſtola omnibus modis oppugnat. Rationem firmam eſſe ex eo demonſtro, quoniam Apoſtolus facit, prædeſtinationem cauſam uocationis: uocationem iuſtificationis. Quare ſi opera ſint cauſæ prædeſtinationis, erunt etiam cauſæ iuſtificationis. Conſtans enim eſt regula Dialecticorum: Quicquid cauſa eſt cauſæ alicuius, eſt etiam cauſa effecti. Præterea nemo inficiari poteſt, bona opera proficiſci ex prædeſtinatione. Dicimur enim prædeſtinati, vt ſimus ſancti, & inculpati. Et Deus prædeſtinatione præparauit opera bona, in quibus ambularemus. Et Paulus ipſe fatetur ſe conſequutum eſſe miſericordiam, ut eſſet fidelis. Quamobrem ſi opera ſunt effecta prædeſtinationis, quomodo ea dicemus eſſe eius cauſas? maximè uerò illius generis mirum efficientis? Nullus enim eſt ille uſus liberi arbitrij, quem toties iactitant, quaſi eum ex nobis habeamus ipſis, & non ex miſericordia Dei. Paulus enim ait, Deum eſſe qui operatur in nobis, & uelle, & perficere. Et Deus apud Exechielem ait: Ego aufferam illis cor lapideum, & dabo illis cor carneum. Non poſſumus, inquit Paulus, aliquid cogitare ex nobis, tanquam ex nobis. Et ſi illum quem dicunt, bonum uſum haberemus ex nobis, quid obſtaret, quò minus poſſemus de eo gloriari? Certè Dominus ait, Nemo uenit ad me, niſi pater meus traxerit eum. Et Hieronymus contra Pelagianos pulchrè ſcribit, eos, qui dicuntur trahi, ſignificari hac uoce, antea fuiſſe auerſos, & reluctantes, & inuitos, fieri uerò poſtea, ut à Deo immutentur. Idem etiam probat natura gratiæ. Paulus enim ait, ut reliquiæ iuxta electionem gratiæ ſaluæ fiant: hoc eſt, ſecundum electionem gratuitam. Sic enim Hebraica phraſi reſoluendus eſt genitiuus. Adhæc, in definitione prædeſtinationis primo loco habemus propoſitum: quod, cùm non aliud ſit, ut docuimus ex epiſtola ad Epheſios, quàm beneplacitum Dei, ex eo euidenter apparet, non aliunde petendam eſſo rationem prædeſtinationis. Deinde opera non poſſunt eſſe cauſæ uocationis noſtræ: multò ergo minus prædeſtinationis. Nam prædeſtinatio præcedit uocationem. Non eſſe autem opera cauſas uocationis, oſtenditur ex epiſtola ad Timotheum. Vocauit nos Deus, inquit Paulus, uocatione ſua ſancta, non ex operibus noſtris, ſed iuxta propoſitum ſuum, & gratiam, quam habemus in Chriſto ante tempora ſecularia. Hinc clariſsimè apparet, opera non eſſe cauſas uocationis noſtræ. Imò ne ſalutis quidem noſtræ opera cauſæ ſunt: quòd tamen longè erat ueriſimilius: nam per bona opera Deus nos perducit ad felicitatem. At Paulus ad Titum ait, Deum feciſſe nos ſaluos, non ex operibus iuſtitiæ, ſed iuxta ſuam miſericordiam. Præterea quid opus erat ut Paulus poſt hanc diſputationem exclamaret, O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei: quàm inueſtigabilia ſunt iudicia eius, & imperueſtigabiles uiæ eius? Nam ſi iſtorum ſententiam ſequi uoluiſſet, uno uerbulo ſe potuiſſet expedire: alios prædeſtinatos eſſe, alios reiectos propter opera, quæ Deus in utrisque fore præuidit. Hos Auguſtinus ironicè acutos

Ad quæ capita reuocetur Dei prædeſtinatio.

Iuſtificatio erit ex operibus, ſi ab operibus præuiſis electio pendeat.

Bona opera ſunt effecta prædeſtinationis.

Contra bonũ uſũ liberi arbitrij.

Qui trahitur prius nolebat.

Opera non poſſunt eſſe cauſæ uocationis.

Si ex operibus prædeſtinaremur, Pauli exclamatio locum nõ haberet.

acutos vocat, quòd tam bellè, tamque facilè uiderint ea, quæ Paulus uidere non potuerit. Verùm aiunt, Apostolum hoc loco non soluisse quæstionem. Sed id absurdum est dicere: præsertim cùm eam ex professo induxerit, & solutio ad eius institutum uehementer faciat. Et quomodo tandem uideri potest, non soluisse, cùm eam deduxerit usque ad supremam causam: nimirum ad uoluntatem Dei? Ostendatque non esse progrediendum longius? Cùm Deus posuisset terminos ad radices montis Synai, si quis eos fuisset transgressus, legibus dedisset pœnas. Videant ergo isti, qua audacia longiùs ausint progredi, quàm Paulus uoluerit. At aiunt, Apostolum obiurgare impudentes. Esto. Sed ista obiurgatio uerissima est solutio quæstionis. Prohibet enim Paulus nos hac reprehensione, ne quicquam ultra Dei misericordiam, & uoluntatem inquiramus. Quod si isti eiusmodi solutionem intelligant, cui acquiescere possit humana prudentia, facilè dabo, quæstionem ita non esse dissolutam. At si quærant eam quam fides amplecti debeat, & in ea conquiescere, cæci sunt, si non uideant solutionem. Sed spectemus, quid nam istos mouerit, ut opera præuisa dixerint esse causas prædestinationis. Nihil id certè erat aliud, quàm ut humano iuditio satisfieret: quod tamen ipsum non sunt assequuti. Neque enim quicquam habent, quod respondeant de paruulo, qui insertus in Christum infantili adhuc ætate moriatur. Nam si eum uolunt esse seruatum, necesse est, ut fateantur, eum fuisse prædestinatum. At cùm in illo nulla opera bona sequuta fuerint, Deus ea præuidere certè non potuit. Imò hoc potius præuidit, nihil illum suo arbitratu fuisse facturum. Ridiculum autem est, quod obijciunt, Deum præuidisse, quid ille fuisset facturus, si diutius uiuere contigisset. Sic enim humano iuditio non fiet satis. Ratio enim queretur, alios esse præteritos, & reiectos ob ea peccata, quæ non fecerint, eo præsertim nomine, quòd ea fuissent facturi, si uixissent. Iudices enim ciuiles non puniunt quenquam propter ea peccata, quæ perpetrasset, nisi fuisset impeditus. Et Deum nihil moueri illis operibus, quæ homines facturi essent, Christus satis docet, cùm agit de Corozaim & Bethsaida, & Capernaum. Si in Tyro, inquit, & Sidone hæc facta fuissent, quæ facta sunt in te, utique egissent pœnitentiam: & hodie ciuitates illæ extarent. Ecce Deus præuidit, istas Gentes acturas fuisse pœnitentiam, si ea uidissent, & audissent quæ illis ciuitatibus fuerant concessa & prædicata. Cùm ergo illæ perierint, manifestum est, Deum in prædestinando non sequi opera illa, quæ homines facturi fuissent, si uixissent. Neq; tamẽ quisquam colligere debet ex hac sententia Christi, illos per se, ui ipsa liberi arbitrij potuisse agere pœnitentiam. Nam, ut alias docuimus, pœnitentia est donum Dei. Sensus autem huius loci est, Deum non adhibuisse ea media ad istos conuertendos, quibus illi moueri potuissent. Isti supponunt, natura ipsa esse in hominibus distinctionem, quam sequatur electio Dei. Nec uident, omnes homines nasci filios iræ: ut, quod attinet ad massam, unde sumuntur, nulla possit in eis assignari distinctio: nam quicquid boni accedit, id citra controuersiam, ex Deo, & gratia accedit. Ex hominum autem natura, discrimen petendum non esse, Apostolus indicat in hoc ipso capite: Nam cùm uellet ostendere, alterum ex duobus fratribus assumi, alterum reijci libera tantùm Dei uoluntate, Primùm usus est exemplo Isaachi, & Imaelis. Sed cùm in illis duobus obijci posset esse aliquid discriminis, quòd alter ex libera natus esset, alter ex ancilla, postea produxit duos gemellos, Iacobum, & Esau, qui non solùm eosdem parentes habuissent, uerùm etiam eodem tempore, & partu editi fuissent in lucem. Quod autem ad opera attinet, nihil erat inter illos differentiæ. Nam, ut Apostolus ait, priusquam aliquid egissent, aut boni, aut mali, dictum est, Maior seruiet minori: &, Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Quid necesse erat, Paulum ista tam diligenter commemorare, nisi ut illos duos fratres, quod ad naturam attinet, interse æquaret per omnia? quod certè superuacaneum fuisset, si adhuc tantum discriminis superesset in operibus præuisis. Superest ergo, quicquid est differentiæ in hominibus, id pendere à sola uoluntate Dei: Omnes enim alioqui nascuntur peccato obstricti. Præterea, si quid esset ex nobis ipsis, quod posset mouere Deum ad prædestinandum, id maximè esset fides. Nam etiam Augustinus, cum esset adhuc iunior, nec in hac quæstione ita multum, ac diligenter uersatus, existimauit, Deum in prædestinando, & reprobando, fidem, atque infidelitatem respicere; quam sententiam antea & Ambrosius, & Chrysostomus amplexi sue-

Quæstio soluta est quando ad supremam causam est reuocata.

Quomodo quæstio dicatur soluta & nõ soluta.

Aduersarij nõ satisfaciunt humano iudicio.

Deus quibusdã non adhibet media quibus ad salutẽ moueri potuissent.

In hominibus ex natura inde sumuntur non est distinctio.

Fides præuisa deum nõ mouet ut nos prædestinet.

rant. Re autem uera hoc ne fidei quidem tribuendum est. Nam ea quoque à prædestinatione proficiscitur. Non enim ea ex nobis est, sed datur à Deo: idque non temerè, sed destinato consilio: quod multis ex locis scripturarum facilè probari potest. Nam Paulus ad Ephesios scribit: Gratia seruati estis per fidem: & hoc non ex uobis: Dei enim donum est, ne quis glorietur. Et iterum in eadem epistola. Charitas, & fides à Deo patre per Iesum Christum. Et in hac ad Romanos, Sicut diuisit unicuique Deus mensuram fidei. Et ad Thimotheum, Misericordiam consequutus sum, ut sim fidelis. Ad Philippenses, Vobis datum est, non solùm, ut in Christum credatis, uerùm etiam ut pro eo patiamini. In Actis, Deus aperuit cor mulieri purpurariæ, ut attenderet illis, quæ à Paulo dicebantur. Et capite tertio decimo, Crediderunt quotquot præordinati fuerant ad uitam æternam. Christus etiam ait in Euangelio: Confiteor tibi Pater cœli, & terræ: quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ita pater: quoniam sic placitum est ante te. Et alibi, Illis, inquit, loquor in parabolis, ut audientes non audiant, & uidentes non uideant: Vobis autem datum est nosse. Et Petro, Beatus es Simon Bariona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi. Et multa alia extant testimonia in sacris literis, quibus probatur fidem dari, & distribui à solo Deo. Quare non potest ea causa esse prædestinationis. Quod si fides non potest, certè opera multò minus possunt. Adhæc inficiari nemo potest, Dei prædestinationem æternam esse. Paulus enim ad Timotheum, ait, Deum elegisse nos ante tempora secularia: Et ad Ephesios, Ante iacta fundamenta mundi. At opera nostra temporaria sunt. Quare id, quod æternum est, ab illis non potest proficisci. Sed solent cauillari, opera illa, quorum respectu prædestinamur, ita accipi, ut à Deo præuisa sunt: atque hoc pacto ea non posse uideri temporaria. Esto sanè: accipiantur ad eum modum: Tamen negari non potest, ea posteriora esse prædestinatione, pendent enim ex ea, & eius sunt effecta, ut supra docuimus. Quare iuxta horum doctrinam, id, quod est posterius, esset causa efficiens eius, quod prius antecessit. Quod quàm sit absurdum, facilè quiuis intelligat. Deinde causa efficiens natura sua dignior est, & præstantior, quàm effectum, præsertim quatenus est eiusmodi causa. Quare, si opera sint causæ prædestinationis, sunt etiam digniora, & præstantiora, quàm prædestinatio. Deinde prædestinatio est certa, constans, & infallibilis. Quomodo igitur statuemus illam pendere ab operibus liberi arbitrij, quæ incerta, & inconstantia sunt, & huc, atque illuc flecti possunt, si de illis agatur speciatim? Homines enim ad hoc, aut illud genus peccati æquè propensi sunt, pro ut sese occasiones offerunt. Nam alioquí, si loqui uelimus generaliter propter uitium primorum parentum, ante regenerationem liberum arbitrium nihil aliud potest, quàm peccare. Quare ex istorum sententia necesse est, prædestinationem Dei, quæ certa est, pendere ab operibus hominum, quæ non tantùm incerta sunt, sed etiam peccata. Nec possunt dicere, se de illis operibus agere, quæ sequuntur regenerationem. Ea enim, uti docuimus, à gratia, & à prædestinatione oriuntur. Nec animaduertunt isti, se, ut satisfaciant humanæ nationi, & libertatem, nescio quam, hominibus afferant, Deum sua legitima potestate, & libertate in eligendo expoliare: quam tamen Apostolus Prædicat, aitque, non minus Deo iuris esse in homines, quàm figulo in uasa fictilia. Vt autem isti statuunt, Deus non potest eligere, nisi eum, quem sciat, se esse bene gesturum: nec quenquam reijcere, nisi quem uideat fore malum. Atqui hoc est, uelle Deũ in ordinẽ redigere, & eum nostræ rationis legibus subijcere. Erasmus uerò huic rationi frustra obstrepit. Ait enim, non esse absurdum, eam potestatem adimere Deo, quam ipse nolit sibi tribui: nimirum, ut aliquid iniustè faciat. Dicimus enim, Paulum hanc Dei libertatem frustra, imò falsò prædicasse: si ille eam nec habeat, nec uelit sibi tribui. Quemadmodum autem Paulus huiusmodi libertatem Deo asseruerit, locus, quem citauimus, apertissimè indicat. Frustra etiam obijciunt nobis Dei iustitiam: hîc enim tantùm agitur de eius misericordia. Nec negare possunt, se ista sua sententia de charitate, & beneuolentia Dei erga homines multum detrahere. Nam scriptura sancta cùm uellet nobis commendare paternam dilectionem Dei, affirmauit, eum dedisse filium suum, idque ad mortem, atque id eo tempore, cùm nos adhuc essemus peccatores, inimici, filij iræ. Isti autem nolunt quenquam prædestinari, qui non habeat opera bona præuisa in mente Dei. Atque ita quisque dicere

E scripturis probatur fides ex Deo esse.

Si fides non est causa prædestinationis multò minus alia opera.

Quod est prius non potest habere causam se posteriorem.

Opera nostra nõ possunt esse digniora prædestinatione.

Quod est constans & certũ non pendet ab incerto & inconstanti.

Non est ita nostra libertas tuenda ut Deum sua expoliemus.

Deo tribuenda est ea libertas quã de illo scriptura prædicat.

dicere potest apud se, si sum prædestinatus, ex me ipso pendet eius rei causa. Alter autem, qui in animo uerè sentiat, se gratis à Deo electum esse propter Christum, cùm ipse per se omnibus modis tanta charitate esset indignus, mirabiliter haud dubiè accendetur ad Deum redamandũ. Vtile etiã nobis est, ut ne ab operibus nostris pendeat nostra salus. Nos enim sæpe fluctuamus, & in rectè uiuẽdo sumus parũ cõstãtes. Certè si nos oporteret fidere nostris uiribus, despondendus esset animus. At si credimus, salutem nostram in Deo manere fixam & certam propter Christum, non possumus non animo esse bono. Adhæc si prædestinatio contingeret ex operibus nostris præuisis, initium salutis nostræ esset ex nobis ipsis: cui sententiæ scripturæ ubique reclamant. Id enim esset idolum in nobis ipsis excitare. Deinde etiam iustitia Dei opus haberet externa regula nostrorum operum. At Christus ait: Non uos me eligistis, sed ego elegi uos. Neque ratio ea est in Deo, quæ in hominibus, cùm incipiunt aliquem amare, & amicum deligunt. Homines enim mouentur egregijs dotibus, quibus aliquem uident esse excultum. Deus autem nihil boni inuenire potest in nobis, quod ab ipso non sit profectum. Et Cyprianus ait: quemadmodum non semel refert Augustinus, nos ideo gloriari non posse, quòd nihil sit nostrum: itaque Augustinus concludit, non esse partiendum inter nos & Deum, ut partem illi, partem nobis tribuamus ad consequendam salutem. totum illi citra controuersiam ascribendum est. Apostolus cùm scribit de prædestinatione, eò semper spectat, ut nostram fiduciam confirmet, & præsertim in afflictionibus: ex quibus ait, Deum nos uelle liberare: At si ratio diuini propositi ad nostra opera, tanquam ad causas referatur, eiusmodi fiducia à nobis concipi nulla potest. Nos enim sæpe labimur, & iustitia nostrorum operum ita est tenuis, ut ad Dei tribunal non possit consistere. Apostolum autem hac præcipuè de causa mentionem fecisse prædestinationis, ex octauo capite huius epistolæ intelligere potuimus. Nam cùm describeret effecta iustificationis, inter cætera ait, nos per illam adeptos esse adoptionem filiorum, & agi diuino spiritu, tanquam filios Dei. Ideóque à nobis forti animo perferri res aduersas: & idcirco, omnem creaturam ingemiscere, & uehementer desiderare, ut aliquando liberemur: Ipsum etiam spiritum pro nobis postulare. Addit postremò, Diligentibus Deum omnia cooperari in bonum. Qui autem sint, qui diligunt Deum, ostendit statim: Qui uocati, inquit sunt iuxta propositum. Hos Paulus uult securos reddere: ne putent se læsum iri, cùm rebus aduersis exercentur: quòd scint præsciti, prædestinati, uocati, iustificati. Atque hanc illum securitatem respexisse, ea indicant, quæ sequuntur. Si Deus pro nobis, quis contra nos? Quis accusabit aduersus electos Dei? Primũ colligitur ex hac methodo, aduersarios multũ errare, cùm se putẽt ex hoc loco conficere posse prędestinationẽ ex operibus pręuisis proficisci. Paulus enim ante illam gradationem scripserat illa uerba: Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum: quasi præscientia, & prædestinatio, de quibus postea meminit, ex illa sententia pendeant. Atque in hunc sensum citant illud è prouerbijs Salomonis: Ego diligentes me diligo. Neque considerant, ut diximus, Paulum in eo loco exponere uoluisse quinam illi sint, quibus detur, ut Deum diligant, & omnia cooperentur in bonum. Illos autem esse ait, qui à Deo prædestinatione asciti sint. Quod ad Solomonem attinet, nos quoque fatemur, eos, qui Deum diligunt, ab illo uicissim dilígi. Sed hoc nunc controuertitur, utrũ ex nostra dilectione nascatur dilectio Dei, qua nos complectitur. Id Ioannes in epistola sua disertis uerbis explicat. Non, inquit, quòd nos illũ dilexerimus: Ille prior dilexit nos. Alterum, quod ex uerbis Pauli colligimus, est, diuinam prædestinationem, si debeat esse eiusmodi, ut nos confirmet de beneuolentia, & charitate Dei erga nos, non posse pendere ab operibus nostris. Ea enim & infirma sunt, & leuissimæ iustitiæ. Deinde considerandum est, Paulum non tacuisse causas, quæ assignari poterant. Expressè enim ponit finem, ut patefiat misericordia, & iustitia Dei. Cùm autem uenitur ad causam efficientem, ita prorsus uult nos acquiescere uoluntati Dei, ut Deum conferat cum figulo, nos uerò cum luto. Qua collatione ostendit, nihil esse, quod præterea inquiri debeat. Scio aduersarios dicere, illam collationem allatam esse tantùm ad reprimendam interrogantis petulantiam: non quòd res utrinque re uera sic habeat. Deum enim eligere homines ex operibus præuisis. At si ita sit, quomodo hac similitudine oppilabitur os obmurmurantibus? Dicent enim, si iustitia Dei hoc requirit, ut electio sit ex pręuisis operibus, quid oportuit Paulum dicere, priusquam aliquid egissent aut boni, aut mali, dictum est, Maior seruiet minori? Iacob dilexi, Esau autem odio habui? Et, Non ex operibus, sed ex uocante, ut electio

Charitas erga Deum accenditur ex uero sensu prædestinatiõis.

Electionis diuinæ atque humanæ diuersa est ratio.

Deo totũ est adscribendum.

Si prædestinatio pendet ab operibus, non sperabimus, sed desperabimus.

In quibus Pauli uerbis allucinentur aduersarij.

Locus Salomonis.

Dilectio Dei nõ nascitur ex dilectione nostra sed contrà.

De collatione Dei cum figulo.

maneat ſecundum propoſitum? Et cur adfertur hæc ſimilitudo de figulo, cùm res ipſa longè ſecus habeat? & nec Deus, tanquam figulus, omnia pro arbitratu ſuo faciat: nec nos tanquam lutum, ſimus prorſus absque diſcrimine? Profectò hac iſtorum ratione petulans interrogator minimè reprimitur: imò potius anſa offertur obtrectandi, quòd ſimilitudo, quæ affertur, non quadret ad inſtitutum. Eſt etiam alia ſententia Pauli ad Epheſios, qua noſtra iſta ſententia uehementer confirmatur. Nam cùm dixiſſet, nos prædeſtinatos eſſe iuxta propoſitum Dei, adiecit: Cuius ui operatur omnia iuxta conſilium uoluntatis ſuæ. At ſi ita eſſet, ut iſti fingunt, Deus non operaretur iuxta ſuam uoluntatem, ſed iuxta alienam. Prout enim nos inſtitueremus noſtra opera, ita ille electionem ſuam temperaret. id autem eſt, aliena duci uoluntate, non ſua. Idem teſtatur Paulus ad Corinthios, Deus, inquiens, elegit ſtulta, infirma, & ignobilia huius mundi, ut ſapientes, & fortes, & nobiles pudefaceret. Videte, inquit, uocationem ueſtram fratres: non multi ſapientes, non multi potentes, non multi nobiles. Et in eadem epiſtola, cùm deſcripſiſſet conditionem priſtinam electorum, & multa, & grauia uitia enumeraſſet, ſubiecit ad extremum, & hæc quidem fuiſtis ſed abluti eſtis: ſed ſanctificati eſtis. Et ad Epheſios, fuiſtis, inquit, aliquando abſque Deo, ſine ſpe in mundo. Hæc probant, uocationem, & prædeſtinationem Dei non pendere ex noſtris meritis. Verùm, ut Auguſtinus ſcribit ad Simplicianum, Deus præterijt multos Philoſophos, homines acuti ingenij, & eximiæ eruditionis: præterijt etiam multos, qui ſi mores ciuiles ſpectes, innocentes erant, & uitæ ſatis probatæ. Neque ſanè mirum. Nam ſi Deus ad hoc prædeſtinet, ut diuitias miſericordiæ ſuæ patefaciat, id magis conſequitur, ſi eos adducat ad ſalutem, qui & magis reluctentur, & propter uitæ merita ab ea magis ſint alieni: quàm ſi eos eligat, quos humana ratio iudicare poſſit eſſe aptiores. Atque hinc eſt, quòd Chriſtus cohortem ſuorum diſcipulorum ex peccatoribus, & publicanis, & abiectis hominibus conflauit: nec dedignatus eſt uocare ad ſe latrones, & meretrices. In quibus omnibus quæ, quæſo, habita eſt ratio meritorum? Scribit etiam Paulus ad Corinthios, prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, Græcis autem ſtultitiam: Vocatis uero & Iudæis, & Gentibus Chriſtum Dei uirtutem, & Dei ſapientiam. Videmus etiam hoc loco, unde Apoſtolus diſcrimen petat, cùm aſſerat alios de Chriſto prædicato bene ſentire, alios malè. Totum enim hoc ex uocatione ait prouenire. Dicit enim, uocatis uerò: ac ſi diceret, Qui uocati non ſunt, habent Chriſtum pro ſcandalo, & pro ſtultitia. Vocati uerò eum & ſequuntur, & pro Dei potentia, & ſapientia complectuntur. In propheti etiam cùm Deus pollicetur, ſe liberaturum eſſe populum ſuum, non ait, ſe id facturum eſſe propter illorum opera, aut merita: ſed faciam, inquit, propter nomen meum. Ab hac ratione Paulus non diſcedit. Oſtendit enim, Deum per prædeſtinationem uelle patefacere diuitias gloriæ ſuæ: ut omnes ſcirent, quàm parum Iudæi hanc Dei electionem fuiſſent promeriti, ut præteritis alijs nationibus illi ſoli haberentur pro populo Dei. Id Stephanus exponit in Actis Apoſtolicis, cùm ait, eos ſemper reſtitiſſe Deo, & ſemper fuiſſe dura ceruice. Quid ergo uidit in illis Deus bonorum operum, ut eam gentem alijs omnibus nationibus anteponeret? Pulchrè deſcribit Ezechiel, quemadmodum Deus populum Iudaicum ab initio reſpexerit: nempè ut puellam nudam, fœdatam undique, & in ſanguinibus turpiter prouolutam. Tranſiui, inquit Dominus: cùmque te ita habitam uiderem, miſertus ſum tui. Præterea ueniat nobis in mentem, quis ſit ſcopus Apoſtoli in hac epiſtola. Nam ſi de controuerſijs rectè uolumus iudicare, à ſcopo non debemus oculos deijcere. Id egit Apoſtolus, ut Chriſti gratiam omnibus modis commendaret. Huic autem propoſito nihil poteſt magis obeſſe, quàm ſi prædeſtinationem Dei, hoc eſt, caput, & fontem gratiæ, ſtatuat ab operibus hominum proficiſci. Quòd ſi oratoribus uitio uertitur, ſiqua inter dicendum fortè inculcent, quæ cauſæ ſuſceptæ uehementer obſint, quomodo ſuſpicari poſſumus, ſpiritum ſanctum in incepto non perſiſtere, ſed aliena ab eo dicere, quod inſtituit? Nec ſanè alia ratio inſtitui poteſt de membris, quàm de capite, quod eſt Chriſtus Ieſus. Cùm ergo nemini dubium eſſe poſſit, humanam naturam gratis aſſumptam eſſe à filio Dei: Nam ſi rogaretur, cur magis aſſumpſerit hominem ex Maria uirgine, quàm alium quemuis hominem, nulla poſſet aſsignari ratio, niſi quòd ſic libuerit. Nam quod attinet ad opera, ea quiuis alius habere potuiſſet, natus ex alia uirgine, non minus quàm ille, qui aſſumptus eſt ex Maria. Nam quicunque diuinitatem habuiſſet, ut Chriſtus habuit, eadē prorſus feciſſet opera quæ Chriſtus, cùm ergo gratis, & ex pura mera Dei

Deus operatur ex uoluntate ſua non ex uoluntate noſtra.

Magis declaratur Dei miſericordia ſi gratis prædeſtinemur quàm ſi ex operibus.

Diſcrimē credētium & non credentium à uocatione petitur.

Deus dicebat ſe liberaturum populum, non propter opera, ſed propter nomen ſuum.

Iudæi non ſunt à Deo prælati gētibus propter illorum opera.

Humana natura gratis à filio Dei aſſumpta ē

Dei miſericordia illa humanitas à filio Dei aſſumpta fuerit, eadem omnino ratione quicunque ſunt membra Chriſti gratis, & abſque vllis meritis operum eliguntur. Denicq; omnes illæ rationes, quæ probant, iuſtificationẽ non conſtare ex operibus, eędem etiã probãt, prædeſtinationem non pendere ex operibus. Nunc ſupereſt vt dicamus, Vtrum Chriſtus, & eius mors dici poſsit cauſa prædeſtinationis. Hîc nos reſpondemus, Chriſtum, & eius mortem prædeſtinationis primum, & præcipuum effectum eſſe: nam inter ea, quæ electis à Deo cõceduntur, Chriſtus ipſe eſt, & fructus mortis eius. Quicquid enim nobis donatur, per hanc viam, & quaſi canalem, ad nos à Deo deriuatur. Et quoniam conſtat, effecta prædeſtinationis, ita inter ſeſe poſſe conferri, vt vnum ſit alterius cauſa, nulli autem illorum conueniat, vt principium ſit prædeſtinationis, idcirco negamus, Chriſtum, quòd ad eius humanitatem, aut mortem attinet, eſſe cauſam prædeſtinationis noſtræ: quamuis principium, & cauſa ſit omnium bonorum, quæ nobis ex Dei propoſito eueniunt. Non me latet, fuiſſe quoſdam, qui voluerint ſententias Patrum conciliare cum hoc dogmate veriſsimo, quod multis iam rationibus probauimus. Aiunt enim, illos, cùm ſcribunt, prædeſtinationem eſſe ex operibus præuiſis, nomine prædeſtinationis non intelligere opus, aut actionem Dei, qua eligit, aut prædeſtinat aliquem, ſed finem potius, & quædam media, illorum autem nihil obſtare, quin opera poſsint eſſe cauſæ. Extra dubium enim eſt, vltimam damnationem ab operibus, tanquam à cauſa proficiſci: & bona opera à fide oriri, tanquam à ſuo principio. Video equidem, non improbandum eſſe iſtorum conſilium, quo ſtudent, ſententias Patrum ad veritatem, quàm maximè fieri poteſt, accommodare. Id tamen, quod aſſerunt, verum eſſe, non poſſum affirmare. Sunt enim quædam ſententiæ Patrum ita duræ, vt trahi huc nullo modo poſsint. Nam, vt defendant arbitrij noſtri libertatem, nolunt omnia pendere à prædeſtinatione Dei. Et ex profeſſo dicunt, totum non eſſe Dei, ſed à nobis etiam requiri aliquid. Et diſertè ſcribunt, Deum eligere quoſdam, quòd eos præuiderit eſſe credituros. Habent etiam alia paſsim multa ſimilia, vt ego planè non videam, quẽadmodum illorum ſententiæ cum noſtra in hac re doctrina poſsint conuenire. Auguſtinus tamen in eam apertè concedit. Hieronymus etiam ab ea non abhorret: quamuis multis ſæpe in locis cum Origene aliisque conſentiat. Verùm contra Pelagianos plurimùm in hac re commendat ſententiam Auguſtini, eiusque contra illam hæreſim ſcripta vehementer probat. Cùm ergo Auguſtinus contra Pelagianos ſæpe vſus ſit hoc argumento, neceſſe eſt, illud Hieronymo iam ſeni placuiſſe. Cyprianus etiam, vt ſuprà diximus, manifeſtè ſcribit, Nihil eſſe noſtrum. Conficitur ergo neceſſario, totum eſſe Dei. Sed, quicquid ſit, de Patribus nihil eſt, quòd multum in præſentia diſputemus: Nam cùm textum ipſum interpretarer, pro loci oportunitate de illis abundè dixi. Vt de aliis rebus omnibus, quæ ad fidem pertinent, ita de hac quoque quæſtione, ſecundum ſcripturas pronuntiandum eſt, non ſecundum Patres. Atque hoc ipſum Patres etiam ipſi à nobis poſtulant. Quod nos in adducendis argumentis pro viribus arbitror præſtitiſſe. Inter poſteriores autem ſcriptores Pighius, qui vi ſcripturarum adigitur, dat nobis, opera non eſſe cauſas prædeſtinationis: fatetur enim eam gratis conſtare, & ex mera Dei miſericordia, cum reſpectu tamen, inquit, ad opera: opinor, ne videretur tam multis fruſtrà contendiſſe. At ſi prædeſtinatio eſt gratuita, & à mera Dei bonitate pendet, & miſericordia, vt ſcripturæ teſtantur, cur iſte auſus eſt hunc nouum reſpectum operum affingere de ſuo? Nam ſacra ſcriptura, & præſertim Paulus, ab hoc negotio opera prorſus excludit. Pighius autem vt ſuam illam contendendi libidinem magis prodat, argumenta quædam affert prorſus ad rem nihil facientia. Quod in Beata Deipara Virgine, inquit, contigit, quod ad electionem attinet, id in aliis etiam locum habere debet. ea autem non gratis prædeſtinata fuit, ſed propter humilitatem, Cecinit enim: Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. Ergo idem accidere debet in aliis. Neſcio equidem, quomodo iſte non viderit, magnum diſcrimen eſſe inter ταπείνωσιν, & ταπεινοφροσύνην. Nam ταπεινοφροσύνη eſt virtus, quam Latini appellant modeſtiam: qua homines de ſe ipſis demiſsè & moderatè ſentiunt: cui virtuti ſuperbia opponitur, aut arrogantia. Ταπείνωσις autem eſt vilitas, & abiectio, quæ hominibus accidit vel propter paupertatem, vel propter obſcurum genus, vel propter alia ſimilia. Exultabat ergo Beata virgo, & Deum laudibus efferebat, quòd ſe ad tantum honorem euexiſſet, quamuis alioqui vilem, obſcuram, indignam. Non enim fuit, vt iſte ſomniat, meritorum, & virtutum ſuarum prædicatrix: vt diceret, ſe idcirco electam eſſe à Deo, quod id ſua modeſtia promeruiſſet. Et ſi diligenter inſpicias eius Cantici progreſſum, facilè videbis, eam omnia ſua bona aſcribere Deo. Miſericordia, inquit, eius à pro-

Vt iuſtificatio nõ eſt ex operib. ita & prædeſtinatio Chriſtus et mors eius eſt primus effectus prædeſtinationis.

Chriſtus quo ad naturam humanã & mortem non eſt cauſa prædeſtinationis.

Sententiæ multorum patrum non conſentiunt proꝛſus cum explicato dogmate.

Alienũ eſt quod aiunt totum non eſſe Dei.

Alienum itẽ deũ eligere propter fidem præuiſam.

Pronuntiandũ è ſcripturis non ex patribus.

Si gratuita eſt electio cur additur reſpectus ad opa

ταπεινόφροσυνη

ταπείνωσις.

Non ſenſit Maria ſe ullo ſuo merito electam.

Canticum Mariæ prædicat Dei miſericordiam non merita.

genie in progeniem. Et addit: Recordatus est misericordiæ suæ. Postea cum misericordia coniungit promissiones: Sicut locutus est, inquit, ad Abraham patrem nostrum. Sed cur nō vidit iste bonus vir, imaginem prædestinationis nostræ in Christo magis ponendam esse, quàm in Virgine? At Augustinus ait, humanitatem Christi prorsus gratis, & sine vllo omnino respectu bonorum operum, & prædestinatam fuisse, & assumptam. Obijciunt etiam nobis verba Domini ad Samuelem: Nam cùm ille vncturus esset in Regem vnum ex filijs Isai, & ad eum primus accessisset Aoliab primogenitus, Dominus dixit illi, Non est hic, quem elegi: Ne respicias staturæ proceritatem. Videne enim homines ea, quæ apparent: Ego autem intueor corda. Ecce, inquit Pighius, hic locus docet, Deum moueri perfectione cordis: non autem externis conditionibus. Verùm in illa historia non agitur de æterna Dei prædestinatione, qua elegit nos ad perpetuam felicitatem: agitur tantùm de homine promouendo ad regnum. Qua in re Deus proposuit nobis exemplum insigne, vt cum velimus munus aliquod mandare alicui, in primis rationem habeamus virium, & facultatum, quæ ad illam functionem obeundam requiruntur: iuxta quam doctrinam Paulus quoque ad Timotheum proponit nobis, quæ requirantur in eo, qui deligendus sit presbyter, aut Episcopus. Deus etiam ipse in veteri Testamento, multis descripsit, quibus conditionibus eum esse oporteret, quem vellet renuntiari principem. Ad quem sensum Petrus quoque videtur respexisse, cum propositis duobus, quorum alter surrogandus esset in locum Iudæ, Deum inuocauit προεπιγνώστην, quòd ille solus nosset mentem, atque animum eius, quem vellet eligi. Non tamen existimare debemus, Deum in hominibus ipsis inuenire illud cor, quod respicit. Ipse potius, quos vult ad aliquod munus destinare, eos immutat, & efficit idoneos: quemadmodum factum scimus de Saule: quem ita legimus fuisse immutatum, vt prorsus euaserit in virum alium. Nam cùm prius fuisset simplex, & rudis, postea potuit inter Prophetas prophetare. Quæ res, cùm esset noua, & stupenda, prouerbio dedit occasionem: Nunquid & Saul inter Prophetas? Causatur insuper Pighius, sequuturum ex nostra doctrina, vt homines velint quærere causas suæ damnationis, non in se ipsis, sed in Deo: quod & absurdum sit, & impium. Sed videat iste, quomodo hoc ex nostra sententia inferri possit. Nos enim docemus, quemlibet hominem peccato esse obnoxium, & propterea mereri damnationem. Neque cuiquam vnquam diximus, eum non habere in se ipso causam iustissimam condemnationis suæ: imò & sumus, & semper fuimus authores omnibus, vt cùm aliquid velint suscipere, cōsilium non aliunde, quàm ex voluntate Dei reuelata, hoc est, è sacra scriptura petant, non autem ex arcano diuinæ prædestinationis. Non sequitur tamen propterea, ex hac forma docendi, nullum esse vsum doctrinæ de prædestinatione. Ad eam enim tum maximè oportet respicere, cum iactamur rebus aduersis, & vi ipsa afflictionum sentimus, fiduciam nostram debilitari. Hoc Paulus docuit capite octauo, huius epistolæ: & propterea subiecit, Si Deus pro nobis, quis contra nos? Quis nos separabit à charitate Dei? Tribulatio? an angustia? Non est ergo hæc doctrina ita relinquenda, quasi eam sibi nemo possit applicare: Conseruanda potius est ad vsum opportunum. Neque arrogantiæ est, sed spiritualis sapientiæ eam sibi vsurpare, cùm opus postulet. Adhæc Pighius calumniatur, ea, quæ dicimus, aduersari bonitati Dei: quasi iniquum videatur, vt Deus paucos quosdam sibi deligat, & interim alios innumeros prætereat. Hoc enim indicare, inquit, posset aliquam in Deo crudelitatem: præsertim, si illum dicamus offendi, antequam quicquam aduersus eum committatur. Consentaneum autem est, inquit, propositum Dei esse rationabile: nec tamen eius iustitiæ vllas adferri posse rationes, nisi opera illorum, qui prædestinantur: neque vllo alio pacto defendi posse iustitiam Dei. Speciosa quidem ista sunt: sed non multùm conducunt ad euertendum id, quod nos probauimus. Nam, vt primum agamus de bonitate Dei, nulla est creatura, quæ illius videri possit expers. Deus enim multa perpetuò bona confert, etiam impijs solem enim suum oriri facit super bonos & malos: & pluit super iustos, & iniustos. Quòd si non omnibus ex æquo diuidat, iure tamen non potest accusari. Christus enim respondet in Euangelio, Non ne possum facere de meo, quod volo? Si autem Pighius indignum esse putat, paucos eligi de multis, non nobis litem istā mouet, sed Deo. Nam scripturę apertè docent, Multos esse vocatos: paucos verò electos: & ex multis nationibus vnum tantùm Iudæorum populum in peculium Domini fuisse ascriptum: & in illo ipso populo, quamuis ita numerosus esset, vt cum arena maris conferri posset, tamen reliquias tantùm fore saluas. Contra ista testimonia tam perspicua quid rixari potest Pighius. Quid quòd etiam in rebus naturalibus videmus præclarissima quæque esse

Imago nostræ prædestinationis in Christo appa ret.

Locus primi libri Samuelis.

In functionib. mā dandis conditionem personæ debemus attendere

Deus nō inuenit bonum cor in hominibus sed facit

Exemplū Saulis.

Causa nostræ dā nationis quæren da non est ex deo

Quis usus prædestinationis.

Nulla creatura expers est diuinæ bonitatis.

Multi uocati pauci electi.

Multi populi præteriti una gēs hebræa electa.

Iudæi multi, sed reliquiæ tantum saluæ.

In natura pretiosa, rara sunt.

esse rarissima? Magna enim est copia vulgarium lapidum: gemmarum autem mira paucitas. Inutiles herbę vbiq; crescunt: cùm frugum ferè magna sit caritas. Quod cur Deus faciat, illi satis compertum est. Id nos opinari fortasse possumus idcirco fieri, vt dona Dei hominibus magis commendentur. Sumus enim ita stupidi, vt nunquam admiremur ea, quæ frequenter fiunt. Verùm hæc humana tantùm est coniectura. Cùm autem Deus consilij sui in hac re rationem non reddiderit, non puto eam à nobis curiosius esse inquirendam. Illud vnum addam, Deum non tantùm bonum esse erga nos, & benignum, sed ne speciem quidem vllam in eo deprehendi posse crudelitatis. Nam sæuitiæ ea natura est, vt supplicijs aliorum gaudeat, maximè verò, si innocentes affligantur. Nam voluptatẽ capere ex eo, quòd videas exerceri iustitiam contra malos, aut dolere, si videas eos feliciter agere, nec inuidiæ ascribi potest, nec crudelitati. In Prophetis enim, & in primis in Psalmis videmus huismodi affectus: qui certè ad νέμεσιν pertinent, non ad crudelitatem, aut inuidiam. Et quamuis propositũ Dei sit rationabile, imò ipsa ratio, non tamen eius rationes petendæ sunt ab illis, qui eliguntur: cùm eæ lateant in profundissima Dei sapientia. Eò nos Paulus reuocat, cùm exclamat, O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei. Quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius? Quis cognouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit? Nihil aliud docet Paulus his verbis, quàm non deesse quidem Deo rationes, ex ipsius multiplici, infinitáque sapientia: sed eas tamen hominibus esse imperuestigabiles, quòd ab illo non reuelentur. Miror etiam, Pighium voluisse conqueri de violata iustitia Dei. Illud enim Paulus obijcit sibi ipsi: nec tamen mutat sententiam. Nec mirum: vt enim Paulus ipse testatur, hoc omne negotium ad misericordiam pertinet, non ad iustitiam. Qua tamen etiam in re, quemadmodum Augustinus docet, defendere pulchrè possumus, Deum nihil iniustè facere. Quicquid enim donat electis, non ex alieno, sed ex suo donat. Et quicquid exigit à reprobis, id rectè, atque optimo iure exigit. Hæc Pighius nobis non obiecisset, si apud se diligenter expendisset ἀντίθεσιν, quam Paulus constituit inter opera nostra, & propositum Dei. Ait enim, Non ex operibus sed ex vocante: vt maneat electio iuxta propositum. Putat etiam absurdum esse, prædestinationem Dei constitui sic liberam. nam ita imponi hominibus necessitatem existimat: & omnem culpæ rationem tolli. Verùm hoc argumentum pertinet ad quartum nostrum articulum, vbi de hac necessitate disputabimus. Miror tamẽ hoc illi in mentem venire potuisse, tolli rationem peccati, si statuatur necessitas. Quasi verò quisquam euitare possit peccatum originis: nec tamen ex eo sequitur, peccatum eiusmodi non esse peccatum. Addit præterea, nos non posse effugere, quin constituamus Deum acceptatorem personarum. Verùm, si consideraret, hoc peccatum tum demum admitti, cùm moueamur ad distribuendum, aut iudicandum, ex circunstantijs, & conditionibus, quæ ad causam non faciunt, nunquam ista diceret. hoc enim in Deum non potest cadere. Ille enim has circunstantias, & conditiones in hominibus non inuenit, sed imponit quales ipse velit. Itaque nemo potest illi obijcere, quo ad electionem eum suæ personæ non tribuisse, quod conueniebat. Deus enim est omnium personarum, & omnis decori author. Sed aufertur, inquit, solicitudo, & studium rectè viuendi: quasi nos hac doctrina efficiamus homines deteriores: & fenestram aperiamus ad licentiam & ad dissolutè viuendum. Verùm, quàm hæc aliena, & falsa sint, ex eo liquere arbitror: quod nos semper docemus, prædestinationem non tantùm finis esse, sed etiam mediorum. Neque enim tantùm ad felicitatem prædestinamur, sed etiam ad bona opera: nimirum, vt in illis ambulemus, & conformes efficiamur imagini filij Dei. Impij hæc non curant, & etiam absque ista doctrina flagitiosè viuunt. Pij verò, quoniam confidunt, se esse prædestinatos, studeant certam facere vocationem suam operibus sanctis. Atque illis ex hac doctrina aperitur fenestra ad modestiam, ad tolerantiam in afflictionibus, ad gratitudinem, & amorem erga Deum singularem. Sublata autem hac doctrina patefit, non fenestra, sed decumana porta ad superbiam, ad ignorationem donorum Dei, ad incertitudinem, & hæsitationem de salute in rebus aduersis, & ad infirmandam charitatem nostram erga Deum. Sed addunt isti, hoc etiam vehementer contra nos facere, quòd nihil cadere possit sub prædestinationem, aut reprobationem, nisi quod Deus velit. Deum autem velle peccata, pro absurdissimo habendum est, & blasphemo dogmate. Adijciunt etiam, Deum non posse iustè punire, si ea committamus, quæ ipse & velit, & faciat. Hoc autem nos dicere necesse esse, si constituamus ex proposito Dei, non tantùm fines nostros pendere, sed etiam media. Vt huic difficultati satisfiat, primùm meminisse debebunt, negari non posse, Deũ quoquo modo velle, aut quemadmodum alij dicunt permittere peccatum. Sed cùm id fiat absque vlla animi nostri coa-

Non miramur nisi rara.

Qui propriũ sit crudelitatis.

Aliud est νέμεσις aliud crudelitas.

Quomodo iustitia Dei sit defendenda.

Necessitas non tollit peccati rationem.

Acceptio personarum.

Prædestinationis doctrina fenestram bonis operibus aperit non sceleribus.

Aduersariorum sententia multis malis uiam aperit.

ctione, idcirco nemo, cùm peccat poteſt excuſari. Volens enim, & ſua ſponte committit ea peccata, propter quæ debeat condemnari, eorumq; in ſe ipſo veram cauſam habet, & idcirco non opus eſt vt illam in Deo quærat. Deinde non eſt iuſta collatio, quàm iſti faciunt, inter bona opera, & peccata. Sic enim Deus facit in nobis opera bona, vt nobis gratiam, & ſpiritum ſuppeditet, quibus illa fiant: nam ea bonorum operum ſunt principia: quæ profecto ex nobis ipſis non habemus. Peccata autem ita gubernat, & quodāmodo vult, vt nihilominus illorum principia, hoc eſt, caro & corrupta, & vitiata natura nō in Deo ſint, ſed in nobis. Vnde neceſſe non eſt, vt ea nobis ab aliquo externo mouente infundantur. Dicitur quę

Quomodo Deus vtcunq; dicatur uelle peccata.

Deus vtcunque velle peccata, vel, quòd, cùm poſsit ea prohibere, non prohibeat, vel quòd ea pro ſua ſapientia ad fines quoſdam ſuos dirigat, vel, quòd ea non patiatur erumpere, niſi & quando, & quomodo, & ad quæ ipſe voluerit, vel denique quod illis alia peccata velit punire. Sed addunt, Deum nullo modo velle peccatum. Ita enim ſcriptum eſſe in Ezechiele: Viuo ego dicit Dominus: Nolo mortem peccatoris, ſed magis, vt conuertatur, & viuat. Sed reſpondemus, Prophetam eo loco non agere de potenti, & arcana, & efficaci voluntate Dei. Illa enim Deus voluntate omnia, quæ vult, efficit & in cœlo, & in terra. Agit autem de illa voluntate, quam appellant ſigni. Nemo enim ex ſignis illis, & indiciis, quæ expreſſa ſunt in lege, colligere poteſt, Deum velle mortem aut condemnationem

Prima reſponſio.

ſuam. Dominus enim iuſsit legem ſuam prædicari omnibus: omnibus propoſuit ea, quæ futura eſſent vtilia, & ſalutaria: poſtremò in omnes promiſcuè magna effundit beneficia. Iſta ergo voluntate, quam appellamus ſigni, non vult mortem peccatoris: imò eos potius prouocat ad pœnitentiam. Altera autem voluntate, quam appellant beneplaciti, ſine-

Altera reſpõſio.

minem vellet perire, certè nemo perire poſſet, nulláque tam peruerſa voluntas eſt, vt inquit Auguſtinus, quam Deus nequeat bonam facere ſi velit. Iuxta hanc igitur voluntatem omnia, quæcunque voluit, fecit. Hæc facilis eſt, & plana interpretatio: quam ſi aduerſarij non admittant, & omnino pugnent, verba Prophetæ de voluntate Dei efficaci, & beneplaciti eſſe intelligenda, tum reſpondebimus, ſententiam Prophetæ, non in vniuerſum ad omnes peccatores, ſed ad illos tantùm, qui agant pœnitentiam, pertinere. Illi autem ſunt electi, & prædeſtinati: quibus Deus vt fidem, & vocationem iuxta propoſitum, ita etiam pœnitentiam elargitur. Vtrumuis ergo ſenſum ſequi velint, nunquam ex illis verbis concludent, Deum penitus & nullo modo velle mortem peccatorum, aut peccatum. Sed obiiciunt verba quædam ex primo capite Libri Sapient. Deus non lætatur in perditione viuentium. At ſi vllo modo velit peccatum, vel eius pœnam inquiunt, non poteſt dici, non lætari. Gaudet enim certè eo, quod vult factum. Primùm reſpondeo, Librum illum non haberi in Canone: itaque eius authoritatem poſſe repudiari. Sed eſto, librum eſſe Canonicum: tamen ea verba nihil faciunt contra nos. Nihil enim aliud ille voluit, quiſquis erat author eius libri, quàm remouere à Deo illam ingenij prauitatem, qua homines flagitioſi ex malis capiunt

Deus nõ inuitus punit flagitia.

voluptatem. Nec tamen ſenſit, Deum animo inuito punire flagitia. Nam alioqui, quiſquis eſt ſub nomine Solomonis, pugnaret cum vero Solomone. Is enim in prouerbijs ſub perſona ſapientiæ de impijs, & incredulis ita ſcribit: Ego quoque in interitu veſtro ridebo. Quibus verbis oſtenditur, Deum ridenti, hoc eſt, alacri animo iuſtitiam adminiſtrare. Ad Eccleſiaſtici autem verba quæ habentur cap. 15. Neminem oportere de Deo dicere, Αὐτὸς με ἐπλάνησε: quo loco verſio Latina habet, Me implanauit. Niſi velimus hunc ex diametro pugnare

Quomodo intelligendum ſit deũ neminẽ ſeducere

cum alijs multis ſcripturæ locis, in quibus Deus dicitur ſeduxiſſe populum per falſos Prophetas, mandaſſe, vt Rex Achab deciperetur, Excæcaſſe cor populi, ne viderent, oportebit ea verba exponere ad hunc modum: Neminem debere ita culpam reijcere in Deum, quaſi velit ſe ipſum excuſari. Achab, ſi erat deceptus, iure optimo meritus erat, vt deciperet, quòd

Qui decipiuntur iure decipiũtur.

vera Dei oracula cõtemneret, & ſeſe Pſeudoprophetis oblectaret. Perfidia etiam Iſraelitici populi, & impietas, Dei vindictam, & excæcationem accerſebat, vt, cum eſſent decepti, nullo modo poſſent excuſari. Videntur etiam aduerſarij noſtri ſuboffendi, quòd aſſeramus, homines habere in ſe ipſis cauſam peccatorũ, hoc eſt, naturã corruptã, & vitiatã. Nam in primo illo cap. libri Sapientiæ generationes mundi dicuntur eſſe bonæ, nec habere in ſe φάρμακον ὀλέθριον, id eſt, medicamentum exitioſum. Verum quidem hoc eſt, modò de prima rerum inſtitutione, & præſertim de creatione hominis, qui à Deo rectus creatus eſt, intellígatur. Sed

Natura noſtra ut à Deo inſtituta uitio caruit.

ille poſtea ſuo lapſu & ſe, & ſuũ genus perdidit. Calumniatur Pighius inſuper doctrinam noſtram, quaſi homines incitemus, vt Deum odio proſequantur. Nam Chriſtus de Iuda ita loquitur: Væ homini illi: melius ei fuiſſet, ſi nunquam fuiſſet natus. Reiectus, & reprobatus ne-

ceſſe eſt, vt Deum oderit, cum illum Deus prius oderit. Cùm autem pars maior ſit reproba-

torum,

torum, quiuis, inquiunt, facilè poterit suspicari, se esse ex illorum numero. Atque ita futurum esse, vt multi à Deo abhorreãt. Verùm nos respondemus, Christũ rectè dixisse, melius fuisse futurum illi homini, si natus non fuisset. Cuiuis enim nostrũ potius, & antiquius esse debet, vel nunquam fuisse, vel in nihilum redigi, quàm vt peccando velit Deũ offendere. Christus ergo verè ac significanter dixit, Melius fuisse Iudę, vt nunquam fuisset natus. Simpliciter tamen, &, quod ad Deum attinet, non erat melius: nam per illum & consilium Dei, quod attinet ad nostram redemptionẽ, impletum fuit: & ex supplicio illi inflicto & iustitia, & potẽtia Dei manifestior apparuit. Vanum autẽ est, quod aiunt, multos posse in suspicionem venire de reprobatione sua. Nam ex sacris literis nemo potest argumenta efficacia colligere reprobationis suæ. Quòd si Deus aliquando velit eam secreto quodam iudicio reuelare, id non potest trahi ad communem regulam. Nostra quidem tempestate accidit, vt quidam in Italia Franciscus Spiera intimè sentiret hoc malum sibi à Deo esse irrogatum. Sed id ego ad aliorum terrorem factum arbitror. Is cùm ab initio veritatem Euangelicam nouisset, & non obscurè professus esset, adductus Venetias ad Legatum Põtificium eam publicè abiurauit. Perculsus deinde graui vulnere conscientiæ, persuasit sibi se peccasse in spiritum sanctum. Qua ex re in tantam desperationem coniectus est, vt nullam postea consolationem admittere voluerit, assistentibus illi vel eximijs atq; religiosis viris, qui adhortabantur vt de Christo ac illius morte bonam spem haberet. Dicere verò solebat hæc rectè quidem alijs proponi, at sibi nihil planè conducere, quòd certo certius videret se peccasse in spiritum sanctum, & nullum damnationis remedium superesse, itaque in hac desperatione constitutus obijt. Voluit porrò Deus in hoc homine singulari quadam & inusitata dispensatione alios abterrere ab huiusmodi scelere & impietate. Veruntamen istud neque frequenter euenit, vt ex historijs colligitur, & nullus poterit ex sacris literis hanc desperationem cernere. Atq; non Deus isti Spierę, sed fortasse diabolus hoc suggessit, cuius mancipiũ erat abnegata pietate, quò in desperationem extremam illum adigeret. Distinguendum est igitur vt superius monuimus, vel de alienis ab omni sensu pietatis agi, vel de pijs & iam vocatis. Si de alienis, illi vel nihil curant hæc Dei consilia, vel iam de se ipsis desperarunt. Si de pijs agatur, illi non permittent se hac suspitione diuexari diutius, quòd iam videant se vocatos, fidem cõsequutos, proindeq; iustificatos, quæ omnia confidere ac sperare iubent eos in albo electorũ esse cooptatos. Fingit postremò loco Pighius absurda à nobis dici quòd homines doceamus prius esse in massa vitiata & corrupta peccato originis quàm à Deo prædestinentur, quasi velimus hîc Dei propositum iustificare: cùm tamen in consilio prædestinationis prius ponamus condemnationem & æternam infelicitatem quàm ipsa peccata & vitiatam nostram originem, atq; ita iustificamus quod est prius per posterius, addit etiam ita quo ad Dei propositum nostra ipsorum sententia finem prę stitui & ea quę ad finem perducunt. Vnde cum peccatum originis vnum sit ex medijs quo condemnamur, non posse quemadmodum fingimus reprobationem antecedere, cùm sub illa cadat & comprehendatur quasi medium ad æternam condemnationem. Verùm hæc ostendunt hominem istum non intelligere quid à nobis dicatur. Nec Augustinus neque nos vnquam diximus originalem culpam antecessisse prædestinationem, cùm prædestinatio sit ante omnem æternitatem, & Adamus in tempore lapsus fuerit. Neque adeo absurdum est, vt ipse fingit peccata cadere sub reprobationem, non quidem vt eius causam, sed vt condemnationis & ęternę miserię causam: Et quod ipse ait, si ita esset, sequi, Deum velle peccata. Iam exposuimus quomodo ad hoc sit respondẽdum. Nec is poterit inficiari Deum vti peccatis, quæ subinde cõmittuntur, ad fines quos ipse decreuerit. Quod cùm non temere sed consilio destinato ab illo fiat, quî fieri potest vt aliquo modo peccata sub reprobatione non comprehendantur? Iam si contendat non eodem modo Deum velle & causam esse peccatorum ac bonorum operum, nos quoq; idem asserimus. Sed interim desinat pro absurdo habere tam finem quàm media siue prædestinationis siue reprobationis comprehendi, quanquam diuerso modo, sub Dei proposito. Et quod attinet ad peccatum originis, intelligimus & nos ipsum prædestinationem seu reprobationem non antecedere, sed necessario consequutum esse: quia Deus noluit homines ex alia stirpe, vel alia materia producere, quàm ex Adami progenie, vnde labe corruptionis omnes nascimur infecti. Quod cùm non latuerit Deum, idcirco Augustinus, & nos cum eo dicimus Deum ab æterno proposuisse misereri eorum quos amauerat, & non misereri aliorum quos non dilexit. vnde si deserti ea misericordia quæ alijs impenditur, degunt in originali culpa, & vbi ad ætatem usumq; rationis peruenerint, multò plura illi adijciunt iustè ac meritò damnantur. Atque id potest efficaciter dici ad occurrẽdum illis qui fortè damnatio-

An fuerit melius Iudam non esse natum.

Nemo habet certum & infallibile argumẽtũ suæ reprobationis. Exemplum Francisci Spieræ.

Pij nõ suspicãtur se ad reprobatorum numerum pertinere.

Pighius nostram sententiam non intelligit.

Originalis culpa non antecedit iustificationem.

Peccata quomodo cadunt sub reprobationem.

nis causam non in culpam suam, sed in Deum reijcere ausi fuerint. Ortum itaq; omnium ho

Peccatum originis antecedit cuiusq; damnationem.

minum antecedit originale peccatum, modò singulos quosq; respicias: antecedit etiam om

Pighij figmentũ.

nium impiorum condemnationẽ, licet non esse potuerit ante Dei æternum propositum, nisi quò ad præscientiam. Hęc vti posuimus vt minimè sunt absurda, ita etiam percipi queunt, si à scripturarum sensu non discesserimus: quem vt hîc Pighius transgrediatur in suo figmento paucis attingam. Multos distribuit gradus vel actus in mẽte diuina, quos inter se ordinat, nõ quidem per temporis distinctionẽ, sed naturę. atq; ideo huiusmodi actus signa appellat: nec tamẽ id à sacris literis, sed à Scoto mutuo sumens. In primo signo, inquit, cõstituit Deus producere omnes homines ad ęternã salutem, qua secum vnà fruerẽtur, idq; sine vllo discrimine: ac illis pręesse Christum voluit, quẽ sentit etiam in carne venturum fuisse, licet primus homo nõ peccasset. In secundo signo ait, Deũ præuidisse hominis lapsum per quem iam nõ posset fieri vt homines ad salutẽ peruenirent: hoc est, ad finem quem Deus proposuerat sibi dum hominem principiò condere decreuisset. Sed tamen vt posset res procedere, posuisse in tertio signo ait, remedia in Christo, gratię videlicet ac spiritus, & alia id genus, quibus adiuuarentur qui ea vellent recipere, ac desererentur qui ea repudiarent. Postremò in quarto signo, quia multos pręuidit hæc auxilia amplexaturos, & illis bene ac strenuè vsuros, propterea illos ad salutem prędestinauit: alios autem quos vidit his Dei beneficijs repulsam daturos, ad extremum exitium deuouit. hæc ille de adultis adfert. De paruulis qui pereunt antequàm possint habere vsum arbitrij, cùm per hanc fictionem satisfacere non possit, assuit alteram fabulam. videlicet, illos post iudicium fore in hoc mundo felices naturali quadam beatitudine, in qua perpetuò Deum celebrent, & illi gratias agant de suo statu non pœnitendo. Sic iste dogma fingit, quod per nullum scripturæ verbum potest comprobare.

Deus nõ destinat quæ non sunt habitura successum Christus non uenisset nisi peccatũ interceßißet.

Quomodo tribuit Deo quod in primo signo decreuerit ea quæ non erant habitura successum? Nimirum vt omnes homines felicitate potirentur. Est ne sapientis hominis, Deinc dixerim ea decernere, aut velle quæ cassa sint, futura? Proferat deinde obsecro oracula diuina quibus nobis ostendat filium Dei humanam carnem fuisse susceperum si homo non peccasset. At nullibi hoc demonstrabit, cùm scripturæ sanctæ vbique nobis prædicent datum in redemptionem & peccatorum remissionem, quod etiam illum docere potuerat, si attendisset, peccatum originis præcessisse omnia prædestinationis effecta, vna excepta creatione. Cùm Christus ad hoc sit prædestinatus ac nobis concessus, vt nostrorum lapsuum haberemus remedium, quorum omnium caput est originale peccatum. Porrò nõ sumpsisset humanam carnem, si nulla culpa interuenisset. Absque scripturis item fingit in potestate nostri arbitrij esse, vt auxilia generaliter proposita recipiat, cùm hoc absolutissimum sit Dei munus. Postremum verò scilicet de naturali felicitate puerorum, non solùm

Paruuli pereũt si per mediatorem non instaurentur

citra scripturam assertitur, sed etiam contra illam, quæ perire omnes in Adamo statuit, nisi per mediatorem instaurentur. Perire autem seu mori, quàm pugnet cum felicite, omnes intelligunt. Nullos præterea ex Patribus habet, qui sit ausus talia comminisci. Nec mihi persuadeo Pelagium ipsum si rediret, suam opinionẽ fuisse diligentius coloraturũ, atq; iste pinxerit & ornauerit. Quod hactenus probauimus de prædestinatione, cum videlicet ab operibus præuisis non penderet, idem etiam de reprobatione asserimus, quoniã nec ipsa pendet à præuisis peccatis, modò intelligas per reprobationem non extremã damnationẽ, sed illud imum ęternum Dei propositũ non miserendi: nam Paulus perinde de Esau atq; Iacob scribit: Priusquã aliquid boni egissent aut mali, dictum est, Maior seruiet minori: Iacob dilexi, Esau odio habui, vt non sit ex operibus sed ex vocante. Laborat autẽ frustra Pighius vt hæc Pauli sententia de altero tantùm intelligatur, hoc est de Iacobo, cùm Apostolus vtrumq; illorum sub eadem conditione coniunxerit. Et idem manifestius ostendit inferius dicens: Cuius vult miseretur, & quem vult indurat. Ad hæc si peccatum esset vera causa reprobationis tum nullus eligeretur, cum præsciat Deus omnes eo contaminatos. Quod idẽ probat Augustinus ad Symplicianum. Sed iam de tertio articulo est dicẽdum vt videamus quæ sint effecta prædestinationis ac reprobationis. Breuiores autem erimus quòd quæ dicenda sunt iam ex dictis multum lucis habuerint. Primùm igitur prædestinationis effectum est ipse Christus, quia nihil donorum Dei possunt habere electi quod per seruatorem nostrum non fuerit transmissum. Deinde ponenda sunt illa quę Paulus descripsit 8. cap. cùm dicit: Quos præsciuit hos & prædestinauit, quos prædestinauit hos & vocauit, & quos vocauit iustificauit, & quos iustificauit hos glorificauit: vnde apparet effecta prædestinationis quoque esse vocationem, iustificationem, & glorificationem, quibus etiam addetur conformitas imaginis filij Dei, cùm Paulus eam recenseat vt prædestinationis effectum.

Si peccatum esset causa reprobationis nullus eligeretur.

Quæ sint effecta prædestinationis.

Christus primum effectum est prædestinationis.

Adden-

Addẽtur etiam bona opera, cùm ea Deus præparasse dicatur, vt in illis ambulemus: consequitur & certitudo, seu cõfirmatio de nostra salute, quæ cuiusmodi sit, à nobis declarabitur in 10 cap. Postremò est declaratio diuitiarum gloriæ Dei, quem finem Paulus in isto capite 9. aperte tradidit, & ad Ephesios scripsit, vt simus in laudem gratiæ ac gloriæ ipsius. Reprobatio verò si comparetur primo homini, Deus illum ab æterno decreuit producendum, vt libero arbitrio, & aliqua gratia sibi adiuncta stare posset, si vellet: potuisset q; illi maiorem conferre gratiam, ita vt neque cadere posset, verùm noluit. An autem iudicandus Adam sit ex numero reprobatorum, aut prædestinatorum, ex scripturis diuinis colligi non potest, quanquam omnes fermè Patres consentiant eum seruatũ esse, & ideo pertinuisse ad numerum prædestinatorum. Cæteri verò homines, qui reprobati fuerunt, offerebantur Deo in massa perdita & corrupta. Siquidẽ aliũde nõ statuit Deus eos producere, quàm ex Adami semine, & cùm proposito suo libero multis noluerit misericordiã impendere, quod est reprobare, secuta est desertio, qua relicti sunt in suo natiuo peccato. Deinde quum non sinat Deus creaturas otiosas, illi quoque perpetuò incitantur vt agant: & cùm sanati non fuerint ex principio suo corrupto, faciunt omnia: quæ licet interdum speciosa opera videantur, nihilominus coram Deo sunt peccata. Præterea vt merentur eorum scelera, subinde peccata in eis Deus punit alijs peccatis, quemadmodum ad Romanos permulti dicuntur traditi in reprobam mentem, quia cùm Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerũt. Quo tamen ad peccatum primi hominis animaduertendũ est, illud non potuisse dici alterius peccati pœnam. Si enim primum fuit, aliud ante se non habuit: Deum verò peccatũ illud prorsus noluisse minimè dici potest: eo enim inuito quî committi potuit? Porrò videbat illum casurum, si spiritu & gratia opulentiori non confirmaretur, non occurrit, non suppositit manum suam ne caderet. diabolus præterea, nisi Deus voluisset, illum non ausus esset tentare. Destinauerat præterea suam bonitatem, & seueritatem ex illo declarare: occasionem dedit legem dum posuit, quam sciebat non seruandam, nec non vxorem dando, quæ alliceret. Et denique actio ipsa, quæ priuationẽ rectitudinis, vt subiectũ sustinuit, citra Dei vim & virtutem produci non potuit. Vnde apparet Deum illud peccatum quodammodo voluisse, ac eius quadamtenus fuisse autorem, licet non fuerit pœna præcedentis peccati. E contra verò id noluisse, ac eius autor non fuisse dicitur, quia prohibuit, puniuit, non id simpliciter, sed propter aliud voluit: prauitatem ex se ipso non suggessit, nec inspirauit, sed Adami voluntas non impedita, potentiori gratia, vltro deflexit à recto. Adducitur etiam vt reprobationis effectum, ex Esaia excæcari & incrassari cor populi, vt nõ intelligant. Et sæpe Deus vel per se ipsum, vel per angelos malos immittit cogitationes, & offert occasiones, quæ, si recti essemus, in bonam partem possent accipi: sed quum non simus renouati, ab eis in malum propellimur: posteà iure ac meritò damnatio sequitur propter peccata: & denique reprobationis extremum est effectum declaratio potentiæ ac iustitiæ diuinæ. Sequuntúrque omnia hæc reprobationem, quanuis non omnium istorum Deus ex æquo sit causa, vt superius est demonstratum. Cæterùm quia omnia Dei beneficia, quæ prædestinatis conceduntur, ad gratiam tanquam ad caput & fontem recurrunt: Ideo videndum est, an is præcipuus effectus diuinæ prædestinationis, vt quidam imaginati sunt, omnibus hominibus à Deo proponatur communis: quoniam si ita esset, iam omnes homines essent prædestinati, & in potestate sua, vel in manibus, vt dicitur, haberent, vt prædestinarẽtur, modò vellent oblatam gratiam admittere. Nos nequaquam dicimus omnium communem esse gratiam, sed aliquibus concedi, alijs verò Dei arbitratu non dari. Atque pro ista sententia hæc scripturæ loca inducimus. Ioannis 6. dicitur, Nemo venit ad me, nisi pater traxerit eum. Mirorque aduersarios dicere omnes homines à Deo trahi, sed non omnes homines velle accedere. Quemadmodum si quis diceret, nemo doctrinas, vel bonas artes sibi vendicare potest, qui non fuerit ratione, & ingenio præditus: Non tamen inde sequitur, vt si omnes rationem habeant & ingenium, omnes acquirant bonas artes, quum præter illa principia studium & voluntas requirantur. Ita, inquiunt, trahuntur omnes à Deo, sed præter Dei tractum exigitur, vt ipsi velimus, & assentiamur, alioquin ad Christum non adducimur. Sed certè non effici potest, vt in omnibus his propositionibus, quæ cum exceptione fuerint enuntiatæ, illa exceptio cõueniat omnibus. Dixit enim Christus Pilato: Potestatem non haberes aduersus me, nisi tibi datum esset desuper, audebimus ne dicere omnib. datam fuisse potestatẽ contra Christum? Et cùm scribitur, neminẽ intraturũ in regnũ cœlorũ, nisi renatus fuerit ex aqua & spiritu, inde non deducemus, omnes ex aqua & spiritu renasci. Et quando ait Dominus, non habebitis vitam in vobis, nisi ederitis carnem filij hominis, & bi

Effecta reprobationis.

De statu primi hominis.

An primus homo fuerit prædestinatus, uel reprobatus.

Omniũ effectorum prædestinationis Deus ex æquo non est causa.

An gratia Dei ut cõmunis omnibus proponatur.

An omnes à Deo trahantur. Simile.

beritis eius sanguinem. an accipiemus omnes edere carnem, & bibere sanguinem Domini? Quod si non ita fieri debet, cur volunt isti, quando nos dicimus, nemo venit ad me, nisi pater traxerit eum, omnes homines trahi ad patrem? Certè si quis cõsideret seriem textus, videbit hunc sensum non posse conuenire. Vbi sermonem fecerat de carne sua edenda, & sanguine suo bibendo, qua de causa Iudæi offensi sunt, & discipuli abierunt. Vnde Christus ait, Nemo venit ad me, nisi pater traxerit eum: quod minimè dicere debuerat, si tantùm eos taxare voluisset infidelitatis. Non facienda erat vtique mentio patris, quasi non eos traheret, si omnibus hominibus hoc impenderet. Et Augustinus cùm hunc locum interpretatur, ait: Quare hunc trahat, & illum non trahat, noli iudicare, si non vis errare. Quibus verbis declarat, non omnes à Deo trahi. Et in eodem capite scribitur: Omne quod dat mihi pater, ad me veniet: quare si traherentur omnes, omnes ad Christum venirent. Atque ibidem scribitur: Omnis qui audiuit à patre meo, & didicit, ad me venit. Cùm itaque multi ad Christũ non veniant, multi demonstrantur nec audiuisse, nec didicisse. Atque in cap. 10. cùm Christus dixisset, se pastorem esse, ac suas habere oues, inter alia inquit: Quos dedit mihi pater, nemo potest rapere de manu mea. Verùm multos videmus excidere à salute, igitur illos putare debemus, à patre Christo non esse datos. Verùm & hîc aduersarij cauillantur, Quòd licet nemo rapere possit, valeant nihilominus homines sponte discedere. Quemadmodum si quispiam haberet famulos, quum esset dominus potentissimus, dicere sanè posset, nemo potest istos à me abstrahere: verùm illi possent ab eo sponte abire. Cæterùm vt ista horum cauillatio sit inutilis, verba quæ sequuntur, ostendunt. Quoniam subiecit Christus: Quod pater mihi dedit, maius est omnibus. Quibus verbis declarauit, idcirco à se non posse rapi, quos à patre accepisset, quòd esset potẽtissimus: vnde si nõ possunt ab alijs rapi, qui in Christo sint, neque se ipsos valent subducere: non quòd vi cogantur, sed via persuasionis, necessarium sit vt maneant. Quod & de tentatione temporum extremorum idem Dominus dicebat, nimirum electos seducendos, si fieri posset. In eodem cap. 6. Ioan. dicebat Christus, Neminem ad se venire, nisi cui à patre datum esset. Qui locus habet eundem sensum cum alia illa sententia, qua dixit, Nemo venit ad me, nisi pater traxerit eum. Atq; Ioannes Baptista, vt scribitur 3. cap. Ioan. Cùm audiuisset à suis discipulis, Christum multos baptizare, respondit, neminem quicquam posse accipere, nisi de cœlo ei datum esset. Et capite eodem, Spiritus vbi vult spirat: quod tametsi de vento dicitur, attamen ad spiritum sanctum regenerantem accommodatur. Quoniã similitudo ad eius vim explicandam sumpta est ex venti natura. Verùm id apertius habetur in Matthæo, quum dicitur: Nemo nouit patrem nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. Quo loco instruimur, Christi reuelationem minimè concedi omnibus: quod in eodem Euangelista Christus demonstrauit, cùm ad patrem conuersus diceret, Gratias tibi ago rex cœli & terræ, quoniam hæc abscondisti à prudentibus & sapientibus, ac reuelasti ea paruulis. Sic quoque ostenditur, non esse cõmunem omnibus veræ doctrinæ reuelationem: quòd si dixeris, idcirco non reuelatur sapientibus, quoniam illi capaces esse nolunt. Verba quæ sequuntur, non hanc causam reddunt, sed potius Dei voluntatem hoc decreuisse monstrant. Subditur enim: Quoniam sic placitum est ante te. Et rursus cùm Apostoli quæsiuissent, quare in parabolis ageret cum populo, respondit, vobis datum est nosse mysteria, illis autem non est datum: & aiebat se ita loqui cum eis, vt videntes non viderent, & audientes non intelligerent. Ac vaticinium Esaiæ cap. 6. citauit, quo iubebatur populus excæcari, & cor illius incrassari, ne fortè conuerterentur, & Deus eos sanaret. Apostolus ad hæc citat ex libro Exodi Deum dicentem, Miserebor cuius miserebor, & misericordiam præstabo, cui misericordiam præstabo. Item illud scriptum de Pharaone, In hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te potentiam meam: Et dicit, alia quidem vasa in honorem facta, & alia in contumeliam: quæ demonstrant apertissime, gratiam non esse omnibus in communi propositam. Petrus quoque in Actis apostolicis dixit Simoni Magho, Pœnitentiam agas, si fortè Deus remittat tibi cogitationem istam. Sed aiunt hoc loco Petrum non dubitasse communem gratiam omnibus, sed incertum fuisse, an Simon eam vellet admittere, atque seriò pœnitentiam agere. Sed stropha hæc nihil iuuat, quoniam, vt Apostolus docet ad Timotheum, ipsa quoque pœnitentia est donum Dei. Monet enim Episcopum, vt sit doctrinæ sanæ tenax, & arguat repugnantes, si fortè Deus illis det vt resipiscant. Vnde concluditur, non esse in manibus omnium positum, vt in viam redeant, nisi Deus id concesserit. Aliqui præterea peccant in spiritum sanctum, quibus neque in hoc seculo, neque in alio condonatur. Quare patet istis gratiam non esse amplius propositam, & communem, & in Actis apostolicis dicitur Deus aperuisse cor mulieris purpurariæ, vt attende

Cauillum.

Simile.

Necesse est ut prædestinati maneant.

Christi reuelatio non est communis omnibus.

Cauillum.

Pœnitentia donum Dei.

tenderet his, quę dicebantur à Paulo: quod ponitur, vt quid peculiariter illi mulieri datum. Isque locus declarat, quod in Apocal. scribitur, Ego sto ad ostium, & pulso, si quis aperuerit mihi, &c. nos enim dicimur aperire, quatenus Deus id in nobis facit: nã is efficit, vt aperiamus, isq; est qui dat, vt operemur nostram salutem, quemadmodum ad Philipp. dicitur. Et Euangelium non semel habet multos vocatos, verùm paucos electos. Paulus etiam demonstrat spiritus libertatem in suis donis distribuendis, cùm ait ad Corinth. vnum & eundem spiritum distribuere omnibus vt vult. Quod licet accipiatur de charismatib. & donis, vt loquuntur gratuitis, non minus transferri potest ad gratiam, qua instauramur ad salutẽ, cùm Deus ex æquo sit liber in vno, atque in altero. Postremò dum isti sic gratiã faciunt omnibus cõmunem, illam conuertunt in naturam, quod minimè consentit doctrinæ sacrarum literarum. Et quàm fallantur, ex eo potest facilè demonstrari, quod volunt ex his constituere positum in manu cuiusque vt gratiam sibi oblatam recipiat, quod nequaquam sacris literis congruit. Dicit enim Paulus, nos haud posse cogitare aliquid ex nobis, atq; omnem sufficientiam nostram ex Deo esse. Et ad Philippenses habet, Deum operari in nobis & velle, & perficere pro sua bona voluntate. Idemq; ad Corinthios, cùm se multùm laborasse dixisset, adiecit, non ego, sed gratia Dei, quæ est in me. In hac etiam epistola scripsit non esse volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Quod non potest consistere, si nostri arbitrij sit, vt gratiam oblatam recipiamus. De quo loco Augustinus ad Simplicianum, libro primo, quæst. 2. inquit, non est verborum sensus, quasi nobis haud sufficiat velle, nisi Deus adsit gratia sua, quoniam ita licuisset secus dicere, non esse miserentis Dei, sed volentis hominis. At sensus est, vt ad Philippenses dicitur, Deum esse, qui operetur in nobis velle, & perficere. Ac verum est, nos frustra velle, nisi Deus misereatur, & iuuet. At quis dixerit Deo frustra misereri, si nos nolimus? In Ezechiele propheta dicuntur ab ipso Deo immutanda corda nostra, ita vt pro lapideis carnea reponantur. Et Dauid in Psalmo canit, Inclina cor meum Deus in testimonia tua, vt ostenderet ad Deum pertinere, vt nostras flectat voluntates. quod alibi sensit, quum diceret: Cor mundum crea in me Deus. Et in libro Sapientiæ habetur, neminem posse castum cor habere, nisi cui Deus dederit. Et Christus manifestissimè docuit, arborem malam non posse fructus bonos facere. Quamobrem dum homines non sunt regenerati, dare nequeunt fructum adeò bonum, vt gratiæ pulsanti assentiantur: quare prius est necessarium, vt ab ea immutentur, & ex malis plantis efficiantur bonæ. Quemadmodum in regeneratione carnis, nemo, qui procreetur ad eam, quicquã confert: ita & in regeneratione, quia & ibi renascimur per Christum, & in Christo. Præterea si assentiremur istorum sententiæ, non esset gloriatio remota: posset enim quilibet suum illum actum iactare, quo oblatam gratiam admisisset. Deinde cùm ista apprehensio per fidem fiat iuxta nostram sententiam, vt verò ipsi existimant per charitatem, quid facient? Negabúntne fidem & charitatem Dei dona esse? Argumentatur etiam Augustinus quòd vt in Christo natura diuina humanam assumpsit gratis, non expectato eius consensu: ita qui iustificantur, non ex voluntate sua, vel assensu iustificantur. Obseruauit etiam idem Pater vitam æternam in scripturis quidem aliquando mercedis nomine insigniri, propterea quòd bona opera illã antecedãt. At gratia, inquit, & iustitia nusquã in sacris literis mercedis nomine appellãtur, quoniã ea nihil boni operis quod Deo placeat, antecedit. Atq; ad Rom. Paulus scribit: Scio quòd non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum. Vbi per carnẽ intelligit, quicquid est hominis adhuc nõ regenerati. Et audent nihilominus isti tribuere homini, adhuc in carne posito, id est, nondũ renato, tantum bonum, vt sibi ipsi valeat salutẽ applicare. Ad Corin. autẽ, Quid, inquit, habes, quod non acceperis? & si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Neq; permittemus illis, vt ad creationem confugiant: quoniam hîc non loquimur de animo, vel facultatibus eius, hoc est, voluntate vel intelligentia, quę à Deo per creationem habuimus: sed de ipsa actione vel opere quod ipsi volunt ex libero arbitrio elicere ad capessendam gratiam. Hoc quum à se ipsis habere dicant, manifestè Apostolo contradicunt. Potuissent enim Corinthij respondisse, Tu quæris, quid nos discreuerit, quid habeamus, quod non acceperimus. Ecce iam tibi demonstramus illum actum & assensum, quo liberè, ac ex nostra facultate gratiam, quam nobis prædicas, admittimus. hoc nos discernit ab alijs. & ita frustra Paulus sic eos redarguisset. Præterea si proposita esset quasi omnibus communis gratia, vt prædicant, quid oraremus Deum pro conuersione infidelium? Sanè id facimus, quia credimus in manu Dei positum, vt eorum corda, si voluerit, aperiat. Nec existimandum est, vt sibi fingunt, à Deo cuilibet concedi tantum gratiæ, quantum satis esset ad eos mouendos, quia si illud satis foret, procul dubio mouerentur.

Gratia nõ est ponenda ut natura

Nõ est in nostra manu recipere oblatam gratiã

Simile.

Gratiã & iustitia nusquam dicitur merces.

Caro quid in sacris literis.

Quare oremus pro infidelibus. An detur cuiq; tantum gratiæ. quamũ satis est

Si enim constituatur aliqua moles,& volenti eam mouere, tantũ virium adiungatur,quantum sufficiat,id est,vincat pondus, quod est agitandum,sine dubio motus consequetur. Ita si Deus(vt aiunt)re ipsa mouere vellet impiorum corda, & tantum adhiberet virium, hoc est,gratiæ,quantum satis esset,imò quantum excederet duritiem praui cordis,nihil obstare posset,quin flecteretur,non quidem coactione,sed persuasione efficacissima, Augustinus ad Simplicianum libro primo,q.2. inquit duplicem esse vocationem:vnam cõmunem,qua vocantur homines,at non eodem modo, quo apti sunt moueri, atque conuerti: alij vocantur,vt moueri apti sunt. nec existimandum ait Deum non potuisse ita Esau vocare,vt poterat moueri,vtq; aptus erat:non enim omnes eodem modo alliciũtur,& mouentur ad Deũ, certè is cùm sit omnipotens,impulsu suo illam insitam duritiem posset amouere. Sed aiunt, si vellet,posset:non tamen vult Deus agere semper quod potest. Sic esto, nos hoc ipsum dicimus, Deum quosdam præterire, ac eorum misereri nolle. atque ideo non omnibus tribuere,quantum ad eorum salutem satis esset.Et in illos quos præterit,finem quem vult, assequitur:vt de Pharaone scribitur:In hoc ipsum excitaui te,vt in te declararẽ potentiã meam, & nomen meum annuntiaretur in vniuersa terra. Optimè sciebat Christus, vt est testatus Tyrum, Sydonem, & Sodomam fuisse permouendas ad pœnitentiam,si adhibuisset miracula,& doctrinam,quæ Iudæis concesit: vnde cùm illis hæc non dederit,illis defuit, quod ad salutem sufficiebat. Dicebat etiam Dominus Apostolis: Egovos elegi,non vos me elegistis. At ex aduersariorum sententia, posita illa gratia vniuersali, nemo eligeretur à Deo, siquidem eodem modo erga omnes se haberet: imò nos Deum eligeremus, oblatam illius gratiã recipiendo,& essemus electionis Dei figuli, non ab ipso fingeremur. Ego plantaui, inquit Paulus,Apollo rigauit,Deus verò incrementum dedit, hoc est, vitam & spiritum. Verùm si hæc ponantur omnibus communia, dicendum potius fuit, Ipsi vobis accepistis spiritum,vitam,& gratiam. Dixit idem Apostolus Deum incœpisse in Corinthijs bonum opus,& illud etiam perfecturum in diem Domini. Quæ verba satis ostendunt, totum Deo transcribendum, videlicet, vt incipiat, & perficiat. Atque ad Ephesios, Operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ,non inquit,iuxta consilium voluntatis alienæ. quod sanè dicendum fuit,si quisque haberet in se ipso positum,vt salutem acciperet,vel non acciperet. Item ad Galat. Quando autem placuit ei, qui me segregauit ex vtero matris, &c. Si esset, vt isti asserunt, oportuit Paulum dicere, Quando mihi visum est. Nam quod attinet ad Deum,statuunt gratiam esse paratam semper, & omnibus expositam. Quare tum conuersio eueniet,ex illorum sententia,quando nobis libuerit. Hęc argumenta,licet multò plura adferri potuissent,sufficere volo. Tantùm supereſt modò,vt quę videntur contra nos facere,diluamus. Sed antea præfatũ illud volo, minimè nos inficiari, Deum externa vocatione per Prophetas, Apostolos,concionatores,& scripturas omnes vocare. Non enim à promissionibus,vel minis iste magis excluditur,quàm ille, sed omnib, ex æquo ista proponuntur:quanquam non omnes prædestinati sint, vt horum fructum assequantur. Id notandum est diligenter,si velimus facilè occurrere his, quæ obijciuntur. Quumq; nobis opponunt, quod frequentissimè faciunt,promissiones esse cõmunes,ac vniuersaliter proponi necesse vel ad istos,vel ad illos contrahendas,& Deum in ijs non ludere,verùm seriò agere. Primũ, quod ad vniuersalitatem attinet, accipiam alias propositiones non minus vniuersales, Omnis caro videbit salutare Dei, Omnes erunt docti à Deo, Omnes me cognoscent à minori vsque ad maiorem,Super omnem carnem de spiritu meo effundam. Dicemus ne vera hæc esse quoad omnes homines? non vtiq;, nisi redeat fabula Origenis,vt omnes ad extremum seruentur. Respondebunt, contrahendas esse propositiones ad credentes, ad volentes, ad recipientes gratiam Dei. Et nos item dicimus contrahendas esse,verùm altius nostram cõtractionem repetimus,ascendimusq; ad electionem Dei,ac reprobationem, vtra quæso analysis est perfectior? vtra æquior est contractio? Nec tamen dicimus Deum ludere in ijs vniuersalib. promissionibus,quia cùm simul vitam agant prædestinati,& reprobi,neq; sint noti,par est,vt omnibus simul prædicetur, ne ob reprobos electi fraudentur, qui prædicatione verbi Dei sunt profecturi. Atq; hac vniuersali prædicatione Deus quem vult, finem assequitur:nam pij dum cernunt reprobos in sensu suo relinqui, neque credere, intelligunt gratiam non esse naturam:& in illis animaduertunt, quod ipsis quoque accidisset citra Dei misericordiam,cuius donum est conuersio,non humanarum virium. Impij verò inexcusabiles redduntur,quando nec etiam illa externa præstiterunt,quę facere poterant,vt ad Rom. capite 1. & 2. monstratur. Primùm fingunt aduersarij se diuinæ misericordiæ prædicatores, quòd illam ponant omnibus communem. At si rem penitus inspiciamus, nos longè magis mise-

Tyro & Sydoni defuit,quod sufficiebat.

Aduersarij cogũtur dicere,neminẽ à Deo eligi

Ad argumenta aduersariorum.

Vocatio externa est communis prædestinatis & reprobis.

Vtra sententia plus diuinæ misericordiæ tribuat.

misericordiæ tribuimus, quàm ipsi. Siquidẽ asserimus ab illa totum pendere, quod interim ab illis negatur, dum in nostra manu positum volunt, vt Dei gratiam admittamus. Quòd si dicimus, non omnibus tantundem misericordiæ impendi, non propterea reprehendi possumus, quandoquidem scripturæ id manifestè testentur. Sed isti quum in nostra voluntate ponant, vt gratiam recipiamus, quantumuis id extenuent, re tamen ipsa multùm esse comprobatur: quid enim prodesset gratiam vulgò omnibus proponi, nisi quis eam propria voluntate applicaret sibi? Desinant igitur suam hanc opinionem titulo diuinæ misericordiæ ornare. Aliud adferunt argumentum: Quòd quum Deus omnibus prospiciat, quæ sunt satis ad corporalem vitam, non est verisimile, vt deficiat quoad æternam salutem parandam, quod nonesset, nisi cuilibet gratia Dei quantum satis est, exponeretur. Sed hac sua similitudine ipsimet redarguuntur: vt enim Deus cuique mortalium largitur corporalem vitam absque suo assensu, ita etiam concludere illos oporteret de vita spirituali, quod tamen concedere omnibus modis reluctantur. Fatemur quidem misericordia sua Deum facere oriri Solem super bonos, & super malos, atque item concedimus & prædestinatos, & reprobatos aliquorum beneficiorum Dei esse participes. Et quemadmodum in hac vita non omnibus corporis & vitæ commoditates ex æquo conceduntur: ita etiam prædestinatio ad æternam felicitatem non est omnibus communis. Nascuntur aliqui leprosi, cæci, surdi, stupidi, pauperrimi, & prorsus ad omnem felicitatem naturalem inepti, nec ad eam vnquam perueniunt. Collatio igitur allata maximè contra eos facit. Sed inquiunt, Deum omnes homines ad suam imaginem condidisse, atque ob id ad beatitudinem omnes destinasse, quare non oportere istos prædestinatos, & illos reprobatos ponere. Homines factos ad imaginem Dei fateor, capacésque beatitudinis, & post lapsum natura est vitiata, imagóque Dei multùm labefactata: quare ad felicitatem homines per se ipsos venire nequeunt, sed à miseria eximantur oportet: nunc verò Deum statuisse omnes à calamitate liberare, ac per Christum beare scripturæ non docent: quare non immeritò dicimus ipsum decreuisse, quosdam eximere, alios autem relinquere, idque iustè: cuius tamen iustitiæ causæ non sunt ex operibus nostris quærendæ, quum ipsi Deo constent ex eius arcana ineffabilique sapientia. Arripiunt ex Ioanne illud: Dedit eis potestatem filios Dei fieri. Quasi possint inde inferre, posse quẽlibet hominem fieri Dei filium, si voluerit. Verùm non attendunt his, quæ sequuntur: additur, nempe, His qui crediderunt in eum, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Hæc si rectè perpendantur, demonstrant credentibus & regeneratis hanc dignitatem atque priuilegium concedi: nihil enim aliud significat, Esse datam potestatem, vt sint filij Dei. Stauitur itaque hanc dignitatem effectum regenerationis & fidei esse, non eius principium, vt isti somniant. Accipiũt etiam Christum pro nobis omnibus mortuum fuisse: atque inferunt inde beneficium eius omnibus esse cõmune. Quod & nos quoque facilè dabimus, si dignitas tantùm mortis Christi consideretur. Nam quantum ad ipsam attinet, posset vniuersi orbis peccatoribus esse satis. Verùm etsi in se sufficiat, non tamen in omnib. habuit, vel habet, vel habitura est efficaciam, id quod etiam scholastici fatentur, asserentes Christũ redemisse omnes quidẽ sufficiẽter: sed non efficaciter. Est enim necesse, ad hoc vt mors Christi sit salutifera nobis, vt illam appreheñdamus quod aliter quàm fide fieri non potest, quam donum Dei esse, neque omnibus dari, superius abundè est demonstratum. Illud etiam nobis opponitur, quòd Apostolus contulerit Adamum cum Christo, & dixerit ad Romanos, quòd quemadmodum in Adamo omnes morimur, ita omnes in Christo viuificamur. Quare ita aiunt, omnibus in vniuersum debere patere Christi gratiam. At si velint ita sumere istam collationem, cogentur dare, omnes esse ad felicitatem per Christum adducẽdos, sicuti per Adamum omnes in peccatũ & mortem sunt præcipitati. Sed quum res ipsa eos redarguat, facilè possunt agnoscere, non quoad omnes partes esse hanc similitudinem accipiendam, præsertim quum nulli suo consensu labantur in peccatum originis. & isti velint non admitti gratiam nisi proprio consensu. Quare si hoc discrimen sibi permittunt, quomodò statuere audent rem vtrinque se habere similiter? Scopus ipse in hac collatione Apostoli est respiciendus, & præter scopum nihil inferendum. Porrò nihil aliud hac voluit collatione Paulus, quàm Christum ijs, qui regenerantur, esse principium vitæ ac beatitudinis: quemadmodũ Adamus ex se deriuatis causa est mortis & peccati. Iam quicquid postea præter hunc scopum, de multitudinis æqualitate, aut de modo colligitur, per accidens, est & ad scopũ similitudinis non pertinet. Obijciũt etiam eam sententiã ad Timot. Deus vult omnes homines saluos fieri. Hãc enim sententiã

Vtra sententia plus diuinæ misericordiæ tribuat.

Reprobati non carent omnibus Dei beneficijs. Ad felicitatẽ naturalem permulti nascuntur inepti.

An omnes habeant potestatem, vt filij Dei fiant.

Quomodò Christus intelligatur pro omnib. mortuus.

Collatio Adami cum Christo quo modo accipiẽda.

Quomodò Deus uelit omnes homines saluos.

perpetuò Pighius inculcat, quasi sit inuicta, quum tamen eam non semel Augustinus ita posse exponi docuerit, vt nihil adferat momenti ad horum figmentum comprobandum. Primùm accipere possumus hoc dici de singulis hominum statibus ac generibus: quòd nimirum velit Deus de quibusque eorum nonnullos seruari: quæ interpretatio Apostoli proposito perbellè conuenit. Iusserat ille fieri preces & orationes pro omnibus, maximè autem pro principibus, & his, qui publicam habent potestatem, vt sub eis tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate. Ideoq; vt nullam sortem hominũ & genus ostenderet excludendum, subiecit, Deum velle omnes homines saluos fieri. Ac si diceret, Nemini obstat vocatio & gradus, in quo est cõstitutus, modò non pugnet cum verbo Dei, quin sit capax salutis: & idcirco pro omni hominũ genere orandum est. Sed hinc non efficitur, Deum singillatim quenque hominem gratia donare, vel ad salutem prædestinasse: quemadmodum & in arca diluuij tempore, omnia animãtia dicuntur seruata cum Noe: quia tantùm aliquot ex quolibet genere in ea fuerunt collecta. Vel intelligemus, velle Deũ omnes homines saluos fieri: quia quicunque seruantur, eius voluntate seruantur. Veluti si quis dicat de aliquo rethore cuiuspiam ciuitatis illum docere omnes. Quo loquendi genere non innuitur, omnes ciues esse rhetorices auditores, sed quòd quotquot discunt, ab eo doceãtur. Illud etiam est simile. Si quis alicuius domus ianuam ostendens, dicat, omnes per hanc ingrediuntur: non est intelligendum, omnes eam domum ingredi, sed quotquot ingrediuntur, tùm illa ingredi ianua. Adhuc tertiò sunt, qui interpretentur hæc Apostoli verba de voluntate signi, seu antecedenti: quòd omnes inuitentur, quia prædicatio omnib. promiscuè proponitur, nec est vllus ferè, qui non sentiat interius aliquem stimulum, quo subinde ad bene viuendum incitetur. Vnde si hanc Dei voluntatem respiciamus, illum facilè dicemus velle omnes homines saluos. At de arcana & efficaci voluntate, quam appellant consequentem, accipi nolunt: & hoc modo possunt illæ loquutiones intelligi: Deus illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis. Siquidem oraculis diuinis omnes prouocantur, & omnes interius aliquo stimulo mouentur. Sunt omnes sanè hæ interpretationes verisimiles, & quæ conueniant. Est tamen etiam alia ab his & facilis, & plana. Quòd scripturæ diuinæ constituãt duas hominum societates: hanc piorum, illam impiorum: consuerintq; de vtraque societate propositiones vniuersales, quæ à prudenti lectore contrahi debeant ad suum genus. Dicitur à Prophetis, & ab ipso Christo citatur: Erunt omnes θεοδίδακτοι. Et cognoscent me omnes à minori vsque ad maiorem. Item: Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum. Hæ vniuersales enũciationes, nisi intelligantur de pijs electis, verę non erunt. Sicut & illæ: Effundam de spíritu meo super omnem carnem. Atq;: Omnis caro veniet in conspectũ meo, & adorabit in Hierusalem. Rursus: Et videbit omnis caro salutare Dei. Item: Alleuat Deus omnes corruentes. Iam quis non animaduertat hæc tantùm de sanctis intelligenda? E diuerso, ad sodalitiũ impiorum illę pertinent: Nemo accipit testimonium eius, & tamen multi crediderunt. Erit is odio omnibus hominibus. Item: Omnes quærunt, quæ sua sunt. Rursus: Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. Quum tamen sancti homines, & iam regenerati, Deo sint grati, atq; studeant illi aliquam obedientiam legis præstare. Verùm hæc vniuersalia dicta extra suum cœtum non debent extendi. Hanc distinctionem respexit Augustinus de Ciuit. Dei, vbi declarauit, ostenditq; perpetuò extitisse duas ciuitates. Dei videlicet, atque diaboli. Spectandũ ergo semper in his propositionibus generalibus, ad quem ordinem, seu societatem hominum pertineant. Quod si in præsenti loco fecerimus, istam quam præ manibus habemus, Deus vult omnes homines saluos fieri, sanctis & electis accõmodabimus: atq; ita omnis aufertur scrupulus. Alioquin Deum efficaciter non velle salutem omniũ demonstrant infantes plurimi, qui pereũt extra Christum. multi etiam qui nascuntur stulti & surdi, & in vita sua nunquam rectum, iustumq; rationis vsum habuerunt. Et sæpe accidit, vt aliqui diu satis honestè ac fideliter vixerint, interim tamen ad extremum labantur, sublatiq; de mundo æternùm pereant. Et è contra alij, qui perpetuò in flagitijs vitam traduxerunt, ad extremũ vitæ repentina fide ac pœnitentia donati, seruentur. Cùm tamen illi priores potuerint de medio tolli, ne malitia mutaret animum eorum. Quis dicat in his exemplis Deum velle efficaciter perinde omnium salutem? Adducitur & Christi sententia: Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos, & noluisti? Verùm hîc quoque sermo fit de voluntate antecedenti signi, qua Deus per Prophetas, concionatores, Apostolos, & scripturas inuitabat subinde Iudæos, vt ad se confugerent per pœnitentiã, id quod illi facere recusarunt. Sed tamẽ Deus nus

Duæ hominum societates, quarum utraq; suã habet uniuersitatem.

Duæ ciuitates.

Variæ instantiæ contra aduersarios.

An Christus impeditus fuerit, quin suos congregarit.

voluntate efficaci, quam appellant consequentem, perpetuò suos attrahebat: nec fuit vlla ætas vnquam, in qua non collegerit ex Hebræis quotquot prædestinauerat. Ideo Augustinus dixit: Sed quos volui, te nolente congregaui. Pro se item facere putant, quod ab initio epistolæ istius conscribitur de Gentibus, videlicet, quòd essent inexcusabiles: quod volūt non potuisse dici, nisi cuilibet daretur tantum gratiæ, atq; auxilij, quantū satis esse posset ad salutem. Sed sciendū est, eo loco Apostolum tantūmodo egisse de notitia, nempe, vt Gentiles peccata sua non excusarent, quòd legem à Deo non habuerint, quemadmodū Iudæi, neque Deus ita se manifestauerit ipsis, vt in populo Iudaico se patefecit. Nouistis, inquit, Deum ex creaturis, & naturæ lumine, haud quaquam fuistis absque cognitione recti, & iusti. Estis igitur inexcusabiles. Non est itaque committendum, vt latius hæc particula extendatur, quàm Paulus eam protulerit. Quòd si etiam rem melius expendas, videbis ethnicos homines & impios, contra quos scribit Apostolus, non statuere se viribus destitui ad ea præstanda, quæ recta nouerint, quandoquidem libero arbitrio omnia tribuunt. Quamobrem optimè concluditur ab Apostolo contra eos, quasi dicat: Putatis vos habere satis virium, ita vt Christo vobis non opus esse existimetis? At ego quum ostenderim, vos notitia non fuisse destitutos, & perditè nihilominus viuatis, inexcusabiles euinco. Ad hæc infirmitas, & virium defectus non excusat, cùm non sit in nobis ex ipsa creatione, ac institutione prima, sed ex lapsu, & culpa, quæ in nostrum genus inuecta fuit per primos homines. Fuerunt etiam Ethnici inexcusabiles, quòd id, quod ab illis præstari potuit in ciuili iustitia non fecerunt. Quare nihil ex isto loco deducitur, quod aduersariorum sententiam queat comprobare. Putarunt etiam à se stare, quod in hac eadem epistola dicitur: Nunquid Iudæorum Deus tantùm? non ne & Gentium? imò & Gentium. Nituntur ex hoc loco inferre, Deum omnibus elargiri satis auxilij, quòd omnium sit Deus. At cogitent Paulum hîc Iudæos redarguere, quòd sic putarent sibi addictam beneuolentiam, & gratiam Dei, vt Gentes prorsus excluderentur. Docuit itaque, non tantùm ex Iudæis aliquos Deum elegisse, verùm etiam inter Gentes habere suos. Nec est necesse propterea, vt omnibus Gentilibus conferretur gratia, quæ satis esset ad salutem, quum nec omnes Iudæi illius fuerint participes. Dicimus autem hæc, non quasi diffiteamur Deum esse omnium: nouimus enim & impios, velint, nolint, ei subijci, nec illius prouidentiam posse effugere, quos tametsi ad æternam salutem non adducit, saltem pro malis meritis punit. Peculiariter verò dicitur illorum Deus, quibus contulit, vt ipsum pro Deo agnoscerent, agnitúmque colerent. Difficilior verò videtur ille locus ad Timothæum, Deus qui est seruator omnium hominum, & maximè fidelium. In quibus verbis hæc vox, σωτὴρ, est exponenda: non tanquam largiatur Deus omnibus salutem æternam, sed ceu significet eum conseruare, tuerique omnes homines à multis malis, quæ diabolus alioquin illis molitur. Tanta enim illius rabies est in genus humanum, vt nisi à Deo compesceretur, omnia perderet: nullas sineret respublicas, nullam Ecclesiam, quin & fortunas, & omnia quæ pertinent ad victum, pessundaret. Ita ergo omnium est seruator Deus, qui tanta mala propulsat ab hominum genere. Quòd verò ad æternam salutem, de electis illud est accipiendū, ideo subditur, Et maximè fidelium. quum enim isti sint prædestinati, hoc beneficiū præ cæteris consequuntur. Item ex propheta Esaia id detorquēt, quod paulò pòst in hac epistola habebimus, Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, sed contradicentem mihi. Ex quo loco nihil amplius habere possunt, quàm id, quod sæpius dictum est: scilicet, inuitari omnes à Deo in vniuersum: Prophetas promiscuè ad omnes missos: libros etiam sacros omnibus propositos: sed hoc nihil ad illam gratiam efficacem, de qua loquimur. Fatemur etiam illum stare ad ostium, & pulsare, ingressurumq; si quis admiserit. sed addant, neminem esse, qui per se ipsum possit aperire, sed oportere id sibi concedi ex mera pulsantis bonitate. Vt etiam commendent misericordiam Dei, Hieremiæ sententiam inducunt: Si mater poteſt filiorum obliuiſci, ego tui non obliuiſcar. Quæ sententia profectò parum, aut nihil pertinet ad hanc rem, de qua nunc agitur. Quis vnquā negauerit Deū esse constantis fidei, & pactis atque fœderib. stare? id eo loco de se pollicetur Deus, non se obliturum suarum promissionum. & nos vbique hactenus etiam prædestinationē Dei esse constantissimā, docuimus. Siue igitur de illa, siue de fœderib. & promissis hic locus Hieremiæ accipiatur, non sequitur ea de omnib. esse intelligenda. Explodit etiā Pighius, quod ab Augustino, & à nobis dicitur, Reprobatos inseruire diuino proposito, ad illustrandam & declarandam potētiam seueritatis Dei. asserens Deo non opus esse ista carnificina ad suum nomen illustrandū, id quod ex libri Ecclesiastici sententia qua-

Quomodo Gentes dictæ sint inexcusabiles.

Deus est Deus omnium.

Quorum Deus peculiariter esse dicatur.

Quomodò Deus sit omnū hominū seruator.

An reprobi diuino proposito inseruiant.

dam cõprobare nititur. Sed ita interpretanda ea est, Nostrûm nemini in mentem venire debere, hominum factis Deum egere: quoniam eius felicitas absque ope vel auxilio cuiusuis creaturæ perfecta & absoluta est, sed ex perfidia, & hominum flagitijs, dum vlciscitur illa Deus, manifestari eius iustitiam, quis negare audeat, cùm Paulus hoc euidenter & perspicuè tradat? Citat quoque ex eodem libro Ecclesiastici, Miseretur Deus omniũ, & dissimulat omnium peccata propter pœnitentiam. Sed facile huius obiectionis dissolutio patet ex dictis, nempe de vniuersitate electorum hæc esse exponenda. Quandoquidẽ ex vitiorum dissimulatione impij, tantùm abest, vt ad pœnitentiam aspirent, vt potius indies deteriores facti, in peccata grauiora præcipitentur. Est autem prædestinatorum, vt in viam redeant, vbi Deus illos aliquantisper sustinuerit. Et obiectis respondendi hic sit finis vnà & huius tertij articuli. Illud tamẽ interim monebimus, & reprobatos posse interdum aliquousq; bona opera facere, prædestinatosq; vicissim in grauissima labi peccata. Prioris sententiæ exemplo & firmo potest esse testimonio Saul: fuit enim ille ab initio moderatus, de se modicè sentiens, vt scriptura loquitur. Solomon etiam, ad extremũ ætatis grauiter lapsus est, imò defecit, cùm tamen initio sanctissimus fuerit, & ea petierit in suis precibus, dum inaugurare tur, quę summopere Deo placuerunt, vnde etiam auditus est. Achab item pœnitentiã egit, quam Deus loquens cum Helia comprobauit. Nec non Ioas rex, quãdiu vixit Ioiada sacerdos, rectè se gessit. Ezechiel item istud idem docet, scribẽs: Si iustus à iustitia sua discesserit, & impiè vixerit, omnis iustitiæ illius non recordabor. Quin ipsa experientia testatur, cõplures inueniri, qui satis honestè vixerint, & extremo vitæ tempore deniq; pereant. Ex quo cõstat, in reprobatis nonnunquã bona opera habere locum, quę tamẽ à fide proficiscãtur non syncera & perfecta, sed tẽporaria: & ideo bona simpliciter dici nõ possunt, neq; Deo rectè placent, sed spetiẽ bonitatis habẽt, & quoad externã disciplinam probari possunt. Quod verò prædestinati aliquando grauissimè peccent, testis est Dauid, qui adulteriũ, & homicidium admisit: testis Petrus, qui seruatorem abiurauit: testes item Moses & Aaron, qui teste scriptura non leuiter peccarunt. Subinde etiam videmus eos, qui fortasse in prædestinatorum albo sunt positi, in horribilia crimina incidere. Ideoq; statuere possumus, bona opera prædestinationi quandoq;, quandoq; etiam reprobationi inseruire. Prædestinatio perilla ad vitam æternã electos adducit: & quoad reprobationẽ, sunt nõnunquã rationes, quare grauior reddatur lapsus: qui enim à Deo deficiunt, quum ab illo fuerint ornati bonis operibus, vt grauius peccant, ita etiam acerbius puniũtur. Peccata etiam cùm ad reprobationem, tum ad prædestinationẽ faciunt. qui enim sunt reprobati, per ea ad æternum exitium adducuntur. qui sunt prædestinati, per illa magis illustrant Dei gloriam, quando ex illis eripiuntur. Inde quoque illis subministratur occasio, vt sese magis ac magis agnoscant, beneficiaq; à Deo sibi data intelligant, & de illis gratias agant, eumq; inuocent in auxiliũ. Non tamen eò rapienda sunt ista, vt propterea, quòd summa sua sapiẽtia Deus istis rectissimè vtatur ad salutem nostrã, peccare velimus. sequẽda enim est nobis scriptura sancta, quæ præcipit: non esse facienda mala, vt eueniant bona. Iam tandem ad quartũ Articulũ accedamus, cuius tria præcipuè examinanda proponimus. Primùm, an ex Dei prędestinatione, seu reprobatione vlla necessitas nobis inferatur. deinde, si aliqua detur, num illa impediat liberũ arbitriũ. postremò, an ex Dei præsciẽtia vel prædestinatione iustitia tollatur, qua dicitur in scripturis reddere vnicuiq; secundũ opera sua. His enucleatis, proposito articulo, ni fallor, satis fiet. De primo hæc prefari volumus, Necessariũ definiri, quod nõ possit aliter se habere. sed principia necessitatis quandoq; sunt intrinseca, interdũ admouent exterius. Quæ necessaria sua natura sũt, & interiori principio, vel simpliciter sunt necessaria, vt Deus, & quę cunq; si mutentur, contradictionẽ, vt aiunt, implicãt: vt, Quatuor non esse parẽ numerũ, vel Quatuor & tria non esse septem. Dicitur autẽ hæc geometrica necessitas, quia nullam variè tatem patitur. Alia sunt quidem necessaria ex intrinseco principio, sed tamen hauquaquam absolutè, & simpliciter, nisi sequamur rerum consuetum cursum. Necessariò dicitur ignis vrere, quod aptum est vt cõburatur. & Sol etiam perpetuò moueri. sed non sunt hæc simpliciter necessaria. quia Deus potest impedire, ac efficere, vt physica ista & naturalia quandoque à propria operatione desistant, vt patet de tribus pueris, in camino ignis collocatis, qui non combusti sunt, quanuis maxima esset flamma. Sol etiam cõstitit à suo cursu, donec persequeretur Iosua hostes. Item Heliæ tempore verisimile est quidem vapores à terra & mari exhalasse, nec tamen propterea è nubibus ros, aut pluuia toto triennio descendit. Illud etiam manifestum est de Ezechia, morbum eius natura sua fuisse lethalem. Et hæc sint satis de necessitate extrinseca. Quæ verò adhibetur exterius, est etiam duplex: altera vio-

Reprobi possũt aliquousq; bona opera facere, et prædestinati uicißim in grauissima labi peccata.

Bona opera, & prædestinationi & reprobationi seruiunt.

Peccata etiã pro posito Dei seruiunt.

An ex prædestinatione inferatur necessitas.

Quid sit necessarium.

Distinctio necessitatis.

Necessitas extrinsecus adhibita.

violenta, quum aliqua præter, seu contra naturam coguntur manere, vel agere. Altera est ex hypothesi. vnde scholastici dixerunt, aliam esse necessitatem consequentiæ, aliam consequentis. Qua distinctione nihil aliud voluerunt, quàm interdum esse connexionem necessariam, etiam si illud quod infertur, ex se non sit necessarium. Dialectici quoque sic distinxerunt, vt appellarint hunc sensum cõpositum, illum verò diuisum: vt si dixeris fieri non posse, vt album sit nigrum, id concedetur, si hæc duo coniunctim & simul accipiantur, nempe vt idem simul sit album & nigrum, quod nullo modo fieri potest. at si seorsim ista sumantur, non dicetur esse impossibile. Quod est enim album modò, mutari potest, & effici nigrum. In necessitate igitur consequentiæ & consequentis in sensu cõposito & diuiso, à scholasticis existimatur totã huius cõtrouersiæ difficultatẽ sitã esse. Verùm nos ad maiorẽ perspicuitatem addimus aliam distinctionem, quandam esse necessitatem certitudinis vel infallibilitatis, aliam verò coactionis. Nunc quomodo præsenti negotio inseruiãt hæ necessariæ distinctiones, propius indagemus. Dico igitur nostras actiones non habere necessitatẽ ex interiori principio: nam illud est voluntas, quæ sua natura, hoc est, vt Deus eam cõdidit, mutabilis est, & vertibilis ad vtranq; partem: necessitatẽ tamen ex hypothesi habere. Quia vt primùm Dei præscientiam vel prædestinationem respicis, necessariò sequitur ita futurum, vt à Deo & præscitum est, & prædestinatum. Habet sanè aptitudinem nostra voluntas vt in vtranque partem perinde verti possit: sed illius actionem, conuersionem scilicet, non habebit nisi ad eam partem, quam Deus præsciuit. Cadit ergo necessitas super connexionem atque coniunctionem diuinæ prædestinationis cum nostris operibus: quod illi intellexerunt per sensum compositum, & per necessitatem consequentiæ. Non enim opera nostra, si seorsim considerentur, & solùm spectemus proximum eorum principium, hoc est, voluntatem sunt necessaria. Conceditur etiam hîc necessitas certitudinis seu infallibilitatis: quia Deus nec mutari, nec falli potest. Nec concedimus planè ex prædestinatione necessitatem coactionis. repugnat enim voluntati coactio & violentia. Nam si nolens ageret, iam non voluntas, sed noluntas, vt ita dicam, diceretur, quod esset eam euertere. Scio scholasticos inter se contendere, An Deus præsciat ea, quæ præscit, necessariò, vel contingenter. Sed huic pugnæ nolo me inserere, quoniam ex sacris literis nihil istiusmodi traditur. Satis mihi fuerit, Deum ipsum à mutatione ac vicissitudine quauis liberare. est enim in ipsis rebus contingentia & nouitas: at Deus semper idem, & idem perpetuò manet. Quòd verò huiusmodi necessitas, consequentiæ videlicet, seu sensus compositi aut infallibilitatis in sanctis literis inueniatur, proferemus quædam loca, quæ apertè illam euincunt, ne alicui figmentum videatur. Dicebat Christus, oportere vt traderetur Iudæis ad illudendum. Hæc necessitas non potest aliunde inferri, quàm ex definito consilio Dei. quod Petrus docet in sua cõcione in Actis apostolicis. Item dixit Christus, oportere impleri scripturas. In Ioanne: Non potest soluí scriptura, quod est, minimè fieri posse, quin impleatur. Ad Hebræos: Impossibile est eos, qui semel illuminati. Quo loco de peccato in spiritum sanctum traditur, impossibile esse, vt eo constricti emergant: quia Deus constituit omnino eos, qui sic peccarunt, in perpetuum deserere. Aiebat item Christus de tentationibus extremorum temporum, Electos quoque, si fieri posset, esse seducendos. Item, Cœlum & terra transibunt, sed verba mea non transibunt. Quibus verbis denotatur, omnia illa quæ Deus est loquutus vel in scripturis, vel in sua æterna definitione, non posse vllo modo cassari. Respondit etiam parentibus: An nesciebatis quòd in his, quæ patris mei sunt, oportet me esse? Ad Timothæum scripsit Paulus: Firmum stat fundamentum: Nouit Deus, qui sint sui. Et in Ioanne: Quos dedit mihi pater, nemo potest rapere de manu mea. Postremò: Omnia quæcunque voluit, fecit, in cœlo, & in terra. Colligitur ergo ex his omnibus, quàm apertissimè istam certitudinis vel infallibilitatis necessitatem à scripturis poni, nec esse, vt aliqui putant, humanum commentum. Et hæc quæ diximus de præscientia, pertinẽt etiam ad prouidentiam. quia tametsi in hac rerum vniuersitate multa dicantur fieri contingenter: attamen quia nihil tam minimum est, quin diuinæ prouidentiæ subijciatur, ideo & necessitatem habet, quam nos certitudinis, alij consequentiæ appellant. Quod si dixeris: cùm res partim necessariæ dici possint, partim etiam contingentes, aut liberæ, quemadmodum est declaratum, vtra conditio magis eis conuenit? Respondeo, illam conuenire magis, quę naturalis est & intrinseca. Quocirca quoniam necessitas, de qua nunc agimus, exterius prouenit, & tantùm est ex hypothesi, ideo haud quaquam secundum illam res sunt iudicandę, sed secundum illa principia, quæ à nobis intelliguntur: & ita opera nostra, quæ à voluntate proficiscuntur, libera statuentur: & quæ ita producuntur in natura, vt etiam oppositum eo-

Huius necessitatis distinctio. Sensus cõpositus & diuisus.

Necessitas coactionis & certitudinis. Actiones nostræ non habent necessitatem interiorum principiorum. Necessitatẽ ex hypothesi nostræ actiones habent.

Voluntas regi non potest.

Probatio necessitatis ex hypothesi.

Hæc etiam ad prouidentiam spectant.

An actiones nostræ dicẽdæ sint necessariæ, uel contingentes.

rum fieri potuerit, ponentur contingentia. Nunquam tamen ea neceſsitas, quam ponímus certitudinis ſeu conſequentiæ neganda eſt, neque committendum, vt opera noſtra vel naturæ, aut præſcientiæ, aut prouidentiæ diuinæ ſubducamus. Atque de voluntate diuina cogitandum eſt, eam re vera omnia gubernare, ac moderari. id quod vulgò eſt receptum. Quia licet homines experiantur, & ſentiant voluntate ſe decernere, ac elígere, quæ inſtituunt, ſi tamen pĳ fuerint, ſemper dicent, hoc, vel illud faciam, ſi Deus voluerit. Sin verò adhuc abſque religione Chriſti fuerint, vt erant Ethnici, paſsim nihilominus Fati, aut Parcarum, aut Sortis mentionem faciunt, id quod in Poetis frequenter legitur. Qui ſi per Fatum, & conſimilia, vt ſuperius diximus, intellexerint connexionem cauſarum, cui Deus ipſe præſit, eámque regat & gubernet, in opinione nihil eſt vitĳ, quanuis propter abuſum vocis ſatius ſit ab illa temperare. Sunt enim qui ſomnient fatalem quandam neceſsitatem ferream, vel adamantinam ſyderibus, & cauſis naturalibus affixam, quam nec Deus immutare poſsit: quod eſt erroneum, impium, & etiam à veteribus ſapientibus alienum, qui diſertè oſtendunt, ſe per Fatum intellixiſſe voluntatem, & adminiſtrationem diuinam. Carmina Cleanthis Stoici, quæ de hac re ſcripſit, Seneca in libro 18. Epiſt. fecit latina, illa verò ſunt huiuſmodi:

Carmina Cleanthis de fato.

Duc me ſumme pater, altiq; dominator poli.
Quocunque placuerit, parendi nulla mora eſt.
Adſum impiger, fac nolle, comitabor gemens,
Maluſq; patiar facere, quod licuit bono.
Ducunt uolentem Fata, nolentem trahunt.

Quum his carminibus Fatum ſtatuatur, eius tamen gubernatio in manu Dei ponitur. nam inuocat ſummum patrem, ab eóque duci cupit. Cuius tamen voluntatem ſimúlque certam fore, ac infallibilem demonſtrat. Idem Homerus in Odyſſea videtur voluiſſe his carminibus:

Τοῖς γὰρ νόος ἐσὶν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων
οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγησι πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.

Præſcientia Dei non eſt à uoluntate ſeparanda.

Dum verò de præſcientia loquímur, non excludímus voluntatem, quia, vt ab initio monuimus, non poteſt Deus præſcire aliquid futurum eſſe, niſi velit id eſſe futurum. nihil enim poteſt extare, niſi quod Deus voluerit, & quod vult Deus, id in nobis efficit. Vt enim Paulus dicit, operatur in nobis & velle, & perficere. Sed hæc voluntas præſcientiæ cõiuncta naturas nec inuertit, nec deſtruit, ſed ita agit in illis, quemadmodum illis eſt conſentaneum: ideóque quum natura, & ingenium humanæ voluntatis ſit, vt vltro agat & electione, præſcientia & voluntas Dei hanc facultatem ei non eripit, quanquam eius prædeſtinatio ſit cauſa omnium bonarum actionum, quæ ab electis, & in electis fiunt: id quod non ſolùm ſcripturarum teſtimonijs probatum eſt, imò etiam conſenſus Eccleſiæ in ſuis precibus affirmat, ita enim illa orat: Deus, à quo ſancta deſideria, recta conſilia, & iuſta ſunt opera. Peccata verò, tametſi voluntati diuinæ vtcunque ſubijciantur, non eo modo tamen, ac bonæ actiones, ex illa producuntur. Illud tamen teſtatum eſſe debet, ea quoque non fieri omnino abſque Dei aliqua voluntate. Nam permiſsio, quam nonnulli ponunt, à voluntate non differt: permittit enim Deus, quod vult non impedire: neque dici debet nolens permittere, ſed volens, vt Auguſtinus dixit. In vtroque igitur operum genere ſic ſe habet diuina voluntas, & præſcientia, vt humani arbitrĳ facultatem non euertat. Cauet equidem in prædeſtinatis, ne quid ab eis committatur, quod æternam illorum ſalutem euertat. Reprobis verò nullam vim naturalem aufert, quæ ad illorum eſſentiam, ſeu naturam pertineat, nec inuitos cogit ad quippiam tẽtandum: at non impedit illis tantum miſericordiæ, neque tantum gratiæ, quantum electis, quantumq; opus foret ad eos ſeruandos. Complures autem in eo impingunt, quòd apud ſe cogitant: Si Deus præſciuit nos velle cras conuenire, iam oportebit noſtram voluntatem fuiſſe ad hanc partem omnino definitam, alioquin id prægnoſci non potuiſſet. At reſpondemus, vt iam annotatum eſt, eam determinationem ſic eſſe apud Deum, vt ingenio, ſeu naturæ voluntatis conuenit. Sed illi proprium eſt, vt ita vnam partem velit, vt etiam alteram natura ſua velle poſsit. Fatemur ergo, ſi Deum ſpectes, eſſe conſtitutum, ac decretum, quod à nobis fieri debet. Nam eius notitia non fruſtra vocatur præſcientia. nec enim de rebus opinatur, ita vt mutari poſsit eius notitia, ſed certam habet ſcientiam, & ſcientia

Præſcientia Dei naturas non inuertit.

Prædeſtinatio cauſa eſt omnĩ bonarũ actionũ noſtrarum.

Preces Eccleſiæ

Permiſsio ad uoluntatem pertinet.

Nota de reprobis.

An uoluntas noſtra ſit ad unam partem definita

eſſe

esse non potest, nisi fuerit, vt diximus, certa & firma. Hanc autem definitionem & certitudinem eius diximus & dicimus, non inuertere rerum naturam, nec à natura nostra libertatem auferre. Quod hoc argumento probabitur: Deus præsciuit multa esse possibilia, quæ re vera nunquam erunt: & licet nunquam futura sint, Dei tamen præscientia illis non aufert, quin sint possibilia. Id quod exẽplo sanctæ scripturæ declarabitur. Christus dum caperetur, ait: Potuissem rogare patrem, & is mihi dedisset vndecim legiones Angelorum, qui me defenderent ab his satellitibus. Affirmat ergo Christus, fuisse possibile vt rogaret, & vt sibi concederentur tot Angelorum legiones: quod tamen neque factum fuit, neque vllo modo futurum erat. Atque id tamen potuisse fieri præsciuit Deus, & licet nunquam futurum fuisset, non tamen præscientia sublatum est, quin esset possibile. Vt igitur præscientia Dei non impedit possibilitatem, ita etiam contingentiam & libertatem non tollit. Necessitatem hanc infallibilitatis, non solùm ostendunt & probant sacræ literæ, & rationes, vt ostendi, sed Patres etiam agnouerunt. Origenes contra Celsum libro 2. Celsi argumentum, quo insectabatur Christianos, dicens: Christus vester in cœna postrema, vt dicitis, prædixit se prodendum ab vno ex discipulis, si Deus erat, vt contenditis, non ne potuit impedire id, ne fieret? miratur Origenes, atque respondet, hanc obiectionem esse ridiculam: quia quum prædixisset id futurum adhibendo impedimentum, non fuisset verídicus. idcirco subdit, necesse fuisse, neque aliter fieri potuisse, quin id succederet, quod erat prædictum. Quia tamen ista prædictio voluntatem Iudæ non immutauit, ideo ille meritò accusatur, neque culpa in Christum prædicentem reijci debet. Vtrunque eo in loco agnoscit Origenes, videlicet certitudinis necessitatem, & voluntatis naturam non impeditam. Ambrosius quoque, quum ea Pauli verba interpretatur, Iacob dilexi, & Esau odio habui, refert Apostoli sententiam ad opera præuisa, & interim addit, non aliter euenire posse, quàm Deus præuiderit futurũ. Chrysostomus item exponens quod habetur ad Corinthios, Oportet hæreses esse: necessitatem hanc fatetur esse prædictionis, quæ facultati nostræ voluntatis atque arbitrij nihil præiudicet. Neque hanc necessitatem auferunt loca quædam in scripturis, quæ alioquin prima fronte videntur ponere mutationem diuinæ sententiæ: vt est illud Esaiæ, quando regi Ezechiæ comminatus est præsentem mortem. Quod vaticinium visus est Deus immutare, quindecim annos vitam illi producendo. Et ciuitati Niniue prædicta est euersio, intra quadraginta dies, quæ nequaquam successum habuit. Hæc re vera nihil faciunt contra veritatem propositam. Etenim Ezechiæ Deus prædixit mortem impendentem ei ex causis morbi, quo laborabat, nullúmque ibi fuit mendacium. Sed quod attinet ad præscientiam, vt Deus præsciuerat regem morbo lethali periclitaturum, ita etiam præsciuit quindecinm annos eius vitæ prorogandos. Et vt præsciuit peccata Niniuitarum mereri præsentem euersionem: sic etiam præsciuit ex sua misericordia illis concedendum, vt pœnitentiam agerent, & seruarentur. Qua eadem regula exponendus est locus Hieremiæ, decimo octauo, in quo Deus ait, se quoque mutaturum sententiam, vel pœnitentiam acturum de calamitate, quam fuisset comminatus alicui ciuitati, genti, aut regno, si pœnitentiam egerint. Quid verò dicemus de Paulo, qui ad Corinthios scribit, se castigare suum corpus, & in seruitutem redigere, ne reprobus efficeretur? Num ille voluit mutare illud Dei firmum propositum? Certè non cogitauit Paulus, se posse diuinæ prædestinationis vel reprobationis ordinem inuertere. atque ideo non dixit: Ne reprobatus efficiar, sed, ne reprobus. Voluit enim suo studio, ac solicitudine prædestinationi diuinæ inseruire: qui enim ad vitam æternam sunt prædestinati, mortificare carnem student. Dicebat verò se nolle fieri reprobum, hoc est, deprehendi, & accusari, quòd aliter viueret, atque prædicaret. quod genus vitij omnes reprobant, detestantur, atque condemnant. Non fuit ergo ibi sermo de reprobatione diuina, sed de eo improbitatis genere, quo tenentur, quicunq; recta monent, & interim pessimè viuunt. Quanquam si quis hęc ad iudicium Dei velit omnino referri, id possemus concedere iuxta præsentem iustitiam vel iniustitiã, non secundum firmum propositum, de quo in præsentia tractamus. Cicero alioquin ingeniosus, & de bonis literis optimè meritus, in ista quæstione vehementer est hallucinatus, vt patet ex secundo libro de Diuinatione: quod Augustinus docet in libro quinto de Ciuitate Dei, capite 9. & 10. Putauit enim fieri non posse, vt præscientia futurorum non euerteret humanæ voluntatis facultatem: idcirco omnem prædictionem penitus sustulit. quod vt nostræ aduersetur religioni omnes intelligunt, quum tanquam fundamentis innitatur oraculis Prophetarum. Nihilque Deus scribitur vnquam feciſſe, quod alicuius momenti esset, nisi Prophetis id prius reuelasset. Diluuij perniciem

Multa sunt possibilia, quæ nunquam erunt.

Certitudo diuinæ præscientiæ constans est, non mutatur.

Sancti bene operantur, ut prædestinationi seruiant.

Cur Paulus corpus suum castigaret.

Prauitas est bene monere, ac turpiter viuere.

Cicero hallucinatus est.

Deus magna opera, quæ facturus est, Prophetis reuelat.

Noe ostendit longè priusquàm eueniret. Sodomæ incendium Abrahamo prænuntiauit, & eidem suorum posterorum in Aegypto significauit oppressionem & liberationem. Captiuitatem Babylonicam, & reditum ex ea ijsdem fermè Prophetis prædicenda commisit. Christum item venturum omnes Prophetas vaticinari iussit. Ideòque nobis adeò con-

Constans est autoritas Prophetarum.

stans est autoritas vaticiniorum, vt eam negare, sit vniuersam penitus religionem euertere. Quam ob rem non immeritò Augstinus ait, fuisse adhuc tolerabiliores Cicerone Genethliacos, qui astrorum fatales necessitates astruebant: nam ipsi Deo aliquem locum fecerunt. At si negetur præscire futura, eadem opera negatur esse Deus. Dauid inquit: Dixit insipiens in corde suo, non est Deus. Quam impiorum sententiam ex eo declarat, quòd illi cùm

Si Deus negatur præscire futura, negatur esse Deus.

flagitia perpetrant, opinantur Deum non visurum, & ea nunquam puniturum. et hac impietate se vtcunq; aspersum fuisse Cicero suspicionem dedit, quòd in libro de Natura Deorum, Cottam, & quidem Pontificem inducit ita disputantem, vt dicat cupere sibi probari ad veritatem Deos esse. Attamen quia vidit rem esse odiosam & inuidiosam, ac penè infamem, si negaretur numen: ideo ad finem libri sententiam tulit pro Balbo, qui Deos esse tue

Nota de Cicer.

batur: & ita tamen tulit, vt Velleio sententiam Cottæ diceret magis verisimilem fuisse visam. Sanè pius homo, & in religione confirmatus, nunquam eam sententiam verisimilem dicet, qua diuinitas in dubium reuocetur. Sed hi sunt dialogisimi rationis nostræ, de quibus Paulus in primo capite copiosè scripsit. Sed posteà in libro de Diuinatione, sub persona sua ipse Cicero à Deo etiam futurorum præscientiam abstulit: respondetq; Quinto fra-

Cur Cicero præscientiam Dei negarit.

tri suo, qui toto cursu primi libri vaticinia & oracula confirmauerat. Cur verò præscientiam negat? propterea ad id impellitur, quia sentit dandum ordinem causarum, & effectorum, qui sit immobilis, & constans: alioquin futura prædici non possent. Iam si talis ordo concedatur, in nostra manu & potestate nihil remanere arbitratur. Sed in Deo vt ponenda est summa voluntas cum summa potentia, ita etiam omnium rerum notitia illi tribuenda: neque metuendum propterea, quin ex voluntate & arbitrio agamus, quę agimus. Stoici qui fa-

Stoici quomodò absoluerint uoluntatẽ humanã à fato.

tum posuerunt, ipsi quoque nonnihil moti videntur ratione Ciceronis, quia motus voluntatis humanæ extra fatum, vel causarum connexionem posuerunt. Non quidem quòd prorsus humanam voluntatem liberarint: sed tantùm in ea positum voluerunt, vt quædam attingeret, vel non attingeret suo arbitratu: quæ si attigisset, statim inuolueretur fati necessi-

Exemplum Oedipi.

tate. Exemplo res illustrari potest: In Oedipi potestate dicunt fuisse, vt mulieri admisceretur, vel temperaret: sed si admisceretur, non potuisse euitari, quin committeret incestum, ex quo incestu filij procrearentur, qui fraterna cæde se polluerent, & paternum regnum euerterent. Antiquiores philosophi, vt Democritus & Empedocles, voluntatem etiam subiecerunt fato, seu connexioni causarum. Sed Chrysippus Stoicus potius eò inclinauit, vt humanam voluntatem eximeret: quemadmodũ Oenomaris Cynicus, vt refert Eusebius Cæsariensis de Præparatione euangelica inquit, Democritum feciisse homines seruos, Chrysippum semiseruos. Verùm istis relictis ad Ciceronem reuertamur, qui aiebat: Si est præscientia, res eodem modo euenient, quo sunt præscitæ, nec præuisus euentus poterit euitari: igitur prorsus hominum libertas interijt. Frustra leges, frustra monitiones, præmia, pœnæ, atque alia id genus. Quare optionem proponit, vt quis eligat, vtrum voluerit, præscientiam, aut voluntatis libertatem, quod simul vtrunque esse non possit, quantum ipse iudicauit. Et quia ciuilis homo fuit, legesque & iudicia tractauit, potius reiecit Dei præscientiam, quàm libertatem humanæ voluntatis amittere voluerit. Propterea de illo inquit Augustinus, Eos qui liberi esse volunt, sacrilegos facit, ita vt pro sua libertate tuenda, Deum præscientia sua expolient. Ratio Ciceronis erat: Si libera est voluntas, non potest esse certa causarum connexio: quia si certa esset, à nostra voluntate non posset solui, & si non fuerit certa connexio, præscientia non poterit constitui: idcirco ipsum quoque Deum posuit non præscire, quæ sunt futura, quia si ea præsciret, tunc certus & firmus esset causarum ordo, quo dato, nihil in potestate nostræ voluntatis residuum esset. At nos vtrunque istorum debemus retinere, quoniam alterum sensu experimur. Potest enim quisque in se ipso animaduertere, vt agat consilijs, & deliberatione, atque quod visum fuerit, eligat. Alterum verò, id est, præscientiam Dei, tenemus fide, quæ

Electiones, et cõsilia humana cũ Dei prouidẽtia nõ pugnant.

perceptio non est debilior apprehensione cum sensus, tum rationis. Itaque negabimus Ciceroni consequentiam illam: Est ordo causarum certus, & constans, quem Deus præsciuit, igitur nihil est in nostra voluntate. Ideo autem negatur argumentum, quoniam

Voluntas humana in ordine causarũ collocatur.

& voluntates nostræ inter causas rerum sunt collocandæ, imò inter eas non indignum locum occupant. Quemadmodum itaque Deus præscire potest, quid ex alijs causis euenturum

turum sit, idem idem valet perspicuè videre quid nostræ voluntates sint electuræ. Atque vt alias causas & eorũ effecta præuidendo eorum naturas minimè perdit aut immutat: sic quoque relinquit saluas hominum voluntates. Mouit etiam Ciceronem tunc nulla fortuitò euentura: at cùm permulta fiant casu, & fortuna eueniant, manifestum est certum ordinem causarum & præscientiã esse non posse. ita ille ratiocinabatur. At nos respondemus: Ea quæ casu dicuntur fieri, sic appellari fortuita vt referantur ad nostram intelligentiam, quæ cùm infirma sit, præ sua hebetudine cursum vel nexum causarum non videt, at si comparentur diuinæ menti: quam nihil latet, minimè fortuita vel temeraria dici possunt. Infirmitas humanæ mentis fecit locum fortunæ seu casui, quod exemplo demonstrabimus. Si dominus ad macellum mittat seruum suum, iubeatq; illum ibi esse ad horam sextam, idemq; seorsim villico iubeat, certè mutuò sibi obuiabunt & villicus & seruus, quod vtrique illorum fortuitò accidet, quòd iussionis Domini conscij non fuerint: verùm ipse Dominus qui rem tenet, nihil in ista re iudicabit fortuitum. quod etiam hinc patere potest: Fac me nosse aliquo loco thesaurum conditum, & iubere alicui vt ibi fodiat, cùm reperiret ille thesaurum fortunam clamaret: at ego qui rem callebam nihil haberem quod fortunæ tribuerem. Ita Deus cùm nouerit causarum omnium concursum atque nexum, nihil fortunæ vnquam experitur. Proinde subijciamus omnia diuino, proposito nec minus inter cætera nostras voluntates, quas constituemus, eam habere potestatem, quam Deus voluit, qui rerum omnium vires tẽperat. Causa quædam, vt inquit Augustinus est, quæ sic facit, vt nullo modo fiat, atque talis est Deus. Alia verò causa est, quę vt facit, ita etiam fit ab alio, cuius generis est volũtas nostra quæ ita vult & facit, quatenus & ipsa fit à Deo. Non igitur aut Ciceroni aut Stoicis assentiendum est, quia vt nihil oportet à Diuina præscientia subtrahere, ita voluntates nostræ minimè omnium ab ea sunt liberandæ: pertinent enim ad meliorem orbis partem. Quid curaret, aut quid præsciret, si negligeret homines? Valent quidem nostræ voluntates, vt inquit Augustinus, quantum voluit & præsciuit Deus illas valituras: & ideo quicquid valent, certissimè valent, & quod facturæ sunt, omnino facturæ sunt, quia valituras atque facturas ille præsciuit, cuius præscientia falli non potest. Et in cap. 10. lib. 5. iam citati, distinxit, quẽadmodum nos, duplicem necessitatem: alteram, qua cogimur pati quæ nolumus, vt est mortis necessitas, cui velimus nolimus, succumbere oportet: Alteram facit, secundum quam aliquid dicitur necessarium, hoc est, omnino futurum. Et ab hac non est quod voluntati nostræ timeamus, quoniam ea non imminuitur, prior quidem illi repugnat, quia fieri non potest, vt velit quippiam inuita. Hæc verò posterior naturę voluntatis haudquaquam aduersatur. Vita Dei & præscientia, quanquam necessariò illi tribuantur, nihil tamen eius naturam & voluntatem lædunt, non potest neque falli neque mori, minimè tamen aliquid patitur quod non velit. Ita etiam dicimus, cùm volumus quidpiam, id necessariò voluntate nos velle, nec eo tamen putamus nostrum arbitrium violari. Et quomodo præscientia Dei nõ corrumpat nostram voluntatem Augustinus de libero arbitrio lib. 3. cap. 2. & 3. pulchrè demonstrat. In primis verò dicit, hac quæstione occupari vehementer per multos impios, qui aut vellẽt, si sit voluntas libera, nullam esse Dei prouidentiã, & curam rerũ mortalium, quò sese libidinibus maiori licẽtia dederẽt, negando iudicia diuina, & humana & pro viribus fallendo: vel si euitari non possit, quin videlicet ponatur Deum prouidere atque intelligere quæ à nobis fiunt, saltem vellent obtinere, illius prouidentiam sic voluntates hominum cogere, vt à culpa scelerum excusari possent. Porrò quàm horum conatus fallantur, declarat facilè exponẽdo, quî præscientia Dei cum voluntate, & quidem libera possit consistere. Rogat illum cum quo disputat, an sciret se cras habiturum voluntatem rectam, an prauam? Respondet ille se nescire. Arbitraris inquit Augustinus, Deum hoc nosse? Fatetur alter: se putare. Igitur inquit Augustinus: cùm Deus hoc præsciat, præscit etiam quid de te sit facturus, hoc est, an te ad finem vitæ sit glorificaturus. quod si præscit, & falli nõ potest, necessariò te glorificabit. Sed tu interim dic: Glorificaberis inuitus, an volens? Sanè ait ille: haudquaquam inuitus, quia id maximopere cupio. Concluditur autem hinc, id quod Deus necessariò facturus est in nobis, voluntatem non impedire. Ostendit etiam id fore apertius, si de præscientia cogitemus, quasi sit nostra. Fac me præscire aliquem in crastinum ad me venturum: num hæc mea præscientia voluntatem ab illo auferet, quin si veniat, propria electione veniat? Equidem id asseri non potest: nam ille volens accedet, neque mea præscientia aliquid imminuet de illius arbitrio. Ac veluti memoria nostra non cogit præterita esse præterita, sic præscientia non cogit ea quæ futura sunt, vt eueniant. Potest item hoc aliter declarari. Si quis videat Platonem disputantem cum Socrate, aut Solem Lunamue eclipsari: visus spectantis non facit,

Deus præscientia sua non mutat naturas causarum.

Fortuna et casus ad nos referũtur non ad Deum.

Exemplum.

Non sunt liberandæ nostræ voluntates à diuina præscientia. Nota dictũ Augustini.

Duplex necessitas.

Nõ quæuis necessitas lædit voluntatem.

Impiorum optata in ista quæstione.

Memoria nostra non cogit præterita esse præterita.

vel vt qui ſimul diſputant, neceſſariò diſputent, aut inuiti, neque item efficit vt Sol aut Luna deficiant contingenter, cùm iſta deliquia luminarium cœleſtium cauſas habeãt neceſſarias. Proinde qui videt vtrumque, minimè ſuo aſpectu quod eſt contingens facit neceſſariũ, aut quod neceſſarium eſt reddit contingens. Neque oportet fingamus præſcientiam Dei nanciſci ſuam certitudinem ex rerum neceſsitate, quia tanta eſt perſpicacia diuinæ mentis, vt etiam contingentia poſsit certiſsimè tenere. Neque huic rationi obeſt, quod ſuperius frequẽter monuimus nimirum, Dei præſcientiam ſemper voluntatem ſecum habere coniunctam, cùm nihil poſsit à Deo præſciri futurum, quod ipſe non velit eſſe. Veruntamen iſta voluntas qua Deus efficit omnia in omnibus, ſeſe accommodat rerum naturis. Nam in cibo alit, in ſole illuſtrat, in vite vinum producit, & in voluntate hominum efficit, vt ſponte ac libere velint quæ volunt. Citauit Paulus, vt in Actis legimus, illud Arati: In ipſo viuimus, mouemur & ſumus. Ex quo ſequitur, vt voluntas humana ſuos motus habeat ex Deo. Quod ſi quis dicat eam tales accipere à Deo motus, quales ipſa voluerit, abſurda ſtatuet. nam tũ noſtra volũtas metiretur & gubernaret influxus Dei, id quod alienum eſt à vero. Quin potius dicamus eam tales accipere à Deo impulſus & agitationes, quales ipſe voluerit dare. Et animaduertamus interim Deum ita operari in noſtra voluntate, vt ea libens volens ac vltro excipiat, quas Deus immiſerit incitationes. Quî verò fiat, vt Deus certiſsimè res futuras præuideat, cùm tamen voluntates hominum, & multæ cauſæ naturales ſint ancipites, & contingenter agant, ſic poteſt declarari. Verùm quidem eſt, eos qui res tantùm in ſuis cauſis contemplantur, perſæpe falli, quia non omnes cauſæ neceſſariò ſuos effectus producant: impediuntur enim quandoque & aliò inclinant quàm putabantur. Idcirco non falluntur homines cùm iam conſpiciunt effectum in lucem æditum: at decipiuntur cùm de latentibus effectis in ſuis cauſis iudicant. Præſcientia verò Dei non ſolùm cognoſcit quæ ſunt futura in cauſis, verùm quoque illa habet perſpecta, vt iam educta, & à ſuis cauſis perfecta: atque hinc fit vt poſsimus ex Dei præſcientia inferre neceſsitatem certitudinis & infallibilitatis, non autem ex proximis cauſis. Quia cùm dicimus, Deus præſciuit hoc aut illud cras futurũ, iure addimus, ergo id neceſſariò erit. Neceſsitas non applicatur rei cognitæ, niſi quò à Deo præſciditur tanquam præſens & iam producta, quod non tantùm facit ad perſpicuitatem, ſed etiam neceſsitatem. Eſt enim quodlibet neceſſarium dum eſt, neq; poſtea concedendum eſt rem illam eſſe neceſſariam, cùm non accipitur eo modo quo eſt à Deo præcognita. Aſſerta eſt hucuſque voluntatis humanæ poteſtas, quod tamen nequaquam volumus accipiendum in vniuerſum, ſed tantùm quo ad præſcientiam & prædeſtinationem. Quamuis enim inde (vt probatum eſt) non impediatur liberum arbitrium, illi tamen aliunde impedimenta non deſunt. Siquidem in peccatis naſcimur, velimus nolimusq; culpa inuoluimur originis, nec ex peccatis nos poſſumus explicare. Ante regenerationem verò qualemcunque poteſtatem humano arbitrio in rebus indifferentibus & ciuilibus dederimus, hoc primùm cenſendum eſt, ipſum quocunque ſe verterit, neceſſariò peccare, nec quicquam agere poſſe, quod ſit verè Deo gratum, neque poſſe operibus ciuilibus quæ inſtituit dare ſucceſſum. Vnde Auguſtinus meritò ſcripſit in Enchiridio, primum hominem peccando, libertatem arbitrij amiſiſſe. Conſiderandum præterea hominum etiam nondum regeneratorum, voluntates, animi motus, & actiones dirigi à Deo: & ita dirigi, vt ab eius prouidentia in fines ab ipſa præfixos, ac determinatos adducantur. Imò etiam cùm regenerati ſumus, licet quadamtenus libertate potiamur per Chriſtum, non ea tamen plena eſt, ſed inchoata. Primi enim motus incitantes ad peccandum, inuitis obrepunt: quos peccata eſſe, in ſeptimo capite demonſtrauimus. Et Ambroſius apertè confeſſus eſt, noſtra corda non eſſe in noſtra poteſtate. nec eſt quiſquam credentium qui non ſubinde labatur, cùm tamen ſtare vellet. Vnde omnes orare debemus: Remittas nobis debita noſtra. Et Paulus ad Galatas dicebat: Spiritus pugnat aduerſus carnem, & caro aduerſus ſpiritum, vt nõ quæ vultis, illa faciatis. Et in hac epiſtola, vt audiuimus habetur: Quod odi malum hoc facio: & ſentio aliam legem in membris meis, reluctantem legi mentis meæ, & me captiuum abducentem in legem peccati. Quæ non poſſunt intelligi niſi de homine renato. Dixerat enim, mente ſeruio legi Dei, carne autẽ legi peccati, id quod minimè eſſe, vel tribui poteſt homini nondum iuſtificato. Fatemur quidem poſſe Deum ſi vellet, hominibus tantùm auxilij ſuppeditare, vt nihil peccarent: ſed hoc hactenus nunquã fecit, nec vnquam ſe facturum recepit. Quamobrem noſtra voluntas adhuc iacet in aliqua ſeruitute: quod vt nos manere volumus certum & indubitatum, ita ex altera parte affirmamus ex Dei præſcientia atque prædeſtinatione voluntatem non impediri. Viſum eſt hactenus in hoc tertio articulo, quæ neceſsitas inde proueniat: ea nempe quæ nõ eſt abſoluta, ſed ex hy-

Quomodo uolũtas Dei non inferat rebus neceſsitatem.

Voluntas à deo tales accipit motus quales ipſe uult.

Cauſæ ſecundæ poſſunt eſſe ancipites, cùm uoluntas dei ſit certa.

Omnia ſunt neceſſaria dum sũt.

Non aſſerimus liberum arbitrium

Poſſet deus nos à ab omni peccato ſeruare, ſed non facit.

ex hypothesi, quam dicere possumus consequentiæ infallibilitatis & certitudinis, nullo autẽ modo coactionis. Quæ cùm ita sint, iam apparet, nullam à Deo iniustitiam committi, quando peccatores damnat, & iustos glorificat. Redditur enim vnicuique secundum opera sua, vt nemo dicere possit sua peccata, non esse sua opera, cùm ad ea perpetranda non cogatur, sed illa maximè probet & velit. Neque vt obijciebatur, frustra sunt leges, monitiones, promissa & pœnæ: valent enim quantum Deus valere decreuit, vt scribit Augustinus quinto, de Ciuitate Dei, capite iam citato. Vult enim Deus illis vti ad multorum hominum salutem & si quibus non prosunt, haud tamen suo fine carent, conducunt enim ad impiorum condemnationem. Preces quoque non redduntur inutiles, quia illis impetramus quę Deus per ipsas decreuit donare. Proinde rectè illud quidem scripsit Gregorius in Dialogis: Non posse precibus impetrari, nisi quæ Deus prædestinarit se daturum. Vt autem prædestinatione aut præscientia vel prædictionibus peccata non excusentur, permultis testimonijs diuinarum literarum instruimur. Prædixit Christus Iudam se proditurum: certè illa prædictio Iudę neque abstulit improbitatem, neque iniecit. Sequutus est ille auaritiæ stimulos: non prodidit Dominum, vt vaticinio eius obtemperaret. Christus quoque Dei voluntate est occisus. Dicebat enim in horto: Transeat à me calix iste si fieri possit, non autem mea, sed tua fiat voluntas. Et de se ipso prædicebat: Animam pro ouibus ponam. Imò Pilatus & Herodes conuenisse dicuntur in Actis Apostolicis, vt ea facerent quæ consilium Dei statuerat. An propter hæc vel Iudæi, vel isti principes à peccato sunt absoluendi, cùm hominem innocentem condemnauerint, & occiderint? Quis hoc dixerit? Num etiam liberabit quis fratres Iosephi à scelere, cùm fratrem vendiderunt, licet Deus voluerit ea ratione Iosephum in Aegyptum peruenire? Neque crudelitas regis Babyloniæ excusabitur, quanquam diuina iustitia sic decreuerit puniendos Iudæos. Is qui occiditur, dictus est ab eo tradi in manu inimici sui. Idemq; dicitur tradere ciuitatem, cùm expugnatur ab obsidentibus. Atque Iobus quæ sibi per vim & latrocinia à Chaldeis & Sabæis erepta fuerant, à Deo aiebat esse subrepta. Dominus (inquit) dedit, & Dominus abstulit. Ex consilio igitur Dei quo peccatis abutitur ad constitutos fines, non possunt deduci iustæ excusationes peccatorum. Iudicantur enim & condemnantur praua opera propter vitiatum & prauum cor ex quo deriuantur. Nemo itaque doctrina prædestinationis offendatur, cùm potius inducamur illa ad agnoscendum beneficia Dei, & gratias illi vni agendas. Item doceamur, vt non plus quàm oportet nostris viribus tribuamus. afferatur certa persuasio diuinæ in nos beneuolentiæ, qua suos voluerit eligere ante iacta mundi fundamenta. confirmemur præterea in aduersis, certò scientes quicquid acciderit calamitatis, fieri ex diuino consilio & voluntate, esseq; moderatione prædestinationis in bonum & æternam salutem denique cessurum.

Monitiones leges & pœnæ non sũt frustrà.

Preces non sunt uanæ.

Exemplum.

Ex prædestinatione atq; dei consilio peccata non excusantur.

CAPVT DECIMVM.

QVONIAM caput nonum ostenderat promissiones non fuisse proprias Iudæis qui peribant, atq; ideo interitũ eorũ nil derogare vel diuinę constantiæ, vel doctrinæ iustificationis per fidem, quam prius tradiderat: quorum enim promissiones sunt, illi per fidem ad Christum accedunt. Nunc cap. 10. alterum scrupulum remouet, & demolitur propugnaculum, quò perpetuò sese tuebatur Iudęorum superbia, qui ceremonias, opera & externam iustitiam sine fine iactabant, ostenditque illos ignorantes veræ iustitiæ quæ Dei appellatur, frustra suam velle constabilire. Et quia intelligebat durum & acerbum illis fore, si non modo promissionibus expoliarentur, sed etiam iustitia operum quam vnicè complectebantur abrogaretur: primo loco præoccupatione lenit eorum animos, dum suam erga illos testatur beneuolentiam. Deinde quia laborabant ignorantia, erudit illos dilucida iustitiæ distinctione. Et ne sibi videatur confinxisse iustitiam fidei, testimonio Mosis & Oseæ Prophetæ ipsam confirmat: quam, inquit, Deum & ad gentes longè latèque dispersas voluisse perferri: sed ita, vt Iudæos non latuerit, cùm prius illi populo sit manifestata. Id quod Esaias testatus est, cùm scriberet, Deum tota die manus suas expandisse genti, quæ sibi perpetuò repugnaret. Hæc est summa doctrinæ huius capitis.

Summa huius capitis.

Testatur se amare Iudæos, non odisse.

Et in prima eius parte hanc propositionem ad consolandos Iudæos probandam sumit. Beneuolentia singulari vos prosequor, neque odio adducor ad hæc scribenda. Probatio in de sumitur, quòd perpetuo quodam studio illos in animo gestet, & adeo sollicitus sit de illo rum salute, vt precibus eam assiduè petat. Admonentibus & prædicantibus Euangelium sunt hæ præparationes animorum necessariæ. Vix enim prosunt sæpenumero quæ dicun tur, nisi se amari senserint auditores. Vt enim medici propinaturi vehementia pharmaca, quo illa possint ab ægrotãti corpore noxios humores educere, quibusdam potionibus illud antea reddunt fluidum: sic etiam animi eorum, cùm quibus agimus, prius leniendi sunt beni gna oratione, quàm ad acerbitatem reprehensionis veniatur. Ita Paulus facit cùm scriberet ad alias Ecclesias, & præcipuè ad Corinthios, quos ab initio commendat vt sanctos & ele ctos, omni sapientia & sermone instructos, & denique omnibus charismatibus diuinitus or natos. Sed postea grauiter & acerbè illos eosdem accusat grauissimorum criminum: quòd schismata & æmulationes inter se haberent: humana sapientia obscurarent Euangelium: in nephandissimum incæstum non animaduerterent: cœnam Dominicam perturbarent: face rent iniurias, & lites apud infideles persequerentur: & alia permulta huius generis obijcit il li ecclesiæ corrigenda scelera. Quare non mirum si hoc loco eadem ratione vtitur, & inquit, Minimè hostili animo se ista scribere. Semper in eius epistolis lenes & blandas occupatio nes, graues & acerbę reprehensiones comitantur: id quod nos imitari oportet, vt quæ ad moniturí sumus facilius prosint. Rhetores hac arte vtuntur, vt nihil asperum, aut ingratum dicant, quod prius colore aliquo non emolliant. Cumque scorpio letifera bestia vlnis seu chelis anterioribus amplectatur, quo melius cauda feriat, & venenatum eius aculeum infi gat, cur nos beneuolentia & charitate proximum non complectimur quàm arctissimè, vt illum sanemus? Ad probandam suã charitatẽ in Iudęos, dicit Apostolus, in corde suo vehe mens esse studium & propensionem incredibilem, quam εὐδοκίαν appellat, erga illorum salu tem ex qua σύνεσις oriretur. Hæc sunt Christianæ beneuolentiæ certa indicia. Et est obserua tione dignum, ista duo à Paulo coniungi: nec enim vnquam preces viuæ sunt & ardentes, nisi præcedat in corde petendarum rerum flagrantissima cupiditas. Petunt aliqui à Deo, vt à peccatis abstineant, at id quia vehementer non expetunt, languent eorum preces. Orant alij, vt ministri sint Ecclesiæ non indigni, sed cùm hoc desiderio tangantur leuiter, frigida est illorum oratio. Non itaque mirum si tam raro audiamur. Paulus ergo vt suas preces ostenderet non vulgares, εὐδοκίαν præcedere dixit. Hinc præterea discimus, concionantibus Euã gelium euitandas esse intempestiuas offensiones: & si quæ adhibẽdæ sint, eas leniri & emol liri oportere: nisi forte desperata sit audientium salus, vel adeo sint obstinati & perfrictæ frontis, vt non possint ad Deum permoueri, nisi reprehensionibus acerbissimis. Ita Chri stus de Pharisæis quandoque dixit: Sinite eos, cœci sunt, & duces cœcorum. Generatio pra ua & adultera signũ quærit, & nõ dabitur ei. De Herode etiam idẽ Christus ait: Ite ac dicite vulpi illi. Ioannes quoque Baptista inquit ad eosdem: Genimina viperarum, quis vos do cuit fugere à ventura ira? Paulus etiam noster percussus in iudicio dixit: percutiat te Deus paries dealbate. Et Elymæ qui etiam Barieu dicebatur: Fili diaboli, plene omni dolo, quo usque non desines peruertere vias Domini rectas? Ecce manus Domini super te, & eris cœ cus & non videns. Verum quando ad hæc venitur, excutere oportet spiritum quo agamur, ne decipiamur fortasis, & pio prætextu inseruiamus prauo affectui. Atque prospiciendum ne temerè fratres auertantur ab Euangelica doctrina, & maximè cauenda suspitio qua labo rare possint, quod odio, inimicitijs, vltionis desiderio, vel praua vlla cupiditate impellamur ad ea dicenda, quæ vehementius dicere videmur. Ex altera deinde parte cauendum est & illud præcipitium, scilicet, ne peccantibus adulemur, verbum Dei cauponantes ad captan dam hominum gratiam, quæstum, aut voluptatem. Nunquam siquidem reticenda veritas dogmatum, aut peccantibus parcendum etiamsi turbæ inde sint orituræ, vel grauia nobis ferenda sint. Christus probè nouerat, docendo veritatẽ & vitia reprehendendo, se denique a digendum esse in crucem, & à suis etiam discipulis deferendum, nec tamen propterea desti tit, vel à necessaria doctrina, vel ab vtili reprehensione. Ex eo verò quod Apostolus tam se dulò euitare cupit Iudæorum offensionem, colligimus eius gentis in primitiua Ecclesia fuis se magnam authoritatem: nam ante alios populos Euangelio credidit, & iudicium eius magno loco habebatur. Fuerunt enim Iudæi scripturarum studiosi, & diuini cultus apprimè obseruantes, vnde offensio illorum sine grauissimo damno Euangelij incurrebatur.

Præparationes audientium necessariæ. Simile.

Rhetorum exemplum.

Quæ sint preces ardentes & efficaces.

Concionatoribus euitandæ sunt offensiones.

Quando correctiones acerbæ adhibendæ. Spiritus est expendendus.

Peccantibus non oportet adulari.

Exemplũ Christi

Magna fuit Iudæorum authoritas in ecclesia.

Fratres vocat, vt eos sibi magis concilet. Sunt enim beneuolentiæ gradus non vulgares, alicui bene cupere, orare pro eo, & ipsum comiter atque blandè appellare. Discrimen ta

men

men est inter argumentum, quo nono capite, & in præsentia probat suam charitatem erga Iudæos. Nam ibi dicebat se vsqueadeo illos diligere, vt pro redimenda eorum internitione anathema fieri vellet: hîc verò scribit se pro eorum salute preces effundere. Istius discriminis hæc est ratio: In 9. capite egit de electione seu prædestinatione, quæ precibus non mutatur: ideo superuacanea fuisset earum mentio. Hoc verò loco agitur de iustitia fidei, quæ fides cùm sit donum Dei, non dubium est, quin proximis nostris impetrari possit fidelibus precibus.

Discrimen annotatu dignum.

Aliud præterea suæ dilectionis erga Iudæos argumentum adfert quo eorum incredulitatem, quantum rei natura patitur excusat, ita tamen excusat, vt adiungat accusationem grauissimam.

Testimonium, inquit, illis fero, quòd ζῆλον Dei habeant, at non secundum scientiam. Non tamen est existimandum sic fuisse affectos omnes Iudæos, quia in ea gente permulti planè fuerunt impij scelerate viuentes. Cæterùm Paulo hæc scribenti, saniores in mentem veniebant: & sub appellatione communi tantùm istos respicit. Est in summa synecdoche, qua indefinita propositio, propter aliquas eius partes vera censetur. Hac eadem excusatione Petrus est vsus in Actis, cùm diceret: Scio enim quòd per ignorantiam fecistis, &c. Modò Paulus zelum illis tribuit, sed ignorantiam vt graue illorum peccatum taxat. Nam ex lege & scripturis cùm docerentur quotidie, oportuit illos hæc non ignorare. Ignorantiã inde probat, quod inter iustitiam Dei & propriam distinguere nesciuerint, neque viderint quòd suã stabiliendo, à vera & solida excidebant. Zelum eos habere propterea scribit, quia Deum colere noluerint, & impensè quidem: sed rationem veri cultus ignorarint, quare cœcus fuit eorũ zelus. Atq; vt explicemus quid sit zelus, eius ethymum prius considerabimus. Est vox Græca ζηλῶ, ἀπὸ τοῦ ζηλεῦ. Significat autem istud verbum diligere, sed vehementer, ita vt dilectionem sequatur admiratio, admirationem imitatio, atque dolor si re amata potiri non detur, vel si admittantur alij in consortium. Hæc est propria vocis significatio. Sic ergo rem definire possumus. Est sanè zelus affectio, quę in parte animi consistit concupiscenti, ad quam sequitur ob vehementiam dolor, cùm ex consortio aliorũ, tum ex defectu rei quę desideratur. At nõ simplex eius ratio: Est enim quidam zelus bonus, quidã verò malus. De bono loquutus est Paulus cùm diceret: Aemulor vos Dei ęmulatione, despondi enim vos vni viro viginem castam exhibere Christo. Item ad Corinth. priori: Aemulamini charismata meliora. Ipse quoque Deus perfectissimo zelo erga nos afficitur, vt scriptura sæpius docet, quãuis ei affectus propriè tribui non possunt. De zelo autem prauo non est in præsentia sermo: verùm de illo ad Galatas ita Paulus inquit, Pseudoapostolos zelo eos prosequi, vt in eorum carne gloriarentur, vtq; illos abducerent à Christo in seruitutem legis. Et in plerisque alijs locis fit eius mentio. Causa autem propter quas zelus vel bonus vel malus oriatur, sic assignari potest. Est par ratio in hac affectione quę & in alijs. Vnde quemadmodum audacia, cupiditas, ira, tantisper bona sunt vel mala, quoad intra certos fines sese continent à prudentia præscriptos, vel illos egrediantur: ita in zelo accidit. Sed sciendum iuxta moralem doctrinam, prudentiã ex naturali vsu seu disciplina prouenire, sed ea re vera, vt huc spectat, non potest colligi, nisi afflatu spiritus è diuinis scripturis. Zelus ergo tum bonus erit, quando iusta & pia notitia per fidem frenabitur: malus autem si notitia huiuscemodi non cohibeatur: quemadmodum nauis præsente gubernatore seruatur, eo autẽ absente mergitur. Ideo Paulus loquutus est prudentissimè. nam cùm istorum zelum damnaret, scientiam ei subtraxit, & vno verbo quod poterat esse virtus eximia, vt vitium, & quidem periculosum, notauit. Vt verò est discrimen ingens inter bonum & malum zelum, ita effecta quę vtrinq; deriuantur, maximè sunt diuersa. Bono zelo accẽsus est Christus, quando templum repurgauit à mercatoribus, eorum mensas & cathedras euertendo. Eodem Phinees adductus, fœdissimè scortãtes confodit. Quid è diuerso malus efficiat in Paulo videre possumus, qui propter zelum ecclesiam Christi persequebatur. Et in Ioanne scribitur, tempus fore, quando arbitrabuntur se obsequium præstare Deo, qui Christi fideles affligẽt. Petrus etiam immoderato zelo accensus gladium eduxit, vt eos cęderet qui manus iniecerant in Christum. Est & alia differentia. Malus zelus odium parit: bonus verò maximè cõiunctam habet charitatem. Samuel enim licet magno studio Deũ coleret, Saulẽ tamẽ diutius luxit. Et zelo prauo nihil magis aduersatur, quàm charitas: veluti bono repugnat præcipuè φιλαυτία. Contrario etiã affectu illi tenẽtur, qui vel adeo stupidi sunt, vt nullo studio bonarũ rerũ incitentur, vel tam corrupti, vt de flagitijs & sceleribus non vereantur gloriari. Quę iam dicta sunt in vniuersum, ludęis applicent. Laborabant illi zelo erga legem, ceremonias, & externa opera, quia ista vehementer ama-

Quæ fuerit ignorantia Iudæorũ.

Quid significet zelus.

Definitio zeli.

Zelus bonus & malus.

Causa boni & mali zeli.

Simile.

Effecta boni & mali zeli.

Malus zelus Iudæorum.

bant,mirabantur,& vnicè ſuſpiciebant:vnde ſe ab illis excludi mirificè dolebant,neq; patie
bantur ethnicos ad conſortium veræ pietatis admitti. Zelo igitur afficiebantur ſed malo:
quoniam, vt Paulus dicit, notitia caruit. Sed quoniam videtur moueri ſtudio & εὐδοκίᾳ in
An ex peccato li ceat uoluptatem capere. ludæos ob hunc zelum,quæſtio incidit: An vlla peccata ſic placere poſsint, vt ex illis volu-
ptatem capiamus, vel vlla beneuolentia propterea concilietur. Peccata ſunt diſcernenda,
Diſtinctio pecca torum. cùm ſint quædam enormia & craſſa, quæ omnes intelligunt eſſe peccata, & alia ſint quæ li-
cet damnentur coram Deo,& verè peccata ſint, quòd à non regeneratis committantur,
qui adhuc ſunt malæ arbores, neque opera ſua dirigunt in Deum quemadmodum opor-
tet, attamen ex genere morali bona ſunt. Quare ſi de craſsis agimus, & per ſe loquamur,
propriè ac verè nullus pius hoc peccati genere delectabitur. Nam ſi Deum toto pectore
quiſpiam diligat,ab omnibus neceſſe eſt vt peccatis abhorreat,quæ voluntati Dei ac legi e-
ius manifeſtè aduerſantur:ſed per accidens fieri poteſt quod aliqua voluptas capiatur: vt ſi
liberati iam fuerimus,quò facinora quæ admiſimus,plura fuerunt & grauiora,eò magis gau
debimus: Et ſi quis antea ſuperbus & arrogans fuerit, ſed poſt aliquem lapſum reſipiſcens
modeſtius agat, ob ſuum delictum nonnihil gaudebit: Id quod etiam accidit, ſi poſt aliqua
errata bonæ leges ferantur,& ordo cõſtituatur,ne vlterius huiuſmodi committantur.Læta-
mur enim talẽ occaſionẽ fuiſſe oblatam. Et quoniam ſicut dicit Paulus, vbi delictum exube
Peccatis gaude- mus per accidẽs, Bona opa mora- lia nos oblectant, licet ſint peccata rauit,exuberabit & gratia, & diligentibus Deum omnia cooperantur in bonũ: loquutione
minus propria & per accidens fatebimur,ex peccatis aliquid voluptatis accedere pijs ho-
minibus. At ſi de operibus moralibus quæ à non regeneratis fiunt,loquamur, intuendo ſim
plici notitia non poterimus illis non gaudere. Quemadmodum enim voluptas eſt,& qui-
dem non parua,contemplari herbarum vires,proprietates animalium,gemmarum, & aſtro
rum,ita etiam delectat geſta videre illuſtrium virorum,quæ Deus in natura humana extare
voluit,vt Reſpublicæ conſeruarentur,& diſciplina ciuilis. Quis non capiat voluptatem So-
cratis legendo honeſtam vitam,& probas actiones? Vel ſecum repetendo Scipionis Afri-
cani res geſtas? nec non videndo quæ noſtra tempeſtate ſæpe fiunt ab heroicis viris, cùm
tamen à Chriſtiana religione ſint alieni? imò cùm ſpeciem quandam & aſsimulationem ha-
beant ſolidarum virtutum, adeo illis delectantur pij, vt ſollicitentur non rarò ad orandum
vehementer pro ſalute illorum virorum, ſic ſecum loquentes: Si Deus hos dignaretur im-
mutare,ac trahere ad Chriſtum,magno eccleſiæ ornamento & adiumento eſſent, neque fa-
Simile. cilè de illorum ſalute deſperant. Veluti peritus agricola ſi fortaſſe conſpicatus fuerit locum
filice ac malis herbis copioſè luxuriantem, cupit illum emere: nam cogitat: Si herbæ vitio-
ſæ fuerint extirpatæ,& filix aratro manſuefcat, fruges ibi feliciſsimè prouenturas. Idemque
faciet ſi labruſcas aut oleaſtros viderit ſponte alicubi naſci, locum enim iudicabit aptum &
vineis & pinguibus oleis,modò cultus acceſſerit. Chriſtus etiam ſeruator noſter cùm iuue-
nis eum conſuleret,Quid faciendo æternam vitam haberet? & reſpondiſſet, ſerua manda-
ta:atque ſubieciſſet iuuenis,hoc iam inde ab adoleſcentia ſe ſtuduiſſe,id quod tamen haud-
quaquam verum erat, illo nihilominus quocunque illius ſtudio de ſalute percunctandi, &,
vt poterat,obediendi mandatis Dei, Ieſus delectatus eſt. Hoc enim ſibi vult quod Marcus
ſcribit decimo capite,Chriſtum eum dilexiſſe: miſericordia nempe motus eſt ob illius præ-
ſentem calamitatem, quòd cùm ſtuderet, & conaretur iuſtiam operum aſſequi, ea excide-
ret.Idemque Dominus cùm reſpondiſſet, mandatum maximum eſſe, vt diligatur Deus to-
to corde, tota anima, & omnibus viribus: & alterum,vt diligamus proximum ſicut nos ip-
ſos:& ſcriba quidam hanc reſponſionem Domini approbaſſet,dixit ei: Non procul es à re-
gno Dei:quamuis ille nondum crederet, neque per Chriſtum eſſet iuſtificatus. Sed oſten-
dere voluit Dominus,hunc illius erga veritatem aſſenſum,aliquam ſpeciem referre pietatis
& officij. Quare in huiuſmodi operibus, quæ moraliter bona dicuntur, piorum animus de-
Ob opera mora- lia ethnicorũ etiam dolemus. Paulus non amauit Iudæos de illorum malo zelo. lectatur: licet vnà etiam doleat ea non fieri quemadmodum oporteret. Et quod attinet ad
præſentem Apoſtoli ſententiam:non eſt colligendum,ex peccato,id eſt, zelo ſine vera no-
titia, eum concepiſſe dilectionem & beneuolentiam erga Iudæos: Quia non argumentan-
tur ex cauſa: imò potius ab effectu demonſtrat ſuam in illos charitatem: nempe, quod non
ſolùm precetur illis ſalutem,verùm etiam crimen,quo grauabantur, non exaggeret,ſed po-
tius quantum res patitur excuſet. Eſſet paralogiſmus non cauſæ vt cauſa, ſi quis vellet hinc
demonſtrare Paulum eſſe delectatum Iudæorum peccatis. Quod ſi quis acrius contendere
Quid εὐδοκίαν hoc loco. zelus Iudæorum erat peccatum. velit,argumentum hoc eſſe à cauſa,dicemus εὐδοκίαν hoc loco affectũ eſſe,qui pertineat ad
miſericordiam: & ita Paulum miſertum eſſe Iudæorum, quòd videret Iudæos adeo miſerè
erraſſe. Atque valebit hæc ſententia non parum ad probandum illum Iudæorum zelum,
quan-

quantumuis ſpecioſum, eſſe peccatum: nihil enim miſericordiam excitat, niſi miſeria & calamitas: neque ad precandum impellimur pro aliquibus auertendis à malis operibus, niſi ea peccata fuerint & quidem noxia. Vnde admirandi ſunt Nichodemi noſtrorum temporum, quòd obijciant hiſtoriam Eliſæi & Naaman Syri, ad probandum, ſibi licere, modò in animo rectè ſentiant, ſuperſtitionibus impijs intereſſe. Cùm Naaman Syrus, quanquam recens eſſet conuerſus, intellexerit id eſſe peccatum: & quia adhuc non eò profecerat, vt ſua commoda poſſet abijcere, petijt à Propheta, vt pro ſe oraret: quod indicat eum ſenſiſſe huiuſmodi peccato remiſsione opus eſſe. Concludemus igitur, zelum hunc Iudæorum, cui nunc Apoſtolus fert teſtimonium, verè fuiſſe peccatum: & quamuis habeat ſpeciem virtutis, ab ea tamen plurimum diſtare. Quoniam vt patet ex philoſophia morali, virtutes & vitia, quo ad materiam circa quam verſantur, idem ſunt, ſed forma plurimum diſtant: vt fortitudo & timor, temperantia & intemperantia, iuſtitia & iniuſtitia. Iidem quippe affectus cùm fuerint iuſta ratione ad mediocritatem cohibiti, cumque vel ex vitio defecerint, aut redundarint, materia non differunt, quamuis habitus qui ſunt circa eos longiſsimè diſtent. Et quod Philoſophi aiunt de virrutibus & ratione recta, nos ad ſpiritum ſanctum, & fidem ſcripturis adhibitam trãsferre debemus. Et licet in zelo bono & malo affectus idem ſit, nihilominus eſt diuerſiſsimus, cùm vera ſcientia regitur, & fide à ſe ipſo, cùm illa deſtituitur. Veluti maris aqua & pluuia, quamuis materia humoris conueniant, permultis attamẽ proprietatibus & differentijs ſecernuntur. Hæc ideo ſunt allata, vt illi confutentur, qui ſæpe actiones prauas defendunt ex bono conſilio, propoſito, vel vt dicunt, intentione: quaſi zelus qui uis ſufficiat ad opus bonum reddendum. Quorum ſententia ſi vera eſſet, Iudæi facilè excuſarent, quòd Chriſtum occiderint, & afflixerint eius Apoſtolos: nam credebant ſe his rationibus legem Dei, & patrias ceremonias tueri. Verùm Apoſtolus aliter dicit, zelum illis tribuendo, ſed cum errore coniunctum. & error cùm circa credenda contingit, peccatum eſt exitiale. Videant igitur quid ſint dicturi, qui opera præparatoria propugnant. Certè hi nihil aliud volunt, quàm homines ante iuſtificationem, licet abſolutè non bene agant, tamen recto quodam propoſito & zelo de congruo, promereri gratiam. Opera huiuſmodi, cùm vera notitia quæ fides eſt, careant, relinquitur vt ſint zelus, de quo nunc loquitur Apoſtolus.

Nicodemi noſtrorum temporum. Factũ Naamã Syri malè detortũ.

Oppoſitæ uirtutes circa eãdem uerſantur materiam.

Simile.

Bona intentio nõ ſufficit ad opus bonũ reddendũ.

Error circa res credendas eſt noxius. Contra opera præparatoria.

Non inficiamur Deum quandoque abuti noſtris prauis operibus huius generis, vt per illa tandem ad iuſtificationem nos perducat: verùm quod nos ipſi propter ea iuſtificationẽ meremur, à verò eſt alienum. quin ſæpe fit vt huiuſmodi opera magnopere obſtent ſaluti. Philoſophi enim & Phariſæi ſplendidis his actionibus ebrij ac ſaturi, nimium efferebantur: atq; cùm ſibi mirificè placerent, in illis conquieſcebant, non annitẽtes ad verum iuſtitiæ gradum aſcendere. Monemur etiam hac Pauli doctrina, vt non ſtatim cedamus zelo: excutiẽdus eſt primùm & diligenter examinandus, quia ſub ſpecioſa eius imagine ſæpe maxima latet impietas, vt in Iudeis qui Chriſtum occiderunt, & Apoſtolos perſequuti ſunt, apparet: vtq; manifeſtè declarat iſte locus:

Specioſa opa iuſtificationi quandoq; obſtant.

Non ſtatim zelo cedendum eſt.

Ignorantes enim Dei iuſtitiam, & ſuam ſtatuere uolentes, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti. Quid magis impium excogitari poteſt, quàm Deo nolle ſubijci, & propriam iuſtitiam diuinæ iuſtitiæ velle præferre? Suppeditat etiam Apoſtolus his verbis regulam, qua zelũ noſtrum valeamus explorare. Illa verò eſt huiuſmodi, vt videamus an velimus Deo ſubijci, an pati poſsimus vt omnia Deo tranſcribantur, & nihil nobis ipſis arrogemus, quemadmodum Dei vera notitia requirit. Permulti hodie ſunt, qui veluti quodam zelo, ſtatuarum cultum, peregrinationes, & alia ſuperſtitioſa volunt defendere: quib. cum manifeſtè demonſtraueris hæc verbo Dei aduerſari, nolunt illi ſubijci, ſed ſtatim confugiunt ad maiorum conſuetudinem, & ad præſidia humanarum traditionum. Sunt item qui zelo mouentur ad cœlibatum miniſtrorum eccleſię tuendum: quibus cùm oſtenderis coniugale thorum debere immaculatum eſſe in omnibus, vt dicitur ad Hebræos, & vt habetur ad Corinthios, Melius eſſe nubere quàm vrit: Qui non continent, nubant. Quiſque ſuam habeat, & quæuis ſuum propter ſcortationem: notitiæ iſti diuinarum legum nolunt ſubijci, ſed Patres, concilia, & humana inuenta proferunt. Vnde apparet, quid iudicandum ſit de hoc eorum zelo. Malus eſt & ſolùm philautiæ innititur: ſtudet propriis, & diuina minimè curat. Tales Monachi ſunt, qui ſua inſtituta, regulas & opera omnibus præferunt, quæ communiter aguntur à Chriſtianis, & ſibi alios præ ſe contemnendo, maximopere placent. Hoc etiam cœco zelo paſsim miſera plebs laborat, cui ſuccurrere debent paſtores & concionatores detegendo ſcientiæ defectum, & proponendo veram notitiam ſcripturarum, atque id ex εὐδοκίᾳ & miſericordia verè Chriſtiana, qua tangi omnino debent in tanta eccleſiarum diſsipatione, quæ à nullo ſatis dignè deplo-

Graue peccatum eſt nolle ſubijci Deo. Regula explorãdi zelum.

Nolunt homines uerbo dei ſubijci

Ex misericordia est ad preces eundum.
Exẽplũ Christi.

rari potest. Hieremia opus esset ad ecclesiæ lugẽdas calamitates. & ex hac misericordia progrediendum esset ad preces, vt Paulus se fecisse dicit: & implorando auxilium Dei debere-musq; ibi, apud Deum cõmemorare quod hoc loco habetur, zelum Dei habent sed non secundum scientiã. Quod idem Seruator noster in cruce præstitit, cùm oraret: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciant. Deinde cùm delectamur bonis operibus moralibus hominũ adhuc nõ regeneratorũ, & dolemus ea nõ fieri, vt fieri oporteret: ita colligamus. Si isti Deo displicent & damnantur, qui tamen bona intentione, vt loquuntur, hæc tam honesta gerũt, cùm vera notitia careant, quid tandem fiet de nobis qui scientia præditi, turpiter viuimus, vel ipsa conscientia reclamante? Illi zelũ prætexere valent, at nos miseri cùm profiteamur Euãgelium, quid excusabimus? Non tamen prætereundũ est, quod Iudæi de quibus loquit Apostolus, zelum Dei, si propriè loquamur, non habuerunt: quia nullus vnquam fuit, aut erit verus Deus, qui legem Mosaicam voluerit aduersus Christum & eius Euangelium defendi.

Iudæi non habebant zelum dei.

Turcæ deum nõ colunt.

Abutebantur igitur Dei nomine, cùm nõ ipsum, verùm potius opiniones suas defenderẽt. Quemadmodum etiam Turcæ, tametsi iactant se verum Deum colere & inuocare, mentiũtur tamen, quia nusquam Deus extat, qui non habeat sibi consubstantialem filium Dominum nostrum Iesum Christum atque spiritum sanctum: quæ cùm illi auferant à Deo quem colunt, suum figmentum pro Deo habent, & pro eo, non pro vero Deo pugnant & æmulãtur. Loquutus est vero Paulus iuxta receptam consuetudinem scripturarum, quæ sæpe res nominant, non prout sunt, sed quemadmodũ videntur esse. Cùm itaq; isti se veri Dei studio moueri arbitrarentur, nec alia de causa æmulationes istas susciperent, nisi quia putabant eas Deo gratas: propterea Paulus dicit illos zelum Dei habuisse, cùm tamẽ deciperentur. Nam si veri Dei zelo flagrassent, nunquam Christo restitissent. Vnde apud Ioannem pulchrè Dominus ait his, qui iactabant se Moysi velle credere, non ei: si Moysi crederetis, & mihi crederetis: ille enim de me scripsit. Quamobrem Chrysostomus hoc loco prudenter annotauit, gratificatum quidem fuisse Paulum Iudæis, cæterùm illud verbotenus tantùm. Deinde considerabimus longè aliud esse artificium Apostolicum, ab eo quo vtuntur rhetores. Illi ad vitia contegenda & imminuenda nominibus proximarum virtutum illa insigniunt, defendẽtes auarum quasi frugi audacem ac temerarium vt fortem, & ita in alijs. At Paulus quia affectum posuerat, qui proximè videretur ad virtutem accedere, ne falleret, vitium eius patefecit, auferendo illi scientiam. Et hoc probat subijciens:

Scriptura sæpe res nominat non ut sunt. sed ut videtur esse.

Non fallit, ut rhetores, Paulus.

Nam ignorantes Dei iustitiam, & uolentes iustitiam suam stabilire, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Rursus commemorans ignorationem, videtur Iudæis gratificari. Et quidem ostendit eos minus culpabiles, quàm si prudentes & scientes veritati agnitæ resisterent: grauissimè nihilominus eos accusat. Ignorantiam defectum scientiæ notare constat, non quidem simplici negatione, sed requirit subiectum aptum ad cognoscendum. Nec leue discrimen est inter naturales priuationes, & morales: nam in physicis quò maior est propinquitas & aptitudo ad aliquã perfectionem, eò magis in pretio res habetur. Cùm enim potus, aut liquor fructuum magis est aptus vt vinum referat, eò dignior est. Et aurum alchumistarum præstat ferro: quoniam maiori aptitudine seu propinquitate ad verum aurum accedit. At in moralibus, si quis videatur magis aptus ad virtutes capescendas, vel ad scientiam sibi vendicandam quàm alij, & per eum stet, nolitq; in his laborare, magis accusatur, quàm alij qui longius ab illa commoditate distant. Cùm itaque Iudæi præ cæteris nationibus scripturas, Prophetas, Apostolos, & Christum ipsum haberent datos ad suam eruditionem, docerenturq; ceremonijs, prædicatione ac miraculis, non potuit citra grauissimam reprehensionem ignoratio Christi eis obijci.

Quid ignoratio
Discrimen inter priuationes physicas & morales

Distinctio iustitiæ.

Distinguit Paulus hoc loco, Iustitiamq; facit alteram eorum propriam, alteram Dei: cuius partitionis & alibi meminit. Scribit enim 3. cap. de altero membro, cùm inquit: Iustitia Dei ex fide reuelatur. Et in eodem loco de Abrahamo, Quod si iustificatus est ex operibus, gloriam quidem habet. sed non apud Deum. Ad Philip. autem 3. cap. cùm ait: vt inueniar in illo, non habens iustitiam meam quæ est ex lege, sed iustitiam Dei, &c. Ignorantiam qua Iudæi laborabant Apostolus demonstraturus, quò eius grauitatem magis ob oculos ponat, citatẽ cõiunctã habet: de finibus ipsis bonorũ & malorũ, deq; ipso totius pietatis fonte non rectè senserunt. Atq; hoc ignorarũt cùm Iudei essent, quib. præ cæteris nationib. religio videbatur curæ. Distinguit igitur, quod illi nõ poterãt, in duas partes, iustitiã: & iustitiã nostram intelligit, quæ operibus acquiritur. Illa verò bifariam potest considerari: vt vel regenerationem antecedit vel eam sequitur: quorum membrorum prius tantùm facit ad propositum.

Errarunt Iudæi circa summam bonum.

Quæ sit iustitia nostra.

Iustitia nostra duplex.

Nec

Nec enim potest intelligi locus de operibus quę regenerationē sequūtur, quia aduersus eos agit Paulus, qui Christum reijciebant. Et ea iustitia, quę ante fidem Iudæis probabatur, cùm nulla esset, corā Deo constitui non poterat. Neq; enim potest constitui vel cōstabiliri quod nihil est. Quæ verò sequitur fidem posset quidem aliquo modo statui, quia Deo placet, est tamen eiusmodi, vt per illam iustificari non queamus: tum quia imperfecta, tum quia iustificationem sequitur. Superest nunc, vt videamus quę sit iustitia Dei. Sic porrò definiri potest quòd sit absolutio à peccatis per Christū ex fide. Vt autē intelligamus absolutionis naturā, oportet expēdere vicissim naturā peccati: hac enim cognita, facilius nosse poterimus, quid sit absolui ab eo. Est peccatū defectus à lege ac voluntate Dei, quæ nostrum atq; omniū motuum nostrorū debet esset regula. Defectui autem huic adhęret obligatio ad æternam mortem & damnationē. Cùm ergo tollitur Dei misericordia hæc obligatio & reatus, homo absoluitur à peccatis: Nec enim tollitur defectus: nam manet in nobis infirmitas, atq; propterea semper deficiunt nostræ actiones ab illa perfectione, quam debemus præstare: & quæ iam cōmisimus, fieri non potest, quin defecerint. Quare Deus condonando peccatum, obligationem aufert qua sub maledicto constringebamur. Iam patet ex his quid sit absolutio: actio, inquam, Dei, qua sic nos liberat & absoluit, non quidem ab incōmodis huius vitæ, sed à peccatis, hoc est, à reatu & obligatione ad mortē ęternam. Ne verò statuatur nostro merito cōstare tantum beneficium: additur, per Christū. Eo enim, vt instrumento vsus est Deus ad hanc nostri liberationem. Et ne ignoremus quomodo Christi sacrificium & redemptio cuiq; nostrūm applicetur, additum est: per fidem. Valet plurimū hęc definitio ad iustificationem rectè cognoscendam. Hanc iustitiam Paulus dicit esse Dei. Et si rogaueris: an liceat appellare, nostrā? Respondeo, id propriè fieri non posse, cùm sit extra nos. Est enim actio diuinę voluntatis, cuius respectus, licet ad nos terminetur, nō tamen est in nobis. Quòd siquando nostra appellatur, illud fit per tropicā loquutionē: nimirum quia vel fruimur illa, vel quia per fidem quę in nobis est eam cōplectimur. Iustitia verò quę sequitur regenerationē, & nostra dici potest, & Dei: Dei, quia fit spiritu & gratia illius, qua donamur in regeneratione. impellimur enim ea ad piè sanctęq; viuendum, & ad veras virtutes parandas: nostra quoq; dicitur, quia & nos cooperamur instauratis viribus ad eam cōparandam, & fit in nobis & animo nostro inhęret. At si dicas: cùm etiam iustitia Dei per fidem nobis applicetur, cooperari videmur ad eius consequutionē. Respondebimus: fidem quidem esse opus, quo mente assentimur verbis Dei, at haudquaquam merito ac dignitate huius operis à peccato absoluimur. id enim fit clementia Dei & vi promissionis, quam fide amplectimur. Vnde cùm scriptura dicit, nos fide iustificari, audito fidei nomine, respiciendum est eius obiectum, seu correlatiuum, nempe Dei misericordia, & promissio per Christū. Colligamus ex his iustitiam hanc Dei quàm longissimè distare à iustitia quæ naturaliter cognita est. non enim ratio vel philosophia vllam nouit iustitiam, quæ animis non inhęreat. Non quòd absolutionē vel placationes numinis ignorarint: id enim testabantur eorum sacrificia, quæ sanè aliò non spectabant: sed illam Dei placationē iustitiam nostram minimè appellassent, neq; veram Dei placationē, & in quo sita esset vnquam intellexerunt. Cur verò iustitia operum nostra dicatur Chrysostomus exponit, ideo fieri, quòd à nostris operibus pendeat, nec diuinū expectet auxilium: altera verò Dei, quoniam prorsus à gratia pendet, & citra laborem contingit. Annotauit præterea verbum στῆσαι, quod statuere significat, voluitq; Paulus eo indicare humanæ iustitiæ instabilitatem. Nec enim studemus confirmare & constabilire, nisi quę infirma sunt, & per se ipsa non valent consistere. Porrò qui pij sunt, opera sua, præsertim quæ fecerunt ante iustificationem, pro damno & stercoribus habēt, exemplo Pauli ad Philippenses, tantùm abest vt ea constabilire velint, vel eis inniti, tanquam solidæ & veræ iustitiæ. Est etiam hoc loco animaduertenda antithesis præclara. Hìc enim Apostolus recenset, velle iustificari ex operibus, & subijci iustitiæ Dei, tanquam opposita, quæ simul consistere non possint. Vt mirandi sint, qui nostra tempestate hæc duo permisceri volunt, videlicet, quòd iustificemur & gratia, & nostris operibus. Si possent ista conciliari, leuis, imò nulla foret Pauli reprehensio, qui asserat eos, qui volunt suam statuere iustitiam, iustitiæ Dei nolle subijci. Nihil autem aliud intelligit per verbum, subijciendi, quàm non esse participem seu consortem. Maximè verò propriè loquitur. Nam qui per fidem iustificantur verè Deo se subijciunt, veluti peccatores & gratiæ illius egenos. Atque hinc ei gloria: quia tametsi Deum videantur glorificare, qui veritatem confitentur, quiq; propter illam vel de fortunis, vel de vita periclitantur: in eo tamen potissimum sita est eius gloria, quando nobis virtutem, aut sanctitatem vllam nō tribuimus, sed nos miserrimos agnoscendo, illi vni transcribimus, quicquid boni aut salutis

Bona opera fidelium, & imperfecta sunt, & iustificationem sequuntur.

Quid sit iustitia Dei.

Peccati definitio.

Quid sit absolui à peccato.

Absolutio nō aufert defectum.

Definitio absolutionis.

Iustitia qua iustificamur extra nos est.

Iustitia dei non potest propriè dici nostra.

Iustitia quæ regenerationē sequitur, & dei est & nostra.

Non iustificamur fide quatenus opus.

Iustitia dei naturaliter non est cognita.

Humana iustitia instabilis est.

Pij suam iustitiā minimè statuunt.

Non sunt commiscenda quæ Paulus opponit.

Quid sit iustitiæ dei non subijci.

Qui se iustitiæ dei subijciunt maximè illam glorificant.

consequimur. Commentaria quæ Hieronymo ascribuntur pulchrè consentiunt. Non subijciuntur, aiunt, diuinæ iustitiæ, id est, absolutioni à peccatis, quasi nõ sint peccatores & Christo opus non habeant. Et Chrysostomus inquit Paulum non manifestè quidem, sed tamen haud obscurè indicasse ignorantiæ istorum grauissimam pœnam, quòd inquam suo peruerso studio, nudati remanserint omni iustitia: quia suam ex operibus assequi non potuerunt, & ab illa exciderunt, quam per fidem Iesu Christi habere potuerant. Et sanè talium hominum miserrima est conditio: nam cùm non iustificentur fide, quanquam externis operibus quadantenus possint studere, nihilominus dum se parum proficere sentiunt, studium pièq; gioseq; viuendi tandem abijciunt, atque in hac vita turpiter degunt, & postremò in altera miserrimè cruciantur.

Miserа conditio inuitentium propriæ iustitiæ.

Finis enim legis Christus est ad iustitiam omni credenti. Propositionem assumptam confirmat: nimirum illos qui ex operibus iustificari volunt, iustitiæ Dei non esse participes, quia finis legis Christus est ad iustitiam. Causalis est hæc propositio: nam Christus finis legis dicitur, quia perfectionem & absolutionem eius adfert. Notanda verò proprietas vocis, τέλος duo enim significat, Rerum videlicet extremam partem, seu terminum: Et hac ratione mors dicitur finis animantium, non sanè quia viuamus, vt moriamur: quod enim est deterius, non potest esse causa melioris. Significat præterea cuiuslibet rei perfectionem, & absolutionem, quæ prouenire solet ad motus & productionis extremum. Iam quamuis quo ad primum significatum suo aduentu Christus legi terminum imposuerit, sustulit enim ceremonias & maledictum eius: hoc loco tamen, non ita τέλος Christum intelligit Paulus, sed alterum huius verbi significatum spectat, nempe perfectionem, & absolutionem, quandoquidem Christus perfecit & absoluit, quod lex præstare non poterat. Quod, vt melius intelligatur considerandus est scopus & finis legum. Feruntur leges, vt homines bonos & iustos efficiant, neque enim alia de causa recta & honesta proponunt, nisi vt præstentur. Inter alias verò potissimum leges, hæc quæ Dei est, hominum iustitiam & sanctitatem exigit: sed eam consequi non potest, non suo quidem vitio, sed nostra corruptione. Quod tamen potest, vrget nos, accusat, & damnat, vt vel saltem pondere pressi, cogitemus de liberatore, ideóque ad Christum conuertamur, per quem & à peccatis absoluamur, & per spiritum & gratiam eius legi nobis propositæ valeamus pro conditione huius vitæ obtemperare: quæ duo Christus in se credentibus liberalissimè donat. & sic dicitur finis, id est, consummatio & perfectio legis. Hoc Paulus expressit disertis verbis cùm diceret superius: Quod impossibile erat legi, qua infirmabatur per carnem, Deus mittens filium suum in similitudinem carnis peccati, de peccato damnauit peccatum, vt iustitia legis impleretur in nobis. Huc quoque respexit Ambrosius, qui locum hunc interpretatur, Christum dici finem legis: quia Deus per illum efficit, quæ promiserat & iuserat. Docent hæc Apostoli verba, legis hoc esse præcipuum munus, vt nos ad Christum dirigat. vnde ad Galatas pædagogus appellatur. Accusandi ergo sunt illi, qui ex pædagogo patrem faciunt, à lege iustitiam petentes, quæ ab vno Christo expectari debet. Discamus igitur hinc in omni legis præcepto duo cogitare: scilicet peccata nostra, & Christum liberatorem, quem omnia præcepta demonstrant, aliâs enim de lege inutiliter cogitabimus. Et Iudæi cùm Christum excluderent, legem frustra iactabant, vt qui non eam sed vmbram ipsius habuerint. Et cùm subditur:

Christus cur finis legis.

τέλος duo significat.

Scopus & finis legum.

Lex finem suum per seſe assequi non potest.

Lex pædagogus ad Christum.

Pædagogus non est uertendus in patrem.

In quouis præcepto duo cogitãda

Ad iustitiam omni credenti. Admonet Paulus de vocatione Gentium, asserens cuiusuis generis homines modò credant, fore participes huius finis legis. Certò adhæc scimus, ex ista propositione pendere summam Christianismi. Nam Iudæi vrgendo legem Mosis, & ethnici sequendo legem naturæ, fortè iactarent aliquam iustitiam: sed ea statim redarguitur, cùm Christum audimus finem omnis iustæ legis. Nec aliquem latere puto, si virtutibus & actionibus humanis debitus finis subtrahatur, omnem earum rectitudinem deficere. Euincit ergo præterea hic locus, omnia infidelium opera esse peccata, quia fine destituuntur. Qui iustitia fidei præditi sunt, iustitiam quoque legis assequuntur: Nam iustificati omni studio atque conatu obedire volunt legis: nam quæ faciunt illi, accommodare non possunt, cùm eius fine careant. Verùm si istæ duæ iustitiæ ita sunt coniunctæ, quomodo per antithesim opponuntur?

Summa Christianismi.

Si actionibus iustus finis subtrahatur, non sunt rectæ.

Opera infidelium sunt peccata.

Qui pollet iustitia fidei, assequitur itẽ iustitiã legis, at nõ è cõtra.

Respon-

Respondemus, quod iustitia fidei & illa quæ sequitur iustificationem non opponuntur vt contraria: quia tametsi vna non sit altera, vnà tamen sunt. Antithesis verò contraria est inter iustitiam fidei, & illam quæ iustificationem antecedit. Et studium assequendi iustificationem per illam & per istam ita pugnantem habet oppositionem, vt vnum cum altero consistere nõ possit. Et Chrysostomus hoc loco cautè legendus est, dum inquit, iustitiam fidei & iustitiam legis reipsa non differre, sed eandem esse: fallitur enim. nec enim fieri potest, cùm iustitia Dei (vt diximus) sit absolutio à peccatis, iustitia verò legis, aut nostra cõstet ex bonis operibus à regeneratione factis, vel ante regenerationẽ. Sed fortasse intellexit, quod nos docuimus, videlicet coniunctam esse iustitiam fidei cum ea quæ iustificationem sequitur. Simili nõ incongruo videre possumus quomodo hęc duplex iustitia se habeat ad iustificationem, nimirum vt differentia, & vt proprium in Dialecticis. Vt enim differentia naturã seu speciem constituit, sic Dei iustitia nostram iustificationem facit: quia dum ab eo absoluimur iustificamur. Et, vt proprium naturam iam constitutam sequitur, sic iustitia bonorũ operum consequitur perceptam iustificationem, & ab illa vires accipit, non à lege. Quanquam enim lex diuina annittatur iustos facere, tamẽ ob propensionem ad malum nobis ab ipsa infantia innatam, frustratur suo labore: quia inter cætera lex requirit bonos motus & spirituales, quos non regenerati minimè queunt præstare. Videtur autem Apostolus doctrina sua infirmiores Iudæos non leuiter consolari. Subuerebantur illi accedendo ad Christũ & amplectendo iustitiam fidei, ne à iustitia vera legis excluderẽtur. Is verò ait: Ne vereamini per accessum ad Christum legis transgressionem, quia per Christum & eam implebitis, & iustitiæ quæ Dei est participes eritis. Atque vt non videatur recentem aut fictam distinctionẽ induxisse, Mosem adducit, qui mentionem vtriusque iustitię fecerit. Primum sanè de iustitia legis in Leuitico agit cap. 18. verba sunt hęc. Mandata mea custodite, & mea facite instituta: nam qui fecerit ea, viuet in eis. Eandem sententiam legimus etiam cap. 20. Abiecerunt præcepta mea, quę qui fecerit viuet in eis. Est verè cogitandum, cùm vita promittitur facientib. & custodientibus, non intelligendum id esse de quadam leui & perfunctoria obedientia, sed perfectissima. huiusmodi enim lex requirit. At hanc nemo præstare potest. Cumq; obseruatoribus legis promittitur vita, quidam intellexerunt hanc vitam corporalem & temporariam. nam interficiebantur legis Mosaicæ transgressores, præcipitur enim: Qui maledixerit patri vel matri occidatur. Blasphemi etiam, adulteri, atq; sabbati violatores necabantur, sed qui paruissent, viuebant. Atque huc spectare videtur Epistola ad Hebr. cap. 10. vbi legitur: Qui legem Mosis irritam facit, absque vlla misericordia perit. Sententiæ huic, quamuis Augustini sit & quorundam aliorum, non facilè accedo, quia vitam quam Deus promittebat, non solum temporariam, sed etiam æternam fuisse video. Nec enim dubium est quin ad Deum pertineant, qui eius voluntatem faciunt. Neq; conuenit Deus eos, quibus Deus est, momentanea donare salutè. hoc enim animalia bruta & impij etiam ex illo habent. Præterea Christus verissimus legis interpres id docet. Rogatus ab adolescente: Quid faciendo vitam æternam possidebo? respõdit: Mandata serua, si vis ad vitam ingredi. Euincit aperte iste locus sermonem de vita æterna fuisse. Nec mirum, cùm lex verbum Dei sit, cui propriũ est adferre secum vitam, modò recipiatur. Quanquam non eodem modo suscipitur lex & Euangelium. Lex enim recipitur faciendo, & exactissimè præstando quod præcipitur: Euangelium autem per viuũ & efficacem fidei assensum. Et quod proprium sit verbi Dei vitam adferre, patet ex rerũ creatione, qua Deus vocabat quæ nõ erant, & statim existebant. Deinde Christus non semel dixit verba sua vitam esse, id quod Apostoli senserunt cùm dicerẽt: verba vitæ, &c. Atq; manifestissimè Paulus in hac eadẽ epistola superius 7. cap. scribit de lege, quòd sit spiritualis. Et de mandato Dei affirmat id iustum, sanctum & bonum, & ad vitam institutum. Moses quoq; 30. cap. Deut. de eadem lege scribit, se proposuisse populo vitam & mortem: manifestè docens, si reciperetur lex & impleretur, vitam & quidem æternam secum fore allaturã. Verùm cùm excludamur hoc cõmodo, misericors Deus aliud verbũ prouidit, nempe fidei: quod si assentiendo recipiatur, vitã secũ habet. Ex hoc loco apparet promissiones legis datas ex hypothesi seu conditione præcedentiũ operum. Vt si illa non præstentur, fiant irritę, imò pro illis maledictio succedat: quod in Deut. ostendebat, cùm in monte Garizim & Hebal recitarentur benedictiones & maledictiones. In Euangelio autẽ si promissionibus annectantur opera, ea non sunt accipienda vel vt merita, vel vt causæ illarũ promissionum: sed ita statuendum est, vt illa Dei dona quæ promittuntur, post opera sequãtur, tamet si non perfecta fuerint & absoluta, vt à lege imperantur.

Iustitia fidei et legis quæ opponantur antithesi.

Iustitia fidei coniungi potest cum ea quæ iustificationem sequitur. Simili ex Dialectica.

Non regenerati bonos animi motus præstare nequeunt.

Elicitur hinc Iudæorũ consolatio

Lex perfectissimam obedientiã requirit.

Qualem uitã diuina lex promitteret.

Quæ promittitur non solùm temporaria sed æterna uita est.

Aliter lex & Euangelium recipitur. Verbum dei uitam affert.

Promissionis legis ex hypothesi sunt. Promissa legis trãsgressorib. uertebantur in maledictionem. Promissa legis bona opera iustificatorum gratis consequuntur.

Cæterùm quæ ex fide est iustitia illa sic loquitur, Ne dixeris in corde tuo, quis ascendet in cœlum? hoc est Christũ

ex alto deducere, &c. Quemadmodum prior iuſtitia ſita traditur in actione, ita hæc tota eſt in credendo. *Si enim prope te uerbum habueris, hoc eſt, in corde tuo credideris, ſalutem conſequeris.* Per proſopopœiam videtur Apoſtolus iuſtitiam fidei loquentem inducere, quaſi hæc dicat: Ne *dixeris in corde tuo, &c.* Quamuis aliter poſsimus legere, vt videlicet Paulus proponat hanc ſententiam abſolutè.

Quæ fit illa fides quæ parit iuſtitiam.

Quæ uerò ex fide eſt iuſtitia. Et ſtatim ſubderet, *ſic dicit*, vt ſubaudias, Moſes de illa. ſed quomodocunque legamus non refert. Hoc autem certum eſt, fidei naturam ab eo explicari per eius proprietatem, vt non intelligamus qualemcunque fidem parere iuſtitiam, ſed ſolum certam & conſtantem. Eſt enim illud fidei ingenium, vt omnes excludat ambiguitates. Nam ſi cum formidine vel ſuſpitione aſſentiremur, opinio eſſet ille aſſenſus, non fides. Cùm itaque duo nobis proponantur præcipuè credenda: Chriſtum apud patrem perpetuò nobis impetrare gratiam & reconciliationem, & mortem æternam per eiuſdem mortem expugnatam: de his dubitat humana ratio, & inducitur quaſi dicat: Et quis aſcendet in cœlũ, vt poſsit videre Deum nobis placatum per Chriſtum? aut quis in abyſſum vſque deſcendet, vt videat æternam mortem ab illo fractam & extinctam? Ita fluctuare ſolet incredulus

Incredulitas humani cordis.

animus, quod per Mimeſin Paulus exprimit. Fidem oportet has cogitationes à ſe depellere, & ſolùm intuerí Dei bonitatem atque potentiam, id quod in Abrahamo factum hîc noſter Apoſtolus pulchrè ſuperius docuit, cùm dixiſſet, Abrahamum credidiſſe, atque id illi

Exemplũ Abrahami.

fuiſſe imputatum ad iuſtitiam: declarauit quomodo fides eius huiuſcemodi diſceptationibus reſtiterit. Non reſpexit, inquit, ſuum emortuum corpus, & vterum effœtũ Sarę, ſed gloriam Deo dedit, pleniſsimè ſciens, quòd poſſet præſtare quę pollicitus eſſet: atque ita cõtra ſpem in ſpem credidit. Proprium igitur eſt fidei hos rationis inſultus mortificare. *Ne dixeris in corde tuo.* Hoc propterea ſcripſit Apoſtolus, quia tametſi hę rationis cogitationes ore, aut verbis non exprimantur, in corde tamen vagantur. Nec ſanè quidẽ impedire valemus, quin huiuſcemodi cogitationes animũ noſtrũ interpellẽt, illis tamen occurrendũ docemur. Nam qui hęc affirmauerit, & Chriſtũ negat, & de ſalute deſperat. Non fruſtra citauit Moſem Paulus: Inſimulabatur enim quaſi aduerſaretur illi, & prędicaret ab eo deficiendũ. Vult igitur oſtẽdere ſe non pugnare cum Moſe, imò eadẽ tradere quę ille docuerit: vnde illum poſſumus di

Propriũ fidei ratiõis inſultus mortificare.

Malos animi motus ne inſurgant impedire non poſſumus.

cere argumentũ aduerſariorũ inuertere. Aiebãt illi: iuſtitiã fidei recipere nolumus, quia ſi credimus. Imò inquit Paulus, Quia creditis Moſi, debetis hãc iuſtitiã ſequi. At ſi Moſes prędicat iuſtitiã fidei: quomodo diſtinguitur eius miniſteriũ à miniſterio Chriſti & Euangelij? loannes dicit, lex per Moſen data eſt, gratia verò per Ieſum Chriſtũ. Quòd ſi ille prędicauit iuſtitiã fidei, gratiam quoq; adferebat. Huic quęſtioni reſpondemus: Moſen, ſi de doctrina eius loquí velimus, in vniuerſum non prędicaſſe legẽ abſq; Chriſto. Nam cùm legem præcipuè vrgeret, fuit neceſſe, vt vnà Chriſtus ab eo quoq; doceretur, ad quẽ lex, vt pædagogus adducebat. Sed quia ſtudiũ eius ad hoc potiſsimũ deſtinatum erat, vt legem proponeret & explicaret, ideo ſingulariter dicitur eius doctor. Quemadmodũ Chriſtus & Apoſtoli pœnitentiã prædicando, legẽ quoq; docuerunt, quia tamẽ potiſsimũ in hoc ſtudebant, vt gratiã & Euangeliũ promulgarent, ideo nõ legis, ſed gratię atq; fidei miniſtri appellantur. In adducẽdis verò Moſe verbis, videtur Paulus cùm à ſenſu illius, tum à verbis non parum diſcrepare. Nam Deut. 30. videtur inſtituiſſe Moſes de præcepto Dei ſermonem: inquit enim:

Miniſteriũ Moſis & Euãgelij quo pacto diſtinguantur.

Præceptum meum non eſt mirabiliter ſupra te, ut dicas: Quis aſcendet in cœlum, ut nobis ipſum adducat, & illud audiamus ac faciamus? Nec eſt ultra mare, ut dicas: Quis ex nobis tranſibit ultra mare, ut illud ad nos adferat, et audiamus & faciamus ipſum? Sed uerbum eſt prope te in ore & in corde tuo, ut audias & facias illud. Porrò hîc ſciendum eſt Apoſtolũ rem penitius inſpexiſſe, quàm verba prę ſe ferãt. Vidit enim Moſen, licet prius legẽ tulerit Dei nomine, hoc tamẽ loco egiſſe de mãdato nõ ſimpliciter, ſed vt iam per gratiã erat facilè factu, & per fidẽ atq; ſpiritũ inſertũ in corde, quæ opera non poſſunt eſſe legis. Cùm enim lex proponit, non propterea mandata reddũtur obſeruatu facilia: imò potius nítimur inuetitũ, & refugimus ac reſilimus ab imperio Dei, tãtum abeſt, vt illius pręcepta cordí noſtro inſerant. Hæc ſunt quæ Paulus reſpexit. Et cùm videret ea per Chriſtũ & iuſtitiam fidei nobis contingere, ideo ſenſum hunc qui erat prius reddidit. Conſiderauit prętерea in hoc eodẽ cap. ab initio ea proponi, quę nõ poſſunt niſi Chriſto & eius ſpiritui aſcribi. Dixerat enim Deus velle cõuertere illos ad ſe, vt eũ diligerẽt tota anima, toto corde, & omnib. viribus: velle itẽ circũcidere cor eorũ & ſeminis ipſorũ, ac efficere, vt audirent ac facerẽt præcepta ſua. Cumq; poſt hęc illico ſubdant quę citat Paulus, quis nõ videat ad Euangeliũ hæc ſpectare? Pręceptũ itaq; de quo Moſes loquit, aut accipit quo ad intelligentiã eius nudã & ſimplicẽ, aut quo ad potentem & efficacem vim promouendi homines ad eius obedientiã.

Declaratio uerborum Moſis.

Non

Non patitur narratio Mosis, vt priori modo intelligamus, cùm intelligentia simplici præceptum non reddatur facile factu, neque in corde ac visceribus nostris inseratur. Quare oportet vt adhibeatur intelligentia efficax & potens, quæ quum non habeatur, nisi per fidem & Christum, ideo Paulus à iusto sensu non aberrat, quando sic Mosen interpretatur. Syllogismus ita componatur: Moses loquitur de verbo, quòd sit in corde nostro, & quòd nos idoneos faciat ad præstanda mandata: Nos hoc idem prædicamus, cùm annuntiamus iustificationem fidei: igitur loquimur idem quod Moses. Ac re vera si quis intueatur istud caput Deuter. videbit quàm apertissimè Deum promittere populo magisteriũ suum, nõ quidem externum, quod exhibuerat in Sina, sed internum, quod re vera pertinet ad ministerium fidei & Euangelij. Et pulchrè declarat Apostolus per hæc verba Mosis, quale sit ingenium prudentiæ humanę, vt perpetuò fidei refragetur. Cuius rationibus qui cedunt, quantum in ipsis est, Dei & Christi vires imminuũt, quasi præstare non possit, quę dicitur fecisse, & promisisse. Vt enim fides potentiã Dei extollit: ita incredulitas eam debilitat. Et hoc est, quod Esaias dicebat ad Achaz: Num parum est vobis, quòd molesti sitis hominib. quia & Deum quodãmodo fatigatis, & saltẽ vestra opinione, seu potius incredulitate debilẽ reddítis? Cũ audiunt infideles Christũ post resurrectionẽ in cœlos ascendisse, atq; ibi placatũ nobis reddere patrẽ, & vitã æternã suppeditare credentib. statim secũ dicunt: Quis ascendet in cœlũ, vt hoc videat? id quod nõ est aliud, quàm Christũ ex alto detrahere, atq; vim eius abrogare. Similiter quando prædicatur, moriendo vicisse mortem, peccatum, damnationem & infernum, aiunt: Quis descendet in abyssum, vt certus fiat de his victorijs? Quod non est aliud, quàm Christi beneficium facere irritum. Possent hæc fortasse accommodari ad alias formas dubitationum humani cordis, sed id non multùm refert. Hoc citra controuersiam constituatur, ita certum fuisse, quę Paulus citabat ex Mose, de Christo intelligenda, vt ea tẽpestate Iudæi non auderent ea negare: siquidem Rabini eorum, quos habemus præmanibus, apertissimè ad tempora Messiæ detorquẽt ea, quæ ab initio capitis huius Deuter. traduntur. Expendit etiam Paulus, quòd licet Moses vocẽ hanc, Præceptũ antea posuisset, postea tamen quum ipsum dicit prope nos esse & in corde, appellat דבר, id est, verbum, quæ vox Paulo inseruiuit, quum inquit: Hoc est verbum fidei, quod prædicamus. Et ita sententiam Mosis Apostolus reddidit, vt venustè alluserit ad eius verba, quę non tantùm amplificat, & per expolitionẽ reddit perspicua, verùm etiã interpretatur. Nam cùm dicat, ascendere in cœlũ, quod in Mose quoq; habetur, addit: Hoc est Christũ ex alto deducere. Ita vt quę Moses de diffidẽtia, & dubitatione generaliter dicit, Paulus ad eas dubitationes applicet, quę maximè iustificantẽ fidem impediũt. Et cùm esset operępretiũ Iudæos persuaderi, quę maximè iustificantẽ fidem impediũt. Et cùm esset operępretiũ Iudæos persuaderi, fidei iustitiã nõ aduersari Mosi, ideo Paulus hunc locũ prolixè voluit expolire, atq; in eo cõmorari. Cùm addit: *Sed quid dicit?* videri potest ambiguũ, an sit referendũ ad Mosen, quem antea citauerat, vel ad iustitiam fidei, quę vt loquens inducebatur. Sed hoc non est magni momenti, & aliqua græca exemplaria inueniũtur, vbi additur, ἡ γραφὴ, hoc est, sed quid ait scriptura? Nec prætereundum est, quòd in Hebræo habetur non solùm propinquum, aut proximum, sed additur aduerbium, בראו, quod est valde. quo denotetur propinquitas admodum intima. Septuaginta interpretes non solùm verterunt, in corde, & in ore, sed adiecerunt, ἐν χερσί. Sed illud in Hebræo non habetur, & Paulus omisit. Augustinus in quæstionibus in Deuteron. qui Septuaginta legit, diligenter hoc admonet. Verùm si addatur, nihil officit, imò potius adiuuat apostolicam interpretationem, qua ostenditur agi de præcepto Dei, vt insitum est cordi, vt confirmatur ore, ac exprimitur opere. Omnia verò ista ad Christum & fidem sunt referenda. nam illa est qua fit, vt mens & cor nostrum dilatetur, atque fiat capax earum rerum, quibus ratio, iudicium, & sensus prorsus repugnant: & ita nobis fit prope, quod natura est remotissimum. Et quod scriptura nominatim Cor exprimit, non vacat mysterio: quia tametsi fides ad mentis assensum pertineat, nihilominus affectum voluntatis, qui per cor describitur, secum quàm arctissimè coniunctum habet: quia si nostræ intelligentię, seu menti ea offerãtur, quę manifestissima sint & perspicua, ea ita vincitur, vt statim assentiatur: neq; imperium, aut consensum voluntatis expectat, vt liquet in primis omnium scientiarum principijs, & mathematicis demonstrationibus. At cùm proponuntur dubia, & obscuræ sunt rationes ad vtranq; partem, ac multa refragantur propositioni oblatæ, non assentitur mens & intelligentia, nisi voluntatis iussu atque imperio. quod eo casu præponderat ambiguitati. Vnde quum paritur in nobis fides, spiritus sancti duplex opus accedit. Alterum, vt mens ita illustretur, quò certa reddatur de re proposita, licet non ita euidenti. Alterum est, vt sic roboretur voluntas, quò superet affectu

Ingeniũ humanæ prudentiæ.

Quanta sit fidei uis.

Mens non credit ex imperio uoluntatis, quãdo rebus perspicuis assentitur. Quomodo ad fidem se habeant intelligentia & uoluntas.

ſuo quicquid à ſenſibus & ratione demonſtretur, quod cum verbo Dei propoſito repugnet. Coniungitur enim ſpiritus ſanctus voluntati noſtræ in opere fidei, quoniam aſſenſus quem oraculis diuinis credendo exhibemus, firmus eſt & efficax. ſpiritus quippe voluntatem immutat, eámque reddit vltroneam, vt prorſus velit, quæ antea reſpuebat. Gubernat itaq; Deus largiendo nobis fidem vtranque animi facultatem, vt earum naturæ conuenit. Quumq; id ſit voluntatis, vt ipſa nihil videat, ſed intelligentiæ nutum ſequatur, mens diuino ſpiritu de credendis certa redditur, eíque ſimul perſpicuum fit, Deo prorſus eſſe parendum. Inde fit, vt voluntas non reluctetur, ſed omnia reprimat, quæ alioquí requiſito aſſenſuí obſtarent. Verbum fidei appellat Euangelium, non alia de cauſa, niſi quoniam per fidem apprehenditur. vbi loquutione tropica obiectum per virtutem, quæ ipſum apprehẽdit, illuſtratur, atque deſcribitur.

Hoc eſt uerbum fidei, quod prædicamus. Non hoc dicitur, quò credendum ſit Euangelium non coniungi cum lege. quî enim prędicari poſſet pœnitentia? ſed ideo ſcribitur, quoniam præcipua miniſterij pars apoſtolici verſatur circa fidei iuſtitiam. Et quum dicitur: *Hoc eſt uerbum fidei, quod prædicamus*, quadam emphaſi demonſtratur Euangelica doctrina minimè pugnare cum Moſis lege, imò quàm optimè conſentire. Non tantùm dicitur verbum prope eſſe in corde, verùm in ore: quod Paulus attendens commodiſsimè ad ſuum propoſitum detorſit: nam hoc ſpectare dicit ad confeſsionem, quæ ſtatim conſequitur veram & efficacem fidem. Aliquí ex ludæis hunc locum intellexerunt, quaſi díceret Moſes, iam verbum in ore veſtro eſt, hoc eſt, illud habetis in conſpectu & coràm: nam vox מִ non abhorret ab hoc ſignificato. dicitur enim, לִפְנֵי, מִפְּנֵי, quod eſt ſecus & iuxta. In ore etiam poſſet ab aliis commodè intelligi quoad recitationem. lata enim & deſcripta lege poterant ludæi verba ſecum repetere ac recitare. Atque Leuitæ aſsiduè in tabernaculo ſeu templo Dei eam repetebant, & ita dicebatur in ore haberi. Sed conſiderandum eſt, quòd non alia de cauſa in manibus & in conſpectu habebatur, aut recitabatur, ſiue à Leuitis, ſiue à quouis ex populo, niſi vt ad Chriſtum adduceret, atque fidem in illum elíceret, prouocaretq; ſanctos ad confitendum, laudandum & approbandum, quod Dominus eſſet locutus.

Si confeſſus fueris Dominum Ieſum ore tuo, & credideris corde tuo Deum illum excitaſſe à mortuis. Licet Paulus non rectum videatur ordinem conſeruare, quoniam prius creditur, quàm edatur confeſsio: attamẽ, quia nos de fratre noſtro cognoſcere non poſſumus, an credat, niſi prius audiuerimus illum confiteri, hac de cauſa prius ponit Apoſtolus effectum, quàm cauſam. Et inter alía credenda non ſine ratione propoſuit nobis Chriſti reſurrectionem, quoniam certè in reſurrectione perficitur ſalus noſtra. Quod enim modò eſt in nobis inchoatum, abſolutum atque perfectum habebimus, cùm fuerimus eius vitę compotes, quam Chriſtus in ſua reſurrectione non ſolùm ſibi verùm etiam nobis acquiſiuit. Deinde niſi Chriſtus à mortuis ſurrexiſſet, non eſſet apud patrem nobis interpellatione ſua gratiam, ſpiritum & vitam impetrãs. Atq;, vt Auguſtinus docuit, fides, qua creditur Chriſtus excitatus à mortuis, propria eſt Chriſtianorũ. quia eum eſſe mortuũ credunt quoque ludæi, Ethnici, & omnes infideles: at reſurrexiſſe, tantummodo ſibi perſuadent Chriſti membra. Poſtremò reſurrectio Domini quodammodo nexus eſt, & vinculum, quo antecedentes & ſequentes articuli de fide noſtræ ſalutis pulchrè colligantur. Si enim Chriſtus reſurrexit, eum conſequitur fuiſſe mortuum pro noſtris peccatis, & ſacrificium eius Deo fuiſſe acceptum: neque iſta fieri potuerunt, niſi prius ad redimendum genus humanum carnem ſuſcepiſſet, ac verè ſe exhibuiſſet hominem. Deinde ſi reſurrexit, æternam vitam habet, ad patrem aſcendit, neque fruſtra eſt apud ipſum in cœlis, imò ibí, vt promiſerat, nobis adeſt ſuo præſidio, & parat locum.

Corde enim creditur ad iuſtitiam, & ore fit confeſsio ad ſalutem. Quodam epiphonemate ac ſanè vtiliſsimo, tractationem loci adducti ex Moſe concludit, quo iuſtitiam vni fidei attribuit: confeſsionẽ verò ideo illí adiungit, ne tibí eam fingas inefficacẽ & emortuam, ſed quæ pariat confeſsionem. Et licet permulta ſint opera bona, quæ fidem conſequantur, id tamen receníuit Paulus quod primum eſt, & ex verbis Moſis adductis facilius colligí poteſt: nam ille, vt audiuimus, cordi os coniunxit. Et Chriſtus ait: Ex abundantia cordis os loquitur. Sed tamen annotandum eſt, & quidem non oſcitanter, Paulum iſto loco iuſtificationem ipſam tribuere fidei, ſalutem verò aliquam confeſsioni. Et per ſalutem non hîc intelligit prędpuã, id eſt, recõciliationem cum Deo, aut abſolutionem à peccatis, vt prius fecit, quum díceret: Si credideris Deum illum excitaſſe à mortuis, ſaluus eris. Et infrà: Quiſquis inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. Verùm per ſalutem intellígit vlteriorem perfectionem, qua donantur, quí iam ſunt iuſtificati. quotidie enim facultates animi eorum & inſtrumenta, ſeu membra

Cõfeſsio ueram fidem ſequitur.

Quare frequenter lex repeteretur.

Fidem alterius ex confeſsione tãtùm cognoſcimus.

In reſurrectione ſalus noſtra perficitur.

Fides reſurrectionis Chriſti propria eſt Chriſtianorum.

Articulus reſurrectionis eſt nexus omnium aliorum.

Confeſsio præcipuũ eſt opus fidei.

membra corporis eorum perficiuntur bene operando. Et procul dubio cùm Dominũ confitemur, hoc laudabili atque opere sancto proficimus. Ita Paulus intellexit ad Philippenses, quod aiebat, vestram ipsorum salutem cum timore ac tremore operemini. Quòd si conteneris hoc loco per salutem ipsam iustificationem esse intelligendam, id concedemus tantũmodo per effectũ, & à posteriori, vt aiunt, debere intelligi, quòd nẽpe valeat quis ex hoc deprehendere aliquem esse iustificatum. Facit iste locus maximè contra quosdam Libertinos, qui errorem Carpocratianorum instaurant, dicuntq; non esse confitendam fidei veritatem ad tribunalia persecutorum. A quo errore non multùm absunt Nicodemitæ nostrorum temporum, qui aiunt, satis esse bene sentire in animo, licet exterius dissimuletur vera pietas, & eatur ad ritus & ceremonias Papistarum. Est quidem cauendum, ne temerè nos in pericula conijciamus, at vbi Deus eò nos adduxerit, & de veritate interrogemur, meminerimus, quòd qui erubuerint Christum coram hominibus, ille demum eos erubescet coram patre. Eant modò aduersarij, & nobis opponant, quòd fides absque bonis operib. possit consistere. Talem semper Apostolus describit fidem, cùm de iustificatione agit, quæ necessariò confessionem, & opera bona secum habeat coniuncta. Dicit enim scriptura:

Contra Libertinos.

Fides nõ cõsistit absq; bonis operibus.

Omnis qui credit illi, non pudefiet, Constat iam qua de causa Iudæi non possint conqueri de sua reiectione, quia scilicet increduli fuerunt. Et patet iustitiam non posse haberi, si loquamur de vera, quæ apud Deum est, nisi per fidem. Vnde cõficitur, quòd vbicunque sit fides, ibi quoque sit iustificatio: ac è diuerso, vbi illa defuerit, iustificationem minimè locum habere. Proinde Iudæi non habent quòd conquerantur. vt enim summa causa nostræ salutis, nẽpe diuina electio, seu prædestinatio non contrahitur ad Iudæos, sed etiam diffunditur ad Gentes, quemadmodum ostensum est capite 9. ita fides, quæ est proxima causa salutis, non tantùm inter Iudæos est conclusa, imò pauciores ex illis crediderunt. idcirco non debuerunt indignari Iudæi de conuersione Gentium. In hoc modò laborat Apostolus, vt demonstret sententiam, quam protulerat indefinitè: Corde creditur ad iustitiam, intelligendã esse vniuersaliter. Ne Iudæi fortasse dicerent: Verum quidem est, quod prædicas, sed tantùm in genere nostro & semine Abrahæ. Non, inquit, ita habet, cùm propheta Esaias 28. loquatur per notam vniuersalem, Omnis. dicit enim: Omnis qui credit in illum, non pudefiet. Pudefieri hoc loco non est aliud, quàm expectato successu frustrari: nam cùm homines falluntur, eos tum pudet suæ inanis fiduciæ. Esaiæ prophetæ hoc testimoniũ est in cap. 28. quo vsus etiam est superius ad finẽ 9. capitis. Quia verò ibi ostendimus quomodo in Hebraico habeatur: & per expositionẽ hebraicæ veritatis, atq; versionis Septuaginta interpretum, quam Paulus est secutus, demonstrauimus genuinum & legitimum sensum, ea nunc in præsentia omittimus.

Reprimitur Iudæorũ querela.

Quid sit pudefieri.

Nam idem est Dominus omnium. Probat hac sententia iustè non esse ponendã, quoad salutẽ, inter Iudæos & Gentes distinctionẽ. Eadẽ fermè ratione vsus est in hac eadẽ epistola superius 3. ca. in eo loco, An Iudæorũ Deus tantũ, imò & Gentiũ. Et firmũ est Pauli argumentũ, quia certo innititur principio: nimirũ ita comparatũ esse, vt quæ aliquib. necessitudine iungũtur causæ aut principij, bene afficiantur erga sua effecta. Quemadmodũ pater se habet ad liberos, artifex ad sua opera, dominus ad seruos: ita etiam Deus ad suos. At illi fouent, iuuant, & ornant quæ ad se pertinent, quare Deus suis erit & adiumento, & saluti: eiusq; proprium esse illos conseruare, prouerbium receptum demonstrat, quo dicitur: Homo homini Deus. Quòd si quæsieris, quomodo non iuuat damnatos, quum & illi ad eum pertineant: respondetur, quoniam iam confertur ad illos vt iudex, & vindex, non autem vt Deus, cui possint amplius fidere, aut inuocare. Notemus præterea sententiam hanc vniuersalem intelligendam esse prædestinatione ac electione salua: nec enim sic est omnium Deus, vt omnes eligat, & prædestinet. Hoc tantùm elicere debemus, quosdam ex omnibus generibus esse, quos & ab æterno elegerit, & quibus iusto tempore fidem contulerit: eúmque vocasse omnibus prædicari absque discrimine, & tamen certos delegisse, quos ad promissorum consequutionem perducat. Et in hanc sententiam, vt Augustinus docuit, exponenda est & illa sententia Pauli ad Timotheum, vt sæpius monuimus, Deus vult omnes homines saluos fieri: & ita contrahendam esse propositionem iam allatam, satis ostendunt quæ sequuntur.

Causæ bene afficiũtur erga sua effecta.

Quare Deus nõ iuuet dãnatos.

Deus omniũ est, nõ tamen omnes prædestinat.

Dines in omnes inuocantes se. Hi qui ad salutem perducuntur, sunt inuocantes, & hi credunt singulari, & præcipuo Dei dono, quod omnibus minimè conceditur. Vnde patet oportere prædicationẽ esse communem. atq; ita Christus dicitur omniũ. Sed illi qui salutẽ habent, qui fide & spiritu donantur, erga quos Deus appellatur diues, non sunt omnes homines,

Prædicatio est communis, fides verò nõ omnib. est communis.

verùm certo ac definito numero in electione diuina continentur. Et Deus erga illos diues

Quo sensu Deus appelletur diues.

appellatur, quòd ipsos sua gratia & donis ditet. Græcè scribitur πλουτῶν. quia non opus habet Deus, vt augeatur & ditetur, sed suos locupletat. Valet verò ista sentẽtia plurimùm ad pacandos animos Iudæorum, qui dolebant inuidia quadam Gentes accersiri ad Euangelium, quod non fecissent, si fuisset illis compertum Deum adeò esse diuitem, vt posset Iudæis & Gentibus cumulatè sufficere. idcirco ex vocatione Gentium nihil decidebatur Iudæis. Et vsitatum est in scripturis, vt nomine diuitiarum exuberans Deo bonitas significetur. Sic dictum est in hac epistola: An diuitias bonitatis eius patientię & longanimitatis contẽnis? Et ad Ephes. Qui diues est in misericordia. Atque Christus, ad Colos. dicitur esse is, in quo sunt omnes thesauri sapientię & scientię Dei. Cùm subditur, Diues in omnes, qui inuocant illum, rursus adiungitur fidei opus. Antea quippe testimonio Esaiæ dictum fuerat, Omnis, qui credit in eum, non pudefiet: nunc de inuocatione annectit ex capite secundo Ioelis:

Locus Ioelis.

Omnis qui inuocauerit nomen Dei, saluus erit. Quò rursus intelligamus fidem requiri viuam, vtque prius confessio addita est fidei, & Moses non tantùm cordis, sed oris quoque meminerat, ita modò cum fide mentio fit inuocationis. Atque citra controuersiam Ioel in eo capite de Messia loquebatur: nam, inquit, dandum in illis diebus sanguinem, ignem, & colũnas nubis, & Solem vertendum in tenebras, Lunam in sanguinem. Et additur: Effundam spiritum meum super omnem carnem, filij vestri, & filiæ vestræ prophetabunt, senes vestri somnia somniabunt: & effundam spiritum meum super seruos & ancillas vestras. Hæc omnia pertinere ad Christum, & effusionem spiritus eius nemo dubitat. quare si ad eius inuocationem illa Paulus applicat, nihil à genuino sensu aberrat. Dixerat antea Propheta, maximam vastitatem fore per orbem, & circum vicinas regiones: verùm subijcit, seruandũ, quicunque inuocauerit nomnem Domini. quod cùm in vniuersum & generaliter pronuntiet, Paulus ostendit ex eo suam propositionem vniuersaliter accipiendam. Verum quidem est Prophetam dicere hanc salutem dandam in Hierusalem, & Zione: attamẽ hoc non obstat, quò minus & ad Gentes trahi possit: quoniã de Hierusalem & Zione loquitur, quæ à Deo seruantur. at carnale regnũ Iudęorũ est euersum: igitur supereſt, vt ciuitates huiusmodi tropicè accipiantur pro populo fidelium, qui degebant in eis. Illi verò suo tempore fuerunt Ecclesia, quæ propagata est deinde per orbem. neque reperiuntur inuocantes nomen Christi nisi in Ecclesia. Et fieri potest, vt quidam putant, vt per inuocationem nominis Dei intelligatur omnis pietatis, & sanæ religionis cultus, sed mihi magis placet simplex intelligentia, vt fideles preces per inuocationem significentur. Estq; notandum, attentè Prophetam de

Quæ inuocatio salutẽ impetret.

inuocatione illa scribere, quæ à spiritu proficiscitur, & syncera fide: non enim perfunctoriæ preces & murmurationes citra sensum, impetrant salutem. Reuocandum est ad memoriam quod Paulus dicebat ad Corinthios, neminem posse dicere Dominum Iesum, nisi in spiritu. Adhæc, non dicit Propheta: Omnis qui inuocauerit nomen Domini, habebit quod postulat, sed erit saluus. Ft enim sæpe, vt ignoremus quale sit, quod petimus: atque tunc Deus, qui nouit vtilia, licet priuatim votis nostris haud videatur assentiri, maximè tamen preces audit, cùm largiatur salutem: ideoq; nunquam frustra inuocatur à suis fidelibus. His ita expositis & confirmatis, pacatas reddit Paulus Ecclesias, ostendens tam Gentibus non aspernandos Iudæos, quàm Iudæis non esse Gentibus inuidendum, cùm fides & inuocatio possint esse communes vtrique populo. Nam Prophetæ quoque attestati sunt, quòd vbicunq; inuenta fuerit fides & inuocatio, ibi erit salus, & certa consequutio iustitiæ. Quo enim ad eius priuationẽ, pares erant Iudæi & Gentes: quemadmodum cap. 3. huius epistolæ dicitur, omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei. neq; in hoc est distinctio vel Iudæi, vel Gręci. Fidem præterea, qua iustificari possint, neuter populus ex se ipso habet. quare sors tam Iudęorum, quàm Gentiũ est quoad hęc ęquabilis. Vnde conueniebat, vt sicut prædicatum est, Euangelium Iudæis, ita quoque alijs populis prædicaretur: & imprudenter faciebant Iudæi, qui propter hoc irascebantur Apostolis. Nos quoque admonemur, quum fides possit

De nemine desperandum.

concedi à Deo quibuscunq; voluerit, neque prædestinatio eius nota sit, vt de nemine desperemus, verùm satagamus docendo, monendo, & prædicando omnes trahere ad Christum. Dominus pręcepit Apostolis, vt in mundum vniuersum irent, & omnibus Gentibus prædicarent, neque vllas excepit. idcirco Paulus curabat summo studio fieri omnia omnibus, ut omnes, aut saltem aliquos Christo lucrifaceret. Nullus, cùm in aliquod peccatũ labitur, aut à nobis aliqua in re dissentit, statim est abijciẽdus. adhuc potest credere, atq; Deũ

Nota.

Hinc certitudo salutis.

inuocare, & inde iustitiã & salutem consequi. Neque debet nos latere Apostoli verba, quæ tractauimus huc vsque in hoc decimo capite, certitudinem salutis ita demonstrare, vt dissimula-

ſimulari, aut tergiuerſari prorſus nequeat. Primũ aiebat: Ne dixeris in corde tuo: quis aſcendet in cœlum? Quibus verbis non patitur nos dubitare, Chriſtum in cœlo placatum & propitium nobis reddere patrem, eundemq; ſua morte nobis expugnaſſe exitium æternũ, peccatum, diabolum, & gehennam, vt nobis in eum ſperantibus prævalere non poſsint. Deinde ne dubitemus, adiecit: Qui credit in illum, non pudefiet. Et, Omnis qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. Non ſinunt hæc nos de ſalute ambigere, quicquid nobis ab aduerſarijs obijciatur.

Sed quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt? Ne putes te per opus inuocationis ſalutem habiturum eſſe, ſtatim radicem tibi oſtendit Apoſtolus, nempe fidem, qua ſeruaris. Non inuocat, niſi qui credit: igitur fructus inuocationis per fidem nobis conſtat. Texitur hoc loco à Paulo κλίμαξ, ſeu gradatio, qua connectuntur cauſæ ſimul & effectus. Incipiendum eſt à ſalute, quæ pro extremo effectu poſita eſt, ſalus ex inuocatione, inuocatio per fidem, fides ex auditu, auditus per precones: illi verò ſunt ex diuina miſsione. conſequitur igitur, vt ſi Gentes non minus debent habere ſalutem, quàm Iudæi, vt Deus ad eas quoque prædicatores mitteret. Quare Apoſtoli non ſunt culpandi, quòd prædicauerint Gentibus, quum Deus illos miſerit. Appellatur hoc argumenti genus Sorites, à coaceruando: cauſæ quippe aggregantur effectis, & ex primo infertur vltimum, aut ex vltimo concluditur primum.

Fructus inuocationis per fidem conſtat.

Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt? Nemo implorat Dei auxilium, niſi promptum paratumque id ſibi ex eo polliceatur. Et hinc denuo argumentum habes pro certitudine ſalutis confirmandæ.

Certitudo ſalutis rurſus confirmatur.

Quomodo credent ei, de quo non audierunt? Oportet credenda prius audire: nam quod creditur, eſt verbum Dei, & id auditu percipitur, non licet, vt è noſtro capite fingamus nobis credenda. Deum credere oportet, qualem ille ſeſe reuelauit.

Quomodo uerò audient ſine prædicante? χωρὶς κηρύσσοντος. Ecce quàm inſigni titulo miniſtri Eccleſiæ ornentur. ſunt κήρυκες, id eſt, precones Dei. Hoc eſt eorum præcipuum opus, vt inuulgent ſermones diuinos. At illi ſuam perdiderunt dignitatẽ, qui arbitrati ſunt, ſummũ & egregiũ ſuum honorẽ eſſe, vt euchariſtiã, quemadmodũ loquuntur, cõficiant, aut panẽ & vinũ tranſubſtantiẽt. Non ita deſcribũtur in ſacris oraculis, ſed vt prædicẽt, vtq; precones agant.

Ornantur Eccleſiæ miniſtri titulo inſigni.

Quomodo prædicabunt, niſi mittantur? Non enim habet preco quod renuntiet de voluntate principis, niſi quantum ille prius ei demonſtrauerit. Non latuit Paulum fieri poſſe, vt Deus agat abſque miniſtro externo per ſe ipſum, & optimè ſciuit eum, qui plantat & rigat nihil eſſe, ſed tantùm eſſe Deum, qui det incrementum: ſed locutus eſt de ordinaria via, qua Deus in Eccleſia vtitur. Adhibet enim miniſterium, & voce, ac verbis prædicantiũ vtitur ad producendam fidem per ſpiritum ſuum in cordibus audientium. quare Deo ſunt agendæ gratiæ pro tam ſingulari dono. Sed multi faſtidiunt, & nauſeant miniſtros Eccleſiæ. vellent enim, vt arbitror, per Angelos inſtitui, & ignorant Chriſtum per ſuam humanitatem voluiſſe nobis adminiſtrare ſalutem. Delectatus eſt Deus charitate, atque cõiunctione membrorum in Eccleſia, vt pendeamus à nobis inuicem: ita charitas eſt arctior, quàm ſi nobis per Angelos adminiſtraretur ſalus. Sciendum tamen verbi Dei efficaciam ſeu ſacramentorum, à miniſtri probitate, vel ſanctitate minimè pendere. Notandum præterea miſsionem Dei, eſſe vel ab eo immediatè, vel per vocationem Eccleſiæ, quæ vt rite fiat, non pecuniæ, proſ pinquitates, aut amicitiæ, vel conſimilia reſpici debent, ſed vocatorum merita. Debétque plebs chriſtiana confidere, quòd ſi illi, qui deligũt miniſtros Eccleſiæ, peccant, non propterea ipſi à ſalute impediuntur, quia vel bonus, vel malus paſtor eis datur. ſi bonum habeant, eſt quòd gratias Deo agant, qui non ſolùm illis ſalutem adminiſtrandã curauerit, ſed etiam ſanctum, & probum paſtorem dederit: ſin verò fuerit malus, item agnoſcant Dei bonitatem, quæ cùm illi non mererentur bonum paſtorem, paſſa eſt potius per talem illis verbum Dei & ſacramenta miniſtrari, quàm vt eos voluerit deſeri. Et tamen illi, ad quos pertinet, non arbitrentur ſe leuiter peccare, quum indignos aut promouent, aut tolerant. Plebs verò quum audit verbum Dei, & ſacramenta percipit, eſt quàm maximè attendere, quæ illa ſint, quæ ſibi miniſtrantur: an purè ſyncerèque ſibi tradantur, an corruptè, quàm conditiones aut mores miniſtri ſui expendere. quanuis & ſalus eius non ſit negligenda, neque ſcandala vltra neceſsitatem toleranda. Et licet Paulus hoc loco de vocationibus & miſſione agat, eáque, vt dixi, ordinaria ſit & extraordinaria, dubium non eſt, quin loquatur modò de extraordinaria, quum Apoſtoli non iudicio ſacerdotum, & Pontificum delecti fuerint, ſed tantùm iuſſu Domini per orbem miſsi. Attamen & ad ordinariam miniſtrorum

Niſi euangelizent, non ſunt Dei precones.

Poteſt Deus abſque prædicatione externa ſeruare, ſed ordinaria ita nõ facit.

Inſtitutione miniſterij ſeruatur charitas.

Vocatio Dei duplex ad miniſterium.

Graue peccatũ eſt indignos aut promouere, aut tolerare.

De extraordinaria uocatione hîc agitur, ſed ad ordinariã ita re applicatur.

Ecclesiæ missionem pertinent, quæ commemorantur de approbatione atque laude ministerij. Duo sunt, quæ Paulus nunc videt restare probanda: nempe à Deo ipso fuisse missos Apostolos, qui prædicarent Euangelium: deinde non esse vsque adeò mirandũ, si paucí crederent. Ad prioris confirmationem adducit locum ex propheta Esaia, cap. 52. Quàm speciosi sunt pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona. De liberatione à captiuitate babylonica ista dicuntur: verùm sæpe monui, liberationes illas particulares, vel ab Aegypto, vel ab Assyrijs, & alijs oppressoribus Iudaici populi, radicem habuisse ac fundamentum iustificationem à peccatis per Christum: quoniam captiuitates, oppressiones, & alia infortunia, cùm sint effecta peccati, quando illa auferuntur, Deus ostenditur esse reconciliatus per condonationem peccati. Et sic intelligendus est Matthæus, quum in Christo, dum sanaret ægrotantes, illud Esaię completum scribit: Languores nostros ipse tulit. quod prima quidem fronte tametsi non videatur quadrare, quia loquitur Esaias de morte Christi, qua pœnas luit peccatis nostris debitas, & historia narratur de morborũ curatione, pulchrè tamen consentit: quia respexit Matthæus infirmitates, quas Christus depellebat, per peccatum habuisse ingressum: quæ cùm desinerent, culpam vt causam sublatã significabãt, nimirum per Christum, quem reconciliatorem esse oportuit. Potestq; hoc loco argumentum esse à minori: quia si nuncij redemptionis à captiuitate corporis in honore fuerunt, & admirationi, atque Iudæis à Deo missi, quantò magis nuncij atque legati æternæ salutis, non tantùm ad Iudęos, verùm ad vniuersum orbem missi? Quòd autem illi à Deo missi fuerint, aperte constat ex verbis Esaiæ. nam ante hanc sententiam à Paulo citatam, facit Deum conquerentem de oppressoribus populi sui, atque pollicentem: quia adeò crudeles in populum erant, vt propterea suum nomen blasphemijs & execrationibus expositum fieret, se velle suum populum liberare. Et de hac sua voluntate nuncios, futuros, iniquit, admodùm gratos, & excipiendos magna lætitia & admiratione. Sed hebraica veritas habet, In montibus. Verba Esaiæ, 52. cap. sunt ista: מה נאוו על ההרים רגלי מבשר משמיע שלום מב בשר טוב In cuius loci versione Septuaginta ita dixerunt: ἔπειμι ὡς ὥρα ἐπὶ τῶν ὀρέων, id est, adsum tanquã amœnitas, vel pulchritudo in montibus. Hanc verò particulam omisit Paulus, quia spectat hoc verbum maximè ad situm vrbis Hierusalem, quę sita est inter montes. Propterea canit Psal. Montes in circuitu eius. Imò sępius in Psalmis legitur, oculos ad montẽ sublatos. Quoniam ergo ab Assyrijs, vel à Persis venturi erant nuncij, non poterant vrbem accedere, nisi prius in montibus conspicerentur. Ad Apostolos tamen etiam istud oraculum facilè accommodari potest: quia cùm illi ex Galilæa vocati essent, vt patet ex euangelica historia, dum mitterentur prædicatum, per montes discurrebant, & præsertim quando Hierosolymam venerunt, & accepto spiritu sancto Euãgelium prædicabant. Deinde hac metaphora probè describitur prędicationis euangelicæ conditio. Nec enim clàm, vel per angulos fit, sed publicè, quemadmodum illa solent esse, quæ apparent in æditis locis. Qua locutione vsus est & Christus, cùm diceret: Quæ à me audiuistis in aure, prædicate super tecta. Proinde necesse est prædicationem Euangelij liberam esse, apertam & perspicuam, ita, vt neque ligetur, vel occultetur, aut timore, aut adulatione. Et per pedes metonymicως Propheta aduentum intellexit. In eo autem quòd eos speciosos dicit, tropicè intelligit prædicationem præclaram & iucundam. Veniebant enim illi ad prædicandum Euangelium, quo nihil speciosius. Per speciem illam ergo pedum, Euangelium speciosum intelligas. Erant igitur digni nuncij eius, qui exciperentur magno plausu, & ingenti piorum lętitia. Si enim in pretio fuerunt philosophi, quòd putarentur ostendere fines bonorum, & malorum, licet id re vera non præstarent, quanto sunt honore digniores Euangelistæ, qui solidam felicitatem, & æternam vitam mundo patefaciunt? Et illos à Deo fuisse mittẽdos, non solùm verba Propheræ, vt iam docuimus, ostendunt, sed ratio efficaciter probatur, quia tantæ voluntatis Dei erga suos, quæ superat vim naturæ, atque ingenij humani capacitatem longè vincit, conscius nemo potest esse, nisi ab ipso Deo cognouerit, & illi reuelatum fuerit. Et qui à Deo non mittuntur, mentiũtur, & fallunt, tantum abest vt euangelizent. Quare in Hieremia propheta dicebat Dominus: Ecce non mittebam eos, & ipsi currebant, cap. 14. 23. & 27. Per admirationẽ loquitur Propheta & interrogat, *Quàm speciosi pedes?* Quoniam Apostoli non solùm verbum Dei annuntiabant iucundum, verùm miracula incredibilia edebant, vnde meritò & videntibus, & audientibus admiratio excitabatur. Moses ita fuit instructus, vt cùm diceret Deo se mittenti, non credent mihi, dederit illi Deus facultatem prodigiosè vertendi virgam in colubrum, & alia patrandi, quæ omnem vim humanã superarent. Et Christus itidem suos Apostolos mittens ad prædicandum, ista potentia edendi miracula eos ornauit, vt doctrinæ veri-

Radix iudaicarũ liberationũ.

Locus Matthæi.

Situs urbis Hierusalem.

Discipuli ex Galilæa uocati.

Euangelij prædicatio publica, nõ clancularia.

Prædicatores Euãgelij digniores philosophis.

veritas cõfirmaretur. Non quòd miracula ad id per se ipsa sufficiant (moniti enim sumus in Deuteronomio, ne pseudoprophetæ credamus etiam adhibitis miraculis. Et de Antichristo Paulus ad Tessalonicenses prædixit, prodigijs licet mendacibus eum venturum ad fallendum) sed hoc tantùm commodi habent, vt admirationem excitent, ad considerandum attentè quę docentur. adeò enim stupidi sumus, vt illa facilè neglecturi simus. Excitati ergo illa debemus ex verbi Dei consideratione probare, & tenere quæ bona fuerint.

Miracula non sunt satis ad doctrinã probandã. Quis miraculorum sit usus.

Euangelij antium pacem, euangelij antium bona. Summa prædicationis Euangelij est pax, in primis cum Deo. Qui enim prædicant, vt docet Apostolus posteriori ad Corinthios, habent secum verba reconciliationis, neque aliud suadent, quàm vt Deo reconciliemur per Christum. Prius Deus irascebatur humano generi, puniebat, damnabat, preces auersabatur, & opera quãuis egregia, quòd hostiũ essent, fastidiebat. Homines autem è diuerso, non tantùm miseri erant, sed ipsum Deum odio habebant, esse noluissent, execrabantur eius iudicia, & refugiebant veluti à tyranno, & crudeli carnifice, vt qui sibi vndiq; malè conscij erant: Euangelium autem annuntiat pacem per Christum, & recõciliationem. Hoc est quod Angeli canebant in natiuitate Christi: Gloria in altissimis, pax in terra, hominibus bona voluntas. Factum Dei Angeli approbabãt, qui per filium suum statuisset redimere humanum genus, & hęc eorũ laus & approbatio, est Dei gloria. Deinde cùm sumus iam per Christum Deo reconciliati, pacem interius, quoad animũ nostrum adipiscimur, quia instaurati gratia & spiritu rectè viuimus, neque amplius praui affectus in nobis tumultuãtur, non redarguit cõscientia, neque furię ad perturbationes pectora nostra exagitãt. Adhęc, proximis, vt nobis ipsis bene cupimus, & bene facimus: & cum illis pacem, & quidem arctissimam habemus. Neque obstat quod Christus dixerit, se nõ venisse mittere pacem in terram, quoniam id est accipiendum quoad carnis, & mundi pacem. Et enim cum euangelica pace, de qua nunc agimus, coniuncta sunt grauia carnis pericula, & incommoda, statim persequutiones & damna facultatum circunstant. Sed addítum est:

Quæ sit pax Christianismi. Quam pacem Christus nõ uenerit mittere.

Euangelij antium bona. Bonum est, vt dicunt philosophi, quod omnia expetunt. Et si fusius, aut clarius naturam eius volumus explicare, Bona sunt res quæuis, prout in eis respectus quidam fundatur erga nos, quòd sint vsibus nostris vtiles, commodæ, seu iucundæ. Vi ergo Euãgelij hoc assequimur, vt omnia nobis inseruiant. Omnia, inquit Paulus, vestra sunt siue vita, siue mors, siue Paulus, siue Cephas, nos Christi, & Christus Dei. Et diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Atque notandum est, quod Esaias addidit, prædicandam quoque esse ab his nuncijs liberationem: quia licet adhuc mors, infortunia, paupertas, morbi, & alia id genus mala nos diuexent, attamen ab illis per Christum dicimur liberati: quoniam non amplius rationem pœnæ habent. Omnia quippe ista carnis incommoda per crucem, & mortem suam Deus sanctificauit, vt non amplius habeant rationem pœnæ, sed efficiuntur eruditiones nostræ, paternæ castigationes, victoriæ, triumphi, & res pulcherrimè gestæ. Verùm vt nihil prętereamus, non debet nos latere lingua hebraica, שלום pacem, inquam, significare felicem rerum successum, ita vt, quod Græci dicunt, χάριν, aut ἐυπράξιαν in epigraphe literarum Hebræi dicere soleant שלום pax. Et ita quum Euangelistæ pacem annuntiant, felicitatem solidam & veram prædicant. Quòd si quæsieris, in qua nam re sita est huiusmodi pax, bonitas, & liberatio? Respondetur, in regno Dei, si vnicò verbo dicendum sit. Ideo Christus mittens discipulos suos ad prædicandum, voluit vt prędicarent appropinquasse regnũ cœlorũ. Hoc idem isto loco dicit Esaias, quum ait: Et dicent ad Zion, regnat Deus tuus. Hactenus regnauit peccatum, vnde Paulus in hac epistola: Non regnet peccatum in vestro mortali corpore. Regnauit item mors. dixit enim idem Apostolus: Regnauit mors ab Adam vsque ad Mosen. Regnauit & diabolus, qui à Domino appellatur princeps huius mundi, à Paulo κοσμοκάτωρ, & Deus huius seculi. Hęc omnia in nobis miserè hactenus tyrãnidem exercuerũt: at nunc regnat Dominus. Nã quòd attinet ad externa regna, habuerunt quidẽ ludęi multos iudices, & multos reges, paucos bonos, aliquos tolerabiles, verùm permultos pessimos tyrannos. Et qui boni fuerunt, vt Dauid, Ezechias, Iosias, & consimiles, infirmi attamen erant, neque poterant, vel defendere populum à calamitatibus, vel illos facere bonos. Quare sæpe ab hostibus premebantur ludæi: abducti sunt in captiuitatem: inde restituti, quieuerunt aliquantisper: sed venerunt post Alexandrum magnum Macedones, & Iudæam grauissimè afflixerunt. Post illos affuit, Pompeius, Crassus & Herodes, Vespasianus denique ac Titus, qui omnia funditus euerterunt. Ecclesia item Christi suos externos principes habuit, partim viros pessimos, partim probos quidem iustitia ciuili, sed admodum infirmos.

Quid sit bonũ. Quomodo simus à malis per Christũ iam liberati. Pax quid sit Hebræis. Pax ista in regno Dei sita est. Quales principes Hebræorum fuerint.

Tum bene habemus, cùm Christus in nobis regnat.

Vnde res nostræ nunquam bene habere possunt, nisi Christus in nobis regnet. Hoc est regnum, vt dixit Daniel capite secundo, cœlorum, quod non corrumpitur in secula, ibi pax est non momentanea, sed sempiterna. In Psalmo enim dicitur: Orietur in diebus eius iustitia & abundãtia pacis, donec auferatur luna. Et in Esaia: Et pacis eius non erit finis. In eo autem consistit hoc regnum, vt dirigamur verbo Dei & spiritu. Istis duabus rationibus regnat in nobis Christus. Verbum ostendit quid credendum, & quid agendum: Spiritus ad hæc facienda nos impellit, & mouet. Hoc est regnum Dei æternum, cui quando ipse vult adiungere aliquem populum, seu aliquam gentem, visitat eos per suos praecones, qui sunt euangelici prædicatores: eósque vult recipi alacriter: imò dicit: Qui vos recipit, me recipit: & qui vos spernit, me spernit. Habemus iam Dei iudicium de ministris, quo sese debent credentes plurimùm consolari: quanuis mundus aliter iudicet, illosq; habeat pro deliris reiectamentis, & tanquam peripsemata, & quisquilias æstimet: & quoad erit mundus, ita de illis existimabit. At illius iudicio quum sit stultus, & diuina non percipiat, haud est innitendum, sed potius amplexanda firmissima & iucundissima Dei sententia. Nahum propheta, capite primo, consimile habet dictum de speciosis pedibus Euangelizantium, ita vt quod ab Esaia prædictum est, ille quoque futurum præuiderit. At Romæ adducti homines hoc testimonio Prophetæ osculantur pedes Papæ: quasi ipse euangelizet, & per orbem discurrat, atque pacem annuntiet, quum potius Euangelij sit hostis iuratus, & contra veram doctrinam eius classicũ canat, neq; vnquam desinat pacem inter Christianos principes turbare.

In quo regnum Dei consistat.

Romæ pedes Papæ osculantur.

Papa est quiduis aliud, quam prædicator Euãgelij

At non omnes obediunt Euangelio. Videbatur hoc aduersari tantæ dignitati Apostolorum, quæ iam fuit ostensa, tum ex autoritate Dei mittentis, tum ex ipsa legatione, quòd pauci admodum, præsertim ex Iudæis credebant. id quod nulla alia ratione factum est, nisi quia connexio inter prædicationem externam, & fidem audientium non est necessaria. Fieri enim potest, quum Dei potentia non sit instrumentis allígata, vt aliquis credat absque prædicante, & vicissim, vt prædicatio intercedat, nec tamen sequatur fides. Quemadmodum in hac eadem epistola præscientiam cum prædestinatione coniunxit, tametsi multi præsciantur à Deo, qui tamen ad æternam vitam non prædestinantur: copulauit etiam vocationem cum iustificatione, quanuis permulti vocentur, qui non iustificantur. Descripsit hoc loco fidem Apostolus nomine obedientiæ, nec immerito, quum in ea duplex reperiatur. Nam in primis necesse est mentem ipsam vel humanam rationem diuinæ reuelationi cedere, ei simpliciter acquiescendo: id quod ad promptam obedientiam pertinet: multa enim alioquin sunt, quæ impediunt, & quodammodo aliò vocant. Est & alia obedientia, quia qui verè credunt, præceptis diuinis parere studeant, quod antea nec faciebant, nec poterant. Vsus est Apostolus hac eadem phrasi primo capite huius Epistolæ: Per quem accepimus gratiam, & Apostolatum ad obediendum fidei. In Actis item apostolicis narratur, quòd multi ex sacerdotibus obedirent fidei. & in hunc sensum quandoque fides appellatur Lex: non quia secum afferat benedictionem, aut maledictionem, sed quoniam pariter, vt lex, obedientiam exigat, ratione tamen diuersa. Nam lex obedientiam vel à nolentibus requirit, nec interea tamen suppeditat vires ad eam præstandam: Fides autem, quia plenissimè suadet pietatẽ, nos incitat, vt iuxta ipsius professionem viuamus. Et quoniam Iudæos quum primis iste scrupus mouebat de paucitate credentium, ideo ad illorum animos componendos testimonium Esaiæ adducit, cuius doctrinam reijcere non ausi essent, vnde intelligerent, longè antea promouisse Deum de hac raritate fidelium.

Ex prædicatione fides audientium non semper sequitur.

Fides iure dicitur obedientia.

Quare fides lex dicatur.

Esaias enim dicit: Domine, quis credidit auditui nostro? Introducebatur à Propheta ante hæc verba Deus pater, qui filium suum prædicari volebat, & eius deiectionem pro salute humani generis enarrari: cui Prophetarum chorus ita respondet, Quis credidit auditui nostro? Et brachium Domini cui reuelatum est? Ac si dicerent: Nos quidem prædicauimus, & officio functi sumus: at pauci crediderunt. Dicebat etiam Christus multos quidem vocatos, paucos verò electos. Nulla gens fuit, quæ adeò sedulam & frequentem verbi Dei administrationem haberet ac Iudæi, & tamen in ea semper fuit incredulorum multitudo copiosa. Quare non erat quòd tam insolenter iactarent, promissiones factas semini Abrahami. contrahi enim illas oportuit, tùm ad electos, vt dictum est in capite nono, tum ad credentes, vt modò audiuimus. Per admirationem extulit Propheta sententiam allatam. Quod quum lateat rationem humanam, causa coniunctionis tantæ incredulitatis cum verbo Dei & sancto ministerio, mirari soleat. Quod quidem

Promissa Dei ut fiant contrahẽda

& Ioan-

& Ioannes capite duodecimo animaduertit: nam scribit, non credidisse Iudæos, quum tamen Christus miracula fecerit, vt impleretur quod in Esaia scriptum est: Domine, quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui reuelatum est? Luculenta & potens erat Christi atque Apostolorum prædicatio, miraculis nunquam hactenus visis confirmabatur: ideo mirum erat, quomodo tam pauci crederent. imò à fide tam aberant Iudæi, vt Christum crederent ob scelera & blasphemias extremo supplicio affectum. ideo hoc eodem capite dicebat Esaias: Et cum iniquis deputatus est. Atque non est mirandum cùm in Hebræo non habeatur vox illa, Domine, Paulum eam addidisse: quoniam Septuaginta adiecerunt: Et quum sensum minimè corrumpat, ipsam quoque Paulus reddidit:

Brachium Domini cui reuelatum est? Non agitur hîc de reuelatione per prædicationem externam, quoniam omnibus prædicatur, sed de reuelatione interiori ac efficaci. Missi quidem erant Apostoli ad omnes, verùm non in omnes reuelatio interior locum habuit. Per brachium intelligimus Dei potentem vim ad saluandum. Sic enim Paulus definiuit Euangelium, quòd esset vis & potentia Dei ad salutem. Nec quicquam obstat, quin ipse Christus per brachium Dei accipiatur. Vt enim quisque hominum per brachium agit omnia sua, sic Deus per verbum suum creat, gubernat, & iustificat, ideo verbum eius qui est Christus Iesus, dicitur brachium illius. Nec tantùm hominis brachium dicitur, sed etiam Elephanti proboscida manum, siue brachium dicunt, quòd permulta sua opera per illud instrumentum agat. Docet autem Cyrillus, quomodo locus in Ioanne sit intelligendus, quo dicitur, vt impleretur quod dictum est per Esaiam: Domine, quis credit auditui nostro? nimirum, vt vox illa, Vt, non exprimat causam, sed potius consequutionem. Non enim ex vaticinio Esaiæ illi sunt reddíti increduli: sed quia increduli futuri erant, ideo Propheta ista prædixit. Est quidem in huiusmodi argumentationibus aliqua necessitas, sed tantùm, vt loquuntur, hypotheseos, vel consequentiæ, non tamen ea ibi est concedenda, quæ vim inferat, aut cogat hominum voluntatem.

Quid intelligẽdũ per brachiũ Dei.

Vt uel dicit causam, uel consecutionem.

Auditui nostro. Per auditum intellige verba, seu prædicationem. Phrasis hebraica est. Sensus vocabulum ad illa transfertur, quibus ipse mouetur sensus. שמע est audire apud Hebræos. Habetur in Esaia, לשמעתנו, qua eadem ratione dicebat Eli suis liberis primo libro Samuelis, non est bona השמעה fama. Deducuntur hæ sanè voces ab audiendo, quòd nimirum famæ sermonibus, & verbis feriatur auditus. Quanuis Ambrosius intelligat auditum passiuè, quòd Apostoli non prædicauerint, nisi quæ à Domino ipsi audiuerant. Sed prior expositio simplicior est, & maximè conuenit Apostolorum consuetudini: qui licet græcè scripserint, attamen hebraicas loquutiones vbique fermè retinuerunt. Quod verò ad rem ipsam attinet, non videtur mirandum, si homines non credant: sed potius illos credere admiratione dignum est. nam ibi Deus vtitur vi atque spiritu suo gratuito & misericordi. Qui'que sunt fideles, dum alios cernunt in sua deseri obstinatione atque incredulitate, videant in eis, quod ipsi commeriti fuerant, nisi diuinum adfuisset auxilium. Et si quis conqueratur, cur omnibus nõ idem sua gratia dominus concedit, non aliud habemus, quod iustè respondeatur, nisi an oculus tuus nequam est, ego bonus sum? tolle quod tuum est, & vade, mihi licet facere de meo quod volo, tibi autem non facio iniuriam. Neque quòd ista prædicta fuerint ab Esaia propheta, releuat Iudæorum causam, vel incredulitatem illorum excusat. Vt enim dicit Cyrillus loco iam adducto super Ioannem, Non quia hæc prædicta sunt, euenerunt, sed quia sic euentura erant, fuerunt prædicta. Necessarium quidem fuit sic esse, verùm nulla coactio voluntati humanæ illata. Et sanè Deus potuisset, si voluisset, omnibus fidem elargiri: at noluit iusto suo consilio, licet nobis occulto: ex quo valemus agnoscere, fidem non esse à nostris viribus, sed verè esse donum Dei, vt dicitur ad Ephesios, & ad Philippenses. Et licet prædicetur indifferenter omnibus, nihilominus fides non datur omnibus, quoniam neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed Deus, qui dat incrementum. Vtque dicitur in Ioanne: Qui audiuerit à patre meo, & didicerit, ille ad me veniet. Qui verò non docetur interius à Deo, ignorat: & quia suæ ignorationis causas in se ipso habet, non excusatur. Non itaque debet nobis admirationi esse paucitas credentium. Lux enim in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Qui audiunt non eodem modo præparantur à Deo, fiunt quippe nonnulli bona terra, alij verò petrosa, obsita spinis, aut publico itinere detrita. Et licet ista sententia de raritate credentium conueniat in Gentes, & in Iudæos: attamen hoc loco magis ad Iudæos pertinet, quoniam Esaias Iudæis prædicabat, & illorum experiebatur incredulitatem: & Paulus nunc maximè Iudæos arguit. Possumus verò & hinc

Mirum est si homines credant.

Deus non omnes eodẽ modo præparat.

Deus patientior est hominibus.

agnoscere, quàm simus procul à Dei perfectione. Patitur ille, atque diu sustinet, vt sibi non credatur, cùm insolescat, & ferre non possit quisque mortalium, vt sua vel dicta, vel prescripta negligantur. Igitur

Laus ministerij.

Fides ex auditu, & auditus per uerbum Dei. Laus denuo repetitur ministerij, quòd scilicet per illud fides in hominibus propagetur. Fides ex auditu est, verùm id sana & iusta ratione accipias: quando voluerit Deus operari, & efficax esse. Putarũt nonnulli, per auditum hîc esse intelligendum verbum internum, quòd ibi sit plena perfectáque causa fidei. Quod vt ego non inficior, ita video Paulum non de interiori auditu, hoc est, motu à spiritu sancto, loqui, verùm de externa prædicatione, ad quam Apostoli missi erant. Et licet fides non possit esse ordinaria, & cõsueta ratione, absque verbo Dei, & quidem externo, tamen verbum Dei consistit, etiam si fides non adhibeatur: nam scientia relationem, vt loquuntur, ad id, quod scitur, habet: sed scibile non vicissim ad scientiam refertur, quum multa sint, quæ sciri possint, & non sciantur. Qua eadem ratione permulta credenda sunt, quæ non creduntur. Fdes proinde quum sit assensus adhibitus verbo Dei, quanuis à subiecto, vel à forma sua non sortiatur, differentias illas non habet ab efficiente, & ab obiecto: versatur enim circa ea, quæ diuinitus reuelata fuerunt, neque est à lumine naturæ, sed à spiritus sancti illustratione, Quod verò ad subiectum attinet, in mente collocatur, vt sapientia, prudentia, & aliæ scientiæ, atque est natura eius qualitas, vt cæteræ quoque notitiæ sunt qualitates. Deinde si auditus, ex quo fides oritur, est per verbum Dei, manifestum est fidei fundamentum esse vnius Dei sermonem. Quare ministros Ecclesiæ atque concionatores hinc oportet discere, quid sit prædicandum: nempe vnicum Dei verbum, non autem humanas traditiones. tametsi eas dicere audent esse verbum Dei, quod tamen probare nullo modo possunt, quum incertæ sint, inter se pugnent, & subinde vel abolean-tur, vel instaurentur, id quod verbo Dei minimè conuenit. Basilius in sermone de Confessione fidei scribit lapsum esse à fide, atque crimen superbiæ, vel non admittere quæ conscripta sunt in sacris libris, vel aliquid eis addere. Quam sententiam Pauli testimonio ad Galatas confirmat, vbi ait: Testamentum licet hominis vbi confirmatum fuerit, nemo irritat, aut ei superaddit, quod multò magis caueri debet in testamento Dei descripto in sacris literis. Cæterùm se offert dubium, Quia si tantùm verbum Dei credendum est, cur dicebat Christus, vt si non crederent sibi, saltem operibus crederent? Videtur enim ex hac sententia miraculis etiam credendum. Sed respondemus, miracula esse quasi testimonia, per quæ adducantur homines, vt facilius credant, ita vt sint per quæ credatur, non quòd fides in illa feratur tanquam in suum obiectum. quanuis de Christi & Apostolorum miraculis credendum est, quòd à Deo fuerint, non à Beelzebub, vel à diabolo, quemadmodum Pharisæi calumniabantur. atque hoc in verbo Dei continetur, quia testimonium perhibet, hæc miracula ædenda fuisse, ac ædita denique suo tempore, nimirum in prædicatione sanæ doctrinæ. Sacramenta etiam creduntur, at illa nihil aliud sunt, quàm verba Dei visibilia, quibus etiam verbum, quod auditur, adiunctum est, prout Augustinus dixit: Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum. Iudicium tamen est adhibendum, quum verbo Dei credimus, ne vitiosa & corrupta sententia eliciatur. probatione etiam opus ad miracula discernenda, & in sacramentis animaduertendum, vt rite, id est, sicuti à Deo instituta fuerunt, administrentur. Et iudicio sano remouenda sunt ac separanda hominum inuenta, ne illis credatur, tanquam sermonibus Dei. & quum Basilius, vel alij Patres dicant absque examine, seu iudicio credendum esse, quod videtur desumptum ex eo, quòd Paulus in hac epistola dicit Abrahamum credidisse, nec iudicasse. græcè id verbum est *Διακρίθη*. Vt huic dubio satisfaciamus, intelligendum est esse duplex iudicium: Alterum, quando imus in consilium cum sensibus & humana ratione, & istud planè remouetur à fide, nam semper ea verbo Dei resistit. Aliud verò est iudicium spiritus, quod necessariò adhibetur: atque hoc est, quod Paulus aiebat, Omnia probate, quod bonum est tenete. Et ad Corinthios: Spiritualia spiritualibus comparantur. & hoc iudicio, necessarium est, locum vnum in diuinis literis obscuriorem cum altero manifestiori conferre. Autoritas Ecclesiæ non dominatur fidei, vt nonnulli malè sentiunt. Officium eius est prædicare, monere, arguere, testari, atque ob oculos ponere sacras literas, neque sibi credi postulat, nisi quà verba Dei loquitur. Paulus hîc priusquàm verbi meminisset, per quod fides procreetur, mentionem fecit euangelizantium, id est, ministrorum, qui à Deo mittuntur, in quibus descripsit Ecclesiæ ministerium, quòd nimirum in euangelizando consistat. Præterea si fides, vt modò scribitur, est ex audi-

Agitur hîc de uerbo externo.

Verbum Dei cõsistit, etiam si nõ credatur.

Fides unde trahat suas differentias.

Fundamentũ fidei tantùm est uerbum Dei.

Traditiones humanæ non sunt uerbum Dei.

An miraculis sit credendum.

Sacramenta creduntur.

An sit credendũ cum iudicio, uel citra iudicium.

Disputatio de iudicio.

Autoritas Ecclesiæ non dominatur fidei.

auditu, hoc est, vt subditur, per verbum Dei, necessarium est nihil esse, quo magis alatur, foueatur, & confirmetur fides, quàm assidua lectione ac repetitione verbi Dei. Hoc Tertullianus est attestatus in Apologetico: Cùm ad hoc, inquit, sacros cœtus cogi, vt verbũ Dei audiatur. Dicunt Philosophi nos ex ijsdem esse, atque nutriri: quare consimiliter fit, vt si fides ex verbo Dei est, ex eodem alatur. Scimus præterea ex operibus frequentibus confirmari habitus: & si desistatur, ab actionibus eos debilitari. Quare si quis desinat legere, audire, seu repetere sacras literas, languet in eo fides. Et qui putant viuam purámque fidem in Ecclesijs conseruari absque frequentibus concionibus, vehementer errant. Chrysostomus habet pulcherrimum simile de lucerna, seu lampade accensa, quæ facilè extinguitur, nisi subinde infundatur oleum. Per lampadem, seu lucernam fidem intelligit, oleum verò, verbum Dei. atque hoc scribit, vbi tractat parabolam virginum sapientum, & stultarum. Sed cùm iam absoluerim sententiæ apostolicæ interpretationem, supereſt, vt quædam colligamus ex eius dictis admodum vtilia. Cùm posuit distinctionem iustitiæ Dei & hominum, & per iustitiam Dei, fidem in Christum docuit intelligendã, vt eam doceret non tantùm ad Hebræos pertinere, ex propheta Esaia induxit: Qui credit ei, nõ pudefiet. Ac ex Ioele: Qui nomen Domini inuocat, saluus erit. Hæc diuinitatem Christi manifestissimè cõcludunt. nam si fides in eum, & inuocatio nominis ipsius habent salutẽ cõiunctam, id quod quàm verissimum est, tamen necesse est illum esse Deum: cùm non liceat fidere, vlli creaturæ, vel eam inuocare: Imò hæc duo Deo tam propria sunt, vt alijs ab eo non communicentur, & maledictus pronuntiatur, qui confidit in homine, aut carnem ponit brachium suum. Alterum annotatione dignum est, quòd illa commendatio ministrorũ Dei tam eximia debet accipi, quoad eos, qui re ipsa fungũtur officio: nam Propheta inquit, speciosos esse pedes euangelizantium, non qui tantùm nomen habent, vel titulum. Verbum quoque Dei ostensum est instrumentum esse, quo spiritus sanctus vtatur ad fidem ingenerandã credentibus. quare concluditur, nil aliud in Ecclesia vel docendum, vel prædicandum. Et argumẽtum à paucitate seu raritate credentiũ nullos debere permouere, quod semper iam inde ab initio paruus fuerit numerus fidelium. Et Augustinus si quandoque vtatur hac rationis forma cõtra Donatistas, dicendo illos admodum paucos esse præ multitudine catholicorum, tanquam à probabili cum illis pugnat, quos alijs rationibus necessarijs prius confutauerat. Deinde quando ad multitudinem Ecclesiarum confugit, errorem Donatistarum accusat, qui tantùm in paruo Africæ angulo Dei Ecclesiam contraxerant, quasi nullibi iam nisi apud eos locum haberet: quòd proprietatem Ecclesiæ, nempe vt sit catholica, euertit: per omnia quippe loca diffusa est, quanuis vbique paucitas incredibilis reperiatur verè credentium. Irenæus quoque ac Tertullianus non alia de causa prouocabant ad multarum Ecclesiarum testimonia, nisi quia cum hæreticis illis pugnandum fuit, qui scripturas diuinas non recipiebant, sed illis vtebantur mutilatis, vitiatis, atque corruptis, prout visum fuerat, ideo vt eorum vanitatem arguerent, eos remittebant ad antiquas Ecclesias, vbi syncera, atque incorruptæ scripturæ seruabantur. Postremò est declaratum, quid nam sit concionatoribus populo proponendum, si volunt veram & solidam fidem iam inductam alere, & fouere.

Fides quomodo alatur.

Chrysostomi simile.

Christi diuinitas probatur.

Cõmendatio ministrij titularibus nõ cõuenit.

Sed dico, an non audierunt? Quum reprehendisset Iudæos incredulitatis, & ostendisset nuncios ad eos fuisse missos, qui pacem euangelizarent, quibus non credidissent, videt eos fortasis excusaturos, quòd non audiuerint. Quomodo, inquit, hoc dicitis, cùm Euangeliũ iam vbique sit inuulgatum? Taxauerat illorum ignorantiã, quam vt exaggeret, demonstrat illos non posse prætexere se non audiuisse.

Atqui in omnem terram exiuit sonus eorum. His ostenditur Euangelium iam vbique prædicatum. Sed videtur nonnullis Paulus abuti verbis Dauidis, cùm ibi agatur de notitia Dei per creaturas naturæ lumine percepta. is enim scopus videtur Psalmi quoad priorem partem. In altera quippe agit de illa notitia, quæ per legem, seu scripturam habetur, & à principio statim, inquit, cœlos ipsos narrare gloriam Dei, & firmamentũ seu æthera annuntiare opera Dei. vnde licet non sint cœlo verba, neq; sermones, cumq; orbes illi superiores videãtur ἄφωνοι, attamen vbique auditur eorum oratio. Paraphrastes chaldaicus appositè istum tropum expressit. nam dicit, suspicientes in cœlum enarrare gloriam Dei, & suspicientes in æthera opera illius prædicare, demõstrans creaturas istas non sanè loqui, verùm allicere nos, vt loquamur, & Deum confiteamur. Non habetur hebraicè, Sonus eorum. Septuaginta sic verterunt, φθόγγος, ast habetur apud Hebræos, קו, cauam, & קר significat lineam, regulam, amussim. neque aliud inde colligitur, nisi regulam certam constructionis orbium

cœleſtium regularemq; illorũ motũ, ſucceſsionẽ reuolutionũ vbiq; locorũ eſſe cõſpectam. Eſt igitur citra cõtrouerſiam honorifica cœlorũ de ſuo creatore oratio, ex qua homines de multis pulcherrimis & honeſtiſsimis ſentẽtijs eruditi. Cicero in oratione Milon. multa cõ numerat de conſtanti ordine cœleſtis motus ad legẽ naturalẽ cõfirmandã & amplificandã.

Et in fines orbis terræ uerba eorum. Poſterior hæc periodi pars prioris ſenſum repetit, & illum magis explicat, & amplificat. Origenes tamen philoſophatur, ſonum in priori parte referri ad rudium & imperitorum captum, verba verò ad ſapientum & fortiorum ſcientiam. Sed hæc λεπτολογία inanis eſt, neque poteſt iuſtis rationibus probari. Quod verò attinet ad Pauli ſenſum, quidam putant allegoricum eſſe. Allegoria verò eſt, vbi verba non transferuntur à propria ſignificatione, ſed vnum ſonant, aliud verò tectè indicant: vt quum dicitur margaritum non eſſe dandum porcis. Hîc quælibet vox proprium ſignificatum retinet, & docetur precioſam diuinámque doctrinam impudentibus & procacibus hominibus non eſſe proponendam. Ita Dauid cœlos quidem, inquit, enarrare gloriam Dei, ſed aliud intellexit, nempe Apoſtolos & Prophetas diſcurrere per orbem, prædicando laudes optimi creatoris. Hanc interpretationem Auguſtinus, & complures ex Patribus ſunt ſequuti. Verùm nonnulli aiunt, ſi ita ſit, Paulus tum minimè conuincet Iudæos, quum ab allegoria ducatur infirmum argumentum. Sed reſpondendum eſt, allegoriam tum vtilem eſſe, quando alijs firmis teſtimonijs res eſt comprobata. quod modò Paulus fecit: Prius quidem commonſtrauit à Deo miſſos fuiſſe precones, qui euangelizarent: vnde Iudæi non poterant cauillari, ſe non audiuiſſe. Deinde per Moſen, & Eſaiam prophetam rurſus idem euincit. quare ſi in medio ab allegoria quoque deduxit argumentum, id reprehendi non poteſt. Adhæc oportet de allegorijs diſtinguere: quædam ab hominibus confinguntur, atque iſtæ pondus non habent: quæ verò à ſpiritu ſancto fuerunt in ſacris literis reuelatæ, illæ ſunt firmiſsimæ. Vt quod Chriſtus de Iona dixit, de ſerpente exaltato in hæremo: & quod ad Galatas habetur de filio ancillæ, & de filio liberæ, quòd ſint duo teſtamenta. Poſſumus item dicere Paulum non citaſſe verba Dauidis, quaſi teſtimonium ad aliquid probandum, ſed potius alluſiſſe ad eius verba, dum contradicit Iudæis excuſantibus, quòd non audierint euangelizantes, quum in omnem terram ſonus eorum exiuerit, non quaſi Dauid ſit de his loquutus, ſed quia verba eius quadrant rei, de qua nunc agitur: quemadmodum aliqui nonnunquam vſi ſunt verbis Homeri, aut Virgilij ad deſcribenda, quæ illi non tractarunt. Et poteſt ita credi, quia Paulus, quando velut i argumentando citat ſacras literas, addere ſolet, Quemadmodum ſcriptum eſt, aut Eſaias, vel ſcriptura ſic dicit. quod hîc omittitur. Quòd ſi non volumus alluſionẽ eſſe, dicatur methaphora, quæ verba torquet ad ſignificationẽ conſimilẽ dempta nota ſimilitudinis. De apibus dixit Virgilius, Ipſæ regẽ paruosq; quirites Sufficiũt. denotans earũ ſobolẽ partim eſſe plebeiã, partim regiã. ac ſi diceret adhibita nota ſimilitudinis, filij earũ ſunt ceu reges, aut ceu quirites. Ita Chriſtus dicebat, Vos eſtis ſal terræ, id eſt, ſicut ſal terræ. & lux mũdi. Et de Ioãne legit, Ipſe eſt Helias, id eſt, tanquã Helias. Ita modò Paulus volens amplificare publicationẽ Euãgelij ait: Quomodo non audierũt Dei precones, qui ſunt cœli, hoc eſt, inſtar cœlorũ, quorũ ſonus auditur in vniuerſa terra, & in fines orbis verba eorũ? atq; ita nõ erit allegoria, neq; alluſio, ſed metaphora. Et deniq; ſi volumus omnino hîc argumentũ eſſe à Dauide ſumptũ, ſic dicemus: Deus, vt inquit Pſalmus, voluit notitiã ſuã naturalẽ per creaturas cœleſtes publicari in vniuerſum orbem: ergo & Euangeliũ identidẽ curauit euulgari. quomodo igitur poteſtis dicere vos nõ audiuiſſe? eritq; ratio à pari, cùm vtraq; doctrina ſit vtilis, vt illam Deus haberi publicè voluit, ſic & iſtam nõ patitur latere. Vel à minori, Si hæc minus digna, nec tam cõmoda inuulgata eſt, an altera longè ſalubrior & vtilior nõ publicabitur? Et ſunt planè in ſcripturis permulta loca, quib. demonſtrari poteſt doctrinã Euãgelij per vniuerſum orbem inuulgandã. Eſa. 24. 59. & in Malachia, & vbiq; fermè in Prophetis. Quòd ſi per orbem publicatum eſt Euangelium, non potuerunt Iudæi cauillari, ſe non audiuiſſe, præſertim quum ab illis cœpta ſit prædicatio, iuxta illud: De Zion exibit lex, & verbum Domini de Hieruſalem. Neque Apoſtoli conuerſi ſunt ad Gentes, niſi quum iam deprehendiſſent Iudæos obſtinatè incredulos: tunc enim ad Gentes iuerunt, quæ tamen & antea miniſtros verbi Dei habuerant, quanquam non adeò copioſè, atque ordinata ſucceſsione, quemadmodum Iudæi. Vixit inter Gentes Melchiſedech, Balam, Iobus, & Sibyllæ, quarum à veteribus teſtimonia de Chriſto recitantur. Ioſeph in Aegypto vixit: Ionas miſſus eſt ad Niniuitas: Daniel & ſocij eius in Babylone prædicarunt: Nehemias & Eſdras apud Perſas, qui omnes aliquid lucis veræ pietatis inter gentes accenderunt. Sed per

Quod argumentũ eliciatur ex allegorijs.

Gentes habuerunt aliquot miniſtros, licet non ordinarios.

per Apostolos denique doctrina completa est. Conuincuntur Iudæi argumento à minori. Si Gentes remotæ atque fines orbis terræ audiuerunt, quomodo vos Iudæi non audiuistis? Et hanc rationem exponendi sequitur Chrysostomus. Neque mirandum est Paulum modo scribere inuulgatum esse Euangelium vbique: quia idem ad Colossenses cap. primo, atque id bis testatur. Primò dicit: In veritate Euangelij, quod prædicatum in vniuerso orbe fructificat. Et sub finem eiusdem capitis inquit: Euangelium quod prædicatum est apud omnem creaturam quæ sub cœlo est. Item in hac epistola cap. 15. exprimit quanto studio ipse laborauerit vt Euangelium passim diuulgaretur. A Hierusalem, inquit, vsque ad Illyricum circumiacentes omnes regiones Euangelio impleui. Et cùm in his amplius locum non habeam, veniam ad vos vt proficiscar in Hispaniam. Si vnus tantùm effecit, quid alios Apostolos & Euangelistas arbitramur præstitisse? Matthæus Aethiopibus remotissimis prædicauit, & Thomas Indis, quod vsque in hanc diem ipsi testantur. Et in primo cap. huius epistolæ scribitur fidem Romanorum annuntiari per totum orbē. Deberet autem hoc studiū Apostolorum excitare nostri temporis homines, vt assiduis prædicationibus instaurarent collapsam pietatē. Vnde illud præceptum Domini Apostolis datum, vt irent in vniuersum mundum & Euangeliū prædicarent omni creaturę, nostra quoq; ætate oporteret locum habere, vt quisq; in suis locis quibus est addictus, prædicatione minimè pateretur aboleri sanam doctrinam. Quod Euangelium in omnes partes orbis delatum esset Apostolorū tempore, alij qui per synecdochen exponunt, quod videlicet in prouincijs magis præcipuis & insigniori bus iam esset prædicatum, & ex illis ad finitimos fama saltem, & nomen huius doctrinę peruenerit. Et hanc sententiam sequitur Ambrosius, qui hoc loco ait: vbi defuit persona prædicantis, aderat fama. Et per simile hoc demonstrat. Admiranda opera quæ Deus in Aegypto gesserat ad seruādos Israelitas, fama fuerunt cognita in Hierico, vt Rahab testata est his nuntijs seu exploratoribus quos Iosue miserat. Publicè quidē ex magistratuū institituto nulla gēs adhuc Apostolorū ætate Christum profitebatur. Hoc enim tantùm factum est Constantini & Theodosij temporibus. Hinc & facilè intelligitur quid intellexerint, qui scripserunt quasdā nationes recens ad Euangeliū conuersas: quod sanè de Anglis dicūt quasi sub Gregorio ad Christū accesserint, per Augustinū eius legatū & Cantuariens. Episcopū: & de Saxonib. eos tempestate Caroli magni fidē Euangelij admisisse. Hoc sanè fieri potuit confessione publica ciuitatū & regionū, cùm tamen longè antea in illis locis Christus fuerit prædicatus. Et quod attinet ad Angliā à primis temporib. habuit Euangelij prędicatores nimirū tempore primi Eleutherij: & ita habuit, vt illic Episcopi perdurarint vsq; ad tēpora illius Augustini à Gregorio missi: seruabatq; insula pristinū morē Orientalis Ecclesię, præsertim Ephesinę, quo ad pascha, nā ipsum celebrabāt luna 14. Mart. Vnde potius inuexit ille August. quantū ego suspicor subiectionē tyrannicā sub Papa, quàm purum Christianismū: & sic de Saxonib. vel aliis cōsimilibus gentib. credendū est. Augustin. in lib. De natura & gratia ca. 2. affirmat sua tēpestate remotas aliquas regiones fuisse, licet pauciss imas, quib. adhuc nō esset prædicatū. Quod ego intelligo ita, vt receptū et creditū publicè fuerit verbū Dei. Scribit item hac de re in epistola ad Hesychiū, quę est numero 80. Sed quàm manifestissimè mecū facit Chrysost. super Matthęū Homel. 10. & in Matthęū, item cap. 24. dū interpretat hęc verba: prędicabit hoc Euangeliū regni in vniuerso orbe in testimoniū: atq; tunc erit cōsumatio. Prędicatū sanè est Euangeliū ante euersionē Hierosolymorū. nam consumatio ibi ad politiā Iudaicā debet referri, quę tempore Apostolorū euersa est. Vixit enim Ioannes vsq; ad Traianū. Prędicatū igit erat primo illo tēpore Euangeliū fermè vbiq;, at nō vbiq; receptū. Nō prędicatores passim accepti, vt Christus prędixerat: tradēt enim vos ait, in cōcilijs & synagogis flagellabūt vos, ducemini ante reges & præsides. Proinde ad modū pauci erāt, imò fermè nulli, qui vel prędicationē Euangelij nō audiuerint, vel saltē de Christo nobilē & insignē famā nō acceperint, quanquā successu temporū fieri potest, vt nomē Christi negligētia & incredulitate sit abolitū, vt Lusitani perhibent de locis à se inuentis iter quo nauigarūt à Gadibus in Indiā. Vnde solent aliqui mouere curiosam quęstionē, quid sit putandū de his qui nascunt aut in syluis extra hominū cætū, aut in his locis vbi Christus nō prędicat & nomē eius nō auditur. Quibus dicendū est huiusmodi homines si qui tales reperiant, excusari quidē nonihil, neq; fore illorū tā grauē dānationē, vt eorū qui audiuerunt Euangelū & cōtempserunt: non tamē salutis beneficiū cōsequi cùm suæ dānationis incertum sit, nēpe originis peccatū & pleraq; alia, quę ab illis indubitatò fuerūt adiecta. Posse quidē illis Deū reuelare Christū absq; ministerio externo minimè dubitamus, et fortasse id quādoq; facit ex sua misericordia, sed nō ex merito, vt mali sophistę dicūt, si faciāt qd in se causas habeāt, nēpe originis peccatū & pleraq; alia, quę ab illis indubitatò fuerūt adiecta.

Tempore Apostolorum Euangeliū quàm latissimè diffusum est per orbem.

Exemplum.

Angli. Saxones.

Quartadecimani.

Prædicatū erat ubiq; Euangeliū at non ubiq; receptum.

Nouæ regiones inuentæ à Lusitanis.

Quid fiat de hominibus qui de Christo nihil audierunt.

se est, quasi possint id mereri vt aiunt de congruo. Verùm de hoc dictum sit obiter. Illud verò attentè cogitandum est, non leue, imò prodigiosum fuisse miraculum, tam breui spacio temporis Christi doctrinam potuisse per vniuersum orbem diffundi, cùm tot haberet aduersarios, diabolum, sceleratos, nec non tyrannos, Pontifices atque sacerdotes, sapientesq; tum Iudęorum, tum gentium, & prædicatorum esset alioquin magna simplicitas & ruditas quo ad humanas artes. Intra viginti aut triginta annos Christi prædicatio ferè vbique audita est, vt Chrysostomus scribit. Philosophi autẽ ingeniosi & docti, sua dogmata nisi ferò admodum extra Græciam protulerunt. Et sic demum fuerũt per aliqua loca inuulgata, vt pauci admodum ea intellexerint vel illis crediderint. Maumethis doctrina forsan videbitur admiranda celeritate publicata: sed consideremus non fuisse, quę ille prędicauit, quod attinet ad summam, noua dogmata. Ille creatorem cœli & terræ non negat, immortales animos credit, Christum vt Prophetam commendat, resurrectionem mortuorum affirmat, pœnas quoque æternas & æternam felicitatem proponit, & alia permulta, quæ in veteri & nouo Testamento continentur. Vnde dicenda est hæresis, & sanè reliquiæ sunt Arrianorum. Christum enim commendat, sed vt creaturam. Aedificauit igitur super alieno fundamento. Christus verò & Apostoli cum prædicare cœperũt Euangelium, omnia prorsus aliena repererunt à suo instituto. Ideo miraculum fuit incredibile tam paruo tempore inuulgari cœlestem doctrinam, & aliqua ex parte omnibus fermè in locis aliquandiu hærere: per omnes enim fermè prouincias & ciuitates aliquæ familiæ credentium ad Christum accesserunt. Cùm itaq; tam longè latéque fuerit auditum Euangelium, quomodo Iudæi cauillari poterunt se non audiuisse?

Miraculum prædicationis tã cito dilatatæ.

Dogmata philosophorum tardè propagata sunt. Maumedis doctrina cur cito propagata.

Sed dico: Nunquid non cognouit Israel? Primus Moses dicit: Ego ad æmulationem prouocabo uos, per gentem quæ non est gens, per gentem stultam ad iram concitabo uos. Adhuc probat Israelitas non fuisse ignaros Euangelij sed illud manifestè audiuisse, non solùm quia nuncios primi habuerunt pacis, quorum fuit speciosus & plausibilis aduentus etiã, sed quia cùm inuulgaretur Euangeliũ per vniuersum orbem vsq; ad fines terrę, non eos latere potuit, nunc addit eos magno suo dolore & cruciatu Euangelium sensisse. Quod Moses prædixit futurum in Deuteronomio cap. 32. atque id meritò, Iudęi enim prouocarunt Deum ad zelum, per Deos, qui reuera Dij non erant, & illum reiecerant propter idola: Ita inquit Dominus, ego vos abijciam, & assumam in gentem meam & populum meum ethnicos, qui non erant gens, & stulti fuerunt populi, atque illos meis beneficijs ornabo. Pœna hæc fuit talionis. Quæsiuit synagoga alium Deũ, & Deus aliam duxit vxorem. Deus corripiebatur zelo quod suus cultus idolis tribueretur, & isti quoque zelo sunt extimulati, quod sua priuilegia & ornamenta viderent ad gentes translata. Scriptura per Antropopathiam Deum inducit quodamodo zelo laborantem: Et quid sit zelus descripsimus à præsentis capitis initio, dolorem scilicet quem capiunt amantes, cùm re amata vel non potiuntur, vel ad consortium possessionis eius alij admittuntur. Hanc interpretationem quo ad summam Chrysostomus sequitur. Quod autem dicit, *Primus Moses.* Primum accipit pro priori. Ac si dicat: Priorem testem vobis adduco Mosem, quia deinde citabit Isaiam. Prouocauit Deus Iudęos ad iram, inuidiam & zelum, quia gentes cępit excolere, atque notitiam scripturarum, spiritum sanctum, miracula, charismata, communionem omnium donorum spiritualium ad eas transferre. hoc videbant Iudæi & ringebantur. Duo interim hîc notabimus: Primum est, quod Moses appellat ethnicos, non gentes & stultos, quia reuera hæc est natura hominum priusquam à Deo assumantur, vnde & de Iudęis in Ezechiele pulchrè scribitur, quales essent priusquam Deus illos in populum suum adoptaret. Facit illam gentem Propheta instar puellæ sordidissimæ, abiectæ, desertæq; ab omnibus mortalibus, quæ iaceret obruta cœno & sanguinibus suis, vnde quoque ferè omnibus esset despectui & in conculcationem. Transiui, inquit Dominus, & misertus sum tui. Alterum quod est notandum. primum eximiumq; donum à quo Deus incipit aliquam gentem excolere, esse sanam doctrinam & pietatem. Inde homines mansuescunt, & ex barbaris efficiuntur mites, mansueti, & modesti, omniaq; fermè bona illos consequuntur. Scriptum est enim. Quærite primum regnum Dei, & hæc omnia vobis adijcientur. Nam Christus minimè venit nudus, verùm omnibus ornatus bonis. Et non dubitandũ est, si aliqua respublica manserit in religione sana, & perstiterit in confessione Christi, eam multis & præclaris bonis potituram. Non quòd semper futura sit bonis huius mundi, & politica felicitate prospera, sæpe enim fit vt paterna castigatione & disciplinæ exercitio homines opus habeant, sed bonis legibus, sanctis moribus, & religiosa conuersatione minimè destituetur. Neque tempore Pauli Iudæorum æmulatio fuit contra Ecclesiam Christi, propter bona politica: quia tum

Pœna talionis.

In quo deus prouocarit Iudæos.

Quales simus antequam à deo assumamur. Sana doctrina caput est donorum dei.

Ex doctrina purę religionis mã sueścit barbaries

tum temporis Christiani neq; magistratus neq; reges habebant, qui Christũ publicè profiterẽ tur, sed spiritualia dona inuidiã accendebant: quibus omnibus Gẽtes cumulatissimè abundabant, cùm Iudęi è diuerso, et quo ad politica ornamenta deiecti essent, nam Romani eis domi nabantur, & quo ad spiritus charismata prorsus destituerent, miraculis enim & prophetia carebãt, & postea sub Tito Vespasiano per vniuersum orbẽ vt mancipia vilissima sunt dispersi: dolorẽ hunc, zelũ & inuidiã cœperunt experiri à Christi Euãgelio prędicato: quare nõ poterant dicere se ignorasse, & tantò magis dolebãt, quãtò Gentes indignas huiusmodi beneficio Dei arbitrabantur, semper enim pro brutis & stultis habuerunt ethnicos. Pulchrè annotauit Ambrosi. hoc loco, Deũ fuisse vsum hoc dolore, et zelo, pro carnifice, quo peccatũ et idololatriã Iudęorum vlciscereturErat sanè peccatũ ista inuidia, sed Deus eius nõ erat autor, nisi qua pœna erat, & sæpius est dictũ, illũ punire peccata alijs peccatis. vtq; peccata proficiscũt ab eo rationẽ boni habẽt. Quomodo autẽ prouocauerit illos ad inuidiã seu zelũ, sic ostẽdere possumus. Primùm eis res exterius proponebat quib. sciebat illos cõmouendos & irritãdos. Deinde fortasse iuxta sententiã Augustini, corda eorũ mouẽdo, pro vt merebant, ad huiusmodi affectũ, nõ quidẽ inserendo in eis illũ de nouo, sed vt excitaret, qui alioquin fortasis iacuisset. Verùm ista illius irritatio, si sapuissent Hebræi, poterat ipsis esse instar monitionis vt ad Deũ redirent, & susciperent Euangelium, quod aspernabantur. Neq; abiectio Iudæorũ tota & propria causa est nostrę salutis, verùm ipsi tantummodo suppeditauit occasionẽ. Vnã verò & integrã habemus causam, qua seruamur, Dei misericordiã per Christũ. Et licet Iudęi sæpe fuerint graui captiuitate afflicti, nõ tamẽ hęc verba Mosis accipiẽda sunt nisi de hac postrema, quoniã in alijs nõ assumpsit Deus in populũ suũ oppressores Iudæorũ, neq; illos ornauit spiritualib. donis quib. Iudęi antea pollebãt, imò Gẽtes illas reliquit in sua cęcitate atq; idololatria Iudęis ereptis. Modo verò exuti sunt, & nudi vaganẽ Hebręi, christiani verò successerunt in adoptionẽ Dei, et spiritualibus donis ditati sunt. Addas, alias captiuitates illis admodum fuisse breues, huius verò neq; modũ neq; finẽ vllũ fieri. Non Gentẽ appellat quasi abiectissimã, quę nec nomẽ quidẽ Gẽtis mereret. Et reuera nõ potest esse iuncta societas & firmiter nexa, quę sine Deo & Christo coierit, desunt quippe nerui & vincula charitatis. quoq; magis ciuitas & Resp. longè est ab vnitate, eò semper debilior & infirmior euadit. Ex hoc loco nõ leuiter cõcutitur opinio quã vulgus habet de operib. moralibus, de philosophia & sapientia ethnicorũ. Miramur Græcorũ scientias, grauitatẽ Romanorũ, cùm historias legimus. At Deus appellat istos non gentẽ aut gentẽ stultã. quę maior fuit stultitia, quàm statuã ex ligno, lapidib. aut metallo sibi fingere, ac eam pro numine adorare? Quisue negabit, stultitiã priuationẽ esse veræ sapientiæ? Cũ igitur caruerint ethnici sapiẽtia à Deo reuelata, quę vera sapiẽtia est, stulti erãt. Neq; cũ Origene hîc libet philosophari, qui dicit, posse videri fortasse cõtumeliosum in gentẽ, quã merito fidei ac deuotionis Deus elegit, cùm dedigneť illã appellare gentẽ, & stultã nuncupet apertissimè. Et respõdet, ista sic accipienda, vt ecclesia nõ sit vna gens, quemadmodum Aegyptij, Scythę, Assyrij Chaldęi &c. constat enim ex omnibus gentibus, nec est speciatim gens aliqua. Deinde stulta nominat, quia noluit sapiens fieri. qui aũt vult in domino sapiẽs fieri, oportet vt fiat stultus. Hęc aliena sunt ab Apostoli sensu, nõ enim vt manifestè apparet, loquitur de cõstituta ecclesia, sed de illa priusq; à Christo reciperet, & ecclesia fieret: atq; tunc dicit fuisse nõ populus, quẽadmodũ, & Oseę dicit 2. ca. Et erit in loco vbi dictũ est, non populus Dei vos, omnes vocabimini filij Dei viuẽtis, & certè qui nõ sunt populus Dei, nõ sunt populus: & stulti erãt ethnici cùm vera sapientia, qui Christus est, carerent. Videatur quod idẽ Paulus pronuntiauerit de ecclesia priusquam ad Christũ conuerteret. In epist. ad Ephe. inquit: Eratis absq; Christo, alieni à repub. Israelis, extranei à testamẽtis, sine spe, & sine Deo in mundo. Et ad Corint. cum memorasset ebriosos, maledicos, fures, idololatras, masculorum concubitores, non admittendos in regnũ Dei, subiecit, & tales quidẽ aliquãdo eratis, nũc abluti estis, sanctificati estis. Sed cùm perstringat Mosis adducta sentẽtia, idololatras Hebręos qui Deũ irritarunt, propter eos qui nõ erãt dij, posset videri nõ cõuincere Iudęos, qui tẽpore suo & Christi ętate vixerãt, quia tunc in Israel idololatria nõ vigebat. His qui hęc obijciũt, dicitur, Iudęos illorũ tẽporum manifestissimè Deũ irritasse & abiecisse, cùm filium eius Christũ abiecerint, & in crucem adegerint. Tanta enim coniunctio inter patrẽ & filiũ est, vt qui filiũ respuunt, patrẽ retinere non possint. Adhęc, quo ad idololatriã, cùm illi offerrẽt sacrificia sine fide atq; pœnitentia, Deus eorũ oblationes detestabatur, vt passim Prophetę indicãt. Et eò profecerat illorũ impietas, vt suas traditiões pluris facerẽt, quàm Dei mãdata. Ita verò coli nullus Deus vult, & cùm his modis nõ colat verus Deus, & tamẽ aliquid colat, superest id esse idolũ, qd finxerũt sibi Deũ scilicet, qui ritib. his & cultib. delectet. Neq; refert, an in mẽte sit idolũ huiusmodi, an in lapide vel in ligno. Quare nõ minus q; patres eorũ Iudęi, cõtra quos Paulus agebat, Mosis sentẽtia cõprehẽsi sũt

Quæ prouocarint Iudæos ad inuidiam.

Deus huius inuidiæ author erat qua fuit pœna.

Quibus modis irritauerit deus Iudæos.

De postrema captiuitate ista sũt intelligenda.

Opera ethnicorum moralia de primuntur.

Ethnici uerè fuerunt stulti.

Qualis ecclesia fuerit priusquam à deo assumeretur.

Iudæi etiam postremo tempore fuerunt et hodie sunt idololatræ.

Idololatria tecta

sæpe nocẽtior est quàm aperta.

& perſtricti. Imò ſi rem volumus rectè ęſtimare, quò tectior erat hæc idololatria ludęorum, eò nocētior: nam ſibi videbant̃ pij & iuſti, quòd craſſa ſit externa idololatria nō laborarent: at Deus qui omnia intuet̃, & arcana cordis videt, illos repellendo manifeſtè indicauit, quid cenſeret de illorum hypocriſi. Licet iam nobis ex his intelligere, ſine Chriſto quales ſint Reſpublicę, imperia, & hominum cœtus. Et cùm id animaduerterimus, tales nos olim fuiſſe cognoſcamus, quod ſanè valebit, meo iudicio, plurimū, cùm ad noſtræ ſuperbiæ ſupercilių deprimendum, tum ad cohibendam indignationē contra eos, qui adhuc impietati & ſuperſtitionib. oppreſsi iacēt. Et caueamus quāta poſſumus diligentia, ne quòd ludęis accidit nobis quoq; cōtingat. Vt enim Deus regnū ſuū ab illis abſtulit, à nobis itē auferet, ſi tātùm aſsimulemus Chriſtianos eſſe, atq; re ipſa nō præſtemus, quæ religio quā profitemur exigit.

Parrheſia neceſſaria miniſtris uerbi dei.

Eſaias uerò audet, & dicit. Propterea dicitur audere Eſaias, quoniam apertius loquitur. Et fuit hæc ſanè fortiſsimi viri audacia, cùm verum dicendo periclitaretur. Exprimitur hac loquutione παῤῥησία illa, quæ neceſſaria erat concionantibus & prophetātibus. Veritas odiū illis ingens concíliabat, & capitales inimicitias. Quæ licet carni duriſsima eſſent, attamen viri Dei ea poſthabuerunt veritati ſibi commiſſæ. Cùm Paulo nunciarentur pericula capitis imminere, ſi Hieroſolymam profectus eſſet, inquit: Scio carceres & vincula ibi me manere, ſed nō facio animam meam precioſiorem meipſo. Vtq; ludęi perſequuti fuerint omnes, qui Chriſtum verè atque ſinceriter prædixerant, Stephanus in Actis demonſtrauit: quem non ſunt perſequuti, qui prædixerit aduentum iuſti? Notauit prudenter Origenes hoc loco, poſſe nos apertè colligere, Prophetas dum vaticinarentur, non fuiſſe mente mota, quaſi non intellígerent quæ prædicebant. Videbat quiſque illorum ſanè Prophetas malè accipi, qui ludaicę reipub. ſubuerſionē denunciaſſent, & nihilominus audebant ipſi quoq; illā annūtiare, cùm Deus id eis mandaſſet. Habetur 65. cap. Eſaię teſtimoniū quod adducitur:

Prophetæ ſanæ mentis erant.

Inuentus ſum his, qui me nō quærebant (inquit Paulus) *& apparui conſpicuè his, qui mei nō interrogabant.* Sequutus verſionē Septuaginta interpretū, quę à veritate hebraica quod attinet ad ſenſum nō diſcrepat. Verba in Hebręo ſic habēt. נדרשתי ללוא שאלו בקשוני אמרתי הנני הנני אל גוי לא קרא בשמי. In his verbis primo aſpectu quædam videtur eſſe contradictio, dicit enim: Quæſitus ſum ab his, qui me non interrogarunt, ſi non interrogabant, quomodo quæſiuerunt? At reſponſio facilis eſt: vel dicemus quæſiuiſſe poſtea, qui prius non interrogauerant: aut dicemus verbum נדרש, vt habet Rabbi Dauid in libro radicum, exponendum eſſe per חדמן à verbo זמן quod eſt paratū eſſe, occurrere, obuiam ire, præparare, inuitare. Ac ſi diceretur: occurri, obuiā me obtuli his, qui me non interrogabāt. Et Paulus cum 70. interpretib. vertit illud verbum per ἐμφανὴς ἐγενόμην, quod eſt, conſpicuus factus ſum, vel manifeſtè apparui. Deinde notandum quod apud Eſaiam priuſquam ponatur, Expandi manus meas toto die, ſequitur dixi: Ecce ego, ecce ego ad gentem, quę non inuocabat nomen meum, aut, ſuper qua non vocatum eſt nomen meum. Quæ verba item indicant manifeſtè, ſermonem de Gentibus inſtitutum, quæ nomine Dei non vocabantur, neque inuocabant illum ſuis precibus: quod in populum ludaicum minimè conuenit. Atque cùm addit:

Expandi manus meas toto die. Perſona tacitè mutatur, & incipit loqui de ludæis. Vnde Paulus apertè diſtinctionem interpoſuit, *Aduerſus Iſraelem autem dicit.* Nec ſanè de ludęis hæc intelligenda eſſe rabbini inficiantur, ſed tantùm in hoc diſcrepant, quod priora verba vnde caput auſpicatur etiam ad ſuam gentem pertinere arbitrantur. Sed vti diximus non conſtitit eiuſmodi ſententia, cùm in populo Iſrael & quęſitus fuerit Deus, & interrogatus: ibique Dei nomen eſt inuocatum, & ipſi nomine Dei fuerunt nuncupati: paſsim enim in ſcripturis dicti ſunt populus Dei. Et iuxta Pauli ſententiam pars altera qua dicit Propheta, Expandi manus meas toto die ad populum, ſubijcitur vt cauſa prioris, qua Deus ideo ſe dicat apparuiſſe Gentibus conſpicuus, ideoq; ſe illis obuiam obtuliſſe, licet aliud agentibus: quoniam iam tædio eſſet affectus nimia obſtinatione atque incredulitate ludæorum. Quibus autem rebus fuerint contra ſe rebelles ludæi, Propheta exponit: nam ſubijcit eos ambulare per viā non bonam, poſt cogitationes ſuas. Me (inquit) prouocant ad iracundiam, in facie mea ſacrificantes ſemper in hortis, adolentes incenſum ſuper lateres. Qui ſedent in ſepulchris, & in locis deſertis pernoctant, comedentes carnem ſuillam. Qui dicunt, mane apud te, neque accedas ad me, ſanctior ſum te. Declarant profectò iſta, quibus rebus à Deo diſcedatur: nempe quod ſequuntur homines figmenta ſua, & diuinis præſcriptis in religione parere nolint. hoc eſt Deum irritare coram facie ſua. Capiebantur ipſi voluptate hortorum, & ideo contempto verbo Dei, exiſtimabant, Deum illa delectari amœnitate, contemnentes altare conſtructum è terra, ſeu lapidibus rudibus & impolitis, vt lex iubebat, ex lateribus illud ædificabant,

Quibus rebus à deo diſcedatur.

bant: contra Dei præceptum vescebantur porcinis carnibus: & sedebant in sepulchris fortè à mortuis expectãdo responsa: vel, vt nostri faciũt, colẽdo reliquias cadauerum, aut in exequijs, aut vigilijs pro defunctis orando, vt è purgatorio eriperent: Habitãt in solitudine, vel ibi captando diabolorũ consuetudinẽ, vel, vt nostri Heremitæ faciunt, sanctitatẽ collocando in vita solitaria. Ista rabbinus quidã, vt videt̃ nasutus, veluti Munsterus adducit, cõatus est in Christia nos torquere, illi enim inquit, sacrificãt in hortis, habẽt enim sua claustra viridia iuxta tẽpla, in quibus cõmorantes, iactant se Deũ colere: incensum etiã super lateribus adolent, nam habent altaria sua in quibus aiũt se sacrificare: atq; in sepulchris habitant, circũeunt enim ad cadauera. & alia huius generis nostris obijcit. Laudãdus sanè ludęus iste mihi videt̃, nõ quòd Esaiã perperã interpretatur, & quę in ludęos dicũtur ad Gẽtiles torquet: sed quòd videre potuit superstitiosa esse, quę adhuc in Papatu pro eximio cultu retinent̃, & ea sensit in scripturis taxari in suis ludęis, quę nostri monachi & sacrifici pro summa ducunt sanctitate. Verè illi dicunt, ne accedas ad me, sum te sanctior. Si quis enim eos adeat, vt ex verbo Dei moneat, absterrẽt & omnino repellũt, neq; volunt audire. Vocẽ hebraicã סורר rebellẽ, Septuaginta interpretes, & illis cõsentiens Paulus duab. vocibus reddiderunt, scilicet per ἀπειθοῦντα & ἀντιλέγοντα. Nam duo hęc propria sunt deficientiũ à Deo, vt nõ credant, et eius præceptis contradicant: quẽadmodum è diuerso illi ad Deũ accedunt, eiq; sese dedunt, qui credunt verbis eius, & mãdatis obediũt. his duab. vocib. totius impietatis summa cõprehendit̃. Qua licet patres ludęorũ laborarint, filij tñ eorũ ad culmen illã impleuerunt, cùm Christũ adegerunt in crucẽ, ideo pœnas cumulatissimè dãt, & diu dederunt, vnde Christus verè dixit: vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est à sanguine Abel vsq; ad sanguinẽ Zacharię filij Barachię. Docet iste locus q; apertissimè esse plane necesse, vt Dei gratia nos anteuertat: quando quidẽ viríb. nostris nõ possumus esse priores ad salutẽ amissam recuperandã. Prius à Deo quęrimur: sese aliud agentib. nec tam tùm aliud, sed plane diuersum, imò aduersantib. offert. Neq; fieri potest, vt ex nobis corruptis initia boni erũpant. Pastor quęrit ouẽ errãtẽ, nõ ouis ipsum pastorẽ. Quærit mulier drachmã, nõ autẽ à drachma quęritur. Sumus delapsi in tam altã abyssum, vt inde per nos ipsos minimè possimus emergere. Cumq; propter peccatũ simus iam mortui, nos ipsos minimè valemus excitare. Quęrã itaq; libenter ab his qui præparãtes actiones defendũt, an per peccatũ mortuos homines fateri velint, an non: Si nõ fatent̃, Paulũ habẽt cõtra se pugnantẽ, qui dicit, stipendiũ peccati mortẽ esse: videbuntur q; malũ nõ adeo graue arbitrari peccatũ, vt secũ extremũ adferat exitiũ. Quòd si fatent̃ eos qui peccant, esse corã Deo mortuos, porrò aliunde vis expectãda est, qua surgant & reuiuiscãt. Quęrã itẽ ab illis, an Abrahamus à se ipso motus fuerit, vt è terra sua discederet, & idololatriã desereret: An Israelitę seipsos ex Aegypto liberauerint: Quòd si valuit in his omnib. Dei efficacia & bonitas. quid hominẽ cõtendunt iam peccato mortuũ, minimè dubia: hoc tamẽ dico, eos qui opera præparatoria statuũt, adeo innexos habere pedes testimonijs scripturarũ, vt quò se magis cõmouent, magis arctent̃, & minus valeant effugere. Apparet præterea hinc, quare dicti sint ethnici, dum erant à Deo alieni, nõ Gens, & stulti: quia Deũ non quęrebant, & Deũ nõ interrogabãt. Primus præcipuusq; gradus salutis est, vt Deus se nobis declaret, atq; id ἐμφανὴς, nisi eñ dilucidè clareq; se nobis reuelet, semper nostra mẽs resiliet, cùm à diuinis ob innatã corruptionẽ horreat. Si Deus inuenit̃ à nõ quęrentib. & apparet nõ interrogantib. accidit illis fortuitò salus: nõ quòd fortuna seu casus quo ad Deũ statuatur, sed quod ad ipsos attinet. Illi enim aljs aguntur consilijs, longè diuersa habent instituta, quam

facere: agit enim Propheta de ſtudio Dei, quo vel ab antiquiſsimis temporibus populum Iudaicum ad ſe vocabat. Imò Chriſtus priuſquam in cruce pateretur aiebat: Quoties volui congregare filios tuos, vt gallina ſuos pullos ſub alis, & noluiſti? Quo demonſtrat, & ante crucem habuiſſe manus extenſas ad vocandum. Per hæc adimitur Iudæis excuſatio, neque dicere poterunt ſe non audiuiſſe. Quia, vt Chryſoſtomus pulchrè annotauit, ad iſtas vocationes & dona poſtremò adiecit irritationem, quo affectu ſolent multi commoueri, qui tamen vel ſtupiditate vel contemptione alioquin minimè ſe mouerent, quod vel in ipſis pueris videre licet: nam quandoque fit, vt puellus à parente vocatus, obſtinato quodam animo recuſet venire: at ſi viderit alium puerũ abblandiri patri, & ab eo amanter excipi, ſtatim correptus æmulatione ipſe quoque accurrit, adeo validus eſt zelotypiæ affectus. Suſcepit itaq; Deus gentes beneficijs ſuis excolendas, vt irritati Iudæi, ad ſe vel per æmulationem redirẽt. Sedulam hanc Dei bonitatem in Iudæis vocandis expreſſam habemus in Hieremia cap. 7. & 11. vbi Deus teſtatur, ſe manè ſurgendo miſiſſe Prophetas ad populum excitãdum. Quod etiam Chriſtus in parabola ſuæ vineæ ſatis euidenter expreſsit, neque populo Dei vllo tempore vnquam iam inde à primo patre Abrahamo vocantes, & miniſtri ſalutis à Deo miſsi defuerunt: Illi verò ſemper increduli & contradicentes perſtiterũt. Aiebant Chriſto in Beelzebub eijcit dæmonia: & Moſis tempeſtate verbo, Dei obſtinatiſsimè reſiſtebant: vnde illis in Deuteronomio coràm dixit Moſes: vos ſemper cõtentioſè egiſtis. Videmus iam in Eſaia contineri quod ſuperius Apoſtolus dixerat, Gentes quę non ſequebantur iuſtitiam, ad legẽ iuſtitiæ peruenerunt, Iſrael vero qui ad eam aſpirabat, ad illam non valuit pertingere. Quare non debuerunt Iudæi offendi, ſi ab Apoſtolo audiunt, quod prius Eſaias eis vaticinatus fuerat. Chryſoſtomus iſto loco primùm dicit, Paulum noluiſſe dicere, Gentes ad ſe Deum attraxiſſe, nẽpe ſua fide, aut pio affectu, quia totũ Dei eſt, & noluit vt efferrẽtur. Sed mox inquit, non fuiſſe tamen vacuos ethnicos, quoniam à ſe ipſis attulerunt, vt apprehenderent & cognoſcerent. Mirum quomodo tam pugnantia eodem loco dicat, Dei eſſe totum, & illos à ſe ſe attuliſſe fidẽ. nõ enim alia re vel cognoſcitur, vel apprehenditur Deus, quàm fide. Quare citra controuerſiam prior pars eius ſententiæ admittenda eſt: nimirum, totum eſſe Dei. Quod autem ſequitur, eſt reſpuendum, nos enim, inquam, à nobis ipſis fidem afferre.

CAPVT VNDECIMVM.

Methodus huius capitis.

SVMMA doctrinæ huius capitis ita breuiter poteſt recenſeri. Non ita perierunt ad vnum Iudæi, vt nulla ſuperſit de illorum ſalute ſpes. Reliquiæ adhuc manent, quæ ſeruantur: & nunc quidem numero paruo, at ſal mundi ſunt, & magna copia fient olim conſpicuę. Interea loci alij ex Iudæis manẽt excæcati, quod & merentur, & de illis antea prædictum fuit. Verùm per has reliquias paucas, quæ modo ſeruantur ſalus eſt orbi communicanda, quia Apoſtoli & alij Euangeliſtæ oriundi ex Iudæis diſcurrent per omnes terræ fines, Chriſtum prædicando. Et excæcatio illa Iudæorum occaſio erit ſalutis gentium. Cùm enim plenitudo fuerit iam ad Chriſtum conuerſa ex Gentibus, tunc & Iſraelitę accedent. Deus verò ſuo arcano miroq; conſilio voluit omnes ad tempus concluſos ſub peccato, vt omnium miſereretur. Gentes toto tempore ante prędicationem Apoſtolorũ iacebant in tenebris, paucis admodum exceptis. Prędicato autem Euangelio deſerti ſunt Iudæi. Et quoniam ratio diuini propoſiti non poteſt à nobis comprehendi, quadam exclamatione religioſiſsima ſuam doctrinam concludit, ô altitudo diuitiarum: affirmans his de rebus neminem Dei eſſe conſiliarium. Itaq; iam ſumma doctrinæ expoſita, quæratur propoſitio prioris partis huius capitis: quod vt apertius fiat, repetamus aliquanto altius dicta. Promiſsiones voluit Paulus Iudæis factas, verùm non ita, vt ad omnes pertinerẽt, ſed tantùm ad electos & prædeſtinatos. Ideoq; cùm multi ex Iudæis non ſint ex numero electorum quod probauit in Eſau & Iſmaele, permulti quoq; ſunt, quos non reſpiciunt diuinæ promiſsiones, multiq; ſua incredulitate perierunt. Oſtenditur proinde non eſſe vniuerſalem illorum caſum, leniunturq; ac molliuntur quæ antea potuiſſent offendere, videlicet Iudæorum credentium tantam eſſe paucitatẽ, vt Eſaias dixerit, Domine quis credidit auditui noſtro? Et Moſes irritatos eſſe Iudæos in gentem ſtultam & non gentem. ac deniq; Deum expandiſſe manus ad populum rebellem non credentem & contradicentem. Niſi ſic orationem temperaret, videri potuiſſet odio ſuę gentis illa produxiſſe, perſonam ſubit interrogantis, quò magis permoueat & attentos faciat. Dicitq;.

Num

Num repulit Deus populum suum? Ac si obijciatur, indignum est, vt Deus mutetur, vt sui fœderis initi obliuiscatur. Propositio igitur erit, non repulit Deus omnes Iudæos, verùm ex illis præscitos seruabit, quos videlicet ipse prædestinauit. Est duarum partium ista sententia. Primùm dicitur non abiecisse Deum omnes Iudæos contra suum fœdus: deinde non omnes esse comprehensos in illo fœdere, sed tantùm prædestinatos. *Bipartita propositio.*

Ipse enim sum Israelita ex semine Abrahæ. Probatio prima est à sui ipsius electione. Sit, vt ita dicam, syllogismus quem expositorium vulgò appellant, Iste non est reiectus, iste est Israelita: Igitur non omnes Israelitæ sunt reiecti. Atque demonstratiuo pronomine se ipsum ostendit. Quòd verò Iudæus sit, declarat primò generaliter, se appellans Israelitam. Et ne putetur proselytus, adijcit, ex semine Abraham. Postea subiungit, ex tribu Beniamin. Quo probat se non obscuro loco natũ. Fuit tribus Beniamin inclyta, quę non ab ancillis, sed à Rachel dilectissima vxore producta fuerit. Deinde primus rex, nempe Saul, ex ea procreatus est, atque domini templum in sorte illius ædificatum. Idem quoque recensetad Philippenses. Ad Corinthios verò posteriore, affirmat se Israelitam, & ex semine Abrahami. Quod si mihi non obfuit Iudæum esse, neque vobis nocebit, proinde bono estote animo. Et potest argumentum hinc à maiori colligi negatiuum: quia multò magis videbatur, Paulo debere obesse Iudaismũ, cùm erga illum non contemnendã haberet ęmulationẽ, persequebatur enim maximo furore Christianos, & nihilominus ita susceptus est, vt prędicatio illi credita fuerit, sitq; cõstitutus magister orbis, & habuerit omnia Christianę pietatis mysteria sibi cõmissa. *Tribus Beniamin nobilis.* *Iudaismus nõ obfuit Paulo.*

Non itaque repulit Deus populum suum quem præcognouit. Suum dicit ob peculiarem appellationem, qua Israel passim ornatur in scripturis, & propter fœdus publicè initum, quódque omnes profitebantur inter se & Deum intercedere. qui fuit Iudæis olim propitius non factus est eis inuisus. & quod fuit aliàs gratiæ, scilicet, Iudæum nasci, nunc haud est indignationis. Neque Iudæi hoc nomine Deo sunt odiosi, quòd sint Iudæi: Nam quî hoc fieri posset, cùm tot atque tantis donis fuerint illustrati, vt illorum sit adoptio, gloria, testamenta, Legis constitutio, cultus, patres, & Christus secundum carnem, quemadmodum in hac epistola superius dictum fuerat? Si ergo me non reiecit Deus, non abiecit populum suum quem præsciuit. Hîc genus atque stirps determinatur electione Dei. Non satis est genus, nisi accesserit prędestinatio. Neq; vsq; adeo necessarium est genus, quoniam & extra illud reperit electio (Gentes enim carne minimè natæ sunt ex Abrahamo, neq; ad electionem pertinent quotquot ex eo sunt nati) non tamen parum est ex sanctis nasci. Imò cùm illis promissio facta sit, id esse deberet non leuis stimulus parentibus ad eos piè sancteq; instituendos. *Iudæi quo ad genus neque hodie sunt deo ingrati.* *Stirps non sufficit nisi accedat prædestinatio.* *Et prædestinatio extra semen Abrahami esse potest, & stirps absq; prædestinatione non sufficit.*

Quos præcognouit. Non est hoc de simplici notitia intelligendum, nam & qui damnantur Deum non latent: sed cognitio ista coniunctam habet approbationem: illiq; dicuntur prænogniti, qui susceptiàDeo sunt, quósque vt suos & seruandos à cæteris semouit. Vnde Augustinus de bono perseuerantiæ, verbum hoc, præcognouit, vertit, prædestinauit. Qui constare volunt electionem operibus præuisis, dicunt, illos deligi, quos Deus præsciuit crediturosq; & piè sancteq; victuros. At ista superius prolixè fuerunt confutata, quare maneat nobis potius diuersa sententia, vt credamus ideo nos assentiri Deo & piè viuere, quoniã sumus electi, non autẽ electos esse, quòd fuerimus crediturì: à Deo, cõuenit, vt nostra salus pẽdeat, nõ autẽ vt à nobis ipsis ortũ habeat. Christus dicebat, vt scribit in Ioãne, Quos dedisti mihi non perdidi. Hoc est, si qui me nõ audiunt, si qui pereunt, nõ sunt illi quos mihi dedisti.

An nescitis in Helia quid scriptura dicat? Quomodo interpellat aduersus Israelem? Rationem alteram subijcit ab exemplo temporum Heliæ, atque, vt Chrysostomus annotauit, necessario. Potuissent enim Iudæi facilè obijcere, Quid? in te ipso vno, aut paucis tui similibus arbitratis diuinæ promissioni satis factum, qua prædictum est, semen nostrum per Christũ fore benedictum maximo numero, ita vt cum stellis & arena maris possit conferri? Propterea vult Apostolus declarare maximam quoque multitudinem ex Hebreis esse, quam Deus electione sua sibi seruauit, licet id Iudæos incredulos lateret, quemadmodum Helias ignorauit permultos fuisse à Deo pręseruatos, ne Baal adorarent. Exempla desumere confirmationum è scripturis vtilissimum est, modò caueatur, vt quo ad similes partes fiat collatio, quod isto loco pulchrè Apostolus obseruauit, vt à nobis postea demonstrabitur. Est prętereà in eis obseruandum, vt ne cõmunibus legibus aduersentur, quoniam tunc admirãda sunt potius quàm imitanda, sanctorum facta: nam iuxta leges viuendũ est, non secundũ quędã peculiaria gesta patrum. Putabat Helias de pietate actum, omnesq; sanctos è terra Israel excisos: & falsus est, cùm sibi Deus septẽ millia reliquisset. Ita etiã isti fallebantur, qui tam paucos Iudęos opinabantur cum Christo & Euangelio facere. Sed quemadmodũ tunc multi ab idololatria ser- *Quid in exemplis è scripturis depromptis obseruandum.*

uati fuerant Dei benignitate, ſic modò gratia eiuſdē, multi ab incredulitate liberantur, & lō
gè plures ad finem ſeculi eripientur. Hiſtoria hęc 1. Reg. habetur cap. 19. Quamuis narratio
geſtorum Helię incipiat cap. 17. Ibi prędixit Achabo propter idololatriā et auctā impietatē
cœlum claudendum. Abijt hoc infortunio denuntiato, & Deus illum abſcondit iuxta torrē
tem Cherith: nam quæſiturus erat illū Achab, vt occideret. Coruus eum paſcebat quotidie
ſuo miniſterio, quo declarabatur, ſeruos Dei, cùm fuerit neceſſariū, omnia ſibi habere inſer-
uientia, vel ipſa animalia, quæ prorſus videntur alioquin inutilia. Torrens exiccatus fuit ob
pluuiarum defectum: potuiſſet Deus aquas illi reſtituere, quò Propheta inde valeret potari,
ſed noluit, imò illum miſit in Sareptam, vt fideli pięq; viduę ſubueniretur, atq; illius filio, qui
vt putant Hebręi, fuit Ionas. Iuſſus eſt redire ad regnum poſt tres annos & dare pluuias: ſed
fertilitas non viſa eſt oportunè reſtitui, niſi prius repurgaſſet terrā idololatris. Iuſsit Prophe-
tas in monte Carmelo adunari, ibiq; non potuerūt illi a Deo ſuo impetrare ignē è cœlo pro
Hiſtoria Eliæ. holocauſto. Id verò Helias ingenti miraculo obtinuit. Quod cùm non poſſet omnibus non
approbari, comprehendit Prophetas, & interfecit ad torrentē Ciſon, atque largiſsimos hac
cæde iuſtiſsima patrata, impetrauit à Deo imbres. Neq; damnandus eſt vt homicida, quòd
tam multos Prophetas occiderit: nam illi propter idololatriam iuſta lege Dei, rei fuerunt
mortis. Et quoniam ceſſabat ordinaria poteſtas, licuit Prophetæ illos punire, cùm à Deo illi
commiſſa eſſet poteſtas extraordinaria. Iezabel impia mulier his auditis, iurauit ſe poſtridie
interfecturam Heliam, vnde ipſe fugit, atq; in itinere feſſus, & ſecum reputans impietatem
quę tum vigebat, eùm vitę pœnituit, petiuitq; à Deo vt moreretur. Affuit Angelus, illiq; ap
poſuit panem ſubcineritiū & aquam, bisq; iuſsit vt cōmederet, inde ad montem Dei Oreb
peruenit, & in ſpelunca Dei colloquium expectabat. Et rogatus quid ageret, reſpondit quę
modò Paulus citat: atq; ſtatim ventus validiſsimus excitatus eſt. cęterùm in vento vox audi
ta, nō in vēto dominū eſſe, poſt ventū fuit valida cōmotio, poſt cōmotionē vehemēs ignis,
at neq; in cōmotiōe, neq; igne affuit Deus: aura ſubſequuta eſt tenuis, quaſi ſibilus & ibi do
minus, qui rogauit Heliā, & quid ageret: Is dixit: zelo ſum zelatus pro Deo, q filij Iſrael de-
reliquerint fœdus, Prophetas occiderint, altaria euerterint, & nunc q̄q; animā meā quęrant.
Rabbi Leui. Quid ſibi hęc voluerint paucis dicā. Iuxta interpretationē rabbi Leui filij Gheriſchō vētus,
cōmotio, & ignis, referebāt zelū, & Helię impetū, qui ſtatim voluiſſet Deū iraſci, vlciſci, per
Locus ex lib. regum declaratur dere impios: ibi non erat dominus, quia nō ſic agere ſtatuerat, ſed leniter pedetentimq; cor
ripere quidē & punire volebat, moderatè, inquā, interpolatis tēporib. et vicib. ideo in aura
tenui & ſibilo erat dominus. Idcirco audita querimonia Helię dixit: puniā equidē oportunè
haud quidē pro tua volūtate, ſed pro mea ratiōe. Vnge Azaelē in regē Syrię: ille ſuo tēpore
miniſter erit vltionis. Itē, vnge Iehu regē Samariæ: isq; Baaliſtas coercebit. Vnge quoq; in
Prophetā qui tibi ſuccedat Helizeū: is q̄q; corripiet populi ſcelera. Quod verò te putas reli-
ctū eſſe ſolum, nō eſt verū: reliqui enim mihi ſeptē millia hominū, qui nō curuarūt genua co
ram Baal. Ita ſæpenumero accidit pijs, vt nimio zelo correpti expoſtulēt cum Deo, ob im-
Pij nimio zelo expoſtulāt cum Deo. piorū felicitatē, quaſi ille videat negligere cauſam ſuā. Hodie q̄q; nobis id vſu venit, quādo
putamus nos relictos eſſe ſolos, cùm Italia, Gallia, & Hiſpania tota videat ſuperſtitionib. &
Antichriſto ſeruire: at nō ita eſt. Eccleſia nō eſt excisa, licet premat magna tyrānide, atq; sūt
in illis locis multa millia proborū virorū, qui ſuis in anguſtijs et preſſuris Deo fidē caſtiſsimā
ſeruāt. Septē millia, nō eſt accipiendū pro certo et definito numero, ſed pro ampliſsimo. Ser
uādorū multitudo nequaq; metiēda eſt captu noſtri ſenſus, & arbitratu humani iudicij: ſem-
Duplex hominum expoſtulatio cum Deo. per Deus multos ſibi ſeruat, & in Papatu, & ſub Turca, & in Cōcilijs, q̄s ignoramus. illi vero
cui oportet probè ſunt cogniti. Expoſtulatio vero ſanctorū cū Deo poteſt bifariā accidere,
vt ſimpliciter doleāt, & apud eū cōqueant de peccatis, de impietate, idololatria & ſimilib.
atq; exponāt, q̄q; illis moleſtū ſit videre talia, et hoc facere pium eſt & laudabile, vſitatūq; pro
phetis & pſalmis. Quandoq; fit quaſi Deū velint accuſare negligētiæ, vt qui ſuā deſerat cau
ſam, eiq; velint prędcribere modū, veluti ſi eſſent eius loco longe melius rē adminiſtraturi eſ
ſent, q̄d vtiq; peccatū eſt, & quidē nō leue. Quę illo tēpore acciderūt, admodū ſimilia erant
his, quę Paulus experiebat. Totū quippe regnū decē tribuū pręuaricatū erat, & in regno lu-
da pauci admodū verę pietatis cupidi & ſtudioſi ſupererāt, ſicuti primis tēporib. Apoſtolo
rū, oēs fermè à Chriſto videri poterant alieni. Voluiſſet ſanè mori Helias, neq; ſecus multi ſę
pe miniſtri reperiunt, qui ob moleſtiā vocatiōis, petulantiā, incredulitatemq; populi, ſua mi
Miniſtri nō deſerant ſuam uocationem. niſteria deſerere cogitauerint, laborātes eadē infirmitate, qua noſter is Propheta videt fuiſſe
vtcunq; fractus cùm peteret, vt morereť. Sed ſciāt miniſtri, manendū eſſe in ſua vocatione,
quoad vires corporis patiunt, & vi non ejiciant. Quoad enim poſſunt ferre vt verbum Dei
audiant,

audiant, nunquam sunt homines & populi commissi eorum fidei deserendi. Quod si contemptores ad vnum omnes fuerint, neq; patiantur verbum Domini prædicari, vt Christus iussit Apostolis, excutiant contra eos puluerem pedum & abeant. Dum tamen aliqui eorũ sunt, qui ferre velint vt pastor prędicet, & sermones Dei tractet, non est cedendum ministerio. Vnde nescio quàm bene fecerit ille Melitius, cuius Theodoritus meminit lib. 2. cap. 31. qui ecclesiæ cuiusdam Armeniacæ deseruit episcopatum offensus nimia suorum inobedientia. Sed idem postea cùm electus esset Episcopus Antiochenus, & aduersus Arrianos orthodoxã fidẽ propugnaret, eiectus est in exiliũ. Quo facto Deus fortasse declarauit, non fuisse sibi gratum, quòd à priori vocatione discesserit. Exemplo istius Prophetæ cognoscere possumus, quot molestię deuorandę sint à ministris in ecclesia regenda, & nõ sanè leues aut vulgares, sed præ quibus mors videatur eligenda. Quanta molestia & zelo putemus Christum dixisse, Generatio incredula, quousque vos patiar?

Historia Melitij

Ministris permulta sunt deuorãda.

Qui non flexerunt genua Baal. In Hebraico additur, & non osculati sunt. Quamuis ratio idololatriæ in animo resideat, his attamen signis sese prodit exterius. Impij genua flectebãt idolis & ea osculabantur. Atque hîc Nicodemitæ nostrorum temporum manifestè conuincuntur: Nam dominus ait, illos quos sibi seruauerat, hęc non fecisse, quomodo illi arbitrant̃ propter persequutionẽ id sibi licere? *Baal* à verbo deducitur hebraico, significat enim בעל dominari, & maritũ agere. Deos enim factitios in dominos & patronos sibi deligebant, vt nostri sanctos habuertũ tutelares quos colerẽt. Nec; mariti vox aliena est ab idololatria: pro vero enim Deo, qui est vnicus ecclesiæ vir, alios deos ceu maritos inducebãt. Vnde Prophetę appellabant idololatriã scortationem, fornicationẽ, & adulterium, quam tamen impij, vt arbitror, matrimonij titulo volebãt cohonestare. Succẽsebat huic nephario sceleri Deus, & meritò: conabant̃ enim partiri & diuidere cultũ in plures Deos, qui vni tantùm debebatur: & quod in illa eorum figmẽta erat distributũ, Deo vero decidebatur. Nilq; magis cogitari poterat primo maximoq; mandato contrariũ, quo pręcipit, vt diligamus Deũ toto corde, tota anima, & omnib. viribus. Adeoq; cultũ hunc Baal Deus est detestatus, vt in Osea Propheta ca. 2. dixerit: Vocabis me אישי vir mi. non autem בעלי marite mi. Licet enim Deus maritus esset ecclesię, non tamen ita vocari ab ea voluit, ne vllo modo cõmunicaret nomine cum idolis. Vnde sępe miratus sum, quomodo veteres ab initio Christiani siuerint obtinere nomina dierũ Solis, Lunę, Martis, Mercurij, Iouis, & Veneris & Saturni, atq; istis ijsdẽ nominib. appellare ipsi quoq; voluerint stellas. Certè cùm ista tum tẽporis fuissent idolorũ nomina, præstitisset aboleri: fuitq; tum magis periculosum, q; hodie. Non enim supersunt modò qui colãt eiusmodi idola, quẽadmodum tum adhuc fiebat, quanquã video in ecclesia apud multos vsurpatũ fuisse, vt primam, secundam, tertiam, & quartam feriam dicerent, quemadmodum Iudæi primam, secundam, & tertiam sabbati. Atque itidem potest videri mirum de mensibus Ianuario, Martio, & similibus, pro quibus pij substituebant appellationes iuxta ordinem numerorum.

Quis sit Baal, et quomodo ea uox idolis congruat.

Nota de nominibus dierũ, et stellarũ, & mensiũ.

Helias interpellat aduersus Israelem. Ingeniũ Prophetarũ videtur potius ad misericordiã debere esse propensum. Samuel offensus ab Israelitis dicebat: absit à me, vt pro vobis orare desinã. Quomodo nunc Helias contra Israelem interpellat? Quidam dicunt, solum hanc fuisse querimoniam familiari colloquio institutã coram Deo: sed apertè Paulus habet κατὰ τοῦ ἐντυγχάνει cõtra Israelem. Et visio eius quo ad ventum, cõmotionem, & ignem, declarat illam quæsiuisse zelo permotum, vt Deus vlciscereturimprobitatem Israelitarum. Vnde Paulus rectè interpretatus est eius preces, quòd aduersus Israelem æditæ fuerint. Sed Prophetis & sanctis viris id minimè oportet vitio dari, cùm illi non in homines, sed in vitia & peccata inuehant, illa perdita, illa punita vellent: & quia non separantur ab hominibus, ideo illorum preces, vt sunt, ea describunt, nempe cum hominibus. Præterea sæpe illos videas ad voluntatem Dei, quam spiritus impulsu nouerunt, se velle adiungere, atq; illã pro viribus approbare, ideoq;, vt nouerunt aliquos puniendos, illos precibus suis videntur insectari. Et quæ precando sæpenumero videntur dixisse, tantùm ea protulerunt, vt ætati suæ prędicerent, quæ in posterũ euentura nossent. Domine, inquit, fœdus tuum transgressi sunt, & Prophetas tuos occiderunt. adeo pietati & vero Dei cultui aduersata est Iezabel, vt delere voluerit omnes Prophetas. Cuius tamẽ furori eo tempore pietas Abdiæ sese opposuit, & centum Prophetas occultauit in speluncis, quinquagenos & quinquagenos.

Quomodò Elias orauerit contra Israelem.

Licet sanctis orare cõtra impios.

Quærunt, inquit, animam meam. Iezabel enim comminata fuerat, se illum interfecturam in crastinum, quando se subduxit. *Reliqui mihi.* Quando sic Deus respondet, manifestè declarat alios qui flexerunt genua Baal, & ipsum erant osculati, ad se non pertinere. Atque quod ait,

mihi reliqui, suum id ostendit fuisse munus, vt isti quoque non fuerint prævaricati. Necp dí-
Totum dei est. cit ego his auxilio meo potiorem præstiti partem, sed prorsus ipse mihi reliqui. Concludit
hinc Paulus non omnem populum Iudæorum esse reiectum, nec tamen omnem esse suscep-
tum. Et in exemplo quod adducit, quando ipsum tam luculenter & fusè tractat, acerrimè
Iudęos accusat. Ostendit enim illis in re gesta suorum maiorum, quales in presentia ipsi quo
que essent. Si enim dixissent Christum adegimus in crucem vt impostorem, Apostolos eius
persequimur vt deceptores: Quid fecerunt inquit patres vestri Heliæ? Quid Prophetis? Lo
cus iste declarat, quales Iudæi semper fuerint in Dei nuntios. Transfertur quodāmodo accu
satio, vt inquit Chrysostomus, & est, ac si diceret, iam nō vos accusat Paulus, non Petrus, nō
Iacobus, aut Ioannes, sed Helias, qui cœlum clausit, quem coruus pauit, qui Baalitas occidit,
& ignem cœlitus impetrauit, cum quo Dominus tam familiariter, vt audistis, est loquutus.

Excelsa. *Altaria tua exciderunt.* Ista fuerunt excelsa in quibus Patres Abrahamus, Isaacus & Iaco-
bus antiquitus immolarunt: manebant adhuc eorum altaria in nomine Domini erecta, & li
cuit in illis immolare vsque ad templi ædificationem. Sed Israelitæ, nimirum decem tribus,
ita Dei nomen auersabantur, vt neque altaria illa supereſſe pati potuerint: nolebant enim sa
crificia fieri nisi suis vitulis aureis, aut Baal & cæteris idolis, Dei autem veri nulla ferebant
Altaria hoc tempore nō sunt habenda. extare monimenta. Quod verò attinet ad altaria Euangelij tempore nullum habent locum:
quia cùm sacrificium vnicum nostrę salutis perfectum sit per mortem Christi Iesu seruatoris
nostri in ara crucis, & victimarū oblationes omnino sublatę, altaria quoq; desierūt. Mensam
verò in cœtu fideliū erigimus, super quam Domini cœnā celebramus. Vtq; finiā denicq; hūc
locum, monendum censui, vt ea diligentia scripturas excutiamus, qua illas videmus Paulū
tractasse: nisi enim attentione summa ista legisset, non ita dextrè potuisset de illis disserere.

Sic igitur & in hoc tempore reliquiæ secundum electionem gratiæ fuerunt. Applicat exemplum iam
Saluādi reliquiæ appellantur qd' sint pauci. tractatum negotio suorum temporum. Cùm inquit reliquias, denotat partem illam, quæ pe
rijt longè maiorem esse, vt superius dixerat: Si fuerit multitudo filiorum Israel sicut arena
maris, reliquiæ saluæ fient. Et, Nisi Deus reliquisset semen, sicut Sodoma fuissemus, & sicut
Gomorra. Vnde si Heliæ tempore cùm minor pars esset seruata, promissiones non excide-
runt, ita & modò in tanta cæcitate Israel non fiunt irritæ. Vtq; adhuc magis Iudęorum super
cilium deprimat, inquit, istas reliquias supereſſe nobis haud ex merito, vel ex operibus, sed
gratia. Idcirco nouam hîc habemus propositionem, cuius prior pars non probatur, quod vi
delicet qui seruanť, ex gratia seruentur, id enim omnes concedunt: sed id ostendit ex operi-
bus non esse hanc salutem, quod opus habuit demonstratione, Iudæi non negassent priorē
Merita nō possunt admisceri gratiæ. partem, vt hodie quoque Sophistæ non negant, sed vtrique illorum semper conati sunt me
rita hominū admiscere. Exprimit Apostolus quid potissimum per gratiā intelligat, nempe
Præcipua gratia est electio. diuinam electionem: illa enim prima & præcipua est omnium gratiarum & donorum. Ele-
Quid sit electio gratiæ. ctio gratiæ phrasi hebraica, est electio gratuita, non ex meritis: Chrysostomus attamen &
Scholia Greca putarunt voce electionis quodāmodo corrigi, aut contrahi nomine gratiæ
vt adiuncta electione intelligas dari gratiā iuxta probationē. Quid verò per probationem
intelligant, non adeo liquet, nisi quod alterum duorum videmus necessariū, nimirū, vt vel a-
ctiuè vel passiuè accipiant probationē. Actiuè, quod gratiā habeant reliquię ex eo quod eli
gunt & probant quę sunt recta, sana, & iusta. Vel passiuè, quod probati sint à Deo vt pij, iu-
sti, & credentes. Primùm nō potest admitti, quoniā hîc aperte nō de hominū προαιρέσει agit̃,
qua bona vel mala suo arbitrio eligant: sed de electione Dei. manifestè quippe dixit Paulus
Deum non abiecisse populum quē pręcognouit aut pręsciuit, seu veluti dixit August. præ-
destinauit. Necp alterum dare possumus: quoniā electio non pendet à nostris præuijs ope-
ribus, vt superius est demonstratū. Origenes dicit fermè in eandem sententiam, omnes qui-
dem gratia seruari, sed cùm additur electio, demonstrari perfectiores animas, quæ studium
& diligentiam summam adhibent puritati & sanctitati actionū. Deinde cuperet opera quæ
Non agitur hîc de operibus ceremoniarum. hîc à Paulo excluduntur, intelligi solùm de ceremonialibus, quod minimè potest consiste-
re, cùm Paulus, vt videbimus, rationem subiungat vniuersalem: quod naturæ gratiæ aduer-
setur vt sit ex operibus, idcq; verum est, quodcunq; ponamus operum genus. Sed ita videtur
in hac re laborare, quasi timeat ne operib. excluſis à causa nostræ salutis, locus eis non relin-
quatur. Quod tamē postea quodāmodo videns nō vsqueadeo timendū esse, inquit: nō exigū
tur quidē opera, sed tñ adhibenda sunt, ne gratia sit inanis. Paulus eñ dicit, & gratia eius mi-
nimè fuit in me inanis. Subijcienda ergo, inquit, bona opera, ne gratię Dei simus ingrati.

Quod si per gratiam, iam non ex operibus. Quandoquidem gratia iam non est gratia. Chrysostomus
non inepte coniungit hanc partem antecedentibus. Potuissent, inquit, Iudæi Paulo dicere:

Verùm

Verùm quidem est, nos à Deo vocatos fuisse, non tantùm verbo, sed beneficijs, miraculis, & irritatione: sed tam grauia & dura postulabantur, vt ferre non potuerimus. ideóque vocantem non sumus sequuti. Imò inquit Paulus, Gratia vobis proposita est absque operibus, & opera quærere, vt daretur gratia, fuisset eam offuscare. Deus autem minimè patitur, neq; committit vnquam, vt sua dona obscuret. Proinde opera non sunt à vobis postulata. Post hæc, subijcit quæstionem. Cur igitur non omnes seruantur? Quoniam inquit, non omnes volunt, nec seruantur nisi qui volunt. Vera sunt ista quidem si prudenter intelligantur, alioquin Lectorem fallere possent. Verùm quidem est, eos qui repellunt Euangelium, ei nolle credere, ac veritati sibi propositæ nolle assentiri, non tamen propterea fingendum est, quòd in eorum manu positum sit velle, & assentiri. Illi volunt, & credunt, quibus flectit Deus animum, & cor emollit. nec putandum est gratiam omnibus esse communem. Deinde cùm dicitur eos seruari qui volunt, duo cauēda sunt. Alterum ne arbitremur hanc voluntatem causam esse, vt efficiamur gratiæ compotes: cùm potius ille assensus voluntatis ex gratia concedatur. Præterea videndum est, vt ne ascribatur viribus humanis, & libero, vt aiunt, arbitrio: atq; his duobus exclusis erroribus, concedimus non fieri saluos nisi volentes: quia nemo inuitus credit, neque violentia vlla cogitur Euangelium Christi accipere. Alteram partē propositionis, Opera nimirum excludenda esse, ne habeantur causæ salutis, probat Paulus argumento ab oppositis desumpto. Et cùm genus oppositorum sit multiplex, contradictorijs vtitur, quæ nullo pacto simul esse possunt. Tunc enim inquit, gratia non esset gratia, & opus non esset opus. Quis autem non videat esse impossibile, vt idem simul & respectu eiusdem gratia dicatur & non gratia, opus & non opus? Certè ea est natura contradictoriarū vt vno posito, alterum euertatur, & altero sublato, alterum sequatur. Superius quoque Paulus hoc demonstrauit, quanquam non adeo apertè, cùm diceret. Ignorantes Dei iustitiam, & suam volentes constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Quibus verbis etiam tum docebamur eos qui conarentur propria iustitia seruari, hoc est operibus, excidere à iustitia Dei, quæ solida est & verissima salus. Ad hæc ex ista Pauli ratione probatur quàm efficacissimè, gratiam illam supremam electionis diuinæ, haud quaquam ex operibus constare, quæ Deus ab æterno vsque præuiderit: quoniam illa Dei notitia, vel, vt dicunt, præuisio non efficit quin opus sit opus. Et Paulus cùm hîc electionis mentionem faciat, eam disertis verbis monstrat, atq; testatur ex operibus non haberi. Quod si est, vt reuera esse oportet, neque ipsa iustificatio poterit ex operibus esse: cùm statuat regula Dialecticorum, quam vel pueri norunt: Quicquid sequitur ad consequens, ex antecedenti quoque sequi. Vnde si ex operibus electio constaret, cùm ex electione pendeat, vocatio & iustificatio tum citra controuersiam efficeret iustificationem ex operibus esse. Neque differentia temporis ad hoc quicquam aduersarijs conducit. imò probatio erit à maiori. Quod si opera dum præsentia sunt & extant, vim non habent producendi vel iustificationē vel electionem, multò minus id facere poterunt, cùm adhuc non extant, & tantùm præuidentur. Quis enim possit inficiari, rem quæ sit, efficaciorem esse ad opus producendum, quàm cùm adhuc non extat? ethnicis fortasse licet ex operibus iustitiam quærere, aut ex illis fauorem & electionem Dei constabilire: Sophistis item qui ab ethnicis parum aut nihil differunt quo ad hoc dogma. Verùm nobis qui oraculā scripturarum sectamur illisq; adhærere volumus, nullo modo concedendum est, vt electionem Dei ex operibus nostris pendere consentiamus. Fundamentum verò Apostolicæ ratiocinationis est, quæ dantur operibus, ex debito tribui, quæ verò ex gratia, non ex debito. Vbi apertè videmus debitum & non debitum contradictionem apertam habere. Atque hanc radicem huius argumenti superius 4. cap. nobis indicauit Apostolus, cùm diceret: Si Abraham iustificatus est ex operibus, gloriam quidem habet, sed non apud Deum: ei enim qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. De Abrahamo verò scriptum est, quòd crediderit, & imputatum sit ei ad iustitiam. Argumentum ita que Pauli deducit ad absurdum, siue vt aiunt, ad impossibile. Atque grauiter sanè ab his erratur, qui gratiam Dei non agnoscunt, grauius ab his qui eam obscurant, sed intolerabiliter atque grauissimè ab illis, qui eam prorsus euertunt. Non tollitur quin Deus remuneretur bona opera, quæ à fidelibus suis præstantur: sed meritū tollitur, negaturq; vi operis quæ reddantur deberi. Vnde potest quidem æterna vita dici merces, at non quòd ex dignitate boni operis debeatur, sed quia post bona opera consequitur ex dispositione, atque ordine à Deo instituto, & ad bona opera sequitur merces felicitatis, ad mala verò merces æternæ mortis, quanquam gehenna reuera debeatur ex merito peccatis.

In manu nostrá positum non est Euangelio assentiri.

Gratia nō est omnibus communis.

Quomodo non fiant salui nisi uō lentes.

Opera non habēda sunt causæ salutis.

Argumentum est à contradictorijs

Regula Dialecticorum.

Si electio esset ex operibus, ex illis quoque iustificaremur.

Argumentum à maiori.

Fundmentum ad ductæ rationis.

Felicitas quā possit dici merces.

Gratia, inquit, *non est gratia.* Quoniam vertitur in compensationem ex opere debitam.

Et opus non esset opus, si quod datur vel redditur operibus, gratia diceretur dari: quoniam operis est, consequi finem ex debito non gratuito. Cauillantur aliqui, nos quidem minimè seruari, aut iustificari operibus, quæ ipsi fecerimus, sed si sint opera Dei in nobis, illis nos iustificari: per hoc volentes sacramentorum perceptione conferri, vt aiunt, gratiam: sed longè falluntur. Nemo enim sumendo sacramenta, gratiam vllam recipit, quam fide non percipiat cùm sacramenta recipiamus, vt obsignationes gratiæ, atque doni iam adepti: neque ví, vt loquuntur, operis operati quicquam ex eis accedat. Qui enim sacramenta percipit, vel dignè vel indignè accedit, si indigne, nil habet nisi damnum & iacturam. si dignè, igitur fide viua, qua percipit representatam gratiam per verba Dei & sacramenta. Valet quidē ipsum opus vt fides languidior per spiritum sanctum excitetur, & cùm ibi memoria Domini agatur, & inuocetur eius nomen, impetrantur multa bona, & confirmatur animus credentium illis obsignationibus & sigillis: verùm quòd opus ipsum gratiam conferat, minimè dabimus. Dicūt etiam opera, quę sequuntur iustificationem, cùm nō sint nostra, sed à gratia proueniant, multa mereri, sed licet Dei gratia nos iuuet bene operando, & quæ facimus, ob id placeāt Deo, velitq; opera illa remunerari, attamen ibi neque debitum est, neque meritum, vt docuimus, sed solùm ordo & consecutio quædam, ex instituto & bonitate Dei. Et in summa iuxta Pauli doctrinam, vbi mentio est gratiæ, opera facessant oportet, quatenus dici possint causæ vel salutis vel iustificationis. Et quanquam propositio, quæ iam probata est, cùm ad gentes tum ad Iudæos pertineat, nihilominus Iudæi magis ea perstringebantur: qui fortasse non inuiti dedissent, Gentes adscitas ad Christum, ex gratia fuisse seruatas, cùm prius vixissent impurè & in idololatria: sed arbitrabantur sibi, qui erant Israelitę, & legis, vt iactabant, cultores, debito operum salutem contigisse. Quæ opinio vt erronea erat, & Christo iniuriosa, ita passim ab Apostolo conuellitur.

Sacramenta ex opere non conferunt gratiam.

Ad quid ualeat perceptio sacramentorum.

Alterū cauillū.

Quid igitur? quod quærit Israel, hoc non assequutus est, sed electio est consequuta. Concludit suam argumentationem, non omnes scilicet Israelitas seruari, sed quos præcognouit, electos inquā. Si quærebat, quomodo non inuenit? quoniam malè quæsiuit. Messiam illi quærebant, qui festu & pompa in orbe regnaret, qui illos ditaret, qui subiiceret eorum imperio omnes gētes. Quærebant sua compendia, vt scilicet à Christo panes haberent. Quærebant aliter Messiā & Deum colere, quàm fuerit in sacris literis præscriptum. Quærebant Christum vt occiderent, quemadmodum scribitur Ioan. 7. Modicum adhuc vobiscum sum, & abeo ad patrem, quæretis me & non inuenietis. Malè proinde cùm quærerent, non est mirum si non inuenerint. Quamobrem & Christus cùm inquit: Quærite & inuenietis, petite & accipietis, pulsate & aperietur vobis, est subiiciendum aduerbium, bene, quò scilicet rectè petamus, rectè quæramus & bene pulsemus, alioquí frustrabimur. Præposterè Iudæi salutem quærebant, cùm illam ex operibus habere vellent. Quòd salutem quæsiuerint, dubium nō est, cùm Paulus zelum illis tribuat, quamuis rectum iudicium & iustam scientiam detrahat. Sacrificijs & ceremonijs non alia de causa studebant, nisi vt per illa seruarentur, sed cùm id esset malè quærere, non assequebantur. Chrysostomus verè dicit eos ideo frustratos, quoniam secum ipsi pugnabant: in querendo enim, salutem ipsam, quæ gratis offerebatur per Christum, repellebant: quærere autē quippiam, & oblatū reijcere, est manifestè cum suo proposito pugnare.

Iudæi malè quærebant.

Electio, inquit, est consequuta. Hîc veram attingit causam & quidem summam, atque certam, alioquí hi qui seruantur, nihil habuerunt natura præstantius, aut dignius his qui pereunt. *Electio* iuxta phrasim hebraicam significat electos, vt circuncisio circuncisos. Et Israel appellatur sanctificatio Dei, quòd ab eo sanctificatus fuerit. dicitur item illius possessio quòd ab eo possideatur. Neque hoc genus loquutionis leuiter proposito Pauli seruiuit, ad ipsam enim causam denuo considerandam voluit nos subuehere, quò illam attentius intueremur. *Reliqui uerò excæcati sunt.* Distinguit igitur Israel in duas partes, electos inquā, & reprobos. Et promissiones innuuntur electis redditæ, quæ indefinitè proponebantur omnibus. Propositio igitur hæc probanda est: Cæteros minimè sub electione comprehensos à Deo esse obcæcatos, cuius obcæcationis causam, si quis perquirat, nonnulli respondent, Malitiam seu peccatum. At propterea quæstio non dissoluitur: quia peccatum seu malitia vel sunt ipsa ignoratio, & cæcitas, vel eam secum inuoluunt & complectuntur. Proinde cùm de causa efficienti disputetur: alij dixerunt Diabolum esse, quæ sententia vera est, & à Paulo scribitur secundæ Corinthiorum quarto, Deus huius sæculi excæcauit mentes infidelium. Neque curandum est quòd Patres vt Hylarius, Chrysostomus, Augustinus, & Ambrosius, locum illum non de Diabolo, sed de Deo vero sint interpretati: quasi sensus hic habeatur. Deus excæcauit mentes infidelium huius seculi.

Summa causa salutis.

Quid sit electio phrasi hebraica

Israel distinguitur in duas partes.

Quæ sit efficiēs causa obcæcationis.

Locus 2. ad Corinthios.

seculi. Sed hanc transpositionem verborum, series græci sermonis minimè patitur. Neque obscurum est videre, quid illi spectauerint sua interpretatione violenta. Pugnabant cum Arrianis & Manichæis, quorum vtrique Apostoli verba, quasi pro se facerent, vsurpabant. Voluerunt Arriani demonstrare, nomen Dei posse Christo tribui, tametsi creatura esset, cùm diabolus hîc vocetur Deus. Manichæi verò duo constituebãt prima rerum principia, bonum & malum: Deum mundi fabricatorem, & Deum patrem Domini nostri Iesu Christi supra mundum: & aiebant, Apostolum hoc loco malum principium appellare Deum seculi huius, quasi dicatur mundi autor. Cæterùm propter hæreticos, non est deflectendum à iusto scripturæ sensu. Nec enim Arrianis negandum est, diabolum appellari Deum, cùm addatur, huius seculi. Hæc enim particula indicat, eum non esse verũ Deum, sed qui à mundanis, & seculi hominibus pro Deo & habeatur, & colatur. Quemadmodum & Dauid De os gentium dixit, cæterùm statim per correctionem quodammodo adiecit, Dæmonia. Et ad Corinthios, epistola priore: Dij multi sunt & Domini: nempe iuxta hominum corruptorum iudicium. Et de quibusdam dicit, quorum Deus venter est. Heliásque pseudoprophetis aiebat de Baal: Clamate adhuc vehementius, nam Deus vester fortasse est in diuersorio, vel fabulatur, ita vt non audiat. atque ita Baal Deum appellabat, prout ab hominibus illis credebatur. At quum Christus appellatur Deus, benedictus dicitur super omnia, & in secula. Quæ conditiones appositæ veri Dei naturam expressam indicant. deinde monemur, vt ei fidamus, illum inuocemus, & adoremus: quæ citra controuersiam vni vero Deo sunt tribuenda, nec alij. Neque Manichæis ita resistemus, vt inficias iri velimus, diabolum præfecturã quandam, seu præsidentiã in mundo à Deo habere, cùm in Euangeliis princeps huius mundi dicatur, & à Paulo κοσμοκράτωρ, principatus & potestas. Sed hæc ideo habet, vt Deo inseruiat, ideoq; nihil plus aut minus efficere potest, quàm illi à Deo cõcedatur. Potestate quidem exercet, sed quam à Deo accipit: & ideo appellatur interdũ spiritus Domini, sed malus. sic enim describitur in libro Samuelis, inualisse Saulem. Est igitur excæcatio cõmune opus Deo & diabolo. Deus excæcat vt iubens, vt iudex, vt præcipuus, & summus autor: diabolus verò tanquã minister, & lictor Dei, quo quidem in opere promptus est, & libenter se offert, non tamen quicquã potest, nisi Deus iusserit. Hinc iam declaratum est, peccatum esse interiorem causam excæcationis, imò secum habere semper ignorantiam, instrumentũ diabolum, Deum verum iudicis instar efficientem causam. Sed quomodo fiat excæcatio, sic statui potest: ob peccata iusto arcano tamen Dei iudicio destitui homines gratia, spiritu, fauore, atque luce: sic autem misere deserti, necessariũ est, vt adhuc magis ac magis impingant, & grauius cadant: præsertim cùm tradantur Satanæ decipiendi, atque præcipitandi. Quod antea dictum est ab Apostolo de Ismaele, & Esau, & Pharaone, modò quàm apertissimè dicitur de Iudæis, neque, vt credibile est, absq; illorum summo odio & dolore. Chrysostomus dicit, illos excęcatos malo suo contentiosóque animo. Commentaria verò Hieronymo adscripta, Deum, quod Chrysostomus tacuerat, exprimũt. Atque sanè inficiandum non est, Deum facere de vnoquoque nostrûm quicquid libitum fuerit, sed tamen adeò iustè, vt nullus excusare sua peccata valeat, aut in ipsum culpam torquere. Decet profectò de Deo, quamoptimè sentire, ac honestissimè loqui, sed non ita, vt scripturis aduersemur, aut de illius efficaci potentia quicquã subtrahamus. Paulus absolutè protulerat, cæteros Iudęos excæcatos esse, causam verò efficientem tacuerat, sed modò in oraculis, quæ citat, illam expressit, dicens:

Arrianorũ scopus.

Manichæi duo fecerunt principia.

Propter hæreticos non deflectendũ à iusto sensu scripturæ.

Christus nõ dicitur Deus cũ vlla imminutione, quia uerè est Deus.

Diabolus quomodo appelletur princeps mundi.

Excæcatio & à Deo, & à diabolo proficiscitur.

Peccatũ interior causa excæcationis.

Excæcatio est ex destitutione gratiæ.

Quemadmodũ scriptũ est: Dedit illis Deus spiritũ compunctionis, ut uidentes non uideant, & audientes non audiant.

Hîc iam dubitare non licet, à Deo quoque iusto iudicio proficisci excæcationẽ impiorum. Origenes ait se in nulla scripturarum parte legisse, Deum dedisse spiritum compunctionis, & fieri posse arbitratur, vt id ex suo Paulus addiderit explicationis causa, veluti etiam ad finem ex seipso addit, vsque in hodiernum diem. Quod etiam fecit superius: nam cùm dixisset, Quis ascendet in cœlum? adiecit, detrahere Christum. Et postquàm dictum ab eo fuit, Quis descendet in abyssum? assuit, hoc est Christum reuocare à mortuis. Verùm licet Origenis illa cogitatio non sit absimilis vero, tamẽ 51. cap. Esaiæ legimus Israelitas à Deo potatos calice furoris, & תתרעלה, quod est insaniæ, seu veneni. Atque idem habemus in Psal. 60. nec non 19. & 29. Esaiæ dicitur Deus miscuisse spiritum תרדמה, quod est soporis. & spiritũ, עיתם, quod est errorum. Ex quibus apparet Apostolũ non adiecisse quicquam, quod è scripturis nõ habuerit. Metaphora est ab illis deducta, qui student inuitando poculis aliquem inebriare, atque si potio sit medicata, redigere ad insaniam. Sed tantùm hoc interest, quòd iniustè id ab hominibus committitur, cùm à Deo fiat iustissimè. Illud quod Hebræi dicunt,

Dei studio non est aduersandũ scripturis.

Paulus nil adiecit, quod è scripturis non habeatur.

תרעלה verterunt Septuaginta interpretes, κατάνυξιν, & Latini dixerunt Conpunctionem. Potestq; vox illa græca bifariam exponi: Primò, vt significet dolorem, odium, ac exasperationem: nam cùm verbū Dei, & salus proponitur, statim illi punguntur dolore cordis, exacerbantur, odio flagrant, & vehemētissimè resiliunt, vt de Iudæis dicitur, cùm audirent Stephanum, dissecabantur cordibus, & frendebāt dentibus. E contrà verò Dei spiritus, qui datur pijs, reddit placidum, pacatum, atque tranquillum, mirámque consolationem his affert, quos afflauerit. Altera interpretatio est iuxta Chrysostomum, vt κατάνυξιν intelligamus affixionem, quòd ita fuerint addicti hærentes, atque confixi prauis affectibus, & incredulitati, vt inde iam non possint auelli, quantūuis adhortationes ad pietatē non deessent. Certè maxima est hæc infelicitas, quando pro illo suaui poculo misericordiæ, propinatur poculum furoris, pro poculo veritatis, poculum erroris, pro poculo claritatis & sanæ doctrinæ, poculum insaniæ & cæcitatis, atque id à Deo ipso. Caueant igitur sibi, qui sacras literas vel tractant, vel audiunt, ne suo vitio, quod alijs est vita & salus, illis sit interitus & præsens exitiū. Non infundit quidem Deus nouam malitiam, sed excitat latitantem. Oculos habuerunt, vt miracula viderent, habebant item aures, quibus & vaticinia Prophetarum, & prædicatores audirent, sed nil proderat. Argumentum Apostoli est, Ita prædictum fuit, ita Deus constituerat, igitur nil ego noui affero: non videndum, quantum Iudæi sibi sumerent, sed quid scripturæ illis tribuerint. Non erat quòd Paulo tantopere irascerentur, quum alia non dixerit, quàm quæ tempore Heliæ acciderunt, quæq; de illis futura prædixerat Esaias. Addit, *Vsque in hodiernum diem*, quoniam ad finem seculi sunt crediturī. Ita quoque scripsit ad Corinthios: Velamen super cor Iudęis, quando legitur scriptura, positū esse, atque manere vsque in hodiernum diem. Et quod ab Esaia dicitur indefinitè de Iudæis, accipiendum est pro maiori parte. interrogauitq; ibi Prophetam, Vsque quò Domine? & respondetur ei, vsque ad vastitatem. Ita & infrà in hac epistola dicitur, Vsque ad ingressum plenitudinis Gentium. Pro loco autem illo Esaiæ 6. capitis clarius intelligendo, quædā notabimus. Primū, vidisse Prophetam Deum sedentem in solio, fimbriq; seu vestimenti Dei, seu throni replebant templū. Forma qua Deus se ostendit, erat iudicis: astabant ministri Seraphim, dicturusq; sententiam erat contra Iudæos, & quidem definitam, quæ remedium non haberet, quemadmodū eo loco scribit Aben Ezra: qui dicit, postulatam à Deo sententiam fieri non posse, quin habeat executionem, etiam si pœnitentia intercesserit, quasi de comminationibus tantùm agant sentētiæ Ezechielis & Hieremiæ. Quem mittemus, inquit Dominus? Rabbi Solomo verba dicit esse quodammodo dubitantis: quoniam miserat Amos, & deriserant illum, dicentes, Balbus est, neque linguam potest explicare, & credemus Deum illum misisse? Cùm se Esaias obtulisset, Vade, inquit Dominus. ac si diceret, Ne obsistas meæ sententiæ, vt Moses, qui voluisset expungi è libro vitæ: non vt Ionas, qui recusabat denūtiare Niniuitis exitium: Ne coneris orare, vt Hieremias 7. cap. quoniam ego dixi me non exauditurum. Dicas populo huic olim meo, nunc non meo: olim sapienti, nunc stultiori asino, & boue, qui suos agnoscunt dominos, & sua repetunt præsepia: populo huic deteriori Sodoma & Gomorra, qui dicit bonum malum, & malum bonum, meq; labijs tantùm honorat. Audite audiendo. Rabbi Dauid Kimhi dicit, locum imperatiuo modo legi, sed à nonnullis per futurum indicatiui exponi, quasi sit prædictio. Et mouentur aliqui, vt nolint per imperatiuum accipere, quòd hoc videatur aduersari diuinæ bonitati, vt peccatum & mortem animi præcipiat. Dicit enim alibi: Nolo mortem peccatoris: vult omnes homines saluos fieri: quare inquiunt, ista non sunt prædicanda, nam aperiunt viam peccatis: quæ si Deus ea præcipit, displicere non possunt. verùm hæc dicuntur, quasi spiritus sanctus loquatur, quæ non sunt ad ædificationem. Nihil est in scripturis, quod accommodatè, atque dextere explicatū non possit prędicari, tantumq; abest, vt via peccatis aperiatur, vt illis, qui micam pietatis, & salis habent, doctrina hinc propinetur expultrix peccatorum. Si enim ob peccatum puniendū sic Deus prauis affectibus & insaniæ tradit homines plectendos, quis non refugiat peccaris? cùm in ista mala incidere longè sit grauius, quàm in paupertatem, vel in mortem corporis? vel Ethnici potuerunt hanc veritatē cognoscere. Pallas apud Sophoclem ostendit, Aiacem mastigophorum Vlyxi magno furore insanientem, cædendo boues, arietes, & consimiles pecudes Græcorum loco, nec non Agamemnonis, Menelai, & Vlyxis, atque sic inquit, illum à Deo percussum propter blasphemiā. Nostra verò scriptura id alibi docet quāapertissimè. Tradidit eos, inquit Paulus in reprobum sensum: cuius vult misereatur, quē vult indurat: non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei: Esau odio habetur: Ismael nō reputat in semē: Pharao indurat: Figulus facit vasa in honorē & contumeliā. Quin & Rabbinus

Quid efficiat in impijs uerbum Dei, & quid in electis.

Deus nō excæcat, nouā malitiam infundendo

Locus Esaiæ in 6. cap.

Sententia à Deo lata nō impeditur pœnitentia.

Nihil est in scripturis, quod non ædificet.

Si Deus peccata peccatis punit, abstinendum est à peccato.

binus Kimhi hoc videt, & inquit, de filijs Heli sacerdotis dictum, quòd patrem nõ audiuerint, quia Deus voluit eos occidere. Et rex Roboam non audiuit populum, quoniam Deus illum auersabatur, prout per Ahiam Syloniten prædixerat. Deinde si hæc per futurum indicatiuum proponantur, adhuc non quiescit animus. si enim videndo videbunt, & non intelligent, audiendo audient, & nescient, quæretur de causa efficiente huius excæcationis. Refugiunt homines dicere Deum esse causam, quia oculos habent in carnem demersos, & verentur, ne Deum constituant peccatorem: quia illi non possunt alios seducere, excæcare, vel in peccatum impellere, nisi ipsi peccent. idemq; putant de Deo statuendum, si ad eum modum responderint. Sed pernicioſum est argumentum à simili in his rebus, quum nostra transferimus ad Deum. Diabolus, qui est pater Sophistarum, sic à simili argumẽtatur, quando se transfigurat in Angelum lucis: & à simili vult nos decipere, vt se colamus. Agnoscit Aben Ezra, Prophetam non habuisse vim excæcandi, sed verbum Dei, carbo desumptus ex altari hanc habuit vim. & certè vi verbi fieri hoc Propheta prius viderat. Cùm enim clamassent Seraphin, commota fuerunt superliminaria, & postes templi, vt demonstraretur, verba Dei per suos Angelos, Prophetas, inquam, & Apostolos prolata, ita esse irritatura & commotura Iudæos ad impietatem, & odium Dei, vt denique iusto iudicio eius è sua terra in captiuitatem dispergerentur. Domus præterea fumo repleta est, quo Iudæi fuerunt excæcati. Esto ergo nobis firmum & constans, Deum non punire homines per peccatum, nisi prius malum meritum præcesserit: ac è diuerso neminem seruari, nisi ex diuiti & copiosa eius misericordia, quæ relucet etiam dum ita iustè homines puniuntur. Cùm enim dicitur, Audientes non audire, ostenditur facultas audiendi non esse ab illis sublata, sed potius oblatum affatim verbum Dei. Miracula item demonstrata, quæ videre potuerint, datúmque in corde lumen aliquod, & iudicium conscientiæ, quę omnia dona Dei pręclara esse, quis vnquam inficiabitur? At dicis: Non profuerunt eis. fateor & ipse. at tamen non propterea sua dignitate, suaq; laude hæc sunt exuenda. Si vulnus esset lethale, & nihilominus adhibita emplastra, & laudata vnguenta non prodessent, num propterea desinerent illa medicamenta suum habere pretium, & vires? Quis vnquam dubitauit, dona Dei esse ac etiam præclarissima charismata, quæ valebant ad ædenda miracula, licet interdum habentibus nihil prodessent? copiamq; diuinæ bonitatis adhuc in his clarius videbimus, si phrasin hebraicam spectemus. Quoties enim verbo prius posito infinitum eiusdem adijciunt, quod nos per gerũdium reddimus, crebram & vehementem actionem significant: quare audiendo audire est frequenter, & non vulgariter audire. Videre videndo, est & sæpe videre, ac præclara & prodigiosa spectare. Quid hoc autem aliud fuit, quàm, vt de Tantalo dicitur, in medijs aquis arescere? ac inter lautos, ac abundantissimos cibos fame ac macie consumi? Sic Deus Iudæos puniebat, vt in tanta copia spiritualium donorum, summa cęcitate ac insania laborarent. Mali erant, ideo iustè à Deo his plagis percutiebãtur: cùm redderentur indies terra petricosa, spinis obsita, viaq; conculcata, & detrita, quò semen Dei absq; fructu in eos caderet. Qui peccant in spiritum sanctum, hac exitiosa cæcitate plectuntur. Neque obest iam allatæ sententiæ, quod obijciebatur, aliquos esse dicturos, inhærendum peccatis, quum Deus illa videatur præcipere: quoniam quisquis hoc iactauerit, legem à Deo in communi latam iubeatur scrutari, ibique diligenter scrutetur, an quicquam deprehendere possit à Deo præceptum, quod sit peccatum? Proinde legi Dei parendum est, non autem voluntas eius arcana spectanda. Deus, inquiunt, vult omnes homines saluos fieri. Non nego. In promissionibus siquidẽ nullos audio nominatim exclusos: generaliter omnibus & proponũtur, & prędicantur: quantum igitur ex illis apparet, vult omnes saluos fieri. Quæ sententia item exponi potest, vt eam superius non semel interpretati sumus. Quodq; in Ezechiele scribitur, Nolo mortem peccatoris, & verum est, & nihil nobis aduersatur. Si enim loquaris de peccatore manente, & approbãte sua scelera, vult eius mortẽ, quia legibus puniri iubet, & ipse damnat ad gehennam, & extremũ exitium. Sin verò de peccatore, qui ingemiscit, quẽ pœnitet, quiq; sua peccata detestatur, illum non vult mori. Est sanè clementissimus Deus, & copiose misericors: sed idem quoque iustissimus est, ideóque non mirandum, si hoc genere pœnæ interdum puniat. Pighius vaferrimus Sophista, locum hunc citatum ab omnibus Euãgelistis conatur inuertere, quo demonstret Deum omnino causam peccati nõ esse. Verùm quàm ille sit à doctrina Pauli alienus, ex eo potest euinci, quòd electionem facit omnibus communem, Deúmque vult ex æquo destinasse omnes ad vitam æternam, cùm Paulus nõ tantùm in plerisque alijs locis, sed hîc maximè discernat Israelitas in electos, & non electos: & dicat alios excæcatos, solam verò electionem consequutam salutem. Primum locum ex

Propheta nõ potest obcæcare.

Deus peccatis nos nõ punit, nisi peccatũ præcesserit.

Quædam phrasis hebraica explicatur.

In lege sua Deus non præcipit peccata.

Marco adducit cap. 4. Cùm interrogatus Christus, quare in parabolis loqueretur, respondit, Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, illis autem, qui foris sunt, per parabolas omnia demonstrantur. Hîc allegoria intempestiua nos taxat, quasi simus foris, & pecus Papistarum sit intus: atque idcirco nos ait scripturas non intelligere. At iste, quęso, nobis dicat, an illi extra Ecclesiam censendi sint, qui sacras scripturas cõplectuntur? sacramenta & quidem rectè administrata obseruant? spiritum, quo corpus Ecclesiæ vegetatur, non negant? & eosdem articulos fidei cum omnibus Christianis confitentur? Quid ille obsecro præ nobis sibi vendicat, nisi meras superstitiones, & seruitutẽ, qua romano Antichristo adulatur? Certò nos extra hæc esse, ac euasisse gloriamur, & ille, si saperet, se esse intus, & in his versari plurimùm doleret. Dicit Marcus: Vt videntes videant, & non cernant. Sunt hæc planissima, &, nisi ille spinas haberet in pedibus, absque scrupo. Deus malis meritis Iudæorum exigentibus, voluit eos excæcare, media hæc adhibuit, vaticinia scilicet Prophetarum, prædicationes Christi, & Apostolorum, quibus auditis, illi magis irritabantur, & resiliebant à veritate, idcirco inquit Christus, In parabolis illis loquor, vt inde peccatorũ suorum, obstinationis, & compunctionis debitam mercedem habeant. Sed ipse inquit, obscuritas, quæ est in verbis Marci, ex claritate atque luce, quæ fulget in verbis Matthæi, hac de re poterit explicari. Is enim dicit in 13. cap. Propterea per parabolas loquor illis, quia videntes non vident, & audientes non audiunt. At libenter præterit, quod prius dicitur, Vobis datum est nosse mysteriũ regni cœlorũ, illis aut nõ est datum, quia in his verbis disparitas apparet gratiæ, atque donorum Dei. Habenti dabitur, inquit, qui non habet, & quod habet, auferetur ab eo. Habentes dicuntur, quibus electio ad salutem est concessa, & ex ipsa electione fides, istis, inquam, multa subinde accumulantur dona cœlestia. Non habentes, sunt reprobi, quique destituuntur fide, ac etiam quod habent, amittunt: quoniam naturalia dona, quibus interdum pulchrè sunt instructi, redduntur eis inutilia, & verba Dei atque miracula, quæ offeruntur, fructum nullum in animis eorum producunt. Propterea per parabolas loquor illis, quia videntes non vident. Iam, inquit Pighius, vides causam, quare Christus in parabolis loquatur, quoniam illi cæci erant, & obstinati: non quia Christus sic loquebatur, illi erant tales, sed quia tales erant, ideo Christus parabolis cum eis agebat: & sic in ipso Christo, vel in Deo nulla est causa excęcationis. Verùm iste longè aberrat, vocula enim illa, Quia, nõ semper dicit causam rei, vt sit, sed causam notitiæ reddit, quod fieri potest per effectũ. Vt in Luca de muliere peccatrice scribitur: Dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum. Dilectio vehemens & copiosa, effectum erat, & indicabat remissionem peccatorum occultam. Ita quadrat parabola debitorum, ille plus diligit, cui plus condonatur. Sic in præsentia cùm interrogant Apostoli: Quare loqueris in parabolis? per effectum datur ratio, quia isti vidẽtes non vident. hinc fit istorum obcæcatio. Nónne videtis, quid hîc sequatur? Ostendo effectum, indico euentum, quod est, hos videndo non videre, audiendo non audire, atque obcæcatos esse. Et quòd expositio Pighij non conueniat, duplici capite probo. Quia sententia hæc Esaiæ, cùm in Hebræo habeat Deum præcipientẽ, apud Paulum ipse Deus non exprimitur, vt efficiens causa huius infamiæ, ac obstinationis: at alijs locis scripturę ponitur, & præsertim, vt videbimus, in Ioanne diserte habetur. Deinde quoniam minime quadrat interrogationi discipulorũ, rogant, quare loqueris in parabolis? Si causa redderetur, illorũ cæcitas, non videretur Christus parabolis debuisse agere: imò potius magis dilucidè, ac explanatè, quò cæcitas illorum claritate doctrinę vinceretur. Sed cùm puniendi essent, ob suã contra Deum rebellionem, vt excæcarentur, talis eis proponebatur doctrina, quam quum non intelligerent, odio haberent, & ab illa refugerent. Si quis cum altero loquatur obscurè, ne ab astantibus intelligatur, & postea interrogetur, quare sic obscurè loqueris? diceretne, quia stupidi sunt astantes, & non intelligunt? certè ridicula esset responsio. Sed respondendum illi esset, modò vellet cum ratione loqui, ideo sum locutus obscurè, ne astantes intelligerent. Non interrogarunt Apostoli, cur illi non crederent? quod si fecissent, tunc potuerat causa reddi, quia surdi sunt, & non audiunt, quæ dicuntur. At rogant, cur in parabolis illis loqueris? & tunc vt causa non potest reddi stupiditas & cæcitas illorum: quoniã per explicatam orationem, non per obscuram adhiberetur eis medicina. Quòd autem res modo indicatiuo, ac tempore futuro proponatur, nil iuuat: quia nos quoque id tum futurum fuisse, & factum nunc sentimus: sed iussu Domini factum contendimus, vt Esaias explicat, & vt Paulus expresit. Adhæc prædictio, inquit Pighius, est, igitur nõ causa. Infirma est probatio: quia quod prædicebatur ab Esaia, eius, inquã, verba, & prædicatio irritabat Iudæos, & motum incredulitatis in eis excitabat. Legis doctrina nónne dicitur augere peccatum, quia

Qui censendi sint in ecclesia.

Quibus medijs Christus obcæcare soleat.

Quomodo habẽtibus detur, & non habentibus quod habent auferatur.

quia ea irritantur cupiditates? Sed hoc, inquit, non eius vitio, fatemur: neque hoc fieri vitio seu peccato Dei vel Prophetarum, & prædicatorum dicimus, quum tamen quodammodo causæ sint. sed inspiciamus culpam originis, quæ fundamentum est omnium malorum nostri generis. Ibi certè post primum lapsum Adamus cum tota sua posteritate spoliatus est gratia & spiritu: à mente detracta est lux, vt diuina non agnoscat: à ratione vis compescendi prauos appetitus: & vicissim affectus corrupti fuerunt, vt rebellarent magno impetu contra rationem & honestatem. Istæ sunt pœnæ, dicis, sunt etiam peccata. quis inflixit? Deus. nemo id potest negare. eius quippe ordinatio est, & quidem iusta, vt qui ab ipso discedit, in hæc incurrat, & ista patiatur. Sed hac de re supersedeo plura dicere, quum supra de ea tota fusè scripserim. Sed non, inquit, coguntur homines ad peccandum. Adhuc tam hebes est oculatissimus iste Sophista, vt necessitatem à violentia nesciat distinguere. Vt, particula, inquit, apud Marcum significat consequutionem, non causam: imò & causam, quoniam verba Dei per Esaiam, per Christum, & Apostolos dicta, & prædicatio, instrumenta erant, quibus irritarentur. Simili satis aperto & claro potest hoc videri. Si detur corpus repletum flaua bili, quæ tamen adhuc non erumpit, quum accedit æstus per æstatem, si ei ministrentur fructus frigidi, & potus item frigidus, quibus assatim vtatur, corrumpũtur hæc in ventriculo, bilis augetur, ac diffunditur per corpus, vnde dysenteria, & intestinorum cruciatus orientur. Quis negabit calores æstiuos, fructus & potum fuisse causam huius morbi, saltem προκαταρκτικὴν, etiam si non fuerit principalis, aut quemadmodum dicunt προηγούμενον? Iudicat in Marco particulã, Vt, causam efficientẽ, non finalem notare. Vt sit sensus: Ideo loquor in parabolis, quia videntes non vident. Mutatq; coniunctiuum modum in indicatiuum, atque totum ita transformat, vt verba Marci conuertat in verba Matthæi, cùm tamen de industria spiritus sanctus voluerit, vt illa sermonum diuersitas exaret. Et ista videtur Pighius obtrudere, quasi Matthæũ negemus, quod non sic habet. Expositio eius tantùm displicet: sed Matthæi Euangelium & recipimus, & veneramur. Declarat præterea, se parum obseruantem decretorum pontificiorum, quanquam ore illa perpetuò crepat. Iubetur in illis, vt si controuersia suboriatur de scriptura veteris Testamenti, ad hebraicam veritatem confugiatur. Et est Augustini præceptum de doctrina christiana. Quum itaque locum Esaiæ non eisdem verbis exprimant Euangelistæ, cur ad fontem hebraicæ veritatis non se recipit? Neque vlla ratio est, cur debeat offendi, si particula, Vt, causam finalem significet, quasi ad hoc loquutus fuerit Christus in parabolis, vt excæcarentur. Non ne de Pharaone ait Dominus: Ad hoc ipsum excitaui te, vt in te ipsum ostenderem potentiam meam? Et figulus non ne dicitur alia fingere vasa in honorem, alia in contumeliam? cuius instar & Deus vasa misericordiæ, & vasa iræ prædicatur instituisse, vt & suæ gloriæ diuitias, & suæ iustitiæ seueritatem ostenderet. Quando scriptura nobis operum Dei fines eiusmodi clarè indicat, neque offuscandi sunt, neque negandi. Vertit Matthæus locum Esaiæ per indicatiuum modum, & futurum tempus, sequutus æditionem Septuaginta, id quod licuit ei, quum interpretes illi, non quoad sententiam, sed quoad verba solummodo à veritate hebraica discrepauerint. Id & fieri potuisse Rabbi Dauid Kimhi ex Hebræis vidit. solùm desideratur in ea æditione causa efficiens cæcitatis, quam & Paulus, & Ioannes expresserunt. Et in Hebræo satis indicatur per modum imperatiuum, qui eo in loco otiosè non adhibetur. Sed præstat hac de re Hieronymum audire, qui in Commentario sexti capitis Esaiæ primò dubitat: cur Lucas, vt habetur in Actis capite vigesimo octauo, referens hunc locum, Septuaginta sequatur, & non hebraicam veritatem? respondetque, Tractatores ecclesiasticos tradere Lucam fuisse medicæ artis peritum, plúsque versatum in græcis literis, quàm in Hebræis: ideóque non mirum esse in educendis testimonijs veteris instrumenti, si ad eum textum se conuertit, quem magis habuit familiarem. Sed pro hac responsione ego alteram libenter supponerem: quia puto spiritum sanctum ita instruxisse Lucam & cæteros Euangelistas, vt facilè valuerint testimonia ex hebraicis literis haurire, si voluissent: cæterùm de industria Septuaginta, quando fieri poterat sequutos, vt Gentes, quibus eorum scripta bona ex parte erant inseruitura, ex illa æditione Septuaginta, quam vnicam habebant, cognoscere possent, quæ ab eis producebantur. Taxat præterea Hieronymus, illos, qui eo tempore dicebant, consulendos non esse codices hebraicos, quòd illos Iudæi vitiauerint. Origenes inquit, in interpretatione super Esaiam, id factum negat, hac ratione, quod tantum scelus, Christus & Apostoli noluissent silentio præterire. Si enim vanas, & falsas interpretationes Pharisæorum, atque Scribarum Dominus

Non vitio doctrinæ, aut prædicationis Euangelij homines excæcantur.

Verbũ Dei & prædicatio sunt instrumenta, quibus irritãtur excæcandi.

In controuersijs de ueteri instrumento ad hebraicam ueritatem confugiendum.

Lucas magis peritus græcæ quã hebraicæ.

Textus ueteris testamenti à Iudæis non est corruptus.

apertè reprehendit, quid non dixisset, si manus temerarias ad corrumpendos sacros codices admouissent? Sed solent dicere, libros sacros ab illis adulteratos post Christi ascensionem, & Apostolorum ędita Euangelia. Hîc, inquit Hieronymus, cachinnum minimè valeo continere, quasi Apostoli, qui sæpe in suis scriptis adducunt veteris Testamenti sententias, non iuxta Septuaginta, sed iuxta habraicam veritatem voluerint loca citare, prout libri eorant à Iudæis falsandi. Quid igitur subdit? an recedemus hîc ab hebraica veritate, & sequemur Septuaginta, ne videamur blasphemi, Deo attribuendo tantam seueritatem, vt nolit videre, aut audire Iudæos, vt illos excæcet, & induret? Sed nihil proficiemus, quoniam Septuaginta in sua versione haudquaquã euitarunt semper huiusmodi locutiones. Apud eos enim inuenitur, Ad hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te vim & potentiam meam. Et: Indurauit Deus cor Pharaonis. Nec non: Fiat mensa eorũ coram ipsis in laqueum, & in scãdalum. Obscurentur oculi eorum, ne videant, & dorsum illorum semper incurua. Cùm adhæc ventũ fuerit, quò confugiemus? Concludit itaque, nullam hîc esse blasphemiã. Paulus enim dicit, Deum omnes cõclusisse sub infidelitate, vt omnium misereatur. Et quando hæc abyssus multa est, in qua nec vadum perspicere possumus, neque transmittere, Apostolum clamasse, O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei. Atque idcirco dicit Iudæos excęcatos, vt Gentes crederent, neque vllam fuisse crudelitatem, vnam orbis particulam obcæcari, vt reliquę illius partes vniuersæ illustrarentur, & iactura, quę facta est lapsu Iudęorum, conuersione Gentium placuit resarciri. Christus de ipso dicebat apud Ioãnem: In iudicium veni in hunc mundum, vt videntes non videant, & qui non videbant, videant. Prædicitur item ab Esaia vt lapis offensionis, & petra scandali. Atque Simeon aiebat, positum illum esse in ruinam, & resurrectionem multorum. Hæc Hieronymus adducit, nobiscum faciens. Verùm in Ioãne apertissimè cap. 12. locus iste citatur, vt Iudæi excæcati à Deo non possint negari: imò additur, illos non potuisse credere, quod Pighius non vult concedere, cùm tamen verissimum sit. Nam hominem constituas Dei spiritu & gratia desertum in suę naturę corruptione, qua omnes nati sumus, quomodo poterit credere? Necessaria sanè incredulitas eius est, non sanè absolutè, verùm ex hypothesi. Atque addit, si istud esset impossibile, ex prædictione Prophetæ, vtique non esset impossibile. Ad id respondemus, hîc quoque impossibilitatem esse ex hypothesi: nam quod prædixerat Esaias, verificari oportuit: & adhæc Propheta dum talia prædiceret, & prædicaret, non potuit non excæcare à Deo desertos. Necessariò enim magis magisq; irascebantur, & odio habebant verbum Dei, vtque cæci ab illo resiliebant, cùm gratia diuina, & spiritu essent destituti. Verùm istas necessitatis rationes Pighius non attendit, sed addit, ab Esaia non dici, Deum excæcasse Iudæos. At non ne ibi præcipitur à Deo illorum excæcatio? Id tantundem est. quod illius fit imperio, ab eo fieri dicitur. Cùm mandat Prophetæ, excæca cor populi: nil aliud, dicit Pighius, significatur, quàm prædica, scilicet, populum excæcandum. Hîc iam audio nouum tropum, vt excæcare significet prædicare. Hi sunt, qui nos adeò taxant, si in re sacramentaria, quemadmodũ necessarium est, tropum adhibemus, & quidem vsitatum: cùm tamen ipsi absque vlla necessitate tropum inducant, & quidem inauditum. Neque verum est, quod perpetuò assumit, ita excæcationem causam habuisse in populo, vt Deus eius causa dici nullo modo possit. Verùm audiamus, quid tandem ille putet intelligendum per id, quod Ioannes dicit, impossibile fuisse, vt illi crederent. Inquit, Impossibile significat difficile. O nouam theologiã: hominem ponere à spiritu & gratia desertum, tantùm iam suis corruptis viribus innitentem, posse credere, licet difficiliter. Quid aliud in sua causa diceret Pelagius, si ad nos denuò rediret? Sed inquit, Impossibile interdum id significat, vt cùm vulgò dicimus, Non possum illũ hominem amare, hoc est, difficiliter adducor, vt hominem illum amem. Sed est ne consectarium, quòd si nonnunquam ita loquamur, illico tibi detur, sic in loco isto Ioannis esse intelligendum? Vt concedam tibi vocem illam interdum hoc significare, poteris euincere, significationem huiusmodi nunc vsurpandam? Mitto simile, quod adducis, nõ habere vt putas. Cùm enim dixit Dominus fratribus suis: Mundus vos odisse non potest, nequaquam, vt ipse affingis, intellexit hoc esse difficile, sed non posse fieri. Quandoquidẽ re vera impossibile est, vt homo carnalis & mundanus, quà huiusmodi est, à carnalibus & mundanis odio habeatur. Alijs de causis in odio fortasis erit, id est, vel propter opes, vel propter nimiam potentiam, & sexcenta huiusmodi: sed quòd sit mundanus, aut carnalis, eiusdem farinæ hominibus non displicebit. Quod tamen haud idcirco dicò, quasi velim inficiari, quandoque impossibile idem significare quod difficiliter. Non enim me latet, quod Gregorius Nazianzenus libro 4. suæ theologiæ hac de re scripserit, cui an per omnia subscribam, differere non est

Deus nõ fuit crudelis Iudæos obcæcando.

Iudæi affirmantur non potuisse credere.

Quod imperio Dei fit, à Deo fieri dicitur.

Contra eos, qui absq; necessitate tropos inducunt, & necessarios repellunt.

An impossibile, significet difficile.

est præsentis loci. Quumque Pighius tergiuersari non possit, Ioannem dicere, Deum excęcare Iudæos, ait, licet causam in se ipsis habeant vnde excæcantur increduli, attamen ita scriptura vult loqui, ac si Deus excæcauerit. Ita ne scriptura sic loquitur? num absque ratione? sic ne loqueretur, quasi Deus hîc nil ageret? non arbitror. Sed operæpretium est simile eius præclarum excutere. Lippus, inquit, aut luscitiosus si respiciat Solem, excæcabitur. An dicemus, radios solares illum excæcasse, quum in se habuerit principium morbi? quomodo sui similis acumen effugiet? Fateor, morbi principium fuisse in oculis, sed non tantus erat morbus, vt nihil videret luscitiosus: nam etsi hebes erat, cæcus non erat. Quòd nunc prorsus sit excæcatus, quis Solem non dicet, pro sua ratione & modo agendi causam? imber, item, inquit, non est causa, vt inculta terra spinas germinet. Quis hoc diceret? imbr mque fœcunditatem subministrare, quum produntur spinæ, quis inficiabitur? cui nullus est nasus. At similibus non potest expleri, vnum denique addit plusquam Pelagianum. Fingas, inquit, animam esse in cubiculo conclusam vnà cum duobus consiliarijs, spiritu, inquam, & carne: foris ex vna parte Christus maneat, secum habens chorum omnium virtutum, & donorum spiritualium: ex altera parte diabolus cum vniuerso scelerũ satellitio: ambo pro foribus isti expectant, quem anima velit ad se admittere: intus spiritus consulit pro Christo: caro verò pro diabolo: anima vt in medio constituta, inclinat liberè ad vtram partem voluerit. si Christum admittat, prorsus diabolus effugatur: sin verò diabolum accersat, discedit Christus. pro sua parte nihil plus diceret Pelagius. Animã ponit in medio, quæ tamen sine Christo mancipium est carnis. Quòd voluntas ab ipso Christi afflatu immutari debeat, nec vnum verbum. Quòd sit dandum cor carneum, & auferendum cor lapideum, prorsus tacet. suasiones tantùm proponuntur. Hoc dicebat Pelagius, moueri homines legibus & scripturis ad immutationem & ille tacebat. Et veritus Pighius, ne illum in hac ficta narratione intelligeremus, liberum addit arbitrium, est oculus infirmus, in cuius tamẽ potestate est, vt sanetur. Quis vnquam sanus theologus ista dicet in potestate arbitrij, aut viriũ humanarũ esse, vt homo seruetur? Adhuc apertius vult explicatam sententiam suam. Christi, inquit, sumus bonus odor, alijs quidẽ ad vitam, alijs verò ad mortem. Bonus, inquit, odor neminẽ occidit, sed non ita est: rectè dixeris, serpentes bonis odoribꝰ & suffitu aromatũ interfici? Ita & incredulitas excitari potest sana prædicatione, ac verbi Dei repetitione. At non eius vitio, fateor, sed non licet dicere, non eius causa, vt non eius vitio. Deus etiam citra culpam suam excæcat, excæcat tamen, vt scriptura testatur. Sed iam hunc dimittamus Sophistam, in cuius dictis plus est absurdi, quàm difficultatis in respondendo. Quod verò ad præsentem rem attinet, fuit, vt superius dixi, graue scandalũ, videre Christum esse verum Messiam, in scripturis demonstratum, à tam paucis Iudæis recipi, imò ferè ab omnibus explodi, qui tamen scripturis incumbebant. Hodieq; idem scandalũ multos vexat, quòd cùm Christo videantur promisse omnes gentes, tanta sit copia Epicureorũ, tanta spurcities Turcarũ, tanta colluuies Papistarũ, qui Euãgelio prorsus resistunt: sed cõtra hoc scandali genus pręmuniuit nos spiritus sanctus. Primus Moses dixit, Iudæos irritandos in non Gentẽ. Esaias: Si fuerit numerus filiorũ Israel, vt arena maris, tantùm reliquię saluę fient. Nisi Dominus reliquisset nobis semen, essemus vt Sodoma & Gomorrha. Christus lapis offensionis, & petra scandali positus est in resurrectionẽ, & in ruinam multorũ. Domine, quis credidit auditui nostro? Multi sunt vocati, pauci verò electi. Et sexcenta sunt huiusmodi, alia testimonia, quibus nos diuina scriptura confirmat, ne ista paucitate moueamur. Qui Christũ non receperãt, quando venit Chochalus & Theudas, illos pseudochristos, & Messias mentitos secuti sunt. & qui Christũ renuunt, Mahomet sequũtur. an propterea dicemus Chochalũ, Theudam & Mahumethẽ esse Christũ? Delirabimus si id fecerimus, quando Christus ipse id futurũ prædixit: Me, inquit, nõ recipitis: at si alius venerit in nomine meo, illũ recipietis. imò id nobis debet esse argumẽto, Iesum Nazarenũ verũ esse Messiã, cùm in illũ vnà cum cæteris oraculis, & hoc videmus cõpetere, vt à paucis recipiat. Rogauit quidẽ patrẽ, sed nõ pro mundo, verũ pro illis, quos ei dedit, alioquin in maligno positus est mũdus. Alius est adhuc scrupus, qui nos remorat, quòd Esaiæ verba tantũ ad eius tempus videtur spectare, non ad Christi, Apostolorũ, & nostrã ætatẽ. Fateor quidẽ, & Prophetæ tempore fuisse illã excæcationẽ, quæ tamen producẽda esset vsq; ad extremũ tempus orbis. Dixit Propheta, cùm esset iussus à Deo, quę iam audiuimus: Vsq; quo Domine? ac illi responsum est, quousq; diruantur ciuitates, & ad solitudinẽ ac vastitatẽ redigãtur. quod sanè factũ est ex parte, cùm abducti sunt Israelitæ in Babyloniã, sed nõ perfectè: hodie absoluta est illa desolatio, nẽpe à dicbus Vespasiani vsq; ad finem orbis. Præterea ipsa experiẽtia docet, illos vsq; in hodiernũ

Pighij similia.

Anima non regenerati media inter spiritum & carnẽ dici non potest.

Citra uitiũ, & citra causam nõ idem significat.

Qui Christũ nõ recipiũt, pseudochristos admittunt.

dicẽ cęcos esse. Deinde argumentũ Apostoli adhuc est efficax, si de sua ætate Propheta locutus esset: nam videbãtur Iudęi vehemẽter offendi, quòd à Paulo prędicarent excęcati, cùm id nõ adeò indignè ferre deberẽt, quando à Propheta pœnã hanc eorũ patrib. intligendam fuerit olim prædictũ. Iam itaq; Paulus in eo nil noui cõuitij dixisse probatur, nullã cõfinxisse in eos contumeliã, quã prius non audiuerint. Et veluti Helię tẽpore demonstratũ est, seruatos occultè nõnullos, cæteris omnib. pereũtibus, ad probandũ idem accidisse Iudęis tempore Pauli: sic modò recensentur Esaię tempore Iudæi fuisse obcæcati, ne incredibile videatur, eos nunc quoq; potuisse eodẽ morbo laborare. Sed prior interpretatio verior est, atq; simplicior: vnde quicunq; verba Ioãnis attentè legũt, facilè cognoscere possunt, Esaiã prophetã in illo summo iudice, quẽ Deum fuisse testatur, vidisse Christũ. Hęc, inquit, Ioãnes ille dixit, cùm vidit gloriã eius, & locutus est. Pronomẽ illud, Eius, Christũ refert, quoniã de illo sermo fuerat institutus. Vnde nõ debemus huius loci obliuisci, cũ demõstrãda est Christi diuinitas, quia illum, quẽ vidit Propheta, Deum exercituũ appellat, eiq; nomẽ Tetragrãmatũ non veretur tribuere. Vidimus itaq; tam ex Paulo, quàm ex Propheta, Deũ quidẽ efficientẽ causam excæcationis Iudęorũ debere cõcedi, cuius finis pręcipuus nõ est, vt ipsi pecarent, sed vt in eorũ punitione declararet eius iustitia: vt de Antichristi tẽpore scribitur ad Thessal. Propterea quia charitatẽ veritatis non receperũt, ideo immisit in eos Deus spiritũ erroris. Et Deut. 28. Moses est comminatus Dei nomine, Iudæos ab illo percutiendos furore, amentia, & stupiditate cordis, si suos sermones non audiuissent. Ac in Ezechiele Deus ad punienda scelera tam malorum prophetarum, quàm illorum, qui consulebant eos, etiam ait se Prophetam seducturũ esse. Ista eadem fermè, quæ Iudęis euenerunt, Papistis quoq; videmus cõtigisse: ij enim sępenumero admoniti, vt à superstitionib. impijs, & ab Ecclesię perpetua corruptione iam tandẽ se reciperẽt, non solùm audire noluerũt, sed indies in maiores tenebras se præcipitant, & grauiori cæcitate laborant. Quos cùm ita videmus affectos, debemus eorum misereri, atque nobiscũ cogitare, nos quoque in eodem versari periculo, nisi perpetuus Dei fauor subueniret. In Marco legimus 8. cap. quòd cùm Apostoli musitarent se oblitos panum, & illis miserè tantum miraculum excidisset, quo Christus pauerat paucissimis panibus multa millia hominum, illis Dominum dixisse: Nondum animaduertitis, nec intelligitis? adhuc obcæcatũ habetis cor vestrũ? oculos habentes non cernitis? & aures habentes non auditis? & non meministis? Hoc est ingenium corruptæ nostrę naturæ, vt si relinquatur sibi ipsi, prædicatione ac miraculis excæcetur: sed suis electis Deus adest, atq; illis cùm verba diuina, sacramenta, vel miracula proponãtur, cor aperit, quemadmodũ legimus in Actis apostolicis de pupuraria. Proinde cæcitas ista in nõnullis est solùm tẽporaria: nam in his, quos Deus occulto quidẽ, sed iustissimo suo iudicio penitus deserit, & iam inde ab æterno reprobauit. Et Dauid dicit: *Vertatur mensa eorũ in laqueũ, & in captionem, in offendiculũ & retributionem.* Psal. 69. hæc habentur. Vbi conqueritur Dauid de calamitatib. & oppressionib. quibus diuexabatur, & in se ipso tanquã in typo Christũ respicit, atq; omnia eius membra, quæ videt eidẽ cruci obnoxia: preces vehementes addit pro liberatione, deuouet, & execratur hostes istos Dei: subiũgit mox læta carmina de benignitate diuina, quæ se audiuerit, & iucundas attexit sententias. Hinc Paulus hoc testimoniũ appositè decerpsit. Hebraica verba sic habent: יהי שלחנם לפניהם למוקש ולשלומים למוקש תחשכנה עיניהם מראות ומתניהם תמיד חמעד Quã sententiã sic verterũt Septuaginta, vt quoad verba nõnihil discrepauerint ab hebraica veritate, tametsi in sensu ab ea non discesserint. Paulus alludit ad Septuagintã, à quibus tamen, vt postea ostendemus, nonnihil dissentit. Notabile discrimẽ inter Septuagintã & hebraicum fontem in eo est, quòd illi ἀνταποδόσιν, quod hebraicè legitur, Pacifica, vel quæ ad pacem faciunt. Error autem inde oritur, quòd si absque punctis legatur, voces propemodũ eædẽ videri possint. Nam שלם & pacatũ esse, et שלום significat pacẽ. at שלם est retribuere, atq; שלום & numero multitudinis, שלומים est retributio, & retributiones. Sensus verò est: Quę iucunda, læta & prospera sua natura essent, fiant his impijs exitiosa & noxia. Amici quoq; sint eis in scandalũ, eosq; perfidos & proditores experiantur. Deinde oculi, seu mens eorũ iudicio sauciẽtur, ac reddãtur infirmi, vt ea non valeãt assequi. Verũ singulas partes huius execrationis oportet expendere. Atq; quod primo loco dicitur de mensa, elegantẽ exprimit allegoriã, quandoquidẽ per mensam significatur nobis quicquid est suaue, gratũ, & oblectãs, in quo cedimus, vt cibo & potu reficiamur, & exhilaremur, quin & in cõuiuijs amicitię atq; mutuę necessi-

Quæ olim Iudæi passi sunt, hodie pati non est mirũ

Christus erat, quẽ Esaias vidit habitu iudicis.

Quis finis Dei fuerit in excæcãdis Iudæis.

Quæ sunt dicta de Iudæis, Papistis congruunt.

Nostra natura vitiata, cum sibi relinquitur, prædicatione ac miraculis excæcatur.

Allegoria mẽsæ.

neceſsitudines ineuntur, & arctiores reddi ſolent. Menſa enim, ſi Varroni credimus, dicta eſt quaſi meſa: inter duos enim, aut plures eſt ſequeſtra & mediatrix. At, inquit Dauid, iſtis impijs mutet ſuas proprietates, à fine ſuo excidat, non ſit eis iucunda, non læta & ſuauis, at pernicioſa, noxia, & laqueus: ibi capiantur, & perdantur. Origenes contra Celſum de quodam iambographo ſcribit, qui carmina iambica in Lycãbem ſcripſerit, quòd menſam, & ſalem eſſet tranſgreſſus, & in eum perfidus, atque crudelis fuerit, cum quo menſam & victum communem habuerit: & id commodè applicat ludæ Iſcariotæ, qui Dominũ, cum quo vnà veſcebatur, prodiderit. Et Seruator noſter ſacram menſam inſtituit, in qua Euchariſtiam fideles percipiant, vt ibi non tantùm ſuæ mortis celebretur memoria, ſed etiam quicquid odij, vel inimicitiarum inter Chriſtianos pullulauerit, conuictu illo ſacro extirpetur. Pythagoras in ſuis ſymbolis non patiebatur, vt ferro panis diuideretur: pane ſignificans humanæ ſocietatis vinculum. Atque à Macedonibus pacta & fœdera comedendo & bibendo iniri ſolebant. Plutarchus item in ſuis problematis refert, menſam fuiſſe rem ſacrã, & id circo maiores cauiſſe, vt non relinqueretur ante conuiuas inanis, aut vacua, quòd id parũ deceat res Deo ſacras. Orat igitur Propheta, imò ſceleratis imprecat, vt omnia proſpere & felicia vertantur eis in miſeriam: quod & factum fuiſſe paſsim in hiſtorijs legimus. in illis enim rebus mundani homines non rarò exitium repererũt, in quibus & ſibi maximè placuerant, & ſuã felicitatem collocauerant. Cùm in Pharſalia victus eſſet Pompeius, Aegyptus, & Ptolomæus erant illius menſa: ſperauit enim, ſe illic poſſe recreari, & quieſcere: ibi tamen infeliciter eſt obtruncatus. Cæſaris menſa videbatur primas tenere in republ. romana, principem eſſe Senatus, Dictatorem è ſella nobili conſcribere leges, & imperare: at dum his in rebus acquieſceret, miſerè interemptus fuit. Iudæorum menſa fuit, Chriſti tempore ſuam retinere dignitatem, locum, gentem & ſacerdotium: porrò vbi iſta cæco ſtudio nimium affectarent, Chriſtum occiderunt: ideoq; ſummũ in exitium præcipitati ſunt. Neque diſsimilis exitus expectandus Papæ, & regni illius, cuius menſa eſt, nomen Eccleſiæ, concilia, patres, cõſuetudines diu receptæ, pompa & ſplendor externarum ceremoniarum, & alia huius generis: propter quæ defendenda, cùm veritatem, & quidem non obſcurã, vnà cum ſuis oppugnet, in laqueum & pernicíem incidet. Hoc idem faciebant Iudæi Hieremiæ tempore, clamantes, Templum Domini, templum Domini: iactantes ſe eſſe filios Abrahami, ac liberos, & promiſsionis filios: ſed tamẽ magnis calamitatibus abſumpti fuerunt. Vt autem menſa ipſa externa quibuſdam fuerit exitialis, proponit ſacra hiſtoria in primogenito filio Dauidis. Fuit enim interfectus à fratre ſuo Abſalone, propter violatam Thamar ſororem. Subijt eandem hanc fortunã, vt legitur in primo Machab. Simon ſummus ſacerdos, qui à genero exceptus conuiuio, fuit interfectus. Laqueum per antitheſin Dauid menſæ pulchrè oppoſuit. Debet enim menſa libera eſſe, vbi animum tutò relaxamus, quòd ſi ibi laquei ſint, minimè cauebũ tur. Additur altera imprecatio, iuxta hebraicã veritatẽ de pacificis, id eſt, amicis, & familiaritatis neceſsitudine coniunctis. Nemo non intelligit, amicitiã rem eſſe neceſſariã: qua nec etiam magni principes & monarchæ poſſunt carere. ſi enim amicis deſtituantur, per quos principatus, & regna ſua adminiſtrabunt? Quamũ verò in aduerſis concordia ſit & vtilis, non eſt multis exponendum, cùm ſit manifeſtiſsimũ. Eſt etiam vt res expetenda, & iucundiſsima, nobis à natura, vel potius à Deo ingenita: vtq; de illa dixit Ariſto. in Ethicis, magis quàm iuſtitia opportuna: quia ſi eſſemus omnes verè inter nos amici, nulla opus eſſet iuſtitia, ſiquidẽ nemo alterũ læderet: at ſi iuſti eſſemus omnes, adhuc requireretur amicitia, quòd ſit res natura ſua, & per ſe ipſam bona. Tãto cõmodo ſua execratione Dauid impios optat fraudari, petitq; vt perfidos habeant, quos amicos ſibi exiſtimauerãt. quod vt ſit deteſtabile, & damnoſum, hiſtoria Samuelis demonſtrat: vbi ſcribitur Ioabus Abnerem, & Amaſam clariſsimos principes interfeciſſe fraudulenter, videlicet prætexendo amicitiã, & eos oſculando. Dominus quoq; noſter, qui grauia omnia mala noſtra cauſa ſubire voluit, hoc genus infortunij pertulit, qua de re pulcherrima extat querimonia in Pſal. ſub perſona enim Chriſti dicitur: Vir meus pacificus, qui vnà mecũ cibos capiebat, leuauit cõtra me calcaneũ. Sic hebraicam veritatẽ iam expoſuimus. Sed quoniam Paulus, & Septuaginta retributionẽ poſuerunt, videamus quomodo eorum locutio propoſito ſenſui conueniat. Significatur, meo iudicio, precari Dauidẽ, vt in menſa, vbi animi relaxari, & omnia tuta eſſe atque ſecura conſueuerunt, ibi retributio eis accidat, & pœnas dent omnium ſcelerum, quæ antea commiſerunt: vt ſi diuina ſeueritas viſa fuerit antea connituere, ibi ſupplicia exigat. Obſcurentur oculi eorum, ne videant, & dorſum, ſeu lumbos, aut renes eorum ſemper incurua, vel nutare ſeu labaſcere facias, vt hebraicè dicitur. Ad mentẽ ſpectat, quod nunc de oculis dicitur,

Menſa euchariſtiæ.

Mos fœderum Macedonicorũ.

Laquei antitheſis ad menſam.

Amicitia eſt res neceſſaria.

Amicitia potior iuſtitia.

Exemplum perfidiæ.

& ſenſus eſt: iudicio & intelligentia orbentur, vt quæ ſint optanda, & vtilia non ſentiant. Per lumbos verò, dorſum, aut renes, intelligamus oportet vires, quibus, orat, vt ij deſtituantur, ne poſsint adipiſci bona, ſi qua forte delegerint. Neque hîc nos lateat, vt in impijs & à Deo reiectis oſtendatur ſublatum liberũ arbitriũ, cuius, vt docuimus aliàs, radix & initium eſt intelligentia. Non enim voluntas, cùm cæca ſit, eligere poteſt, quæ ratio ſibi nõ obtulerit. Quòd ſi non poſſunt reiecti à Deo intelligere ſpiritualia & vera bona, cùm ſint animales homines, illa quoq; non valebunt eligere. Et ſi tenui aliquo lumine ſic interdũ ſunt illuſtrati, vt nõnihil honeſti videant, nihilominus vires in eis adeò incuruatę ſunt, & nutãtes, vt non poſsint, quæ probant meliora, ſequi, verùm deteriorib. adhærent. Argumentũ Pauli eſt huiuſmodi aduerſus Iudæos: Quòd ſitis obcæcati, ac ideo Chriſtũ ac eius Euãgelium nõ admittatis, non adeò vobis incredibile videri debet, cùm & Eſaias id prædixerit, & modò ſanctus Dauid non tacuerit. Neq; dubitandum eſt, ad Chriſti tempora pertinere atque noſtra, quæ de Iudæis modò citantur, quando quidẽ in hoc Pſalmo habetur: Zelus domus tuę comedit me. Quod carmẽ Chriſtus vſurpauit, quando templũ ab ementib. & vendentibus repurgauit. imò nullus præ illo magis cõmotus eſt eo æmulationis genere, illaq; potiſsimũ de cauſa fuit à Iudæis occiſus. Adhæc in eodẽ Pſalmo legimus: Dederunt in eſcã meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto: quæ cõtigiſſe Dauidi nuſquam legimus. At Chriſto ſub mortẽ talem fuiſſe eſcam, & potum propinatũ quãclariſsimè teſtãtur Euãgeliſtæ. Eſtq; hoc loco videre pulcherrimã per gradus amplificationẽ: Primũ dicitur, bona, quæ ſcilicet iam habent, & poſsidẽt, illis vertantur in exitiũ, vt menſa, & amici. Quo verò ad ea, quę ſunt expectanda, illa non videant, abhinc, ſi fortaſſe videãt, non poſsint aſſequi. Neq; ſola hæc exeratio in illo Pſalmo Dauidis legitur, ſed longè grauiores iſta: dicitur enim: Effundas ſuper eos iram tuam. Appone iniquitatẽ ſuper iniquitatẽ, & in iuſtitiã tuam non ingrediãtur. Deleantur de libro viuentiũ, & cum iuſtis non ſcribãtur. At Paulus tantũ partem decerpſit, quę ad propoſitã rem faciebat, & maximè quoad obcæcationẽ, quia noluit plus æquo irritare Iudæos, ne fortaſſe omnes animũ deſponderent. Verùm quia iſta horribilia ſunt & atrocia in impios detorta, conuenit, vt pij atq; fideles ſibi conſolationẽ inde non leuẽ decerpãt argumentatione cõtraria. Vt enim illis iucunda & proſpera vertũtur in miſeriã & calamitatẽ: ita pijs, quę natura ſua triſtia, dura & miſera eſſent, efficiũtur ſalutaria, iucũda, & glorioſa: vt perſecutio, fames, exilium, ignominia, & denicq; mors ipſa: quoniã crucẽ Chriſtus nobis ſanctificauit, atque propterea beatos pronuntiauit, qui perſequutionem patiũtur, beatos, qui lugent, beatos, qui conuitijs & opprobrijs afficiuntur. nihil enim iſtorum malorum eſt, quod in electis Dei feliciſsimum exitum non habeat. Inſidiæ fratrum Ioſephi prouexerunt illum propemodum ad imperium Aegypti. Per calamitates & afflictiones, quibus premebantur Iſraelitæ à Pharaone, libertatem adepti ſunt. & in horrido ſquallentique deſerto fermè paradyſum habuerunt. quum auſpicijs Moſis, imò Dei ad terram Chanaan educerentur: prælia, quibus impetiuerunt eos Amalechitæ, Chananęi, & Amorrhæi, verſa ſunt illis in victorias & trophœa. Chriſti mors quantumuis ignominioſa ei, quà homo fuit, reſurrectionem cœleſte ſolium, & monarchiam omnium ſeculorum peperit. Per martyria verò quàmatrociſsima quum Apoſtoli, tum alij permulti fideles ad æternam felicitatem ſunt adducti: vt verè dixerit Apoſtolus, diligentibus Deum omnia in bonum cooperari. Verbis Pauli iam expoſitis, excutere volumus, quid ex aliorum expoſitionibus colligendum ſit. Chryſoſt. vt nos, per menſam intelligit ludęorum delitias: atq; hęc adeò perſpicua facit, vt expoſitione non habeant opus. quia docet ipſa experientia, quibus calamitatibus & animi, & corporis Iudæi exagitentur. Conſiderauit deinde temporis aduerbium, quod eſt hebraicè חמיד, quo vult ſignificari, perpetuitatem huius cladis, ita vt non ſperent Iudæi fineendam. Mirum illi videbatur, eam ſuo tempore duraſſe iam ſupra trecentos annos: verùm quid modò non diceret, quando iam mille & quingenti ſunt elapſi? Babylonica eorum captiuitas proferebatur ad annum ſeptuageſimum: ſed in ea tamen fauore Dei non ſunt prorſus deſtituti, vt qui ſecum habuerint Danielẽ cum ſocijs, Eſdrã, Nehemiã, Zorobabelem, Ieſum filium Sadoch ſacerdotẽ, Zachariã, Aggæũ, tum ante iſtos omnes Ezechielẽ & Hieremiã, licet Hieremias cum profugis Iſraelitis non in Babylonem, ſed in Aegyptũ deſcenderit, ad eos tamen ſcribebat. Poſt annos verò ſeptuaginta, cùm redijſſent, vſq; ad Macedonũ tempora poſſederunt auitũ regnũ. Proximè fuerunt aliquandiu ab Antiocho diuexati: ſed Aſſamonæi vindicarunt eos iterum in libertatem. At nunc ſine fine ac modo premuntur, tametſi externa illa & craſſa idololatria nõ laborẽt. Quare diſperſionis eorũ, atque miſerię, non alia cauſa poterit aſsignari, quàm veniſſe iam Chriſtum, quem illi abiecerunt,

Arbitriũ liberũ oſtenditur in impijs euerſum.

Probatur hic pſalmus ad Chriſtum pertinere.

Quare Paulus magis hanc pſalmi partẽ decerpſerit, quã alias Quæ cõſolatio hinc ad pios deriuetur.

Triſtia pijs uertuntur in læta & iucunda.

Iudæorũ calamitas perpetua.

Captiuitas Babylonica præiſta multò fuit tolerabilior.

Hebræi nõ laborarũt idololatria externa. quãdo poſtremò ſunt à Romanis afflicti

Vnde

Vnde pro florenti regno, seruire coguntur: pro templo augusto, dissectas habent synagogas: pro victimis & sacrificijs, absurdis implicantur superstitionibus: pro dignitate & honore, in quo antea fuerant, nunc omnibus odiosi sunt & infensi. Et quod omnibus his est grauius, tantorum malorum causam nolunt agnoscere. Ambrosius autem hæc tractans, in duo genera diducit hanc obcæcationem: vnam facit sanabilem, cui sententiæ astipulantur & commentaria, quæ Hieronymo adscribuntur. scribitur enim in illis: Dorsum eorum semper curua, quoad credant, & conuertantur. & quoad multos adhuc remedium superesse Petrus demonstrauit in Actis, quum diceret: Et nunc scio, quòd per ignorantiam fecistis: igitur pœnitemini, & baptizetur vnusquisque vestrûm. Mitto præterea Paulum dicere, ita excisos Iudæorum ramos, vt tamen Christo queant rursus inseri. Aliud verò genus obcæcatorum facit, de quibus conclamatum sit, eósque dicit esse, qui cognitam veritatem abiecerunt, & insectantur. Atque addit, Paulum in præsentia vtranque amplecti excæcationẽ. Scholia verò græca incuruationem dorsi referunt ad perpetuum iugum, quo Hebræi ab exteris nationibus premuntur: quod mihi parum arridet, quum videam Paulum de malis & calamitatibus animi tantùm scribere. Non enim externam infelicitatẽ Iudæis vnquam exprobrauit. Sed illud est attentione dignum, nonnullos interpretes causam cæcitatis huius constituere incredulitatem. Verùm ego, quemadmodum concedo per incredulitatem augeri tenebras, ita etiam assero mentis cæcitatem antecedere incredulitatem: quî enim fit, vt impij homines verbis Dei non credant, nisi quia excæcati sunt, & non vident, quemadmodum videre oportuit, quæ ad salutem conducunt? Taceo interim, quòd Paulus cæcitatem ponit incredulitatis causam: nam illud cõtrouertebatur, quomodo verus Christus prædicaretur, cùm tam pauci illi crederent. Quod idcirco asserit Paulus euenire, quoniam electio consequitur, & reliqui sunt excæcati. Origenes postremo loco se offert, qui principiò scribit, Paulum omisisse, coram eis, quod tum in hebraico, tum apud Septuaginta inuenitur: de suo autem adiecisse, Captionem: quæ vox neque apud Septuaginta, neque in hebraica veritate scribitur. Sed hæc parui sunt momenti, neque sensum vlla ex parte vitiant. Ostendit præterea Dauidis testimonium confine admodum esse his, quæ prædixerat Esaias. Etenim quemadmodum ibi oculi dabantur, sed vt non viderent, & aures, vt non audirent, ita hîc dicitur, Obscurentur oculi eorum, ne videant. Mox quia videtur absurdum illi, vt sub Dauidis persona, vel Christi aliqua fiat malorum imprecatio, confingit admodum alienum sensum. Vti enim, inquit, potest oculus noster lucem respicere vtilia, & quæ expediant videre, ac è diuerso intueri noxia, & damnosa, ita mentis acies conuertit se interdum ad cœlestia & spiritualia, nonnunquam verò ad terrena, & impia. Iam verò si quis oret, ne aliquorum hominum intelligentia spectet, aut videat impia peruersaque dogmata, is non contra eos, sed pro eis rogabit. Deinde subijcit: Vtinam Marcion, Valentinus, Basilides, ac huiusmodi pestes nunquam vidissent insana & damnosa, quæ confinxerunt dogmata. Non itaque sunt, ait, ista imprecationes, sed potius pharmaca. De mensa verò sic agit, vt ex isto loco suas conetur allegorias tueri. quantum enim ex verbis eius licet coniicere, non omnibus probabantur. Accedat, ait, quispiam eorum, qui eas rident, & quæ modò ait Propheta citra allegoriam interpretetur. Proinde pergit exponendo, & mensam esse tradit scripturam diuinam: quoniam sapientia mensam posuit, & miscuit vinum. Hanc mensam probat Iudæis versam in laqueum. Nam cùm Iudæi legerent, Christum liberaturũ Israelem, & regnaturum magnificè, atque potenter: videbant Iesum Nazarenũ abiecta forma in terris egisse, ac se premi iugo Romanorum adhuc experiebantur: idcirco in laqueum fuit illis mensa: quod sanè minimè fuisset, si liberationem per Messiam perficiendam intelexissent à peccatis, diabolo, morte, & inferno. & regnum Christi non mundanum, sed quo per verbum & spiritum regnaret in cordibus hominum, tantum incõmodi non essent passi. Rogabat olim Christus illos: Cuius est filius Messias? Aiunt Dauidis, quemadmodum in sua mensa legerant. Christus respondit: At quomodo illum vocat Dauid suum dominũ, canens, Dixit Dominus Domino meo? iam hîc vertitur eis mensa in captionẽ, neq; vllum verbũ respondere potuerũt. In Ioãne quoq; dixit: Non putetis me venisse, vt vos accusem, est alius, qui vos accusat, Moses. Hîc quoq; rursus capiuntur. nam lex, de qua tam multa iactabant, eorum efficitur & accusatrix, & condẽnatrix. Postremò edocti erant, Christum in æternum mansurũ, & Dominum nostrum mori conspexerunt, & sepeliri: vnde illorũ mensa prorsus eis facta est in scandalum. Quod attinet ad sacras literas, Iudæis versas in perniciẽ, minimè illi aduersor, sed quòd suas inde nobis obtrudat allegorias, non assentior. Sunt enim duo allegoriarum genera: quædam enim sunt à sacris literis nobis commẽdatæ. puta

Duplex genus excæcationis.

Mentis cæcitas antecedit incredulitatẽ, & est eius causa.

Quomodo Iudæis mensa scripturarum uertatur in laqueum.

Duo genera sunt allegoriarum.

Christum Ionam esse, qui fuerit in corde terræ triduo, vt ille in ventre cœti. Adhæc illũ Salomonem esse, aut serpentẽ in heremo supensum, vel agnum. Duosq; filios Abrahami duo esse testamenta. Hæc, inquam, cùm in sacris literis reperiantur, nequaquã possunt repudiari, sed firma loca sunt, ex quibus vel ipsa dogmata probari possent, cùm opus esset. Alię sunt allegoriæ, quas pro suo iudicio & ratione homines inueniunt, quibus sanè concedimus, vt suo spiritui obsequantur, modò caueant duo. Primùm, ne quid, quod sanis aduersetur dogmatis, confingant: deinde, ne sua illa figmenta, ceu genuinos & legitimos diuinę scripturę sensus prodant. Allegoriarũ tertium genus est, quando tropo scriptura vtitur, neque alium sensum ab illo allegorico habet, vt modò concedimus esse in verbis Dauidis. atque tunc allegoria est sensus vnicus verborum: vt Cicero in oratione pro M. Cælio, Clodiam appellauit Medeam Palatinam. Sed hæc allegoriarum forma, quid, obsecro, commune habet cum Origenicis? Quòd autem interpretetur Dauidis imprecationẽ, quasi oret, vt non videant Iudæi, quæ mala sunt, & noxia, est à Pauli proposito alienissimũ. agebat enim de incredulitate, atq; dixit illius causam esse, quòd Hebręi fuerint obcęcati, & citauit verba Dauidis. Nemo verò nõ videt fidẽ respicere bona & sana dogmata, quę si rogat, vt ab illis non videanť, certè non bona, sed mala illis imprecatur. Miror autem Augustinum ferè in consimilem incidisse interpretationẽ tractans locum ad Gal. cap. 1. cõtra Faustum, lib. 16. cap. 22. Vtinam excindãtur, qui vos cõturbant: Sensum inquit esse, vtinam euirentur, hoc est, regni cœlorũ causa castrentur. Adduxit procul dubio istos viros in has expositiones, quòd non putarũt Dauidi, Prophetis, aut Christo cõuenire, vt mala imprecarentur: videtur enim id alienum à mansuetudine, ac lenitate etiã erga hostes, quæ præcipitur in scripturis. At quando incidimus in huiusmodi sermones, operæpretiũ erit de imprecationib. & diris nõnihil agere. Vetustissimus est in scripturis mos execrandi, & maledicendi. Noha Chanaã suum nepotẽ est execratus: Maledictus Chanaam, sit seruus fratrũ suorum. Balac etiã filius Zippor aduocauit Balahamum, qui mala imprecaretur Israeli. In Deuter. Maledictus in ciuitate, in agro, in horreo, in reliquijs, maledictus fructus ventris. Istæ execrationes in monte Hebal erant recitandæ. Lex zelotypiæ in Numeris habet quoq; suas imprecationes, vt vterus intumescet, & disrũperetur, ac marcescerent femora, quę omnia mulieri nocere non poterant, si fuisset innocens, at adulteræ non citra vim & effectũ recitabantur. Iosue imprecatus est illi, qui restitueret Iericho mortẽ liberorũ, quæ contigit sub Achab, vt tradit Regũ historia. Et Nehemias ait, se non solùm increpasse illos, qui vxores alienigenas duxerunt, sed illos execratum esse. In nouo Testemento non desunt exempla, quæ postea referẽtur. Quin & Ethnici etiam vsi sunt diris. Acteius tribunus plebis Romæ, vti refert Plutarchus in vita M. Crassi, cùm non posset aliter ab expeditione Parthica illum reuocare, in via saltem, qua erat egressurus vrbem Cratem incendit, ibique horrendis & atrocissimis diris, Imperatorem & exercitum eius deouit, quas execrationes haud fuisse vanas, euentus satis superq; demonstrauit. Diris apud Poetas agit Oedypus, qui filios suos Adrastum, & Polynicem execratus est, nempe vt absque ciuitate domoq; essent, vt pauperes vagi, & ita inter se discordes, vt alter alterum occideret, quæ, vt optauerat, euenerunt. Et Horatius, Diris vos agam, dira detestatio nulla expiatur victima. Neque tacendum est, quod Augustinus de Paulo, & Palladia commemorat: quum enim à matre diris essent deuoti, miserè circumibant diuersas regiones, donec tandem ad memoriam diui Stephani fuerunt liberati. Cùm itaque tanta semper fuerit copia, cùm apud Iudæos, tum Ethnicos dirarum & execrationum, fieri ne potest, vt prorsus iniustum, aut peccatum sit execrari, vel imprecare cuiquam mala, ita, vt nunquam liceat? Sensit planè Augustinus non licere, atque istam rem de sermone Domini in monte, libro primo tractat sub finem: scribens eas, quæ in Prophetis leguntur, imprecationes tantùm pertinere ad vaticinia, ita vt sub illa orationis forma tantùm prædixerint, quæ viderint euentura. Et quòd optatiuo modo pro indicatiuo sint vsi, quod apud Hebræos inquit, non esse mirũ, cùm illi figuris huiusmodi sæpe vtãtur in suis sermonib. nam & non rarò tẽpus vsurpant pro tẽpore, quando præteritũ pro futuro ponũt. Quare fremuerũt gentes, & populi meditati sunt inania? Et, Diuiserũt sibi vestimẽta mea. Hęc futura erant, & de Christo prædicabanť, cùm tamen scribanť quasi prętęrita. Nihilominus fatetur quandoq; orari pœnas, aut castigationes aliquibus, vt corrigãtur, quod inquit, nõ esse cõtra illos orare, sed pro illis. Et locum ex Apocalypsi citat cap. 6. vbi martyres clamant sub altari, Vindica sanguinem nostrum de terra, qui effusus est. videtúrque illi, martyres istos orasse contra regnum peccati. Bifariam verò peccatum euerti potest. Primùm, si contrarius inducatur habitus, & peccato succedat mortificatio cupiditatum, iustitia, probitas, & omne virtutum genus. Dein-

De imprecationibus & diris.

Execrationes in scripturis frequenter occurrunt.

Diræ in prophetis sunt prædictiones.

Licet orare pœnas quibusdam, ut corrigantur.

Locus ex Apoc.

Peccatũ bifariã potest euerti.

Deinde peccatum subijcitur Deo, quando pœna illi adiungit: dum enim impunitum est, nil boni secum habet, inflicto verò supplicio, cùm ipsum sit iustitiæ pars, aliqua saltem fit contemperatio, modusque peccato imponitur, ne latius grassetur, quod etiam miseris peccatoribus vtile est, ideóque si rectè iudicare velimus, potius pro illis, quàm contra illos martyres orarunt. Nec etiam esset absurdum si pro fine seculi precentur, in quo tam grauia fuerant passi, quo tandem aliquando cesset impietas. Quanquam non puto omnes veteres in hoc facilè consentire, vt pro fine seculi oremus: cùm potius è diuerso Tertullianus in suo Apologetico dicat, Christianos in suis cœtibus orare pro mora finis. Et habet ibidem non tantùm nostros orasse pro imperatoribus ex diuinarum literarum præscripto, sed etiam, vt diutius conseruaretur orbis. Nam post hanc Romanorum monarchiam, vt Paulus ad Thessalonicenses scripsit, erit Antichristus, & finis. Cupierunt igitur nonnulli ex sanctis prorogari tempus: partim vt Antichristi tribulatio differretur, partim vt filij electionis congregarentur. Scholia Græca tradunt sanctos illos martyres contra Diabolum ipsum orasse, vt eius potestas demum frænetur, aut finiatur. Atque hæc de Augustini sententia, qui non dissimiliter sensit contra faustum, vbi ait: Ista quæ legimus in Prophetis, videntur execrationis verba esse prædicentium, non vota imprecantium. Ego verò de ista re sic iudicarem statuendum, vt cùm inimicus sit qui nobis & malè vult, & pro viribus malè facit: ante omnia distinguamus de causa, qua nos odio prosequitur: nam ea vel est nostra propria, humana, & ciuilis, aut quia Deum, aut veritatem eius insectatur. Proximè distinguamus de hominibus: aliqui enim affectu consueto agunt & suo, alij à Deo aguntur, qui eis reuelat & quæ vult facere, quisue sit impiorum status, & incitat, vt dicant quæ loquuntur: vt interim taceam, quæ mala imprecamur vel temporaria esse vel æterna. Post has distinctiones ita videtur dicendum, vt si nostra duntaxat agatur causa, ibi simus patientes, longanimes, & benigni. Benedicite & nolite maledicere, iubet scriptura. Orare item debemus pro persequentibus. Homines à Deo conditi sumus, non euomamus virus serpentium: & quia sumus homines, haud patiamur nos in feras mutari. Qui nos lædunt, insaniunt, furore aguntur, ideóquè potius misericordia digni sunt, quàm vltione vel imprecationibus. Os nobis datum est, vt eo medeamur, non vt illo imprecemur vel execremur. Alioquin dicet Deus ad huiusmodi diras, Ego tibi mandaui, vt pro hostibus orares, quid nunc tu me contra illos irritas? an vis me adiutorem habere transgressionis mearum legum, Et carnificem tuum? Sacerdos quædam Athenien sis non potuit adduci, vt Alcibiadem execraretur, dixit enim se constitutam in sacerdotio vt pro hominibus intercederet, non vt illos execraretur. Et apud Romanos Flamen Dialis iurare non potuit, quia finis aut conclusio iurandi est plerunque execratio: aiunt enim hæc & illa mihi accidant, nisi hoc aut illud præstitero. at cum Flamini non liceret execrari seipsum, multò minus alios. Quapropter si nostra ipsorum agatur causa, non est vtendum execrationibus, sed potius precibus, misericordia, & benedictione: at si Dei causa tractetur, & ob impietatem & scelera ipsa indignatio obrepat, imprecatione vti aliquando pios modo, quem exprimemus, nil prohibet. Et sæpe fit, vt cùm nostra ipsorum causa iuncta sit cum gloria Dei, & ita sit iuncta, vt solùm diligenti & attenta cogitatione discernatur. Quemadmodum si minister ecclesiæ se contemni videat & rideri, licet sæpe suam dignitatem negligat, verbi tamen Dei quod ipse ministrat, contemptum, neque potest, neque debet æquo animo ferre. Ob id Prophetæ non semel videbantur excandescere, quòd eorum nuncij & vaticinia riderentur. Fateor itaque iustè hîc & imprecationes & diras fuisse admissas. Id tamen censeo monendum, vt cautè admodum agatur: quoniam sæpe caro nostra consueuit prætextu diuinæ gloriæ atque honoris, pro sua dignitate ac existimatione suscipere bella & rixari. Deinde non est id negligendum, vt quàm diligenter peccata seiungamus à naturis, & cum primis naturæ ipsi, hoc est, hominibus bene cupiamus, vitia verò execremur & insectemur. Et quoniam sæpe fit, vt homines aliquibus flagellis & pœnis correpti resipiscant, ideo si hominibus prauis à Deo remotis, & transgressoribus legum eius interdum imprecemur aliqua incommoda & aduersa carnis, quò sentiant iram Dei, nihil video quod obstet. Hoc citra controuersiam nobis ipsis imprecari possumus, & quidem iustè, vt potius Deus nos affligat & diuexet, quàm vt sinat in peccata ruere, aut si peccauerimus, saltem his medijs ad se reuocet. Quòd si nobis ipsis hæc optare licet & consimilia, cur non alijs, cùm proximos diligere iubeamur quantum nos ipsos? Ita Helias claudebat cœlum. Sic Deus ex suis electis nonnullos errantes ad se retraxit: nam quædam sunt ingenia hominum adeo stu

Pro fine seculi orant animæ martyrum.

Tertullianus putat orandũ pro mora finis seculi.

Cur orabant pro dilatione finis.

Distinguendum est de causa qua nos hostes odio prosequuntur.

Distinctio imprecantium.

Distinctio malorum quæ imprecamur.

In causa propria oportet esse patientes.

Exemplum sacerdotis Atheniensis.

In causa nostra utendum precibus non execrationibus.

In Dei causa licet quandoq; imprecari malum.

Nostra causa interdum est arctè coniuncta cum causa Dei.

Caueatur in imprecando ab incitatione carnis.

Distinguendum peccatum à natura precantis.

Afflictiones temporarias quomodo peccantib. liceat optare.

Sibi ipsi quando q; licet mala temporaria imprecari.

pida,vt in viam niſi hac ratione non reuocentur. Vnde pſalmus dicit: Imple facies eorum ignominia,& nomen tuum inquirent. Crucem optare proinde tum nobis,tum alijs ad emẽdationem & correctionem poſſumus. Qua tamen in re nihil eſt præcipitanter agendum, quoniam ſæpe fit,vt aliqui flagellis non emendentur, ſed potius fiant deteriores. Ideo conſultius eſſet Deum orare vt eos corriperet,non autem eis aduerſa imprecari,niſi ea conditio ne ſi conuertendi eſſent,aut gloria Dei ſucceſſura. Et hac ratione haud contra illos, verùm, vt Auguſtinus dicit,pro eis oraremus. Verùm ſciendum eſt inter homines aliquos eſſe qui legatione Dei funguntur,qui non priuatos homines agunt,ſed extraordinarium miniſterium exequuntur. Hiq; de voluntate Dei prophetico ſpiritu nil dubitant: nam in ſuis precibus loquuntur vnà cum Deo, & in eo colloquio multa, quo ad animum, vident & intelligunt,atque miris modis afficiuntur. Cùm itaque Deus eis oſtendit aliquibus pœnis emendandos eſſe peccantes,& ſe deſtinaſſe illos punire:aut aliquos deploratæ iam eſſe ſalutis, & omnino perpetua miſeria puniendos:cùm inquam talia ſanctis huiuſmodi oſtenduntur, & ab optimo Deo talia decreta eſſe non dubitant, quæ cum ab ipſo eligantur bona eſſe neceſſe eſt,quomodo non poſſunt illis placere? quomodo non poſſunt illa non optare, quandoquidem ſemper orant, fiat voluntas tua? Proinde quando iſta vident,orant,imprecantur,canunt huiuſmodi execrationes & diras, quales in Prophetis legimus & ſacris hiſtorijs. Vnde conſolationem capiunt pij,qui ex eo intelligant, qualiter ſcelerati denique ſint accipiendi. & infirmiores ac errantes,qui ad gregem Dei pertinent,his corripuntur, cauentq́ue ſibi,ne promereantur conſimilia. Propterea Gregorius prudenter ſuper illa verba Iobi,quibus maledixit diei ſuæ natiuitatis, ſcripſit, ſanctorum execrationes haud proficiſci exliuore,hoc eſt,à carnis affectu & mundi odio:ſed ex iuſto examine, quo ſcilicet, Dei voluntate approbari hæc vident. At inquit ex voto ac deſiderio hæc non orari: cui tamen ſecto eius poſtremo ego non ſubſcribo: quoniam, vt iam dixi, non poſſunt ſancti quæ vident Deum velle non probare, & non vehementer optare, modò illis manifeſtè conſtet ſic Deum firmiter conſtituiſſe. Hoc modo Paulus excæcauit Elymam magum: Petrus interfecit Ananiam & Saphyram:ita dixit idem Petrus Simoni mago,pecunia tua tecum ſit in perditione: Paulus tradebat Satanæ ac dicebat, vtinam excindantur qui vos conturbant: Neque aliter Helias iuſsit ignem deſcendere,qui deuorauit quinquagenarios cum ſuis quinquaginta militibus. Heliſæus quoque pueros qui ſe deridebant execratus eſt,& dilacerati ſunt ab vrſis. Quid intereſt,an Deus per ſeipſum agat,an per alios quos ſibi delegit miniſtros? Quod ergo per ſe facit,per ſanctos & Prophetas idemidem poteſt facere. Deinde ſi quos inceſſat voluntas execrandi alios,imitationemq; Prophetarum & Apoſtolorum præ ſe exat,videat prius,an illorum ſpiritum habeat. Sicuti enim gladio non debet vti, niſi magiſtratus:ita his execrationibus non vtantur, niſi diuinæ voluntatis conſcij,quique ſpiritu mouentur ad eas infligendas. Locus iſte affinis eſt, imò coniunctus cùm illo de vindicta. Priuata vltio interdicitur, non tamen publica,& quæ per principes fiat:ita qui ſortis cõmunis ſunt,abſtineant ab execrationibus, præſertim quo ad æternam condemnationem crucem non imprecentur, niſi ex conditione,ſi ſit profutura: & agnoſcant ſe regula teneri communi, benedicite ac nolite maledicere:&,orate pro perſequentibus vos. Et qui Dei impulſu execrantur, aut imprecantur quippiam, ſemper ob oculos habeant emendationem peccati: aut ſaltem malitiæ eius imminutionem per punitiones & ſupplicia, quò iuſti non impediantur à cultu Dei, & non extendant ad iniquitates manus ſuas: & denique tantùm quærant, vt Dei voluntas locum habeat,non autem ſint ſtudioſi ſuarum commoditatum. Neque mirum cuiquam eſſe debet, regulam illam communem quæ præſcribitur, vt benedicamus & non maledicamus, & ne precemur nos perſequentibus,exceptiones aliquas admittere,quoniam id & in alijs vſu venit. Nònne conſtituitur alibi vt oremus pro omnibus? Et ad Timotheum ratio additur, quòd omnes Deus velit ſaluos fieri? Et tamen Ioannes ait peccare nonnullos ad mortem,& pro his dicit non orandum:quod tamen intelligere debemus, quando nobis fuerit comper tum illos ad mortem peccaſſe. Proinde Auguſtini tropum quo dicit imprecationes iſtas ſanctorum fuiſſe prędictiones,vt non reijcimus in totum,ita dicimus non eſſe neceſſarium. Neque concedimus in execrationibus Prophetarum & Apoſtolorum vota & deſideria nõ fuiſſe. quomodo enim tandem potuerunt non deſiderare,quod viderunt Deum voluiſſe ac decreuiſſe? niſi fortaſſe per votum aut deſiderium intelligatur ſenſus carnis, aut rationis, prout humanis conſilijs ducitur. Annotandum poſtremò,non eſſe abſurdum,in eadem voluntate piorum hominum contrarios eſſe motus,cùm illi non contingant eiuſdem reſpectu ſed diuerſorum. Quà enim voluntatem ac decretum Dei,peccati deſtructionem,& ſimilia intuen-

In hoc tamẽ grauiter ac prudenter agendum.

Prophetis quare liceat execrati.

Ex diris Prophetarum quæ conſolatio capiatur.

Qui Prophetas imitari uolũt uideant an ſpiritũ illorũ habeant.

Gladius uindictæ ac execratio conferuntur.

Pro hoſtibus non eſt ſemper orandum.

Pro peccato ad mortẽ nõ orandũ

Contrarij motus eſſe poßũt in uoluntate humana

intuentur, non possunt non gaudere supplicijs impiorum. Qua verò vt homines illos respiciunt, natura sibi coniunctos eiusdem carnis atque massæ, de illorum perditione vehementer dolent, quemadmodum Samuel lugebat Saulem à Deo reiectum, vt habetur primo Regum capite decimoquinto. Atque ista de re satis. Ad Pauli ergo verba redeo: Quia verendum fuit, vt ne his auditis tam atrocibus de reiectione ac cæcitate Iudæorum, Gentium arrogantia crescèret, qua illos aspernarentur, qui à Deo prorsus reiecti essent: nec minus timendum fuit, ne Iudaica natio desponderet animum de salute, putaretque aditum ad Christum sibi omnino præcisum, cùm iam Gentes vocatæ essent, quæ locum suum implerent: non ita est, inquit Paulus, & ratiocinatur à finali causa. Ideo Gentes vocatæ sunt, vt Iudæi ad æmulationem prouocarentur: non est ergo desperata eorum salus. Et reuocandum est in memoriam, quod ab initio capitis huius dictum fuit. nimirum duo voluisse Paulum hîc probare: Primùm, Iudæorum casum vniuersalem minimè fuisse, quod ostendit, quia electio salutem assequitur in multis ex Iudæorum genere, quemadmodum Paulus satis apertè superius in se ipso ostendit, tametsi relinquantur alij obcæcati: Alterum quod est probandum iam ponitur, casum nempe Iudæorum non esse inutilem, quando illum sequuta est Gentium salus. Hoc est, quod in præsentia dicit:

Samuelis exemplum.

Argumentum à causa finali.

Dico igitur, Nunquid ideo impegerunt ut caderent? Absit, Sed per lapsum illorum salus contigit Gentibus. Sensus est: Non propterea Deum excæcasse ac deseruisse Iudæos, vt caderent, quasi consilium Dei sisteret ibi, nec aliam quæreret vtilitatem: quæsiuit sanè, eáque fuit Gentium conuersio: quæ etiam finem habuit salutem Iudæorum: quare non fuit deponenda spes resipiscentiæ in ea gente, neque casus futurus est perpetuus. Augustinus in Enchiridio, adeo bonum dicit esse Deum, vt nihil mali patiatur accidere, quin inde aliqua bona eliciantur. Atque idem Augustinus hunc locum interpretans inquit, Apostolum non negasse, quin Iudæi ceciderint, sed casum illorum inquit, minimè fuisse inanem, aut vndequaque cassum. Silentio autem illud non est prætereundum, quæ ab Apostolo dicuntur, nequaquam de singulis hominibus Hebræis intelligenda esse: quoniam ex illis aliqui reparabilem casum habuerunt, & ad Christum conuersi sunt: aliqui verò insanabili obstinatione ac cæcitate perierunt. Sunt ergo hæc referenda ad gentem ipsam Iudæorum in communi, quæ sic ceciderit à gratia, fauore, ac donis, vt tamen adhuc in ea semen pretiosum supersit, reliquias adhuc habeat seruandas, & radicem non omnino mortuam, ne suo tempore cùm Deo optimo visum fuerit, reuirescere non possit. Promissiones quippe Dei, quanquam non alligentur stirpi Iudaicæ, implentur tamen semper quo ad eius electos. Nec est necesse, cùm quis Iudæus nascitur, vt hoc nomine sit immedicabilis eius plaga, aut omnino desperanda. Quod verò ad verba attinet, inquit Paulus ἔπταισαν. nihil porrò aliud significat πταίειν quàm impingere ac labi. Adiecit interpres Latinus. Sic. sed in Græco codice non legitur hæc particula. Et vix potest quadrare, cùm Paulus non agat hîc de grauitate casus Iudæorum, sed potius leniat illum à fine, quòd scilicet non fuerit inutilis. Sequuta est enim Gentium salus: atque idcirco temporarius existimandus est. Cesserunt enim Iudæi ad tempus, vt Gentibus locum facerent ingressuris. Atque hoc ad Deum refertur, qui passus fuerit Iudæos reijci propterea, vt Gentes quæ fuerant incredulæ, vocarentur. Sed sciendum est, casum Iudæorum, si propriè loqui velimus, minimè causam fuisse salutis Gentium, sed potius occasionem. Nam regula constans est & firmissima, non posse effectum dignitate causam præcellere, si eam & integram & veram spectemus. Quare necesse est vt bona, quà bona sunt pendeant aliunde, quàm ex malis. Quòd si post peccata sequuntur aliqua spiritualia commoda, id nequaquam illis, verùm bonitati & prouidentiæ Dei quæ perpetuò inuigilat orbi & ecclesiæ regendæ, adscribendum est. Et quemadmodum ex falsis propositionibus interdum verum sequitur ex vi atque ordine syllogismi, non tamen efficacia falsi & mendacij: sic ex hoc ordine, quo vtitur Deus in administrandis rebus, ex malis elicitur aliquid boni. Vt etiam in transmutationibus naturalibus perpetuò videmus generationem vnius esse corruptionem alterius: nec enim id accidit, quòd natura sua corruptio generationem promoueat: sed quia illud efficiens, quod eijcit formam priorem è subiecto, nouam inducit. Et electos his qui ceciderint succedere, in Apocalypsi legitur. Tene quod habes, ne alter coronã tuam accipiat. Hæc ideo dicuntur, vt non gloriemur peccatis, quandoquidẽ ea nõ est eorũ natura, vt nos ad meliora prouehãt, neq; habeamus in manu nostra, vt eorum euenta reddamus felicia, quia istud, si quando accidat, Dei ope fit, & nõ

Plures fines subordinati.

Quæ hic dicuntur de singulis non sunt intelligenda.

Quo ad salutẽ nulli est fraudi quòd Iudæus nascatur.

Iudæi locum suo casu fecerunt gẽtibus ingressuris Casus Iudæorum fuit occasio non causa ut Gentes uocarentur.

Simile.

Aliud simile.

Deus abutitur impiorũ malitia

peccantium merito. Abutitur enim Deus non rarò impiorum malatia, ad efficiendum vt res longè aliter cadant, atque ipsi constituerint: vt in nostra causa euenisse liquidò apparet. Quia reiecerunt Euangelium Iudæi, illudq; admittere noluerunt, atque sic Apostolorum prædicationem contempserunt, illi se ad Gentes conuerterunt. Potuisset vtiq; Deus vnà cum salute Iudæorum Gentes etiam ad Christum vocare, at noluit: imò hunc ordinem in prouidenda Gentium salute seruatum voluit. In hac ergo connexione cæcitatis & reiectionis Iudæorum cùm salute Gentium, non est absoluta vlla necessitas, sed tantùm ex hypothesi, quòd videlicet Deus suo æterno consilio sic constituerit. atque id non modò in præsentia declaratur, imò & alibi multis in locis. In Actis dixerunt Paulus & Barnabas Iudæis: Prius quidem vobis oportuit regnũ Dei prædicari, sed quia illud reijcitis, ecce iam ad Gentes conuertimur. Ipse Christus in Euangelio etiam id sub vineæ parabola docuit, cùm transferendam vineam ad alios agricolas, qui fructum redderent, testatur. ita sanè vt mali malè perirent. Dixit idem Christus mulieri Syrophœnissæ: Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel: neque decet sumere panem filiorum & dare canibus. In alia quoque parabola videlicet nuptiarum, quia inuitati renuerunt venire, qui planè videbantur indigni per plateas & vicos compulsi sunt intrare, quique spreuerant vocationem, condignas pœnas luerunt. Paulus ad hæc dicet postea, vt videbimus, Christum fuisse ministrum circumcisionis. Et vbique cùm agitur de salute aut felicitate reddenda, quam expectamus, Iudæo inquit primùm & Græco. Hac ratione Iudæorum casus dicitur salus Gentium, diuitiæ orbis, & reconciliatio cum Deo: & asseruntur Iudæi idcirco esse excisi, vt Gentes insererẽtur. Sed quorsum spectet Gentium vocatio Paulus ostendit, cùm inquit:

Inter casũ Iudæorum & salutem gentium non est connexio necessaria.

Respectus ordinis tantùm est inter Iudæos & Græcos.

In hoc, ut eos ad æmulandum prouocaret. Quomodo Hebræi ex vocatione Gentium accensi fuerint zelo & æmulatione, cognoscere non est difficile. Viderunt quippe spiritum, gratiã, notitiam scripturarum, miracula, & omnia fermè spiritualia dona, quibus ipsi antea florebant, & ornabantur, ad Gentes esse translata: quæ etsi per seipsa ingentia sunt, & egregia dona, possentq; natura sua omnibus esse communia, Iudæis tamen quammaximè propria videbantur. Non poterant ergo non vehementer dolere, quod ipsi qui filij fuerant regni, peculiaris populus & hæreditas Dei, à tantis donis excíderint, & in suum locum admitterentur ad hæc possidenda ethnici, qui antea fuerant idololatræ, impuri, rerum diuinarum ignari, stulti, atque omni genere vitiorum contaminati: idq; fieri non hominum iudicio, quod sæpe numero peruersum est & infirmum, sed immortalis Dei, qui, vt non à iusto aberrat, sic decreta sua constantissimè sancit. Voluit Deus ita Iudæos dolere propter admissas Gentes, & nostram salutem acriter illos mordere, quòd non parum valuerint hæc ad eos, qui sunt ex illa gente electi, impellendos ad Christum. Irritationis huius superiùs meminit citans Mosis testimonium. Et quod ad verbum attinet παραζηλῶσαι. nihil aliud significat quàm prouocare & extimulare ad æmulationem. Vnde Latinus interpres malè vertit, dicens: vt illos æmulentur: Nam ad Deum totum refertur, & sensus est quem reddidimus: vt scilicet, prouocaret eos ad æmulationem: quod effectum in his habet, qui ad electionem pertinent. Nam reprobi, qui sunt in ea gente, potius hinc pertubantur, inuident, & in magna desperatione pereunt: ac eò ferè adducuntur, vt neque ipsi Mosi credant. Quod verò dicit Paulus, vt nonnullis in bonum cedat hæc æmulatio, & nunc partim verum est, & sub finem orbis plena manu perficietur. Quin etiam modò res felicius procederet, si vt veritatem doctrinæ habemus, ita vitæ probitas eam comitaretur. Hac certè ratione, cùm euidentia doctrinæ & efficacia verborum Dei proponeretur infidelibus, cùm Turcis, tum Iudæis & Papisticis hominibus, multumq; promoueretur Christi regnum: sed omnia videmur facere, vt animos incredulorum magis à Deo auertamus. Chrysostomus non potuit non mirari summam Apostoli prudentiam, qui acturus de cæcitate, atque abiectione Iudæorum, sit vsus oraculis Prophetarũ, quò minus contra se animos illorum inflammaret, dum ista diceret. Ex altera verò parte, quando illos consolatur, atque illorum futuram extollit conuersionem, ex propria loquitur persona, quò scilicet intelligerent se ab illo amari, non autem odio haberi. Grauiter quidem licet Iudæi ceciderint, attamen hîc non de atrocitate lapsus, & exitij Iudæorum Paulus agit, vt neget eos grauiter cecidisse: verùm ex euentu illos consolatur, & ait gentem illam post ethnicorum salutem excitandam & erigendam. Oracula iam adducta, primo aspectu videbantur casum Iudæorum facere irrecuperabilem, at Paulus prudentia sua hîc adest, & lenem profert expositionem. Deus quippe bonus est, & suas promissiones non patitur in vniuersum cassas. Quo autem ad verba, notandum est, Paulo non parum esse discrimẽ inter πίπτειν & παραπίπτειν. Primo enim loco Paulus intelligit cadere casu irreparabili: παραπίπτειν verò

Quod sit impedimentũ regnò dei promouendo.

Discrimen inter πίπτειν & παραπίπτειν.

cadere

cadere per negligentiam: quod accidit remisse laxeq; viuentibus. Neq; vulgaris est honor, quem spiritus sanctus defert per Paulum genti Iudaicę, casui illorum adiungendo Gentium vocationem, ac illorum postremæ conuersioni resurrectionem ex mortuis. Origenes verò annotauit hoc loco, Iudaicæ nationis casum non fuisse, quemadmodum ruinam diaboli, quòd hic sit reparabilis: Satan verò, vel ad finem orbis conuerti non possit. Quæ illius sententia & admiratione est digna, & cum eius opinione, quam cùm in libro περὶ ἀρχῶν, tum in alijs pleriscq; locis habet, apertissimè repugnat. Vnde hęc illius ad Rom. interpretatio, nõ immeritò suspecta est eruditis viris, quasi non sit eius: nisi velimus dicere, diuersis temporibus eum diuersa sensisse: aut libros eius, vt nonnulli existimant, ab hęreticis vitiatos, quod mihi creditu nõ est facile: quia corrũpere omnia exemplaria, vix est possibile. Sed potuit id fieri, vt huic expositioni qui eam conuertit in Latinum, aliquid medicinę alicubi fecerit. Verùm de hac re quicquid sit, monuisse sufficiat. Deum verò interim cogitemus in suis iudicijs esse sui similem, atq; ideo quod modò audiuimus nunc̃q; non in memoriam reuocemus. Lapsus & peccata semper aliquid vtilitatis & glorię Dei ex illius prouidentia secum trahere: verùm etsi non semper quo ad eos qui peccarunt, quo ad alios tamen sæpius. Idcirco nostra interest, vt lapsu proximi nostri animaduerso, euestigio cogitemus quomodo possimus eo abuti vel ad nostram ædificationem, vel ad eum qui peccauit, aut monendum, aut corrigendum, aut consolandum, vel saltem ad alios instituendos & adiuuandos. Etsi fortasse neutrum istorum succedat, propterea tamen spem non abijciamus, sed freti hac doctrina precemur Deum, vt optatum aliquem fructum peccatis ac sceleribus admissis dignetur dare.

Origenis interpretatio in hanc epistolam suspecta est.

Quomodo possimus abuti aliorũ peccatis.

Quod si lapsus illorum, diuitiæ sunt mundi, & imminutio illorum, diuitiæ Gentium, quantò magis plenitudo eorum? In eo est Paulus vt doceat fore vtilem Iudæorum conuersionem, quemadmodum fuit eorũ excæcatio. & vtitur argumento à minori. Nam si lapsus & imminutio locum dedit Gentibus, quò & ipsæ salutem consequerentur, multò magis eorum conuersio Gentibus conducibilis erit: siquidem longè potentius est bonum natura sua ad producenda bona, quàm malum. Et antitheti eleganti opponit Paulus lapsum & imminutionem plenitudini. Cumque ait lapsum & imminutionem fuisse diuitias mundi, intelligit eo medio copiam & multitudinem Gentium ad Euangelium & ad ecclesiam accessisse. Inseruiunt autem ista non modò ad consolandos Iudæos, verùm etiam Gentes confirmandas: quia potuissent suspicari Iudæorum conuersionem fore sibi noxiam, ex contrarijs colligendo. Videlicet, si excæcatio illorum fuit via & occasio salutis earum, fore conuersionem è diuerso occasionem reiectionis. At Paulus non ita est, inquit: quia contra ordinem naturæ factum est, vt Iudæorum casus Gentium vocationem pepererit. Sed quod Iudeorum resipiscentia & salus promoueat Gentium fidem & pietatem, magis est consentaneum: atque adeo, si rem bene volumus expendere, non percipit humana ratio, quomodo Iudæorum casus producere queat Gentium vocationem: & ideo antea diximus totum hoc deberi diuinæ constitutioni. Plenitudo Iudæorum tum erit, vbi publicè Christum illa natio profitebitur: nunc enim tantùm reliquiæ paucæ admodum se adiungunt ecclesiæ. Cæterùm tum temporis iustus erit numerus, & ex se ipsis collectam habebunt copiosam ecclesiam. ἥττημα hoc loco Paulus accepit pro defectu seu imminutione à verbo ἥττημαι, quod est vinci & superari. Vnde ἧττα est conflictus, & passiuam habet significationem, videlicet cùm quis certando & litigando vincitur. Cùm autem Iudæi Christo & eius doctrinæ se opponerent, atque illum explodereut, ipsi victi sunt, & bonis omnibus quibus antea fuerant ornati, sunt exuti. Hac eadem voce vsus est Paulus ad Corinthios. Epistola priore, aduersus eos qui fratres suos ad tribunalia infidelium litigando pertrahebant: & ibi cùm superarentur cupiditate propter impotentiam affectus ἥττημα subibant. Iudæorum πλήρωμα Origenes hoc modo exposuit, quòd hoc tempore amplietur ecclesia per diuersas gentes, quæ licet ascisccndo sibi noua membra semper augeatur: attamen suum πλήρωμα, hoc est, manum extremam & absolutionem habebit, cùm Iudæorum populus Christo adhæserit. Neque tamen oportet sibi fingere, sic omnes denique ad Euangelium aspiraturos, vt inter oues in eo populo hœdi permulti non sint admixti, zizania tritico, & sapientibus virginibus fatuas. Verùm sensus est, quòd quemadmodum nũc fere omnes à Christo auertuntur, sic illo tempore maior eorum pars cum Christo faciet. Chrysostomus hoc loco, meo iudicio, audacẽ interpretationem commentus est. Vult enim Paulum verbis duntaxat fauere Iudęis, vt illos quoquo modo consoletur, & encomia illorum adferre, quæ re ipsa non sint encomia, quoniam vtcunque Iudæi fuissent obcæcati, Gentes nunquam salutem habuissent, nisi credidissent. Hic

Bonum potẽtius est malo.

Non tantùm cõsolatur Iudæos sed etiã Gentes.

Quæ futura sit plenitudo Iudæorum.

ἥττημα.

ego minimè tantùm auderem,& licet fatear ordine vſitato & naturali, minimè poſſe pecca-
ta cauſas eſſe cuiuſpiam boni, præſertim ſi peccantes ipſos reſpexerimus: attamen Paulum
nequaquam dicerem verbis tantùm agere, ſeu pro encomijs nobis afferre, quæ re vera non
eſſent encomia: quoniam ſacras literas à quouis mẽdacij genere oportet vt aſſeramus. Ideo
ſic apud me cogito, Deũ nõ egere neceſſariò ſecũdis cauſis, ſed magis naturales cauſas ideo
aliquem effectum producere, quoniam Deo placuit illis vti, vt inſtrumentis in rerum noua
ædítione. Vnde quemadmodum Sole vtitur ad calefaciendum & illuſtrandum, hoc enim
verbo ſuo illi præcepit, ſic & alia quauis re ad hæc opera poſſet vti, modo vellet. Quare vt
dixi ſuperius iuxta naturę ordinem peccata non poſſunt eſſe cauſæ vocationis & ſalutis, ſed
tantùm occaſiones: attamen ſi Deus velit illis vti ceu inſtrumentis quibus agat, ego non vi-
deo quid poſsit obſtare. Is enim vocat ea, quæ non ſunt, tanquam ſint, ſanat aſpectu ſerpen-
tis ænei, & lumen cœco reſtituit ſputo & puluere: quare poteſt etiam vti peccatis tanquam
inſtrumentis & medijs, quibus aliquos ad ſalutem adducat. Vim nihilominus totam Deo
adſcribimus, & Paulum ſeriò loqui minimè dubitamus. Verùm ſupereſt alius ſcrupus. Quæ
erit, inquit Paulus, eorum plenitudo, ſi lapſus & imminutio diuitiæ ſunt mundi? Ex quibus
verbis apparet colligendum, per conuerſionem Iudæorum, multas alias gentes ad Chriſtũ
adducendas, quod minimè fieri poteſt cùm infrà dicatur, Iudæos tum ſeruandos & ingreſſu
ros, cùm plenitudo Gentium intrauerit, Quod ſi completa erit Gentium vocatio, quæ aliæ
ſupererunt, vt per illos ad Chriſtum adducantur? Sed reſpondendum eſt, Paulum hoc loco
non dicere per conuerſionem Iudæorum extremo tempore alias Gentes ad Chriſtum per-
trahendas: at ſolùm dicit: Quantò magis plenitudo eorum? Fieri enim poteſt, vt conuerſæ
iam Gentes per Iudæos in Chriſtum credentes miris modis iuuentur: nam luce doctrinæ,
feruore ſpiritus, & vitæ ſanctitate fortaſsis, ita eccleſiam illuſtrabunt, vt illi Gentes quoque
accendantur, & confirmentur, videanturque prę ipſis nil quodammodo vel eſſe, vel feciſſe.
multum ergo, quantum apparet, perfectioni eccleſiæ per illos addetur.

Vobis enim dico Gentibus, quatenus ſum Apoſtolus Gentium, miniſterium meum glorifico. Cùm argumẽ-
tatus iam ſit à minori, exemplo ſui ipſius propoſitam ſententiam confirmat, nimirum ex cõ-
uerſione Gentium ſequuturam ſalutem Iudæorum per æmulationem. Dixerat enim Deum
vocaſſe Gentes, vt Iudæos irritaret ad illas æmulandas: addit nunc idem quod facit Deus,
ego ſpecto in meo miniſterio: nam illud in hoc glorifico, vt quam plurimos ex Gentibus ad
Chriſtum adducam, ſi quo modo ad æmulandum prouocem carnem meam, & ſaluos faciã
nonnullos ex eis. Videmus iam ex hoc loco vbi ſita ſit honorificentia miniſterij, nempe, vt
multi ad Chriſtum adducantur & conuertantur, id autem fit doctrina & prædicatione, cùm
publica tum priuata. Non ornatur miniſterium opibus, non veſtibus holoſericis & precio-
ſis, tum in vſu communi, tum in vſu ſacro. Sunt hæc ornamenta Sophiſtica, id eſt, per acci-
dens: nam quęlibet res ijs debet illuſtrari, quæ ad naturam & eſſentiam eius faciunt. Cùm er
go miniſterium ſacrum pręcipuè ſitum ſit in doctrina & prædicatione, ex ijs debet illi digni
tas addi. Sed vt multi fuerunt qui ſolùm barba, pallio & Scipione philoſophabantur, vtq; di
cit Seneca, malebant perſonam habere, quàm faciem: ita hodie multi ſunt, qui ſolùm nomi-
ne, titulo, & veſtibus miniſtrorum vti volunt, non autem præſtare opus. Paulus dicebat id
cum primis à diſpenſatoribus & miniſtris requiri, vt fideles inueniantur. Et 2. Corinthior. 6.
In omnibus exhibeamus nos ſicut Dei miniſtros in multa patientia, in afflictionibus, in ne-
ceſsitatibus, in anxietatibus, in plagis, in carceribus, quaſi impoſtores cùm ſimus veraces.
Quæ omnia ille, vt ſingulare exemplum miniſtrorum egregiè præſtitit, grauia enim perpe-
tuò tolerabat præter quotidianam ſolicitudinem omnium eccleſiarum, nullus tentabatur,
aut vrebatur, quin ipſe vnà pateretur & vreretur. Vbi oportuit, gratis prędicauit, non quęre
bat ſua, ſed omnibus omnia fiebat, vt omnes lucrifaceret: dicebat væ mihi ſi non Euangeli-
zauero. Qui virtutibus his pro viribus non glorificat miniſterium Euangelij, illud dehone-
ſtat. Quin Origenes iſto loco inquit, Diaconi Apoſtoli teſtimonio ſi bene miniſtrarint, bo-
num gradum ſibi acquirunt. Vnde patet eos qui nõ bene, ſed malè ſuo funguntur officio ac
quirere ſibi gradum reprobum, imò certam damnationẽ. Hortaturq; idem ſcriptor hoc lo-
co presbyteros, nec non & Epiſcopos, vt ſuum glorificent miniſterium. Et hoc certè ſibi di-
ctum omnes arbitrari debent, quotquot animarũ curę pręficiuntur: nam cùm hoc tempore
non ſint Apoſtoli, eorũ loco hi ſucceſſerunt, ſed quemadmodũ leges ciuiles non raro cõſti-
tutæ ſint pulchrè atq; admodũ ſalutariter, non tamẽ habent qui eas promoueãt & exequã-
tur, ita hodie in eccleſia ſunt gradus, & tituli, & miniſteriorũ nomina. Sed qui officiũ faciant
admodũ pauci reperiuntur. Propterea Deus nõ immeritò videtur admodũ iratus ob miniſte-
rium

Scripturas oportet liberare à mendacio.

Deus non eget cauſis ſecundis, ſed quib. uult ad libitum utitur.

Deus poteſt uti peccatis pro inſtrumẽtis ſalutis

Per cõtrouerſionem Iudæorum proficiet eccleſia.

Honor miniſterij in quo conſiſtat

Non eſt tantùm philoſophandum barba, pallio & Scipione.

Quid in primis requiratur à miniſtris.

Locus ad Tim. 1.

Simile.

rium ſimulatum. Eſtq; vehementer dolendũ, à permultis laicis ipſum munus ludibrio haberi: neq; de hoc miniſtri iure poſſunt conqueri, cùm bona ipſorum pars, prius & ante omnes id luxu, ocio, ignauia, & neglectu officij dehoneſtent. Quare Deus enixè orandus eſt, vt ſuæ tandem ſubueniat eccleſię, operas immittendo, quæ ſtrenuè laborent. Potuiſſet Apoſtolus dicere, glorifico gratiam quæ data eſt vobis, vt ad Chriſtum & eius Euangelium veneritis, nam inde Iudæi ad æmulationem extimulabantur: ſed voluit miniſterij ſui facere mentionem, quo ipſum commendaret, idq́ue opportunè, quia non deerant pſeudoapoſtoli dicentes Paulum nequaquam verum eſſe Chriſti Apoſtolum, & vbique pro viribus eius authoritatem eleuabant. Paulum verò fuiſſe magiſtrum & doctorem Gentium liquet ex epiſtola ad Galatas, vbi dicit: à Petro, Iacobo, & Ioanne datas ſibi dexteras, vt ille inter Gentes prædicaret, quemadmodum ipſi facturi erant in Circunciſione. Atque ad Timoth. ſe teſtatur poſitum doctorem & magiſtrum Gentiũ, quamuis per orbem diſcurrendo, priuſquã in aliqua ciuitate Gentibus prędicaret, ad ſynagogam Iudęorum ſeſe conferebat, inde incipiens Euangelium inuulgare, iuxta ordinem à Deo conſtitutum, vt Iudæi primo loco vocarentur: Hieroſolymitanæ verò Eccleſiæ curam prorſus alijs reliquit.

Pſeudoapoſtoli Paulum traducebant.

Paulus fuit magiſter & doctor gentium.

Paulus prius prædicabat Iudæis quàm ethnecis.

Quatenus ſum Apoſtolus Gentium. Illud quod Græcè eſt ἐφ' ὅσον, id eſt, quatenus, vertit Latinus interpres, quamdiu, quod idem fecit etiam in Matthæo 25. dicens, quamdiu feciſtis hæc vni ex minimis meis, cùm Græcè ibi quoque ἐφ' ὅσον. quod melius cõuertitur quà, quatenus, &, vt. Quando enim temporis aduerbium denotatur, ſolet Apoſtolus addere χρόνον, vt ad Corinthios priore. γυνὴ δέδεται νόμῳ ἐφ' ὅσον χρόνον ζῇ ὁ ἀνὴρ. Et ad Galatas ἐφ' ὅσον χρόνον κληρονόμος νήπιός ἐστι, &c. Sed Origenes neſcio quomodo legit quamdiu: & dubitat an aliquando futurum eſſet, vt deſineret Paulus eſſe Apoſtolus Gentium, & poſt hanc vitam futurum ſe videret Apoſtolum inuiſibilium ſpirituum, vt ſibi diceretur quod in Euangelio legimus, Euge ſerue bone & fidelis, quia in pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam. Sed quia hoc, vt arbitror, videt eſſe durius, quàm facilè poſſet credi, ſubiecit: An intellígemus hoc dictum eſſe quemadmodum illud, Ero vobiſcum vſque ad conſummationem ſeculi, non quaſi etiã poſtea non ſit futurus nobiſcum: ita & modo ait, quamdiu ſum Apoſtolus Gentium, non quaſi vnquam non ſit futurus Apoſtolus Gentium. Glorificare ſe dicit ſuum miniſterium, quia ſatagebat omnibus modis, vt ſuæ prædicationis miniſterium eſſet efficax, vtq́ue quod extra dicebat in cordibus audientium vi ſpiritus inſcriberetur, ad quod omnem adhibebat induſtriam, & aſſiduis precibus id impetrare à Deo contendebat, quò ſuam carnem ad æmulationem prouocaret. Id homines conantur pro viribus æmulari quod bonum, honeſtum, & pulchrum iudicauerint. At ego in mundo nihil pulchrius aut melius eſſe duco eccleſia bene ac ſanctè inſtituta, quam Deus ita dilígit, vt ſponſus vxorem ſuam. Hinc amatoria illa carmina Salomonis fuerunt conſcripta in Canticis canticorum. Et Chriſtus nil omiſit, quamuis durum & horribile, quod pro ea vel faciundum, vel patiendum eſſet. Hanc mirantur Angeli, & ex ea multa diſcunt, ad variam multiplicemq́ue Dei ſapientiam pertinentia. Hominesq́ue modò iuſto ſenſu non deſtituantur, eandem ſuſpiciunt & venerantur, vnde ad Corinthios priore ſcribitur: Quod ſi prophetarent & ordine decenti ſe gererent in eccleſia, & ingrederentur, aliqui idiotæ audientes arcana ſua tangi & manifeſtari, nimirum prædicationibus, procumberent, adorarent, atque faterentur vellent nollent Deum inter eos eſſe. Quibus igitur mandata eſt cura ſocietatem adeo amabilem & admirabilem informandi & ornandi, videant quid agant: non enim ſolùm eorum quos præſentes habent illis cura eſt demandata, ſed etiam aliorum qui æmulatione eccleſiæ à ſe bene inſtitutæ ad Chriſtum adduci poſſent. Iudæos appellat carnem ſuam more ſcripturæ, in qua homines de fratribus ſuis & cognatis dicere ſolent, os noſtrum eſt & caro noſtra. Atque ita dicendo conciliat ſibi eorum beneuolentiam.

Glorificatur miniſterium quando fit efficax in cordibus.

In mundo nil eſt pulchrius eccleſia.

Iudæi caro Pauli dicuntur.

Vt aliquos ſaluos faciam ex eis. Non dicit omnes, quia nouit hoc ſibi non fuiſſe nunc poſſibile, tunc enim oportuit maiorem partem excæcari, & ſub incredulitate concludi, ad finem orbis expectanda eſt Iudæorum generalis conuerſio. Notanda eſt loquutio qua dicit. *Vt ſaluos faciam.* Nemo enim dubitat Deum ipſum ſaluos facere quotquot ſeruantur: ſed Paulus ita dicit, quoniam ſe nouit miniſtrum eſſe Noui teſtamenti, atque ſpiritus, neque ſecus ad Timotheum ſcripſit, dum adhortabatur illum, vt doctrinæ & lectioni attenderet, hoc inquit, faciens & te ipſum, & eos qui te audiunt, ſeruabis. Quod itaque proprium eſt Dei, quadam idiomatum communicatione, miniſtris quoque tribuitur. Quod ſi Deus ita vult honorificè de ſacro miniſterio loqui, grauiter illi peccant, qui contemptim & abiectè ipſum deſpiciunt.

Miniſtri ſaluos faciunt, per idiomatum proprietatem.

Non contemnendum eſt ſacrum miniſterium.

Si eiectio eorum est reconciliatio mundi. Dicit eiectionem illorum, non autem reliquias, vt referri possit ad Apostolos abiectos à Iudæis, quasi fuerint ipsi reconciliatio mundi: sed vult per eiectionem intelligere casum & excæcationem illorum. Et est propositio ista causalis: non enim eiectio potest esse reconciliatio: sed ita dicitur, quoniam vnum ex altero nascitur, vt si studium diceremus esse sapientiam, aut siccitatem esse sterilitatem. atq; per reconciliationem intelligit salutem, recõciliationem quippe cum Deo beneficio Christi obtinuimus. neque aliud in summa vult nobis prædicari Deus in Euangelio quàm eiusmodi reconciliationem. Ad Corinthios posteriori dicitur: Deus erat in Christo mundum sibi reconcilians, vt non imputaret eius peccata. Et de Apostolis: posuit in nobis Deus verbum reconciliationis. Rogamus pro Christo reconciliamini Deo.

Propositio causalis.

Summa Euangelij est nostra reconciliatio cum Deo.

Quæ erit assumptio nisi vita ex mortuis? In exponenda ea parte, vita ex mortuis, interpretum sententiæ variant. Origenes quippe atque Chrysostomus veram hîc & propriam intelligũt mortuorum resurrectionem, quæ postremo tempore ad finem orbis expectatur: quasi Iudæis ad Christum conuersis, mox ea sit consequutura. Et quidam arbitrantur Iudæos conuertendos in euersione Antichristi: quasi sit futura quędam analogia: vt sicut abiectione seu casu Iudæorum Gentes sunt vocatę, ita cùm multę gentes ceciderint seductione Antichristi, tum Iudęos ad ecclesiam admittẽdos, quorum auxilio Gentes lapsę reparentur. Sed hæc dubia sunt, incerta, & obscura, ideoq; de his quo ad modum formam & rationẽ, quomodo sint euentura nihil statuo. Credendũ quidem nobis est, vt sacrę literę testantur, Antichristũ qui nunc per suos mysterium iniquitatis operatur, futurũ multos ab eo seducendos vt etiam hodie seducuntur, illumq; tandẽ ui spiritus Christi perdendũ, & Iudæos ad Christũ sub finẽ accessuros: at num per illos Gentes lapsę reparãdæ sint, an nõ, minimè in scripturis traditur. Ambrosius putat allegoriã esse, qua demonstret mundũ percepturum magnam vtilitatẽ ex Iudęorũ cõuersione, ideoq; illã appellari vitã ex mortuis, quod id futurũ sit mundo maximũ incrementũ per fidẽ Christi, & mundus viuificandus in hominib. per fidem Christi. Magnã sanè fore felicitatẽ ecclesię oẽs fermè Prophetę scribũt, præsertim Esaias: quã nõdũ habuisse, sed tunc habiturã est verisimile. Neutrã ego harũ opinionũ oppugno, neq; ad salutẽ est necessariũ certò scire vtra sit verior: hoc tamẽ probabilius esse arbitror, vt de cõmoditate percipienda ex Hebręorũ cõuersione loquat Apostolus, quę in hac vita sit habẽda, nõ de illa quę nos manet in ęterna resurrectione. At ista nõ multũ moror. Quòd si allegoriã Ambrosij recipiamus, videbimur parũ fructus tribuere cõuersioni Iudęorũ, imò nihilo magis q̃ illorũ reiectioni: nã si tantũmodo inde proueniet augmentũ fidei & vita spiritualis ex morte peccati prius istud idẽ in reiectione ipsorũ fuerat mũdo cõcessum. In hac tñ sententiã magis animus inclinat, & dicerẽ ad id quod obijcit, Apostolũ nõ diuersam cõmodi & vtilitatis naturã nobis describère, sed tantùm eandẽ exaggerare, quasi gradus amplioris, & intensior, sit futura.

Agitur hîc de tota gente non de singulis.

Hîc Iudæi spectantur, non quòd ex Adamo ducũt origenem.

Quid nobilitas.

Quæ sit alicuius gentis aut populi nobilitas.

Quod si primitiæ sanctæ, sancta est & conspersio: & si radix sancta, sancti erunt & rami. Nationem Iudæorum non esse abiectam & contemnendam confirmat ex diuina promissione patribus facta: in patribus enim propter fœdus initum fuit sanctificata, & quo ad hoc digniores erant Iudæi cæteris Gentibus. Non tamen hoc loco de singularibus agitur hominibus, permulti enim inter Hebræos erant impij homines, qui sua obstinatione, incredulitate, atque grauissimis sceleribus malè peribant. Vnde Ioannes Baptista illos appellauit genimina viperarum. Et Christus aiebat: Vos ex patre diabolo estis. Sermo itaque instituitur de ipsa natione in communi, quæ dicta est Dei populus & ex sanctissimis Patriarchis deducta. Sic enim hoc loco est consideranda, non quo ex Adamo ducit originem, quia hoc modo nil præstat cæteris nationibus: Omnes enim sumus in Adamo peccatores, omnes mortui, & omnes filij iræ. A cæteris verò populis Iudæi separati fuerunt in Abraham, Isaaco, & Iacobo: & præsertim ob fœdus antiquitus initum à Deo cum his patribus. Quod quia perfidia hominum viuentium hac postrema ætate videbatur obscurari, nunc opportunè reuocat Paulus ethnicorum mentes ad primitias & radicem generis, vnde magna nobilitas illius gentis constat. Quæ non aliud est, si credendum sit Aristoteli in Rhetoricis, quàm claritas aut splendor maiorum. Et vt idem asserit, quando agitur non de singulari aliqua vel familia vel persona, sed gente, aut populo, ad eius nobilitatem spectat, vt sint vel αὐτόχθονες, hoc est, indigenæ, quod sanè Iudæi non habuerunt, quia in terram Chanaan sunt aliunde translati, sed quod hoc præstantius est non vi humana, sed diuina, & multis prodigijs eius regionis possessionem sunt adepti. Attenditur ad hæc an sint liberi, sui iuris, & suis legibus viuant. Hebræi à Deo fuerunt liberati, & leges per Mosen ab ipso Deo sapientissimas & admirandas acceperunt.

Mox

Mox à vetuſtate commendatur gentis alicuius nobilitas: at nullæ hiſtoriæ traduntur Iudaicis vetuſtiores. Gentilium quippe ſcriptores nil habent comperti de rebus geſtis ante Abrahami tempora. Ab hoc nobilem reddit aliquam gentem, ſi principes habuit præclaros & illuſtres, qui Iudæis minimè defuerunt: nati enim ſunt ex Abrahamo, Iſaaco, Iacobo, & cæteris patriarchis. Denique quod reſpicitur in aliqua natione eſt, an multi viri admodum inſignes ex ea floruerint: Qua in re nullus inuenitur populus qui Hebræis dignitate poſsit æquari. Patriarchas habuerunt, Prophetas, iudices, & illuſtriſsimos reges, infinitosque alios clariſsimos viros, omni virtutum genere inſignes. Vnde ſuperius nono capite dicitur: Quorum eſt adoptio, gloria, teſtamenta, legislatio, cultus, promiſsiones, patres, & Chriſtus ſecundum carnem. Quare natio illa citra controuerſiam cenſenda eſt nobiliſsima, nec ſolùm huius mundi nobilitate, quod ſanè munus Dei eſt non contemnendum, ſed ſpirituali, quæ pendeat ex fœdere cum ipſo Deo inito. Vtque res melius intelligatur, notandum eſt Auguſtinum epiſtola 106. ad Paulinum ſiue ad Bonifacium, ſcripſiſſe hanc ſanctitatem, potius in communione fidei ac ſacramentorum, quàm in carnali propagatione ſitam fuiſſe. Quod eius dictum eſt veriſsimum, Quandoquidem ſanctitas germana & ſolida in adultis pendet à fide, quæ ſacramentis & obſignatur & excitatur: iſta ſi affuerint Deo addicuntur homines, illique ſunt admodum ſancti. Quibus adhæc ſi acceſſerit ex piis maioribus procreatio, Deum ampliora dona conferre plerunque non eſt dubitandum, iuxta eius promiſsionē qua ſtatuit ſe benefacturū piis in mille generationes: nouit enim fœdus inter ſe & fideles ictum, vt ſit Deus nonmodò ipſorum, ſed etiã ſeminis eorum. Quin etiam propter ipſos pios non raro filiis eorum concedit tantum gratiæ, vt ad fidem adducantur, ſacramentis ornentur, & donis ſpiritus inſtruantur. Quod licet non ſemper aut neceſſariò eueniat, ſub ſpe tamen huiuſmodi promiſsionis infantes noſtros baptizamus, vt olim Iudæi ſuos circuncidebant. Cæterùm quemadmodum iam dictum eſt, non de ſingularibus hominibus habetur ſermo, ſed de toto genere in vniuerſum, & non reſpicitur carnalis propagatio, ſed fœdus & promiſsio, Quandoquidem pater procreando filium minimè ſanctitatem vnà cum ſemine in ipſum transfundit, imò potius peccatum & naturæ vitium, iuxta illud Dauidis: In iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea. Duabus verò elegantiſsimis metaphoris, imò potius allegoriis vtitur Apoſtolus in hac ſua oratione, quando patres Hebræorum primitias appellat & radicem. In lege conſtitutum erat, vt de omnibus frugibus & terræ fructibus darentur Deo primitiæ, imò etiam animaliū primogenita illi debebantur. Dumq; Paulus maſſę aut conſperſionis meminit, ad id alludit, quod in Numeris legimus capite decimoquinto, aliquid ex maſſa nouæ farinæ Deo fuiſſe priuſquam guſtaretur nouus panis ſeparandum: fiebant enim inde collyrides ac placentæ, ac offerebantur Deo. Quod ipſe ideo fieri voluit, vt homines ea ceremonia intelligerent atque vltrò teſtarentur Deum eſſe illis donatorem ac largitorem omnium fructuum. Quare oblatio illa non augebat Dei diuitias alioquin infinitas, ſed tantùm in hominibus alebat gratam memoriam acceptorum beneficiorum. Quemadmodum ſæpenumero Imperatores & Monarchę ampliſsimi ciuitatem, aut prouinciam, vel principatum aliquem cuipiam donāt, hac lege, vt aliquid admodum leuis momenti ſingulo quoque anno tributi nomine pendeat, non quod ex eo ditari velint, ſed vt ille perpetuò intelligat atque teſtetur, ſe pendere ab eo principe, atque ab illo eam dignitatem aſſequutum, qua præſtat. Præterea iſtud cōmodi ex ea ceremonia capiebat Reſpub. quod huiuſmodi oblationibus ſacrum miniſterium alebatur, cuius tantus eſt vſus, vt vel maximo pretio redimi debeat. Adhęc in omnib. primitijs Chriſtus ſignificatur primogenitus omnis creaturę, ac nominatim reſurgentis primitiæ, ex quo ſanctificātur omnes fideles: nam per primitias habebatur ſanctū id reſiduū quod domi ſupererat ad vſum familiarem. Quin & ad Gentes manauit conſuetudo iſta primitiarum offerendarum: Veſtæ enim, hoc eſt, Laribus domeſticis primitias offerebant, vtq; Plutarchus refert in ſympoſiacis, non bibiſſent antiqui vinum niſi prius libaſſent alicui Deo, quo efficeretur innoxium quod bibebant. & Athenis vndecima die menſis primitias vini libabant. In his autem omnibus ſancti inſtituti veſtigia licet agnoſcere: quamuis ethnici quod bene traditū erat, idololatrica ſuperſtitione violauerāt. Hodie verò tametſi iugum ceremoniarū Moſaicarum ſublatū ſit, optimum tamē factu fuerit, ex liberali voluntate primitias offerre Deo in pauperibus. Altera metaphora ſeu allegoria ducitur à radicibus arborum, quæ bonū ſuccum è terra hauriunt, qui per truncum & ramos diffunditur ad ſuaue alimentum & fructum copioſum. Vtq; ſtirps & propago radix appelletur, tam vſitatum eſt in ſcripturis, vt non egeat expoſitione. ab Eſaia dictum eſt, Egredietur virga de radice Ieſſe, &c. Quibus verbis

Iudæorum nobilitas deſcribitur

Iudæorum ſanctitas ubi potiſſimùm ſita fuerit

Duplex Apoſtoli metaphora:

Quid ſignificarint primitiæ in lege.

Simile.

Ad ethnicos manauit conſuetudo primitiarum offerendarum.

Primitiæ offerun tur Deo in pauperibus.

describitur Christus ex Dauidis stirpe nasciturus. Cumque per hanc radicem patres intelligantur Abrahamus, Isaacus, & Iacobus: hi non sunt accipiendi quà homines erant, sed quà Christo iungebantur, & inde tanquam è terra fertilissima succum salutis per fidem hauriebant. Neque hoc loco, vti monui, fingenda est alia sanctitas in radice vel in primitijs, quàm benedictio fœderis icti iam inter Deum & patres. Neque radicis aut primitiarum sanctitas quicquam impedit peccatum originis, quoniam illud per naturam incurrimus, quam à parentibus trahimus vitiatam. Per promissionem verò & vi fœderis condonatur, quod quando à Deo fiat, nos testimonio scripturarum scire non possimus. Fortasse remittitur paruulis cùm adhuc sunt in vtero, vel cùm nascuntur, aut mox à natiuitate, neque id forsan datur omnibus eodem tempore. Condonatio verò huiusmodi nil aliud est, quàm illud peccatum non imputare, quanquam re uera insit. Vnde freti constantia fœderis, & veritate diuinæ promissionis paruulos nostros baptizamus. Posset hæc allegoria Pauli de sanctitate radicum & primitiarum, prima fronte videri nonnihil pugnare cum eo dicto Ezechielis cap. 18. quo ait: si pater fuerit pius, innocens, atque virtutibus ornatus, filius qui nascitur ex eo, si fuerit impius, rapax, & sceleribus contaminatus, morte morietur: nil ei conferet sanctitas parentis. Et Christus idē uidebatur ostendere, cùm diceret: si filij estis Abrahami, opera eius facite. Sed re vera perstando in expositione iam adducta, in his dictis nulla est pugna, quia non statuimus generationē vel propagationem carnis, gratiæ vel sanctitatis causam esse, totam perfectam & integram (sine illa enim potest gratia conferri à Deo, & re vera multis datur, qui fuerunt infidelium filij: & multi ex his qui posteri sunt sanctorū ab ea excluduntur) sed promissio quæ est causa sanctitatis, isto nomine ac forma proponitur nobis & offertur à Deo, quòd velit noster esse Deus & seminis nostri. Quam promissionem filios piorum cùm adoleuerint, fide oportet apprehendere atque illi assentiri, & quidē efficaci assensu, qui fructus habet bonorum operum, alioquin salutem non haberent, nilq; illis paterna & auita pietas prodesset. Neq; oportet dicere, vt nonnulli dicunt, Paulū modo nō loqui de sanctitate actuali vt vocant, sed potentiali: quoniam etiam filij impiorum sunt in potentia vt seruentur, nam creati sunt ad imaginem Dei, cui non repugnat, modò placuerit Deo, ad salutem perduci. Attamen dicere consueuerunt, fidelium filios potentiam habere propinquiorem. Sed hoc quoque minimè satisfacit: quoniam illa eorum propinqua potentia quæ tandem erit? Nullam certè aliam assignare possunt, quàm istam promissionem & fœdus cum Deo initum. Ambrosius attamen sic nitebatur se explicare: cùm habuerint, inquit, suos maiores fideles, illi quoque non sunt indigni vt vocentur ad fidem. Sed videtur ambiguè scribere. Si enim dignitatem accipiat pro merito, verba eius minimè sunt admittenda: nullus enim est qui mereatur ad iustificationem introduci. Sin verò per dignitatem intelligit idoneos esse ex Dei promisso & fœdere, non nihil plus quàm alij, hoc est, in id venire, quod à me prius fuit expositum. Nos interea ex his colligamus, non abijciendos esse Iudæos, vt Paulus concludit. Item constanter credamus, nos in eorum societatem esse adductos ita, vt quo ad nostros liberos, eisdem fruamur cum illis & benedictionibus & priuilegijs. Atque ideo non est illorum desperanda salus, qui nunc per orientem, & in Papistica tyrannide varijs occupantur superstitionibus, cùm suos maiores fideles habuerint: potest enim facilè fieri, vt benedictio & fœderis vis in eis reflorescat, & ad salutem pertrahantur.

Quæ sanctitas in primitijs & radice intelligē da sit.

Sanctitas radicis & peccatū originis non se impediunt.

An Paulus pugnet cum Ezechiele.

Propagatio carnis non est causa sanctitatis.

Iustificatio non constat meritis.

Nos quo ad liberos nostros, iisdē priuilegijs fruimur atq; Iudæi.

Quod si nonnulli rami effracti sunt, tu uerò cùm esses oleaster, insitus fuisti illis, & consors radicis, & pinguedinis oleæ factus es, ne glorieris aduersus ramos: Quod si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te. Cùm iam probauerit Apostolus casum Iudæorum non fuisse tam atrocem, vt multi eorum non fuerint conseruati, & post hac nō sint conseruandi, addideritq; talem illū fuisse, vt attulerit nō parum commodi gentibus: deinde probauerit ex radicis & primitiarum sanctitate Iudæorum præstantiam: modò concludit non esse spernendos, neque contra illos insultandum. Et vtitur occupatione, quoniam potuissent dicere gentes, quid prodest illis radicis & primitiarum sanctitas, cùm sint à sacro trunco sanctorum excisi? Respondet Apostolus, nunc quidem illi sunt excisi, sed vos diu fuistis oleastri infructiferi & à Deo alieni. Reuocat eos ad notitiam sui pristini status, quod multū conducit ad modestiā. Deberent homines manticam quam habent à tergo reuocare ad conspectum, & incipere cędere ante omnia sua ipsorum vineta, & tum contra aliorum infirmitates & infortunia & casus non facilè insultarent. Hoc modo Paulus nunc agit cum his gentibus: Ait, rami sunt effracti, at vos infructiferi diutissimè fuistis. illi sunt excisi, at fuerunt in planta. nos sumus inserti, at illi natiuum succum & propriam pinguedinem antea obtinuerunt. Cùm Gentes dicuntur fuisse

Notitia sui pristini status ad modestiā conducit.

fuisse oleastri sine fructu, non agitur de aliquibus particularibus ethnicis, qui per fidem salutem sunt consequuti: sed vt monui superius, de populo gentili in vniuersum hęc dicũtur, qui meritò dicitur infructiferus oleaster, quoniam publice non habuit professionem veræ pietatis, cuiusmodi fuit in Iudæa. Aliquibus videtur mirum, quare Paulus dicat nonnullos ramos effractos, cùm maxima pars Iudęorum excidisset. Et Chrysostomus redit ad suã priorem expositionem, Apostolum videlicet solùm verbis cõsolari Iudæos, & ad gratiam loqui eis, quod, inquit, nisi animaduertatur, multa dicet pugnãtia. Ego interpretationi eiusmodi non consentio: nam si quodcunq; mendacij genus in scripturis admittatur, nil certè reliquũ fiet, quod suspitione mendacij aut falsi careat. Respexit hoc loco Paulus non tantùm vnam ętatem populi Iudaici, sed totam simul, & quę fuit ab initio, & quę futura est ad finem orbis. Ibi quis non videat bene magnã partem esse seruatam? Fuerunt permulti patriarchę sanctissimi, iudices, reges, sacerdotes, prophętę, priuati homines, & mulieres, qui omnes Deo fuerunt admodum chari, & ad finem seculi maxima multitudine ad Christum conuertentur. Quin & Apostolorum tempore vna die quinque millia fuerunt Domino lucrifacti. Quid ergo mirum si aliquos, vel nonnullos dicat ramos diffractos? Mendacium videri posset si omnes excisi fuissent. Adhæc licet Apostolus extenuet aliquantulum, seu potius quod erat durum lenius dicat, nihil tamen comminiscitur ita, vt loquatur ad gratiam, aut verbis tantùm consoletur absque rei veritate. Redigit igitur ad memoriam Gentibus quales prius fuerint, quoúe statu Iudæi olim sint à Deo habiti. Et certè si Gentes repetierint secum pristinam conuersationem, atque publicum ciuileque receptum studium apud eas, nil fermè inuenire poterunt, quod maledictioni obnoxium non fuerit. Et si quid habuerunt postea de quo gloriarentur, id totum non erat ex recepta apud se antiquitus doctrina & moribus, verùm ex noua insitione in Christum loco Iudęorum qui exciderant. Admiranda verò citra cõtrouersiam fuit Gentiũ insitio illa, quam modò tractamus. Dominus de ea dicebat: Multi venient ab oriente & occidente, & recumbẽt cum Abrahamo, Isaaco, & Iacobo, &c. Eandemq; Paulus idem pulcherrimè ad Ephes. expressit, dicens cap. 2. Mementote quòd vos quondã Gentes in carne, vocabamini pręputiũ, ab ea quę vocatur circuncisio in carne, quæ circũcisio manibus fit, quòd inquã eratis in tẽpore illo sine Christo, abalienati à repub. Israelis, & extranei à testamentis promissionis, spem nõ habentes, ἄθεοι in mundo. Nunc qui quõdam eratis longinqui, facti estis propinqui per Christũ, per sanguinẽ eius. Item mox in eodem capite. Igitur iam non estis hospites & aduenæ, sed ciues sanctorũ & domestici Dei, superædificati supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum. Notandum verò locũ hunc maximè facere ad probandum, vetus Testamentum & nouum idem esse: nam eadem est radix, idem truncus, excisi sunt Iudæi & nos inserti, eadem fides, idem mediator, quo ad rem eadem sacramenta, licet externa symbola & ceremoniæ sint mutatæ, ac sanè promissiones essentiales eędem nunc manent, quamuis admixtę quædam tum fuerint vmbratiles, vt de numerosa posteritate, possessione terrę Chanaan, regno, sacerdotio, templo, seu tabernaculo, &c. Itaque substantia, res, & spiritus in vtroque testamento sunt eadem, in qualitatibus tantùm & quibusdam circumstantijs reperitur aliqua diuersitas. Quòd verò appelletur olea, stirps, & propagatio sanctorum, id è sacris literis desumpsisse Apostolus videri potest. Nam capite vndecimo Hieremiæ, dixit Dominus se constituisse Iudam oleam frondosam, vberem, & pinguem, verùm ibi vaticinatur eam frangendam ob impietatem, quod modò ab Apostolo vsurpatur, quòd scilicet effracti sint rami. Et Dauid aiebat: Ego vt olea viridis aut frondosa in domo Domini, spem collocaui in Deo meo. Vbi causa attingitur pinguedinis, quòd scilicet fidant sancti Deo, & verè illi credant. Mitto quod in libro Iudicum, in parabola Ioathan, filij Hierobaal cõtra Abimelech & Sichimitas oleę ac pinguedinis eius mẽtio fiat, vnà cum dulcedine ficus & vini iucunditate, vnde tria hæc arborum genera in scripturis conferuntur ecclesię, vinea, olea, & ficus. Additur etiam quandoq; propter speciem & altitudinem cedrus. Quamuis de vite dicatur eam versam in labruscam fuisse, quod non intelligendum in vniuersum, sed tantùm quo ad ramos qui exciderunt. Vnde Augustinus pulchrè dixit, hanc arborem putatam esse, non amputatã. Prohibet mox Apostolus ne glorientur contra Iudæos. Gloriationem quidem nõ vetat, (quî enim fieri potest, vt donis Dei non exhilaremur?) sed contra ramos effractos adiecit, nimirum vt illis insultent. Gloriari cõtra eos, esset gloriari contra radicem, & contra Abrahamum ipsum velle quodammodo certare, qui est pater noster: ad Galatas tertio, Qui sunt ex fide, hi sunt filij Abrahami: & ad Romanos quarto. Sed longè magis patet absurditas in metaphora Pauli, si rami contra radicem insurgant. Neque prætereunda leuiter est oleastri elegantia; quia vt oleaster formam

Paulus in hac tractatione haud quaquam mentitur.

Admiranda insitio Gentium in bonam oleam.

Vetus & nouum Testamẽtum idẽ est quo ad substantiam.

Sanctorum stirps & propagatio cur dicatur olea

Quin donis Dei gaudeamus fieri non potest.

quidem & ſpeciem habet oleæ, non tamen ſucceſſu & fructibus commendatur: ita qui alieni ſunt à Chriſto, licet qualecunque veſtigium imaginis Dei conſeruent, & opera quædam faciant quoquomodo ſpecioſa, verùm nequaquam Deo ſunt grati, & quæ faciunt ſterilia ſunt, imò potius coram Deo peccata. Deinde inſitio in bonam arborem cuius nunc fit mentio, nil eſſe videtur aliud quàm ſanctorum communio, quam in articulo fidei noſtræ confitemur. Quicquid enim gratiæ donorum & chariſmatum nobis collatum eſt, ſcire oportet, non ſolùm noſtra cauſa eſſe datum, ſed vt aliorum ſaluti ac ædificationi conſulatur. Quod ſi hodie Chriſtiani homines ſecum expenderent, minus in eccleſia eſſet φιλωτίας & egeſtatis. Neque prætereundum hoc loco ſugillari Iudæorum malitiam, qui primitijs ſanctis non ſint immutati, quemadmodum tota maſſa conſueuit à fermento immutari quantumuis paruo, nolueruntque imitari ſuam radicem, verùm ab ea miſerè degenerarunt. Potuimus etiam hinc intelligere, quando ramos audimus effractos electionem Dei atque promiſsionem haud eſſe ita generi aut carni alligatam, vt nulli valeant damnari, qui ſunt è pijs æditi progenitoribus, quod & ſuperius demonſtratum eſt in Eſau & Iſmale, qui ex Abrahamo & Iſaaco fuerunt orti. Cùmque Apoſtolus Gentes dicit fuiſſe oleaſtros, non tantùm illarum deprimit faſtum & arrogantiam, ſed eius verba multum etiam valent, vt Hebræos ad æmulationem prouocent, cùm audiunt bonum, pinguem, & fœcundum ſuccum oleæ ſuæ communicatum oleaſtris, id eſt, Gentibus, quæ prius fuerant impuræ ac idololatræ. Hoc inquam potuit Iudæos incendere ſi ſapuiſſent, ad reſipiſcendum. Atque non ſatis fuit dixiſſe, inſitus es in bonam oleam, verùm adijcere voluit, & particeps factus es pinguedinis oleæ, vt intelligant Gentes, ſe non tantùm nominetenus effectas populum Dei, ſed re ipſa participes effectas gratiæ, ſpiritus & donorum cœleſtium. Cogitemus præterea inſitionem iſtam, quam modò tractat Apoſtolus, eſſe contrariam, vt notauit Ambroſius, rationi agriculturæ naturalis, in qua ſurculus accipitur bonus, & arbori ſterili atque minus generoſæ inſeritur, quo ſcilicet boni ſurculi aut ſtolonis pingui & nobili ſuccu, ille prioris arboris ignauus aut ſterilis emendetur. Hîc verò fit è diuerſo: Arbor eſt bona, ſcilicet corpus eccleſiæ, atque piorum ſocietas: at ſurculi ſunt infructuoſi, ſteriles, & oleaſtri. Neque aliter fieri poterat, quoniam extra Chriſtum & corpus eius quicquid inuenitur quantum quantum eſt, non poteſt eſſe niſi prauum, & impurum. Gloriari autem contra ramos eſt, eorum caſu lætari, ſi qua Deus inde commoda eliciat, inde par eſt gaudere, at de ruina cuiuſquã, non poſſumus iure vllo exultare, niſi temerè atq; vt dicitur, per accidens.

Cur alieni à Chriſto dicuntur oleaſtri.

Quid ſit inſitio in bonam oleam

In hac allegoria taxantur Iudæi.

Promiſsio nõ alligatur generi neque carni.

Inſitio iſta naturali aduerſatur inſitioni.

Radix portat te non tu illam. Qui pugnant contra ſuam radicem, neque ipſi ſtare poſſunt. Docet nos etiam iſte locus Apoſtoli, ad noſtram iuſtificationem haud requiri merita operum & naturales conatus, quoniam oleaſter nequaquam ſe ipſum inſerit. Vt igitur ab alio generamur citra operam noſtram, & ab alijs inſeruntur arbores: ita per Chriſtum à Deo iuſtificamur citra vlla merita. Indicatur adhæc huiuſmodi verbis quod ſuperius dictum eſt, nos haud fuiſſe inſerendos, niſi prius Iudæi cecidiſſent: veluti ſurculi niſi aliquid prius ab arbore reſecetur, non inſeruntur. Notauit ad hæc Origenes doctrina iſta confutari Valentinum & eius diſcipulos, qui putabant animas genere diſtinctas, & quaſdam earum ita bonas, vtque loquebantur aureas, vt nullo modo poſsint damnari, quoquo modo viuerent, & quicquid facerent. Alias verò putarunt natura malas, vt nullo modo ad felicitatem valerent pertingere, ſed tamen ſuis laboribus & bonis operibus, eò quandoque proficerent, vt ad mediam conditionem adducerentur, vbi aliquid eſſet refrigerij, non tamen ſumma felicitas. Dicebant igitur ſe ſpirituales eſſe perfectos & merum aurum: vnde licet multa impura & abſurda committerent, ſe aiebant non amittere ſuam ſanctitatem: quoniã aurum quantumcunque in cœno iaceat, non deſinit eſſe aurum. Alios verò ad bene agendum hortabantur, quòd nimirum illis id eſſet opus, ſi ſaltem ad mediam conditionem vellẽt peruenire. Atque huius peſtis meminit Irenęus in primo libro. Paulus modò contra exitioſam hanc doctrinã inquit, poſſe ramos ex oleaſtro reſectos in bonam oleam transferri. Conſutatis his dubitat idem Origenes, cùm animarum eandem naturam conſtituamus, quî poterimus, vt modò Paulus docet, tueri duplicẽ arborem, bonam inquam oleam, & oleaſtrũ? Reſpondet propoſitæ quæſtioni ſimilitudine. Omnia quidẽ, ait, corpora, quę in mundo exſtant, quo ad id quòd ſunt corpus eadem natura communicant, neque à ſeſe mutuò diffe-runt, ſed ex vnaquaque illorum natura exurgunt, ac oriuntur multæ proprietates atque conditiones, quibus ab alijs differre incipiunt, & multùm ab illis diſtant. Atque hoc modo corpora cœleſtia diſtinguuntur ab elementis, hæc ab animantibus corruptibilibus, & iſta rurſus

Argumentum cõtra iuſtificationem ex operibus

Valentinianorũ error.

Simile.

Simile.

rursus à plantis: ita, inquit, accidit quoad animas, omnes prędităe sunt eadem facultate libe-
ri arbitrij: ex quo cùm aliqui fidem, virtutes, & bona opera producant, arborem bonam fa-
ciunt: cumq; nonnulli è diuerso ex libertate arbitrij, qua prædîti sunt, impietatem, peccata,
& mala opera ædant, per ea constituuntur oleastri. atque hoc pacto totam diuersitatem, at-
que distinctionẽ arborum à se inuicem libero arbitrio adscribit. Vtq; suam cõfirmet senten
tiam, Christi dictum illud ex Euangelio profert: Aut facite arborem bonam, & fructus eius
bonos, aut malã, & fructus eius malos. In ramis verò aliam diuersitatẽ animaduertit. Quòd
quemadmodũ in naturalibus corporibus quædam sunt, quæ diutissimè retinent suas pro-
prietates & qualitates, quemadmodũ corpora cœlestia, quæ vsq; ad finem seculi manebũt
eodem statu: & alia sunt, quæ facilius mutantur, imò etiam corrũpuntur, vt herbę, plantę, ac
animantia: ita nonnulli rami perseuerant in eadem arbore perpetuò, aut certè diutius, alij
verò citò excidunt. Demũ scribit, quòd licet alijs plãta bona & radix videatur. Abrahamus
atque sancti patres, nihilominus ei videri Christum esse ponendum, vtpote in quo per fidẽ
inseramur. Ex his quæ tradidit, admittere possumus priora illa in Valentinũ allata, pruden-
ter enim & vtiliter ab eo notata fuerunt: illud verò discrimen duarum arborum longè alia
ratione ponendum. Atque primùm scire oportet, nostræ naturæ massam vniuersam origi-
nis vitio corruptam: potuit ergo verè oleaster appellari. Neque bonam habuissemus alicun
de arborem, nisi Dei misericordia Christus & promissus, & datus esset, in quem electi cre-
dentes sunt conflati, transplantati, & insiti, vt in arborem fructiferam & pinguem. Vt au-
tem crederent, minimè libero arbitrio est effectum, quia fides Dei donum est, non virium
nostrarum opus: ideóque minimè in nobis situm est facere bonam arborem. Quòd si Chri
stus dicere visus est Origeni, error nascitur ex praua intelligentia verbi, facite: neque enim
eo loco efficientiam, sed hypothesin significat. Quasi diceret: cogitate, statuite, oportere
arborem bonam esse, quæ fructus bonos debeat facere, & malam, quæ malos. Et hunc esse
horum verborum sensum, docent quæ præcedunt. Dixerat enim Dominus: Cùm mali si-
tis, non potestis bona loqui. Et Matt. 7. cap. apparet manifestissimè prius oportere arborẽ
esse bonam, quàm boni fructus sequantur: contra quod fingit Origenes operibus liberi ar-
bitrij arborẽ effici fructiferam. Quo verò ad plantam & radicẽ, eam nos posuimus patres,
cum quibus est initum fœdus, quiq; sanctè in eo vixerunt, haudquaquã tamẽ ignari alijs in
scriptura locis Christũ appellare se vitem, & nos palmites: imò hac eadẽ epistola scribi nos
Christo insertos esse per baptismũ in similitudinem mortis eius. Neq; dubitat quisquã Chri
stum esse vnũ fundamentũ, præter quod nemo potest aliud ponere: sed Paulus nunc id nõ
agit, sed tantũ spectat genus Hebræorũ, & sanctitatẽ Patrum, quod ex eo colligitur, quia Iu
dæos dicit ramos naturales bonę oleæ: quod aliter non potest intelligi, nisi quod ex sanctis
parentibus orti essent. Et mox diserte inquit, inimici quidem propter vos, at electi propter
Patres. Neque obstat quod additum sit, Tu autem fide stas, quæ fides Christũ, vt obiectum
respicit: quoniam & nos dum facimus plantam & radicem sanctos patres, nequaquã Chri
stum excludimus. quandoquidem radix & planta non hîc sumitur, nisi quà sancta sunt: san-
ctitatem verò non habuerunt Patres sibi genuinam & intimam, sed vt superius diximus, il-
lam fide hauserunt à Christo.

Tota massa corrupt æ nostræ naturæ dici potest oleaster.

Non est nostrum facere nos ipsos bonas arbores.

Patres, radix, & planta dicuntur quatenus in Christo sunt radicati

Dices igitur: Defracti sunt rami, ut ego inserer er. Bene dicis. Per incredulitatem defracti sunt, tu uerò fide stas.
Pergit Apostolus arrogantiam Gentium contra Iudęos insolescentium reprimere. Et ficto
sermone vtitur sub Gentiũ persona, ita vt sit occupatio. Gloriamur, dixissent fortasse Gen-
tes, quia Iudæis & meliores sumus, & digniores. quod idcirco probatur, quia illi fracti sunt
nostræ salutis causa, vt nos insereremur. longè autem pluris est ille, propter quẽ aliquid agi
tur, quàm id quod fit eius causa. Respondet Apostolus, probè dicis Iudæos fractos, vt inse-
raris, id non inficior: verùm tu mihi cogita nequaquã tuis meritis aut operibus constare in-
sitionem, sed fide, quæ mera & pura gratia est, & respicit solùm Dei misericordiam. Con-
silium est Satanæ, vt inde gloriemur, quum ex nobis eam non habeamus, sed purum sit &
simplex Dei donum. Mitto quòd pari argumentatione liceret dicere Iudæos esse te præ-
stantiores, quum tu ad hoc sis vocatus, vt illi ex tua conuersione fructum capiant, & æmu-
latione prouocentur ad salutem. Chrysostomus dicit veras hîc & proprias causas attingi
perditionis Iudæorum, & insitionis Gentium, incredulitatem, inquam, & fidem. Atque
ob id in sentẽtia perstat, qua iam dixerat, verbis tantũmodo Apostolũ consolari Iudæos, &
encomijs, quę re vera non essent encomia. At dum ista dicit, nõ attendit quod superius est
dictum, Dei consiliũ in Iudæis obcęcandis non ibi stetisse, quasi per se ipsum vellet eam cę-
citatem, sed spectasse Gentium vocationẽ, quam inde sequi volebat. Et miror quomodo

hîc non videat Apoſtolum approbare aſſumptum Gentium, quo dicebãt, illi effracti ſunt, vt nos inſeramur. Dicere ſanè potuiſſet, hoc minimè verum eſt: quod tantùm abeſt, vt dixe rit, vt potius dederit, & approbarit quod afferebant. quare Iudæorum excæcationẽ, vt me dium ordinatum fuiſſe à Deo, quo ſalus Gentium conſequeretur, nequaquam dubium eſt. Proinde reuocat Gentes Paulus ad conſiderationem huiuſmodi finis, vultq; vt ſecum repe tant, ſe fide ſtare, de qua gloriari non poſſunt, quia à Deo illam gratuitò habuerunt. Ad Co rinthios priore, cap. 1. item dixit, credentes fide ſtare. Neque repugnat, quod in eadem epi ſtola 15. habetur, Corinthios in Euangelio ſtetiſſe, quia fides ad Euangelium refertur, tan quam ad proprium obiectum, imò quodammodo ab eo naſcitur, vt ſuperius vidimus. Ne que hîc ſermo eſt de ſingulis hominibus, ſed de cœtu. & corpore credentium. meritò igitur addit: Noli altum ſapere, ſed time. Nam quemadmodum Eccleſia iudaica eſſe deſijt, Africa item, Græcia, & Aſia multas Eccleſias amiſerunt: ità metuendũ eſt, ne idem contingat nunc Eccleſijs, quæ ſtare videntur: non ergo efferant ſeſe. Quiſquis autem ex fidelibus homínib. minimè dubitare debet de propria ſalute. Eſt enim ingenium fidei, certos homines redde re de diuina promiſsione. Sciendum tamen, fieri non poſſe, quandiu hîc viuimus, vt prorſus omnem metum exuamus. Verſamur nanq; perpetuò inter duas cogitationes: alterã de bo nitate, fide & cõſtantia Dei, alteram de corruptione infirmitate, & propenſione ad malum noſtra. Conſideremus enim quàm ſimus infirmi, & ad mala proni, noſtrorumq; operum, quantumuis bonorum, ſordes & imperfectionem, atque vna legis ſeueritatẽ in exigendo, quæcunq; præcipit ad amuſsim. Iam huiuſmodi cogitatio vehemens non poteſt non vehe menter animum perterrefacere, eumq; deijcere. At ex altera parte dum clementiam, boni tatem, miſericordiam Dei, & eius in promiſsionibus conſtantiam attendimus, ſimulq; oc currit, omnia Chriſti merita nobis communicata, reficimur, & recreamur, metusq; aut leni tur, aut planè quandoque deponitur. Siquidem affectus iſti vbi perfecti fuerint, & intenſi, mutuò ſibi ſuccedunt: nec enim ſimul eſſe poſſunt, vel ſi vnà fuerint, eſſe remiſſum vtrumq; conſtat. Verùm quonam pacto ſibi mutuò viciſsim dent locum, quotidiano experimento experiri licet. Nam ſi collocetur quis in altiſsima turri, & nihil aliud verſet animo, quàm alti tudinem loci, & inde caſum exitialem cogitet, fieri non poterit, quin totus horrore concu tiatur. at ſi conuertat oculos ad repagulum oppoſitum, quo planè à caſu prohibeatur, certè animum eriget, & à metu liberabitur. Nec mirum cuiquam videri debet, quòd ſtatuimus, fi dem illum timorem depellere, qui cum dubitatione de ſalute eſt coniunctus, quum in Ioan ne dicatur, charitatẽ foras mittere metum. Quod enim ſcriptura tribuit charitati, multò ma gis fidei tribuendum eſſe certiſsimũ eſt: oritur enim hæc ex illa. Sed, vt iam diximus, de ſin gularibus hominibus non agitur à Paulo hoc loco, ſed de publica profeſsione Chriſti, Euã gelica prædicatione, ac eius cultu recepto in tota aliqua gente, ac prouincia. Et quòd hîc di citur, homines pios excitare deberet ad preces quàm ardentiſsimas, pro Eccleſiarũ conſer uatione. Sententiæ ſuæ rationem deinde ſubijcit:

Collatio exprimitur.

Singulis de propria ſalute non eſt dubitandum.

Dum hîc viuitur, nõ poſſumus omnem metum exuere.

Fides non minus quàm charitas timorem eijcit.

Nam ſi Deus naturalibus ramis non pepercit, vide ut ne tibi non parcat. Ratiocinatur à minori: Mi nus enim videbatur veriſimile, vt naturales rami frangerentur, quàm illi, qui ſunt contra na turam: Iam ſi illi ſunt effracti, multò magis metuendum eſt, ne alij quoque præcidantur. Vi dendum autem eſt, quid intelligere debeamus per naturales ramos, aut naturæ, quo Paulus etiam aliquantò pòſt vtetur. Chryſoſtomus ait: Cùm in rebus naturalibus inueniatur neceſ ſitas, hîc eam poni non poſſe, quum ſanctitas, & hæc Dei dona, de quibus nunc agimus, & accedere poſsint, & remoueri: idcirco exiſtimat, intelligendam hîc potius veriſimilitudinẽ quandam, & conſequentiam, quemadmodũ vulgò dicimus, naturale eſſe id, quod ratio iu dicat probabile, atque conſentaneum. Ambroſius hæc verba diſertè ſcribit: quia ſi illi, qui prærogatiua patrum digni facti erant, quibus etiam facta repromiſsio eſt, Deoq; in filios a doptati ſunt, incredulitatis cauſa excæcantur, quid his fiet, qui nulla commendatione ſub limati ſunt? qui cùm nullius dignitatis eſſent, honorati ſunt? Origenes verò, per naturam in telligit liberum arbitrium, quaſi tota iſta dignitas à libero arbitrio pendeat, quod paulò an tè oppugnauimus. Magis proinde ad veritatem acceſsit Ambroſius, qui dignitatem hanc in Dei repromiſsionem retulit, quanuis à nullo eorum propriè indicatum ſit, cur naturę fiat mentio. Id verò eſt meo iudicio, quòd ſic nati ſint filij ſanctorum, vt ex bona planta, ſanctá que radice prodierint. Et certè naturæ etymologia deriuatur à naſcendo. Nęc tamen ſic res accipienda eſt, quaſi principiũ interim ſecum habeant ſanctitatis: ex Dei enim pendet bo nitate, promiſso, & voluntate. Non enim ipſi ſtirpi carnis per ſe quippiam ſeorſim tribuen dum eſt diuinæ benedictionis, niſi quatenus ſtirpi, ſeu propagationi coniuncta promiſsio, eſt res

Naturæ etymologia.

est res admodũ efficax: quam si quanti sit, intelligere volumus, contẽplemur Iudęorũ nationem, peccatricẽ quidem, & multis peccatorũ generib. contaminatã, non tamen desiisse populum Dei esse, quoad publicè Christũ negarunt, & reiecerunt, quanuis & tunc reliquiæ illorum seruatæ fuerint. Prius tamen virga & flagellis corripiebatur ille populus, & nonnunquam mittebat in captiuitatẽ, at non in totum erat repulsus. quod Patribus datũ fuisse diuina scriptura non semel cõmemorat. Aliquas verò alias nationes licet videre, suscepisse quidem Euangelium, sed paruo retinuisse tempore, vix ad vnum, aut alterum seculum. Verum quidem est, nos loco Iudæorum successisse, ac esse factos eorundem cum eis priuilegiorum participes, nihilominus Iudęi fuerũt priores: & longè antea in possessione manserunt. Quare si fracti iam illi sunt, nobis magis est timendum. si propterea quòd ipsi erant inflati, cæcitate percussi sunt, & ob incredulitatem excisi: quid existimandum est de nobis oleastris & sterilibus atq; infructuosis ramis? Incredulitate fracti sunt, inquit Ambrosius, non propter te, sed suo vitio: quod ego miror eum scripsisse. Præpositio Propter, si causam dicat efficientem, fateor nostram salutem non fuisse causam illorum excisionis. Habuerũt in se peccatum incredulitatis, quod volens Deus punire, sic illos abiecit sua iustitia. Verùm nostram vocationem finalem causam non fuisse, quam spectauerit Deus in illorum eiectione, haud quaquam negauerim, quum Paulus id affirmet: quare potius dicendum censeo illos & suo vitio, & propter nos esse à sua fructifera arbore fractos.

Quomodò benedictio Dei se habeat ad stirpem & propagationem carnis.

Nostra salus finalis causa fuit reiectionis Iudæorum.

Ne efferaris, μὴ ὑψηλοφρόνει. Hoc verbum est, quod aliter dicitur, μέγα πνεῖν, quod vitium opponitur paupertati spiritus, quam Christus ita cõmendauit, vt ea præditos dixerit beatos. Illi autem ridendi sunt, qui hoc Apostoli dicto patrocinari voluerunt imperitiæ, ac homines à scientijs deterrere. *Noli*, inquiunt, *altum sapere*. Quod vt à scopo Apostoli sit alienum, iam manifestissimè intelligi opinor. Quòd verò huius loci expositionẽ claudamus, hunc ordinẽ arbitror statuendũ inter gradus, quibus ad salutẽ venitur, & media, quę ad exitiũ præcipitant. Quoad seruandos primùm occurrit electio seu prædestinatio. Erumpit abhinc gratia, spiritus, & fides, mox bona opera succedunt, adhæc donatur perseuerantia, demum corona felicitatis redditur. Ad exitium verò primus est gradus massæ humani generis corruptio per labem originis, & Deum noluisse misereri: inde multa consequuntur peccata, quæ ipsi malè viuendo adijcimus: post hæc sequitur cęcitas, & laboratur incredulitate, adhæc obfirmatur cor, & deniq; sequitur æterna damnatio.

Gradus ad salutem, & gradus ad exitium.

Vide igitur bonitatem ac seueritatem Dei, In eos qui ceciderunt seueritatem: in te verò bonitatem, si tu permanseris in bonitate. Illam vocem ἰδοὺ alij vertunt, Ecce. significat enim interdum idem quod ἰδοὺ. Commoratur adhuc in eodem loco Apostolus. Fuit enim necessaria admodum ista tractatio, vt componeretur dissidium inter Gentes & Iudæos ortum in primitiua Ecclesia. Duo illos adhortatur vt ob oculos habeant, Dei bonitatem & seueritatem. Bonitatem dixit χρηστότητα, quæ vox clementiam significat, & propensionẽ animi ad bene merendum, & benefaciendum alicui. Seueritatem græcè scripsit, ἀποτομίαν, quæ tunc est, quum ad viuum resecatur, & rigore agitur iustitiæ. In te, inquit, bonitatem. Fuit enim ea indulgentia singularis, vt quum Gentes fuerint idololatria contaminatę, & iure meritoq; potuerint in sua perfidia relinqui, vocatæ sint, adoptatæ, atque tot ornamentis & donis excultæ. Cõfutantur his verbis Manichæi & Marcionitæ, qui duos Deos constituebant, vnum bonum, clementem ac misericordem: alterum verò seuerum, imò crudelem. quum tamen Apostolus hoc loco eadem vni eidemq; vero Deo attribuat. Constat etiam eos, qui excidunturi, iusta Dei seueritate frangi & cadere, vnde non possunt excusari. Adhęc duo consideranda non modò Paulus hoc loco nos prouocat, sed tota scriptura in infinitis propemodum locis. Nec immeritò, nam in consideratione diuinæ bonitatis prouocamur ad fidem & amorem erga illum, nec non ad gratias agendas ei de beneficijs acceptis. Dum verò seueritatem & iudicia Dei expendimus, miseret nos eorum, qui cadunt, & rebus nostris timemus. Chrysostomus illud exponens, Vide bonitatem. Non, inquit dicitur, vide tua merita, & tuos labores, quia vniuersum ex superna gratia factum est. Vtinam semper ad hunc modum loqueretur, & in eo, quod modò testatus est, persisteret. Consilium Apostoli est in cõsideranda seueritate Dei, vt alienis periculis & lapsib. cõspectis efficiamur ipsi magis soliciti. Quod idem alibi quærit, dicens: Qui stat, videat ne cadat, ad Corint. priore, & ad Gal. cõsiderans teipsum, ne & tu tenteris. Quare sciendum est duplicem esse timorem: vnum, qui nihil remittit de fiducia, solùm diligentiam maiorem parit, & conatus adducit efficaciores. Alterum verò, qui fiduciam vehemẽter imminuit, imò tollit, remouet conatũ, & affert ignauiã. Posterior est ex infidelitate, alter studij est & fidei. Hoc timoris genere adducuntur Ecclesiæ, vt sese magis ac

Dei singularis indulgentia erga Gentes.

Contra Manichæos & Marcionitas.

Ad consideranda seueritatẽ & bonitatem Dei scripturâ nos ubiq; inuitat.

Duplex timor.

magis Deo accommodent, orentq; instãter pro sua conseruatione, ne scilicet regnum Dei ab illis transferatur ad alias gentes. Hæc est causa cur in sacris pro ecclesijs oretur: quod utinam eo fiat animi feruore quo fieri debet, & precib. adiunctũ sit studium eas ornandi & reformandi: nam precari & nolle quicquam ad hoc operari, est cum Deo ludere.

• *Quæ oratio uana sit & inanis*

Nemo pius incertus est de salute sua.

Alioqui & tu excideris. Nullus qui credit quo ad se ipsum sibi persuadere debet, quòd sit excindendus: non enim patitur fides hanc persuasionem. Dominus ait eum qui credit, de morte ad uitam transire, non quamlibet, sed æternã, quæ nunc est inchoata, perficietur autẽ in futuro seculo. Cùm igitur promittatur æterna uita, diffidere minimè debemus. Quisq; fidelium se credit à Deo adoptatũ in filium, & electum ad uitam æternam: fiet igitur illi sicut credit. nam & etymologia fidei à multis inde trahitur, quasi fiat quod est dictum. Qui tamẽ ita credit, de perseuerantia semper debet cogitare, neque remisse uiuere, atq; à Deo permanendi in bonitate illius donum atque gratiã implorare, de qua obtinenda minimè dubitare oportet, cùm & promiserit eam suis Deus, & oratio fidelis non possit cum hęsitatione funditi, vt Apostolus Iacobus testatus est. Prodest nihilominus attentè nostrã carnem obseruare, quæ infirma est, & undiq; immunda, neque illi natura sua repugnat, quin damnetur. Vnde his Apostoli verbis frenanda est eius superbia, frangenda securitas, & ignauia excitãda. Pro certitudine tamen retinenda, confugiendũ ad id est, quod mox habebimus dona Dei, & vocationem esse absque pœnitentia. Vtq; videamus quàm utilis sit fidelibus, neque ullo modo superuacanea hæc Apostoli monitio, sic rem distribuemus, vt primũ de Ecclesia videamus quid nobis timẽdum sit. Si de tota agamus, nequaquã timendum est eam unquam defecturam esse: promisit enim Christus futurum se cum ea usque ad consummationem seculi. Tentari quidẽ potest, cribrari & concuti, sed euerti non potest. Oramus igitur, vt crux eius tentationes & persequutiones releuentur, & illi cedant in bonum. De particularib. autem Ecclesijs, quoniam fieri potest vt transferantur, precamur & pro assiduis earum tentationibus, & vt apud illas & præsertim nostram maneat regnum Dei. Quoad posteros nostros est etiam quòd timeamus, quoniam promissio indefinitè proposita est, & nisi contrahatur per electionem & prædestinationem, fieri potest vt illos non complectatur, quemadmodum omnes Iudæi non erant comprehensi in promissione. Ac de infantibus constitutum est idem. Fœdus quidem & promissio eos non excludit, imò generaliter sunt his uerbis denotati, cùm dicit Dominus: Ero Deus tuus, & Deus seminis tui. Sub qua promissione illos tingimus, & Ecclesię visibiliter incorporamus, qui tamen cùm adoleuerint, possunt resipuere fœdus, & Euangelium contemnere. unde palàm fit, eos ad electionem & promissiones re uera non pertinuisse: idcirco iure timere possumus, ne stent, vt contigisse uidemus Ismaeli & Esau. Sunt præterea in Ecclesia nonnulli πρόσκαιροι, hoc est, temporarij, qui ad tẽpus credunt, & in tentatione recedunt, quemadmodum fecit Iudas, & qui Christum in persequutionibus abnegarunt: quare his quoq; maximè timendum est. His verò, qui Christo synceriter credunt, licet de salute confidant, & certi sint, attamen imminẽt semper dum hîc uiuimus, permulti lapsus, & quidem graues, vt Petro, vt Dauidi. Unde licet non timeant ęternùm damnari, sed certò sperent se uel à Deo tuendos, ne labãtur, uel si lapsi fuerint, vt restituãtur, quemadmodũ & nos de his cõfidimus, qui excõmunicantur: non enim ejiciuntur ab Ecclesia, vt pereant, sed vt deniq; spiritus eorũ saluus fiat. Quamobrẽ & electi atq; syncerites credentes, timere perpetuò sibi debent à lapsibus, & ne à Christo excindantur saltẽ ad tempus. Et de hac restitutione lapsorũ mentio fit etiam apud Hier. 3. cap. Fornicata es cum amatorib. tuis, attamen redeas. Omnia ista nobis demõstrant, non inutilem esse hanc Pauli adhortationẽ ad timorem, quum & pro nobis ipsis, & pro alijs tot modis nos oporteat esse solicitos. Addit præterea his Chrysostomus abusum diuinæ gratiæ, quo laboramus, debere nobis esse magno timori & horrori, quoties illum consideramus.

• *Caro nostra obseruanda est cũ sit infirma & immunda.*

Vnde dicatur fides.

Quid Ecclesiæ timendum sit.

Fieri nõ potest ut Ecclesia pereat.

Particulares ecclesiæ possunt deficere.

Posteris nostris iure timemus.

Fidelibus multi lapsus immunẽt.

Confidimus posse restitui, quos excommunicamus.

Habent & filij homines quod timeant.

Si permanseris in bonitate. Alioquin & tu excinderis, & illi rursum, si non permanserint in incredulitate, inserentur. Quandoquidẽ non est dubiũ permultos ex Iudæis ita excidisse, vt in spiritũ sanctum peccarint, neq; rursus inseri possint, manifestũ est Paulum ista, quę dicit indefinitè, proferre de gente, quo scilicet ad nationem. Deinde cùm sit incertũ, quando quis in tam horribilem casum inciderit, nisi quædã peculiaris Dei reuelatio id monstrarit, ideo Paulus ita loquitur, ne de quoquã dum hîc uiuit, spẽ deponamus. Chrysostomus quæ superius dixerat, omnia mutare: nam dicit hinc patere, quàm magnũ sit propositi dominiũ, & nostræ uolũtatis potestas, quasi sit in nostra manu stare in bonitate Dei, aut nõ permanere in incredulitate, quando in eam inciderimus. Vtq; probet & confirmet nõnihil, quod non bene proponit, uerba illa,

illa, Si permanseris in bonitate, à vero sensu detorquet. & ait: Si feceris, quæ diuinæ bontati dignè correspondeãt. & non ait: Si manseris in fide, quia sola fides non est satis. Hęc non ita re vera se habent: nam licet Paulus non dixerit: si manseris in fide, perinde tamẽ est cùm scripserit, si manseris in bonitate. χρηστότης enim, vt diximus paulò antè, est bonitas, & propensio animi ad bene merendum de aliquo. In hac Dei bonitate, inquit, si manseris, hoc est, ab ea si non excideris: Quibus verbis quàm manifestissimè tribuit diuinæ bonitati conseruationem, ab ea enim pendet fides, qua seruamur. causam proinde loco effectus posuit. Superius quippe dixerat, fide stas. verùm ne putes fidem illam ex te ipso esse, nunc bonitatis meminit, à qua vt à vero principio fides pendet, atque hoc modo esse, videre licet ex antithesi. Dicit enim, si illi non permanserint in incredulitate, restituentur: tu excideris, si non permanseris in bonitate. Bonitas hæc, vt vides, opponitur incredulitati: igitur locum habet fidei, & pulchrè, quum ex Dei bonitate singulari nobis fides inspiretur. Neque constituendum est, quòd is bonus pater videtur conari positum esse in manu cuiusque nostrûm: vel vt duremus, & maneamus in bono & sancto proposito: vel vt, si fortè fuerimus lapsi, restituamur. Quis enim mortuus valet se ipsum excitare? aut pro corde lapideo carneum sibi inserere? Perseuerantiam item donum Dei esse declarat Apostolus, cùm inquit, ipsum esse Deum, qui donet & velle, & perficere, idqúe pro sua bona voluntate. Atque pulcherrimum librum scripsit Augustinus de bono perseuerantiæ: vnde sanam doctrinam copiosè valemus haurire: sed quid opus est argumẽtis pluribus contendere? Paulus ipse hanc definit quęstionem, dum addit:

Ponitur à Paulo causa pro effectu.

Perseuerantia est donum Dei.

Potest enim Deus denuo inserere illos. Non dicit, in manu eorum est, Deo attribuit hoc opus. Quid igitur nos ad voluntatis potestatem, aut dominium propositi nostri confugimus? Quòd verò inquit, solam fidem non esse satis, quum de iustificatione loquimur, neutiquam recipiendum est, præsertim quum ipsemet alibi dixerit, solam fidem esse satis, & secum pugnet. Nihilominus ne confundatur mens dum hæc scrutatur, sciendũ est, fidem veram & iustificantẽ nunquam solam esse, quin habeat secum alia bona opera, & virtutes coniunctas: verùm vt sua effecta, quæ posterius natura producit, quàm credentem iustificet, ita vt inter cætera effecta iustificatio primum locum habeat. Obseruauit Origenes de Iudæis esse dictum ἐξεκλάσθησαν, effracti sunt, de Gentibus verò, ἐκκοπῆσαι: & putat longè grauius esse excindi, quàm frangi. quasi futurum sit grauius supplicium Gentium, si desciuerint à recepta fide, quàm Iudæorum, quòd à suo gradu pristino dimoti fuerint. Vix ego mihi persuadeo, Paulum in his verbis adeò subtiliter philosophatum. Deinde nusquam tradunt sacræ literæ, grauius puniendũ casum Gentium, quàm Iudæorum. Imò si quis rem bene velit æstimare, animaduertet, si pœnæ debeant esse pares peccatis, vbicunq; grauius est peccatum, grauiorẽ pœnam inflictum iri. Si autem in Dei vocatione ponãtur ex æquo Iudæus & Ethnicus, atque ambo, vt fieri potest, labantur, non dubitarim Iudæum grauius peccare: quoniam præter fidem Christi, quam cum illo Ethnico habet communem, multis alijs donis præ illo fuerat ornatus, quæ quum neglexerit deficiendo à Deo, magis est ingratus, & culpam ideo subit grauiorem. Quòd sint denique Iudæi reparandi, probat Apostolus à Dei potentia. Et argumentum est à maiori, Si potuit Deus te oleastrum & alienum à bona olea per naturam illi inserere, quantò magis valebit restituere ramos, qui olim ex pingui olea fuerunt diffracti? Dúmque ait Gentiles exectos ex naturali oleastro, videtur illis malitiam facere naturalem, quod nos debemus accipere non de instituta natura à Deo, quæ bona fuit condita, sed prout vitio Adami corrupta est, & per generationem deriuata in posteros.

Vera fides, quæ iustificat, nunquam est sola.

Inter effecta fidei iustificatio primum locum habet.

Vtrius casus grauior sit, Iudæi, an Ethnici.

Et præter naturam insitus es in ueram oleam. Dicemus ne aduersari naturæ hominum, quantumuis Ethnicorum & infidelium, vt reuocentur ad Deum, & conuertantur ad pietatem? Distinguenda est natura hominum, prout vel ad Deum refertur, vel ad suas proprietates. Vt enim Deum respicit, nil ab eo potest in ipsa fieri, quod non dicatur geri secundum naturam. id enim est naturale cuique rei conditæ, vt suo autori subdatur. Et homo factus est ad imaginem Dei, & ad id institutus, vt creatori suo iungatur: quare tum ex primo Dei consilio, quo fecit hominem, tum ex ingenio conditarum rerum, quæ subijciuntur naturaliter efficaciæ atque operationi sui autoris. Naturale hominib. est, vt Deo piè adhereãt. Contra naturã ergo non dicuntur peccatores in bonam oleam inseri: neq; iuxta rationẽ hanc, vel præter naturam, vel contra naturam fiunt vlla miracula: verùm si proprietates & qualitates rerum spectemus, & miracula non sunt iuxta naturam, imò illi aduersantur, & homines contra naturam ad pietatem legitimam reuocantur, inseruntúrque bonæ arbori. Quare pul-

Distinctio naturæ hominum. Naturale est creaturæ, ut subdatur autori suo.

chrè Augustinus dicebat, posse credere, naturæ esse: at credere, gratiæ. Scio esse qui præter naturam isto loco eò referant, quòd insitio spiritualis naturali aduersetur, qua iuxta leges agriculturæ homines vtuntur, quando in naturali insitione, surculus, qui inseritur fructus ædit suo succo respondentes, non autem succo stirpis, cui est insitus. Ast hîc rami oleastri pinguí oleæ insiti, succū, ex quo bonos fructus procreant, non ex natiua sua planta, sed ex illa, cui iam sunt insiti, hauriunt. Hæc sanè, vt superiùs retuli, vera sunt, sed nō ad Pauli institutum videntur facere. Summa est, maiorem esse conformitatem, sympathiam, & propor tionem inter ramos diffractos ad suam plantam, quàm inter alienos ad eandem esse videatur. Sed quia similitudo hæc quantumuis proxima per se ipsam non est satis, idcirco ad potentiam Dei fuit confugiendū. Ea satis est ad quosuis inferendos, siue proximi sint, siue longinqui & remotissimi. Potens est Deus, aiebat Ioannes, ex lapidibus istis excitare filios Abrahami. Et Dominus inquit: Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum. Prophetæ atque scripturæ fermè omnes, quando magna & quodammodo incredibilia sunt à Deo expectanda, respicere nos iubent Dei potentiam. Atque inde consolatio dulcissima pijs accedit, si quando graues casus immineant: non enim facilè timent aduersariam potestatem, qui sui patris cœlestis potentiam sibi ponunt ob oculos. Atque hinc est, quòd Ecclesia oratura, vt sibi à Deo subueniatur, semper ferè suis precibus præfatur, omnipotens Deus. Neque tacendum est, longè aliter nobis accidere, quàm Deo, tum in omnib. fermè rebus, tum in hac quàm maximè. In nobis voluntas admodū latius patet, quàm potestas, cùm sæpissimè velimus permulta, quæ tamē præstare nō possumus. E diuerso est apud Deum, is quippe multò plura valet facere, quàm velit. potuisset enim pater dare filio mox affigendo cruci vndecim legiones Angelorum, qui illum è vestigio eripuissent, & noluit. Quòd si dixerit quispiam, argumentum non esse validum à posse, vt loquuntur Dialectici, ad esse, ideoq; Paulum non debere concludere, Iudæos inferendos esse rursus, ex eo quòd Deus id præstare valeat, quandoquidem præter vim requiritur etiam voluntas. Respondemus, de voluntate hîc non posse accidere controuersiam, cùm ad benefaciendum illis eum pronum esse declarent promissiones, pactum initum, & beneficia maioribus eorum collata. Præterea si Gentes alienas inserere voluit, cur in dubium est reuocandum, an idem quando velit Iudæis concedere? Proinde statuendum est, Iudæorum gentem hoc tempore se habere vt radicem bonæ alicuius arboris hyemali tempore, quam si videat imperitus, facilè contemnet, euellet & comburet, modò possit. At peritus agricola dicet illi parcendum, magisq; curabit, vt foueatur: nam & folia nouit, & flores, & fructus inde sibi prouenturos opportuno tempore. Ita omnino Deus cum Iudæis agit, stirpē illam non extinguit, sed nōnullos ex ea sæpe ad se vocat, & bonam quoque inde copiam suorum electorum ad finem orbis expectat. Non quòd stirpi, aut generationi illi, si per se respiciatur, quicquam sanctitatis attribuendum sit: nam vt iam bis monuimus, per se ipsam est damnata, & maledictioni obnoxia. Quod Paulus agnouit cùm diceret: Sumus natura filij iræ, sicut cæteri: sed quum ista præclarè de Hebræorum genere prædicantur, illi adiungitur dignatio Dei, promissio, & fœdus, quæ tamen in actum non erumpunt, nisi quoad electos. Quarum tamen rerum quædam vestigia in alijs apparent: sunt enim studiosi legis, & verbi Dei, quanuis non recte intelligant: vtq; Paulus dicebat, Zelum Dei habent, sed non secundum scientiam, quæ licet illis peccata sint, lux attamen quædā est & species nobilitatis huius, de qua loquimur.

Non enim uolo uos ignorare fratres, mysterium hoc. Consilium Apostoli modò est probare, in gente Iudaica superesse adhuc semen electionis, quod multis modis facit. Primò suum exponit vaticinium, quod appellat mysterium, abhinc inducit Prophetarum testimonia, mox naturam declarat vocationis & donorum Dei, nimirum quòd absque pœnitentia sint, denique rerum ordinem hoc postulare docet, & plurimùm in hoc loco moratur, quòd ab eius perspicua notitia illorum temporū Ecclesiæ pax admodū penderet. Vt autem Ecclesiarū quies atq; tranquillitas expetēda sit, facilè possumus inde colligere, si contrariū spectemus. Miserrima certè res est atque infelicissima, in eodē corpore videre membra dissidentia, imò sibi ipsis aduersantia. Dumq; dicit, fratres, & mysterium ait se proponere, captat diligētem attentionem. Mysterium, inquit hoc loco Chrysostomus, incognitum est, ineffabile, multumq; habet admirationis, & euenit præter opinionem. Augustinus vertit mysteriū, hunc locum interpretando de sanctorum prædestinatione, per hanc vocem, Sacramentum. Significationem verò mysterij comperio in sacris literis multiplicem: quandoque est resarcana, & quæ præter spem & rationis nostræ iudiciū accidit, vt dictum est à Paulo priore ad Corinth. Ecce mysterium vobis dico, non omnes dormimus, sed omnes immutabimur. Et ad Co-

Proprij rami habent maiorē cōformitatē ad suā plantam, quàm alieni.

In proœmio precū iure ponitur omnipotens Deus.

Potētia Dei latius patet, quàm eius uoluntas.

Quomodo hic ualeat argumētum à posse ad esse.

Simile.

Deus Iudæos nō extinxit, sed ex illis quosdā subinde uocat.

Notæ quædam nobilitatis iudaici generis.

Quàm sit expetenda tranquillitas ecclesiarum.

Mysteriū quid, & quot significet.

ad Coloss. & Ephesios vocat mysterium vocationem Gentium. Nonnunquam significat mysterium, quod nobis partim notum quidem est, verùm non perfectè, sed eius notitia seruatur in patria, vt illic planè habeatur. & hoc est, quod Paulus aiebat, Sapientiam loquimur in mysterio. Sic se habent articuli fidei, quos quidem credimus, at non plenè intelligimus: nunc ex parte cognoscimus, tum cognoscemus, vt cogniti sumus. Postremò mysterium appellatur, quod nobis rem aliquã ad sensum proponit, & aliud menti seu spiritui nostro suggerit, vt Paulus ait de copula maris & fœminæ in matrimonio. significat enim nobis coniunctionem Christi cum Ecclesia. Neque alia ratione sacramenta nostra, Baptismus, inquã, & Eucharistia dicta sunt mysteria, in quibus panis, vinum, & aqua sensibus ostenditur, sed longè alia significantur. Sacramẽta verò quare dicantur, difficilius est colligere: attamen sciendum est, quòd apud Latinos sacramentum pro iuramento sumitur. vnde militaria sacramenta sæpius apud bonos scriptores leguntur: iurabant enim, qui ascisebantur in militiã, se fortiter facturos, quæcunque iussisset Imperator pro republica Romana: dum tenerentur obstricti hoc sacramento, discedere à militia non poterant, & nunquam licuit eis contra hostes pugnare, nisi sacramento militari tenerentur. Quoniam itaque his mysterijs, aut sacramentis, & manifestis symbolis castris Christi adiungimur, & Ecclesiæ, cui prius per spiritum & fidem insiti eramus occultè, ideo dicta fuerunt sacramenta. Quibus adde, vt narratur à Varrone libro de Lingua latina, quum litigandum erat, tam petens, quàm is, qui inficiabatur, certam summam pecuniæ, atque aliarum rerum deponebant apud sacerdotes in sacro: qui verò vicisset causam, à sacro auferebat, quod deposuerat, vnde dicebatur recipere suum sacramentũ, qui autẽ cadebat causa, mulctabat, & quæ deposuerat, in fiscũ publicũ inferebantur. Ex quo apparet, sacramentũ non solùm significare inuocationẽ diuini nominis, quæ in iuramento adhibetur, verùm etiam quandam obligationem. Et quia in his ceremonijs, quæ iam Ecclesia sacramenta vocat, obstringunt se homines ecclesiasticę societati: & Deo item se addicunt, Deusq; promissiones suas eis obsignat, ideo non sine ratione videntur appellari sacramenta. Et notandum est, mysteria dici eiusmodi ceremonias, quum in tertia, quam recensuimus significatione accipiũtur. At hîc mysteriũ ad primã pertinet: id enim Apostolus modò aperit, quod occultũ humanę rationi erat, & prẽter opinionẽ gentium euenturũ erat. Cùm enim viderent Iudæos ita Deo aduersari, nõ amplius eos recipiendos arbitrabantur.

Quomodo nostra sacramenta dicantur mysteria.

Sacramentũ militare.

Mos eorum, qui litẽ instituebãt.

Ne sitis elato animo. Græcè est φρόνιμοι. Quod referri videtur ad prudentiam & sapientiam, vnde latinus interpres dixit, Ne sitis sapientes apud vosmetipsos: quod & Origenes imitatus est dum inquit, sapientiã esse propriè Dei, qua non impellimur, vt cõtra proximos efferamur. Aliam verò memorat esse sapientiã carnis, quã modò Apostolus perstringat. Sed videtur mihi potius ea vox φρόνιμοι ad affectum transferenda, ne scilicet elato sint animo. soletq́ue iste affectus inde oriri, quòd homines existimant se dona, quæ habent, suis viribus acquisiuisse, atque inde instigantur, vt præ se alios contẽnant. Ex his verbis deprehendere facilè possumus Apostoli scopum, nempe, vt illos, quos monebat, Iudæis recõciliaret, & dissidium, quo laborabat Ecclesia, tolleretur.

Duplex sapientia.

Vnde animi elatio.

Cæcitas contigit ex parte in Israel. Origenes aliquantulum in his explanandis digressus est, & eius digressionem libet referre: Ab initio, inquit, altissimus diuidebat filijs hominũ terram iuxta numerum Angelorum, ita vt quælibet natio cederet gubernationi cuipiam Angelo: populũ verò Israelitarum sibi vt peculiarem retinuit & proprium, quem ipse per se ipsum gubernaret. Hæc videtur desumere ex libro Deuteronomij, cap. 32. iuxta versionẽ Septuaginta interpretum, ibi enim illi habent, κατὰ ἀριθμὸν ἀγγέλων θεοῦ. Sed ad hebraicam veritatem non sic habet, quia dicitur, למספר בני ישראל, id est, iuxta numerum filorum Israel. Angelos præesse diuersis regionib. ministros non negarim, sed inde id non habetur, imò potius ex Daniele colligitur. Deinde non ita cogitandum est, quasi absque ministerio Angelorum Israelitas Deus gubernarit: nouimus enim quoties illos miserit ad Patres & ad Prophetas: credimus attamen propter singularia dona, & eximium Dei fauorem, Israelitas fuisse illi peculiarem populum. Gentium item curam prorsus abiecisse, nequaquam credendũ est. Nam & singularem curam habuit Iobi, Niniuitarum, Naaman Syri, & omnium, qui in Chaldea & Perside per Danielem & socios crediderunt. Addit Origenes: Quoad res ita habuit vt Israelitæ adhærerent Deo, vt singularis eius hæreditas, Gentes ad illum non potuerunt accedere, nam erat possessio ab alijs occupata: sed accidit, vt Angeli, qui præerant Gentibus, atque illas quodammodo captiuas detinebant, inuiderent Israelitis adeò felicem conditionem, ideóque illas illecebris à Deo abstraxerunt, nimirum ad idololatriam, & cætera

Angeli præsunt diuersis regionibus.

Deus etiam Israelitas per Angelos gubernauit.

A sua prouidentia Gentes Deus nõ excluserit.

ſcelera. Deus hoc videns, id eſt paſſus fieri, neque reſtitit, verùm abſtractis à ſe Iudæis, Gentes vocauit, & de manu Angelorum eripuit, ſuúmque populum effecit. Vnde lex talionis Deo inſeruiuit, in quo enim mali Angeli eum capere quodammodo voluerunt, ipſi ſunt capti: & dum alienos homines voluerunt abſtrahere, illos amiſerunt, quos iam poſſederant. In his video iſtum virum ſentire Angelos à Deo propoſitos diuerſis regionibus eſſe malos, quod in ſcripturis minimè traditur. Dicit quidem Paulus, diabolum & malos ſpiritus eſſe rectores tenebrarum, & appellat κοσμοκράτωρας: nam miniſtri Dei ſunt in mundo ad peccata vlciſcenda, neque valerent iuſtos tentare, niſi Deus illis id concederet: quin in porcos minimè potuerunt ingredi, niſi Chriſtus facultatem eis permiſiſſet. Hæc, inquam, probè nouimus, at Angelos illos, qui dicuntur principes Græcorum aut Perſarum malos eſſe non crediderim, ſunt potius boni, quos Deus vult regna & prouincias tueri, ne diſſipentur iniuria, & vi Satanæ. Quod autem poſtea ſubdit, verum eſt, & per abſtractionem Iudæorum à Deo factum eſſe locum Gentibus, & Deum conſtituiſſe prouidentia ſua has viciſſitudines, vt credentibus Iudæis Gentes excluſæ manerent, Iudæis verò excæcatis, Gentes ingrederentur: non tamen ita, vt Iudæi perdurarent in ſua cæcitate, nam denique illuminatis Gentibus, animaduertent quàm bene ſit nobis, & ſibi quàm omnia infeliciter cadant, vnde æmulatione extimulati dicent, vt habetur apud Oſeam Prophetam: Reuertar ad virum priorem, quia tunc mihi melius erat, quàm modò. Et Deus fœderis atque pacti ſui nunquam obliuiſcetur, vt per Hieremiam, & alios prophetas non ſemel eſt conteſtatus. Et quia excæcati ſunt Iudæi, vt Gentes intrarent, illis ingreſſis, conſequens eſt, vt eorum cæcitas faceſſat: Vnde dicitur, quum ingreſſa fuerit plenitudo Gentium, totus Iſrael ſaluus fiet. Sed qui pertineant ad illum totum Iſraelem, qui ue ſint illa plenitudo Gentium, nemo nouit, niſi ſolus Deus, & filius Dei, & ſi qui ſint intimi eius amici, quibus reuelarit. Hæc vera eſſe non dubito, quum arcana prædeſtinationis, & æternæ Dei electionis à nobis vlla ratione cognoſci non poſsint: ſed tamen hoc nos poſſe ait hinc intelligere, nullos Iſraelitas, ſi tantùm quoad carnem Iſraelitæ fuerint, ſalutem habituros: & nullos item ex Gentibus eſſe ſeruandos, niſi pertinuerint ad iſtam plenitudinem, cuius in præſentia fit mentio: regulámque ſubijcit, quam in legendis Prophetis debemus obſeruare, vt quoties calamitoſa & triſtia contra Gentes dici audimus, ea torqueamus ad illos, qui extra plenitudinem fuerint: quum verò iucunda, læta & felicia, illa ſciamus ad plenitudinem ipſam pertinere. Atque ita de Iudæis, ubi dicunt, quæ proſpera ſunt, accipiantur de electione, & ſanctis reliquijs: quum verò de illis nobis offeruntur aduerſa, & aduerſa, oportet vt applicentur excæcatis, & reiectis. Interim verò non deſinamus admirari, quomodo Deus ſapientiſsimus exitium illud, quod homines concipiant ſibi ipſis vitioſo ſuo, conuertat in aliorum ſalutem. Attamẽ quò de ſeruandis Iſraelitis, & plenitudine poſsimus nonnihil cognoſcere, ait: Qui ſermone Dei ac prędicatione Euangelij purgantur, hi ſalutem conſequẽtur: qui verò his non purgantur, tradentur ignibus purgandi. Fatemur quidem nos, homines purgari verbo ac prędicatione, quia dicitur, fide purificans corda eorũ. Concedimus item illos, qui non purgantur, ignibus tradi, ſed non purgandos, quaſi pœnę damnatorũ, id eſt, infidelium, qui neq; verbum Dei, neq; prędicationẽ Euangelij receperũt, finem ſint habituræ. Quod tamen illũ credidiſſe, non eſt dubium, tum ex alijs eius libris, tum ex his, quę ſubijcit. Ait enim: Purgatio iſta per ignem quantis temporibus, quantísue ſeculis exigatur, ſolus filius noſſe poteſt, cui pater omne iudicium tradidit. Quid hoc aliud eſt, quàm ex inferni pœnis purgatoriũ, quod Papiſtę finxerunt, cõſtituere? Neque iuuat illum teſtimonium, quod adducit, nempe Deum velle omnes homines ſaluos fieri: quoniam, vt docuimus, alium ſenſum habet apoſtolica ſententia. His in Origene adnotatis, quæ Paulus dicit, nos aliquantò diligentius expendamus.

Scripturæ non teſtantur Angelos præfectos regionib. eſſe malos.

Regula Origenis in legendis prophetis.

Quanta ſapientia Deus abutatur exitio malorum.

Homines purgãtur uerbo Dei & prædicatione.

Impij cruciabũtur ignibus, non purgabuntur.

Origenes ex inferno fecit papiſticũ purgatoriũ

Cæcitas contigit ex parte in Iſrael. Superius dictum eſt, quis illam immiſerit, & definitũ eſt à Deo id factum, dum peccatum peccato punit, citra ſuam vllam culpam, hæret enim in ipſis excæcatis peccatum. Quúmque de Iſraele hîc Paulus loquitur, propriè vocem accipit, non per allegoriam, Ex *parte*, quia non erit perpetua cæcitas in ea gente, poteſt reſpicere ſeruatas reliquias, vel ad tempus eſt referendum. Chryſoſtomus dixit, ex parte, quia nõ omnes ſunt excæcati. Plenitudinẽ verò intellígas definitã & deſtinatã collectionẽ: quæ ideo plenitudo appellatur, quòd ſit futurus iuſtus numerus, & bene magnus credentium, ita vt publicè inter Gentes Eccleſia bene magna ſit habenda. Quemadmodũ & totus Iſrael accipiendus eſt magnus numerus Hebræorum, in quo publicè Chriſtus agnoſcatur. Non quòd aliqui quum

cùm ex Gentibus tum ex Iudæis non sint perdendi. Propositiones quippe vniuersales in sacris literis persæpe ita sunt accipiendæ, vt contrahantur ad vniuersitatem definitam: vt, videbit omnis caro salutare Dei. Et, Erunt omnes docti à Deo. Et. Deus vult omnes homines saluos fieri. quod intelligitur, vt Augustinus dixit, de omnibus, qui salui fiunt: illi enim ex Dei voluntate seruantur. Quam rationem interpretandi sequutus est & Gregorius Nazianzenus in quinto suæ theologiæ vbi res illi erat cum his, qui negabant spiritum sanctum esse Deum, illumq; fingebant creaturam, adducentes quod scribitur à Ioanne de verbo, Omnia per ipsum facta sunt, ergo & spiritus sanctus, inferebant, & factus & creatus est per filium. Respondet, Ioannis dictum esse intelligendum de omnibus, quæ facta sunt, ac si diceretur: quæcũq; facta sunt, ab illo facta sunt, vt Augustinus exponit, Omnes quicũque seruantur, Dei voluntate seruantur. Connexio ista cæcitatis Israel cum ingressu plenitudinis Gentium naturalem ordinem non habet, & solùm firma est ex dispositione ac ordine à Dei prouidentia constituto. Illud, *Ex parte*, Ambrosius quamaptissimè ad tempus refert. Scio quidem esse, qui totum Israelem intelligant conflatum populum Dei cùm ex Gentibus, tum ex Iudæis, de quo nunc loquatur Apostolus, qui populus colligitur quotidie vsque ad finem orbis, neque volunt maiorem copiam Iudæorum conuertendorum expectandam, At si hoc sequamur, quod nunc mysterium, quódue arcanũ Paulus reuelasset: omnes videbant nonnullos Hebræos subinde conuerti, & ad Christum accedere. Deinde manifestissimum est, Paulum voluisse quadam peculiari commendatione Iudæos ornare, quò à Gentibus non contemnerentur, verùm si hoc dixisset, quod isti volunt, nil noui attulisset, quando constabat omnibus pauculos quotidie Iudæos ad Christum conuerti. Adhæc Prophetarũ vaticinia, vti mox videbimus, non de singularibus quibusdam agunt, sed de ipsa loquũtur multitudine, seu populo Israelis. Deniq; Israel tunc videret allegoricè accipi, quod minus proposito Apostoli quadrat. Quin & Patres complures eò inclinãt, vt ingressa plenitudine Gentium, Iudæi sint quoque ad Christum reuersuri. Chrysostomus in homelia 12. de verbis Domini in Marcum, Tomo 2. cùm agit de ficu, verbo Domini arefacta, dicit: Si inuenisset Christus fructum in ficu, plenitudo Gentium non intrasset: sed quia subintrauit plenitudo Gentium, in nouissimo saluabitur omnis Israel. Et adiecit, hoc scriptum in Apocalypsi Ioannis, Ex tribu Iuda 12. millia signati: ex tribu Ruben 12. millia signati. Nec non Hilarius 11. de Trinitate, quando tractat filium traditurum regnum Deo & patri, sed interea illum oportere regnare donec ponat inimicos sub pedibus. Per inimicos intelligit Israelitas, qui licet iuxta electionem, & propter patres dilecti sint, inimici tamen sunt propter nos, & iuxta Euangeliũ, idem quoque testatur super Psal. 58. & 60. videasq; similiter patres reliquos idem scribere, dum ista loca interpretantur. Et Gẽnadius inter cæteros, vt referunt græca scholia, inquit, *Ex parte*, additum à Paulo, propter electionem: quoniam electi nequaquã sunt excæcati: deinde addit, Deũ postea omnes esse assumpturum. Sed illi, qui putant hoc nequaquã expectandũ, eò mouentur, quòd nunquã totus Israel saluus erit, quin aliqui pereant. At ea vox, Totũ, vt declarauimus, non ita est accipienda, quasi nullus Israelita secundum carnem sit excludendus. Augustinus in Quæstionib. super Genesin, quæst. 108. vtranque opinionem attigit. Verùm quid erit dicendum Christi verbis, quibus dicit, Putásne quum filius hominis venerit, fidem inueniet super terram? Certè si populariter ita conuertantur Iudæi, & cum vtilitate Gentium, vt superius est expositum, superierit multũ fidei, quã Christus ad nos redeundo inueniat. Sed respondere possumus, nihil hîc esse pugnæ, nam Antichristus omnia penè subuertit, vt si fieri possit, etiam electi seducãtur, qui cùm fuerit spiritu oris Christi interfectus, fortasse redibunt Iudæi, & suum agnoscent Messiam, atque Gentes vt nutantes atque seductas confirmabunt. Poterit etiam fieri, vt cùm Iudæi crediderint, & Gentes inuerint post aliquod tempus, vt ingenium est carnis, oriatur aliqua securitas & licentia, præsertim si Antichristus sequatur, vnde infinitus numerus cùm ex Iudæis, tum ex Gentibus à Christo alienetur: vnde verum erit, Christum, quum venerit, paucos admodum reperturum, qui candidè ac synceriter illum confiteãtur. Vtrum istorum dixeris, nil absurdi statues, & loca ista facilè conciliabis. vtrum autem eorum sit verius, non possum definire, neque ad salutem necessarium est, vt cognoscatur. Cogitemus etiam cùm Paulus dicit ingressuram plenitudinem Gentium, eo denotare, ante prædicationem Euangelij Gentes fuisse extra, quando illas postmodũ oportuit ingredi. Neque Christus aliter loquutus est, quando ait, cogendos intrare, qui fuerint in vicis & plateis. Ambrosius verò dum hæc explicat, ait, Iudæis tum extergendam esse caliginem ab oculis, vt possint credere. Quibus verbis ostendit, illos, dum manet excæcatio, minimè posse credere.

Propositiones vniuersales in sacris literis quomodo interdum sint accipiendæ.

Connexio cæcitatis Israel cum ingressu Gentiũ nõ est naturalis.

An iste locus probet sub finẽ orbis maximaco pia Iudæos ad Christum conuertendos.

Conciliatio apparentis pugnæ

Gẽtes priusquã uocentur, sunt extra.

De libero arbitrio quid Ambrosius.

Et addit, quò Deus prohibeat à cordibus eorum spiritum cõpunctionis, qui eis præstat cæcitatem, & reddat eis arbitrium liberum voluntatis. Hac sententia præclarè demonstrauit, quídnam sentiat de libero arbitrio, quò scilicet ad ea, quæ pertinent ad iustificationẽ & regenerationem. Quicquid alibi hac de re dixerit, hîc verissimè tradit alienos à Christo libertate destitutos esse, quæ tunc illis redditur, cùm illuminantur.

Sicut scriptum est: Aduenier ex Sion ille, qui liberat, & auertet impietates à Iacob. Et hoc illis à me Testamentum, cùm abstulero peccata ipsorum. Probatio ex dictis Prophetarum necessitatem habet in cõnexione tantùm ex hypothesi, non absolutam. Vis argumenti sita est in eo, quòd ex pacto promittitur Israeli liberatio. Fœdus autem aut pactum cum Gentibus nullum fuit ante Christum vnquam publicè initum. Promissio quidem erat de illorum vocatione. Dictum est enim Abrahamo: In semine tuo benedicentur omnes Gentes: at re ipsa cum Gentibus publicè nullum fœdus initum fuit. Neque potest hæc liberatio quoad particulares aliquos intelligi, quum promittatur Sion & Iacobo, quibus nominibus non singulares aliqui significantur, sed ipse populus. Testimonium desumitur quoad maiorem partem ex capite 59. Esaiæ, atque nonnihil ad finem, præsertim ex 31. Hieremiæ. Esaiæ verò esse testantur Origenes & Ambrosius. Et peculiariter Ambrosius dicere videtur, conuersionem quorundam Iudæorum singillatim, quæ fiebat quotidie, fuisse experimentum quoddam voluntatis Dei quoad restitutionem eius Gentis. Quæ tamen dicit Esaias cap. 59. haud per omnia, quoad verba, sic habent, vt Apostolus ea modò refert. Nam sequitur more suo Septuaginta, vbi non quoad sententiam, sed solùm verbotenus est discrimen. Hebraicè habetur: ובא לציון גואל ולשבי פשע ליעקב נאם יהוה. Subditur, Et hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus, spiritus meus super te, & verba mea, quę posui in ore tuo, non mutabuntur ab ore tuo, & ab ore seminis tui, & seminis seminis tui. Quod hebraicè dicitur, Sioni venturus redemptor: Septuaginta dixerunt, vt refert Hieronymus, de Sion. quod & Paulus est sequutus. Et satis constat, Christum ex Iudæis natum, qui nomine Sionis intelliguntur, & verbum Domini atque prædicatio Euangelij inde ortum habuit: quanuis græca æditio, qua nos vtimur, habeat ἕνεκα σιῶν, propterea liquet eam non esse Septuaginta, aut in multis locis vitiatam. Et adiecit Hieronymus iuxta hebraicam proprietatem גואל esse etiam propinquum, vt sit idem quod ἀγχιστεὺς, qui est propinquus, ad quem scilicet cognati defuncti hæreditas deuoluatur. Sensus ergo hebraicorum verborum erit, venturum Sioni liberatorem propinquum. Deinde quod scribitur à Septuaginta, & Paulo, Et auertet impietates à Iacob, hebraicè est ולשבי פשע, quod fortasse illi acceperunt, quasi scriptum esset ולשוב פשע sed hoc non facit pugnam quoad sententiam. Nam illi, qui liberantur per fidem à peccatis, habent semper annexam & coniunctam pœnitentiam, non vt conditionem, quæ sit causa remissionis: hoc enim esset legalis conditionis, & inutilis quum præstetur à nemine: sed euangelicam, vt quæ sequatur condonationem peccatorum, seu iustificationem saltem natura, Deóque placet: nam quicquid illi deest ex nostra infirmitate, meritis Christi resarcitur.

Fœdus cum gentibus ante prædicatũ Euangelium non fuit initum.

Versio græca, qua utimur, aut non est Septuaginta, aut est uitiata.

Fides, quæ iustificat, habet annexam pœnitentiam.

Et hoc illis à me Testamentum. Quod sequitur in Esaia de spiritu & verbo Dei, pulchrè nobis depingit pactum, seu fœdus Dei. Nam primùm verba promissionis extant, & semper inter fideles extabunt: quæ tamen inutilia essent, nisi adderetur spiritus, quo audientium corda permoueantur ad credendum.

Quum abstulero peccata ipsorum. Pars hæc in Esaia nõ habetur, ideo vel potest accipi vt cõpendiaria interpretatio eorum, quæ præmisit Propheta de fœdere, quoniam vbi spiritus est, & verba Dei efferuntur, cùm ea fide complectimur, statim condonatio peccatorum sequitur: quoniam effectum à Propheta non expressum, Paulus voluit aperte tradere. Alioquin elicitur ex Hieremia cap. 31. vbi cùm mentio facta esset noui fœderis, abrogato priori, subditur: Propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non recordabor amplius. Quæque dicuntur ab Esaia de Sion & Iacob, item à Hieremia de domo Iuda & Hierusalem, non possunt à Paulo accipi allegoricè, quasi his vocibus significetur fidelium turba ex quocunque populo fuerit. Quoniam, vti dictum est, peculiariter vult Iudæos commendare, atq; dissidiũ, quod in Ecclesia ortum erat inter Ethnicos & Iudæos cõponere. Quodq; per Messiam liberãdos à peccatis Iudæos prædicat, argumentũ est illũ fore Deũ, cùm eius solius sit peccata condonare. Possunt quidem homines remittere pœnas, quas qui peccarunt, fuisse luituri, & vltionem minimè sumere, verùm haud valent peccatum delere: manet enim reatu is, qui peccauit, obstrictus diuinæ iustitiæ. Solus Deus, qui læsus est à peccatore, po-

De Israelitis propriè accipiẽda sunt uerba Pauli.

Argumentum, quo Messias probatur Deus.

Solus Deus condonat peccata.

teſt reatum eiuſmodi abolere. Vnde Phariſæi quum vidiſſent Chriſtum tollentem morbos, & pœnas corporũ, quæ ſunt effecta peccati, & audirent illum ad hæc dicentẽ, remittũtur tibi peccata tua, exclamarũt illũ blaſphemare, quòd ſibi attribuiſſet, quod erat propriũ Dei. At dixerit fortè aliquis: Num ita Deus peccata cõdonat, vt homines ea non remittãt? quid igitur faciunt in Eccleſia claues? Hic idcirco erratur, quoniam de clauibus longè alia ſibi fingunt Papiſtæ, quàm verbum Dei habeat. Reliquit Chriſtus claues Eccleſiæ, quibus peccata condonentur, ſcilicet verbum & fidem. Verbo enim Dei proponitur hominibus Dei promiſsio, qua per fidem in Chriſtum peccata remittuntur, & qui non crediderit, condemnabitur, & peccata illis imputabuntur. Hæc vna eſt clauis, qua vtitur Eccleſia, dum in ea verbum Dei, cùm pulcrè, tum priuatim prędicatur. Altera clauis eſt fides: quoniam ſi qui audiunt, aſſenſum præbeant his, quæ illis proponuntur, habent remiſsionem peccatorum. Et has duas claues pulchrè nobis Euangeliſtæ demonſtrarunt. Apud Ioannem enim ſufflauit Chriſtus in Apoſtolos, & dixit: Accipite ſpiritum ſanctum, & quorum peccata remiſeritis, &c. Quid etiam effecerit hoc afflatu & ſpiritu, demonſtratur in Luca, vbi dicitur aperuiſſe illis ſenſum ſcripturarum. Demonſtratur & iſta clauis apud Matthæum, cùm dicit Apoſtolis, vt irent, & prædicarent, &c. Altera clauis eſt penes audientes, vt ſcilicet credant: Qui crediderit, ſaluus erit. Non ergo dant homines remiſsionem peccatorum, licet claues ſint in Eccleſia: nam claues inſtrumenta ſunt, quibus eam Deus offert. Sed quia Paulus dicit ex teſtimonio Eſaiæ, hoc eſſe Teſtamentum: idémque in Hieremia 31. legimus, nouum fœdus in eo ſitum, vt liberator veniat, & propitietur iniquitatibus, in dubium reuocaſſe ſolet, an Teſtamentũ nouum & vetus diuerſa ſint. Qua de re ſuperius nonnihil dixi, ſed nunc explicatius agere ſtatui. Et primo aſpectu omnino videntur diſtincta, ſic vt vnum prorſus ab altero ſit diuiſum: nam in Hieremia dicitur nouum futurum Teſtamentum, & non iuxta illud, quod pepigit cum patribus. Et epiſtola ad Hebræos addit, Cùm dicitur nouũ, id quod prius erat, antiquari: at quis non videat, vnum, ſi antiquet & irritet alterum, ab eo prorſus differre? Aliud eſt ad hoc argumentum, quòd in veteri aiunt non fuiſſe peccatorũ condonationem. Dicit enim epiſtola ad Hebræos capite 10. Sanguinem hircorum, taurorum, & vitulorũ non potuiſſe auferre peccata. In teſtamẽto autẽ nouo nemo dubitat remiſsionem eſſe peccatorum: quæ igitur ſic in tanta re diſcrepent, nullus videtur dicturus, non eſſe diuerſa. Verùm ex altera parte conſiderandum eſt, fidem in vtroque Teſtamẽto vnam eſſe, qua iuſtificatio conſtat: abhinc eundem eſſe mediatorem, Chriſtũ Ieſum, eandem prõmiſsionem remiſsionis peccatorum, & æternæ vitæ per illum, eadem præcepta ſaltem moralia, eandem ſignificationem ſacramentorum, eandem radicem & plantam, ex qua nõnulli Iudæi ſunt deciſi, & loco illorum nos inſiti. Quæ omnia ſatis demonſtrant, Teſtamentum vtrunque eſſe quoad eſſentiam, vt ita dicam, idem, quamuis nonnullæ concedantur differentiæ propter accidentia, quæ ſunt, Chriſtum fuiſſe ibi cognitum, vt venturum, apud nos verò, vt qui iam venerit. Necnon ſymbola eorum à noſtris diuerſa fuerũt ſpecie, ſed ſignificatione paria, vt dicit Auguſtinus. Adhæc reſpublica illis certa fuit, propter quam habuerunt ciuilia prędecepta ſibi tradita, quæ nos non habemus. Ac denique promiſsioni de remiſsione peccatorum per Meſsiam aliæ antiquitus promiſsiones erant additæ complures de poſteritate propaganda & conſeruanda, atque poſſeſsione terræ Chanaan, quas nos minimè habemus. Quibus addas noſtra ſacramenta magis facilia, eſſe pauciora, item apertiora, & latius patentia, quando non ſunt concluſa in angulo, vt illa fuerunt in Iudæa, ſed per totũ orbem fuſa. Vnde licet affirmare nouum & vetus Teſtamentum re vera vnum eſſe quoad ſubſtantiam, quibuſdam tantùm accidentibus, iam enumeratis, differre. At ſupereſt nunc, vt duobus allatis argumẽtis reſpondeamus. De remiſsione peccatorum inficiamur eam in veteri Teſtamento non fuiſſe, quoniam ſi conſideremus promiſsionem, quæ ibi quoque viguit, ea veteres iuſtificabantur. Dictum quippe eſt de Abrahamo: Credidit Deo, & imputatum eſt illi ad iuſtitiam, vt Apoſtolus declarauit. Et Dauid inquit, Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Sin verò ſpectes ſacramẽta ſeu ceremonias, non quidem remittebant peccata quoad opus, verùm neque noſtra ſacramenta id præſtãt. Quòd verò Paulus dicat ad Hebræos, ſanguinem hircorum, taurorum, & vitulorũ non potuiſſe auferre peccata, non negamus verum, at neque Paulus interim negat fidem veterum, qua Chriſtum ſpectabant, & amplectebantur, in ſignificatione illorum ſacrificiorum iuſtificaſſe, atque condonationem peccatorum obtinuiſſe. Non vtique ſanguis illarum victima rum peccata mundi abluit, ſed ſolùm ſanguis Chriſti, vt ille dixit: Hic calix nouũ Teſtamentum eſt in meo ſanguine, quod pro vobis, & pro multis effundetur in remiſsionem pecca-

De clauibus.

Claues eccleſiæ, uerbum et fides.

Licet claues in eccleſia ſint, nõ tamẽ homines dant remiſsionẽ peccatorum.

An teſtamentũ uetus & nouum diuerſa omnino ſint.

Eadem iuſtificationis ratio eſt utriuſq;.

Idem mediator. Promiſsio condonationis peccatorũ & æternæ uitæ utriuſq;. Eadem præcepta moralia, ea dẽ ſignificatio ſacramentorum Eadem radix et planta. Subſtantia utriuſq; teſtamenti eadem eſt, accidentia differũt. In ueteri teſtamento fuit iuſtificatio, id eſt, condonatio peccatorum.

Sanguis Chriſti, non uetustiorum abluit peccata.

rum. Quod autem dicamur baptizari in remissionem peccatorum, id est, quoniam eo sacramento in nobis obsignatur, significaturq; remissio peccatorũ, quam per sanguinem Christi iam obtinuimus: quod idem fit in Eucharistia. Semperq; fides antecedere debet sacramentorum perceptionem, si ritè illa sumamus, & ordo non inuertatur. vt enim sine fide manducatur & bibitur indignè: ita etiam citra fidem baptismus indignè suscipitur. Quod tamen accipi volo de adultis. quo enim ad paruulos, quomodo res habeat, aliàs diximus. Vnde si fides præeat iam manifestum est condonata esse peccata, quòd sacramenta, quæ sequuntur obsignant, & nos confirmant de voluntate Dei, atque dum nobis proponũtur, sæpenumero fidem excitant, non aliter atque verbum Dei, dum auditur. Vnde fieri non potest, quin fide recens exuscitata magis magisq; iustificatio apprehendatur, & nouæ instaurationis vires apprehendantur, ideoq; cùm Chrysostomus hîc dicit interpretando ea verba, cùm abstulero peccata eorum, nondum circunciduntur, nondum offerrunt, dumq; alia faciunt legalia, tolluntur peccata: sanè intelligendus est, non quòd antiqui hæc faciendo & exercendo suam fidẽ, cùm in his Christũ viderẽt significari, fructum, vt nos, nõ habuerint, sed quòd iam post Christũ passũ hęc inutilia sint, & antiquitus ex ipso opere, quod Iudæi somniabãt, minimè gratiã conferrent. Qua in re hodie quoq; Theologi sophistę decipiũtur quoad nostra sacramenta. Quo verò ad alterum, quod in epistola ad Hebræos dicatur vetus antiquari, & senescere nouo succedente, & quòd Hieremias habeat, velle Deum inire fœdus nouum, non iuxta fœdus, quod pepigit cum patribus, quando illos educebat è terra Aegypti: Respondemus, ibi accipi fœdus pro lege, vt contra Euangelium distinguitur, quod ex eo patet, quoniam dicit se scripturum leges in cordibus eorum, & daturum eas in interioribus illorum exculptas, quod minimè legi conuenit, quæ tantùm peccata demonstrat, damnat, & accusat, neque dat vires: quin potius quodammodo infinita præcipit, & sarcinam importabilem nobis imponit, ideo illic dicitur à Propheta, eos non permansisse in suo Testamento. Quare non ita ibi sumitur fœdus, aut testamentum, prout modò à nobis sumitur: vt enim hîc de eo tractamus, & legem & Euangelium vnà complectitur. Hóçque modo nulla est differentia inter vetus & nouum Testamentum, nisi, vt diximus. Quòd si velis Prophetam ibi quoque Testamentum intelligere, prout ipsi nunc de eo loquimur, adhuc concedemus aliquam factam abrogationem per Christi aduentũ, quando accidentia illa, conditiones, & qualitates, quas in veteri fuisse ostendimus, abrogatę sunt. Erit igitur figura Synecdoche, qua simpliciter aliquid antiquari, vel aboleri dicitur, quum solùm tollatur, quoad aliquam sui partem. Iudæi laborant in ista Prophetæ sententia, & vix habent quid dicant: nam dum volunt legem veterem tueri, & ita tueri, vt nil dicant inde mutandum, nósque insectentur, quòd circuncisionem mutauerimus in Baptismum, & diem Sabbati in Dominicum, aliáque permulta reiecerimus, quomodo ipsi affirmare possunt nouum fœdus ineundum, & non secundum illud initum quum educerentur ex Aegypto? vix habent quid comminiscantur. Attamen vt ne videantur cedere, solùm aiunt modum fore varium, idem putantes quoad rem pactum futurum, nisi quod firmius & stabilius inibitur sub Messia. Sed nos verius hoc factum ab initio Ecclesiæ testari possumus, quando tanta copia spiritus sancti fuit effusa in credentes, vt non solùm per vniuersum orbem propagauerint Euangelium, sed nullis persequutionibus, nullisque acerbissimis tormentis, & ne mortę quidem quanuis atroci discesserint à fœdere, quod iam per Christum cum Deo iniuerant. Et quotquot fideles verè sunt, vltro ac sponte veritati ac sanctitati adhærent. Cúmque mentio hîc fiat fœderis, sciendum id plerunque vocari à Latinis Testamentum, à Græcis διαθήκην, ab Hebræis ברית, quæ omnes voces ipsum commodè exprimunt. Nam Testamentum dicitur, quòd sit voluntatis extremæ testimonium eius, qui legat suas facultates, idque quum fiat certa ratione ac iusto ordine, Græci διαθήκην dixerunt, hoc est, dispositionem. Hæreditas quippe ordinatur, eam distribuendo inter hæredes. Apud Hebræos verò ברית, est fœdus aut pactum, quòd hîc maximè locum habuit: nam ibi constitutum est, vt Deus esset illorum Deus, & ipsi eius populus. Vis que fœderis, pacti, ac testamenti huius ea præsertim traditur, vt peccata remittantur, atque hoc per Christum. Et quando Propheta scribit, venturum ex Sion Iacobo redemptorem, minimè sic est intelligendum, quasi Christus rursus in mundũ sit venturus ad eos redimendos: nam satis est, vt in spiritu veniat in corda eorum, illisq; per fidem applicetur.

Secundum Euangelium quidem inimici, propter uos: secundum electionem autem dilecti, propter patres.

Diuersa potest videri Apostolus dicere: nam superius scripserat, Iudæos reiectos, excæcatos, & spiritu cõpunctionis agitatos, quo contra Deum exasperarentur. Modò verò illos vide-

Quomodo baptizemur in remissionẽ peccatorum.

Fides præcedat oportet sacramentorum perceptionem.

Locus Hieremiæ

Synecdoche admittenda, cùm uetus testamentum dicitur abrogatum.

Diuerticulum Iudæorum.

Quibus notabilis appelletur testamentum.

Testamentũ unde dicatur.

Christus non est rursus uenturus ad redimendum humanũ genus.

videtur facere sanctos genere, & spe redemptionis ipsis aduenturæ ad Deum pertinentes quomodo igitur de illis pronunciabimus? Amici siquidem ac inimici cùm Dei tum etiam nostrûm sint, nam si nos Deum amamus, par est vt eius hostes pro hostibus habeamus, & eius amicos pro amicis. Sub diuerso Apostolus respectu pronunciat de illis vtrumque: iuxta Euangelium cui non credunt, quod oppugnant, quodq; nollent inuulgari & prædicari, sunt inimici Dei: Propter vos item quorum salutem ægreferunt, quibusque adoptionem filiorum inuident, sunt inimici, quo ad Euangelium, dum ipsi excæcati sunt, prædicetur, & vos ad salutem inducamini. Hilarius 11. de Trinitate quomodo illos hostes Dei appellet superius fuit demonstratum. Cùm itaque inimici Dei sint, & nobis quidem oportet esse hostes, at non vt illos malè afficiamus, aut lædamus, imò vt eorum prauis conatibus occurramus. Nolunt credere? satagamus vt credant: nollent prædicari Euangelium? curemus vt sedulo prædicetur: obstant nostræ saluti? nos eam promoueamus. E diuerso autem si consideremus electionem, si patres, vnde sunt nati, colligemus Deo esse dilectos: nam patres elegit, & semen ex eis voluit sanctum extare, non quo ad omnes qui nascuntur ex illis, verùm quo ad tam multos, quot genus valeant sanctitatis nomine insignire. Declarauit autem se ista dilectio in eis præsertim qui vt reliquiæ seruantur, & ad finem seruandi sunt. Interea verò nos quoque id obseruemus, vt quos habemus hostes aut amicos, Euangelij & salutis causa habeamus, non ob nostra priuata commoda aut voluptates, & eo modo quem descripsimus. Cui etiam id est addendum, vt si hostilia & inimica patiamur ab eis propter Euangelium amplificandum, ea feramus animo æquo. Iudæi verò cùm sint iuxta electionem & fœdus initum cum patribus dilecti, non erit Deus fœderis immemor. Quod autem hîc dicit Chrysostomus hanc Pauli consolationem, qua vtitur ad Iudæos, tantùm verbis constare, minimè recipiendum est: nil enim Paulus dicit verbis, quod non sit firmum & solidum. Neque valet quod dicitur, Patres non proderunt eis nisi crediderint, quia & nos id confitemur, & affirmamus Iudæos qui seruantur fide seruari: sed præterea dicimus Deum sua misericordia & spontanea clementia moueri, vt fidem illis elargiatur, idque etiam facit, vt non desit suis promissionibus quas patribus fecit, & propter ipsos eorum progenitores quos habuit gratissimos, per multa eis dona confert: sic enim vult eos honore afficere. Quemadmodum habetur de Isaaco in libro Geneseos, quòd illi Deus voluerit benefacere propter Abrahamum patrem, qui vocem eius audiuerat. Et in Decalogo pollicetur idem noster Deus se benefacturum pijs in mille generationes. Neque Ambrosij interpretatio est multùm probanda, qui ait: cùm sint bonorum parentum filij, quando resipiscent à Deo recipientur: nam illi memoria excitabitur patrum eorum. Non est Deus obliuiosus neque opus habet vt ei sua memoria excitetur. Deinde illius institutum est vt in gratiam recipiantur quotquot pœnitet: & cum primis credunt, ibi non se patrum gratia immiscet: propter Christum in quem credunt recipiuntur, sed ad hoc vt credant, vtq; Deus illos ornet fide & motibus boni spiritus, valere potest & valet nonnihil amicitia & fœdus, quo cùm patribus eorum iunctus fuit.

Quid à nobis agendũ sit contra Iudæos qui nobis sunt hostes.

Ob priuata nostra cõmoda nullos debemus pro hostibus habere

Quatenus patrum gratia cõducat filijs.

Nam dona Dei & uocatio sunt absque pœnitentia. Ratione hac probat, electionem Dei adhuc in eo genere manere: Quoniam hæc est natura Dei, vt eum non pœniteat, constans est, & non mutatur, summa eius sapientia minimè admittit vt eum pœniteat, id est hominum imprudentium, qui malè à principio iudicarunt, & præter quorum opinionem multa sæpe accidunt. Quorum nihil in Deum cadit: ille enim omnia sapientissimè ab æterno constituit, & nihil euenire potest, quin ipse præuiderit, & eius quoquo modo futurus sit author. Vnde cùm promiserit sanctum fore semen patrum, stabit pactis, & inde multos eliciet suos electos. Dona quippe illius & vocatio sunt absque pœnitentia, licet ad tempus Iudæi videantur expulsi. Cæterùm dignum est consideratione, quomodo hoc sit verum, Deum non pœnitere, cùm dixerit, pœnitet me fecisse hominem: & Saulem constituisse regem illum pœnituerit. Atque Hieremiæ capite decimo octauo scribatur: me pœnitebit boni, quod promiserim genti aut regno, si ad iniquitatem declinarint. Et multa dona subtrahi permultis hominibus experientia quotidiana satis docet. Adhæc dicimus Deum nequaquam laborare affectibus, instar hominum licet scriptura de eo agat & loquatur per ἀνθρωποπάθειαν: verùm quasi affectibus incitatus describitur quod illa faciat quæ impulsi affectibus facere consueuerunt. Irasci dicitur, quoniam vlciscitur instar iratorum, quamuis minimè perturbetur. Pœnitere quoque dicitur, quia tametsi non dolet, ea tamen quæ prius fecerat mutat, Saulem constituerat re-

Cur homines pœniteat & non Deum.

Loca quæ sub indicant deum pœnitere.

Deus non laborat affectibus.

gem, quem postea deiecit, & hominem in terra constituerat, vt numero augeretur, quem diluuio sustulit: & idcirco dictus est pœnitentia duci. Verùm hîc dixeris de perturbatione Dei non ago: esto, sit tranquillus, sed cùm mutare possit quæ fecit, mutare quoque poterit vocationem & aufferre dona ab illis, quibus antea dederat. Hoc nos minimè inficiamur, sed sciendum est, Paulum hîc non loqui de quibusuis donis aut vocationibus, verùm de ijs solùm quæ iuxta suam æternam prædestinationem elargitur. illa constantissima sunt & immutabilia, prout in hac eadem epistola superius dicebatur: Quos præsciuit hos prædestinauit: Quos prædestinauit hos & vocauit: Quos vocauit, hos & iustificauit: Quos iustificauit, hos & glorificauit. immota est hæc gradatio, & catena adamantina. Sed quò res adhuc magis fiat perspicua, sic distinguamus: qui dona Dei seu vocationem accipiunt, vel sunt prædestinati, vel non sunt ex electorum numero: si non sint prædestinati, sæpius habẽt dona quædam à Deo, sed illa sunt leuia, non perfecte: illos immutant, vnde in tentatione seu persequutionibus deficiunt appellanturq; πρόσκαιροι, hoc est, temporarij, & dona facilè amittunt, non pœnitentia Dei, aut quòd ipse mutetur, sed mutatio est in illis qui sese à veritate subducant: Deusq; illis dona constituit dare, non in perpetuum, sed ad tempus. At qui prædestinati sunt quo ad vocationem ad salutem & donum fauoris diuini, sine pœnitentia & mutatione diuini consilij manent seruandi. Et licet ad tempus eis subtrahatur spiritus, consolatio, & aliqua gratia, vt Petro quando negauit, & Dauidi cùm lapsus est in adulterium: attamen reparantur, tque ita donum electionis, & eorum vocatio manet in perpetuum, & Deum eius non pœnitet. Cæterùm in præsentia loquitur Apostolus de Iudeorum natione in communi nõ quo ad singulares personas. Et consideratione dignum est, in minis quibus Prophetæ vtuntur contra Iudæos, fermè ad finem semper adijci consolationem de placatione Dei futura, ac illis restituendis, & ad pristinum statum reuocandis. In Deuter. cap. 30 dicitur: Si ad quatuor orbis cardines fueris dispersus, denuo te congregabo in terram tuam. Attamen licet hæc de gente & fœdere cum ea inito intelligantur nostram quoq; fiduciam necesse est vt iuuent, vt ne scilicet qui Christo credidimus, de nostra salute dubitemus. Verùm dixeris: quid si vocatio mea & dona essent temporaria, & vitio meo, non inconstantia Dei mutarẽtur? Respondere oportet nostram quidem carnem & vitiatam naturam ita esse factam, vt recedere possit, & facilè per seipsam esset defectura, sed fides quando vera est, diuersum suadet ex parte Dei, scilicet eum non hoc passurum, vt lapsu perpetuo ab ipso excidamus. Quî enim fit vt Deum verè patrem nostrum esse confiteamur, & credamus, atque interea loci de fide illius dubitemus? Ista minimè consentiunt. Licet igitur quo ad nos nil obstet, quin perdamur, & causas damnationis in nobis habeamus, attamen fides affert secum persuasionem oppositam, Deum esse patrem nostrum, & velle nostrum esse Deum ac seruatorem. Quod autem nunc apostolus dicit, fermè idem est quod superius dixerat: Quod si quidam illorum non crediderunt, nunquid incredulitas illorum fidem Dei fecit irritam? Absit. esto Deus verax, omnis autem homo mendax. Ambrosius hæc prorsus videtur interpretari extra oleas, vt etiam superius diximus: vult enim sententiam illam, sine pœnitentia sunt dona Dei & vocatio, referri ad baptismum, quod scilicet illi qui tinguntur, gratis habeant condonationem peccatorum, neque ad vllam pœnitentiam adigantur. Atque id ita conatur huic loco applicare, quod potuerit mirum videri, Iudæos adeo incredulos, obstinatos, facinorosos & impios à Deo in gratiam quandoq; recipiendos: ait id non esse mirum, siquidem illa receptio per baptismum fit absque pœnitentia. Sed apertissimum est Paulum id in præsentia non egisse, sed tantùm voluisse demonstrare propter electionem, & fœdus cum patribus initum, illos esse dilectos. Ad quam rationem confirmandam adducit Deum non pœnitere, neque mutare consilium. Deinde verba Græca non patiuntur hanc interpretationem: dicitur enim vocationem & χαρίσματα esse ἀμεταμέλητα. illa sunt quę carẽt pœnitentia. At si vera esset expositio Ambrosij, nõ dona, sed peccata prius admissa essent ἀμεταμέλητα: quòd scilicet non pœniteret eorum illos, qui tinguntur. Adhæc falsum est in baptismo quo ad adultos non requiri pœnitentiam: siquidem Petrus dicit in Actis: Pœnitemini igitur, & baptizetur quisque vestrûm. Neque valet si dixeris, pœnitentia hæc accipitur pro gemitu, luctu, & huiusmodi operibus quæ appellant satisfactiones. Nam licet concedamus indictas non fuisse baptizandis huiusmodi satisfactiones ecclesiasticas: attamen si fides vera sit & efficax, quomodo potest non habere coniunctam pœnitentiam vehementem, & luctum ac lachrymas copiosissimas? Legatur diui Augustini conuersio, & facilè cognoscetur, quot gemitibus & luctibus anteactam vitam deplorauerit priusquam baptizaretur. Itaque retineamus priorem expositionem, tanquam sim-

Quæ data sunt ex prædestinatione non immutantur.

A non prædestinatis auferũtur concessa dona.

Prædestinatorũ vocatio & salus non mutatur.

Minæ prophetarum sæpe desinunt in consolationes.

Vnde confirmemur de certitudine salutis.

Etiam in baptismo adultorũ pœnitẽtia exigitur

Efficaci fidei cõiungitur pœnitentia.

simplicem & veriorem. Atque idem obseruemus erga proximos, vt erga illos constantem & sine pœnitentia charitatem obseruemus. Iam itaque habemus confirmatam propositionem Pauli tribus rationibus: nempe suo vaticinio, oraculis Prophetarum, & conditione diuini propositi atque consilij, quæ est, vt non mutentur, neque pœnitentia inuertantur. Modò superest quarta persuasio, qua ostendit eandem esse rationem nostrûm & illorum, consimilemq; in illis expectandum euentum atque in nobis, & dicit:

Epilogus trium argumentorum.

Additur 4. ratio

Quemadmodum enim quondam & uos increduli fuistis Deo, nunc autem misericordiam estis consequuti per illorum incredulitatem, sic & isti nunc increduli facti sunt, uestra misericordia, ut & ipsi misericordiam consequantur.

Vt vos ex incredulitate ad fidem adducti estis, ita illi, qui modò laborant eadem incredulitate, reducentur ad salutem. vtque vos non estis deserti à Deo cùm essetis increduli, ita illi non deserentur in sua excæcatione, præsertim cùm sint propter patres electi, quod vos non habuistis. Opera Dei sunt ita comparata, vt facilè sese iuuent, nullo modo vnum alteri est impedimento. Ideóque Iudæorum excæcatio licet sit eis peccatum, attamen quà Dei est opus, habuit bonum exitum, nempe Gentium conuersionem, & conuersio Gentium adiuuabit salutem, quæ danda est Iudæis: nam illos vti dictum est ad æmulationem prouocabit. Dum verò hoc non fit, expendamus apud nosmetipsos admirandum opus Dei: adhuc in tam aduersis casibus, adeóque varia & graui captiuitate seu dispersione perstant & seruantur: sua quantum possunt retinent: in diuinis libris exercent sese, licet praue omnia intelligant. Profectò nulli antiqui Troiani, Longobardi, Hunni, aut Vandali, sic sua retinuerunt, vt à cunctis populis ciuili victu & religione seiungerentur, & suam originem atque historiam certis consignatam literis ostenderent, atque sic vbique dispersi à suis institutis non discederent. Quod cùm in Iudæis accidat, est porrò Dei opus singulare, atque nobis non vulgariter commodat: sunt enim testes nostrorum librorum, eósque, vt suos & authenticos circumferunt, quod & Augustinus annotauit. Nisi enim adhuc is populus extaret, conficta esse à nobis ethnici Philosophi possent suspicari quæ de orbe condito, de Adamo, de Noha, de Abrahamo Patriarchis, Regibus & Prophetis credimus, & prophetamus. Seruantur itaque perpetuò hoc tempore à Deo indubitatò ad aliquam futuram salutem. Admiscet autem Paulus vtrinque peccatum incredulitatis, quò & Gentes non sese efferant, cùm audiant se tales olim fuisse, vtque Iudæi non detrectent redire ad Christum, de venia desperando, quando vident Gentes eodem antea vitio implicatas conseruari. Annotauit Erasmus, cùm dicitur: sic isti nunc increduli facti sunt, τῷ ὑμετέρῳ ἐλέει vestra misericordia, non tantùm sensum esse, posse Iudæos excæcatos, vt Gentes misericordiam consequantur, sed etiam quòd eo nomine quòd nos vocati simus, & à Deo recepti in gratiam, illi magis exasperati sint, & à Deo, & à fide in eum magis resiluerint; quod & superius Chrysostomus annotauerat, dum illum interpretaretur locum, inimici propter vos, quasi diceretur, ob vestram fidem & salutem illi facti sunt magis contentiosi & rebelles. Neque dissimulandum est quod nostram salutem, atque item salutem Iudæorum futuram, appellat Paulus nomine misericordiæ, quò intelligamus nihil dari meritis aut operibus. Vicissitudinésque istæ rerum sic accipiendæ sunt, vt tamen in infinitum minimè procedatur. Non enim cùm Iudæi conuertentur, Gentes rursus excæcandæ sunt, aut abijciendæ: ibi standum erit. Non expectabitur post id aliud, nisi finis & consumatio seculi. Quæque Paulus modò scribit partim sunt monitiones, quibus Gentes deijciuntur à suo fastu, quibusque Iudæi leniuntur Apostolica consolatione, partimque sunt prædictiones & vaticinia futurorum. Ac notandum est eo differre vaticinia Prophetarum, & sanctæ scripturæ à prædictionibus curiosæ Mathematicæ & diuinorum, quòd in eis tantùm vanitas spectatur, hîc verò finis est ædificatio. vt scilicet homines vel conuertantur & desistant ab aliquo vitio, vel in via Dei proficiant & confirmentur.

Opera Dei sese mutuo iuuant.

Opus dei est singulare quod Iudæi usq; ad hanc ætatẽ perdurẽt

Iudæi sunt nostri testes.

Nomine misericordiæ uocatur nostra salus.

Discrimen prædictionũ sanctorum, Prophetarum & maleficorum hominũ.

Conclusit Deus omnes sub incredulitate, ut omnium misereatur. Loquitur hîc de duobus populis, nimirum Gentiũ & Hebræorum, quorũ vterq; in incredulitate fuit conclusus, quò magis Dei gloria patefieret. In Osea dicitur vocabo non populum meum, populum meum, non dilectum, dilectum. Terminus vnde vocamur omnes, est incredulitas, in qua nullus est populus Dei. Ecce Apostolus quàm apertissimè Deũ facit punientẽ homines ipsa incredulitate, qua cùm ille percusserit homines, præter ipsum eundem nemo potest illis mentem aperire. Atque licet humanæ rationi admodum videatur durum & absurdum tantam multitudinẽ perijsse, in incredulitate, Deo id patiente ac volente, cõtra illum nil oportet loqui, imò potius

Qui uocãtur ex incredulitate adducuntur.

Paulus aptè inquit deum pcutere incredulitate.

exclamare cum Paulo, O profunditatem diuitiarum. Et dum audimus Iudæos quantumuis incredulos conuertendos, addiſcamus de nullis quamuis alienis à fide animum deſponere, niſi peculiari reuelatione peccaſſe illos ad mortem nouerimus: quin potius eorum ſalus perpetuò quærenda eſt. nam ſub illa incredulitate qua laborant concluſi, à Deo ſæpe ratiónibus occultis parantur, vt ad pietatem vocentur. Neque vllum eſt adeo graue ſcelus, quod putare debeamus poſſe impedimento eſſe diuinæ potentiæ, quin ad ſe trahat quos voluerit. Et quia vocati ſumus omnes ex eodem ſtatu, nimirum ex incredulitate, nullus debet ſupra alterum efferri. Non tamen hinc eliciendum eſt, quod nonnulli ſtultè conantur, omnes homines eſſe ſeruandos: quia dicitur, vt omnium miſereatur: id non ſequitur, cùm de generibus hominum, & non de ſingulis agatur, quemadmodum Auguſtinus illud interpretatur, Deus vult omnes homines ſaluos fieri. Quod noſtra verſio habet, concluſit Deus omnia in infidelitate, non ſic legitur Græcè, quoniam ibi eſt πάντας. Verùm quidem eſt quod ad Galatas cap. 3. dicitur, concluſit ſcriptura omnia ſub peccato: ſed quicquid ſit non multùm id refert: hoc tantùm obſeruemus, omnes fuiſſe conſtrictos eadem catena erroris & cæcitatis, ſub qua Deus vult homines detineri ſaltem ad tempus, vt moderatius agant & ſentiant de ſeipſis: & quò vt ſuperius dictum fuit obſtruatur omne os, & ſubditus fiat vniuerſus mundus Deo. Chryſoſtomus verbum illud, concluſit, exiſtimat interpretandum, arguit, demonſtrauit, conuicit incredulos eſſe. Ad quam expoſitionem fortaſſe adducitur, ex loco altero ad Galatas cap. 3. vbi dicitur, συνέκλεισεν ἡ γραφὴ τὰ πάντα ὑπὸ ἁμαρτίαν: vbi per ſcripturã proculdubio intelligit legem. Nam paulò ante meminerat legis dicens: ſi enim data eſſet lex quæ poſſet viuificare, iuſtitia eſſet ex lege. Conſiderauit ergo Chryſoſtomus eſſe munus legis indicare & coarguere peccatum, & ita ſcripturam concluſiſſe ſub peccato omnia, vnde hîc quoque nil aliud intelligit, quàm arguere, conuincere ac indicare. Sed eſt annotandum legem etiam per occaſionem incitare, & magis extimulare ad peccandum, quoniã per prohibitionem inflammantur vehementius cupiditates. Sic & Deus præter id quod coarguit, etiam puniendo incitat & inclinat, vt ſuperius docuimus. Verùm & Origenes fermè idem quod Chryſoſtomus ait: Non conclusit infidelitatem inijciendo, ſed per illam patefaciendo alijs aditum ſalutis. dicitur q; Deus concluſiſſe, quoniam malum propoſitum infidelitatis non reſecuit. Pullulauit ex libero arbitrio incredulitas, & Deus illam non impediuit, ſciens ad quid ea denique vti vellet. Alij dicunt Deum ſolummodo illam permittere, verùm aliâs oſtendimus permiſſionem Dei ad voluntatem ipſius tandem reſoluí. Commentaria Hieronymo adſcripta habent: Concluſit quidem in incredulitate Deus, at non vi, ſed ratione. Puto his verbis eum idem velle quod Chryſoſtomus & Origenes, ratiõe ſcilicet Deum monſtraſſe hominibus eorum incredulitatem, vt eam negare non poſſent, priuſquam ad ſalutem vocaret. Quanquam neque nos in his, vt ſæpius eſt oſtenſum, vllam coactionem aut violentiam ponimus. Sed mihi videtur Apoſtolus eodem modo fermè hîc locutus atq; ad Galatas in eodem 3. cap. quod paulò antè adduximus. Cæterùm antequam veniſſet fides ſub lege cuſtodiebamur, συγκεκλεισμένοι, concluſi in eam fidem quæ erat reuelanda. Quo ad omnium miſereatur, putat Chryſoſtomus hoc intelligendum per contentionem, quòd ſcilicet iſtos per illos voluerit ſeruari. Aſt Ambroſius videtur conſideraſſe quod habetur ad Galatas, ſcripturam omnia concluſiſſe ſub peccato, vt promiſsio ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus. Vnde inquit: cum omnes vitijs, ſceleribus & incredulitate detinerentur vidēs Deus non poſſe homines lege ſeruari, fidem propoſuit, qua ſola miſericordiam aſſequerentur. Et addit, miſerum eſt ſuperbum eſſe eum, cui ignotum eſt, ideoq; ſi Gentibus eſt miſericordia Dei condonata incredulitas, ne ſuperbè agant contra Iudæos, illos contemnendo.

Non ſeruabuntur omnes homines.

Lex per occaſionem incitat ad peccandum.

Cur ita exclamet Apoſtolus.

Prauus appetitus diuinæ ſimilitudinis.

O profunditatem diuitiarum & ſapientiæ & ſcientiæ Dei. In hanc exclamationem erumpit Apoſtolus ad finem tam prolixæ diſputationis, quòd ſciat non poſſe fieri, quin omnes obſtupeſcant, cùm audiunt omnia tribui diuinæ miſericordiæ, cùm omnes alioquin ſub incredulitate fuerint concluſi. Nil profuiſſe Iudæis legem, ceremonias, Rempub. & diuinitus collata miracula: nil Gentibus philoſophiam, præclara inſtituta, pulcherrimas res geſtas. Et cùm ſimus omnes eiuſdem maſſæ, tantùm diuinam electionem atque prædeſtinationem conſtituere prima inter homines diſcrimina: Non poſſe hominem aliquid ex ſe habere quo poſſit elicere diuinam miſericordiam, & iuſtitiam promereri: hiſq; cùm mirum immodum obluctetur & offendatur humana ratio, vellet enim per ſeipſam habere ſalutem, atque iſtam affectat

fectat Dei similitudinem, vt sicut ille felicitatem ex se ipso habet, neque pendet aliunde, ita & illa sibi causa esset beatitudinis. Hoc est illud virus, quod serpens in prima tentatione affla uit protoplastis. Cùm res itaque hoc modo se habeat, neque ratio reddi possit iudiciorum Dei, subducit Apostolus in hanc abyssum fideles. Et licet multa dixerit argumentáque texuerit inexpugnabilia, quibus rem ostenderet ita se habere, attamen videns non satisfieri posse, & rem humano iudicio non posse probari, quasi victus rerum sublimitate exclamat, O profunditatem. Ardet totus mirabili affectu, & ne motus exclamationis videatur humanus, quæ subijcit è diuinis literis adducit, Nam id, Quis nouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit? Sic habet in Esaia, quadragesimo capite, id est, מי תכן את רוח יהוה. Quis præparauit, aut instruxit spiritum Dei? ואיש עצתו יודיענו. Et quis consilium suum monstrauit ei? Et quod additur, Quis prior dedit & retribueretur ei? Legitur in Iobo quadragesimoprimo capite, מי הקדימני ואשלם. Quis præueniet aut anteuertet me, & retribuam? Vult itaque Apostolus his verbis id probare, Deum sua libera voluntate ac electione salutem hominibus distribuere. Qua sententia miruminmodum frangitur & deprimitur humana superbia. Rationibus autem his vtitur: Summus est Deus in omnibus rebus: igitur nullis externis mouetur. Summus quo ad sapientiam, cùm sit instruendus à nemine: summus quo ad vires, & potentiam, quia nemo prior ei quicquam tribuit, sed ille omnibus alijs ea largitur quæ habent. Certè cuilibet quantumuis prompto ingenio & magno iudicio inter homines, hęc deberent frenum esse, ne de Deo arroganter loqueretur, aut curiosius quàm oporteret, inquireret. Cogitet quisq; apud se quis iste sit, qui hoc modo exclamat, & animaduertet eum esse Paulum magistrum orbis terrarum, qui vsque ad cœlum tertium raptus fuit, & ibi vidit arcana quæ non licet homini loqui. Et cùm ille sic miretur & obstupescat, ad iudicia Dei, quomodo non, ipsi quoque longè inferiores ea non adorabimus? O profunditatem, inquit, diuitiarum & sapientiæ & scientiæ. Ista possumus ita accipere, quasi per tres genitiuos casus, tres Dei proprietates demonstrentur, Diuitię scilicet, sapientia & scientia, & ita demonstrentur, vt profundissimę ac impenetrabiles. Atque per diuitias fortassis intelligenda esset bonitas & clementia. Vel seorsim dicetur, ô profunditatem diuitiarũ, & duo genitiui casus qui sequuntur, scilicet sapientię & scientię, ab illo primo, scilicet diuitiarũ, pendent & reguntur: quasi dicatur, sapiẽtiam & scientiã Dei esse copiosissimã, & vtro modo intelligaẽ nõ refert. Scimus aũt ex pluribus locis cõiungi simul & sapiẽtiã & scientiã in Deo, nec solùm in Deo, verũ & in Christo, iuxta illud in epist. ad Colosſ. In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei. vbi etiã vox thesauri diuitijs respondet. Tanta est Dei sapientia & cognitio, vt nil subterfugiat eius cõspectũ. Vnde ad Hebręos dicitur: Omnia nuda sunt & aperta oculis eius. Neque solùm omnia nouit, sed modo etiam mirabili.

Cum deus sit summus externis rebus nõ mouetur.

Si Paulus doctor gentium ita miratur quid nos faciemus.

Tres dei proprietates.

Duplex constructio.

In deo & in Christo simul coniungitur sapientia & scientia.

Deus omnia nouit & modo mirabili.

Quàm inscrutabilia iudicia eius, & imperuestigabiles uiæ eius? More hebraico repetio est & cõgeminatio, idemq; significatur, & pro eodẽ accipiunt vię atq; iudicia: nisi velimus intelligere per iudicia fines, per vias aũt media & modos, quib. ad fines destinatos res perducit. Viæ Domini & iudicia vtcunq; agnoscunt ex creaturis, & eo modo nil obstat, quin à nobis perueſtigentur. Sed quãuis inquiramus exitus aut successus rerũ, itemq; rationes quib. Deus in rebus agit, inuenire nunquã poterimus. Iudicia Dei, vt alibi dicitur, abyssus multa. Cogitemus proinde facere semper Deũ id, qd optimum factu est. Et de iudicijs eius atq; vijs nil plus inquiramus, q̃ in sacris literis habeat, alioquin in labyrintos incidemus inextricabiles. Et sciẽdũ est hęc iudicia inscrutabilia maximè hoc loco spectare diuinã electionẽ atq; prędestinationem. Et quando inquit ἀνεξιχνίαστα, non tantùm dicit imperceptibilia, sed quæ etiã haud sint scrutanda. Neque tamen his verbis nos deterret à scrutatione scripturarum, cùm hîc non instituatur sermo de voluntate Dei in sacris literis reuelata, sed de arcanis consiliorum, quorum profunditatem altissimam Paulus est admiratus, non tamen quanta esset, expressit. Quod ne videatur absque confirmatione dictum, subdit:

De iudicijs dei tantum inquirendũ quãtum diuinæ literæ testantur & creaturæ demonstrant.

Ista profunditas ad electionem et prædestinationẽ pertinet.

His uerbis non deterremur à scrutatione scripturarum.

Vnde aliqua dei secreta queamus intelligere.

Quis enim fuit ei à consilijs? aut quis prior dedit, & retribuetur ei? Quæ testimonia vti iam dixi ex Esaia Propheta quadragesimo, & Iobo quadragesimo primo, desumpta sunt. Estque sensus nos minimè posse ad secreta Dei penetrare, cùm à nobis nullo modo pendeant: nil enim sapientia nostra, vel nostra bona Deo valent commodare. Hac de re priore ad Corinthios scribitur: Quæ sunt Dei nemo nouit, nisi spiritus Dei. Quòd si nos aliquid eorum intelligimus, id est, vt ibidem dicitur, quia Deus reuelauit nobis spiritum suum. Et mentem Christi habemus, quam præsertim ex sacris literis, vt decet, spiritualiter intellectis haurimus. Locum hunc tractat Augustinus de gratia & libero arbitrio ad finem, & inquit: Paulũ antea dixisse Deũ omnes conclusisse in infidelitate, vt omniũ misereat. Ostenderatq;

etiam dum Iudæi crederent, Gentes fuisse incredulas: Cùm verò Iudæi fuissent obcæcati, Gentes ad veritatis fidem accessisse: à quorum arcanorum ratione perscrutanda, iure arcendi fuerunt homines, cùm ad ea penetrare non valeant, imò sæpe læduntur, & in rationes absurdas incidunt. Quando enim audiũt homines omnes conclusos sub infidelitate à Deo vt omnium misereretur, statim subdunt: igitur facienda sunt mala, vt eueniãt bona, cùm potius debuissent dicere: fecimus mala, & Dominus inde sua misericordia eduxit bona, faciamus igitur bona, vt meliora sequantur. Nemo fuit Deo à consilijs, quòd ipse sit summa sapientia. His tamen dictis nil detrahitur de fidei certitudine, cùm illa non contingat nobis humanis viribus, aut nostra intelligentia, sed spiritus diuini afflatu. Et quicunque ritè hęc & diligẽter expenderint, nequaquam de Deo valent vllo modo conqueri, velut ab eo iniustè tractẽtur, cùm ille, vt apparet, nemini debeat. Neque potest consistere, vt prędestinatio sit ex pręuisis operibus, quando affirmatur, neminem prius dedisse illi vt retribuatur. Quid est enim prædestinare Deum ex præuisis operibus, quàm illis rependere suam destinationem ad vitam ęternam? Merita quoque apertissimè hinc excluduntur, quę propriè constitui non possunt, nisi nos è nostro quippiam dare statuamus, quod minimè patitur ista sententia, quam tractamus. Nullus itaque clamitet, se multa fecisse, atque ideo sibi multa & magna deberi, cùm nemo quicquam habeat suum. Et quamuis scriptum sit, Deum redditurum cuique iuxta opera sua, intelligendum tamen ea si bona sint, non alio nomine dici alicuius, nisi quod in eo fiant, nempe vi diuini spiritus, vnde verè Dei sunt. Et Augustinus verissimè dixit, Deũ in nobis coronare dona sua. Quod enim ad nos attinet, nil meremur nisi mortem. Colligemus denique hinc, postquam nemo sua sapientia vel viribus potest ad diuina pertingere, id nobis omnibus esse consultissimum, vt spiritu & verbo Dei nos duci sinamus.

Ratio non debet suadere ut faciamus mala, quò bona eueniant.

Propter ista nil detrahitur de fidei certitudine.

Prædestinatio non est ex præuisis operibus.

Merita excluduntur.

Quoniam ex illo, per illum, & in illum omnia ipsi gloria in secula. Amen. Nos minimè posse à consilijs Deo esse, inde patet, quód ab ipso pendent omnia, vt in rerum omnium creatione manifestum apparet, item in regeneratione, qua iustificamur, vbi totum illi tribuitur, ac deniq; non aliter sumus in manu eius atque vas in manu figuli. Vnde conficitur ius illi esse plenum, vt de nobis agat quicquid voluerit: nostrum verò est non inquirere multùm, sed gloriã dare illi, & omnia nostra in eum dirigere: à qua re cùm idololatrę tum illi qui suis operibus tribuunt iustificationem, quàm longissimè distant. Origenes annotauit, id quod superius dixit, neminem esse posse Deo à consilijs, intelligi de rebus conditis, non autem de filio, aut spiritu sancto. Et ad probandum spiritum sanctum nosse patrem, adducit illud: Nemo nouit quæ Dei sunt, nisi spiritus Dei. Proinde beatam trinitatem monet ex illa propositione eximendã, quod ego idcirco memoro, quoniã illi tribuitur opinio, quæ statuit filiũ non nosse, patrem & spiritum sanctum non nosse filium. Quare non immeritò suspecta est hæc epistolæ ad Romanos Origenica commentatio. Apostolus verò dicens Ex illo. Non intelligit ex natura Dei, quasi materia quadam constare quæ sunt condita, sed ex Deo sunt vt ex efficienti principio, neque materia opus fuit cùm crearentur, siquidem ex nihilo sunt facta. Per illum verò ideo sunt omnia, quoniam Deus non opus habuit adiutore: ipse enim summa prædítus est αὐτάρκεια, sufficit sibi ipsi. Et per filium omnia creauit, non tanquam instrumento, sed vt artifex per sapientiam exercet artem. Nam instrumenta vim non habent vnquam artifici æquandam: Filius autem per omnia patri est æqualis. In ipsum verò sunt à Deo creata omnia, quoniam nihil habet se ipso perfectius, atque ideo propter se ipsum omnia condidit: est enim finis omnium. Augustinus de Natura boni contra Manichæos capite vigesimo septimo, & vigesimooctauo, fusè tractat quomodo hæc intelligenda sint, neque ab expositione allata variat. Mitto iam illos, qui hæc ad patrem, filium, & spiritum sanctum referunt, quoniam vt non multi est momenti, ita videtur coactius. Amen, vox est confirmantis. Mos enim Apostoli est, quoties absoluit sermonem de his quæ pertinent ad gloriam Dei, erumpere in hanc affirmationem: quod & nos debemus imitari, vt Dei gloriam quoties occurrit comprobemus, optemus & nostro beneplacito atque suffragio affirmemus, & ratam habeamus,

Nostra opera bona sunt Dei.

Cum dicitur neminem esse deo à consilijs; non excluditur filius et spiritus sanctus

Expositio Origenis huius epistolæ suspecta.

Quæ sunt creata non constant ex natura dei.

Quomodo creauerit deus omnia per filium.

Instrumenta non æquantur efficienti.

Quare deus propter se ipsum omnia condiderit

DE

DE IVSTIFICATIONE.

VT verò iam habitæ disputationi manus extrema imponatur, erit operępretium, de Iustificatione, quæ scopus est & finis omnium quæ attulit Paulus tractare. Quæstio verò his verbis proponetur: Iustificentur ne homines operibus, an fide. Sed ante omnia videndum est, vt voces propositæ quęstionis excutiantur, & à iustificatione auspicabimur. צדק Verbum est apud Hebręos, quod est, iustus fuit, in prima cõiugatione: at si ad tertiã fuerit translatum, iustitiam significat in alterum transmitti. hæc enim vis est formæ illorum verborum quam התפעיל appellant. Quemadmodum עמד significat stare, ita העמיד significat constituere, hoc est, vt aliquid consistat efficere. Quare pro הצדיק erit Hebraicè, iustificare, hoc est, aliquem iustum facere: quod cùm à Deo fiat, id bifariam ab eo agi, scire oportet. Interdum enim re ipsa in hominibus parit iustitiam: Primùm cùm suo spiritu illos refingit, totosque renouat, instaurando vires animi eorum, & à bona parte natiuæ labis humanas facultates asserendo: atque hæc prima est iustitia, quę animis nostris Dei beneficio per Christum ineſt & adhæret. Deinde cùm iam ipsos sic restituit ac refinxit, opera largitur recta & sancta, quorum vsu atque frequentia paritur in animo nostro qualitas, vel, vt dicunt, habitum, quo propensi efficimur ad probè sanctéque viuendum. atque hoc genus iustitiæ in animis renatorum esse non inficiamur. Interdum verò iustificat Deus absoluendo à peccatis, adscribêndo & imputando iustitiam. Atque tunc הצדיק verbum est forense, quod ad iudicia spectat, quemadmodum & הרשיע quod est impium & nocentem declarare. Estque iustificare, iudicio, verbis, testimonio, & assertione aliquem pro iusto habere. Cúmque sint duo hæc significata iustificandi, scilicet, aut re, aut existimatione, ac vtriusque Deus idem sit author, vtrum ex duobus in disputatione proposita sequemur? Posterius, idq; propterea quòd renouatio Dei spiritu afflata, & iustitia nostra quo ad habitum ex bonis operib. acquisitum, adeo sunt dum hîc viuimus imperfecta & manca, vt per ea, si disceptandum sit, ad tribunal diuinum minimè possimus persistere. Deinde Paulus hac de re disputãs, & Dauidis autoritate, ac historiæ Geneseos de Abrahamo testimonio adducto, vtitur imputãdi verbo, & ex eius propria significatione ad propositam causam seu quæstionem argumentatur. Atque hæc quo ad primæ vocis declarationem videlicet iustificationis, arbitror satis esse. Nunc de fide agamus. אמן Hebræis coniugatione prima est firmum esse, quod idem verbum in tertia coniugatione, quæ dicitur, vt iam retuli: התפעיל, significat constantiam & firmitatem cuipiam sermoni aut rei tribuere. Vnde Latini dicunt fidem homini, aut verbis tribuere, atque idem significant quod credere. Verbum itaque Hebraicum est האמין, quod non aliud significat, quàm firmum constans & certum arbitrari. Et quod attinet ad Deum, qui ei non credit, illũ facit mendacem. Ioannes enim inquit in epistola sua priori cap. 5. Qui non credit Deo, mendacem facit eum. Quod vt graue sit peccatum, quilibet apud se cogitet. E diuerso autẽ qui Deo credit, illum gloria & decore afficit. Scribitur enim de Abrahamo in hac ad Romanos epistola, quòd non hæsitauit dubitatione, attendendo suum effœtum corpus, aut penè mortuum ventrem Saræ, sed gloriam Deo dedit fide roboratus, persuasusque firmiter est, quòd posset efficere quicquid voluerit. Proinde videtur esse quædam analogia seu proportio inter hoc verbum credere ac iustificare, vt id in præsentia sumimus: nam vt iustificare, est iudicio ac existimatione iustitiam alicui tribuere, non autem re ipsa efficere vt sit iustus, ita credere non est re ipsa efficere vt sermones & promissa cuiuspiam certa sint & firma, sed id putare atq; apud se statuere. Habet autem credendi actio, de qua modo agimus, firmitatem & certitudinem duplicem. Principiò quidem à rebus ipsis nempe diuinis verbis atque promissionibus, quæ multò firmius cœlo ac terra manent: deinde quo ad ipsam persuasionem, quæ cùm vi diuina fiat, ipsa quoque firma est atque certissima, certæq; persuasionis, id est, vt nunquam sit nuda, sed trahat secum semper multos ac varios animi motus. Docet enim experientia & quotidianus vsus, in rebus humanis, aliquem bene firmiterq; persuasum promissionibus lętis fiducia impleri, exhilarari, frontem exporrigere, exultare, gestire, atq; promittenti adniti, vt se omnibus modis approbet. Et è diuerso cùm non credit persuasioni, ridet, negligit, contemnit, aut friget, ac contrahit frontem. Propterea nunquam fit, vt qui verè credit, affectibus careat, qui persuasionem efficacem solent consequi. Iure igitur à professoribus purioribus Euangelij statuitur, credere cum actione, seu motu fiduciæ, spei, & similibus affectibus maximam habere coniunctionem: sed potissimum cum syncera firmáque fiducia, quam semper secum trahit. Quî factum est, vt videas in sacris literis tam fidei, quàm fi-

Proponitur quæstio.

Significatio uerbi iustificandi. Bifariã deus iustificare dicitur.

De postrema firma iustificãdi modo agimus.

Quid uocabulũ fidei sibi uelit.

Analogia inter credere & iustificare.

Duplex certitudo fidei.

Certa persuasio non est nuda, trahit secum & alios animi motus

Veræ fidei cõiuncta est summa fiducia.

ducíæ promíſsiones eſſe factas. Vt enim dicitur, Iuſtus ex fide viuit: Et, Qui credit in illum non confundetur: Et in Nouo teſtamento: Qui credit in filium, habet vitam æternam: Et arbitramur hominem iuſtificari ex fide: ita etiam ſcribitur in pſalmo, Beati omnes qui confidunt in eo. Et in Eſaia vigeſimoſexto capite, ſeruabit pacem, quoniam in eo ſperatum eſt. Et in Nono, ſpes non confundit: atque ad Titum capite tertio, vt ſimus hæredes ſecundum ſpem vitæ æternæ. Quamuis in veteri Teſtamento ſæpius deprehendantur promíſsiones fieri ſpei, quàm fidei, at in Nouo è diuerſo: cuius ratio ea eſſe poteſt, quòd antiquitus Hebræi non errabant, credulitate vnius Dei, imò cultum eius tantùm profitebantur, ſed hoc malè agebatur inter eos, quod non habuerunt viuam fidem, quæ ſecum traheret fiduciam ſed tantùm ex educatione quandam conceperant ſeu opinionem, ſeu notitiam, ideo ad id ſcriptura hortatur eos, vt verè crederent & efficaciter, quod exprimebatur ex affectu nomine fiduciæ. At in Nouo in ipſa errabatur ſententia, cùm à Gentibus, quæ idolorum ac multorum numinum erant cultrices, tum à Iudæis, quo ad Meſsiæ conditiones, illum ſiquidem expectabant regali pompa, & mundano imperio illuſtrem, vnde fides inculcabatur, qua Dei conſequerentur promíſsiones: erat enim valde neceſſarium vt de ſumma rei credendæ probè ſentirent. Ab hebraico autem verbo אמן fit nomen deriuatum אמונה, quod eſt fides. Et ſignificat interdum firmitatem conſtantiamque dictorum & promiſſorum. Vnde in ſacris literis Deus frequenter appellatur fidelis, eiusque opera fidelia, quod firma ſint & conſtanter permaneant. Et in hac epiſtola ſuperius habuimus. Quid ſi quidam illorum non crediderunt? an illorum incredulitas fidem Dei abrogauit? Imò & fides nomine Latino ſi Ciceroni credimus, inde dicitur, quòd fiat quod dictum eſt. Interdum verò demonſtrat noſtrum aſſenſum animi, quo dicta quæ proponuntur recipimus, vt de Abrahamo dicitur, Credidit Deo, & imputatum illi eſt ad iuſtitiam. Et cùm hoc modo nunc fidem intelligamus in iſta diſputatione, ab re non erit, vt illam definiamus. Eſt itaque firmus certusque animi aſſenſus verbis Dei à ſpiritu diuino afflatus ad ſalutem credentium. In animo igitur eſt, & circa verba Dei verſatur, vnde illius habemus materiam. De forma etiam non ambigitur, quia definitur eſſe aſſenſus. Cauſa efficiens ponitur, ſpiritus ſancti afflatus. Et finis poſtremo loco declaratur, cùm ad ſalutem credentium iſtum aſſenſum à ſpiritu ſancto afflari dicimus. His probè non ſunt abſimilia, quæ ad Hebræos vndecimo capite, de fide ſcribuntur quo ſpectat ad definitionem. videlicet, quòd fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, argumentum non apparentium. Vbi quod Latinus interpres, ſubſtantiam vertit, Græcè habetur ὑπόστασις: quam vocem doctiſsimè Budæus in ſuis commentarijs vertit, audaciam fortitudinem, ſeu animi præſentiam. Deducitur verò à verbo ὑφίστημι. quod eſt ſuſtineo, excipio, non cedo irruenti. hinc miles ὑποστατικὸς. qui fidens eſt atque aduerſarijs haud terga vertit, ſed it obuiam & reſiſtit. Et quidem in credendo eſt opus hac fortitudine & tolerantia, propter grauem luctam quam ibi experimur. Eſt enim carni reſiſtendum, vincenda ratio, quæ plurimùm reclamat. Eſt etiam reſiſtendum noſtræ conſcientiæ, peccato & iræ Dei, multáque præterea ſunt, à quibus aſſenſus fidelis & impeditur & oppugnatur. Quam pulcherrimè verò inter ſe comparantur hæc ὑπόστασις & ea quæ ſperantur. nam pollicetur Deus reſurrectionem, ſed mortuis: pollicetur æternam vitam, ſed putreſcentibus: prædicat beatos, ſed eos qui abundè ſitiunt, eſuriunt, & vndique premuntur: iuſtificatos pronunciat, ſed peccatis & ſordibus coopertos. Quocirca cùm hæc à nobis tam procul eſſe videantur, neceſſaria eſt audacia, fortitudo, & præſentia firmiſsimi aſſenſus, qui faciat hæc ſubſiſtere atque, nobis vt perſuaſiſsima conſtare. Huiuſmodi clypeo ἐνταβοάω nos oportet eſſe armatos, quò poſsimus omnia tela Diaboli ignita excepta extinguere, quò etiam mundum ipſum vincamus. Nam teſte Ioanne hæc eſt victoria quæ vincit mundum, fides noſtra. Notandum præterea vocem illam, argumentum, quæ Græcè ſcribitur ἔλεγχος, à nonnullis demonſtrationem verti, quòd ſcilicet per fidem indicentur, & oſtendantur quæ non apparent: verùm mihi videtur Auguſtinus, tametſi fortè parum Latinè, fideliter tamen vertiſſe conuictionem. Conuincitur enim fide mens noſtra, vt aſſentiatur vera eſſe, quæ Deus vel dicit vel pollicetur. Hoſtienſis autem de ſumma Trinitate & fide Catholica, duabus rationibus nititur oſtendere, fidem his verbis Apoſtoli haud definiri, quòd illa ὑπόστασις vel ſubſtantia ſpei etiam conueniat. Cùm itaque haudquaquam ſit fidei propria ad eam definiendam adhiberi non poſſe: deinde quòd fides non ſpectet tantùm futura, & ea quæ ſperantur, ſed etiam ad præterita referatur. Creditur enim Deum creaſſe cœlum & terram, Chriſtum eſſe natum

Promiſsiones in ſcripturis tã fidei quàm etiã fiduciæ attribuũtur

Quare in veteri Teſtamento frequentius exprimatur ſpes & fiducia, in nouo autem fides.

Fides ſignificat firmitatem.

Quomodo in hac diſputatione fides accipiatur

Definitio fidei.

Definitio fidei quæ habetur ad Hebræos 11. declaratur.

Quid hypoſtaſis

Fortitudine opus eſt in credendo.

ἔλεγχος.

natum ex virgine, pro nobis passum & à mortuis excitatum: at hæc omnia præterierunt, nec vt rursus futura sint, sperantur. Duæ istæ Hostiensis rationes admodum sunt infirmæ, nec probant illa verba ad Hebræos ad definitionem fidei non posse facere. Concessero sanè Apostolum, seu alium, quisquis Epistolæ habeatur author, non ibi habuisse in animo, vt definiret fidem: quia de patientia tum potissimum agebatur, volueritque ostendere illam fidei maximè esse coniunctam, quod fides sit ὑπόστασις &, &c. Sed hac eius ratione attinguntur omnia quæ fidei naturam explicant. Atque ad primam obiectionem dicimus, spei quidem tribuendam esse ὑπόστασιν, sed quam à fide traxerit, non quam ex seipsa habeat. Neque nouum videri debet, si ea quæ sunt diuersæ naturæ, in definitionibus aliquid habeant commune: nam leo, canis, & homo, cùm natura plurimùm distent, conueniunt tamen in eo, quòd sunt animalia, ideóque in definitionibus eorum ponitur aliquid quod sit omnibus commune, cùm & corpora sint, & animata, sensibusque prædita. Mirum itaque videri non debet, si fides & spes conueniant in illa ὑπόστασις. quandoquidem alijs differentijs distinguuntur. Nam in fide ὑπόστασις refertur ad assensum, in spe verò ad expectationem, qua sustinemus æquo animo, quoad reddantur promissa & fide percepta. Ad alteram rationem respondemus, Paulum præterita etiam quæ fide nobis constant non tacuisse: quia non solùm dicit substantiam esse sperandarum rerum, sed addidit, argumentum seu coniunctionem, non apparentium. Iam illa etiam quæ præterierunt non apparent: complectitur enim hac voce Paulus, vel alius quispiam, quicquid creditur non euidens, siue illud præterierit, siue futurum sit, aut nunc existat. Sed quæras fortasis, cur primo loco eorum quæ sperantur meminerit? Rectè id factum respondetur, quòd meritò prius ponantur quæ difficiliora sunt creditu. Nam reperies forte, qui non difficulter dabunt omnia esse à Deo producta, Christum Dei filium venisse in mundum, natum ex virgine, & huiusmodi: at qui de remissione peccatorum suorum, de futura carnis resurrectione & æterna gloria iustis reddenda, haud parum hæsitent, rectè ergo & ordine posita sunt, quæ in Epistola ad Hebræos leguntur. Quod verò sit fidei ingenium, Esaias Propheta appositè expressit, capite vigesimo sexto, quo in loco describitur Ecclesia quasi ciuitas à Deo extructa. Clamat Propheta: Aperite portas, & intrabit gens iusta. Et eius iustitiæ causam subijcit, שומר אמונים seruans aut custodiens fidem: vbi vides ex fide credentes iustificari. Deinde addit qua nam in re consistat fides huiusmodi qua Dei populus est iustus, quia scilicet יצר סמוך תצר שלום affectu firmo seruabis pacem. Hæc est vera fides, qua iustificamur, nempe quòd credamus Deum fore nobis pacis & felicitatis authorem, suæque promissionis fidelem custodem. Augustinus verò in Ioanne tractatu quadragesimo ait. Quid est fides? nisi credere quod non vides? Quod idem scripsit de verbis Apostoli sermone vigesimo septimo, At de spiritu & Litera capite trigesimo primo habet, Credere non est nisi consentire verum esse, quod dicitur. Magister Sententiarum in 3. distinctione 23. dicit, fidem interdum esse id, quod credimus. In symbolo enim Athanasij dicitur: Hæc est autem fides Catholica, vt credamus, &c. Interdum verò esse id, quo credimus. & hoc posteriori modo, fidem nos intelligimus in hac disputatione. Distinguit item fidem viuam à mortua: quæ distinctio placet, quia fidei mortuæ meminit Iacobus. Sed sciendum, fidem mortuam nomine tantùm esse fidem, neque magis esse fidem, quàm mortuus homo sit homo. Vt enim mortuus homo dicitur homo cùm non sit: ita mortua quæ dicitur fides, naturam fidei non habet. Est & aliud fidei genus, quod ad miracula edenda facit, atque distinguitur à iustificante, estque tam pijs quàm impijs communis. Huius meminit Paulus priore ad Corinthios, Cùm diceret, Alij datum sermonem sapientiæ, alij scientiæ, alij subijcit fidem esse concessam, non autem consentaneum est, in illo albo donorum seu charismatum poni fidem aliam, quàm radicem miraculorum, præsertim cùm statim addantur sanationes & δυνάμεις. Huiusque generis fidei cùm Chrysostomus, tum Theophylactus meminerunt in eadem epistola priore ad Corinthios, cùm decimo tertio capite dicitur: Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam. Impijs autem hoc genus fidei quandoque concedi id testatur, quod ab illis & prophetias & miracula edi constet. Vnde Christus illis dicet: Non noui vos: quamuis pleno iactent ore, Non ne in nomine tuo prophetauimus, dæmonia eiecimus? Secernenda quoque est fides temporaria, cuius fecit Dominus mentionem in parabola seminis, quod in agrum iacitur: non enim totum cadit in terram bonam, sed pars eius in petrosa, cumque fuerit natum, satis feliciter illos indicat, qui verbum Dei læto atque gaudenti animo percipiunt, at cùm æstus feruorque persequutionis incaluerit, à proposito

An in eo loco ad Hebræos definiatur fides.

Spei etiã tribuitur ὑπόστασις.

Naturæ diuersæ aliquid habẽt cõmune in suis definitionibus.

ὑπόστασις quid in fide quidúe in spe respiciat.

Fides etiam præterita respicit et præsentia modò sint occulta.

Symbolum Athanasij.

Distinctio fidei.

Fides viua & mortua.

Fides mortua re ipsa non est fides

Fides miraculorum.

Fides tẽporaria.

excidunt, ideóque vocantur πρόσκαιροι, id est, temporarij. Omnibus igitur significationibus his abiectis, in hac disceptatione fidem intelligimus, firmum illum assensum qui tantarum sit virium ac efficaciæ vt secum trahat affectum fiduciæ, spei, charitatis, & omnia tandem bona opera, vt præsentis vitæ infirmitas patitur. Idcirco Smintheus qui librum contra me scripsit de Iustificatione, quamuis in Lutherum, antea illum ediderat & in ipsum Melanchthonem, atque omnes alios dicat, meique rarò admodum faciat mentionem, in eo vehementer est hallucinatus, qui reprehendendos acriter eos iudicet, qui fidem dicant esse fiduciam. Adducitque locum ex Epistola ad Ephesios, capite tertio. Vbi scribitur, per quem, scilicet, Christum Iesum habemus παῤῥησίαν, hoc est, loquendi audaciam, & προσαγωγὴν. id est, accessum, ἐν πεποιθήσει, id est, in fiducia quæ est per fidem: Cùm igitur fiducia, inquit, sit per fidem, non est fides. O elegantem hominem, & acutum Theologum, qui has duas res, nempe fidem atque fiduciam solus viderit duas res esse distinctas. Quid aliud fermè sibi vult Philippus alijque nostri fideles doctores, cùm fidem qua iustificamur, appellant fiduciam, nisi eam non esse mortuam, non ignauam, non humanam persuasionem, sed tam vehementem assensum, vt ipsam fiduciam habeat, quàm intimam & coniunctissimam? Verùm cum homine isto non libet multis luctari, omnia, quæ effutit solùm ex Eccijs, Pighijs, cæterisque pecudibus Antichristi Romani corradit, & quasi sua venditat. Fides quæ fiduciam non trahit secum cæterosque sanctos animi motus, homines adigit in desperationem, tantùm abest, vt iustificet, quod & Caini & Iudæ testantur exitus calamitosi. Quæ verò firma est fides perpetuò fidit, imò nostras in Ecclesia obsignat preces vulgata illa & recepta inter fideles voces, Amen. Quod à voce hebraica, quam superius retuli אמן est deriuatum: vtque Dauid Chimhi testatur, significat ratum, firmum erit, sic à Domino fiet: qui absque huiusmodi fide orant operam ludunt. In hac sanè fide acquiescunt homines, tranquillitate ac pace ineffabili, suntque instar illius qui amplissimum thesaurum & pretiosum margaritum inuenit, in quo sic acquiescit, vt omnia sua distrahat, quo illud emere sibi valeat. Hinc est quod Esaiæ capite septimo, dicebat Propheta Achazo regi parum pio, illum hortando ad veram fidem השקט והשקט, id est, caue & acquiesce, volebat porrò Vates, vt rex caueret sibi ab incredulitate, ac verbo Domini acquiesceret, quod est fidei proprium ac genuinum: quemadmodum è diuerso est infidelitatis nutare ac inconstanter agere. Nam qui non credunt, omni doctrinæ vento atque opinionum agitantur, & semper effluunt ac pendent animo. Vnde in Iosue capite decimoseptimo, populus arguitur, quòd eius cor, vt aqua diffluxerit, idque sanè tantùm factum est ob incredulitatem. Ex his cùm iam appareat quid per fidem intelligamus, quámque significationem huius vocis ex multis in ista quæstione amplectamur, de operibus aliquid est dicendum. Quoddam est opus quod post actionem motumque foris extat, & confectum apparet, vt statua phidiæ opus dicitur, & Hierosolymis templum dictum est Salomonis opus. Aliter autem opera dicuntur actiones ipse hominum, & eorum voluntarij atque rationabiles motus. atque hoc modo nunc accipimus opera, quæ item modis varijs adhuc inter sese distinguuntur. Alia enim sunt interiora, vt credere, amare, diligere, timere, misereri: alia externa, peregrinari, eleemosynas dare, concionari, docere, & similia. De vtroque autem operum genere quæstio nostra intelligitur, secant etiam opera in illa quæ pertinent ad ceremonias, & quæ, vt inquiunt, sunt moralia, nosque vtrumque similiter genus complectemur. Adhuc tempus, quo eduntur opera est distinguendum: nam quædam fiunt antequam iustificemur, simusque beneficium regenerationis consequuti: alia verò sequuntur, habenturque vt fructus nouæ vitæ, atque iustitiæ inchoatæ. Cúmque non possimus agere de his posterioribus, vt quæ sequantur iustificationem, tantùm de prioribus loquemur: id enim solùm vocatur in controuersia, an opera nos iustificent, etenim quæ sequuntur iustificationem illam parere nequeunt, cùm iam habeatur. His hypothesibus ita constitutis, propositionibus tribus totam hanc quæstionem dissoluemus. Hæ autem sunt: iustificatio non est ex operibus: Iustificatio per fidem habetur: iustificatio datur sola fide. Hæc tria si rationibus ex diuinis oraculis acceptis confirmemus, & ab oppositionibus cauillisque aduersariorum defendamus nos arbitrabimur, satisfeciſſe, adsit Deus faxitque vt ad vota succedat quod optamus. Quo ad primam propositionem, cùm asserimus operibus homines non iustificari, nequaquam id intelligendum est euenire bonorum operum vitio: nam illa si à nobis prestarentur, vt lex imperat, illis iustificaremur: Deus enim cùm sit iustus, vt nocētes non absoluit, ita satisfacientes legi iustificaret sua sententia: sed nullus est qui possit ad amis-

Smintheus Anglus impudēs sophista

Locus ad Ephesios declaratur.

Fides mortua nō iustificat sed in desperationē adigit.

Amen uox obsignat preces.

Qui absq; fide orant operā ludūt Simile.

Quid fidei proprium.

Distinctio operū

Opera interna & externa.

Opera moralia & ceremonialia

Opera uel præcedunt uel sequūtur iustificationem.

Tribus propositionibus comprehenditur ista quæstio.

Si bona opa non iustificant id non fit eorum uitio.

sim

sim opera habere cuiusmodi lex iubet: Vt si quis debitor esset mille coronatorum aureorum, & solùm reddere posset mille plumbeos, aut æreos nummos, certè à debito non liberaretur, neque pronuntiari posset absolutus: quod non fieret vitio aureorum coronatorum, sed suæ malæ monetæ, & quod aurea careat: sic nos dicimus legem quidem spiritualem esse iustam & sanctam, & qui faceret omnia, quæ præcipit, in eis viueret, est enim proposita nobis vt vita, sed cùm nemo nostrum eam, vt à Deo lata est, aut faciat aut facere possit, ex operibus non iustificamur. Quin etiam si fides ipsa quà nostrum opus est consideretur, ea iustificari non possumus, cùm opus sit & mancum & imperfectum, longè deterius, quàm lex requirat. Sed illa iustificari dicimur, qua promissiones Dei & Christi iustitiam meritáque per ipsam apprehendimus, & nobis applicamus. Fingas tibi mendici hominis fœdissimam & leprosam manum, qua capiat eleemosynam ab offerente, certè mendicus ille à fœditate seu lepra suæ manus haudquaquam iuuatur, sed eleemosyna, quam manu qualicunque accipit. Nemo vera pietate præditus non potest non grauiter deplorare, quando à multis, qui Christiani dicuntur, ignorari videt, an opera iustificent. Cùm hoc dogma caput sit, fons & columen totius pietatis, & propterea oporteret de illo omnium maximè constare. Verùm hodie non solùm vocatur in controuersiam, sed multi ab alijs dissentiunt, & à vera doctrina pernitiosè aberrant. Atq; si quiritando proficì quippiam posse animaduerterem, multis de hac indignitate conquererer: cæterùm quando quod sic est, quin ita se habeat efficere non possumus, tantùm id prouidere curabo, vt in illas opiniones non incidamus, quæ Dei gloriam imminuant, literis diuinis repugnent, & nostram conscientiam lædant. Expectabunt fortè aliqui, vt cum primis maledictis, calumnijs & conuicijs respondeam, quibus aduersarij quo ad hoc negotium nos importunè ac tragicè proscindunt: at non ità insanio, vt hæc anteferenda censeam veritati exponendæ ac defendendæ. Ad rem igitur primum omnium descendam, deinde sententia nostra confirmata, illa deligam, quæ obijciuntur minus indigna, & pro viribus à Deo concessis diluam. Vt autem liqueat, non iustificari homines ex operibus, quod primo loco proposuimus rationum Pauli seriem quas hactenus audiuimus ordine iusto referam, quò facilè intelligatur, vt ego cum illo faciam, neque ab eius doctrina quicquam discedam.

Fides qua opus est non iustificat

Simile.

Dogma iustificationis caput est pietatis.

PRIMO capite cæpit Gentes arguere, quòd ante Christi notitiam, licet per suam philosophiam verum Deum nouissent, illum tamen quemadmodum decuerat, non coluerint, neq; illi tanquam bonorum omnium authori gratias egerint: sed infatuati frustrati sunt suis rationibus & cogitatis, mutauerunt gloriam Dei, & transtulerunt illam ab eo, & nõ tantùm imaginibus hominum, sed volucribus, quadrupedibus, & serpentibus attribuerunt. Vnde illos Deus affectionibus & desiderijs cordium eorum tradidit: quamobrẽ fœdissimè vixerunt, & facti sunt, vt ibi scribitur, pleni omni iniquitate, malitia, scortatione, auaritia, & quæ sequuntur. Quòd si tales fuerunt ac vixerunt certè non poterant ex suis operibus iustificari, neque Pauli ratio aduersus Gentes efficeret, vt illis necessarium esse demonstraret Christi religionem suscipere, vt iustificarentur, nisi tales fuisse in vniuersum docuisset, quales primo illo capite depinxit. Quis enim rationem efficacem existimet, quæ solùm de aliquibus vera esse appareat, & non de omnibus?

Prima ratio pro prima propositione.

IN capite autem secundo, fermè scribit eadem de Iudæis, Ecce tu Iudæus cognominaris, requiescis in lege, gloriaris in Deo, agnoscis voluntatem, probas vtilia, instructus per legem, iactas te ducem cæcorum, lumen eorum qui sunt in tenebris, eruditorem insipientiũ, institutorem infantium, vt qui habeas doctrinæ formam ex lege: qui ergo alium doces, teipsum non doces? Qui prædicas non furandum furaris? non mœchandum mœcharis? qui abominaris idola, sacrilegium facis? Quiq; gloriaris in lege, per transgressionem legis Deũ inhonoras? nomen enim Dei, sicut scriptum est, per vos blasphematur inter Gentes. Iudæi ergo tales fuerunt sine Christo, quare nullo pacto ex suis operibus valuerunt iustificari, vel Paulo respondere potuerunt se iniustè tam grauiter accusari.

Secunda.

SED Quales homines ante Christi fidem susceptam sint, apertius capite tertio demonstratur: ibi enim legimus: Non est iustus quisquam, non est intelligens aut requirens Deum, omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui facit bonum, non est vsq; ad vnũ. Sepulchrum patẽs est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant, venenum aspidum sub labijs eorum, quorum os maledictione & amaritudine plenũ est, veloces pedes eorũ ad effundendum sanguinem, contritio & infelicitas in vijs eorum, viam pacis non cognouerunt, nõ est timor Dei ante oculos eorũ, &c. Testimonia hęc ex varijs locis sacrę scripturæ cõsarcinauit Paulus, quibus ingenium humanum Dei gratia destitutum, suis coloribus describitur. Et

Tertia.

ne quis dixerit Gentes idololatrę ac vitioſę verbis his notantur, quod facilè erat videre, demonſtrat Apoſtolus ad Iudęos quoq; hęc extendi, qui ſibi prę cęteris videbãtur ſancti, ſubditq; Scimus autẽ quòd quæcunq; lex loquitur, his qui ſunt ſub lege, loquit. Et ne ambigas voluiſſe eum rationem vniuerſalem afferre, adiecit: Quia ex operibus legis non iuſtificabit omnis caro. atq; per carnem intelligit hominem adhuc nõ regeneratum. Scio fuiſſe aliquos qui per carnem interpretati ſint has animi partes inferiores, quę craſſæ ſunt, & ſordidioribus cupiditatibus implicantur. Sed hunc intellectum Paulus excludit, cùm inquit, ex operib. legis, id eſt, à Deo in lege mandatis, quas à ratione proficiſci oportet, non à viribus animæ inferioris. Deinde ſcriptura Hebraicè ędita, per carnem totum hominem intelligit, quod aliâs

Quarta. fuſius expoſuimus. Poſt hæc, vt magis hanc ſententiam confirmaret, inquit: Vt obſtruatur omne os, & obnoxius ſit totus mundus Deo. Certè ſi homines operibus iuſtificarentur, ora illorum non eſſent oppilata, neq; Deo eſſent obnoxij: ſemper enim haberent quòd dicerẽt, nimirum ſe à peccatis ideo abſolutos, quòd id operibus eſſent commeriti: at nunc qui rem

Quinta. intelligunt non ita ſe habere, ne hiſcere quidem audent. Adhæc ait: Nunc verò abſque lege iuſtitia Dei manifeſtata eſt, quæ teſtimonium habet & legis & Prophetarum. Quis cauſam eſſe conſtitueret noſtræ iuſtitiæ rem illam, ſine qua iuſtitia ipſa contingeret? certè id fieri nõ poteſt à prudentibus, cùm ea natura ſit cauſarum, vt abſque illis effecta non poſsint extare.

Sexta. Facit etiam ad idem quod ſequitur: Vbi eſt igitur gloriatio tua? Excluſa eſt. Per quam legẽ? operum? Non. Imò per legem fidei. Vult non ignorari quamuis iuſtam cauſam gloriandi excluſam & abreptam eſſe à nobis, debet enim iuſtitiæ noſtræ tota gloria Deo cedere, ſed ſi ex operibus iuſtificaremur, id non eueniret: gloria enim eſſet noſtra, & quilibet affirmaret ſe ideo iuſtificatum, quòd probè ac iuſtè ſe geſsiſſet. Et quàm Apoſtolo eſſet hoc exploratũ

Septima. & certum demonſtrant, quæ ſequuntur. Arbitramur igitur fide iuſtificari hominem ſine operibus legis. Proinde quod Apoſtolus tanta contentione affirmat, nos negabimus? Imprudentiſsimum proculdubio id eſſet. Conſentiamus itaque illi, neque tanto eius teſtimonio re-

Octaua. fragemur. Verùm præter hæc, Paulinæ mentis acumen ſpectes mihi: Non ſolùm inquit, ſi operibus iuſtificaremur, haberemus gloriandi materiam, ſed auferretur nobis occaſio gloriandi in Deo, eiusq; fauorem erga nos prædicandi. Nam citra controuerſiam honorificum eſt nobis, & glorioſum agnoſcere, tantam eſſe in nos Dei beneuolentiam & propenſum fauorem per Chriſtum, vt nos miſeros abſoluat à peccatis, & in gratiam recipiat, quamuis tantis fuerimus cooperti ſordibus & fecibus peccatorum. Si inquam operibus iuſtificaremur, hoc nequaquam iactare, prædicare, aut gloriari verè poſſemus.

AT præſtat ipſum audire Apoſtolũ initio 4. cap. Quid igitur dicemus inuenisſe Abrahamum patrem noſtrũ ſecũdum carnẽ? Nam ſi Abrahã ex operib. iuſtificatus fuit, habet q̃d glorietur, ſed non apud Deũ. Quid enim ſcriptura dicit? Credidit Abrahã Deo, & imputatũ eſt ei ad iuſtitiam. Ei verò qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum. Quare ne auferatur nobis tam dulcis conſolatio diuinæ in nos charitatis & beneuolentiæ, ſtatuamus cum Apoſtolo, nos ex operibus non iuſtificari. Quoũe id ma-

Nona. gis perſuaderet, verbum id λογίζεσθαι, quod dicimus imputare, adſcribere alicui iuſtitiam, aut pro iuſto aliquem habere, vrget, & vult habere antitheſim ad meritum & debitum, ita vt is cui quippiam imputatur, id non mereatur, neque vt debitum accipiat. At qui aliquid vt debitum ſibi obtinet, id imputatum aut adſcriptum non habet, neq; illi ſatis eſt ſcripturam de Abrahamo adduxiſſe, verùm citat Dauidem: Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum. Quibus ex verbis non ſolùm elicimus iuſtitiam, qua dicimur iuſtificari, non inhærere animis noſtris, ſed imputari à Deo, & eſſe talem imputationem, quæ non operibus, verùm Dei

Decima. mera conſtet clementia. Ex alia deinde proprietate bonorum operum confirmat Apoſtolus ſuam ſententiam, nempe quòd opera ſint ſigna, ſeu ſigilla iam impetratæ iuſtitiæ, vnde ait de Abrahamo: Et ſignum accepit circunciſionis, ſigillum iuſtitiæ fidei, quæ fuit in præputio, &c. Cùm igitur bona opera ſigna ſint & ſigilla, quæ atteſtantur iam receptam iuſtitiam, non poſſunt eius eſſe cauſæ. Neque hoc præſtant ſolùm ceremoniæ, ſed etiam illa o-

Etiã opera moralia ſunt ſigilla iuſtitiæ imputatæ

pera quę vocantur moralia, cùm Deo placita ſunt & accepta, nam illa quoq; ſunt inditia noſtrę iuſtitię. Vnde Petrus adhortabat vt ſatageremus certã facere noſtrã vocationẽ, rectè nimirum viuendo, & per bona opera. Quin & promiſsionis forma eſt attendenda, quæ cùm

Vndecima. Abrahamo à Deo fieret, conditio legis aut operum non eſt adiecta: Quod cùm Deus non fecerit, qua nos audacia tentabimus facere? Dicit autem Paulus: Non enim per legem promiſsio Abrahę, aut ſemini eius, illum hæredem fore mundi, ſed per iuſtitiã fidei. Etenim ſi iſ qui

qui ad legem pertinent, hæredes sunt, inanis facta est fides, & irrita facta est promissio, nempe quòd lex iram operetur. Vnde promissio, si legem non impleamus, non habebit locum, & credere illi promissioni vanum erit, quæ complemento sit æternùm caritura: quod sanè omnino erit, si conditione legis apposita data sit, quum lex à nullo impleri perfectè possit. Verùm Apostolus vlterius progreditur, & ex benignissimo Dei consilio sic decernit. Idcirco ex fide datur hæreditas, vt secundum gratiam, quò firma sit promissio: ac si diceret, perpetuò noster animus nutaret, si promissio penderet ab operibus, nullus de sua salute quippiam certò posset statuere, semper enim argueretur à conscientia, quòd ea non præstiterit opera, quibus promissio esset facta: vt igitur non ita vacillemus, voluit Deus iustificationem nostram constare fide ac gratia, vt promissio esset firma. Colligitur etiam idem ex eo, quod prædicatur de Abrahamo, qui contra spem in spem credidit. Ille præter spem in spem dicitur credere, qui vel in se, vel in natura rei quippiam non videt, aut experitur, quod illi spem suadeat, quemadmodum Abrahamus centenarius erat, corpus habuit effœtum, & vxorem anum, atque sterilis ventris, quæ omnia deterrebant illum naturaliter à sperando: at tamen contra hæc omnia prævalens sperauit. At nos si merita haberemus, aut bona opera, per quæ consequi possemus iustitiã, non speraremus contra spem, sed in spe, & iuxta spem. quare nostra iustificatio non aliter constituenda est, quàm in Abrahamo illam fuisse legamus: nam ille pater omnium nostrûm est, sicut imputatum est illi, sic quoque nobis imputabitur. SED AD CAP. quintum accedamus, ibi satis rursus exprimit Paulus, cuiusmodi sint homines priusquam regenerentur, nam dicit: Christus enim cùm adhuc essemus infirmi, iuxta temporis rationem pro impijs mortuus est. Et mox: Commendat autem Deus erga nos charitatem suam, quòd quum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus fuit: Atque addit: Nam si cùm inimici essemus, reconciliati fuimus à Deo per mortem filij eius, multò magis reconciliati seruabimur per vitam ipsius. Colligimus hinc ante regenerationem esse homines infirmos, peccatores, impios & inimicos Dei. Quis talibus facultatem tribuat, vt iustitiam possint pro suo arbitrio, quum scilicet bona opera facere voluerint, obtinere? Id alij credant, pijs non persuadebitur. Accedit adhæc, quòd tanti mali causa exprimitur, dicendo: Propterea quemadmodum per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes homines peccauerunt: ac si diceretur, iam inde à prima ipsa origine per primum hominem perditi sumus & damnati. Atque ne putes vel ipsos paruulos excipiendos, inquit: Imò regnauit mors ab Adam vsque ad Mosen, etiam in eos, qui non peccauerunt, in similitudinem præuaricationis Adæ. Omnes nascentes massa perditionis cõplectitur, à qua labe homines operib. iuis emergere posse, & vendicare sibi iustificationẽ iuxta sacras literas fieri non potest. POSTEA in 6. cap. sic loquitur noster Apostolus: Quẽ igitur fructum habebatis tunc in his, de quibus nunc erubescitis? Nam finis illorũ mors est: nunc verò liberati à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum vestrũ in sanctificationẽ, finem verò vitã æternã. Quid hæc verba sibi aliud volunt, quàm omnia quæ homines agũt, priusquam Christo credant, digna solùm esse ignominia & pudore? fructus autem sanctificationis ibi est nullus, verùm ipsam regenerationẽ sequitur. Quis autem nos ex his, quæ pudenda sunt, & ignominiosa iustificari dicat? SED iam audiamus quid in ipso 7. cap. ab initio dicatur. An ignoratis fratres (scientibus enim legem loquor) quòd lex tantisper homini dominatur, quoad ea vixerit? Nam viro obnoxia mulier, viuenti viro alligata est per legem: quòd si mortuus fuerit vir, liberata est à lege viri. proinde viuente viro adultera vocabitur, si sese iunxerit alteri viro: sin autem mortuus fuerit vir, libera est à iure viri, vt nõ sit adultera si iuncta fuerit alteri viro. Itaq; fratres mei, vos quoq; mortui estis legi per corpus Christi, vt iũgeremini alteri, nimirũ ei, qui ex mortuis surrexit, vt fructificemus Deo. Ratione hac vult ostendere Paulus, nos ante fidẽ in Christũ copulatos fuisse tanquã viris, legi & carni, ex qua cõiunctione fructus nõ potuerũt prouenire, nisi lethales & mortiferi. Sed iam nunc liberati Dei gratia, Christo per spiritum copulamur, Christo, inquam, excitato à mortuis, ex qua coniunctione iam Deo fructificabimus non amplius morti & damnationi. Atque idem dicit, seu potius explicat, vbi subdit: Quum enim essemus in carne, affectus peccatorum, qui sunt per legem, vigebant in membris nostris ad fructificandum morti. Hîc notabis nos quandiu fuimus in carne, fuisse subiectos prauis affectibus, qui per legem vigebant in membris nostris, quomodo igitur nostris operibus iustificari potuimus? Præterea in eodem capite habetur. Quod enim ago, non probo. Non enim quod volo, hoc facio, sed quod odi, hoc ago. Si verò quod non volo, facio, iam non ego operor illud, sed

Duodecima.

Decima tertia.

Decima quarta.

Decima quinta.

Decima sexta.

Decima septima.

Decima octaua

quod habitat in me peccatum. Noui enim quod nõ habitat in me, hoc eſt, in carne mea bonum. Hîc, vt liquet, de humanis corporibus agitur, & quanuis iſta interpretando probauerim efficaciter accipienda ea eſſe de operibus, quæ fiunt à ſanctis, qui iuſtificationem ſunt aſſequuti: attamen nunc liberum facio aduerſarijs, vt vtram voluerint, partem accipiant, & ſi dederint, hæc intelligi oportere de operibus ante iuſtificationem, quum nec probentur, nec bonæ ſint, quomodo merebuntur iuſtitiam? etenim appellantur malæ, at actione mala nemo iuſtificatur. Sin verò ſumamus opera, quæ hîc deſcribuntur eſſe iuſtificatorum, argumentabor à maiori. Si ea opera, quæ magis viderentur Deo eſſe grata, & iuſta & ſancta, dicuntur mala, & iudicio reſtitutæ rationis non probantur, quomodo quæ fiunt à peccatoribus, talia ponentur, vt valeant iuſtificare? Et ne quis dixerit, nos tantùm argumẽtari de eo, quod fiat ignauia hominum, quum diſputetur de eo, quod fieri poſſet, ſi homines adniti velint: multi enim ſuis bonis operibus non iuſtificantur, cùm illis attamen ſi vellent, iuſtificari

Decimanona. poſſent. His reſpondemus per Apoſtolũ in cap. 8. qui ait: Etenim quod lex pręſtare nõ poterat, quà imbecillis erat per carnem, hoc Deus proprio filio, miſſo ſub ſpecie carnis peccato obnoxiæ, præſtitit, ac de peccato condemnauit peccatũ per carnem. Monet nos iſte locus, iuſtitiam à Deo præceptam in mandatis, non potuiſſe pręſtari legis adminiculo, ob vitium & infirmitatem carnis, ideoq; Chriſtum fuiſſe miſſum à patre, vt perficeret quod à no

Vigeſima. bis impleri non poterat. Idemq; non multò pòſt docet: nam quum dixiſſet, affectus carnis mors eſt, de eo rurſus adiecit, inimicitia eſt aduerſus Deum, nam legi Dei non ſubditur, ſiquidem nec poteſt. Quicquid igitur naturalibus viribus agimus, quodq; caro appellatur, aduerſatur Deo. nam vitiata natura noſtra diuinę legi non poteſt ſubdi. Quod quum ita ſit, ex eius actionibus non poterimus iuſtificari. In eodem capite legimus: Diligentib. Deum omnia cooperantur in bonum, his qui ſecundum propoſitũ vocati ſunt. Quibus verbis at-

Vigeſima prima tingit Apoſtolus principium, caputq; omnium bonorum noſtrorum, nempe Dei propoſitum, quod ita eſt noſtræ ſalutis cauſa, vt noſtra alia bona inde pendeãt, id verò à noſtris nullis bonis moueatur. Verùm cauſæ ipſæ humanæ felicitatis ordine diſtinctioneq; poſtea deſcribuntur, in quibus opera noſtra minimè leguntur. Quos præſciuit, hos prædeſtinauit: & quos prædeſtinauit, hos & vocauit: quos vocauit, iuſtificauit: quos iuſtificauit, hos & glorificabit. Contexta eſt catena hæc omnibus mediis & auxilijs, quibus Deus nos perducit ad ſalutem. Atque quum operum legis & meritorum non fiat mentio, ſatis oſtenditur, nos ex his minimè iuſtificari. Deinde quum dicitur: Quis accuſabit aduerſus electos Dei? Deus

Vigeſima ſecunda. eſt qui iuſtificat, quis condemnabit? Chriſtus eſt qui mortuus eſt, imò qui & ſuſcitatus eſt, qui etiam eſt ad dexteram Dei, qui & intercedit pro nobis: ſi Dei iudicio ex operibus iuſtificaremur, ſatis fuiſſet dicere, fruſtra electi accuſabũtur, cùm merita bona habeant, cùm ſuis operibus probis & ſanctis impetraturi ſint abſolutionẽ. Hoc non dicitur, ſed, Deus eſt qui iuſtificat. Et reſponderi poterat: Nemo condemnabit electos, cùm talia ſint eorum opera, vt & abſolutionem & præmium mereantur. Verùm non ita reſpondit, ſed, Chriſtus qui mortuus eſt, &c. Quid nos admiſcere volumus opera noſtra, quum id ne faciat ſcriptura ſingulariter caueat.

AD NONVM caput iam veniendum eſt, in quo de prouidentia deſtinatrice agitur, non

Vigeſima tertia alio ſanè conſilio, niſi quòd eius & iuſtificationis eandem rationem putare debemus: vtraque enim conſtat gratis, & non ex operibus. Scribit enim Apoſtolus de duobus fratribus, qui nondum nati eſſent, cumq; nihil boni egiſſent, aut mali, quò maneret electio Dei iuxta propoſitum, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſſe, Maior ſeruiet minori, ſicut ſcriptum eſt, Iacob dilexi, & Eſau odio habui. Hîc vt videmus, quammanifeſtiſsimè opera ex-

Vigeſima quarta. cluduntur. Moſi quoq; reſponſum eſt: Miſerebor, cuius miſereor, & miſericordiam pręſtabo, cui miſericordiã pręſto. Verba etiam iſta demonſtrant, cõdonationem peccatorũ, vtq; homines in gratiam recipiantur, non pendere ab illorum operibus, ſed à mera propitiaque

Vigeſima quinta. Dei beneuolentia. Nec ſecus verba ſequentia demonſtrant: Non eſt volentis, neque currẽtis, ſed miſerentis Dei. Et, cuius vult miſeretur, & quẽ vult indurat. Quòd ſi à noſtra voluntate, vel operibus iuſtificatio poſſet acquiri, & volentis eſſet, & currentis, neque conuerterentur illi, quorum Deus miſereretur, ſed qui ſui ipſorum in primis miſererẽtur: neq; Deus quempiam induraret, cùm omnibus in promptu eſſet facile ac expoſitum per opera bona Deo reconciliari & iuſtificari. At longè ſecus eſt: nam qui fidunt operibus, à iuſtitia vera, de

Vigeſima ſexta qua nunc loquimur, aberrant longius. Dicit ad finem cap. 9. Apoſtolus: Iſrael qui ſectabatur legem iuſtitiæ, ad legem iuſtitiæ non peruenit. Propter quid? quia non ex fide, ſed tanquam ex operibus legis. Quòd ſi opera legis impedimento fuerunt ludæis ad iuſtificationem

nem consequendam, quid nos debemus inde sperare? Hoc idem, licet alijs verbis Apostolus cap. 10. inquit: Ignorantes Dei iustitiã, & suam volentes statuere, iustitiæ Dei nõ fuerũt subditi. Hæc sibi nil aliud volunt, nisi eos à iustitia Dei excidere, qui suæ, nempe operibus, nimium tribuunt. Tantaq; est pugna inter gratiam & opera, vt effectum, quod ab vno proficiscitur, ab altero prouenire non possit. Paulus enim dicit: Reliquiæ secundum electionem gratiæ fuerunt. Quòd si per gratiam, non ex operibus: gratia enim iam non esset gratia, & si ex operibus, iam non est gratia. Hoc est enim gratiæ proprium, vt libere ac ex vera detur beneuolentia: operis verò, vt merces ex debito, & ipso iure tribuatur. Quid postremò sumus dicturi, quum Apostolus exclamet: O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei? Profectò Paulus isto affectu declarat, rem esse difficillimam cognitu, an Deus iuste agat, qui quos voluerit prædestinet, & quos voluerit iustificet, ad conditiones & merita non respiciens: ibi humana ratio plurimùm offenditur, ibi nostra caro non desinit reclamare: Quòd si ex operibus & meritis vtrunque contingeret, nempe iustificatio & electio, nil esset turbæ, nulla offensio, nullumque scandalum nobis obijceretur. At quum longè sit secus, & diuinæ voluntatis ratio à nobis reddi non possit, iure meritoq; Paulus exclamat, atq; sententiæ illius omnes conuenit, si sapiant, acquiescere. In 14. capite habemus, Beatus, qui non iudicat se ipsum, in eo quod probat. At qui iudicat, si ederit, condemnatus est, quoniam non edit ex fide. Porrò quicquid ex fide non est, peccatum est. Hinc docemur, carentes vera fide nil posse facere, aut præstare quod non sit peccatum. Scio quidem aduersarios ista de conscientia interpretari, sed neque fidem significare conscientiam, vnquam demonstrabunt. Et licet fortasse Paulus ab initio id tradat, nimirum quicquam non esse agendum aduersante conscientia: tamen postea quodammodo sententiam generalem inducit scribendo: Omne quod non est ex fide, peccatum est. Ac si diceret: hæc generalis est regula, in rebus agendis oportere homines esse spiritu & verbo Dei persuasos, ea quæ sunt acturi Deo fore grata, illique placitura, quam si persuasionem non habeãt, agendo quæ agunt, procul dubio peccant. Atq; si concederẽ, hoc loco fidem significare conscientiam, iudicarem quoque addendum, non oportere credi conscientiæ, nisi Dei verbo esset instructa. Quandoquidem multi reperiuntur, adeò superstitiosa conscientia præditi, vt siue illi non pareant, siue pareant, grauissimè peccent: sed in hoc loco enucleando in præsentia nimium immorari nolo, quandoquidem egi superius de illo, & infrà quum eò peruenerimus, aliqua dicam. Proinde ad Corinthios, epistola prior est audienda capite 4. vbi scribitur, Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non sum iustificatus. Hæc Paulus de suo ministerio loquebatur, iam ad Christum conuersus, iam Apostolus, & quem in functione sua nullus hominum posset arguere. Quòd si tantus Dei amicus hoc de se prædicabat, & suis operibus, quid nos tribuere volumus operibus nondum renatorum iustificationem? Illam non merentur opera sanctorum, & præcipui Christi Apostoli, quomodo ergo concedi poterit his, qui adhuc à Christo sunt alieni? Ad Galatas capite secundo repetit Paulus illam sententiam, quam ad Romanos cap. 3. posuerat, scilicet: Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro, quæ quum sit clara, & iam superius fuerit recitata, non opus habet expositione. At in tertio habetur: Si ex lege est iustitia, Christus gratis mortuus est. Nec aliud hoc loco significat gratis, quàm vanè, ac frustra: quod certè verissimum esset. Nam si aliter hominibus iustitia vera coram Deo potuit constare, cur ille mortuus est & crucifixus? Et rursus: Hoc solùm cupio discere à vobis, ex operibus legis spiritum accepistis, an ex prædicatione fidei? Et mox: Qui igitur subministrat vobis spiritum, & operatur virtutes in vobis, vtrum ex operibus legis, an ex prædicatione fidei hoc facit? Qui iustificantur, spiritum sanctum accipiunt, nam iustificari absque illo prorsus est impossibile. quòd si ex operibus non datur, neque iustificatio proueniet ex operibus. Insuper nemini dubium est, ex Dei beneuolentia & fauore iustificationẽ haberi, cùm homines ibi recipiantur in gratiam, adoptentur in filios, & hæredes constituantur æternæ vitæ. Sed qui versantur in operibus legis ante iustificationem, sub maledictione constringuntur, tantum abest, vt Dei beneuolentia fruantur. subdit enim Apostolus: Quotquot sunt ex lege, hi sunt sub maledictione. Ac ne credamus id eius esse inuentum, inquit: Sicut scriptum est, Maledictus qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis. Argumentatur post hæc à tempore. Iuxta hominem dico. Hominis licet testamentum si sit confirmatum, nemo reijcit, aut addit quippiam. Porrò Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius: non dicit, & seminibus, tanquam de multis, sed tanquam de vno, & in semine tuo, qui est Christus. Hoc autem dico testamentum ante

Vigesima septima.

Vigesima octaua.

Vigesima nona.

Trigesima.

Trigesima prima.

Trigesima secunda.

Trigesima tertia.

Trigesima quarta.

Trigesima quinta.

comprobatũ à Deo erga Christũ, lex quæ post quadringẽtos annos & triginta cœpit, non facit irritum, vt abroget promissiones. Primùm, inquit, Testamentum Dei, primáque promissio iustificationẽ offert absque operibus. Non ergo testamentum illud confirmatum, re-

Trigesima sexta ceptum, & approbatum coarctatur per legem, quæ tandiu postea fuit lata. Si data esset lex, quæ posset viuificare, ex lege esset iustitia. Ratio hæc Apostoli non absoluitur, quoniam addenda est antecedentis negatio, nempe legem non posse viuificare. Nam, vt ad Romanos declaratum est, per carnem debilitabatur, licet quoad se ipsam mandata contineret,

Trigesima septima. quæ ad vitam pertinebant. quare cùm definitum sit, legem vim non habere viuificandi, neque iustificare poterit. Cæterùm antequam venisset fides, sub lege custodiebamur, concluſi in eam fidem, quæ erat reuelanda. Itaque lex pædagogus noster fuit ad Christum, vt ex fide iustificaremur. Si lex vt pædagogus se habet, magnam iniuriam Deo & Christo facere mus, qui sunt nobis loco parentũ, si quod eorũ propriũ est, pędagogo adscriberemus. Non est sanè pædagogus, qui facit hęredes, qui adoptat, qui omnia confert, sed pater. Igitur Deo & Christo nostram iustificationẽ adscribamus, non legi, non operibus, aut meritis nostris.

Trigesima octaua. Dicite mihi, qui sub lege vultis esse, legem ipsam non auditis? scriptum est enim, quòd Abrahã duos filios habuit, vnum de ancilla, & vnũ de libera: & qui de ancilla, secundũ carnẽ natus est: qui verò de libera, iuxta promissionẽ, quæ per allegoriã dicunt: nam hęc sunt duo Testamenta: vnũ quidem à monte Sina in seruitutem generans, qui est Agar: nam Agar, Sina mons est in Arabia, coniungitur autem ei, quæ nunc est Hierusalem, seruit autem cum filijs suis. At quæ sursum est Hierusalem, libera est, quæ est mater omniũ nostrũm. In his verbis illud præcipuè notandũ, legẽ ipsam non generare, nisi quemadmodũ Agar, in seruitutẽ. Quòd si cum operibus suis iustificare posset, generaret in libertatẽ, (nam quid est aliud iustificatio, quàm libertas quædam à peccato?) sed quum & serua dicatur, & in seruitutem ge-

Trigesima nona nerare, inde non est expectanda iustificatio. In 5. scribitur, Si circuncidamini, Christus vobis nihil proderit. Et sententiæ prolatæ rationem affert: qui enim, inquit, circunciditur, debitor est totius legis seruandę. Adeò Paulus aufert à circuncisione, ac operibus iustificationem, vt dicat, Christum nihil prodesse, si modò credentes circuncidantur. Atque adhuc magis quod dictum est, confirmauit, Christus vobis factus est ociosus: nam si iustificationem habetis, vt fructum operum vestrorum, Christi aduẽtus, mors, & sanguinis effusio non fuerunt necessaria. Et ego si circuncisionem prædico, vt quid persequutionem patior? Abolitum est scandalum crucis. offensio & scandalũ crucis est, homines vitiosos & alioquin pec-

Quadragesima catores, pro iustis haberi à Deo, per Christum cruci suffixum, & fidem in illum: hîc offendi tur caro, hîc ratio prorsus reclamat, quod non accidit, quum prędicatur iustificatio ex ope-

Quadragesima prima. ribus, aut ceremonialibus, aut moralibus. At Deus vult hoc manere scãdalum, quia illi placuit per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. Ad Ephes. cap. 2. habes: Et vos cùm mortui essetis delictis ac peccatis, in quibus aliquãdo ambulastis iuxta seculum huius mundi, iuxta principem potestatis aeris, & spiritus nunc agentis in filijs incredulitatis, inter quos & nos omnes conuersabamur aliquando in concupiscentijs carnis nostræ, facientes quæ sunt carnis, & cogitationum, vtq; græcè habetur καὶ τῶν διανοιῶν, & eramus natura filij iræ, sicut cæteri. Annotemus in his verbis homines ab initio priusquã ad Christum veniãt, mortuos esse in peccatis, & ideo non se moueri ad id posse, vt viuant, & iustificentur: quis vnquam vidit mortuum seipsum iuuantem? Ostenduntur præterea fuisse in potestate principis tenebrarum, qui operatur, & efficax est in filijs incredulitatis. Cùm ergo ab illo agitarentur, quomodo ad iustificationem per sua opera tendere poterant? Ac ne putes tantùm de alijs quibusdam impijs institutum sermonem, adiecit, nos omnes, complectẽs etiam Apostolos, inter illos, inquit, eramus. Et quid tunc à nobis agebatur? in concupiscentijs carnis nostræ versabamur. Vtque intellígatur istas cupiditates non solùm esse prauos affectus crassioris animæ, sequitur: facientes voluntates carnis, & mentis, aut rationis, & cogitata, aut inuẽta humanæ rationis persequebamur. Si tales eramus omnes, vnde prouenit salus & iustificatio? Sed Deus, qui diues est in misericordia, propter multam charitatẽ suam, qua dilexit nos, etiã cùm essemus mortui in delictis, cõuiuificauit cũ Christo. At quo instru-

Quadragesima secunda. mento est vsus, vt nostram salutem nobis conferret? Gratia enim, inquit, seruati estis per fidem, idq; non ex vobis. Dei donum est: non ex operibus, ne quis glorietur. Potuerunt ne apertius opera excludi? Quo igitur loco illa ponemus? Iustificationem sequentur. Subiecit enim Apostolus: Nam ipsius sumus opus conditi in Christo Iesu, ad opera bona, quæ præparauit Deus, vt in eis ambularemus. antea verò nõ potuerũt in nobis extare, quod pulchrè

Quadragesima tertia. sic describitur: Eratis in tempore illo sine Christo, abalienati à repub. Israelis, extranei à Testamen-

ſtamentis promiſsionis, ſpem non habentes, & Deo carentes in mundo. In hoc ſtatu quis bona opera ſibi fingat, quibus homines iuſtificationem promereantur? Et ad Philippenſes capite tertio: Si quiſquam alius videtur in carne fiduciam habere, ego magis habeo, circunciſus octauo die, Iſrael ex genere, tribus Beniamin, Hebreus ex Hebreis, iuxta legē Phariſæus, ſecundum æmulationem perſequens Eccleſiam Dei, iuxta iuſtitiam, quæ eſt in lege, factus irreprehenſibilis. Quum tot & tanta Paulus habuerit ante conuerſionem, poſſetque in carne fidere ac gloriari, videamus obſecro, quid tandem pronuntiet de his omnibus. Hæc, inquit, ſi conferantur ad iuſtitiam veram, quæ eſt per fidem Chriſti, damna arbitror, reiectamenta & ſtercora. ſi iuſtificationem inde aſſequeremur, eſſent enim pro damnis habenda tam vtilia, pro reiectamētis adeò precioſa & ſancta, pro ſtercoribus quæ Deo probarentur, & placerent? Videat Paulus quid hîc dixerit, aut videant potius lectores, ne Sophiſtis magis, quàm Paulo credant. Ad Coloſſenſes capite primo: Et vos, qui quondam eratis abalienati & inimici mente in operibus malis, nunc tamen reconciliauit in corpore carnis ſuæ per mortem. Hîc ſingula verba ſunt notanda, vt videamus abalienatis à Deo non expectanda illa, per quæ in gratiam redeant: ab inimicis mente non haberi poſſe pacem, quæ coniuncta eſt cum iuſtificatione: ab his, qui dicuntur eſſe in operibus malis, priuſquam mutentur, non eſſe poſſe bona opera. Sed cuiuſmodi ea fuerint, ſecundo capite aperitur, quum ſcriptum ibi ſit: Et vos quum eſſetis mortui per delicta, & per præputium carnis veſtræ, ſimul cum illo viuificauit, condonans omnia delicta, deleto, quod aduerſus nos erat, chirographo. Ad Timotheum ſecunda, capite primo: Qui vocauit nos vocatione ſancta, non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum propoſitum & gratiam, quæ data eſt nobis per Chriſtum Ieſum. De vocatione hîc agitur efficaci, qua homines iuſtificantur, non de vulgari, quoad prædicationem verbi Dei, quæ omnibus exponitur. Cúmque iſta non conſtet, vt dicit Paulus, meritis aut operibus, ex illis neque iuſtificatio prodibit. Ad Titum habetur: Bonitas & amor erga nos apparuit ſeruatoris noſtri Dei, non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecerimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit. Nec non ad Hebræos vnicum ſacrificium conſtituitur, & vna hoſtia, nempe Chriſti mors, per quam deleantur peccata, & homines expientur. Quare ab operibus non eſt iuſtificatio expectanda. ſatisque nobis eſſe oportet, opera bona, quæ facimus poſt iuſtificationem, ſacrificia eſſe εὐχαριστικὰ, ne illa conſtituamus propitiatoria, quòd in Chriſti maximam iniuriam vergeret. Cæterùm ſepoſitis paulinis epiſtolis, ex aliis diuinarum literarum locis teſtimonia petemus. Chriſtus Matthæi ſeptimo inquit: Omnis arbor bona fructus bonos facit, putris autem arbor, fructus malos facit. Et quò magis non regeneratorum ingenium declaretur, additum eſt: Non poteſt arbor bona fructus malos facere, neque arbor putris fructus bonos facere. Quum igitur Chriſtus dicat, hoc non poſſe fieri, quomodo iſti hoc ſtatuunt eſſe poſsibile? atque aiunt ex operibus poſſe homines iuſtificari? Vtitur Chriſtus eadem ratione Matthæi 12. Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum: aut facite arborem vitioſam, & fructum eius malum, nam è fructu arbor cognoſcitur. Progenies vipe rarum, quomodo poteſtis bona loqui, quum ſitis mali? ſiquidem ex abundantia cordis os loquitur. Bonus homo è bono theſauro cordis exprimit bona: & malus homo ex malo theſauro depromit mala. Indicant iſta Chriſti verba, homines nondum regeneratos malas eſſe arbores, quæ neque bonum fructum faciant, neque facere poſsint: & impios teſtatur non poſſe bona loqui, nedum operari: atque ſemper ex malo theſauro cordis expectanda tantùm eſſe mala. Quod cùm ita ſit, videatis an mali dici debeāt, qui à Chriſto ſunt alieni? Certè niſi illi mali ſint, nullus noſtrûm Chriſto adhęrens dici poterit bonus. Et Luc. 17. Quis autem veſtrûm habens ſeruum arantem aut paſcentem, qui regreſſo ab agro dicat ſtatim, tranſi & accummbe, ac non potius dicat illi, para quod cœnem: præcinge te & miniſtra mihi, donec edero & bibero, & poſt hæc, edito & bibito tu. Num gratiam habet ſeruo illi, quia fecit quæ ei imperata fuerant? non puto. Sic & vos quum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite, ſerui inutiles ſumus, quod debuimus facere, fecimus. Hæc Chriſtus loquitur ſuis diſcipulis, Apoſtolis inquam, & iam ad ſalutem conuerſis: qui ſi opera faciunt inutilia, quid cenſebimus de his, qui nondum fidem Chriſti ſuſceperunt? Verùm Sophiſtæ adeò mundum infatuarunt, vt & opera ante iuſtificationem dixerint aliquo modo eam promereri, & quæ ſequuntur, vtiliſsima dixerint. vnde iam homines quodammodo voluerunt cum Deo inire rationem, & globulis numerum precum ſupputare. Illis enim quid aliud ſibi voluerunt, quàm certò numero ſignare, quoties pater noſter, aut Aue Maria recitarint, vt certò certius Deum ſibi obſtrictum ex illa recitatione

Quadrageſima quarta.

Quadrageſima quinta.

Quadrageſima ſexta.

Quadrageſima ſeptima.

Quadrageſima octaua.

Quadrageſima nona.

Quinquageſima.

Quinquageſima prima.

Quinquageſima ſecunda.

Quinquagesima tertia.

haberent? Ioannis cap. 15. Christus cõfertur viti, & nos palmitibus. Vnde ait: Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, & vos palmites, qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum. Et si qui in me non manserint, eijciuntur foras, sicut palmites, aut sarmenta, & colligẽt eos, & in ignem conijcient. Verbis Domini iam recitatis, quomodo cõgruit homines à Christo alienos, necdum regeneratos bona facere opera, quibus iustificari possint? quum dicantur aridi palmites, qui in ignem conijcientur? & affirmetur solos posse ferre fructũ eos, qui Christo hærent, vt palmites viti? Vtq; melius Christi voluntas intelligatur, adiectum est: Sine me nihil potestis facere. Quam sententiã quidam volunt offuscare, dicendo, nihil sine Christo, quà Deus est, posse fieri, cùm sit prima omnium rerum causa: quasi Dominus tum disputaret de generali rerum naturaliũ conseruatione, ac vi, qua Deus cuncta in vniuersum producit. Non venit Christus in mundum, vt hanc doceret philosophiam: agebat sanè de fructu salutis & & æternæ vitæ: ac de his loquebatur, qui suæ doctrinæ adhærerent, vel ab illo essent alieni. Iusit adhæc filius Dei, vt in suis precibus credentes dicerent: remittas nobis debita nostra. Significans etiam fideles opus habere in his, quæ agant, condonatione, sunt enim opera nostra imperfecta, neque satisfaciũt. Quare si merito Christi opera nostra, quæ facimus renati, sunt expianda, & id precamur, quomodo ipsa poterunt esse propitiatoria? Multò itaque minus de his, quę ante regenerationẽ fiunt, sentire licet, ea Deo placere. Nullus præterea iure potest dicere, se in hoc numero non esse, quum Deus omnibus præcepe-

Quinquagesima quarta.

Quinquagesima quinta.

rit sic orare, ac neminem voluerit orando mentiri. Quin & Ioannes scripsit: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Nullumq; arbitror iudicaturum par esse, vt plures mediatores inducantur, quum vnus sit mediator Dei & hominum homo Christus Iesus. At si præter illum & merita eius nos iustificarent opera nostra, illa inter nos & Deum intercederent, neque Christus vnicus esset mediator. Orant præterea Prophetæ passim, ac Dauid, vt Deus lauet, mundet, expiet, & purget sua peccata, scilicet condonando & remittendo: quòd si operibus suis id possent acquirere, nõ esset pe-

Quinquagesima sexta.

Quinquagesima septima.

Quinquagesima octaua.

tendum, aut non saltem tanta instantia. Et in Iobo 15, scribitur, neque cœlos mundos esse coram Deo. Et in 4. cap. Angelos prædicat non esse puros. Quales igitur homines erunt, priusquam iustificationem obtineant? Dauid etiam in Psalmis clamabat: Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Esaias vocat sitientes ad aquas, iubetq; vt emant absque argento. At nostri & meritis & operibus, & argento mereri ac iustificari volunt. Deinde cap. 40. idem cùm vocem audiret, qua sibi dicebatur, clama, respondit: quid clamabo, & dictum est illi, vt clamaret, Omnis caro fœnum & חסדו & pietas seu religio, aut misericordia eius, qua proximo subuenitur, sicut flos agri, hoc est, res euanida, quæ statim flacceſit, neque potest subsistere. Idemq; sensit cap. 64. vbi ait: Omnes iustitiæ nostræ vt pannus menstruatæ. Quam sententiam siue quis applicet operibus factis post regenera-

Quinquagesima nona.

Sexagesima.

Sexagesima prima.

Sexagesima secunda.

nem, siue antea, mea non refert, vtrunq; enim pro me faciet. Et in eodem cap. subdit: Deus noster, nos lutum sumus, tu fictor noster, & nos opus manuum tuarum. Eademq; similitudine luti & figuli Paulus est vsus ad Romanos 9. qua pulchrè declaratur, nos tantum posse ad nostram iustificationem conferre, quãtum potest lutum erga figulum, vt se hoc, vel illo modo fingat. Possumus etiam commemorare, quæ de prauitate cordis nostri traduntur, cùm in Genesi, tum in Hieremia: sed puto iam satis pro nostra propositione confirmanda testimoniorum esse adductum. Nunc tantũmodo hæc dicam, fuisse homines adeò temerarios,

Sexagesima tertia.

vt honestis non solùm operibus, quæq;, vt dicunt, moraliter bona sunt, meritum aliquod iustificationis tribuerint, verùm etiam superstitionibus à se inuentis atque confictis. Quis enim ignorat rithmos publicè iactatos de aqua lustrali, Aqua benedicta deleantur tua delicta, sit tibi laus & vita. Cucullis etiam, vsui candelarum, & ramorum oleæ, & palmæ cineribus, & peregrinationibus affixæ sunt peccatorum condonationes. Ex his igitur, quæ malè sunt interpretati in sacris literis de meritis, progressi sunt ad tam stulta & impia. Certè non intelligunt, nisi qui experiuntur longè difficillimum esse, vt cor contritum, deiectum & fessum onere peccatorum, quum ingemiscit & premitur in promissionibus Dei gratuitis per Christum acquiescat. Ibi enim plurimùm laborat, vt fide solida tandem aliquando stabiliatur. Quòd si iusserimus cum Sophistis, vt ad sua opera respiciat, quiesceret nunquam, excruciabitur semper, & de salute semper dubitabit, & denique absorbebitur desperatione. Nemo arbitretur, cùm hac de re disputamus, tractationem vanam, aut λογομαχίαν instituí, res est qua vendicatur honor Christi, & quod eius est proprium, vt iustificet, & peccata cõdonet, quærimus, vt operib. aut cuiuis alij nostræ rei minimè tribuatur, quærimus, vt firma sit promissio,

Aquæ lustrali cõcessa est remissio peccatorum. & alijs magis.

Difficillimũ est acquiescere promissionibus Dei.

Quis sit finis & fructus huius disputationis.

missio, & vt afflictæ conscientiæ in verbis & promissis Dei consolationẽ recipiant. Quæri mus demum, vt Euangeliũ à lege distinguatur, & lex ab Euangelio, quod illi facere non possunt, qui iustificationem operibus adscribunt, & hæc simul confundunt, & pernitiosè admiscent. Atque pro ista confirmanda propositione, quanuis permultas alias rationes, ac penè infinitas possum adducere, attamen iam allatis contentus, alijs supersedebo: etenim qui nõ mouentur his, neq; tangentur alijs. Non tamẽ dissimulandũ est, quibusnã suffugijs aut strophis consueuerint Sophistæ hanc propositã doctrinã eludere, ac obscurare. Primũ dicunt sacras literas, quoties operib. vim iustificandi adimunt, id solùm facere quoad ceremonias veteris legis, nõ tamẽ quoad opera iusta ac recta, quæ vulgò ab illis moralia vocantur. Qua in re vt homines fallantur, ipsamet scripturarũ testimonia, & præsertim Pauli, de quo id maximè affirmant, euincẽt facillimè. Nam licet multa dicãtur ab hoc Apostolo, quę cùm ritus, tum ceremonias legis videantur spectare, plurima tamen alia disputãdo scribit, quibus nõ tantùm de ceremonijs, verùm etiam de ipsis alijs legibus iustitiæ ac probitatis mõstrat se loqui, imò prorsus de his, quę ad mores, & ad ipsum Decalogũ pertinent. Et in primo cap. arguens Gentes, quòd absq; fide Christi non essent iustificatæ, illarũ ponit ob oculos opera, scilicet idololatriã, fœdas libidines, & bene longum ad finẽ capitis retexit catalogũ vitiorũ, quibus laborabãt, nilq; de mosaicis loquitur ceremonijs. Vnde cùm illa, quæ cõmemorat Decalogo, & morali aduersentur legi, de ea etiã credendũ est, illum intelligere, quæ scribit. Et in 2. ca. arguit ludęos peccatorũ eiusdem generis. Nam dicit: Qui doces aliũ, te ipsum nõ doces? Qui prædicas non furandum, furaris? non mœchandũ, mœcharis? quiq; detestaris idola, sacrilegium facis? Quis non animaduertit, hæc in lege Decalogi haberi? Et in 3. ad huc manifestius de eadem agit, cùm scribit: Non est iustus quisquã, non est intelligens, aut requirens Deum, omnes declinauerũt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonũ, non est vsq; ad vnum. Hæc vt videmus, eiusdẽ sunt farinæ, atq; ad mores attinent. Quòd si de ceremonialib. legibus tantùm loqui voluisset Apostolus, hęc non mouisset. Idq; colligitur eui dentius, quia cùm dixisset, ex operib. legis non iustificari omnẽ carnem, addidit: Per legem enim cognitio peccati. Hæc itaq; lex non iustificat, per quam cognoscimus peccatũ. Iuxta quod etiam dixit in 4. cap. Lex iram operatur, tantũ abest, vt iustificet: at omnes apertè satis cognoscũt magis per Decalogũ, quàm per ceremoniarũ præcepta intelligi peccata, & iram Dei aduersus trãsgressores irritari. Mitto etiam, generalẽ esse illam sententiã, qua dicitur in 4. ei qui operatur, mercedẽ non imputari secundũ gratiam, sed secundũ debitum. Atq; voluisse Deũ ex gratia hæreditatẽ constare, vt firma promissio permaneret, & non mutaret, vt gloriatio nostra excluderetur, quæ non minor est de bonis operib. moralibus, quàm de ceremonijs. Habetur etiã in 5. cap. legẽ subintrasse, vt abundaret peccatũ, & vbi abũdauit peccatũ, superabundauit & gratia. Hæc quoq; non tantũ ad ceremonias trahi possunt. Deinde in 6. cùm illi obijceretur, sic deprimendo opera & legẽ, videri eum aperire ianuã laxæ vitæ atq; socordię, & peccatis, quemadmodũ nobis quotidie opponitur, respõdit: Nobis nõ esse manendũ in peccato, cùm illi simus iam mortui. Per baptismũ, inquit, sepulti sumus cũ Christo, vt sicut ipse mortuus est, & resurrexit, ita & nos in nouitate vitę ambulemus. Admonet que, vt sicut Christus semel est mortuus, & non amplius moritur, sic nos existimemus mortuos peccato, viuentes autẽ Deo. Et addit, curandũ esse, ne peccatũ regnet in nostro mortali corpore: neue exhibeamus membra nostra arma iniquitatis peccato, sed nos ipsos exhibeamus Deo, tanquam ex mortuis viuentes, & membra nostra iustitię in sanctificationem. Ista quæ recensuimus, cæteráque quæ sequuntur ferè vsque ad finem capitis, videntúrne ad ceremonias mosaicas spectare, an potius ad vitam iustam, & synceram, & moralem? Res tam aperta est, vt nihil sit opus quæstione: tamen quæ scribuntur in 7. capite, multò adhuc sunt clariora. Affectus, inquit, qui sunt in mẽbris, per legẽ vigebãt vt fructificaremus morti. Qui autẽ sunt isti affectus, nisi cupiditates, libidines, iræ, odia, inuidiæ: quæ ad Gal. in illo catalogo recensentur, vbi opera carnis ab operib. spiritus distiguuntur? Atq; hęc omnia nihil dubiũ est, ad Decalogũ pertinere. Quod vt magis intelligeremus, Paulus subiecit: Quid ergo dicemus? Lex peccatũ est? Absit: sed peccatũ non cognoui nisi per legem. Nam concupiscentiã ignorabã, nisi lex dixisset, Non cõcupisces. Et, Lex quidẽ sancta, mandatũ sanctũ & iustũ, & bonũ. Et, Lex quidẽ spiritualis est: ego autẽ carnalis sum venũdatus sub peccato. Quod enim facio, nõ probo. Non enim quod volo bonũ, hoc ago: sed quod nolo malum, illud facio. vnde non iam ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Non enim habitat in me, hoc est, in carne mea bonum. Condelector legi Dei secundum interiorẽ hominem, & sentio aliam legem in membris meis, reluctentẽ legi mentis meæ. Infelix ego ho-

Testimonia Pauli, quibus euincitur moralia opera excludi à iustificandi.

mo, quis me liberabit de lege peccati, & mortis? Igitur mente quidem seruio legi Dei, carne autem legi peccati. Quicunque hæc testimonia singula expenderit, facilè videbit, sermonem ab Apostolo institutum esse de Decalogo, cuius etiam in his verbis aperta fit mentio. Ista autem verba, quæ postea sequuntur octauo capite: Quod impossibile erat legi, quatenus infirmabatur per carnem, Deus mittens filium suum in similitudinem carnis peccati, de peccato damnauit peccatū in carne, ista, inquam, verba nō possunt exponi de lege cæremoniarum, multò verò minus ea, quæ sequuntur in eodem capite: Debitores sumus, non carni, vt secundum carnem viuamus. si enim secundum carnem vixeritis, moriemini. Si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Ne hoc quidem referri potest ad ceremonias, quemadmodum ne illud quidem ad Galatas: Lex propter trangressiones posita est. vbi enim non est lex, ibi non est transgressio. Et certum est, neque gloriationem excludi, neque firmam fore promissionem, si iustificatio nostra pendeat ab obseruatione Decalogi, & moralium præceptorum: quantumuis remoueas ritus, & ceremonias mosaicas. Sed longè firmissimus locus est ex vndecimo capite huius epistolæ ad Romanos: Quòd si ex operibus, non ex gratia: si ex gratia, non ex operibus. Hæc ἀντίθεσις vniuersalis est, nec vllo modo contrahi potest ad ceremonias. Mitto etiam id, quod Paulus habet ad Philippenses, se, præter illa mosaica, etiam quod attinet ad iustitiam, quæ est ex lege, versatum fuisse sine querela. Nam quod ad Ephesios capite secundo scribit, Non ex operibus, ne quis glorietur, scribit ad Gentes. Quare opera ea, quæ excludit à iustificatione, non possumus intelligere fuisse ceremonias: nam illæ à Gentibus non colebantur. Sed quid dicent de epistola ad Timotheum, vbi capite 2. simpliciter, & absolutè dicimur vocati non propter opera nostra, sed iuxta propositum, & gratiam? Et ad Titum, Non ex operibus, inquit, iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit? Hæc omnia ita sunt perspicua, vt nulla egeāt interpretatione. Nemo enim tam hebes est, quin vbi ista semel audierit, facilè intelligat, ea ad ceremonias, & mosaica sacra torqueri sine iniuria non posse. Sed velim ex istis intelligere, cur operibus ceremoniarū vim iustificandi auferant, eam autem moralibus operib. tam facilè tribuant? Nónne Deum colere statis, & certis ritibus, ab ipso præceptis, ad bonos, & laudabiles mores pertinet? Nónne ritus, & sacra, quæ pro illo tēpore populo iudaico imponebantur, mandabantur in Decalogo? Certè vbi sabbatum iubetur obseruari, ibi hæc omnia continentur. Et isti ipsi Sophistæ nónne hodie suis sacramentis, & olim in veteri Testamento circuncisioni attribuunt condonationem peccatorum, & collationem gratiæ? Quæ est ista noua constantia modò dicere, ritus mosaicos nullam habuisse vim ad iustificandum, modò fateri, illa fuisse veterum patrum sacramenta, & originale peccatum paruulis in circuncisione fuisse condonatum? Atqui id nos non affirmamus, imò prorsus negamus, vlla sacramenta conferre gratiam: Offerunt quidem eam illa, sed in significatione. Nam in sacramentis, & verbis, & visibilibus signis proponitur nobis promissio Dei per Christum facta: quam si fide apprehendimus, & gratiam consequimur maiorem, quàm ea fuit, quam antè habuimus, & donum Dei, quod fide complexi sumus, sigillo sacramentorum obsignamus. Istos autem satis mirarari non possum, qui eandem rem & affirment, & negent. Occurrunt, verò parum prudenter, vt solent, se non adimere sacris veterum, & præsertim circuncisioni vim iustificandi in vniuersum: sed tantùm ab eo tempore, ex quo promulgatum est Euangelium: de quo tempore solo natam aiunt Pauli contentionem, ne ritus mosaici amplius retinerentur. Sed hîc quoque pro more suo, & falluntur, & fallunt. Quum enim Apostolus doceat, Abrahamum non fuisse iustificatum ex circuncisione, sed eam postea recepisse, iustificatum ex fide, certè illi ceremoniæ extiam pro tempore Abrahami, quo primùm instituta fuit, aufert vim iustificandi. Et Dauid, quum prædicat, beatitudinem in eo sitam esse, vt peccata non imputentur, quod, vt nunc quidem disputamus, nihil aliud est, quàm iustificari, de suo ne tempore loquitur, an de alieno? Abacuch etiam dum ait, iustum ex fide sua viuere, quemadmodum Paulus luculenter exponit, opera excludit à iustificando, loquutus ne est de suo tempore? Certè & de nostro, & de suo. Denique, quum Paulus diserte scribat ad Galatas, capite tertio, Quotquot sunt ex lege, illi sub maledictione sunt, & eam sententiam probare pergat, vnde, quæso, petit testimonium? certè ex lege. Maledictus, inquit, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis. Quum ergo lex ita loquatur, &, sicuti Paulus ait, maledictione inuoluat omnes suorum præceptorum transgressores, concluditur necessariò, ex illis operibus, quæ ad eam pertinent, neminem posse

Inconstantia Sophistarum.

Sacramenta non conferūt gratiā.

Alia cauillatio.

posse iustificari. Sed isti sese aliò conuertunt. aiunt enim, omnes, qui sint iustificandi, nō esse eiusdem ordinis: Quosdam enim aut ex Hebræis, aut ex Gentibus accedere ad Christianismum: quosdam item, postquam Christum semel receperint, labi in grauia scelera, & rursus esse instaurandos. Nec par, inquiunt, est vtrinq; ratio. illi enim, qui semel nomen dederunt Christo, vbi lapsi fuerint, non possunt recuperare iustitiam, nisi per bona opera: puta per eleemosynas, lachrymas, ieiunia, confessiones, & alia similia: quæ præparationes, & merita non requiruntur ab illis, qui ex infidelitate ad Christum primùm conuertuntur. Sed primùm ego ex istis hominibus sapientissimis audire velim, ex quónam tandem loco diuinarum scripturarū suam istam distinctionem inuenerint? Et quum eadem prorsus, atque vna sit ratio iustificationis, eáque tam ad istos, quàm ad illos pertineat, cur isti alia via debeant ad eam peruenire, illi autem alia? Deinde cur hoc tribuunt lapsis in Christianismo, vt suis operibus mereri possint sibi iustificationem, illis autem, qui ab infidelitate veniunt, idem non tribuunt? An illi, qui fidem non seruauerunt, quum essent in Ecclesia, meliores sint, quàm Ethnici? Non arbitror. nam qui semel gustauerunt bonum Dei verbum, & postea prolabuntur, deteriori conditione sunt quàm alij. Et seruus sciens voluntatem domini sui, & non faciens, grauius punitur. Et, Qui suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem abnegauit, & est infideli deterior. Sed aiunt, non negare se, eos, qui ab infidelitate conuertuntur, posse aliqua opera bona facere, imò posse, etsi ea aliquo modo faciant, eos promereri iustificationem, saltem de congruo, ea tamen non æquè ab illis, atque ab alijs exigi. Sed quum omnia illorum opera, vt aliàs docuimus, sint peccata, quomodo possunt rectè operari coram Deo?

Deinde quomodo ab illis non exiguntur bona opera, antequam ad Christum veniant, & tingantur? quum nemo verè credat, ex ijs, qui regenerantur per Christum, quin eum de vita perditè acta miruminmodum pœniteat? Vbertim enim deflet admissa superioris vitæ, & se grauiter errasse confitetur. Quod nisi faceret, procul dubio fideliter, & verè non crederet. Hæc Augustinus in libro Confessionum ipse de se scribit. Et in Actis Apostolorum: Ephesij, quum se ad Christum contulissent, non modò peccata sua confitebantur, verùm etiam libros, quibus antea ad superstitionem vsi fuerant, comburebant. Verùm dicam, quid istis hominibus imposuerit: Legerunt fortasse apud Patres, multum tributum fuisse lachrymis, ieiunijs, eleemosynis, alijsque pijs operibus pœnitentium. Sed isti non intelligunt, quid in illis locis Patres sibi voluerint. Illi enim agebant de satisfactionibus ecclesiasticis: non de nostris operibus, quibus Deus placandus sit, aut condonatio peccatorum promerenda. Ecclesia enim quum lapsorum fidem interiorem non videat, multi autem sint, qui pudorem excommunicationis non ferentes, speciem aliquam conuersionis, aut pœnitentiæ interdum simulant, quò facilius reconcilientur, & ad communionem aliorum fratrum recipiantur, id ne accideret, fidem illorum, & conuersionem probare voluit, nec lapsos ad fidelium consortium admittere, nisi illi lachrymas, ieiunia, confessiones, eleemosynas haberent, quasi testes veræ & solidæ mutationis. Hæc illi non intelligentes confundunt omnia, & indignissimam hypocrisim adstruunt. Sed isti rursus aliò se subducunt. aiunt enim, opera hominum infidelium non esse peccata, quanuis fiant extra fidem Christi. Fingunt enim, esse generalem quandam & confusam fidem erga Deum: qua præditi, quanuis non credant in Christum, tamen multa efficere possint opera egregia, quæ propter illam ipsam fidem placeant Deo, & iustificationem vtcunque promereantur. Dant, inquiunt, largas eleemosynas: venerantur parentes: patriam magna charitate complectuntur: si quid malè admiserint, ducuntur pœnitudine: viuunt frugaliter: & alia multa similia faciunt, non quidem temere: sed quòd vnum aliquem credant esse Deum, qui huiusmodi officijs gaudeat. Itaque in illa incumbunt, vt ei sese approbent. deinde pingunt, & colorant suum commentum pulchro simili. Truncus, inquiunt, aut palus defossus in terram, sæpe etsi radicem non agat, aut viuat, tamen è terra aliquid succi haurit, atque ita folia aliqua emittit, ac germinat, ac si re vera viueret. Ita homines, inquiunt, à Christo alieni, quanuis spiritu cœlesti non vigeant, tamen afflatu aliquo spiritus præclara illa opera efficiunt, quę descripsimus. Nos verò diuinis literis instituti nullam agnoscimus fidem, qua Deo placeamus, nisi eam solam, quæ sit in Christum Iesum. Neque enim aliud nomen sub cœlo datum est hominibus, quo possimus salui fieri, nisi vnius Christi seruatoris nostri. Et Paulus quoties mentionem facit fidei iustificantis, semper ostendit esse eam, qua aduersus Christum, & eius Euangelium pie afficimur. Verùm ne Paulus hoc solus, & pri-

Aliud cauillum.

Discrimē ponūt inter eos, qui primū ad Christum conuertuntur, et eos, qui lapsi restituuntur.

Lapsi à Christianismo deterioris conditionis sunt, quàm infideles.

Quo sensu Patres tam multis precib. ieiunijs, & lachrymis tribuerunt.

Opera infidelium an sint peccata.

Simile.

Nulla fide placemus Deo, nisi quæ sit in Christum.

uatim videatur facere, rem omnem paulò altius repetam. Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. At ille quid credidit? Hoc scilicet: semen sibi dandum esse, vnicum, videlicet, illud, vt Paulus interpretatur, in quo omnes nationes essent benedicendæ: quod est Christus Iesus. Hoc testamentum illi à Deo confirmatum fuit in Christo: imò Dominus ipse, quum de illo loqueretur: vidit, inquit, diem meum, & gauisus est. Et Iobus capite decimo nono: Ego autem, inquit, scio, quòd redemptor meus viuit: qui & in nouissimo die consurget super iacentes in puluere. Et postquam vermes corroserint corpus istud, videbo Dominum de carne mea: Quem ego videbo pro me, & oculi mei visuri sunt, & non alius. Hæc fides his verbis expositа minimè generalis est, aut confusa. In ea enim capita graphicè descripta sunt, quæ ad Christum pertinent. Primùm enim vocatur redemptor, in quo prædicatur condonatio delictorum. Deinde proponitur aduentus eius ad iudicium, & resurrectio mortuorum: in qua non alia corpora, sed ea ipsa, quæ antè habuerint, sint hominibus restituenda. Additur etiam humana Christi natura, quæ corporeis oculis videri possit. Adhæc, quam fidem isti nobis obsecro, proponunt hominum adhuc infidelium? Nam vera, & firma persuasio, & constans, ac certus assensus promissionibus Dei trahit secum, vt ab initio diximus, omnes bonos animi motus. Quomodo igitur dicunt, istos habere fidem, qui in idololatria, & vitijs turpissimis, & crassissimis hæreant? Credulitatem quidem aliquam vel ex educatione, vel ex humana persuasione, vel ex opinione vtcunque imbibita habere possunt: veram autem vt fidem habeant, quoad sic viuant, non potest vllo modo fieri: nisi fateri volunt, Turcas etiam habere fidem. illi enim multis rebus assentiuntur, quas nos profitemur, & credimus. Sed isti locum illum Pauli ex priori ad Corinthios, Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum, nō modo intelligi volunt de vera fide, sed etiam aiunt eam seiungi posse à charitate: verùm si ita fiat, illam fatentur nihil esse profuturam. Quum ergo illum locum ita exponant, quomodo Paulo suffragantur, quum dicant: fidem generalem, & confusam, qua homines adhuc à Christo alieni præditi sint, elicere posse opera bona, quæ mereantur de congruo iustificationem, & placeant Deo, quum ille dicat, etiam veram fidem, vt illi interpretantur, sine charitate nihil prodesse? Simile verò illud, quod adferunt de trunco, aut palo in terram defixo, illorum sententiam prorsus euertit. Nam etsi, quum sit mortuus, videatur viuere, tamen re vera non viuit. Et sapiens agricola videt illam germinationem inutilem esse: & eiusmodi folia, vt vana, & crassa abijcit, & perdit. Non alio loco sunt apud Deum opera illa, quæ isti ita colorant, & ornant. Comminiscuntur etiam fictionem aliam à priori non multùm abhorrentem. aiunt enim, opera illa infidelium non fieri absque gratia. Est enim, inquiunt, gratia quædam generalis omnibus exposita, & communis etiam hominibus non regeneratis, qua vtcunque adiuti, possint mereri iustificationem, & facere opera, quæ placeant Deo. Sed hoc quum dicunt, incidunt in hæresim Pelagij. is enim etiam docuit, homines absque gratia Christi naturæ ipsius viribus, & doctrina legis posse edere opera bona, per quæ iustificentur. Neque istorum causam quicquam leuat, quòd dicunt, se ista non referre ad naturam, sed ad gratiam, quam Pelagiani prorsus negabant. verbis enim videri volunt ab illis dissentire, quum re vera cum illis maximè consentiant. Nam statuendo gratiam, qua iustitiam sibi comparent sine Christo, aduersantur & illi & Mileuitano concilio, & sacris literis. Deinde quum gratiam faciunt omnibus communem, eam vertunt in naturam: eáque dicunt alios vti velle, alios nolle. Atque hanc gratiam præuenientem vocant: illam alteram absolutiorem appellant subsequentem. Id nos, si rectè intelligatur, non inficiamur. Fatemur enim esse aliam gratiam præuenientem, aliam subsequentem: verùm idem est Dei fauor per Christum, quo & præuenimur, vt rectè velimus, & postea regenerati iuuamur, & accendimur, vt rectè viuamus. Nam quis vnquam dubitauit, nos, vt immutemur, & reparemur in Christo, à Deo præueniri? Desiperet supra modum, qui diceret nos ad nostram conuersionem præuenire auxilium Dei. Ille prius nos diligit, quàm à nobis diligi incipiat: ille prius fauore, ac spiritu suo nos instigat, quàm nos boni quicquam aut velle, aut cogitare possimus. Sed in hoc est error, si putemus homines præditos esse gratia Christi, quum adhuc non renascantur, nec renouentur in Christo. Dantur quidem illis interdum illustrationes aliquæ: at si illæ non ita sint vehementes & efficaces, vt immutent eorum animos, ad iudicium, & condemnationem illorum, non autem ad salutem faciunt: quod illorum ipsorum peccata, qui ita illuminantur, credenda sunt promereri. Et ne quis nesciat, quid isti sentiant, scire debemus, illos affirmare, Paulum exclu-

Abrahamus iustificatus est fide in Christum.

Vera fides trahit secum omnes bonos animi motus.

Alieni à Christo possunt habere credulitatem, at nō ueram fidem.

Turcæ nō habēt ueră fidem, licet multa uera nobiscum credant.

Ponunt in infidelibus gratiă, ex qua bona opera faciant.

Hæresis pelag.

Gratia præueniens & subsequens.

Quædă concedendæ sunt infideliū illustrationes.

excludere à iuſtificatione illa tantùm opera, quæ ab illis fiunt per ſolum liberum arbitrium, & adminiculum legis. Sed ſcire ex iſtis velim, quæ nam tandem ſint iſta opera, quæ ita fiant ab hominibus. Non certè ſunt craſſa, & ſordida vitia, qualia ſunt, homicidia, ſcortationes, adulteria, furta, & alia ſimilia. Hæc enim non adminiculo legis fiunt, ſed impulſu potius carnis, & diaboli. Nec ſunt opera naturalia, vt ludere, arare, metere, nauigare. de his enim rebus in lege nihil præcipitur. Superſunt ergo tantùm honeſta opera ciuilia, ſiue moralia: vt venerari parentes, iuuare pauperes, dolere de turpiter admiſsis. Iſta enim & præcipiuntur in lege, & ab arbitrio libero vt iſti putant, poſſunt effici: his omnibus, inquiunt, Paulus adimit vim iuſtificandi. At quæ nam ſuperſunt alia bona opera? ego certè nulla video: niſi ea fortè intelligant, quæ fiunt ab hominibus iam iuſtificatis: nam ante iuſtificationem alia habemus nulla, præter iam commemorata. Quum ergo iſti excludant & peccata, & opera naturalia, & iſta moralia, de quibus lex præcipit, excludunt omnia. Dicant ergo, ex quibus tandem operibus velint homines iuſtificari? Quòd ſi ſaperent, hoc ſemper haberent ante oculos: ſi ex gratia, non ex operibus: & ſi ex operibus, non ex grasia. neque ad iſtam tam ineptam, & falſam, & frigidam cauillationem refugerent, vt dicerent, Paulum intelligendum eſſe de ſolis operibus, quæ fide, & gratia qualicunque ſint deſtituta. Quomodo iſti audent hæc dicere, quum ferre non poſsint, ſi quis dicat, homines iuſtificeri ſola fide? Additis, inquiunt, vocem illam, Solam, de veſtro: non extat in ſacris literis. Hoc ſi rectè iaciunt contra nos, cur idem ipſi commitunt? cur id ſibi licere volunt, quod nolint alijs? Quum ergo Paulus adimat operibus vim iuſtificandi, non adijciat, Solis, quomodo eam vocem illis licuit addere? Nos verò, vt ad fidem addamus, Solam, argumenta habemus è ſacris literis firmiſsima: & ſermone vtimur, quemadmodum docebimus, apud omnes Patres recepto, & vſitato. Verùm audiamus, quid etiam hac de re garriant. Paulo, inquiunt, negotium maximè fuit cum ludæis, qui putauerunt, ſe ita iuſtificari poſſe operibus, præſertim legis, vt nihil opus foret Chriſto. In hoc vnũ ergo incumbit Apoſtolus. Atqui quęcunque ſcribit, ea ego illum arbitror ſcripſiſſe ad Eccleſiam, quæ & ex Iudæis, & ex Gentibus vnà Chriſtum confitentibus, conflata erat. Ecquos ex iſtis fuiſſe putant, qui ſalutem ſibi pollicerentur ſine Chriſto? Certè ſi qui fuiſſent, eos Eccleſia non tuliſſet. Erant tamen, qui vnà cum Chriſto retinere vellent ceremonias, quibus nimiũ tribuebant: fuiſſe autem, qui Chriſtum excluderent, non eſt credibile. Adhæc Paulus cùm iſta docet, non tantùm Iudæos inſtituit, ſed etiam Gentes: vt clariſsimè apparet ex epiſtola ad Epheſios, vbi ait, hominem iuſtificari ex fide: idq; inquit, non ex vobis, ne quis glorietur: & illo loco nominatim illos appellat Gentes, ad quos ſcribit, maximè verò ſecundo capite. Quare hoc cõmentum vanum eſt & ridiculum. Sed nunc veniemus ad illorum ſacram ancoram. Duplex, inquiunt, eſt meritum, aliud congrui, aliud condigni. Fatentur autem opera, quæ præcedunt iuſtificationem, non mereri de condigno iuſtificationem, ſed tantùm de congruo. Si quæras, quidnam ſibi velint, quum dicunt, meritum congrui, reſpondebunt, ſe illud tribuere illis operibus, quę ſua natura re vera non merentur ſalutem: niſi quantum illis ex quadam Dei bonitate promittitur. Et tales eſſe volunt actiones morales, quæ à multis fiunt ante iuſtificationem. Illud autem ſtatuunt eſſe meritum de condigno, cuius cauſa omnino debetur merces: idque adſcribunt operibus, quæ fiunt à pijs poſt regenerationem. Hanc iſti diſtinctionem prorſus putant eſſe palmariam. verùm quum illam non habeant ex ſacris literis, nihil eſt, quòd ſibi de ea tantopere placeant. Quid ſi nos contra docemus, eam apertè & ex diametro pugnare cum verbo Dei? nónne fatebuntur, hoc ſuum tantum inuentum, fuiſſe à ſe repertum & excogitatum, vt noſtra argumenta eluderent? Paulus quum loqueretur de hominibus iuſtificatis, imò de ipſis Chriſti martyribus, qui illa tempeſtate perſequutiones, & grauiſsimas calamitates tolerabant, vt eos conſolaretur, ita ſcripſit: Non ſunt condignę paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Iſti aiunt, paſsiones eiuſmodi eſſe condignas: Paulus autẽ negat eſſe condignas. Quæ hîc eſt conſenſio? vel potius quàm aperta pugna? Et quoniam dicunt in merito congrui tantùm ſpectari promiſſiones Dei, non autem dignitatem aut naturam actionis, oſtendant, quid vnquã Deus promiſerit his operibus, quæ fiunt extra fidem, & religionem Chriſti. Adhæc quis non videat, quàm inepta iſta ſit forma loquutionis? Certè qui digni ſunt aliqua re, ea illis congruit: & quibus recto, ſanóque iudicio aliquid congruit, eo illi iudicandi ſunt digni. Satis ergo liquet, iſtam diſtinctionẽ & malè fabricatam eſſe, & ad eludendas noſtras rationes malitiosè excogitatam. Accuſant tamen iſti nos, quaſi opera, quæ appellant præparatoria, negliga-

Cur dicamur nos iuſtificari fide, ac ea ſola.

Paulus de iuſtificatione ſcripſit ad totam eccleſiam, quæ Iudæis & Gentibus cõſtabat.

Meritũ congrui, & condigni.

mus, vel potius prorsus inficiemur. quod certè non facimus. Etsi enim istorum præparationes non admittimus, aliquas tamen & fatemur, & probamus. Deus enim autor salutis nostrę per Christũ, multis & variis mediis, & gradibus, & viis vtitur, quibus nos adducat ad salutẽ, quæ propter eius prouidentiã, & miram vim, & incredibilẽ erga nos charitatẽ dici possunt prę paratoria: quanuis si naturã rerum ipsarum, & animum nostrũ, & voluntatem in illis gerendis consideres, nihil habeant, cur nostra salus illis adscribi debeat. imò ea saluti nostræ potius aduersantur. Splendidè enim illæ actiones, quæ ab illis appellantur morales, impijs materiam præbent sese efferendi, & sunt occasiones, vt sibi placeant, neque vllam à Christo, aut à syncera pietate salutem quærant. Contrà verò videmus sæpe accidere, vt qui lapsi fuerint in vitia crassiora, facilius tangantur salubri pœnitentia, & ad Christum promptius accedant. Itaq; Christus ait Scribis, & Pharisæis: Meretrices, & Publicani anteuertent vos in regno Dei. Neq; verò pius quisquã dixerit, homines aut scelerũ vitio, aut virtutum ciuilium vi, aut arceri à iustificatione, aut ad eam promoueri. Totum autem in eo situm est, quòd hæc media aliquando Dei gratia destituuntur, interdum autem ab eo ad nostram salutem conuertuntur: vt quanuis, quod attinet ad nos, peccata sint, & sua natura nihil iuuẽt, tamen gubernatione Dei semper adducantur ad optabilem finem. Videas interdum quosdam, hominum quidem iudicio optimè, atque honestissimè viuentes: qui tamen quum intus fastu & superbia flagrant, ita destituantur à Deo, vt in fœdissimos lapsus, & peccata grauissima sese præcipitent: ac ex eo tamen fieri, vt sese facilius agnoscant, & emendentur, & ad ouium Christi caulam redeant. Hoc nobis perspicuè proponitur in Euangelio. Filius prodigus relicto patre, profuso, & perdito patrimonio, eò postremò redactus est, vt se in seruitutem addiceret, & subulcum ageret: quod sanè sine summo probro facere non potuit. nam quum esset ea nobilitate natus, nunquam ad eiusmodi sordes deuisset se demittere. Cæterùm eo loco positus, præclarè secum actum putabat, si vel cum porcis posset siliquas comedere: quarum tamen ipsarum non habuit copiam. hæc illi omnia vitio haud dubiè danda erant. Hinc tamen factum est, vt ipse secum cœperit cogitare: Ah quot mercenarij sunt in ædibus patris mei, qui panè, optimisque cibis abundant? ego autem hîc pereo fame. Hoc pacto in illo excitata est iusta pœnitẽtia: itaque sese prudenter, & piè ad patrem recipit, à quo temerè discesserat. Quis enim nouit arcana Dei consilia, & illius prouidentiæ abyssum profundissimam? Homines sæpe per ea præparat ad salutem, quæ sua natura noxia essent, & lethalia, nisi ille pro sua bonitate eis abuteretur. Id simili ita claro, & perspicuo ostendemus, vt à quouis possit intelligi. Medicus interdum videt aliquem habere crus putre, quod curari nullo modo possit, nisi secetur. Secat. deinde adhibet fomenta, & medicamenta, & ad extremum, hominem restituit. Hîc quæro, illa sectio possit ne videri præparatio ad recuperandam sanitatem? Potest, inquies. sed id suáne natura habet, an vi aliqua & conditione ægrotantis? Non certè natura sua. nam si ægrotus ita sectus relictus fuisset à medico, haud dubiè perijsset. Neque enim qui ita laboraret, suo ingenio, aut suis viribus posset conualescere: imò potius præ dolore, & cruciatu moreretur. Quare quòd sectio sit præparatio ad sanitatem, id acceptũ ferendum est medico, & eius arti. Ita si Deus relinqueret hominem in illis vijs, & gradibus, per quos nonnulli adducuntur ad salutem, in eis miserè periret. Sed quum illis Deus arte sua salutari, & sapientia abutatur, fiunt præparationes ad iustificationẽ: quanuis ea nos nec sua natura quicquam leuent, & nostro vitio, corruptóque ingenio vehementer lædant, nisi accedat gratia Dei. Hoc autem simile hac in parte deficit: quòd medicus ægrotum sine illa sectione fortasse curare non posset: Deus autem infinitis alijs vijs, & rationibus potest nos ad salutem adducere. Idem nunc exemplis exponemus. Iudas, cùm Christum prodidisset, peccatum suum agnouit, & illud publicè confessus est. Dixit enim palàm, se peccasse, & tradidisse sanguinem iustum. Hæc agnitio, & confessio peccati haud dubiè fuissent præparationes ad iustificationem, si illis Deus vti voluisset. Verùm cùm Deus illis non vteretur, quid aliud putabimus, Iudam in eo promeritum, nisi damnationem? Certè sese postea suspendit, & æternùm perijt. Idem videmus contigisse in Caino: nam ille quoque & confessus est peccatum suum, & tamen absorptus est desperatione. Hęc est vis, & natura istarum rerum, si absit Dei gubernatio. Præterea criminantur nos aduersarij, quòd insigni contumelia afficiamus legem Dei, eamq; inutilem faciamus, cùm eam asserimus non posse ab hominibus naturalibus viribus obseruari. Sed isti satis declarant, se nunquam considerasse in scripturis, quæ sint officia legis. Ea enim si viderent, nunquam illam iudicarent inutilem, etsi plenè obseruari non possit. Primum eius officium est, vt Paulus docet, vt indicet peccatum: Per legem enim cognitio peccati. Deinde prouocat iram Dei

Opera præparatoria nõ sunt absolutè negandа.

Media, quibus adducimur ad salutem, ex Christi gratia reddũtur efficacia.

Exemplum filij prodigi.

Simile.

Media & præparatitiones natura sua nil iuuãt, nisi Dei gratia intercedat.

Discrimẽ inter Deũ et medicos

Exemplũ Iudæ.

Lex nõ est inutilis, etsi nõ potest impleri.

Dei: Lex enim iram operatur. Adhæc auget magnitudinem peccati: Lex enim subingressa est, vt abundaret delictum. Maledictionem etiam adducit: Quotquot enim sunt sub lege, sub maledictione sunt. Sed quorsum ita? Vt quasi pædagogus noster sit ad Christum. Nam qui agnoscunt peccata sua, vident imminere iram Dei, & vitia sua sentiunt in dies crescere, & se semper maledictioni magis magisq; fieri obnoxios: tãdem afflante Dei spiritu ad Christum incipiunt anhelare, vt ab illo ex tantis malis eripiantur. Atque hæc est pædagogia legis ad Christum. Quæ cùm ita sint, an potest lex cuiquam videri parùm vtilis? Deinde quis dicat, Aristotelem inutiliter laborasse, cùm tanto artificio traderet rationem syllogismi demonstratiui in suis Analyticis posterioribus? cùm tamen vix vllæ reperiantur rationes, tanto artificio contextæ in vllis facultatibus, aut scientijs sapientum? Nam cùm ignoremus extremas rerum differentias, non possumus perfectè definire, aut ἀπόδειξιν perfectam instituere. Atqui Aristoteles nihilominus optimam nauauit operam. Suis enim illis præclarissimis regulis ostendit, saltem quò esset collimandum, si quis aliquid cõstanter, & firmiter probare vellet. Et Cicero cùm talem nobis adumbrat Oratorem, qualis nemo vnquam nec fuit, nec futurus est, non tamen ludit operam. Hoc enim saltem ostendit, quid ille sibi deberet proponere, qui in ea arte cuperet excellere. Ita Deus proposuit leges suas, vt mortales semper haberent exemplum ante oculos, ad quod vitã suam componerent. Huc adde hominib. regeneratis in Christo leges Dei non esse obseruatu prorsus impossibiles. Cùm enim illi diuino spiritu vires habeant vtcunq; reparatas, impetum autem carnis nonnihil repressum, multa præstare possunt, quæ sint grata, & accepta Deo. Præterea etiam homines nondum regenerati: tamen quod attinet ad externam disciplinam, possunt se vtcunq; ad leges Dei accõmodare. Quod vbi fit, florent respublicæ, & ira Dei in homines minus accenditur, & supplicia, quæ in palàm peccantes diuinitùs effundi solent, ad aliquod tempus euitãtur. Atq; istę sunt nõ leues aut vulgares vtilitates legis, quas illi, qui ista nobis obijciũt, videntur ignorare. Verùm illi istis non contenti, addunt legẽ ipsam ab hominib. non renatis posse seruari. Quòd si quis eius sublimitatem, & difficultatem obijciat, respondent, iustitiam nostram, si cum Dei iustitia, quæ vndiq; absoluta est, conferatur, aut ad legem per seipsam acceptam applicetur, nullam esse. Verùm si iustitia nostra ita comparetur cum lege, vt Deus pro sua bonitate condescendit ad nostram infirmitatem, ita nos posse eam obseruare, & bonis operibus iustificari. Hæc, vt ne sis nescius, est Sophistica distinctio Pighij, qua sibi ausus est vsurpare authoritatem diuinæ legis temperandæ: quæ sanè authoritas nulli mortalium conuenire potest: idque & ex humano, & è diuino iure probare possumus. Habetur enim in Digestis de Legibus, & Senatusconsultis: De his, quæ primò constituuntur, aut interpretatione, aut constitutione optimi principis certius statuendum est: nempe vt non sit in manu cuiusquam hominis, aut iudicis, leges pro arbitrio mitigare, aut nomine alicuius æquitatis transgredi. Sic enim leges efficerentur Lesbia regula: & omnia pro hominum libidine confunderentur. Imò potius hæc regula idcirco traditur, vt si summum ius in aliqua lege scriptum fuerit, æquitas autẽ & moderatio illius summi iuris nullibi exprimatur, iudex ius summum sequi debeat, nec adhibere æquitatem: quam tamen ita demum sequi possit, si in aliqua lege exprimatur. Exempli gratia: Omnes leges consentiunt, si debitor pecuniam non soluat ad diem, & creditor propterea iacturam faciat, debitorem astringi ad illam iacturam sarciendam. Atque id appellant, soluere, quod interest, vel, vt alij loquuntur, interesse. Sed quoniam in Digest. de Regulis Iur. habetur, In omnibus causis pro facto accipitur id, in quo per alium mora est, quin fiat, idcirco si debitor probare possit, non stetisse per se, quin solueret, se enim habuisse pecuniam paratam, & obtulisse, per creditorem autem stetisse, quò minus fieret solutio, etiamsi creditor mille iacturas fecerit propter dilatam solutionem, tamen debitor non astringitur ad compensandum ex æquitate. Nam ex æquitate scripta pro facto habetur, cùm penes alium mora fuerit. Apparet igitur, non esse in potestate iudicis, aut hominis cuiusquam, vt pro suo arbitratu leges temperet. Quod si ita habet in iure Romano, ab hominibus inuento, & promulgato, quid sentiendum est de iure diuino? Illud enim infinitis partibus firmius esse debet, quàm ius humanum. Nec in eo licet nobis æquitatem vllam fingere, nisi cùm eam videamus expressam in scripto. Exempli causa. Lex est, Qui effuderit humanum sanguinem, eius etiam sanguis effundetur. Hîc habemus summum ius: quod certè semper oporteret sequi, nisi id alibi æquitas quandoque temperandum esse docuisset. Sed alibi ita scribitur: Si duo simul proficiscantur in syluam ad ligna cædenda, & securis casu ex alterius manu elapsa alterum propè astantem interficiat, sunto ciuitates aliquot perfugij, ad quas iste homicida se recipiat, & in quibus securus degat, quoad causa co-

Exemplum Aristotelis.

A pijs lex dei quadamtenus obseruatur.

Disciplina ciuili. flagella iræ dei euitãtur.

ἀπόδειξιν legi dei affigere non est hominum.

Argumentum à Romano iure.

Ius diuinum firmius est humano

gnoſcatur: vt ſi probare poſsit innocentiam ſuam in ſummi Pontificis morte dimittatur líber. Hac æquitate, quoniam ſcribebatur in legibus Dei, iudices vti poterant: imò debebant etiam, quoties id viderent negotium, quod agebatur, poſtulare. Ius autem illis fuiſſe pro ſua authoritate leges diuinas inflectere, aut mitigare, nullo teſtimonio ſacrarum literarum probari poteſt. Imò contrà potius iubebantur, vt néue ad ſiniſtram, néue ad dexteram declinarent: & néue adderent quicquam legi Dei, néue detraherent. Vtq; doceamus, legem eſſe impoſsibilem, quod ad noſtras vires attinet, maximè verò antequam ſimus regenerati, non eſt opus longa oratione. Id enim ſcriptura ipſa apertè teſtatur. Paulus enim ita ſcribit capite 8. ad Romanos. Quod impoſsibile erat legi, quatenus infirmabatur per carnem: Et in eodem capite, Prudentia carnis inimica eſt aduerſus Deum: Legi enim Dei non eſt ſubiecta: imò ne poteſt quidem. Et in priori ad Corinthios, Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei: nec enim poteſt: nam illi ſtultitia ſunt. Et Chriſtus, Arbor, inquit, mala non poteſt facere fructus bonos: Et, Quomodo poteſtis bona loqui, cùm ſitis mali? Hęc omnia ſatis docẽt, fieri nõ poſſe, vt humanis viribus, quemadmodũ nunc ſunt, corruptis, & vitiatis lex diuina obſeruetur. Sed de iſtis Papiſtarum ſuffugijs, & Creſphygetis ſint iſta ſatis. Nunc ad ſingulares quaſdam illorum obiectiones veniemus, quibus ſtudent & nobis faceſcere negotium, & ſua mendacia conſtituere. Aiunt, Achabum impium Regem ad minas Eliæ laceraſſe veſtem, induiſſe ſaccum, ita cubauiſſe, & ieiunaſſe, & nudis pedibus inceſsiſſe: ac propterea Dominum dixiſſe Prophetæ: An non vidiſti Achab humiliatum coram me? In diebus eius non inducam malum, ſed in diebus filij eius. Ecce, inquiunt, opera Regis impij, & non dum iuſtificati ita placent Deo, vt Deum ſibi reddiderit placatum. Nos verò cõtendimus, Achabum his factis non fuiſſe iuſtificatum. Nam ſi veram illam fidem habuiſſet, quæ homines iuſtificat, in idololatria, & in alijs craſsiſsimis vitijs non hęſiſſet: minis quidem Prophetę nonnihil commotus eſt: quod autem fecit, ad externam, & ciuilem quandam diſciplinam pertinuit, magis quàm ad veram pœnitentiam. At Deus fatetur, eum coram ſe fuiſſe humiliatum. Reſpondeo: illud, Coram me, referri poteſt, vel ad verba Dei, quæ Achabo denuntiata fuerant per Prophetam: vt ſenſus ſit, coram me, id eſt ad verba mea: vel coram me, id eſt, in Eccleſia Iſraelitica. Facto autem illo, Achabus teſtatus eſt, flagitium, quod patrauerat, ſibi diſplicere: idq; fuit boni & ſani exempli apud multitudinem. Verùm Deus, qui in cor eius intimum intuebatur, vidit, pœnitentiam illam ſimulatam eſſe, & infrugiferam. Ideóque pollicitus eſt, ſe tantummodò dilaturum eſſe ſupplicium: vt quod alioquí in eius dieb. eſſet euenturum, id in diebus filij eius eueniret. Neque id nouum eſt, nec nobis debet eſſe ignotum, propter diſciplinam externam conſeruatam flagella ſuſtineri, & præſentis vitæ grauiſsimas pœnas euitari. Non enim docemus, peccata omnia eſſe paria. Et Deus expectare voluit, dum peccata Amorrhæorum implerentur. Tum autem demùm ira eius ſolet effundi, cùm impudenter, & abſque vllis frænis indulgetur libidinibus, & ſceleribus. Imò ſi externa diſciplina conſeruetur, ſæpè à Deo multa felicia tribuuntur: non quidem factorum ipſorum merito, ſed ex ordine à Deo in rerum natura conſtituto. Vult enim Deus ad conſeruationẽ rerum, & ἐυταξίαν, vt hoc ex illo certa connexione conſequatur. Miror autem, quid iſti ſibi velint, cùm ex libris Paral. dicant Roboamum filium Solomonis malum feciſſe, quòd non præparárit cor ſuum ad inquirendum Dominum. Facilè videre potuiſſent, hoc ad præſens inſtitutum nihil facere, niſi eſſent doctores, vt ita dicam, tabularij, plusq; ex indicibus ſapérent, quàm ex libris. Quoties enim in indice ſacrorum librorũ inueniunt, pręparare, aut præparatio, id ſtatim, quicquid eſt, arripiunt, & arbitrantur pro ſe facere, atque ad præparatoria ſua opera pertinere. Sacra autem hiſtoria, cùm narraſſet, Regem illum malè ſe geſsiſſe, ſubiecit per expoſitionem, vt ſæpe ſolet, illum non habuiſſe cor rectum, & promptum ad quærendum Dominum. Neque quicquam magis iuuat illorum cauſam, quod habetur cap. 16. Prouerbiorum: Hominis eſſe præparare cor: Domini autem eſſe reſponſionem linguæ. Nihil enim aliud ex illis verbis debemus intelligere, quàm, homines quidem ſolere multa ſibi ipſis proponere facienda: euentum autem, ac ſucceſſum in ipſorum poteſtate nõ eſſe, ſed pendere à Deo. Sępe apud ſe conſtituunt homines, quid in ſenatu, in iudicio, apud Regem, ad milites, ad populum dicturi ſint: Quid autem futurum ſit, ſitum eſt in arbitrio Dei. Illi quidem parant cor: ſed reſponſionem linguæ Deus temperat pro ſua prouidentia. Alia etiam citant eiuſdem omnino ponderis ex pſal. 10. Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus: præparationem cordis illorum audiuit auris tua. Verùm hoc loco boni magiſtri bis errant. Primùm enim ea, quæ dicunt, non intelligunt: deinde locum ipſum non citant ad hebraicã veritatem. Senſus enim eſt, Deum non aſpernari vota pauperum: ſed illis pro magna ſua bonitate

Legi dei neq; addi poterat neq; detrahi.

Lex Dei humanis uiribus impoſsibilis eſt obſeruatu.

Inſtantia de Achabi pœnitẽtia

Achabus ut corã deo dicatur humiliatus.

Ob cõſeruatam externam diſciplinã ſubſtinẽtur a Deo flagella.

Deus uult ordinẽ in externis reb. conſeruatum.

Quomodo Roboam dicatur non præparaſſe cor ſuum.

Cur dicatur hominis eſſe cor præparare.

Præparatio cordis pauperum.

bonitate efficere, quæ in animo suo statuerint ab illo petere. Atque hæc est præparatio cordis. Nemo enim pius quicquam petit à Deo, quin prius in corde suo deliberet, id esse petendum. Alioqui temerè accederet ad Deum, & stultè precaretur. At isti vbicunque in diuinis literis occurrit vox illa, præparare, statim eam vel inuitam rapiunt ad constituenda opera præparatoria. Sed iam videamus hebraicam veritatem תחרה עניים שמעת יהוה תכין לבם תקשיב אזנך. Hoc est, Desiderium pauperum exaudisti Domine: parasti, vel parabis cor illorum: audiet auris tua. Hîc videmus, Dauidē statuere, desideria sanctorū, quos appellat pauperes, audiri à Deo. Causa subijcitur, quòd Deus illorū cor præparet ad ea postulanda, quę faciant ad illorū salutē, & Deo placeant. Per quē aūt Deus efficiat huiusmodi præparationē in cordib. fideliū, Paulus docet in hac epist. cùm ita scribit: Quid petamus, quemadmodū oporteat nescimus. Spiritus aūt orat pro nobis gemitibus inenarrabilib. Deus autē, qui scrutatᵗ corda, videt, quid spiritus postulet pro sanctis. Videmus ergo & ex Dauide, & ex Paulo, ea vota precantiū audiri à Deo, quę spiritus eius impulsu excitantᵗ. Scimus autē ab ethnicis philosophis non vno loco reprehendi eos, qui inconsideratè, & temerè postulant aliquid à Deo. Qui verò Christū profitentur, quemadmodū credunt, illū esse authorē suarum precum, ita illas clamant in hanc sententiā, Fiat voluntas tua. Sed Ezechiel, inquiūt, ait cap. 18. Ambulate in vijs meis: & facite vobis cor nouū: Et Hieremias, Cōuertimini ad me, Dicit dominus. Quare homo inquiunt, potest per se ipsum præparare se ad obtinendā iustitiā. Sed istos oportuit cogitare, iniquū esse, certa aliqua loca scripturarū citare, præteritis, & dissimulatis alijs. Eant ergo & videāt, quid Ezech. habeat cap. 30. Ego, inquit Dominus, faciā, vt ambuletis in vijs meis. Et, Dabo vobis cor carneū: & auferā vobis cor lapideū. Et Hieremias cap. 31. Conuerte me, Domine, & cōuertar. Vnde August. pulchrè dixit: Da quod iubes: & iube, quod vis. Abutūtur etiā alio loco ex Propheta Iona, ad confirmandū errorē suū. In eo enim scribitur, Deū respexisse opera Niniuitarū. Ecce, inquiūt, afflictio Niniuitarū, qua se ipsos cōfecerūt ieiunijs, & clamauerūt ad dominū, præparauit animos illorū, & aptos fecit, vt veniā impetrarēt. Quasi verò nō oportuerit Niniuitas prius credere verbo Dei, ꝙ aut orare salubriter potuerint, aut agere pœnitētiā. Cùm ergo crediderint ante omnia opera, iustificati sunt ex fide: nō aūt ex operib. quę consequuta sunt posteà. Deus aūt dicitur respexisse ad opera illorū: quoniā illi placebant. Necꝙ nos vnquā negauimus, opera hominū iustificatorū grata esse Deo. Quoties nobis in scripturis occurrūt huiusmodi loca, quę videantur iustitiā tribuere operibus nostris, spectandū est iuxta doctrinā Augustini, quonam ex fundamento ea proficiscant. Cùm que ea videamus nasci ex fide, illi radici adscribere debemus, quod posteà subiungitur de iustitia. Quàm autē turpiter isti argumentando peccēt, ex eo animaduertere possumus, quòd quę sunt propria vni generi hominū, transferre audēt ad aliud: quod leges humanę minimè fieri patiuntur. Vt enim habetur in Cod. de Testamentis, si rustici homines, & illiterati, qui extra ciuitates habitant, neque copiam habent sapientum, & doctorum virorum, condant testamenta sua absque solennitate requisita, & numero testium præscripto, qui tamen alioqui esset necessarius, eiusmodi testamenta debent recipi. Hanc prærogatiuam si quis transferre velit ad ciues, qui, cùm versentur in oppidis, habent copiam virorum intelligentium, vehementer erret. Illorum enim testamenta si ita fiant, respuuntur, nec habentur pro ratis. Ita nos dicimus, hominum iustificatorum opera posse placere Deo: quod tamen concedi, illis, qui à fide, & Christo alieni sunt, nec potest, nec debet. Adhæc obseruandum est, familiare sophisma aduersariorum, quod à Dialecticis appellatur, A non causa, vt causa. Illi enim semper statuunt bona opera causas esse iustitiæ: cùm ea re vera iustitiæ effecta sint, non causæ. Perinde enim est, ac si quis diceret, ignem idcirco esse calidum, quia calefacit. Contrà enim se res habet. Nam quia ignis calidus est, idcirco calefacit. Ita nos quoque, quia sumus iustificati, idcirco iusta facimus: non autem, quia iusta facimus, idcirco iustificamur. Obijciunt etiam interdum, Deum redditurum vnicuique secundum opera sua. Quare, opera, inquiunt, sunt causæ nostræ felicitatis. Sed hîc quoque, vt solent, longè decipiuntur. Nisi enim illi nouam aliquam sibi grammaticam pepererint, certè, iuxta, non significat causam: Sed Christus, aiunt, in extremo illo suo iudicio videtur hæc proferre tanquam causas collati cœlestis regni. Ita enim dicturus est, Esuriui, & pauistis me: sitiui, & potastis me. Sed ista re vera non commemorantur à Christo, vt causæ: verùm illa potius, quæ antecesserant: Venite benedicti patris mei, possidete regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. Vera enim causa felicitatis nostræ est, quòd simus electi, & prædestinati à Deo ad æternam illam hæreditatem. Nam qui sunt in hoc ordine, suo tempore ornantur fide, qua iustificati habent ius ad vitam æternam. Sed quoniam

Deus cor sancto rum præparat.

Deus præparat corda spiritu sancto.

Conciliatio loco rum Hieremiæ & Ezechielis.

De facto Niniui tarum.

Regula no inutilis ad patrū sententias de iustificatione rectè intelligendas.

Simile.

Simile.

Deus reddit cui q; secundum ope ra sua quomodo intelligatur.

Cur Christus in iudicio cõmemorabit externa opera.

Duo sunt rerum principia.

hæc fides occulta est, nec potest conspici, Christus autem vult omnes intelligere, non nisi iustos recipi in regnum cœlorum, idcirco commemoranda erant opera externa, vt ex illis iustitia per fidem perspicuè intelligatur hominibus collata. Nemo enim nescire potest, duo esse rerum principia: alterum, vt sint: alterum vt cognoscantur. Rursus obijciunt: Ego honorantes me honoro, & diligentes me diligo, ex primo Samuelis. Hîc, inquiunt, promissio fit operi. Cæterùm si distinguerent promissiones Euangelicas à legalibus, quemadmodum nos aliâs fusè docuimus, illum locum facilè intelligerent, nihil nostræ sententiæ aduersari. Nam si à nobis legis mandato satisfieret, posset ea esse causa, cur nobis promissio redderetur. Sed cùm hoc nemo præstare possit, omnes confugiunt ad Christum, & per fidem ergà illum iustificantur. Deinde inchoata quadam obedientia opus aggredimur: quod quamuis exactum non sit ad mandati regulam, tamen placet Deo. Et ille ex mera sua liberalitate promissionem præstat, quę illi operi adiuncta fuerat. Atque ita conditiones illæ, quæ adiunctæ sunt ad præcepta, non sunt inutiles. Eas enim iustificati assequuntur. Nec pudet istos citare hæc verba ex psalmo 25. Vide laborem meum, & vtilitatem meam, & dimitte omnia delicta mea: quasi labores nostri, aut afflictiones sint causæ remissionis peccatorum. Atque hoc loco Dauid in grauissimis calamitatibus positus precatur Deum, vt sibi peccata condonet: vt si iratus esset propter peccata, causa pœnarum tolleretur. Hîc enim non agitur de laboribus vltro susceptis, sed de supplicijs à Deo inflictis. Videmus etiam, pueros interim, dum cæduntur à præceptoribus, misericordiam, & indulgentiam implorare. Si homini leproso des eleemosynam, lepra non potest propriè dici causa tuæ misericordiæ. Nam alioqui omnes transeũtes idem facerent. Vera autem causa est benignus affectus in animo tuo. Sed addunt in sacris scripturis multum tribui pœnitentiæ. Id nos non negamus. Verùm illos vicissim velim intelligere, illam esse fructum fidei: & neminem posse vtiliter agere pœnitentiam suorum peccatorum, nisi prius credat. Multa etiam frustrà iactant de Confessione. Sed eam nos distinguimus. Etenim vel disiuncta est à spe, & fide, vt in Iuda, qui cõfessus est se peccasse tradendo sanguinem iustum: eaq; tantùm abest, vt adferat aliquam vtilitatẽ, vt ad desperationẽ etiam præparet, & exitiũ: vel cum fide, & spe cõiuncta est, vt in Dauide, & Petro: & sic non causa est, sed effectus iustificationis: Sequitur enim fidem, non precedit. Auricularis autem Papistarum Confessio prorsus superstitiosa est. Quare illam omnino explodimus. Obtruditur enim ab illis, vt necessaria ad salutem, & vt causa, cur peccata condonentur, quod nullo testimonio diuinarum literarum queunt probare. Illud etiam arripiunt ex oratione Dominica: Remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris: Et, Remittite: & remittetur vobis. Ergo, inquiunt, condonatio iniuriarum causa est, cur nobis nostra peccata remittantur. Hæc ratio istorum, vt dici solet, altera manu scalpit caput, altera ferit malam. Nam si cõdonatio iniuriarum, vt illi volunt, mereretur remissionem peccatorum, iam illa remissio non esset remissio. Postquam enim semel soluisti pretium, nihil est, quod tibi remitti possit. tunc autem locus est remissioni, quando pretium non persoluitur. Quod autem ad locum illum attinet, primùm petimus, vt nobis peccata dimittantur. Et quoniam ex perceptis beneficijs animus hominibus addi solet, vt sperent, se alia maiora accepturos, idcirco eius dicti hæc est sententia: O pater, qui pro tua bonitate dedisti nobis, vt debitoribus nostris iniurias remiserimus, nostra quoque nobis peccata condona. Significatur item his verbis non causa, sed similitudo: quamuis ne ea quidem perfecta & absoluta sit. Nemo enim sapiens vult ita peccata sua remitti à Deo, vt ille proximo suo iniurias condonauit. Quuis enim propter carnem, & eam infirmitatem, quam circunfert, multò minus ignoscit fratri suo quàm oporteat. Semper enim in animo hæret aliquid offensionis: quod quamuis non erumpat, tamen ipse satis sibi est conscius, se erga eum, à quo læsus fuit, animo esse non satis candido. Sed superior expositio docet, similitudinem referendam, non ad remissionem, sed ad liberalitatem Dei: vt quemadmodum dedit vnum, ita dignetur dare etiam alterum. Quod autem dicitur, Remittite, & remittetur, præceptum est, atque ideo est. Euangelium enim & lex non distinguuntur voluminibus. Nam & in veteri Testamento Euangelicæ promissiones continentur? & in Euangelio lex non tantùm comprehenditur, sed etiam à Christo perfectissimè declaratur. Quare illis verbis nobis mandatur, vt iniurias acceptas condonemus. Id autem cùm facere oporteat ad præscriptum legis, illa vero pendeat ex illo summo præcepto, Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde, ex tota anima, & ex omnibus viribus tuis, ad illam itaq; formam ignoscere oportet inimicis, quod quia nunquam quisquam aut præstiterit, aut præstare potest, nihil supereſt, nisi vt confugia-

Similc.

Distinctio confessionis.

Confessio auricularis.

Remitte nobis debita nostra exponitur.

Lex & Euangelium non distinguuntur voluminibus.

Qua formula cõdonandæ sint iniuriæ.

mus

mus ad Christum, à quo per fidem iustificemur, deinde iustificati, id, quod præcipitur, incipiamus vtcunque efficere. Quod quamuis perfectè expletum non sit, tamen placet Deo: isque non ex causa operum nostrorum, aut merito, sed tantùm propter Christum adiectam promissionem elargitur. Fucum etiam facere conantur ex verbis Danielis, quibus ille hortatus est Regem, vt eleemosynis redimeret peccata sua. Verùm illo loco per peccata, pœnas, & supplicia peccatis debita intelligere possumus. Nam ita scripturæ non raro loquuntur. Idque nos nunquam negauimus. Imò vltro damus, operibus, quæ proficiscantur ex fide, Deum solere multa tribuere, præsertim quo ad flagella & pœnas leniendas.

Eleemosynis redimas peccata tua exponitur.

Obiiciunt etiam illud ex capite primo Ioannis: Dedit illis potestatem filios Dei fieri. Statuunt ergo, eos, qui iam receperunt Christum, hoc est, in eum crediderunt, nondum esse iustificatos, & regeneratos, & filios Dei, sed tantùm habere potestatem, vt possint effici filij Dei: videlicet, vt illi putant, per bona opera. Atque huic argumento Pighius propugnator, & Achilles Papistarum valdè confidit: sed frustrà. Putat enim, necesse esse, cui potestas sit aliquid habendi, id eum nondum habere. Quasi verò hîc agendum sit philosophicè, quòd potentia excludat actum. Quod tamen etiam apud ipsos Philosophos non est verum in vniuersum. Quum enim definiunt Animam, aiunt, eam actum corporis physici, organici, potentia habentis vitam. Ex qua definitione apparet, corpus nostrum habere vitam potentia, quum tamen eam re ipsa iam habeat. Verùm vox illa, potentia, hoc significat, illud ex se ipso non habere vitam, sed ab alio, nimirum ab anima. Quod in præsentia nos quoque possemus dicere, nempe eos, qui receperunt Dominum, & in illum crediderunt, regeneratos esse, & filios Dei: non tamen ex se ipsis, verùm aliunde, nimirum ex spiritu, & Gratia Dei. Hæc enim sonat, potestas. Quanquam Euangelista illo loco, non peripateticè, sed simpliciter, & planissimè loquutus est. Dixerat enim paulò antè, Sui eum non receperunt. Suos autem dicebat Iudæos, qui peculiariter veri Dei notitiam profitebantur. Quum autem illi veritatem oblatam repudiassent, Deus noluit esse absque populo: sed illos adscripsit in peculium suum, qui crederent, & reciperent Christum. Itaque dedit illis potestatem, hoc est, ius, & prærogatiuam, vt, cùm recepissent Dominum, per fidem, fierent, & essent filij Dei. Et idcirco Cyrillus exponens hunc locum ait, hanc potestatem esse adoptionem, & gratiam. Adhæc Pighius, quamuis se putet acutum, tamen non videt, se, quum ita argutatur, dicere pugnantia. Qui enim potest fieri, vt aliquis in se ipso vitam habeat, & nondum viuat. Certè si credendo receperunt Christum, necesse est, vt statim habuerint iustitiam. Nam vt Paulus habet in epistola priori ad Corinthios. Ipse factus est nobis à Deo sapientia, iustitia, sanctitas, & redemptio. Sed quid multa? Ipse nobis Euangelista declararat, qui nam isti sint, qui talem potestatem acceperunt: Nimirum, qui non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri sed ex Deo nati sint. Quod si nati sunt ex Deo, necesse est, eos iustificatos, & regeneratos esse. Obiiciunt etiam nobis timorem seruilem, qui præcedit charitatem: quasi eo præparemur ad iustificationem, & ad charitatem facilius recipiendam. Quibus nos respondemus huiusmodi timorem sine charitate peccatum esse, regerunt, Christum illum præcepisse: Deum autem non præcipere peccatum. Præcepit autem, inquiunt, huiusmodi timorem, cùm diceret, Ostendam vobis, quem timeatis: timete illum, qui, cùm occiderit corpus, animam quoque mittere possit in gehennam. Hunc autem timorem præparare ad iustificationem, putant ex eo probari posse, quod Augustinus exponens illud ex epistola priori Ioannis, Perfecta charitas foras mittit timorem, dicat, seruilem istum timorem non esse inutilem: quemadmodum enim seta præmissa à calceario inducit filium, ita hunc timorem secum trahere charitatem. Quod ad primùm attinet, respondeo, illos falsum assumere: nimirum, Deum vllo vnquam loco præcepisse eiusmodi timorem, qui vacet charitate, & fide. Idque, sat scio, isti nunquam inuenient. Quòd autem ad Augustinum attinet, respondemus, in illo loco Ioannis, (In hoc perfecta est charitas nobiscum, vt in die iudicij fiduciam habeamus, quòd sicut ille est, & nos sumus: in hoc mundo timor non est in charitate: sed perfecta charitas foras ejicit timorem) charitatem intelligendam esse, non nostram erga Deum, sed Dei erga nos. Loquitur enim de perfecta charitate, qualem nos non habemus in hac vita. Sensus autem Ioannis est, postquam persuasi sumus de perfecta charitate Dei, qua nos complectitur, habemus fiduciam in die iudicij, nos fore in tuto. Et ista

Dedit eis potestatem filios Dei fieri quomodo intelligendum.

Potestas illa est adoptio et gratia

Simile.

Locus Ioannis.

Dei charitas perfecta, postquam eam habemus cognitam, foras extrudit timorem: quia nõ patitur nos timere. Quare interpretatio illa Augustini, de charitate nostra erga Deum, ad rem nihil facit. Sed fingamus, Ioannem loqui de charitate nostra erga Deum, quemadmodum locus ille communiter accipitur. Ita verba Augustini erunt vera, non quidem in vniuersum, vt semper eiusmodi timorem sequatur charitas, scimus enim, secus accidisse in Caino, & Iuda, sed tantùm in hominibus iustificãdis. Deus enim vtitur hoc medio, vt prius eos percellat magno timore suorum peccatorum: deinde per illum deducat ad fidem, & charitatem. Interim tamen illam consternationem peccatum esse, nihil dubitamus. Dici tamen potest ille timor vtilis, nõ merito, aut natura sua, sed propter ordinem institutum à Deo, qui sic eo vult abuti ad salutem nostram. Atque etiam hoc addimus, charitatem eam, quò magis in nobis crescit, eò magis, magisq; ejicere timorem, non solùm seruilem, sed etiam hominũ iustificatorum. Quisquis enim verè persuasus est de charitate Dei erga se, suam damnationem timere non potest. Dubitatio autem illa, qua timemus æternum supplicium, peccatum est. Ea tamen in animis nostris semper vtcunque hæret: quia nunquam in hac vita tantum, quantum debemus, aut quantum oportet, credimus. Et propter istam charitatis, qua proximus diligendus est, debilitatem: & propter persuasionis, qua Deo credendum est, infirmitatem, dum hîc sumus, nunquam omnem vitiosum timorem exuimus. Illud etiam isti arripiũt, & nobis obijciunt: Petite, & accipietis: Querite, & inuenietis: Pulsate, & aperietur vobis. Sed meminisse eos oportuit, preces ex fide proficisci, & ea solaniti. Alioquí enim audiri nõ possent. Verùm cur ita tacitè præterierunt illud, Quicquid petieritis credentes, dabitur vobis? Ex illis enim verbis apparet, quicquid petentibus datur, dari fidei. Huc etiam addunt illud Lucæ: Date eleemosynam: & omnia munda sunt vobis. Cæterùm hæc verba tribus modis exponi possunt, quorum tamen nullus pro istis facit. Primus modus est, vt statuamus, orationem illam esse ironicam: veluti si Christus ita dixerit Pharisæis: Vos datis eleemosynã, & statim putatis, omnia munda esse vobis: Quod non ita habet. Oportet enim ea primùm mundare, quæ sunt intus. Alter modus est, quem Augustinus sequitur in Enchiridio ad Laurentium. Quidam persuaserant sibi, se, si darent eleemosynas, saluos fore, quamuis à peccando non desisterent. Nitebantur autem maximè his verbis Christi. Respondet Augustinus, verba illa Christi intelligenda esse de vera, & probata eleemosyna: de qua scriptum sit Ecclesiastici cap. 30. Miserere animę tuę placens Deo. Iustam ergo eleemosynam primùm incipere debes à te ipso: vt misertus tui ipsius conuertaris ad Deum, & desistas à peccatis, ac posteà miserearis aliorum. Tertius autem modus iste est, magis, vt mihi quidem videtur, ad rẽ appositus. Christus, cùm esset in prandio cum Pharisæis, cœpit comedere illotis manibus. Cùm illi ea re offenderentur, Christus cœpit arguere illorum imscitiam: qui patinas, manus, & omnia externa purgata esse vellent, & nitentia: de eo verò, quod intus habebant, hoc est, de animo suo nihil essent soliciti. Primùm ergo hortatur eos, vt animum, qui intus esset, purgarent. Id autem fit per fidem. Nam in Actis scribitur, Fide purificans corda illorum. Deinde, quòd ad externa attinet, addit, Date eleemosynam, & ita omnia vobis erunt munda. Præterea vt in suis adnotationibus Theodorus Beza doctissimus vir & acutissimus, prudẽter admodum considerauit, nõ de quauis munditia Christus loquebatur, verùm de illa, quæ ad cibum pertinet, ad quam Christus duplicem accommodat præceptionem, vna est, ne quæ comedunt, rapto sint parta, altera est, vt de ijs quæ sunt intus, id est, quæ in patinis continentur, aliquid in pauperum eleemosynã decerpatur, qua quicquid est reliqui mundetur ac sanctificetur. Ex his autem omnibus nihil est, quod aduersariorum sententiam adiuuet. Sunt alij, qui putant, se errorem suum confirmare posse ministerio clauium: per quas arbitrantur, homines absolui à peccatis. Sed illi longè decipiuntur: non enim intelligunt, quænam illæ claues sint, quas Christus commendauit Ecclesiæ. Prædicatio verbi Dei, de remissione peccatorum impetranda per Christum, vnica clauis est, ad aperiendum regnum cœlorum. Quòd si is, qui audit, adiungat etiam veram fidem, & illis verbis verè assentiatur, accedit etiam clauis altera. His duabus clauibus recluditur regnum cœlorum, & impetratur condonatio peccatorum. Itaque Christus emittens Apostolos, Euntes, inquit, prædicate Euangelium. Deinde adiecit, Qui crediderit, saluus erit. His paucis verbis expressit claues, quas tradidit Ecclesiæ. Quibus in verbis nullum inuenies opus, vt isti dicunt, operatum. Christus enim tantùm complexus est fidem auditorum, & verbum Dei, quod prædicatur. Illud autem, quomodo tandem refutabimus, quod semper habent in ore: Remissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum? Si locum attentè consideres, nihil est negotij. Scire enim debemus, rationes alias duci à causis, alias ab effectis. Christus paucis post verbis causam

Charitas non perpetuò sequitur timorem seruilem

Quomodo timor seruilis dicatur utilis.

Petite & accipietis quo pacto intelligendum.

Date eleemosynã & omnia munda sunt uobis.

Quæ sint claues ecclesiæ traditæ.

Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.

cauſam ſalutis oſtendit, quum diceret illi mulieri, Fides tua te ſaluam fecit. Sed quoniam fides illa erat abdita in animo, nec ab illis, qui aderant, cerni poterat, idcirco propoſita parabola oſtendit, illos plus diligere, qui maiora ab aliquo dona receperint. Iſtam autem mulierem maximum donum, hoc eſt iuſtificationem accepiſſe, oſtendit ex effectis: videlicet, quòd ſibi pedes lachrymis ablueret, eosque capillis extergeret, quòd oſcularetur, quòd vngeret. Quæ cùm ille Phariſæus non feciſſet, ſatis id magno argumento eſſe potuit, illum eiuſmodi donum non accepiſſe. Citant etiam ex hac epiſtola ad Romanos, Non auditores legis, ſed factores iuſtificabuntur. Verùm Paulus eo loco, quum reprehenderet Iudæos, quòd, quum legem accepiſſent, & de ea gloriarentur, tamen contra legem viuerent, nihil aliud ſibi voluit, niſi, ſi iuſtitia petenda ſit ex lege, non eſſe ſatis, eam aut habere, aut audire: ſed oportere factis, & operibus eam præſtare. Id autem nos nunquam inficiati ſumus, poſſe aliquem iuſtificari ex lege, ſi perfectè, ac plenè illi ſatisfaciat. Sed quum id fieri nullo modo poſsit, dicimus, ex ea ſperari non poſſe iuſtitiam. Quod autem obijciunt ex epiſtola ad Philippenſes. Cum timore, & tremore veſtram ipſorum ſalutem operemini, nihil eos iuuat. Certè, qui intelligunt, ſe omnia ſua habere à Deo, animo ſunt moderato, & demiſſo: ſemper ſibi à ſe ipſis timent. Vident enim, in ſe nihil eſſe boni: ſed auxilium tantùm expectandum eſſe à Deo. Et idcirco Paulus iubet hominem pium ſemper timere, & tremere. Illi autem, qui putant, in ſua manu ſitum eſſe, vt ſe ipſos iuſtificent, & ſeruent, quales illi ſunt, qui ſeſe in hac cauſa nobis opponunt, nihil habent, quòd timeant, aut tremant. Iactant enim ſalutem ſuam in ſe ipſis eſſe poſitam. Quam ſalutem Paulus cùm nominet hoc loco, non intelligit iuſtificationem. Scribit enim ad eos, qui iam anteà fuerant iuſtificati. Hic ergo locus pro iſtis nihil facit. Salutem autem Paulus appellat inſtaurationem, qua ſemper ad meliora proficimus. Vltimo loco quaſi Colophonis vice obijciunt illud è tertio capite Apocalypſeos: Ecce, ego ſto ad oſtium, & pulſo. Quod ſi quis aperuerit mihi, intrabo, & cœnabo cum eo. Nos verò prorſus aſſentimur, ſignificari his verbis, Deum à principio nos vocare, & excitare, atque inſtigare ad ſalutem: ad quam nemo ipſe per ſe ſuis viribus, ſine impulſu Dei ferri poſſet. Nos autem noſtra ſponte, & abſque Dei Gratia penetrante, & animum immutante, poſſe Deo cor noſtrum aperire, pernegamus: neque id iſti vnquam ex ſacris literis confirmabunt. Sed quoniam quoſdam habemus aduerſarios, qui aut parùm, aut nihil à ſcripturis pendeant, omnem autem ſuam pietatem Patribus, & Concilijs metiantur, vt magis Patrologi, quàm Theologi dici poſsint: quodque intolerabilius etiam eſt, ex ſcriptis Patrum ſententiolas quaſdam colligunt, & obtrudunt populo: & quò facilius veritatem obſcurent, & ſimplicibus hominibus fucum faciant, aculeatas orationes adhibent: præſertim, quum quidam ex illis ſibi videantur magni dicendi artifices, & in eo genere ſtudij magnam ætatis ſuæ partem contriuerint, orandus mihi eſt candidus Lector, ne quid temerè contra veritatem ſtatuat, ſed ea potius attentè conſideret, quæ nos quoque ex Patribus afferemus. ita enim facilè intelliget, Patres, non tam ab aduerſarijs noſtris, quàm à nobis ſtare. Verùm ne confusè, ac temerè Patrum ſententiam referamus, vtemur methodo: quæ vt facilius intelligatur, operæ pretium erit, prius ex illis teſtimonijs diuinarum literarum, quæ ſupra citauimus, proponere Demonſtrationem, ſeu ἀπόδειξιν. Ea autem hæc erit: Qui faciunt opera ex præcepto legis, hoc eſt, vt lex ipſa requirit, illi iuſtificantur ex operibus. Sed nulli, præſertim verò ante regenerationem, opera eiuſmodi faciũt, qualia lex requirit, Quare nulli iuſtificantur ex operibus. Maior propoſitio tam eſt clara, vt nulla egeat expoſitione. Nam qui facit aliquid contrà quàm lex præſcribit, certè peccat: tantum abeſt, vt ex eo iuſtus videri poſsit. Minor verò propoſitio etſi ſcripturarum teſtimonio ſit comprobata, tamen explicabitur etiam ex Patribus. Deinde, quia concluſum eſt, iuſtificationem non eſſe ex operibus, neceſſe eſt, illam eſſe ex gratia. Quare ſecundo loco oſtendemus ex Patribus, Homines iuſtificari gratis, & abſque omni ratione meritorum. Et, quoniam opera bona non reijcimus, ſed ea ſuo loco colenda dicimus, vt quæ arctiſsima neceſsitudine adeptam iam iuſtificationem conſequuntur, hoc poſtremò etiam docebimus ex dictis Patrum, Bona opera ſequi, non autem antecedere iuſtificationem. Illa autem inprimis loca citabimus ex Patribus, quæ firmamentum habeant è ſacris literis. Primo loco occurrit Baſilius, qui in primo libro De Baptiſmo adducit illa verba ex Euangelio, Multos in illo die eſſe dicturos: Domine, in nomine tuo prophetauimus, Dæmonia eiecimus, virtutes multas fecimus. Sed iſtos, inquit, Deus non tantùm eijciet è regno ſuo, ſed etiam appellabit operarios iniquitatis. Quare, qui miracula faciunt, & mandata Dei, ac iuſtificationes videntur obſeruare, ſi affectum

Nõ auditores legis ſed factores iuſtificabuntur.

Cum timore ac tremore noſtrã ſalutẽ operemini, ut intelligendum.

Locus Apoc. Ecce ego ſto ad oſtium & pulſo.

ἀπόδειξις.

Methodus in patribus citandis.

ſuum, & finem alibi conſtituant, quàm oporteat, dicuntur peccare: videlicet, quia non ſe-
quuntur præceptum Dei per Paulum Apoſtolum promulgatum, Siue editis, ſiue bibitis,
ſiue aliud quippiam facitis, omnia ad gloriam Dei facite. Hoc autem certum eſt non poſſe
fieri ſine fide, & charitate. Quibus quum homines nondum iuſtificati careant, neceſſariò ſe
quitur ex verbis Baſilij illorum opera eſſe peccata. De qua eadem ſententia idem ſcribit in
ſecundo libro De Baptiſmo, quæſtione ſeptima: Et ex profeſſo quærit, An aliquis, quoad
in peccato maneat, poſsit aliquid facere, quod gratum ſit Deo. Quod negat poſſe fieri, idq;
rationibus & multis, & petitis è ſacris literis. Primùm, inquit, ſpiritus ſanctus teſtatur, quòd
qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati: Deinde Chriſtus ait, Non poteſtis ſeruire Deo, &
Mammonæ: neminem enim poſſe duobus dominis inſeruire. Paulus etiam ait, nullum eſſe
commercium luci cum tenebris: aut conuentionẽ Deo cum Beliale. Idem porrò probat ex
libro Geneſeos: quamuis ſequatur interpretationẽ Septuaginta. Ita inquit, Deus affatus eſt
Cainum, ſi bene offeras, & malè diuidas, peccaſti: quieſce. Senſus, inquit, eſt, ſi quod attinet
ad externam ſpeciem, ſacrificia facias, animus autem tuus non ſit rectus, neq; finem ſpectes
eum, quem oporteat, oblatio tua peccatum eſt. In quam ſententiam Eſaias quoq; ſcribit ca.
66. Qui mactat bouem, erit quaſi qui interficiat hominem: & qui ſacrificat pecus, quaſi qui
occidat canem. Non ſatis eſt, ſi opus facias ſpecioſum, & pulchrũ: oportet etiam vt illud ac-
commodes ad præſcriptum legis Dei: quod eſt, illis quidq; modis, & illis conditionib. face
re, quas lex requirit. Et idcirco ait, Paulum dixiſſe, Nõ coronandũ, niſi qui legitimè certaue-
rit. Non autẽ ſatis eſt certare, niſi etiã legitimè certes. Et Chriſtus in Euãgelio ait, Beatus ſer
uus ille, quem cùm venerit Dominus inuenerit ſic facientem. Ex quibus verbis apparet, nõ
eſſe ſatis facere: ſed oportere etiam ſic facere, nimirum, vt ille iuſsit. Ad hæc oſtendit ex vete
ri Teſtamento, illum peccaſſe, qui feciſſet ſacrificium vero Deo, verùm extra templum, aut
non eo loco, vbi eſſet tabernaculum. Etſi enim ſacrificaretur id, quod lege iubebatur, tamen
aberat conditio loci, quam lex omnino requirebat. Et ſi quis aut in templo, aut in eo loco, in
quo eſſet tabernaculũ, mactaſſet victimã, quę haberet aliquid maculę, peccaſſet is quoq;, q
conditionẽ neceſſariam neglexiſſet. Citat etiam illud Euangelij, quod petitũ fuerat ex Pro-
pheta: Populus iſte labijs me honorat: cor autẽ illorum longè eſt à me. Eòdem etiam ſpecta
re putat, quod Paulus habet in hac epiſtola, zelum quidem Dei habent, ſed non ſecundum
ſcientiam: quodq; de ſeipſo ſcribit ad Philippen. ſe omnia illa opera ſua, quę fecerat, cùm in
lege verſaretur, idq; ſine querela, habere pro reiectamentis, & ſtercoribus, & damnis. Cùm
igitur operibus adimitur affectus, qui illis debetur, & ſcopus, quid ſupereſt, niſi, vt ea pecca
ta ſint, & Deo diſpliceant? Huc etiam facere putat illud Pauli ad Corinth. Si tradidero cor-
pus meum, ita vt ardeam, & ſi facultates meas omnes diſtribuero pauperibus, charitatẽ au-
tem non habeam, nihil ſum. Quamobrem niſi iſti velint charitatem, & fidem dare homini-
bus nondum iuſtificatis, neceſſe eſt, fateantur eos nihil poſſe facere, quod peccatum non
ſit, aut non diſpliceat Deo. Hæc hactenus ex Baſilio. Gregorius autem Nazianzenus in ea
oratione, quam habuit poſtquam reuerſus eſſet ex agro, poſt illa, quæ facta fuerunt contra
Maximum, ait, Nullum eſſe opus gratum, aut probatum Deo ſine fide: ſiue fiat inanis glo-
riæ cupiditate, ſiue inſtinctu naturæ, quod illud iudicet quiſpiam honeſtum eſſe. Hîc an-
notatione dignum eſt, quod ait, opus, quod fiat inſtinctu naturæ, hoc eſt, eo reſpectu,
quod videatur eſſe honeſtum, mortuum eſſe, nec poſſe placere Deo. Eandem ſententiam
habet in Oratione de ſancto Lauacro ad finem. Et in vtroque loco addit, Quemadmodum
fides abſque operibus eſt mortua, ita etiam opus abſque fide eſſe mortuum. Quod ſi eſt
mortuum, quomodo, vt iſti volunt, mereri poteſt iuſtificationem? Ex his intelligimus,
duos hoſce Patres, quamuis alioqui magni fuerint ἐργοδιώκται ac liberi arbitrij patroni ta-
men idem prorſus quo ad hoc ſenſiſſe nobiſcum. Anguſtinus verò longè omnium lucu-
lentiſsimè idem docet in quarto libro contra Iulianum capite tertio. Quo in loco tractat
hæc verba Apoſtoli, Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, fa-
ciunt. Vult autem ea verba intelligi, aut de Gentilibus ad Chriſtum conuerſis, qui iam
faciebant legem ex Gratia Euangelij: atque ita, quod dicit, Naturaliter, non aliter eſt ac-
cipiendum, quàm vt excludatur lex: natura autem intelligitur correcta iam, & emendata à
ſpiritu regenerante: Vel ſi ea, inquit, verba velis intelligi de Gentibus adhuc incredulis, di-
cas, eas naturaliter feciſſe legem, non quidem quantũ illa requirebat, ſed vtcunq;: neq; aliud
quicquam profuiſſe illis eam iuſtitiã externã, & ciuilẽ, niſi vt tolerabilius punirentur, q; alij,
qui abiecta prorſus omni diſciplina perditè, & profligatè vixerũt: minus enim Fabritiũ pu-
niri, q; Catilinam credimus; niſi forte, inquit, Pelagiani, Fabritijs, Regulis, Fabij, Camillis, &
Scipio-

Scipionibus medium aliquem locum præparauerint inter regnum cœlorum, & infernum damnatorum: qualem locum ait illos fabricatos esse, paruulis infantibus, qui sine Christo discessissent. In summa concludit, quum impossibile sit, absque fide placere Deo, infideles nullo modo habere posse veras virtutes. Quam sententiam Pelagiani ita riserunt, vt dicerent, si castitas infidelium non sit vera castitas, nec corpora quidem illorum erant vera corpora: nec fruges, quæ nascebantur in illorum agris, erant veræ fruges. Augustinus eos refutat, ostenditque, similitudinem istam non conuenire. corpus enim hominum infidelium, quum factum sit à Deo, esse verum corpus: Fruges etiam illorum, quum sint eius opera, veras esse fruges: castitatem autem illam, cùm ab illorum voluntate corrupta, & vitiata profecta sit, nullo modo posse esse veram. Et adiungit vniuersalem illam sententiam, de qua supra multis diximus, Omne, quod non sit ex fide, peccatum esse. Idem Augustinus in psalmum trigesimum, exponens illa verba, Erue me in iustitia tua: Quis, inquit, est, qui seruatur gratis? Is, in quo non inuenit seruator, quod coronet, sed quod damnet: non merita bonorum, sed merita suppliciorum. Hinc videmus, qualis sit natura humanorum operum ante iustificationem. Idem libro primo quæst. trigesima ad Simplicianum, Præcipitur, vt rectè viuamus, idq; mercede proposita, vt in æternum, beatè viuere mereamur. Sed quis, inquit, potest rectè viuere, & bene operari, nisi iustificatus ex fide? Docemur hîc, potuisse in hominibus esse meritum beatę, & ęternę vitę, si possent id efficere, quod præcipitur. Quoniam autem id non possumus, idcirco excidimus à merito. Idem in Enchiridio ad Laurentium cap. 121. Finis, inquit, præcepti est charitas de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta. Omnis præcepti finis est charitas, & ad charitatem refertur. Et quicquid fit extra huiusmodi charitatem, non fit, quemadmodum fieri oportuit. Quare, si non fiat, quemadmodum fieri oportuit, recusari non potest, quin sit peccatum. Chrysostomus exponens illa verba Pauli, Finis legis Christus est: Si finis, inquit, legis est Christus, sequitur, eum, qui Christum non habeat, etiam si legis iustitiam habere videatur, eam tamen re vera non habere. Ex his verbis colligimus, eum, qui sit extra Christum, posse quidem habere opera, quæ videantur bona, quæ tamen re vera iusta esse non possint. Et mox. Fidem quisquis habet, is etiam finem legis habet: extra autem fidem quisquis est, ab vtraq; alienus est. Hinc colligimus, eos, qui fidē non habent, alienos esse, non tantum à Christo, sed etiam à iustitia legis: quæ in eo sita est, vt fiat, quod præcipitur. Et mox: Quid enim lex vult? Hominem iustum facere: sed non potest: Nemo enim eam impleuit. Sed quoniam posset aliquis obijcere, Etsi homo non regeneratus implere non possit legem, tamen si in ea laboret, & conetur, & sudet, potest assequi iustitiam, hoc quoque Chrysostomus excluſit. Et paulò ante, quum exponeret illa verba, Ignorantes Dei iustitiam, & suam volentes statuere, iustitiæ Dei non subiecti: Hanc, inquit, Dei iustitiam vocat, quæ est ex fide: quòd ea omnino sit ex superna gratia: in qua, non laboribus, sed Dei dono iustificamur. Idem hoc scribit etiam Ambrosius, exponens illa verba Dauidis, Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatos, inquit, appellat eos, de quibus Deus hoc sanxit, vt sine labore, & aliqua obseruatione, sola fide iustificentur. Et in illa verba Pauli, iustificati gratis per gratiam ipsius, Iustificati, inquit, sunt gratis, quia nihil operantes, neque vicem reddentes sola fide iustificati sunt dono Dei. Idem in hæc verba Pauli, Regnauit igitur mors in eos, qui non peccauerunt, in similitudinem præuaricationis Adæ: scripsit, inquit, hoc, quia impossibile est, hominem non peccare. Quod quum ille fortasse dixerit, de hominibus regeneratis, quid sentiendum est de hominibus à Christo alienis? Cyprianus etiam ad Quirinum, In nullo, inquit, est gloriandum: quia nihil est nostrum. Satis iam, opinor, appareret, verum esse, quod assumpsimus, Homines ante iustificationem non posse facere opera sua ad præscriptum legis: eóque ea peccata esse, nec posse mereri iustificationem. Quòd si aduersarij nostri obijciant, se non constituere, opera illa, quæ vocant præparatoria, mereri iustificationem, sed tantùm præparationes quasdam esse, quibus homines efficiantur aptiores ad iustificationem assequendam, sic illis occurri potest: Si non merentur, cur illis affingitis vestrum illud meritum de congruo? Deinde, cur ea appellatis bona, quum, vti iam docuimus, neque Deo placeant, neque facta sint ad præscriptum legis? Postremò, quum destituta sint fine suo, & non tantùm sint, sed etiam iure optimo dicantur peccata, quomodo docetis, homines per ea præparari ad iustitiam, quum multò potius per ea præparentur ad supplicia? Desinant ergo aliquando ea ornare speciosis istis titulis. Nam si forte Deus aliquando per ista opera deducat homines ad salutem, id fit propter eius erga homines misericordiam: quæ tanta est, vt operibus sua sponte malis,

& peccatis abuti velit ad illorum bonum. Nunc videndum est, si iustificatio non detur operibus, quomodo ea conferatur. Datur ea gratis, & omnino pendet ex mera Dei gratia. Nullo enim pacto pendet ex meritis. Id vidit Origenes: nam is in hac epistola exponens ea verba Pauli, Qui autem operatur, illi merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum: Ego verò, inquit, quum desidero sermonis eminentiam, quòd dicit, Operanti reddi debitum, vix mihi persuadeo posse vllum opus esse, quod ex debito possit remunerationem à Deo deposcere: quum etiam hoc ipsum, quod agere aliquid possumus, aut cogitare, aut proloqui, ipsius dono, & largitione faciamus. Quod nam ergo erit debitum illius, cuius gratia nos præcessit? Paulò autem pòst dicti sui hanc affert rationem, qua sæpe vsus est Augustinus. Adducit enim locum illum Pauli, stipendium peccati mors: Gratia autem Dei vita æterna. Hîc enim Apostolus non subiecit, stipendia autem iustitiæ vita æterna: quod tamen requirebatur ex antithesi. Ostendere enim Paulus voluit, praua nostra opera ex debito mereri mortem, eamque sempiternam: æternam autem vitam non dari, nisi ex gratia: Ideóque in secundo membro omisit nomen stipendij, & iustitiæ, & illis substituit nomen gratiæ. Neque verò multùm moror, quòd Augustinus alibi scribit, Paulum potuisse dicere, stipendium iustitiæ vita æterna: id tamen dicere noluisse, ne occasionem daret errandi. Quomodo enim Augustinus existimauerit, Paulum id dicere potuisse, equidem non video, nisi forte per iustitiam intelligat opera hominũ renatorum, quatenus cum illis Christi merita coniunguntur. Ita enim posset esse verum, huiusmodi iustitię stipendium esse vitã æternam. Pergit porrò Origenes, & ostendit ita iustificari homines gratis, vt non requirantur opera bona, quæ præcedant. Exponens enim illud, Beati, quorum remissæ sunt iniquitates. Anima, inquit, cui remissa sunt peccata, iam in bonis sit oportet. Appellatur enim beata. Habet ergo iustitiam, quam illi Deus imputat: quamuis nondum fecerit opera iustitiæ: sed pro eo tantùm, quòd credidit in eum, qui iustificat impium. Ex his verbis multa colligimus: Primum, Deum propter opera non reddi cuiquam debitorem. Alterum, non tantùm iustificationem, sed etiam vitam æternam dari gratis. Postremò, iustitiã imputari animis credentium, licet bona in illis opera nulla præcesserint. Basilius in illa verba psal. 114. Conuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi: Proposita enim, inquit, est æterna requies illis, qui in hac vita legitimè decertarint: quę tamen non secundum meritum operum retribuitur, sed secundum magnificentissimi Dei gratiam illis, qui in eum sperauerunt, exhibetur. Cùm ista dicantur de operibus hominum iam iustificatorum, quod attinet ad æternam felicitatem, multò magis vera videri debent de operibus illorum, qui adhuc à Christo sunt alieni. Quare quemadmodum illa non merentur æternum præmium, ita ista nõ merentur iustificationem. Vtrunq; enim contingit gratis. Augustinus de Dogmatibus Ecclesiasticis cap. 48. Si per legem, inquit, iustitia, Christus gratis mortuus est: Ita etiam dicere possumus, si per naturam iustitia, Christus gratis mortuus est. Ista dicuntur contra Pelagianos, qui statuerunt, tantam esse hominis libertatẽ, vt ex sola natura facere posset ea, quę placerent Deo. Et Augustinus prudenter, quod Paulus dixerat de lege, transfert ad naturam: docetq; ad vtrunq; sequi idem absurdum, videlicet, otiosam esse mortem Christi. Re enim vera, quòd lex non adferat iustitiam, non alia causa fit, nisi quòd natura sit vitiata, & debilis. Quare quod de altera dictum est, potest etiam rectè conuenire in alteram. Idem in caput primum Ioannis exponens ista verba, Gratiam pro gratia, quid inquit, est Gratia? Responder, gratis data. Quid est gratia gratis data? Non reddita, inquit. Nam, si tibi debebatur, mercès reddita est. Si debebatur, anteà fuisti bonus. Et de prędestinatione sanctorum, capite 7. Ne quis extollatur. Vt solet dici, Ideo credere meruit, quia vir bonus erat, & antequã crederet, quod videtur scribi de Cornelio: cùm ille fidem habuerit, quãdo fecit opera bona. Hæc ita sunt perspicua, vt nulla opus sit declaratione. Chrysostomus hom. 2. in epistolam priorem ad Corinthios: Vbi, inquit, gratia est, ibi non sunt opera: vbi opera, ibi non est gratia. Si ergo gratia est, quid superbitis? qua ratione inflati estis? Chrysostomus iuxta rationem Pauli ita opponit gratiam operibus, vt sese mutuò excludant: tantum abest, vt velit gratiam dari ex operibus. Hieronymus in epistolam ad Philemonem, Gratia, inquit, est, qua nullo merito, aut opere seruamini. Idem in epistolam ad Ephesios, exponens illa verba, Gratia seruati estis per fidem, & hoc non ex vobis: donum Dei est: Ideo, inquit, hoc Paulus dixit, ne nobis occulta cogitatio surreperet, si per opera nostra seruati non sumus, certè vel per fidem seruati sumus: ita alio genere nostrum est, quòd seruamur. Hæc omnia testimonia satis declarant, iustificationem gratis dari, neque eam per merita vlla, aut opera præcedentia posse acquiri. Nunc superest, vt ex Patribus ostendamus,

Quomodo uita æterna stipendium iustitiæ dici possit.

Quod statuitur de se quoad iustificationem, de natura censeri debet.

damus, quo loco bona opera habenda sint. Sequuntur ea omnino iustificationem, tanquam eius fructus, qui nascantur, & pullulent ex vera fide. Itaque Origenes ait, eo loco, quem suprà citauimus, exponens illud ad Romanos, Ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum: Non igitur, inquit, ex operibus radix iustitiæ; sed ex radice iustitiæ crescit fructus operum. Quod idem Augustinus affirmat ad Honoratum, Ex hoc, inquiens, incipiunt bona opera, ex quo iustificamur: non autem, quia illa præcesserunt, iustificamur. Et libro primo quæstione secunda ad Simplicianum: Quin & opera, inquit, si qua sunt bona, consequuntur, vt dictum est, illam gratiam, non præcedunt. Ideo autem subiecit, Si qua sunt bona, quoniam etiam regeneratorum facta multum habent in se imperfectionis: & nisi cum illis coniungeretur Christi iustitia, quæ credentibus imputatur, non essent reuera bona. Idem capite vigesimo sexto. De spiritu & Litera, prolixè tractat locum illum ad Romanos, Non auditores legis, sed factores iustificabuntur: & multis rationibus probat, opera bona sequi iustificationem, non autem præcedere. Huc etiam spectat, quod Basilius libro secundo De spiritu sancto captite septimo scribit, ex verbis Domini, prius oportere fieri arborem bonam: deinde fructus eius bonos: & redarguendos fuisse Pharisæos, qui in patinis, & calicibus id emundarent, quod foris esset, Mundate, inquit, quod intra est: & quod foris reddetur mundum. alioqui comparabimini sepulchris dealbatis, quæ foris quidem videntur speciosa: intus vero immunda sunt & plena ossibus mortuorũ. Nunc veniemus ad Concilia: quæ tamen sine delectu, & iudicio audienda non sunt. Illa tantùm recipere, & colere debemus, quæ dogmata sua temperarunt ad normam sacrarum literarum. Demosthenes in oratione contra Androtionem ait, senatusconsulta non debere fieri, nisi ad præscriptum illorum, quæ in legibus iam sint definita. Ita in Ecclesiasticis conciliis non oportet noua decreta fieri, quæ faciant ad dogmata, nisi de illis tantùm, quæ vel in verbo Dei habeantur expressa, vel ex eo possint efficaciter, & euidenter colligi. Primùm occurrit Concilium Aphricanum, in quo cap. 80. anathema pronuntiatur aduersus Pelagianos: qui dicebant, ideo dari gratiam iustificationis, vt, quod facere iubemur, facilius possimus implere per gratiam: quasi etiam sine gratia, licet difficilius, per liberum arbitrium implere possimus mandata Dei; cùm tamen Dominus de fructibus mandatorum loquens non dixerit, sine me difficilius potestis facere, sed prorsus sine me nihil potestis facere. His verbis perstringuntur Papistæ nostrorum temporum: qui non verentur dicere, hominem ante iustificationem facere posse opera, quæ mandantur in lege, quæq; Deo placeant, & præparẽt ad regenerationẽ. Quid enim hoc aliud est, quàm dicere cum Pelagianis, posse quidem hominem etiam ante iustificationem præstare legem, etsi non ita plenè, ac facilè, vt postquã est iustificatus. Nihil autem est, quod dicunt, se ponere gratiam quãdam præuenientem, qua homines nondum regenerati opera illa, quæ vocant, præparatoria, facere possint. Nam cùm ista dicunt, nomine tantùm differunt à Pelagianis. Illi enim docebant, non minus, quàm isti, antecedere gratiam quandam legis, & cognitionis diuinæ voluntatis, & illuminationis, qua intelligatur, quid oporteat fieri. Quod autem supererat, tribuebant libero arbitrio, quod isti etiam faciunt. Pelagianos autem ita sensisse, declarat Concilium Mileuitanũ, in quo ita scribitur cap. 4. Anathematizamus eos, qui dicunt, gratiã Dei per Iesum Christũ Dominũ nostrũ propter hoc tantùm nos adiuuare, quia per ipsam nobis reuelatur, & aperitur intelligentia mandatorũ Dei: vt sciamus, quid appetere, quid vitare debeamus: non autem per illam præstari, vt quod faciendum cognouimus, facere etiam & diligamus, et valeamus. Cùm enim Apostolus dicat, scientia inflat, Charitas verò ædificat, valdè impium est credere, vt ad eam, quæ inflat, gratiam Christi habeamus: ad eam verò, quæ ædificat, non habeamus: præsertim cùm scriptum sit in 4. cap. 1. Ioannis, Charitas ex Deo est. In Concilio etiam Arausicano secundo, cap. 4. ita scribitur, Eos resistere spiritui sancto, qui dicunt, Dominum expectare voluntatem nostram, cùm Solomon dicat; Præparatur voluntas à Domino: cumq; Paulus dicat ad Philippenses, Deus est, qui operatur in nobis, & velle, & perficere pro sua bona voluntate. Quinto autem capite illi explodumtur, qui à gratia Christi conferri augmentum fidei, non autem initium. Nam etiam initium fidei est ab inspiratione spiritus sancti, corrigentis infidelitatem nostram ab infidelitate ad fidem, & ab impietate ad pietatem. Probatio autem adducitur ex variis locis scripturarum. Paulus enim ait ad Philippenses, Confido, quòd qui cœpit in vobis bonum opus, perficiet vsq; in diem Domini. Et iterũ in eadem epistola, Vobis datum est, non tantùm, vt in eum credatis, sed etiam vt pro eo patiamini. Et ad Ephesios, gratia seruati estis per fidem, & hoc non ex vobis. Donũ enim Dei est. Deinde subiecti sunt anathemati, qui dicerent, Misericordiam, & gratiam Dei concedi

Quæ cõcilia sint audienda.

Concilium Aphricanum.

Concilium Mileuitanum.

Concilium Arausicanum.

volentibus,credentibus,desiderantibus,conantibus,laborantibus, vigilantibus, studentib petentibus,quærentibus,pulsantibus:nō autem faterentur per infusionē,& inspiratione sanc ti spiritus,& diuino munere dari nobis,vt velimus,credamus,conemur,laboremus. Citant testimonia è scripturis:Quid habes,quod non accepisti?Et si accepisti,quid gloriaris, quasi non acceperis?Et Apostolus de se ipso scribit, Gratia Dei sum id, quod sum. In 7. cap. damnantur illi,qui putant nos naturæ viribus posse aliquid cogitare, aut inuenire, quod ad salutem faciat:aut posse sacrę prędicationi assentiri sine illuminatione spiritus sancti. Hæc confirmari possunt è scripturis. Paulus enim ait,nos nō posse cogitare aliquid à nobis ipsis,quasi ex nobis:sed sufficientiam nostram esse ex Deo. Et Christus,sine me, inquit, nihil potestis facere:Et Beatus es Simon Bariona: quia non caro, aut sanguis reuelauit tibi. Anathematizantur etiam illi,qui fatentur quidem liberum arbitrium aliquo modo infirmatum,& lęsum esse:non ita tamen,quin homines per illud ad salutē conuerti queant. Istis scripturę apertè reclamant. Dominus enim ait:Nemo venit ad me, nisi pater meus traxerit eum. Et Paulus ad Corinthios: Nemo potest dicere,Dominum Iesum,nisi in spiritu Dei. Præclara est hæc sententia: Tales amat nos Deus,quales futuri sumus ipsius dono,non quales sumus nostro merito. Decimotertio autem cap. ita scribitur,Arbitrium voluntatis in primo homine amissum non potest reparari:& quia est amissum,non potest reddi, nisi ab illo, à quo datum fuit ab initio. Vnde ipsa veritas dicit:Si filius vos liberauerit,tum verè liberi eritis. Deinde capit. 17. statuitur,fortitudinem ethnicorum esse ex mundana cupiditate:quæ verba ostendūt, illorū virtutes,vt supra ex Augustino,& alijs Patribus ostensum est,non fuisse veras:maximè cùm à malo principio natæ fuerint. Humana autem cupiditas complectitur quicquid inueniri potest in hominibus non regeneratis. Sequitur in eodem capite: fortitudinem Christianorum facit charitas Dei:quæ diffusa est in cordibus nostris,non per liberum arbitriū, sed per spiritum sanctum, qui datus est nobis, nullis meritis gratiam præuenientibus. Et capite 25. Prædicare debemus,& credere,per peccatum primi hominis,ita inclinatum,& attenuatum esse liberum arbitriū,vt nemo postea vel diligere Deum, sicut oportet, aut credere in Deū, aut operari propter Deum,quod bonum est,possit: nisi gratia eum, & misericordia diuina præueniat. Vnde Abel iustus, Noe, Abraham, Isaac, & Iacob, omnisq; sancta antiquitas in epistola ad Hebræos,dicuntur per fidem ea fecisse,quæ ab illis facta commemorantur in sacris literis. Eam fidem supra docuimus esse ex Deo. Et Paulus de seipso scribit,Misericordiā consecutus sum,vt sim fidelis. Non autem ait,consequutus sum misericordiam, quòd fuissem anteà fidelis:sed contrà. Et in eodem capite: Hoc etiam salubriter profitemur, & credimus, quòd in omni opere bono non nos ipsi primùm incipimus, & postea Dei misericordia adiuuamur: sed quòd ipse nobis, nullis præcedentibus meritis, & fidem, & amorem sui prius inspirat. Itaque manifestissimè credendum est,& Zachæum,& Latronem, & Cornelium,non natura credidisse,sed diuinæ largitionis dono. Hæc ex Arausicana Synodo addu cta sunt prolixius fortasse,quàm huic loco videri possit conuenire:sed ea causa id feci libentius,quòd viderem, ea omnia, quæ ibi affirmantur, ex diuinis literis confirmari, & nostrum institutum quàm optimè constituere. Talia, mihi crede candide Lector, Concilia audienda sunt, quæ nituntur verbo Dei. Quicquid enim aut commodi,aut calamitatis habet Ecclesia,id omne verbo Dei aut obseruato,aut neglecto ascribi debet. Quomodò enim antiquioribus Concilijs victi sunt Arrius, Eunomius,Nestorius,Eutyches, & alię pestes, nisi verbo Dei? Nam certè alijs machinis vinci, ac superari non potuerunt. Ediuerso,quando cœpit Ecclesia succumbere abusibus, & superstitionibus, nisi cùm verbum Dei negligeretur? Et nostris temporibus, nisi repetitum, & quodammodo postliminio reuocatum fuisset verbū Dei,quomodo vnquam potuissemus à Paparum tyrannide liberari? His paucis admoniti ne temerè cuiuis Concilio assentiamur:sed ea sola recipiamus,quę decreta suorum dogmatum è scripturis solidè confirmarunt. Verùm,vt,quod dico,magis etiam eluceſcat, Tridentinum Concilium proferamus:vt ex contrario veritas magis intelligatur. In illo Concilio sessione quinta, cap. quinto, vsque ad caput vndecimū agitur de iustificatione. Ibi Beatissimi illi, scilicet, Patres,mancipia Papæ, sic definiunt: Initium Iustificationis esse à gratia. Quam autem gratiam intelligant, mox aperiunt. Ita enim aiunt: Vocat, & excitat:sic ab ea iuuantur iustificandi, vt vocati,& excitati huic gratię assentiantur, & cooperentur, disponanturque ad regenerationem: assensum autem, & cooperationem fieri volunt, vt verba indicant,à libero arbitrio. Quid aliud dicere posset Pelagius,si viueret? Nam ne ille quidem negauit gratiam,si eam accipias pro admonitione,vocatione,excitatione. Ille quoquè hoc tribuebat libero Arbitrio, vt assentiri posset, & parere mandatis Dei. Atqui gratia,quam no-

Tridentinum concilium.

bis proponunt sacræ literæ, intellectum nostrum, & voluntatem renouat, & pro corde lapideo reponit cor carneum. Non enim tantùm suadet rationem, sed prorsus persuadet, & flectit, atque immutat voluntatem. Fatentur quidem Tridētini nostri, Deum tangere cor hominis per illuminationem spiritus sancti: sed addunt, Ne homo ipse nihil omnino agat, recipit inspirationem: vt qui eam posset etiam abijcere. Volunt itaque omnino, hominis esse, recipere: quanuis fateantur, id eum facere non posse, nisi vocetur, & excitetur à gratia. Sed animus humanus, nisi innouetur spiritu, & gratia Dei, quomodo ea recipiet, quibus propter naturam suam adhuc corruptam, & vitiatam aduersatur? Certè quantumuis excitetur, doceatur, moueatur, nisi penitus immutetur, ea perpetuò respuet. Itaque Augustinus ad Simplicianum rectè scribit, non esse in potestate nostra, vt ea, quæ occurrunt, nobis grata sint, & placeant. Quod autem gratum non est, neque placet, non eligimus, quantumuis monitores extimulent. Vt si homini ægroto cibi maximè salubres, & suauissimè conditi offerantur, tamen qui non placent, nec grati sunt, respuuntur: quantumuis multi adsistant, qui dicant, esse cibos illos salutares, & egregiè paratos. Idem prorsus accidit animo non regenerato: præterquam quòd ad sentiendam gratiam Dei, vis illi fieri non potest: ægroto, vt cibos ingratos admittat, potest. Quare quoad voluntas, & intelligentia nostra immutata non est spiritu Dei, monita salutaria non admittet. Et quemadmodū ægrotus priusquā restituatur sanitati, cibos oblatos nec approbat, nec libenter sumit, ita etiam mens humana, nisi mutetur ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, vt ait synodus Arausicana, non obsequitur, nec obtemperat gratiæ vocanti, & excitanti: quod tamen à Patribus tridentinis asseritur. Sed ne viderentur sine scripturis loqui, duo testimonia protulerunt: Alterum è primo capite Zachariæ: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Hoc, inquiunt, hominem respicit, cui præcipitur, vt in ipsa iustificatione aliquid agat. Hieremias autem ait: Conuerte nos Domine, & conuertemur: quibus verbis indicatur, ad istam conuersionem requiri etiam auxilium Dei. Atque hoc pacto rem totam partiuntur inter Deum, & hominem. At Augustinus, & alij multi ex Patribus vniuersum negotium iustificationis nostræ adscribunt soli Deo. Cæterùm, quod ad locum Zachariæ attinet, duplex occurrit eius expositio. Prior est, esse ea verba legis præcipientis: non tamen ex illis probari, hominem conuerti posse, nisi Deus illum conuerteret. De eo enim Augustinus ita scribit: Domine, da quod iubes: & iube, quod vis. Altera expositio est hæc, In iustificatione duos esse interiores motus: quorum alter ad rationem pertineat, quæ, vti diximus, non tantùm docenda sit, sed etiam persuadenda, traducendaq; in sententiam spiritus sancti: alter autem ad voluntatem, vt illa flectatur ad ea omnia suscipienda, quę spiritus sanctus promittit & offert. Ea est fides, qua iustificamur, & per quam peccata nobis nostra condonantur. Verùm cùm ista occultè fiant in penetralibus animi, Propheta de illis non loquitur: verùm de ijs potius sermonem habuit, quæ sequuntur. Homo enim semel iustificatus incipit conuerti ad bona opera. Quare qui antea dissolutè, ac perditè vixerat, iam rectè, atque ordinè se gerit: & gratia, atque spiritu instauratus cum diuina virtute vnà cooperatur. De hac conuersione Propheta loquitur, quum ait, Conuertimini ad me. Et Deus pollicetur, se illos cumulaturum magnis beneficijs: quod est, Et ego conuertar ad vos. Antea enim, quum illis bona subtraheret, eósque captiuitatibus, alijsque miserijs affligeret, videbatur ab eis auersus esse. Non ergo loquutus est Propheta de interiori iustificatione, verùm de exteriori cōuersione ad bona opera. Hieremias autem quum dicit, Conuerte nos Domine, & conuertemur, ad motus illos animi respexit interiores, quos iam descripsimus. Tridentini autem nostri, quum ista dicunt, etsi fingant se à Pelagianis dissentire, tamen id re ipsa probare nunquam poterunt. Dicunt, se non negare gratiam: sed eam re vera ponunt, quam Pelagiani eandem nunquam negauissent. Sed videamus, quos isti gradus, & quas præparationes sternant ad iustificationem. Primùm inquiunt, homo iustificandus à Dei gratia vocatus, & excitatus, incipit ea credere, quæ habentur in sacris literis: deinde concutitur timore peccatorum, quæ admisit: postea respiciēs ad misericordiam Dei, incipit bene sperare: concepta hac fiducia, amat Deum: ex qua dilectione nascitur in eo quædam peccatorum detestatio, propositumq; rectè vinendi. postremò recipitur Baptismus, aut sacramentū pœnitentiæ: atque hîc sitam esse aiunt iustificationem. Nam alia omnia, quæ præcesserunt, fuisse tantùm præparatoria. Non autem vident isti longè secus statuendum esse de Baptismo. Nam sacræ literæ docent, Abrahamum prius iustificatum fuisse ex fide in præputio: deinde accepisse circuncisionem, tanquam σφραγῖδα iustitiæ iam perceptæ. Hæc eadem ratio iuxta analogiā seruanda est etiam in Baptismo. Noster enim Baptismus veterum circuncisioni respondet

Quod sit opus gratiæ in iustificatione.

Nō possumus efficere, ut quæ occurrunt nobis placeant.

Locus Zachariæ declaratur.

In iustificatione qui sint interiores motus.

Gradus iustificationis ex tridentina synodo.

Confutãtur adducti gradus tridentini.

Quum isti ponant, fidem, timorem Dei, spem, charitatem, detestationẽ peccati, & nouum propositum rectè viuendi, tantùm esse præparationes quasdam ad iustificationem, statuũt, hominem posse esse perfectum, antequam iustificetur. Deinde addunt causas iustificationis, incipiuntq; à finali: eamq; aiunt gloriam esse Dei, & nostram salutem. Efficientem statuunt esse Deum ipsum ex ipsius misericordia. Meritoriam, vt loquuntur, causam ponunt esse Christum Iesum per mortem in cruce, & sanguinis effusionem. Atque huc quidem vsq; non malè. Causam formalem dicunt esse iustitiam Dei, non eam, qua ipse iustus est, sed quã nobis communicat, qua ipsi verè & habeamur, & simus iusti. Per quæ verba intelligunt instaurationem hominis iam regenerati, & nouam eius fictionem per gratiam, & spiritũ sanctum. Quæ nos fieri in homine iam iustificato non negamus: sed in eo sitam esse iustificationem, concedere non possumus. Illam enim Paulus in eo constituit, vt peccata nobis cõdonentur, néue nobis amplius imputentur. Et ad id confirmandum citat Dauidis testimonium: Beati quorum remissæ sunt iniquitates: & illud è Genesi, Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Quoq; rem clarius explicet, sæpe in illo eodem loco vtitur verbo, Imputandi. Idcirco autem dicimus, in ea iustitia, & instauratione, qua reformamur à Deo, non posse esse iustificationem, quòd ea nostro vitio imperfecta sit, neque possimus cum ea ad tribunal Christi consistere. Adhæc, hanc iustitiam, qua isti nos volunt iustificari, dicunt distribui vnicuique per spiritum sanctum, prout ille velit. Id quidem ferri potest. Est enim spiritus sanctus arbiter in distributione donorũ Dei. Sed pergunt porrò, & addunt:

Quas causas iustificationis assignent Tridẽtini.

In quo propriè sita sit iustificatio.

Iustificatio non est sita in ea iustitia, quæ nobis inhæreat.

Iuxta modulum præparationis. Hoc rursus fieri nullo modo potest. Suprà enim ostendimus ex Patribus, & in primis ex sacris literis, ea omnia, quæ ante iustificationem fiunt, peccata esse: tantùm abest vt mereri possint, & ad iustificationem disponere. Præterea isti constituunt, percepta iustificatione, homines de ea nunquam esse securos, & certos: sed semper oportere esse ambiguos, atque anxios. Quumq; nos obijcimus, hoc esse detrahere veritati promissionum Dei, & dignitati gratiæ, negant id verum esse. Se enim de promissionibus Dei non dubitare: sed cùm spectent suas, vt loquuntur, indispositiones, tum demum incipere se necessariò ambigere. Hoc equidem nihil miror. nam si quis respiciat indignitatem suam, non solùm de promissionibus Dei dubitabit, sed etiam certus erit, se non posse iustificari. Longè autem aliter sacræ literæ tradunt. Proponunt enim nobis exemplum Abrahami: illum contra spem in spem credidisse: cumq; iam propè centenarius esset, non respexisse effœtũ corpus suum, aut emortuũ vterũ Saræ: non hęsitasse eum diffidentia, sed confirmatum fuisse fide, & certissimè persuasum, quòd Deus præstare possit, quicquid promiserit. Hoc exemplum docet nos, non esse respicienda ea, quæ aut possint, aut videantur impedire iustificationem nostram: sed fidem nostram prorsus in verbis, & promissionibus Dei figendam esse. Contrà autem isti nos reuocare volunt ad nostras vt loquuntur, indispositiones: & propterea de iustificatione nostra semper ambigere. Nos quidẽ dissimulare non debemus, quicquid est in nobis imperfectionis, aut vitij: idq; ea causa, vt quotidie emendetur, & corrigatur. Non tamen propterea debemus de iustificatione nostra, & gratia Dei incerti esse, ac fluctuare.

Homo iustificatus de sua iustificatione nõ dubitat.

Cõfirmatur nos ex fide nõ iustificari.

Secunda propositio à nobis modò confirmanda est, hominem iustificari ex fide. Id primùm probabimus, instituemus testimonijs diuinarum literarum. Paulus in primo capite huius epistolæ definit Euangelium, esse vim Dei ad salutem omni credenti. Illis verbis attingitur causa efficiens iustificationis, nempe potentia Dei: & finis, salus, videlicet nostra: & instrumentum, quo percipitur fides: addit enim, Omni credenti. Idq; confirmat testimonio Habacuch prophetæ: quod illi adeò placuit, vt eo & ad Galatas, & ad Hebræos vsus sit eodẽ sensu. Additur præterea, iram Dei reuelatam fuisse de cœlo propter notitiam philosophorum, qui veritatem Dei in iniustitia detinebant: quiq;, quum Deum cognouissent, eum tanquam Deum, non glorificabant: sed ad cultum idolorum prolabebantur. E diuerso autem in Euangelio reuelatam esse iustitiam Dei, ea nimirum, qua homines iustificantur, ex fide in fidem, eam locutionẽ suo loco satis explicauimus. In tertio capite, Nunc iustitia, inquit, Dei absque lege manifestata est: iustitia, inquam, Dei per fidem Iesu Christi, in omnes, & super omnes, qui credunt in eum. Et paulò pòst: Iustificati ergo gratis, per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu: quem Deus proposuit propitiatorium per fidem in sanguine ipsius. Hìc quoque non solùm indicatur gratia, per quam Deus nos gratis iustificat, sed etiam Christus, & eius mors proponitur, vt appareat eum esse reconciliatorẽ, & mediatorem. Adiecta est etiam fides, qua fructum redemptionis eius percipimus: ad ostensionem etiam iustitiæ eius in hoc tempore, vt sit ipse iustus, iustificans eum, qui est ex fide

fide Iesu Christi. Si homines ex suis operibus iustitiam sibi compararent, non ita declararetur iustitia Dei. Cùm autem intelligatur cõmunicari eam nobis per fidem, absque vlla præparatione operum, necesse est eam videri maximam. Inter alia autem, quę Deus requirit ab hominibus, illud est præcipuum, ne quid de se glorientur. At si iustificatio constaret ex operibus, homines iactare possent studium suum, & industriam. Cùm autem iustificemur gratis ex fide, nihil loci relictum est gloriationi. itaque Paulus ait, Exclusa est gloriatio tua: per quam legem? Factorum? Non: sed per legem fidei. Quare concludit ad hunc modum: Cõtendimus, iustificari hominem absque operibus per fidem. Néue putes propositionẽ eam esse particularem, declarat eam vniuersalem esse. Nunquid, inquit, Iudæorum Deus est tantùm? nónne & Gentium? imò & Gentium. Est enim vnus Deus, qui iustificat præputium per fidem, & circuncisionem ex fide. Quemadmodum ergo vnus est omnium Deus, ita omnes iustificat eadem via. Et in quarto capite ait: Ei autem, qui non operatur, credenti verò in eum, qui iustificat impium, fides imputatur ad iustitiam. Hac sententia & opera excluduntur, & fides indicatur, per quã iustitia hominibus imputetur. Et statim subiungit de Abrahamo, vt sit pater omniũ credentiũ per præputium, vt illis quoq; imputetur, & sit pater circuncisionis, non illis solùm, qui sunt ex circuncisione, sed etiam ambulantib. per vestigia fidei, quæ fuit in præputio Abrahami patris nostri. Postea ex natura promissionis ostendit iustificationẽ esse per fidem. Ait enim, Per legẽ nõ est promissio Abrahamo, & semini eius, vt hæres esset mundi, sed per iustitiã fidei. nam si illi, qui sunt ex lege, essent hæredes, abolita esset fides, & irrita esset promissio. In his verbis duo præclara annotanda sunt. Primũ est, promissionẽ esse liberã, neque coniunctã esse cum conditione operũ. & idcirco quia fides, tanquam correlatiuũ refertur ad promissionẽ, necesse est, eam talem esse, qualis est promissio. atq; idcirco promissionẽ respicit per se ipsam, non autẽ conditiones indispositionis nostræ, quemadmodũ Tridentini docuerũt. Alterũ est, si ex illa cõditione operũ penderet hereditas, & iustitia, nihil opus fuisset promissione. Dixissent enim homines, Quid illud nobis promittitur gratuitò, quod possimus nobis nostro studio, & labore vẽdicare? Aut quid ita necesse est, vt credamus, cùm operib. nostris possimus ad iustitiã peruenire? Postea Paulus addit causam finalem, cur iustificatio sit ex fide: Ex gratia, inquit, quò firma sit promissio: nam si nostris operibus, & præparationib. iustificaremur, semper nutaret promissio: neque quicquã certi de ea possemus constituere. postea subijcitur exemplũ Abrahami: qui, vt suprà dictũ est, contra spem in spem credidit: neq; ea respexit, quæ ex ipsius parte promissioni diuinæ obstare poterant, nimirum corpus suum effœtũ iam, & centenariũ, & ætatem Saræ coniugis. Hæc satis declarant, cuiusmodi fuerit illa fides, per quam Abrahamo imputata est iustitia, vt ex eo nos quoque intelligere possimus vim, & naturam fidei iustificantis. Addit etiam Paulus, ex eiusmodi fide multùm efferri gloriam Dei. Nam cùm nostris meritis & operibus nihil tribuatur, necesse est, gloriã vniuersam cedere Deo. Itaque Paulus ait de Abrahamo: Dedit gloriam Deo, id plenissimè sciens, quòd quicquid pollicitus esset, posset etiam præstare. Vtq; magis exprimeret certitudinem fidei, vsus est participio πληροφορηθεὶς: quo significat Abrahamũ plenissimó quodam assensu amplexum fuisse promissionẽ Dei. Et ne quis existimet, hanc prærogatiuã propriam, & peculiarem datam fuisse Abrahamo, Apostolus subiecit regulam vniuersalem, aitq;, non tantùm propter illum scriptum esse, fuisse illi imputatum ad iustitiam, sed etiam propter nos: quibus imputabitur credentibus in eum, qui excitauit Iesum Christum à mortuis: qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Adhæc, ex quinto capite aliud etiam habemus testimonium: Iustificati, inquit, ex fide pacem habemus erga Deum per Iesum Christum: per quem habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus. Hîc duo annotanda sunt: alterum, nos fide iustificari, idque ex gratia: alterum, ad istam gratiam non patere nobis aditum ex præparationibus, aut ex operibus disponentibus, sed tantùm per fidem. In octauo capite proponuntur scalæ quasi quædam, & gradus, per quos perueniendum sit ad æternam salutem. Quos præsciuit, inquit, hos & prædestinauit, conformes fieri imaginis filij sui, vt ipse sit primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinauit, hos & vocauit: quos vocauit, hos & iustificauit: quos iustificauit, hos & glorificabit. Hîc enumerati sunt quinque gradus, præscientia, prædestinatio, vocatio, iustificatio, glorificatio: in quibus, quod ad rem facit, spectemus, quid inter vocationem, & iustificationem intercedat. Nihil autem occurrit, nisi fides. Nam quum vocatio fiat per promissionem iustificationis, & salutis, ea per fidem assentientem recipitur. Ad finem noni capitis proponitur discrimen inter Iudæos, & Gentes: & ratio redditur, cur

Gentes adeptæ sint iustitiam, non autem Iudæi. Sic enim ait Paulus: Quid igitur dicemus, quòd Gentes, quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderũt iustitiam, quæ est per fidem? Israel autem, qui sectabatur iustitiam, ad legem iustitiæ non peruenit: quia non ex fide, sed tanquam ex operibus. Nihil potest his verbis esse apertius: docent enim eos, qui volunt iustificari fide, assequi iustitiam, eos verò, qui ad id aspirare volunt per opera, frustra contendere. Hoc idem probat ab initio capitis decimi, vbi geminam describit iustitiam: alteram, quam appellat nostram, quæ constat operibus: alteram, quam dicit Dei, quæ apprehenditur fide. sic autem loquitur: Ignorantes Dei iustitiam, & suam volentes constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Hinc apparet, eos, qui suam, hoc est, operum iustitiam volunt stabilire, excidere à iustitia Dei. Pergit Paulus, & huius geminæ iustitiæ naturam magis patefacit. Moses, inquit, de iustitia, quæ est ex lege, ita loquitur: Homo, qui fecerit ea, viuet in eis. His verbis ostendit, iustitiam legis sitam esse in operibus. De iustitia autem, quæ est ex fide, ita loquitur: Ne dixeris in corde tuo, quis ascendet in cœlum, Christum deducere: aut quis descendet in abyssum Christũ reuocare à mortuis? Sed quid dicit? propè est verbum in ore tuo, & in corde tuo. Hoc est verbum fidei, quod prædicamus: quòd qui corde crediderit, & ore confessus fuerit Dominum Iesum Christum, saluus erit. Hinc videmus, non iustitiam legis, quæ habetur ex operibus, sed iustitiam fidei eam esse, quæ salutem conciliet. idq; posterioribus verbis apertius confirmatur. Nam in eo, quod additur, corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutẽ, posterior clausula de confessione, quę videtur esse opus externum, idcirco adiecta est, ne fidem, qua iustificamur, putemus, otiosam esse oportere. non enim illa vana est, aut sterilis: qualem aduersarij nostri somniant nos obtrudere. Habet ea fructus copiosissimmos, & vberrimos, inter quos primũ locum obtinet, & in primis necessaria est confessio pietatis. Huc adiunxit Paulus testimoniũ Prophetæ: Qui credit in illum, non pudefiet. Illi solent affici pudore, qui præter opinionẽ frustrantur eo, quod sperabant consequuturos. Itaque sensus est: Qui credit in Christũ, & ex hac fide salutem expectat, non afficietur pudore, quoniam spe sua non frustrabitur. Aliud testimonium additur petitum ex Iohele propheta: Omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit: quibus verbis promissio salutis adscribi videtur inuocationi. Sed Paulus vtiliter docet, quod à me aliàs sæpe dictum est, quando promissiones adiungi videntur operibus, ab illis semper recurrendum esse ad radicem, & fundamentum, nimirum ad fidem. Ita Paulus hoc loco cùm dixisset, Qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit, statim subiunxit, Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt? Ita rem vniuersam ab inuocatione resoluit in fidem. Néue putes, fidem vi sua habere aliquid, vnde iustificet, rursus ab illa recurrit ad obiectum: Quomodo, inquiens, credent sine prædicante? quomodo prædicabunt, nisi mittantur? Et fides est ex auditu: auditus autem per verbũ Dei. Extremũ ergo caput resolutionis est verbum Dei, & promissio de Christo: vnde tanquam ex fonte salus, & iustificatio nostra deriuatur. Cap. 11. proponitur ἀντίθεσις incredulitatis, & fidei: quæ maximè facit ad confirmãdum id, quod nunc docemus. Rami effracti sunt, vt ego insererer. Hæc erat obiectio Gentium contra Iudæos. Paulus respondet: Bene, illi propter incredulitatem effracti sunt: tu autem fide stas. Hîc ratio redditur ruinæ, & exitij hominum, & ex altera parte salutis, & constantiæ: nimirũ incredulitas, & fides. Et de Iudæis aliquando restituendis addit, Quòd si illi non permanserint in incredulitate, rursus inserentur. Deus enim potens est eos inserere. Hic videmus, per discessum ab incredulitate, qui situs est in credendo, homines prolapsos restitui. Id vehementer facit contra errorem illorum, qui etsi vtcunque fateantur, primã iustificationẽ dari gratis, sine vllis præcedentibus operibus, tamen hominibus prolapsis non concedunt restitutionem ad iustificationem nisi per satisfactiones, & multa opera præparatoria. Hæc ex epistola ad Romanos: nunc alias ordine persequemur. 1. Corin. 1. ita scribitur: Quia mundus in sapientia Dei non cognouit Deum per sapientiam, placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. Quoniam sapientes huius mundi, inquit Apostolus, per naturalem inquisitionem non potuerunt apprehendere sapientiã Dei, qua seruarentur, Deus pro sua bonitate contrariam viam instituit: nimirum prędicationem Euangelij: quæ carni videtur stultitia, vt per eam salus daretur hominibus: non quibusuis tamen, sed credentibus. Itaque 2. Cor. 1. ita scribitur: Fide statis: ex quibus verbis intelligimus, fundamentum, quo firmamur, & stabilimur in via salutis, esse fidem. Adhęc, Paulus ad Galatas capite 2. reprehendẽs Petrum simulationis, qua videbatur inducere Gentes, vt ceremonias iudaicas obseruarent, ita loquitur, Si tu Iudæus cùm sis, gentiliter viuis, & non iudaicè, quomodo Gentes cogis iudaizare? Nos enim natura Iudæi, & non ex Gentib. peccato-

Nota scripturas docere ἀνάλυσιν ab operibus ad fidem.

A fide rursus ἀνάλυσις ad obiectum.

Restitutio lapsorum probatur esse ac fieri per fidem.

catores, quoniã ſcimus, non iuſtificari hominem ex operibus legis, & ipſi credimus in Chriſtum, vt iuſtificaremur ex fide Chriſti, & nõ ex operibus legis. Quia ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro. Hîc videmus, Apoſtolos ideo ſequutos eſſe Chriſtum, vt iuſtificarentur ex fide, quod non potuiſſent aſſequi ex operibus. Et poſtea: Quod autem nunc viuo in carne, per fidem viuo filij Dei. Quod perinde eſt, ac ſi diceret, Adhuc quidem peccatum hæret in carne mea: & in ea mortem circunfero: vitam tamen habeo, non ex merito meo, ſed per fidem filij Dei. In tertio capite, ita ſcribit: Hoc ex vobis ſcire velim, ſpiritum accepiſtis ex operibus legis, an ex auditu fidei? Et ſtatim ſubijcit, Qui ſuppeditat vobis ſpiritum, & in vobis efficit virtutes, hoc ex operibus legis facit, an ex auditu fidei? Ex his intelligimus, fidem eſſe, non opera, per quam apprehendimus dona Dei. Et addit: Scitis, quòd qui ſunt ex fide, illi ſunt filij Abrahami, non alia id ſanè cauſa, niſi quòd illum credendo imitentur. Itaque inquit, Scriptura præuidens, quòd Deus iuſtificet Gentes ex fide, rem lætam prius nuntiauit Abrahamo, dicens: In te benedicentur omnes Gentes. Benedictio non eſt propagata ad illas, quòd ex carne Abrahami duxiſſent originem, ſed quòd veſtigia fidei illius perſequerentur. Alioquin ex Abrahamo ſecundum carnem, quod quidem legi poſsit, non proſeminati ſunt niſi Iſmaelitæ, Edomæi, Iſraelitæ. Sequitur concluſio: Igitur qui ſunt ex fide, benedicentur cum fideli Abrahamo. Benedici autem hebraica phraſi non aliud eſt, quàm percipere dona Dei: inter quæ primum locum tenet iuſtificatio. Itaque ſequitur, Vt in Gentes per Chriſtum veniret promiſsio Abrahamo: quò accipiamus promiſsionem ſpiritus ſancti per fidem. Habemus ergo, promiſsionem ſpiritus ſancti non apprehendi per opera, vt multi fingunt. idque ratio ſatis indicat. Nam cùm Dominus, vt paulò pòſt dicetur, per promiſsionem donauerit Abrahamo, videndum eſt, quid ad promiſsionem referatur tanquam correlatiuum. Id autem, vti docuimus, nihil eſſe poteſt, niſi fides: illa enim tanquam obiectũ, proponit ſibi promiſsiones Dei. Addit adhæc Paulus, ſcripturam concluſiſſe omnia ſub peccato, vt promiſsio ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus. Hæc ea cauſa eſt, cur diuinæ literæ tam diligenter oſtendant hominibus, quemadmodum ſint obnoxij peccatis: videlicet, quò magis incitentur ad amplectendas promiſsiones Dei per fidem ſaltem, quando non habeant opera bona, quibus eas poſsint apprehendere. Idem ex eo intelligimus, quod poſtea ſubditur: Lex pædagogus noſter eſt ad Chriſtum, vt iuſtificemur per fidem. Ea verba nihil aliud volunt, niſi legem idcirco indicare peccata, & ſuam hominibus infirmitatem proponere, & illorum cupiditates irritare, vnde peccata magis magisq; augeantur, vt illi ita admoniti redeant ad Chriſtum, & ab eo per fidem haurire poſsint iuſtitiam. Quod illi certè fecerunt, de quibus dicitur, Omnes filij Dei eſtis per fidem Ieſu Chriſti. Quid enim eſt, eſſe filios Dei, niſi adoptionem iam eſſe conſequutos: quod per regenerationem, ſeu iuſtificationem tantùm adipiſcimur? Et capite quarto: Nos autem, inquit, fratres, ſecundum Iſaac promiſsionis filij ſumus. Non aliud autem eſt eſſe filios promiſsionis, quàm fidem habere illis, quæ Deus pollicetur, quò euadamus filij ipſius, quemadmodum ipſe promittit fore. Ita enim Iſaacus natus eſt Abrahamo, non vi naturæ, ſed beneficio diuini promiſsi. In quinto capite addit, Nos ſpiritu ex fide ſpem iuſtitiæ expectamus. Hoc loco duo attinguntur: ſpiritus Dei, quo refingimur, & renouamur ad ſalutem: & fides, per quam iuſtitiam apprehendimus. Quare in hoc negotio iuſtificationis noſtræ, quanuis multa alia in animis noſtris ſint opera ſpiritus ſancti, præter fidem tamen illa ad iuſtificationem non faciunt. Itaque Apoſtolus concludit, Circunciſio nihil eſt, & præputium nihil eſt: ſed tantùm fides, quæ per dilectionem operatur. Ab hac tantùm pendet iuſtificatio: ab hac, inquam, non mortua, ſed vigente, & uiua. Et ea cauſa Paulus addidit, Quæ per dilectionem operatur. Quod tamen non ita debet intelligi, quaſi fides à dilectione pendeat, aut ab ea, vt loquuntur, formam habeat: ſed quòd, ſi debeat erumpere in actum, & ſe ipſam oſtendere, id faciat neceſſe eſt per dilectionem. Ita ſcientia alicuius non ex eo pendet, quòd is alios doceat: ſed ea re maximè declaratur. At ſi perfectio aliqua ex iſtis actionibus diligendi, & docendi redundet in fidem, & ſcientiam, id alia de cauſa fit, non quidem quòd ea inde pendeant, aut formam ſuam habeant: quemadmodum multi Sophiſtæ ſomniarunt. In epiſtola ad Epheſios capite ſecundo ita ſcribitur: Gratia ſeruati eſtis per fidem, & id non ex vobis: Dei enim donum eſt. Et deinde in tertio: Vt ſecundum diuitias gloriæ ſuæ det vobis, vt fortitudine roboremini in interiori homine per ſpiritum, quo Chriſtus habitet in cordibus veſtris per fidem. Qui in ſe ipſo Chriſtum habet, is omnino iuſtitiam habet. De illo enim Paulus ita ſcribit ad Corinthios priori, capite ſecundo: Qui factus eſt

nobis ſapientia, iuſtitia, ſanctitas, & redemptio. Hîc ergo oſtenditur, per quid Chriſtus habitet in cordibus noſtris: nimirum per fidem. Rurſus Paulus capite tertio ad Philippenſes, Vt inueniar, inquit, in illo non habens iuſtitiam meam, quæ eſt ex lege, ſed eam, quæ eſt ex fide Ieſu Chriſti. Hîc eam iuſtitiam, quæ eſt ex operibus, & ex lege, appellat ſuam: eam verò, quæ eſt ex fide, quanquam maximè optat, appellat iuſtitiam Ieſu Chriſti. Ad Hebræos etiam ſcribitur capite vndecimo, Sancti per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt promiſsiones. Hæc indicant, quantum tribuendum ſit fidei: ſanctos enim per eam non tantùm occupaſſe externa regna dicitur, verùm etiam exercuiſſe opera iuſtitiæ, nimirum, vt ſanctè atque inculpatè viuerent, & adipiſcerentur promiſsiones Dei. Petrus autem in priori ſua epiſt. cap. 1. In potententia Dei cuſtodimini, inquit, ad ſalutẽ per fidem. His verbis ſignificantur duo principia ſalutis noſtrę. Alterum eſt vis, & potentia Dei, quæ omnino neceſſaria eſt, vt ſalutem conſequamur: alterum eſt fides, quo tanquam inſtrumento ſalus nobis applicatur. Ioannes in prima epiſtola capite quinto: Omnis, inquit, qui credit Ieſum eſſe Chriſtum, ex Deo natus eſt. Naſci autem ex Deo nihil aliud eſt, quàm iuſtificari, aut renaſci in Chriſto. Sequitur in eodem capite: Hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, fides noſtra: quo teſtimonio declaratur, nulla re alia depelli à nobis diaboli, peccati, mortis, & inferni tyrannidem, niſi ſola fide. Ad finem autem eiuſdem capitis additur: Hæc autem ſcripſi vobis, qui creditis in nomine filij Dei, vt ſciatis, quòd habeatis vitam æternã, & vt credatis in nomine filij Dei. Nunc ex Euangeliſtis quoque, quod ad propoſitam quæſtionem faciat, colligamus. Matthæus capite octauo ait, Chriſtum vehementer admiratum fidem Centurionis, & faſſum eſſe, ſe talem non repe-riſſe in Iſraele: & conuerſum ad illum dixiſſe, Sicut credidisti, ita fiat tibi. Hîc occlamant quidam, hanc hiſtoriam, & alias ſimiles non agere de iuſtificatione, verùm de corporis tantùm, & externis beneficijs à Deo collatis. Sed iſtos ſcire oportet, peccata in nobis cauſas eſſe moleſtiarum, & afflictionum corporis. Nam vno excepto Chriſto, qui prorſus innocens mortuus eſt, cæteri omnes, quia peccato ſunt obnoxij, nihil aduerſi patiuntur immeritò. Et quanuis Deus non ſemper hoc reſpiciat in calamitatibus infligendis, ſæpe enim immittit aduerſa ad declarandam gloriam ſuam, & ad probationem ſuorum, nemo tamen, dum ita vexatur, iactare poteſt, ſecum iniuſtè agi: nemo enim tam ſanctus eſt, quin in ſe habeat peccata, quæ talibus, aut etiam maioribus ſupplicijs digna ſint. Cauſa autem non ſublata, nec ſolet, nec poteſt remoueri effectus. Quare Chriſtus, quum homines abſolueret à morbis corporum, manifeſtè declarauit, ſe eſſe eum, qui illos iuſtificaret à peccatis. Atque ita rem habere idem Euangeliſta docuit cap. 9. Nam cùm paralyticus oblatus eſſet Chriſto curandus, ait Chriſtum reſpondiſſe, θάρσει τέκνιον: Condonantur tibi peccata tua. Quo dicto, quum Scribæ & Phariſæi offenderentur, vt intelligerent, cauſa malorum ſublata, ipſa etiam mala auferri, iuſsiſſe eum paralyticum ſurgere, lectum ſuum tollere, & abire. Liquidò ergo patet, Chriſtum per ſanationes corporum illum ſe eſſe, declaraſſe, qui remitteret peccata: & quemadmodum illæ ſanitates percipiebantur fide, ita homines per eandem iuſtificari, & peccatorum condonationẽ accipere. In eodem capite nono narratur Chriſtum reſpondiſſe duobus cæcis vehementer inſtantibus, atque implorantibus, vt ſanarentur, Creditis, me hoc poſſe præſtare vobis? Quumq; illi reſpondiſſent, ſe credere, illum addidiſſe, Sicut credidiſtis, ita fiat vobis. Quumq; ſeruator noſter ad ædes Archiſynagogi proficiſceretur, vt filiam eius excitaret à morte, aſſectata eſt eum mulier, quæ ſanguinis profluuio laborabat, tanta fide prædita, vt ſecum ita cogitaret, ſi vel fimbriam veſtis eius attigiſſet, ſeſe ſtatim fore ſaluam. Itaque Chriſtus illi reſpondit, Confide filia: fides tua te ſaluam fecit. Cur autem Chriſtus fiduciam adiungat ad fidem, diximus ſupra ab initio huius quæſtionis, quum fidei naturam exponeremus. Docuimus enim, tam fortem tamq; vehementem eſſe, aſſenſum illum, quo apprehendimus promiſsiones Dei, vt cęteri animi motus illi conuenientes neceſſariò conſequantur. In Luca etiam narratur hiſtoria de muliere illa peccatrice, cui Dominus ita reſpondit, Fides tua te ſaluam fecit, ſignificans, ſe illi per fidem condonaſſe peccata. Ardentem autem fuiſſe eius mulierculæ fidem, oſtendit ex effectis, quòd multum diligeret, quòd oſcularetur pedes, quòdque eos ablueret lachrymis, & capillis extergeret. In Euangelio Ioannis cap. 3. Chriſtus ait Nicodemo, Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Et in eodem capite Ioannes Baptiſta de Chriſto ſic loquitur, Qui credit in filium, habet vitam æternam: qui autem non credit, non habet vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum. Ex quo loco non tantùm id colligimus, quod tractamus in preſentia, ſed etiã hoc,

alienos

alienos à Christo, & incredulos nihil posse facere, quod placeat Deo & propterea non mereri de congruo, vt loquuntur, vtque affirmant aduersarij, gratiam Dei. Et in capite sexto Christus ait, Hæc est voluntas eius, qui misit me, vt qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam: Et ego, inquit, resuscitabo illum in nouissimo die. Et quum prius dixisset, Nemo venit ad me, nisi pater meus traxerit illum: &, Qui audiuit à patre meo, & didicit, venit ad me, subiecit postea, Et qui credit in me, habet vitam æternã. In cap. 11. Christus excitaturus Lazarum dicit Marthæ, Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet: & qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum. Et in cap. 17. Hæc est vita æterna, vt agnoscant te solum verum Deum, & quem misisti, Iesum Christum. Hîc autem obseruare debemus, non esse sermonẽ de frigida notitia, sed de efficaci, ac robusta fide. Quare si ea est vita æterna, erit etiam iustificatio. Nam, vt supra docuimus, cùm exponeremus sententiã Abacuch prophetæ, Iustus ex fide viuit, Iustificatio, & vita sic inter se coniunguntur, vt altera pro altera sæpe accipiatur. Et re vera nihil aliud est Iustificatio, quàm æterna vita iam nũc in nobis inchoata. Et cap. 2. hæc, inquit, scripta sunt, vt credatis, quòd Christus est Iesus, & vt credentes vitam æternam habeatis. In Actis apostolicis cap. 15. ita scribitur: Fide purificans corda illorum. Quo in loco Petrus loquitur de Gentibus, nõ adigendis ad opera legis mosaicæ: Christum enim sine illis donasse eas spiritu sancto, & corda illarum à peccatis repurgasse per fidem. Paulus etiam in concione apud regem Agrippam, dixit, se vocatũ fuisse à Christo, vt mitteretur ad Gentes, quæ suo ministerio illuminarentur, & fide acciperent remissionem peccatorum, & sortem inter sanctos. Atque hæc testimonia hactenus collegimus ex nouo Testamento. Ex veteri autem, si omnia recensere vellem, quæ occurrunt, nimis essem prolixus. Et si qui sunt ita animo obstinato, à quibus ea, quæ diximus, extundere non possint confessionem veritatis, apud illos, ne si plura quidem adderẽtur, quicquã proficeretur. Quare contentus ero paucis: & præter illa, quæ Paulus citauit ex cap. 15. Genes. Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam: Ex Abacuch, Iustus ex fide sua viuit: Ex Dauide, Beati quorum remissæ sunt iniquitates: Ex Esaia, Omnis, qui credit in illum, non cõfundetur, & alia pauca id genus, citabo cap. 53. Esaiæ in quo Christus expressissimis verbis depingitur. Is enim ibi dicitur, tulisse dolores nostros, & portasse infirmitates nostras: dedisse animam suam hostiam pro peccato, & alia multa: quæ ita clara sunt, vt in alium neminem conuenire possint, præterquam in Iesum Christum saluatorem nostrum. Et additur, Et per notitiam sui iustificabit iustus seruus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit. Hæc verba docent, Christum iustificare multos, nimirum electos per scientiã & notitam sui, quæ certè non alia est, quàm vera fides: atque ita, vt ipse in se suscipiat, & portet illorum scelera. Et Hieremias scribit capite 15. Deus, oculi tui nonne ad fidem? scilicet, respiciunt. Ac si diceret, Quanuis omnia videas, & nihil te lateat rerum humanarum, maximè tamen fidem spectas, vt radicem, & fundamentum omnium bonarum actionum. Atque ista satis sit attulisse ex oraculis scripturarum. Nunc nihi diluendæ sunt obiectiones, quæ contra secuundam istam propositionem adduci solent. Incipiemus autem à Pighio, quoniam aduersarij nostri illum habent pro Achille suo, & eum putant subtili suo acumine ad intima mysteria veritatis solum penetrasse. Is ergo ita cauillatur: Non iustificamur eo, à quo ista iustificatio auelli potest. Causæ enim ab effectis distrahi, & auelli non valent. Fides autem à iustificatione separatur: multi enim credentes turpissimè viuunt: tantùm abest, vt videri possint iustificati. Sed quoniam putat, id negari posse, rationem adducit, vt probet, non pugnare cum natura, & definitione fidei, quin iustificatio possit ab ea separari. Atque obijcit ex decimo tertio capite prioris ad Corinthios, Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, & charitatem non habuero, nihil sum: Ex his verbis concludit, fidem à charitate posse separari, & propterea ab omnibus operibus bonis. Citat etiam illud ex Matthæo, Venient multi in illo die, & dicent, Domine, in nomine tuo prophetauimus, & eiecimus dæmonia, & signa fecimus: sed illis respondebitur, Non noui vos. Ista signa, inquit Pighius, fieri non possunt absque fide. Quum ergo illi excludantur à regno cœlorum, qui ea fecerint, apparet, eos non fuisse iustificatos. quare in illis fides disiuncta erat à iustitia. Sed hoc multò clarius confirmari arbitratur ex Ioanne. is enim ait, multos principes sacerdotum credidisse in Christum, qui tamen illum non audebant palàm profiteri. verùm, qui abhorrent à confessione nominis Christi, alieni sunt à salute: Ipse enim ait, Quem puduerit mei coram hominibus, eius me pudebit coram patre meo. Hæc argumenta etiam si prima fronte præ se ferant aliquam speciem, tamen si ea presius excutias, intelliges, id illis conuenire, quod Epictetus pro-

Probatur alienos à Christo nil boni posse facere, quod placeat Deo.

An à fide separari possit iustificatio.

Epicteti iudicium de suis libris. Simile.

nuntiauit de libris suis : τὰ δὲ ἐν ὀνείρου νεκυίας φαντάσματα: sunt ista spectra somniorum inferorum. Quare rationes diligenter ponderandæ sunt: non ex primo aspectu iudicandæ. Vtque in monetis non tam inscriptiones, aut imagines attendere solemus, quàm probitatem, & pondus materiæ, sic in argumentis non tam splendorem & speciem, quàm rem ipsam, & vim spectare atque expendere debemus. Nos primùm negamus, fidem auelli posse à iustificatione. Et quod Pighius ait, id non pugnare cum natura, ac definitione fidei, non admittimus : Reclamant enim & sacræ literæ, & sensus definitionis fidei, & Patres. Nam quod ad scripturas attinet, Ioannes ait, Qui credit, Iesum esse Christum, filium Dei, ex Deo natus est: Et qui ex Deo natus est, non peccat. Dum enim fides viget in corde nostro, peccata illa, quæ vastant conscientiam, & alienant à Deo, non committimus. Quomodo ergo ait, Pighius, non pugnare cum natura fidei, vt à iustificatione, & à bonis operibus separetur? præsertim quum Ioannes dicat, Qui peccat, non nouit Deum? Hoc etiam Patres viderunt. nam Cyprianus de Simplicitate prælatorum, vbi conqueritur de temporum suorum infelicitate, quòd charitas, timor, bona opera, & alia id genus viderentur admodum refrixisse, ita scribit: Nemo futurorum metum cogitat: diem Domini, & iram Dei, & incredulis ventura supplicia, & statuta perfidis æterna tormenta nemo considerat. Quod conscientia nostra meminisset, si crederet: quia non credit, omnino nec metuit: si autem crederet, & caueret: si caueret, euaderet. Ostendunt hæc verba, cum vera fide coniunctum esse timorem Dei, & æternorum supplicíorum cautionem, ac fugam peccatorum. Eat nunc Pighius, & dicat, veram fidem auelli posse à sanctis motibus animi, & à bonis operibus. Idem cum Cypriano asserit Hieronymus contra Luciferianos. Quòd si verè, inquit, crederem, illud cor, quo Deus videtur, mundarem, manibus tunderem pectus, lachrymis genas rigarem, corpore inhorrescerem, ore pallerem, iacerem ad Domini mei pedes, eósque fletu perfunderem, crine tergerem, hærerem certè trunco crucis, nec prius amitterem, quàm misericordiam impetrarem. Hinc etiam apparet, cum vera fide bona opera, & pœnitentiam coniungi. Quod autem ad definitionem, & naturam fidei attinet, satis probari potest, illam à iustificatione, & à bonis operibus, hoc est, ab effectis suis non posse separari. Est enim fides, non vulgaris, sed firmus, & vehemens assensus, isque profectus à spiritu sancto. Quòd si miser aliquis damnatus capitis humanam tantùm promissionem acciperet, se esse liberandum, & verbis illis haberet fidem, statim animo toto mutaretur ad hilaritatem, & nuncium talia pollicentem amare inciperet, eique, quacunque in re posset, obsequi. Quantò plus tribuendum est veræ fidei, quæ habetur verbo Domini, & afflatur à diuino spiritu? Quare si illa humana fides mirificos animi motus secum trahit, quomodo possumus veram, & christianam fidem nudam à bonis operibus, & desertam, & solam constituere? Satis ergo iam videmus & ex diuinis literis, & ex Patribus, & ex definitione, ac natura fidei non posse eam à iustitia, & sanctis operibus dirimi. Nunc veniamus ad Paulum. Is ait, Si habuero omnem fidem, & cæt. Sed quid nouit Pighius, Paulum ibi loqui de fide generali, quæ habetur promissionibus Dei, & iustificat: ac non potius de particulari, qua eduntur miracula, estque charisma, siue donum gratuitum spiritus sancti? Ea non accommodatur ad omnia, quæ in sacris literis habentur, sed tantùm est vehemens quædam fiducia, quæ certò credimus, Deum hoc, aut illud miraculum esse facturum. De hac fide Chrysostomus Paulum hoc loco interpretatur. Neque hæc distinctio alterutra ex parte careat nomenclatura, alteram fidem appellant dogmatum, alteram signorum. Et ad hanc fidem posteriorem Chrysostomus appellat illa verba, Si habueritis fidem, vt granum sinapis, dicetis huic monti, Tolle te hinc, & proijce te in mare : & fiet. Neque certè negari potest hoc genus fidei. Nam Paulus capite duodecimo prioris epistolæ ad Corinthios recensens charismata, quæ spiritus sanctus distribuit cuique, prout vult, ita scribit: Alij datur per spiritum sermo sapientiæ: alij verò sermo scientiæ secundum eundem spiritum : alij verò fides per eundem spiritum : alij dona sanationum per eundem spiritum. Hîc videmus, fidem numerari inter dona spiritus gratuita, aut charismata, idque tertio loco : quod Paulus de vniuersali fide, qua iustificamur, non dixisset. Et si diligenter expendas, animaduertes eundem ordinem à Paulo conseruari in decimo tertio capite prioris ad Corinthios. Vt enim hîc, primo loco ponit sermonem sapientiæ, ita ibi prophetiam: vt hîc secundo loco scientiam, ita ibi quoque eodem loco scientiam: vt hîc, ita ibi quoque tertio loco fidem: vtque hîc, fidem sequitur donum sanationum, & miraculorum,

Definitio fidei ostendit eã à iustificatione separari non posse. Simile.

Fides dogmatũ, & fides miraculorum.

lorum, ita ibi translatio montium. Quae ea, quæ Paulus de singulari fide pronuntiauit, non debent ad fidem vniuersalem, & iustificantem detorqueri. Id enim est admittere paralogismum, A secundum quid ad simpliciter. At si quis ita diceret, ista fides potest separari à iustificatione, quæ appellatur fides secundum quid: ergo fides vera, & iustificans, quæ simpliciter vocatur fides, potest à iustificatione separari. Quòd si quis duas species disparatas ita componat, vt velit eandem proprietatem vtrique adscribere, facilè decipietur. Sed vidit Pighius hac facili, & plana expositione argumentationem suam posse refelli. eóque conatus est eam nobis eripere, oblitus interim, autorem, & patronum eius esse Chrysostomum. Ad infringendam autem eam vtitur hoc argumento: Paulus apertè dicit, Omnem fidem: quare non licet id de aliqua singulari fide intelligere. Apostolus enim facit propositionem vniuersalem. Sed scire istum oportuit, vniuersales propositiones cõtrahendas esse ad materiam eam, de qua sermo instituitur. Idque quanuis multis exemplis doceri possit, tamen in præsentia vno tantùm contenti erimus. Paulus in eadem illa epistola ad Corinthios capite primo, ait se gratias agere Deo pro illis, quòd essent ditati omni sermone, & omni notitia. Non tamen est credibile, illos per spiritum Christi præditos fuisse scientia naturali, Metaphysica, Mathematica, Iurisprudentia, & alijs liberalibus disciplinis: sed tantùm omni notitia, quæ ad pietatem, & Euangelium pertineret. Neque verisimile est, illos vi spiritus sancti ornatos fuisse omnibus rhetoricis, dialecticis, poeticis, historicis sermonibus: sed illis, qui pertinerent ad Ecclesiam sana doctrina, & pijs admonitionibus ædificandam. Itaque propositiones quanuis sint vniuersales, tamen non semper simpliciter accipiendæ sunt, sed interdum ad negotium, de quo agitur, adstringi debent. Quòd ergo Paulus ait, Si habuero omnem fidem, intelligimus, de omni illa fide, quæ inseruiat edendis miraculis. Et istam contractionem esse necessariam, verba, quæ sequuntur, indicant. Paulus enim statim subiecit, Ita, vt montes transferam. Chrysostomus etiam ait, se in illa vniuersalitate vidisse, hanc particularem sententiam necessariò fuisse intelligendam. Ait enim, dubitari posse, quomodo Christus dicat, ad transferendos montes satis esse paruam fidem, quæ exiguitate sua referat granum sinapeos, quum Paulus dicat, Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam: quasi ad id efficiendum opus sit insigni magnitudine fidei. Ita soluit quæstionem, vt dicat, Christum locutum ex veritate, & natura rei: Charisma enim fidei satis esse ad edenda maxima miracula, quanuis minimum fuerit: Paulum autem respexisse opinionem, & iudicium hominum: illi enim, quum videant magnitudinem, & vastitatem montis, non putant eum transferri posse sine incredibili quadam fidei efficacia, ac magnitudine. Neque multùm iuuat causam Pighij, quòd Erasmus respondens doctoribus Sorbonicis, hanc interpretationem nostram reijcit. Ratio enim eius primùm infirma est, deinde falsa: nam ait, propositum Apostoli fuisse, vt charitatem laudaret ex collatione. Quæ autem laus illa foret, inquit, si illa conferretur cum fide, quæ vnum quoddam sit ex donis gratuitis spiritus sancti, & incidere possit tam in improbos homines, quàm in probos: Frigidè enim laudaret hominem, qui eum diceret præstare cani, aut vrso. Primùm hoc falsum est, Paulum non conferre charitatem cum donis gratuitis. Commemorat enim prophetiam, scientiam, & donum linguarum: eisque charitatem anteponit. Deinde infirmum est, quod ait, si nostra interpretatio recipiatur, Apostolum conferre charitatem tantùm cum donis gratuitis. Fatemur enim sub finem, collationem fieri cum vera fide. Ait enim Paulus, Tria hæc sunt, fides, spes, & charitas: Maior autem est charitas. Et ratio adfertur, quia illa manet, & aliæ desinent. Porrò plena est collatio, si, vt nos dicimus, incipiatur à charismatis, & ordine deinceps perueniatur ad virtutes theologicas. imò ex eo, quòd Paulus ad extremum capitis confert charitatem cum vera fide, verisimile est id eum antea non fecisse. Sed si hoc daremus, & vtroque pollice, vt dici solet, suffragaremur Pighio, fidem illam, de qua Paulus loquitur, esse illam vniuersalem, qua homines iustificantur, tamen ne sic quidem causam obtineret: Nam quum Apostolus omnibus modis eueheret charitatem, amplificationem adhibere voluit à fictione. Est autem fictio rhetoricus color, pueris etiam notus. nec tamen Paulus ea causa falsum enuntiat. vtitur enim propositione conditionali, quam resoluere non licet in categoricam. & veritas interim nihilominus conseruatur. Vt si dicerem alicui, Si haberes vitam rationalem sine animali, non afficereris perturbationibus: nemo hunc sermonem arguere posset falsitatis. Et tamen fieri non potest, vt rationalis vita in homine separetur ab animali. Huiusmodi etiam loquutiones inueniuntur in sacris literis: vt, Si ascendero in cœ-

Vniuersales propositiones contrahendæ sunt ad materiã, de qua tunc agitur

Erasmi sententia.

Figura fictionis.

lum, tu illic es: si descendero in infernum, ades. Et, si assumpsero pennas auroræ, & habitauero in extremis maris, illuc me deducet dextera tua. Veræ sunt istæ sententiæ: nec tamen fieri potest, vt homo pennas auroræ sibi accommodet. Ad eundem modum nos dicemus, si quis fidem separaret à charitate, redderet eam inutilem: etsi ea re vera à charitate separari non possit. Paulum autem eo loco huiusmodi hyperbola, seu fictione vsum esse, ea sati[illegible]ostendunt, quæ paulò antè dixerat: Si linguis hominum loquar, & Angelorũ, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Atqui scimus, Angelos nec corpora habere, nec linguas. Paulus tamen nihilominus vera dicit, Quòd si haberent linguas, & ego illis loquerer, id tamen mihi sine charitate nihil prodesset. Atque hanc expositionem confirmat Basilius in epistola ad Næocæsarienses. Ait enim Apostolum hoc loco commendare velle charitatem: & vti eum ait his rationibus, non quòd ea omnia, quæ hîc recensет, separari possint à charitate. Superioris itaque interpretationis autorem habemus Chrysostomum: posteriorem confirmat Basilius. Eat nunc Pighius, & ex hoc Apostoli dicto conficiat, si potest, id, quod tantopere contendit. De illis autem verbis Matthæi, Domine, non ne in nomine tuo prophetauimus, & dæmonia eiecimus, & cæt. quæ Pighius negat, fieri posse absque fide, eos tamen, qui illa fecerint, non esse iustificatos, quum excludantur à regno cœlorum, respondemus eadem dissolutione, quam iam attulimus: nimirum, illos, quos Matthæus commemorat, habuisse fidem signorum, aut mortuam: non autem veram, & iustificantem. deinde non video, quàm verum sit, miracula edi non posse sine fide. Deus enim interdum efficit miracula non propter fidem eius, per quem fiunt, sed vel ad illustrandam gloriam suam, vel ad ferendum testimonium veræ doctrinæ. Certè Moses, & Aaron. quum elicerent aquam ad petram contradictionis, hæsitabant in fide. Deus tamen, vt promisso suo staret, magno miraculo aquas populo dedit, & Mosen atque Aaronem redarguit infidelitatis. Et Naaman Syrus dubitauit de recuperanda salute sua in aquis Iordanis. imò abire etiam voluit, quòd diceret flumina suæ regionis multis partibus præstare Iordani. Tamen Deus nihilominus miraculo suo non defuit. Et, quum cadauer conjectum esset in sepulchrum Elizæi, magno miraculo factum est, vt ad contactum ossium Prophetę vita illi restitueretur. Atqui fides ibi nulla fuit, nec in cadauere, nec in ossibus Prophetæ, neque in illis, qui mortuum eò coniecerunt. nec tamen semper, cùm abest fides, conceditur petentibus, vt miracula faciant. Nam in Actis legimus, quum filij Scæuæ pontificis exorcistę vellent eijcere dæmonia in nomine Christi, quem Paulus prædicaret, diabolũ respondisse, Iesum noui, & Paulum scio, vos autem qui estis? & statim in eos insiluisse. Hîc videmus, Deum noluisse exhibere miraculum, quum peteretur, vt credibile est, ab hominibus malis, & incredulis. Contrà tamen habemus apud Marcũ cap. 9. quendã eiecisse dæmonia in nomine Christi, qui tamen Christum non sequebatur: cumq; Ioannes eum prohibere voluisset, Christum eius factum non probasse. Ex his Pighius videre potuisset, non semper ad edenda miracula requiri fidem. Et tamen, si dare vellem, necessariò requiri fidem, satis esset ad eam rem aut illa signorum, aut etiam mortua. Pighius ergo secunda sua confirmatione nihil agit: non enim quicquã habet syncerí. Nunc expendamus tertiam. Ioannes ait, Multi ex principibus crediderunt in illum: sed eum non confitebantur, ne ejicerentur è synagoga. Non ergo iustificabantur fide. Ratio hæc ficulnea potius est, quàm vt ille putat, adamantina. Nos enim negamus, illos verè credidisse. Assensus enim ille non alius fuit, quàm humanus. Cùm enim viderẽt, effici à Christo præclara opera, & eius doctrinam euidentissimis signis comprobari, humana quadam persuasione cœperunt illi assentiri. Diabolus etiam, quum multarum Dei actionum sit conscius, assentitur & credit veritati. Illum tamen credibile non est, vera fide inducí ad credendum. Illorum autem principum fidem veram, & viuam non fuisse, ex eo apparet, quòd Christus illis dixit: Quomodo potestis credere, quum gloriam quæratis ab hominibus. Ex quibus verbis intelligimus, eos, qui pluris faciunt gloriam humanam, quàm pietatem non posse in Deum verè credere. Atqui illi principes inter eos erant numerandi: tanti enim fecerunt æstimationem, & iudicium hominum, vt potius quàm ejicerentur è synagoga, & infamia aliqua notarentur apud populum, maluerint relinquere confessionem nominis Christi. Proinde quum Dominus dicat, tales non posse credere, & Ioannes affirmet, eos credidisse, manifestum est, illos de alia, atque alia fide loquutos esse: nisi dicere velimus duo contradictoria simul esse vera. Ioannes ergo loquutus est de fide humana: Christus autem de syncera, & vera. Eam oportet cum confessione coniunctam esse, vt Pau-

Non semper interuentu fidei miracula fiunt.

Fides quædã humana est, & à Deo nõ inflatur

Conciliantur loca specietenus pugnantia.

vt Paulus exposuit, Corde, inquiens, creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutē. Qui videt connexionem inter iustitiam, & salutem, eum necesse est etiam videre coniunctionem, quæ esse debet inter fidem, & professionem. Dicimus itaque, fidem illorum fuisse mortuam. Mortua autem fides non est fides, non magis, quàm homo mortuus est homo. Quanuis Smintheus quidam in libello quodam suo de Iustificatione, quem inscripsit contra me, contendat, fidem mortuam esse fidem: idque hoc maximè argumento, quòd corpus hominis mortui, etsi sit mortuum, sit tamen corpus. Et homo sapiens isto suo simili mirificè delectatur. In quo tamē prodidit sophisma, sua lucerna, atq; ingenio non indignum. Nam excutiamus paucis istam præclaram similitudinem. Respondeat ergo mihi, Cadauer sit ne corpus hominis defuncti, an simpliciter corpus hominis. Non respondebit, opinor, esse corpus hominis: hominis enim corpus, & cadauer plurimùm inter se distant: idque re vera magis, quàm duæ species eiusdem generis: quia sub diuersis generibus proximis continentur. Cadauer hominis defuncti fateor esse corpus in genere substantiæ, vt sunt lapides, trunci, & alia id genus. Re autem vera esse illud corpus hominis. id verò pernego. Mors enim aufert à corpore hominis propriam formam seu speciem, quam habuerat antea: relinquit autem genus, tantùm vt dici possit corpus. Ita vera fides, & iustificans, quum amittitur, aut desinit esse vera, & propria fides, dici quidem potest, quod ad genus attinet, assensus quidam frigidus, & ex humana persuasione natus: non autem qui profectus sit à spiritu sancto, quiq; habeat eandem firmitatem, & efficaciam, quam habuit antea. Quare si seruetur ex vtraque parte, eadem proportio similitudinis: ista mirabilis προφολογία nihil cōtra nos faciet. Nam vt fatemur, corpus mortuum esse corpus, ita etiam damus, fidem mortuam esse fidem: modò per fidem intelligamus genus fidei: non autem illam viuam, & veram, qua iustificamur. Est paralogismus æquiuocationis. Addit præterea, fidem non posse iustificare: quòd ea natura sua sit res mortua, & vitam accipiat aliunde: videlicet à charitate, & bonis operibus. Inania sunt ista obiecta, & futilia. nam veram fidem nemo sobrius dabit esse rem mortuam. Iustus enim dicitur ex fide sua viuere. Quòd si ex fide haurimus vitam, quomodo potest ea cuiquam videri mortua? Eam autem aliunde vitam accipere, non negamus. habet enim eam partim ab illis, quæ credit, nimirum à Christo, & promissionibus Dei, partim à spiritu sancto, cuius afflatu inspiratur. Hoc pacto dabimus, fidem accipere vitam aliunde: non autem ea ratione, qua iste contendit: vt eam dicamus, vel à charitate, vel à bonis operibus eam habere. Quis enim sanus vnquam dixerit, aut truncum, aut ramos, aut fructus, aut flores largiri vitam radicibus? Fides autem prius est, quàm aut spes, aut charitas. Ergo ab illis vitam non accipit. nam re vera fides non potest esse istarum virtutum materia. Et quemadmodum facultas illa, quam appellant vegetatiuam, dat vitam corpori, non autem recipit vitam à sequenti facultate sentiente, aut ratiocinante, ita fides dat vitam animæ, sed eam non trahit vel à charitate, vel à bonis operibus. Fateor tamen vitam illam fidei tantò maiorem, atque ampliorem fieri, quantò opera plura, & meliora, & charitas ardentior ex illa erumpit: non vt quemadmodum de virtutibus, quas appellant morales, dicunt, ex frequentibus actionibus augeatur: sed quia Deus pro sua gratia, & misericordia, talentum, quod otiosum non fuerit, multiplicat: & quia Deus efficit vi sua, vt fides, quum per dilectionem operatur, fortior sit se ipsa, quum opus remittat. Sed his omissis, redeamus ad Pighium. Ille, quantum potest, contendit, hominem non posse iustificari fide ea, quæ sit in Christum, & in remissionem peccatorum. Ea enim, inquit, fides, qua Abrahamus iustificatus est, in ista non ferebatur. Deus enim illi promisit tantùm copiosum semen, & possessionem terræ. Et statim subijcitur, Abrahamum credidisse Deo, idque illi imputatum fuisse ad iustitiam. Hoc argumento Pighius triumphat, & insultat veritati: nostram autem sententiam suspendit adunco naso: sed hoc nihil aliud est, quàm Paulum ipsum irridere. ille enim disertissimis verbis affirmat, nos fide in Christum, & remissione peccatorum iustificari. Neque verò quicquam est aliud in Pighio, quàm mera insania, & libido contendendi. Sed procedat Paulus in medium, & ipse pro se respondeat, quid per semen promissum Abrahamo intelligendum senserit. Certè in epistola ad Galatas tertio capite, semen illud appellat Christum. Abrahæ, inquit, dictæ sunt promissiones, & semini eius: non dicit, Et seminibus, tanquam de multis, sed tanquam de vno: & in semine tuo, quod est Christus. Hoc autem dico, testamentum comprobatum à Deo erga Christum. Credat iam Pighius vel Paulo in illo semine, quod Abrahamo promittebatur, cōprehensum, atque indicatum fuisse Christum, neque ista perti-

Fides mortua nō est fides.

An cadauer sit corpus hominis.

Vera fides nō est res mortua.

Vnde sit vita fidei.

Simile.

Quomodo fides augeatur per bona opera.

nacia, & ſtudio vincendi audeat vnquam poſthac dicere, fidem eam, qua iuſtificatus eſt Abrahamus, non fuiſſe in Chriſtum. Quod autem attinet ad remiſsionem peccatorum, quum nobis promiſſa ſit benedictio, cogitare debemus, caput, & principium eius eſſe, vt recipiamur à Deo in gratiam, vtque nobis peccata condonentur. Sed pergit porrò Pighius non obſcurè oppugnare doctrinam Apoſtoli de iuſtificatione Abrahami. Ait enim, priuſquam Abraham circumcideretur, & haberet teſtimoniũ à ſcriptura, fidem ſuam imputatam ſibi eſſe ad iuſtitiã, credidit Deo, vt apparet capite duodecimo Geneſeos. Quare, inquit, iuxta iſtam veſtram ſententiam tum erat iuſtificatus: neque differebatur eius iuſtitia vſque ad illam hiſtoriam, quæ habetur capite 15. Mirum eſt, quantum ille tribuat iſtis ſuis argumentis: quaſi illis erepta nobis ſit prorſus omnis facultas reſpondendi. Quid quæſo, obſtat, quò minus Abrahamus iuſtificatus eſſe poſſerit primo illo tempore, quum illi Deus primùm loqueretur, vt exiret de terra ſua, & de cognatione ſua. Eodem enim illo loco ſtatim à principio duodecimi capitis habentur eædem promiſsiones, quæ habentur capite decimo quinto. Sic enim Deus illi pollicetur: Faciam te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, vt ſis benedictio. Benedicam quoque benedicentibus tibi, & maledicentibus tibi maledicam: & benedicentur in te omnes familiæ terræ. Certè in his verbis promiſsio de Chriſto, & remiſsio peccatorum continetur. Ideoq; nihil abſurdi erit, ſi dicamus, Abrahamum illis quoque verbis credendo fuiſſe iuſtificatum. Sed quoniam id ſcriptura in illo capite aperte non aſſeruit, ideo Paulus magna prudentia citauit verba ea, quæ habentur in capite 15. vbi diſertè ſcribitur, fidem illi imputatam fuiſſe ad iuſtitiam: quæ ſententia maxime fuit neceſſaria ad Apoſtoli ſententiam confirmandam: videlicet, hominem iuſtificari fide. Cur autem Deus repetere voluerit illas promiſsiones, non eſt obſcurum. Ita enim infirmus eſt animus noſter, vt niſi repetantur, & identidem inculcentur verba Dei, facilè reſiliat à fide. Neque verò iuſtificatio ſemel tantùm apprehenditur, ſed quoties promiſsionibus diuinis, verè atque efficaciter aſſentimur. Nam quum aſsiduè labamur, & incidamus in peccata, opus habemus ſubinde repetita iuſtificatione. poſtea cauillatur, in epiſtola ad Hebræos multa haberi de fide, & geſta admirabilia commemorari, quæ per illam fuerint impetrata: nuſquam tamen dici iuſtificationem illi adſcribendam eſſe. Sed iſte iniquiſsima trutina expendit ſacra verba: nec ſatis conſiderat, quid illa ſibi velint: Iuſti per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt promiſsiones. Nam iſta ita reſoluenda ſunt, vt ab vltimo effecto recurramus ad primum. Vltimum eſt, vincere regna: proximum, operari iuſtitiam: primum adipiſci promiſsiones: inter eas autem numerantur benedictio, vita, remiſsio peccatorum, & alia huiuſmodi, quæ faciunt ad iuſtificationem. Quare, quæ primo loco commemorantur, ea apprehendit fides, eáque iuſtificamur. poſtea ſequuntur bona opera: ideóque dicitur, Et operati ſunt iuſtitiam. poſtremò per eandem fidem conſequimur bona etiam temporaria: & idcirco ſubijcitur, Vicerunt regna. Falſum ergo aſſumit Pighius, in epiſtola ad Hebræos non fieri mentionem vllam iuſtificationis inter effecta fidei. Etſi enim vox illa ibi non legatur, tamen ex illis, quæ ibi ſcribuntur, neceſſariò, & aperte euincitur. Neque enim nos Arriani ſumus, vt quidam de nobis impurè mentiuntur, qui nihil velimus concedere, niſi quod in ſacris literis diſertis, & expreſsis verbis habeatur. Illa enim etiam concedimus, quæ euidenti, & perſpicuo argumento ex illis colliguntur. Sed quærit poſtea Pighius, cur adimamus operibus vim iuſtificandi. Id expedire poſſemus vnoverbo, quòd ſpiritus ſanctus ita nos doceat in ſacris literis: nimirum homines iuſtificari ex fide ſine operibus. Sed quò minus id ita paucis ageremus, ille ipſe nobis obſtitit, reſpondet enim ſibi, id ea cauſa fieri, quòd opera noſtra ſint imperfecta, nec ſatisfaciant legi Dei, nec in iudicio diuino poſsint conſiſtere. Sed hoc pacto, inquit, poſſumus etiam ſtatuere, iuſtificationem non eſſe ex fide. nam illa quoque imperfecta eſt. Nemo enim mortalium tantum credit, quantum debet. Nos autem reſpondemus id, quod ſæpe aàlis diximus, fidem, quatenus opus eſt, non iuſtificare. Id enim habet, non ex vi aliqua ſua, ſed ex obiecto. Ex morte enim Chriſti, & promiſsionibus Dei iuſtitia in nos deriuatur. Ita mendicus recipit eleemoſynam manu leproſa, infirma, vlcerata: non tamen quà manum habet ita infirmam, & leproſam. Sed dices, Quare alia quoque opera bona ex obiecto ſuo, nimirum ex Deo, in cuius gratiam ea fiunt, non apprehendunt iuſtitiam æquè, atque fides? Reſpondeo, fidem ad hunc vſum factam eſſe, & inſtitutam à Deo. Ita enim etiam in humano corpore, etſi diuerſa, & varia habeat membra, manus tamen ſola apprehendit, & capit. Atque ita facilè diſſoluitur vulgaris ille paralogiſmus, Iuſtificamur fide: fides

Quo tempore Abrahamus fuerit iuſtificatus.

Cur Deus prmiſſiones eaſdem repetat.

11. cap. ad Heb. fides iuſtificare oſtenditur.

Fides ut opus nõ iuſtificat.

fides est opus: ergo propter opus iustificamur. Hîc in conclusione infarcitur, propter, quæ vox non fuerat in præmissis. Ideóque vitiosa est collectio. Deinde forma rationis est ab Accidenti. Accidit enim fidei, quà quidem nos iustificat, vt sit opus nostrum. Est ergo fallacia, vt Appellant, Accidentis. Adhæc argutatur Pighius, charitatem potius iustificare, quàm fidem, quòd ea nobilior, & præstantior sit virtus. Sed nos hanc rationem explodimus, vt ridiculam: charitas est nobilior, quàm fides: ergo ea iustificat potius, quàm fides. Quia nobilitas, aut dignitas ad iustificationem nihil facit. Perinde enim est, ac si ita velis ratiocinari: Oculi sunt digniores, quàm aut os, aut manus: Ergo cibi oculis capiendi sunt: non ore aut manu. Id etiam videmus vsu venire in natura rerum, vt ea, quæ sequuntur perfectiora quidem sint, quamuis ea vitam non largiantur. In fœtu humano ascenditur quasi per gradus à vegetandi facultate ad sentientem: à sentiente ad intelligentem. Non tamen ex eo sequitur, vires intelligendi, aut sentiendi, quòd sint nobiliores, quàm facultas vegetandi, dare vitam fœtui. Iustificare autem magis conuenire fidei, quàm charitati, præterquam quòd id sacræ literæ apertè docent, ratione etiam probabili doceri potest. Vis enim cognoscendi, quæ pertinet ad intelligentiam, sita est in percipiendo. Itaque, qui docentur aliquid, postquam rem intelligunt, dicere solent, Accipio, aut teneo. Re enim vera per notiam res quodammodo in animum admittitur. Mirum ergo videri non debet, si per fidem dicamur apprehendere promissiones Dei, & merita Christi. Charitas autem consistit in effundendo, largiendo, cõmunicando alijs nostra bona. Id autem sequi debet iustificationem, non præcedere. Anteà enim, & renascamur, mali sumus, nec rectè aut cum Dei approbatione quicquam boni alijs possumus communicare. Huc addit Pighius, si fides iustificans nõ patiatur secum grauia peccata, quæ vastent conscientiam, quæque alienent hominem à Deo, necesse fore, vt, si quis, qui credat, labatur in aliquod magnum scelus, statim destituatur fide, & desinat credere, esse Deum: cùm tamen videamus homines facinorosos, non tantùm credere, Deum esse, sed etiam confiteri omnes articulos fidei. Hoc argumentum primo aspectu videtur esse valdè formidabile. Sed ne patiaris te, Lector, capi inani specie. Excute, & explora diligenter, inuenies esse infirmum, & ridiculum. Fatemur, hominem peccatis, & sceleribus alienatum à Deo assentiri posse articulis fidei, & credere, Deum esse. Sed istum hoc docere oportuit, fieri illud motu, atque impulsu veræ fidei. Relinqui quidem potest homini flagitioso humana quædam persuasio, vel ex educatione, vel ex opinione, quòd id putet esse verisimile. Verùm, ne quis putet, meum hoc inuentum esse, quòd dico, hominem grauiter peccantem destitui vera, & iustificante fide, audiat potius D. Paulum. Is enim ad Timotheum ait: Qui suorum, & maximè domesticorum curam non habet, abnegauit fidem, & est infideli deterior. Certè qui fidem abnegauit, non habet fidem. Idem ad Titum ait, Confitentur se nosse Deum: factis autem negant. Confiteri, & negare sunt pugnantia: quare, necesse est, vt, quum vtrunque dicatur de ijsdem, diuersa ratione accipiantur. Possunt ergo habere fidem, hoc est, opinionẽ aliquam qualemcunque humanam: non tamen assensum illum firmum, & efficacem, afflatum à spiritu sancto, de quo nunc agimus. Ioannes ait epistola prima, capite secundo, Qui dicit, se nosse Deum, & mandata eius non seruat, mendax est, & veritas in eo non est. Quare sine bonis operibus vera fides, qua vere Deus creditur, non habetur. Neque absurdum cuiquam videri debet, idem cognosci posse diuersis modis. Diabolus enim vnà vobiscũ multa de Christo, & nouit, & fatetur: quem tamẽ ne Pighius quidẽ dabit, vt opinor, præditũ esse vera fide, qua nos adducimur, vt credamus ea, quæ de Christo confitemur. Potest etiã fieri, vt Mathematicus conclusioni alicui per demõstrationẽ confirmatæ, & cõfectæ assentiatur. Quam demonstrationẽ si posteà, vt fit, vel propter senitũ, vel propter morbũ obliuiscatur, nõ tamẽ propterea desinet, propositionẽ illam, quã prius nouerat, affirmare: sed id faciet opinione, & probabili aliquo argumẽto, nõ, vt anteà, demonstratione. Notitia ergo eiusdẽ rei nõ infert necessariò idẽ principiũ cognoscẽdi. Atque hæc ex hypothesi dicta sunto, ex ea sententia quæ statuit admisso aliquo grauissimo scelere veram fidem amitti, quæ tamen in electis postea Dei beneficio recuperetur, alioquin dici potest, in hominibus iustificatis & à Deo ad salutem destinatis, fidem ob commissum graue peccatum non prorsus extingui, sed consopiri, & delitescere, neque in actum erumpere, nisi denuo à spiritu sancto excitetur, quia in talibus hominibus ita lapsis Dei semen adhuc manet, licet pro eo tempore non fructificet. Sed pergit Pighius: Et fides, inquit, est fundamentum. Longè ergo abest à perfectione ædificij. Quare non iustificat. Nam ad iustificationem multæ aliæ præparationes requiruntur. Si per istam perfectionem ædificij intelligat beatam resurrectionem, & summam felicitatem, qua videbimus Deum facie ad

Nobilitas virtutis ad vim iustificãdi nihil facit.

Simile.

Ratione ostenditur fidem iustificare non charitatem.

Cũ peccato grauissimo & vastante conscientiam non manet vera fides.

Diabolus nõ est præditus vera fide.

Simile.

Fides ab extrema perfectione multùm abeſt.

faciem,fateor,fidem ab ea multùm abeſſe.Nam per multas tribulationes,aduèrſos caſus, & graues labores perueniendum eſt ad regnum cœlorum.Sed eodem pacto dicemus,luſtificationem quoque fundamentum tantùm eſſe illius æternæ ſalutis:illamque multùm abeſſe ab ea beatitudine, quam expectamus. Primus enim gradus ad ſalutem eſt, à Deo recipi in gratiam, & regenerari per Chriſtum. Sed poſteà plures etiam ſequuntur gradus, per quos ad ſummum illud bonum,quod expectamus,peruenitur. Vnde autem iſte inuenerit,fidem eſſe tantùm fundamentum,docere non poteſt è ſcripturis: niſi fortè illud velit adducere ex epiſtola ad Hebræos:Fides eſt ὑπόστασις τῶν ἐλπιζομένων. Sed illis verbis nihil aliud oſtenditur, quàm ea,quæ ſperamus, fide in animis noſtris fulciri, & confirmari: quæ alioqui nutarent, nec vllo modo conſiſterent. Verùm hoc ad hanc rem prorſus nihil facit. Quòd ſi illud etiam velit, Accedentem ad Deum oportet credere, iam ſuprà ad id reſponſum eſt: & fortaſſe de eadem ſententia aliquid infra etiam dicetur ſuo loco.Sed age,cùm ita multis modis ſententiam noſtram fruſtrà conatus ſit conuellere, audiamus, quid ipſe tandem ſtatuat, & cui rei tribuat iuſtificandi facultatem. Multæ,inquit,requiruntur præparationes, & diſpoſitiones in nobis,vt iuſtificemur.Primum,inquit,credimus verbis Dei:poſteà iram eius timemus:deinde ſperamus miſericordiam:tum deteſtamur peccata. Breuiter omnia ferè ea recenſet, quæ ſuprà retulimus nomine Synodi Tridentinæ. Sed extremo loco ait ſuccedere amorem Dei ſincerum,& purum,qui dominatum in cordibus noſtris penitus obtineat: atque huic ait dari iuſtificationem. Non poſſum ſatis mirari huius viri conſilium. Statuit enim hominem propemodum perfectum eſſe,antequam poſsit iuſtificari. Qui enim credat,metuat,ſperet,pœnitentiam agat,& ſincerè Deum amet,quid illi tandem ad perfectionem deeſſe poteſt? Iſte autem ſtatuit,hominem extra Chriſtum, alienum à Deo, nec adhuc iuſtificatum iſta præſtare:quod certè cum ſacris literis minimè conuenit. Ille enim docent,hominem,priuſquam iuſtificetur, verſari in operibus malis, & in odio Dei: vt apparet Coloſſ. 1. & Epheſios 2. Illi verò,à quibus opera eduntur tam præclara, quàm ab iſto commemorantur,quomodo poſſunt eſſe filij iræ? quomodo peccatores? quomodo, vt habetur ad Romanos,inimici Dei? Sed his omiſsis,videamus,quæ ſint huius opinionis firmamenta.Primùm citat illud Ioannis:Qui non diligit,manet in morte:at ex eo concludit, ex dilectione haberi iuſtificationem,& vitam.Id perinde eſt,ac ſi quis diceret,Qui non eſt riſibilis,nõ eſt homo: Ergo per facultatem ridendi habet aliquis, vt ſit homo. Quàm autem id abſurdum ſit, quiuis facilè videre poteſt. Ab animo enim ratione prædito habemus, vt ſimus homines. Cui animo,cùm facultas ridendi neceſſariò coniuncta ſit, omnino vera eſt propoſitio ea, quam adduximus:Qui non eſt riſibilis,non eſt homo. Ita,certiſsimum eſt,quod Ioannes ait,Eum, qui non diligat,manere in morte: quamuis ex dilectione non habeat vitam,ſed ex fide: qua cum dilectio neceſſariò coniungitur. Citat etiam verba illa Chriſti: Si Deum haberetis patrem,vtique diligeretis me. Ergo,inquit, adoptionem, qua efficimur filij Dei, habemus ex dilectione.Sed hîc quoque incurrit in eandem formam argumentandi. Nam, qui non diligunt Chriſtum,non ſunt filij Dei:non tamen propter illam dilectionem habemus,vt ſimus filij Dei,ſed propter fidem,ex qua dilectio naſcitur.Eodem modo poſsis dicere:ſi eſſes liberalis,eſſes etiam prudens. Atque hæc quidem vera eſt propoſitio.Non tamen ſequitur,ex liberalitate aliquem effici prudentem.Imò multò potius ex prudentia manat liberalitas. Breuiter,hæc argumenta,& alia ſimilia nihil aliud efficiunt,quàm,iuſtificationem non poſſe exiſtere ſine dilectione,& aliis Chriſtianis virtutibus.Ex eo tamẽ non poteſt rectè colligi,hominem propter iſtas virtutes iuſtificari. Addit præterea Pighius iſtam Chriſti ſententiam: Si quis diligit me, mandata mea ſeruabit: & ego, & pater ad eum veniemus,& manſionem apud eum faciemus.Ex his verbis apparet,inquit,iuſtificationem ſequi ex dilectione,& obſeruatione mandatorum Dei.Illis enim obſeruatis,Chriſtus pollicetur,ſe venturum cum patre,& apud nos permanſurum. Sentit enim recipere, & retinere Chriſtum, nihil aliud eſſe, quàm iuſtificari. Nos autem fatemur, cùm Chriſtiani iam regenerati, & iuſtificati rectè viuant,& rectis operibus fidem ſuam oſtendant, Deum ad eos venire, eosq; maioribus donis,& ampliori gratia cumulare. Deus enim,quamuis alioqui ſit vbique,ad eos tamen ſignificanter venire dicitur,in quibus incipit efficere noua opera. Et cùm ſuos rectè,ac piè ſe gerentes,& talenta ſibi commiſſa fideliter exercentes quotidie augeat,atque ornet, rectè dici tur cum nouis muneribus quotidie ad eos venire. Atque hoc illud eſt genus viſitationis, de quo Chriſtus loquitur in Euangelio Ioannis. Verùm, ſi audire volumus primum acceſſum Dei,& aduentum Chriſti ad corda noſtra,vt in illis habitet, Paulus nos docebit ad Epheſios. Ita enim ſcribit: Vt Chriſtus per fidem habitet in cordibus noſtris. Iſta ergo ſententia

Sententia Pighij.

Chriſti

Christi non docet, Iustificationem esse ex dilectione. Eam enim iustificatio anteuertit, etsi non tempore, tamen ordine. Pergit Pighius, & testamenta ita distinguit, vt alia dicat esse absoluta, & libera, per quæ hæres possit statim adire hæreditatem: alia verò conditionalia, quę hæredem non instituant, nisi præstitis conditionibus. Atque ad hoc genus posterius refert testamentum Dei. Itaque contendit, nisi conditionibus illis persolutis, neminem posse iustificari. Hîc nos negamus assumptum, Testamentum Dei de remissione peccatorum in Christo habere adiunctam conditionem. Id Paulus testatur capite tertio, ad Galatas, ita scribens: Fratres, secundum hominem dico: Hominis licet testamentum, si sit comprobatum, nemo facit irritum, aut ad illud addit aliquid: Porrò Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius, non dixit, Et seminibus, tanquam de multis: sed tanquam de vno: & in semine tuo, quod est Christus. Hoc autem dico, testamentum ante comprobatum à Deo erga Christum, lex, quæ post annos 430. cœpit, non facit irritum, vt abroget promissiones. Hæc verba clarissimè docent, testamentum, quod Deus fecit cum Abrahamo, fuisse purum, & absolutum, & sine vlla Legali conditione. Id indicant verba Geneseos: Semel enim Deus promisit Abrahamo benedictionem. Posteà lata est lex, quæ illis promissionibus adiiceret conditiones præceptorum: vt si homines vellent iustificari, & illas adipisci, scirent sibi præstanda, & perficienda esse omnia mandata Dei. Hæc autem via iustificationis posterior, cùm nullo modo præstari possit, non potest impedire, aut irritam facere priorem. Ea autem prior via nihil aliud erat, quàm Euangelium per Christum. Ad quod vt homines alacrius accederent, proponebatur etiam altera posterior via iustificationis per opera: vt homines, quum intelligerent, non posse se ea præstare, confugerent ad Christum: à quo quum iustificati rectè viuere conarentur, promissiones in lege descriptas gratis perciperent. Nunc videamus, quas iste conditiones affingat ad testamentum Dei: scribitur in Psalmo centesimo tertio: Misericordia Domini à seculo vsque ad seculum super timentes eum: & iustitia eius super filios filiorum, super eos qui custodiunt testamentum eius, & sunt memores mandatorum eius, vt faciant ea. Ex his Pighius colligit, timorem Dei, memoriam diuini testamenti, & studium præstandi mandata esse conditiones promissionum Dei. Sed hîc nonnihil miror, Pighium voluisse statuere, hominem iustificari dilectione, quum fateatur scripturam sacram id tribuere timori. Sed concedamus sanè Pighio, vt ipse secum pugnet. Cæterùm si scripturas audire volumus, in psalmo trigesimo tertio, Misericordia promittitur sperantibus. Ita enim scribitur: Et sperantem in Deo misericordia circundabit. Scribitur etiam alibi, Qui crediderit, non confundetur: &, qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Sed quis non videt, omnes istas virtutes esse in homine iam iustificato? & Deum eius misereri? Sed hoc positum erat in controuersia, cui potissimùm ex istis virtutibus adscribenda sit iustificatio. Certè testimonio scripturarum, id tribuendum est fidei. Addit Pighius, in conditione, quam proposuit, esse, vt sint memores mandatorum Dei, ad faciendum ea: non additur, inquit, vt faciant omnia mandata. Recipit Deus hominem, qui ea conetur facere: & multa remittit ex sua misericordia. Atqui, quod adscribitur, Ad faciendum ea, necesse est, vt intelligatur de omnibus. Nam certè in lege, quam iste appellat testamentum, descripta sunt omnia. Et si quid Deus condonat, aut remittit, id facit hominibus iam regeneratis: non autem à se alienis, & filijs iræ: quales necesse est, eos esse, qui nondum sint iustificati, sed se adhuc præparent, & intenti sint ad præstandas conditiones. Istis, inquam, nihil remittitur: quare obligati sunt ad omnia. Et idcirco Moses dixit, vt testatur Paulus: Maledictus, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis. Præterea rixatur etiam de productione fidei, quæritque, vnde ea in nobis generetur. Nos vno verbo facilè respondemus, à spiritu sancto. At ille se mirari fingit, quomodo demus homini spiritum sanctum, priusquam credat. Id enim putat esse absurdum. Primùm ego suspicari non potui, cur hoc tantoperè sit miratus. Postea verò sensi, illum manifestè cum Pelagianis facere, & docere, fidem esse ex nobis, eamque humanis viribus comparari. Nam alioqui si crederet, eam esse à Deo, & à spiritu sancto, causam à suo effecto non seiungeret. Sed ne putet, nos sine certa ratione tribuere spiritui sancto principium fidei, audiat apertissima testimonia scripturarum. Paulus ait in epistola priori ad Corinthios: Non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus: vt fides vestra non sit ex sapientia hominum, sed ex Deo. Et eodem loco: Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Dei, neque potest: quoniam illi stultitia sunt: spiritualiter enim iudicantur. Quomodo autem spiritualiter iudicari possunt, nisi adsit spiritus Dei? Pueri etiam nouerunt, sir-

Promissio de iustificatione adiũctam non habet conditionem.

Illis qui iustificati non sunt de legis rigore nihil remittitur.

Vnde fides nos ingeneretur.

ma argumenta deduci à coniugatis. Et ad Galatas: Misit, inquit, Deus spiritum suum in corda nostra, quo clamamus Abba pater. Nam spiritu credimus: & credendo Deum inuocamus. Quin & ipse spiritus, vt scribitur ad Romanos, testimonium perhibet spiritui nostro, quòd simus filij Dei. Et ad Ephesios, Roboremini spiritu in interiori homine, quò Christus per fidem habitet in cordibus vestris. Hîc audimus, fidem eam, quà Christum amplectimur, proficisci à spiritu Dei, quo interior noster homo confirmatur. Apostoli, cùm dicerent, Domine auge nobis fidem, satis declarabant, eam non ex suis viribus nasci, sed ex afflatu Dei. Et Paulus 1. Corinth. 12. Alij, inquit, datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ, alij fides, alij gratia sanationum. Subijciturq; omnia hæc operari vnum, atque eundem spiritum, diuidentem singulis prout vult. Quod si dixeris, hunc locum, & illam superiorem petitionem Apostolorum pertinere ad particularem fidem per quam dantur miracula, equidem non multùm pugnabo. Tamen si omnino ita velis, argumentabor à minori. Nam si dona ista gratuita non habentur, nisi à spiritu Dei, multò minus aliunde haberi potest fides illa vniuersalis, & efficax, qua iustificamur. Adhæc Paulus ad Romanos, Vnicuique inquit, sicut Deus diuisit mensuram fidei. Et in posteriori ad Corinthios, Habentes, inquit, eundem spiritum fidei: quemadmodum scriptum est: Credidi, propter quod & loquor: nos etiam credimus, & loquimur, quòd Deus, qui excitauit Iesum à mortuis, nostra quoque corpora per Iesum excitabit. Ad Galatas recẽsentur fructus spiritus: Charitas, gaudium, pax, patientia, comitas, benignitas, fides, mansuetudo, temperantia. Fides hîc numeratur inter fructus spiritus: Ergo à spiritu proficiscitur. Ad Ephesios verò luculentius, Gratia, inquit, seruati estis per fidem: & hoc non ex vobis: donum enim Dei est. Et in Actis Apostolicis ita scribitur: Aperuit Dominus cor mulieri purpurariæ, vt attenderet illis, quæ à Paulo dicebantur: & capite 13. Credidêrunt quotquot ordinati erant ad vitam æternam. Quare dubitandum non est, fidẽ pectoribus nostris ingenerari per spiritum sanctum: qui tamen haberi quidem potest ab illis, qui non credunt, verùm vt persuadens tantùm, non vt sanctificans. Et quamuis in electis fidem repentè inserat, tamen, quoniam causa est fidei, prior est illa, & dignitate, & ordine. Iam videamus, ex hac sententia, quæ absurda Pighius colligat. Si spiritus, inquit, author est nostræ fidei, vtiturq; instrumento verbi Dei, & potest adesse etiam non credentibus, quî fit, vt cùm multi adsint in eadem concione, vbi & spiritus adsit, & verbum proponatur, tamẽ partim credant, partim non credant? Vno verbo responderi potest: quoniam spiritus non est æquè efficax in omnibus, nec modo eodem omnes intus, & in animo docet. Causam autem voluntatis eius reddere non possumus: quamuis eam iustissimam esse, nihil dubitemus. Sic ita res habet, inquit, auditores molliter acquiescent, neque annitentur, aut adhibebunt studium: scient enim, se id frustrà facturos, cùm vniuersum pendeat à spiritu Dei. Est ista non tantùm peruulgata, sed etiam inuidiosa obiectio. Sed respondemus, Omnes homines astrictos esse, vt credant verbo Dei, ideoq; obligatos esse, vt illud studiosè, & attentè audiant, iliçq; pro viribus assentiantur: & ni fecerint, in pœnam legis incursuros: nec audiendos, si dixerint, se illi non potuisse obedire: aut si periculum de suis viribus facere voluisset, conatum ipsum, cùm nondum essent iustificati, futurum fuisse irritum & peccatum. Vt, si dominus seruum claudum iuberet ambulare, ille autẽ excusaret, diceretq; se claudum esse, nec posse sine magna deformitate incedere, non ob id existimaretur se purgasse. Nos haud statuimus, peccata omnia esse paria. Imò eos, qui externa illa opera, quæ possent præstare, omittunt, & negligunt, aut ad rectè agendum conatum, & studium non adhibent, longè grauius peccare docemus, quàm illi, qui externam aliquam disciplinam pro viribus obseruant: Vtq; Augustinus ait, multò toletabilius erit Catoni, & Scipioni, quàm Catilinæ, aut Caligulæ. Verùm iste Pighius, cui nostra tantoperè displicent, dicat ipse, quando spiritum sanctum hominibus dari putet. Respondebit, Cùm iam præparationes præcesserint, cùm quispiam crediderit, timuerit, sperauerit, pœnitentiam egerit, sincerè dilexerit. Quid aliud diceret Pelagius? Quasi verò credere, amare, & alia similia nascantur ex humanis viribus. Arripit etiam illud, & putat pro se facere, Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiã vos. Putat enim, labores, onera, contritionem, confessionem, vtq; aiunt, satisfactionem, ieiunia, lachrymas, & alia similia facere ad obtinendam iustificationem. At locus est longè aliter intelligendus. Nam Christus eos appellat laborantes, & oneratos, qui premebantur lege, & infirmitatem suam, & onus peccatorum sentiebant, quiq; iam diu sub humanis traditionibus laborauerãt. Istos fessos iam rerum, & penè desperatos Dominus ad se inuitat. Illi enim magis idonei sunt ad regnum cœlorum, quàm alij beati, & securi, qui se ex operibus suis, & benefactis satis putãt esse iustos. Deus, inquit Pighius, opera preparatoria requirit: deinde pollice

Quomodo spiritus sanctus adsit nondum regeneratis.

pollicetur se gratia sua non defuturum. Hæc prorsus est sententia Pelagianorum: cui sacræ literæ planè aduersantur. Illæ enim docent, Deum esse, qui det & velle, & perficere, pro sua bona voluntate: Deum esse, qui incipiat in nobis opus bonum, illudque perficiat vsque ad diem suum: Deum esse, à quo solo nos habeamus sufficientiam: quum alioqui nos idonei non simus, qui cogitemus aliquid ex nobis, tanquam ex nobis. Apparet ergo, Pighium confundere iura diuina, eáque, quæ sunt in sacris literis bene constituta, perturbare. Adhæc, quum nos dicamus, ad iustificationem non satis esse fidem historicam, mirari sese fingit, qualem nam fidem historicam intelligamus. Nam si ea, inquit, omnia, quæ scribuntur in sacris literis, appellant historiam, an volunt aliam nobis fidem importare, qua credamus ea, quæ non sint in scripturis? Nos verò non reijcimus fidem historicam, quasi fingere velimus noua aliqua obiecta fidei, præter ea, quæ proponuntur in scripturis, aut ex illis efficaciter concluduntur. Sed requirimus assensum, non vulgarem, aut frigidum, qualis est illorum, qui ea, quæ legunt in sacris literis, probare solent, humana persuasione, & probali credulitate adducti, quemadmodum hodie Iudæi, & Turcæ multa nobiscum confitentur, & credunt: sed certum, & firmum, & efficacem, & ab afflatu spiritus sancti profectum, qui cor, atque animum immutet, & refingat, bonosque motus, & sancta opera secum trahat. Ita dicimus aliam esse fidem efficacem, alium assensum historicum. Ea autem quam descripsimus, fide nos iustificari, triplex habemus testimonium. Primum spiritus sancti, qui testificatur spiritui nostro, nos esse filios Dei: Alterum est scripturarum: Tertium operum. Contrà verò, qui statuunt, & clamant, hominem iustificari ex operibus, nullum habent idoneum testimonium. Spiritus enim sanctus id non suadet: sacræ literæ negant, opera tantùm proferuntur, eáque sine pietate ac fide: qualia olim erant veterum ethnicorum, & hodie sunt multorum, qui in Christum non credunt, & à Deo sunt alieni. Sed ridiculum est, quòd locum etiam è sexagesimo sexto capite, Esaiæ citauit: quo vel solo eius causa maximè iugulatur. Ad quem, inquit Deus, respiciam, nisi ad pauperculum, contritum corde, & trementem verba mea. His verbis Pighius putat, significari opera illa, quibus Deus adducatur ad nos iustificandos. Longè autem aliter se res habet. Scopus enim Prophetæ fuit, vt detestaretur superstitionem Iudæorum. Illi enim, neglecta interiori animi pietate, fidebant tantùm externis ceremonijs. Itaque hoc Deus Prophetæ voce damnauit, quamque id sibi odiosum esset, declarauit. Cœlum, inquit, mihi sedes est, & terra scabellum pedum meorum. Ac si diceret, Templum istud vestrum, quod vos tantopere iactatis, nihil moror. Cœlum enim est sedes mea, qualem vos sedem fingere, & fabricari non potestis: & terra ornata omni genere, & varietate plantarum, animantium, herbarum, florum est scabellum meorum pedum. Vbi igitur erit domus illa, quam ædificabitis mihi? Et vbi erit locus quietis meæ? Mox, vt ostendat, non esse illud templum manu extructum, Omnia, inquit, hæc fecit manus mea: & cuncta ista facta sunt, dicit Dominus. Ex quibus verbis docemur, Deum istis rebus, & ornamentis externis, & sumptuosis ædificijs per se non delectari: sed fidem in primis, & internam animorum pietatem requirere, vt in illis possit habitare. Qui autem sint credentes, & verè pij, ostenditur certis illorum, & propriis notis. Quicunque pauperculus est, & videt se carere iustitia, & quicunque est contritus corde, hoc est, afflictus in hoc seculo, quicunque moderati, & delecti spiritus, non autem arrogantis, & elati, quicunque magna reuerentia, & timore recipit verba Dei, is optimo iure potest inter eos numerari. Ista sunt certa argumenta, & quasi proprij colores fidei, & veræ pietatis. Postea addit Propheta, quo loco apud Deum sint opera quantumlibet speciosa hominum non credentium, nec adhuc renatorum. Qui mactat bouem, inquit, perinde est, ac si occidat hominem: &, qui sacrificat pecus, quasi qui iugulet canem: &, qui offert מנחה veluti, qui offerat canem suillam: &, qui mentionem facit thuris, quasi, qui benedicat iniquitati. Hæc omnia genera oblationum, & sacrificiorum præcepta erant, & constituta in lege Dei: quæ tamen facta ab animo impuro, & alieno à Deo pro peccatis grauissimis habebantur. Quare ex isto loco Pighius nihil habet, quo errorem suum tueatur: Nos autem ex eodem sententiam nostram appositissimè, & verissimè confirmamus. Præclarum verò disputatorem, & acutum, qui ea pro se adferat, quæ contra ipsum ita perspicuè, & apertè faciant. Sed illud etiam arripit ex epistola ad Hebræos, Accedentem ad Deum oportet credere, quòd Deus sit, & quòd sit remunerator quærentibus se. Ex his verbis

Discrimen fidei efficacis & historicæ.

Duplex genus inquirentiũ deũ

videtur velle concludere, iuſtificationem dari illis, qui Deum quærant, bonis, videlicet, operibus. Sed diſtinguere debuit inquirentes Deum: quod Paulus etiam fecit: Nimirum, quòd alij eum quærant ex operibus, alij ex fide. Hanc diſtinctionem Paulus oſtendit: nec diſſimulat, quid ex ea ſequatur. Ita enim ſcribit ad Romanos: Iſrael, qui ſectabatur iuſtitiam, ad legem iuſtitiæ non peruenit: quoniam ex operibus, & non ex fide. Quare, qui quærunt Deũ, vt ab eo iuſtificentur ex fide, quemadmodũ Apoſtolus docet, aſſequuntur id, quod optãt: Illi verò, qui iuſtificari volunt ex operibus, excidunt à iuſtificatione. Deum verò remunerari opera, quæ fiunt ab hominibus regeneratis, & per quæ contendunt ad brabeum æternæ ſalutis, non negamus. Verùm id ad hanc quæſtionem non attinet. In præſentia enim nihil de hoc operum genere controuertitur: ſed tantùm de illis, quæ fiunt ante regenerationem. Illa Pighius contendit habere mercedem ſuam, & merita eſſe qualiacunque iuſtificationis. Neque verò id eius cauſam quicquam leuat, quòd affirmat, hoc genus meriti non redunda re in Deum, aut illum nobis facere debitorem, aut aliquare id, quod rependitur. Hęc enim etſi illi videantur tantùm facere ad extenuendam meritorum dignitatem, omnem meriti rationem prorſus auferunt. Quicquid enim boni homines faciũt etiam poſt iuſtificationem, id illorum non eſt proprium: Deus enim id in illis operatur. Deinde etiam vniuerſum illud iam antea Deo obligatum eſt: neque quicquam efficere boni, aut illi dare poſſumus, quod non ſit eius. Tollendum ergo prorſus eſt omne meritum, non tantùm in illis, qui iuſtificati adhuc non ſunt, ſed etiam in iuſtificatis. Verùm Pighius, quò facilius perſuadeat, proponit ſimile de quodam hero, qui complures habeat ſeruos: quibus ille vt opus aliquod ſtudioſius, & celerius perficiant, conſtituat præmium. Quis, inquit, negabit, illos ſeruos opere celeriter, & ſtudioſè confecto, propoſitum præmium promeruiſſe? Nos, quid ex hoc ſimili concludi poſsit, excutiemus paucis. Si per ſeruos intelligat homines in Chriſto regeneratos, fatebimur, Deum proponere mercedes, & præmia, quibus incitemur ad ſanctè viuendum: nec negabimus, tales dici poſſe recipere mercedem. Non tamen eos dabimus verè ac propriè mereri palmam ęternæ felicitatis. Et noſtri ſcriptores quidã, vt oſtendant, hoc ad iuſtificatos pertinere, vtuntur ſimili, non de hero, & ſeruis, ſed de patre, & filijs. Patres enim ſæpe ſolent veſtem, pileum, aut pecuniam, quæ alioqui filij vltrò daturi erant, tamen ad ſtudium illorum acuendum cum certa aliqua conditione proponere: verbi gratia, hoc, aut illud habituros, poſtquam hunc, aut illum libellum perdidicerint. Hîc nemo, qui velit ſignificanter, & propriè loqui, dicere poteſt, filios illos opere confecto, propoſita munuſcula promeruiſſe. Illa enim pater donat gratis & liberaliter. Sed Pighius agit de ſeruis, hoc eſt, de hominibus nondum renatis. Talibus autem vlla bonorum præmia à Deo eſſe propoſita, vndenam tandem monſtrare poteſt? Aut vnde probabit, talium hominum opera, cùm adhuc, vti docuimus, peccata ſint, Deo placere poſſe? Quod cùm ita ſit, illis non tam præmium, quàm ſupplicium proponitur. Verùm, vt res melius intelligatur, conferamus inter ſe filios, & ſeruos. Filij etiam nihil agentes hæreditatem tamen paternam adeunt, modò eam tantùm velint recipere. Serui autem quantumuis laborent, tamen hæreditatem cum filijs non habent. Hæc ita clarum eſt, vt longiori explicatione non egeat. Sed vt illud nobis extorqueat, quod dicimus, ſi opera ad iuſtificationem requirãtur, immĩnutum iri honorem Chriſti, quaſi eius vnius meritum non ſatis potuerit nos Deo reconciliare, ego, inquit, Chriſto nihil aufero: integrum illi, ſaluumq; relinquo honorem ſuum. Quæſo vero te: quomodo non adimis, cùm opera ad iuſtificationem noſtram exigas, atque ita exigas, vt dicas, Deum illa magis reſpicere, quàm fidem? Verùm ita explicat ænigma ſuum: Chriſtum in illo ſuo ordine cauſam eſſe ſufficientem: ac ſi diceret, ſi loquamur de reconciliatore, & de ſacrificio, quo reconciliemur Deo, Chriſtus vnus eſt ſatis. Sed nos ad illud beneficium niſi per multa opera, non poſſumus eſſe præparati, & idonei. Non poſſum equidem non mirari, vbi huius tanti ſophiſtæ acumen ſit. Quaſi verò illi, contra quos Apoſtolus diſputat, vnquam dixerint, opera requiri ad iuſtificationem, tanquam principia extrinſeca. Certè illi quoque idem volebant, quod Pighius, opera eſſe purgationes quaſdam, & præparationes animorum. Adhęc quis neſcit, oblata vniuerſali propoſitione, licere ad omnes eius propoſitiones ſingulares, id, quod in ea aut affirmatum, aut negatum ſit, accommodare? Paulus igitur, quum negat hominem iuſtificari ex operibus, omnia operum genera excludit, quocunque in ordine ea poſueris. Sed Pighius addit, Deum iſta opera requirere, vt iuſtificationẽ nobis gratis imputet. Quicunque ſe vel leuiter exercuerit in ſacris literis, facilè intelliget, iſtum cum Paulo pugnare ex diametro. Ille enim in epiſtola ad Romanos ait: Ei, qui nõ operatur, merces imputatur ſecundum gratiam. Pighius verò, Ei, inquit, qui operatur, Deus iuſtitiam gratis imputat.

Meritum auferetur & à non iuſtificatis & à iuſtificatis.

Collatio inter ſeruos & filios.

putat. Imputare autem gratis, & non imputare gratis, quiuis puer videt esse contradictoria. Sed expende, Lector, hoc dilemma: Opera ista, quæ dicit, vel prosunt ad iustificationem, vel non prosunt. Si non prosunt, cur ea vocat præparationes? Nam inter causas numerantur etiam præparatoriæ. Sin autem ea prodesse dicet, & verè esse causas præparatorias, quo ore affirmare potest, se nihil detrahere de honore Christi, sed illum statuere, integram esse, & absolutam causam iustificationis nostræ? Sed fortasse hoc dilemma quispiam in nos conuertet, de operibus illis, quæ sequuntur iustificationem. Nam vel vtilia, inquiet, sunt ad felicitatem consequandam, vel non sunt vtilia. Si non sunt, cur exiguntur? aut cur illis proponuntur promissiones? Sin autem sunt, cur in illis meritum non constituitur? Respondeo, huiusmodi opera prodesse hominibus renatis, quòd illi rectè, atque ordine agentes instaurantur, & redduntur perfectiores. Id autem nihil aliud est, quàm inchoatio quædam, & tanquam participatio æternæ vitæ. Deinde visum est Deo, per huiusmodi media, vel potius per huiusmodi spatia perducere homines ad æternam felicitatem. Merita verò ista appellare non possumus. Paulus enim disertè docet, stipendium peccati mortem esse: Gratiam autem esse vitam æternam. Quod autem gratis datur, prorsus excludit meritum. Interea verò cogitare nos oportet, magnum discrimen esse, vt sæpe docuimus, inter opera illorum, qui adhuc sint à Christo, & Deo alieni, & eorum, qui iam per gratiam in Christum sint insiti, & facti eius membra. Posteà id etiam confutare vult, quod dicimus, hominem iustificari per fidem, quæ respiciat promissiones de Christo, & de remissione peccatorum: quasi statuamus, fidem proprium esse correlatiuum huiusmodi promissionum. Eam enim ait ex æquo spectare omnia, quæ proponuntur in sacris literis. Imò, inquit, rem Deo non minus gratam facit, qui credit, mundum ab eo fuisse conditum, aut tres personas diuinæ Trinitatis, aut futuram resurrectionem, quàm qui credit, Christum datum esse mediatorem nostrum, & per illum impetrandam esse remissionem peccatorum. Illa enim fides, non minus digna est, quàm altera. Et, si quidem fide iustificamur, contendit, fidem eam non minus esse aliorum articulorum, quam remissionis peccatorum per Christum. Idque putat probari posse ex eo, quod Paulus scribit in quarto capite ad Romanos: Non autem propter illum tantùm hæc scripta sunt, sed & propter nos, quibus imputabitur credentibus in illum, qui excitauit Christum à mortuis. Ecce, inquit, ea fides imputatur nobis ad iustitiam, qua credimus, Deum resuscitasse Christum à mortuis: non autem illa, qua credimus, peccata per Christum condonari. Primùm hîc nos fatemur, fidem nostram assentiri omnibus, quæ in sacris literis continentur. Sed quum inter illa sit vna veritas præcipua, & eximia, in quam aliæ omnes diriguntur, videlicet Christum filium Dei pro nobis passum esse, vt per eum acciperemus condonationem peccatorum, quid mirum, si fides nostra hoc vnum præcipuè respiciat? Nam nostrum assumptum Paulus probat. Ait enim, Christum esse finem legis. Quum ergo ille sit finis omnium scripturarum, erit etiam summa, & præcipuum obiectum nostræ fidei: quam uis alioqui alia quoque omnia, quæ continentur in sacris literis, fide nostra complectamur. Quod addit, illam fidem de aliis articulis non minus esse Deo gratam, quàm istam de Christo, & remissione peccatorum, id primùm possemus dicere, non esse verum, si dignitatem actionis fidei rectè perpendas. Fidei enim, vt aliarum eius generis facultatum dignitas trahitur ex obiectis. Prout enim illa præstantia, & dignitate inter se differunt, ita assensiones fidei aut inferiores videri debent, aut sublimiores. Quum igitur Deus ita voluerit, filium suũ mori, & homines per illum reconciliari, vt propter ista omnia alia instituerit credenda, quæ habentur in sacris literis, non possumus ambigere, hæc illi multò magis placuisse, quàm alia: quoniam ea in ista, tanquam in fines diriguntur. Vulgata autem est illa regula apud Dialecticos, propter quod vnumquodque tale, illud ipsum erit magis tale. Actio ergo fidei, qua assentimur nobilissimæ isti veritati, aliis fidei actionibus præstare debet. Atque ita non erit res perinde Deo grata siue hoc, siue illud credas. Si vteremur hac responsione, sat scio, non posset à Pighio refutari. Verùm addimus, frustrà illum contendere de maiori, aut minori dignitate fidei, quod ad hunc, aut illum articulum attineat. Non enim iustificamur ex dignitate fidei. Ea enim in quouis homine debilis, & infirma est. Sed idcirco dicimus, nos fide iustificari, quòd ea, veluti instrumento ad hoc dato, & facto à Deo, Christum nobis applicamus, & condonationem peccatorum apprehendimus. Dignitas ergo eius, aut indignitas frustrà expenditur. Quod autem adfert ex capite quarto, ad Romanos, truncatum adfert, & mutilum. Nam si legas sententiam plenam, & perfectam, facilè videbis disertam ibi mentionẽ fieri de morte Christi, & de remissione peccatorũ, quam per illam adepti su-

Ad quid prosint bona opera post iustificationem.

Quod gratis datur excludit meritum.

Christus est præcipuum obiectũ nostræ fidei.

Dignitas fidei ex obiecto trahitur.

Non iustificamur ex dignitate fidei.

mus. Dicit enim Paulus, imputatum iri nobis, quemadmodum Abrahamo, si crediderimus, Deum excitasse Dominum Iesum Christum à mortuis, qui traditus fuit propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Nónne hîc satis perspicuè dicitur, oportere nos credere, illum Iesum Christum, quem Deus resuscitauit, mortuum fuisse, & resurrexisse, vt nos iustificaremur, & nobis omnia delicta condonarentur? Turpissimum certè est, hominem Theologum res ita perspicuas videre nolle. Posteà cauillatur de fide particulari, qua dicimus, quenquè verè credentem in Christum pro re certissima habere oportere, peccata sibi esse condonata. Huiusmodi fidem negat inueniri in sacris literis. Itaque hoc nostrũ tantùm commentum, & inuentum esse. Hîc equidem temperare mihi non possum, quin dicam Pighium luculenter mentiri. Dicat enim ipse mihi: Quid credidit Abrahamus, cùm iustificaretur, nisi reddendas esse sibi aliquando promissiones illas Dei? Cui enim verisimile est, illum eas credidisse reddendas, nisi sibi? Idem de Mose, de Dauide, deq; alijs multis dici potest: quos certum est credidisse, promissiones à Deo sibi factas, sibi singulariter reddendas esse. Et quid, quæso, voluit sibi Christus, cùm diceret paralytico, fili, remittuntur tibi peccata tua: cumq; mulieri diceret, Fides tua te saluam fecit. Et Paulus nónne de Christo ita loquit ad Galatas, Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me? Quid potest his verbis esse apertius? Eat nunc Pighius, & iactet, istam propriam, & singularem fidem nos primùm reperisse: & clamet, oportere vnumquemq; hominem Christianum credere promissiones fas tantùm indefinitè, nõ autem fas esse, vt quisq; nostrûm eas seorsim sibi accõmodet. Denobis enim ipsis debemus credere, non de alijs. Nam de alijs falli possumus, credant ne, an non credant. Id autem de nobis ipsis exploratum, & certũ habere possumus. Indefinitas promissiões Dei quisq; credat quoad alios, quia nescimus quisnã sit prędestinatus, & quis sit reprobatus, de semetipso verò quisq; fidelis non oportet vt dubitet, sed credat promissionẽ quoad seipsum esse determinatã, ex quo se verè credere animaduertit. Adhęc cùm promissiones vniuersali propositione proponant̃, licet ex eis verisimè conficere illarũ singulares. Dicit aũt Christus in Ioanne, hęc est voluntas patris, vt omnis, qui videt filiũ, & credit in eũ, habeat vitam ęternã. Sic ergo inferimus, Ac ego credo in filiũ Dei: Ergo habeo iam, & habebo id, ꝗd promisit. Pergit Pighius, vtq; doceat, fidẽ de quouis alio articulo, non aũt eam tùm quæ fertur in Christũ de remissiõe peccatorũ, iustificare, vtiṫ exemplo Noe. Eum enim ait credidisse illa tantùm, quę pertinebãt ad salutẽ domus suæ, & ad interitũ orbis terrarum: atq; ex hac fide eum ait fuisse iustificatũ. Hîc, inquit, nulla mentio fit de Christo, aut de remissione peccatorũ. Sed iste mihi non videṫ satis diligẽter legisse ea, quę Petrus scribit in priori epist. sua cap. 3. Ait enim Petrus, Cùm semel expectabaṫ Dei lenitas in diebus Noe, cùm apararetur Arca, in qua paucę, hoc est, octo animę seruatę sunt per aquã: cuius figurę respondens nũc Baptismus, nos quoq; saluos reddit: quo nõ carnis sordes abijciunt̃, sed quo fit, vt bona cõscientia bene respondeat apud Deũ. Quod Petrus vidit significatũ fuisse per Arcã, perq; ea, quę Noe gessit, id putare possumus, eundẽ illum patriarchã non vidisse? Hoc certè esset, illi nimiũ detrahere. Quòd si ea vidit, quę produnt̃ à Petro, credidit, nõ tantùm ea, quę tum gerebant̃, sed etiã ea, quę per Christũ expectabant̃ efficienda. Ideoq; per huiusmodi fidẽ iure optimo scribitur ad Hebręos, illũ factũ fuisse hęredẽ iustitię. Sed hęc Pighius parùm curat: qui modò nobis aduersetur, nihil dubitat cum ipsis etiã Apostolis dimicare. Neq; enim veritus est affirmare, Adamũ primum illũ nostrum patrẽ iustificatũ fuisse, non tamen illa fide, quam nos dicimus, de remissione peccatorum per Christum. Illa enim de re nullam eum habuisse promissionem, quod quidem appareat ex sacris literis. Verùm & longè fallitur, & Patrum suorum, quos videri vult tanti facere, oblitus est. Non ne idem dicebatur Adamo, quod eius vxori Euæ à Deo promittebatur, videlicet, eius semen contriturum esse caput serpentis? Christus semen illud fuit: isq; caput, & vires Diaboli ita fregit, vt iam nec peccatum, nec mors, nec infernus eius membris quicquam nocere possit. Hunc locum sic interpretantur omnes ferè Patres. Verùm Pighius, quod minus etiam ferendum est, ausus est dicere, iustificationem nobis per promissionem non dari. Qua sanè in re palàm aduersatur Paulo. Is enim ita scribit ad Galatas, Abrahamo autem dedit Deus per repromissionem. Dubitari autem non potest, eodem modo dari nobis, quo datum est Abrahamo. Sed scire debemus promissionem bifariam sumi posse: vel pro re promissa, atq; ita dubiũ nõ est, nos iustificari per promissionẽ, id est, per Christũ, & per cõdonationẽ peccatorũ, quæ promissa est credentib. vel pro verbis ipsis Dei sumitur, quib. nobis per Christũ pollicet̃ veniã peccatorũ. Atq; hoc etiã modo dici possumus iustificari per promissionẽ. Etsi enim causa iustificationis nostræ sit mera voluntas Dei, & misericordia, tamen ea non offertur, aut significatur

Noe fide in Christũ est iustificatus

Adamus fide iustificatus est, qua credidit remissionem peccatorum per Christum.

Distinctio promissionis.

ficatur nobis, niſi per verba promiſsionum, & per ſacramenta. Hæc enim habemus, tanquam certa teſtimonia diuinæ erga nos voluntatis. Atque ita, niſi fides deſit, qua oblata apprehendamus, per promiſsiones iuſtificamur. Poſtea Pighius, vt probet, Deum plus tribuere operibus, quàm fidei, citat locum ex capite vigeſimo ſecundo Geneſeos: vbi deſcribitur egregium illud factum Abrahami, illum non recuſaſſe, vnicum filium ſuum mactare, atque offerre Deo: Ideóque Deum illi de cœlo dixiſſe, Quoniam feciſti hanc rem, iurauí per memetipſum, quòd benedicendo benedicam tibi, & multiplicando multiplicabo ſemen tuũ, vt ſit tanquam ſtellæ cœli, & arena maris: portas inimicorum ſuorum poſsidebit: & in te benedicentur omnes gentes. Ecce, inquit, hîc promiſsiones dantur propter opera: & interpoſitum eſt fideliſsimum iuſiurandum: Fidei autem nulla facta eſt mentio. Magis ergo ait Deum opera ſpectare, quàm fidem. Hæc ille magno hiatu. Sed parturient montes: naſcetur ridiculus mus. Vnde ſi quæras, quid mihi de hac re videatur, reſpondebo pulcherrimam eſſe, & præclariſsimam hiſtoriam: ex qua tamen colligi non poſsit id, quod iſte clamat. Primùm hîc mentio nulla fit Iuſtificationis. Quid ergo hoc facit ad rem eam, de qua nunc agimus? Quoties aliquid reuocatur in dubium, oportet ad loca certa recurrere, in quibus de eadem illa re agatur: non autẽ ad ea, in quibus reſponderi poſsit, aliud agi. Huiuſmodi ille locus eſt, qui de hac re citatur à Paulo: Credidit Abraham Deo: & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. Quòd autem ad hanc hiſtoriam attinet, non inuitus concedo, Abrahamum ex illo opere amplius quiddam eſſe conſequutum, quàm priùs habuerat ex fide: non quidem aut ſubſtantia, aut numero, aut quantitate promiſsionum, ſed ſolida, & firma certitudine. Etſi enim non dubitarit, quæcunque crederet, Deum ea ſibi bona fide redditurum, poſteà tamen, quum egregia illa facta edidiſſet, certius illi conſtabat fidei ſuæ veritas, & conſtantia promiſsionis, & vis iuſtitiæ imputatæ. Hæc ego non diffiteor Abrahamum ex illo præclaro opere fuiſſe adeptum. Quid hîc eſt, quòd iactet Pighius? Quid hîc noui promittitur? Quod fœdus inauditum, aut nouum iuſiurandum inducitur? Nihil hîc recenſetur, quod non antea fuerit commemoratum. Nam fœdus, quod hîc initur, antea fuerat conſtitutum, partim in Circunciſione commendanda, partim in illo ſacrificio, in quo iubebatur animantia, diuidere partim ad dextram, partim ad ſiniſtram: ac ſi illi, qui iurarẽt, & fœdus percuterent, per medium eſſent tranſituri. Nam ille mos, vt illud obiter dicam, etiam apud Athenienſes fuit in vſu: quemadmodum Demoſthenes docet in Oratione contra Ariſtocratem. Adhæc negare nõ poſſumus, Abrahamum anteà fuiſſe iuſtificatum. Etenim iam anteà dictum fuerat, Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. Quod cùm ita ſit, etſi poſteà aliquid promiſsionis addatur, tamen id contra nos nihil faciet. Non enim negamus, opera illa, quæ ſequuntur iuſtificationem, & bona eſſe, & Deo placere: eaq; quãuis gratis tamen magnis, & amplis muneribus ab eo compenſari. Id nunc tantùm ſupereſt, vt oſtendamus aliam rationem intelligendi illam clauſulam, Quia feciſti hanc rem, &c. Ea autem pertinet ad certitudinem, de qua antè mentionem fecimus: quæ, vti diximus, eſt ex effectis, &, vt loqui ſolent, à poſteriori. Quod, ne putes meum commentum eſſe, legas Auguſtinum, in quæſtionibus ſuper Geneſin. Expendit enim illa verba, Nunc cognoui, quòd timeas Deum. An Deus, inquit, hoc prius ignorauit? An illi opus fuit hoc experimento? quum ſit ſcrutator renum, & cordis? Nihil minus, inquit. Nam hîc, Cognoui, nihil aliud eſt, quàm feci te cognoſcere, aut clarum, & manifeſtum reddidi. Hîc ergo ratio promiſsionum non redditur per cauſam: ſed eodem planè modo, quo de muliere peccatrice dictũ eſt: Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Quo de loco ita multis actum eſt à me ſuprà, vt nunc nihil ſit opus repetitione. Aliam Pighius obiectionem corraſit ex decimooctauo capite Ezechielis. Si impius, inquit Propheta ſub perſona Dei, egerit pœnitentiam de omnibus iniquitatibus ſuis, & omnia mandata mea fecerit, omnium iniquitatum eius non recordabor amplius. Hîc, inquit Pighius videmus, iuſtificationem, quæ eſt condonatio iniquitatum non promitti fidei, ſed perfectæ pœnitentiæ, & obſeruationi legis Dei. Hîc verò ita illi ſurgunt criſtæ, quaſi nos omnino oporteat cedere. Verùm argumentum, ſi propius conſideres, inane eſt, & futile. Facilè enim concedimus, ſi quis perfectè egerit pœnitentiam de omnibus iniquitatibus ſuis, & fecerit omnia mandata Dei, eum habiturum iuſtificationem ex operibus. Nemo noſtrûm vnquã hoc negauit. Sed hoc opus, hic labor eſt, vt inuenias aliquem, qui, quum nondum ſit iuſtificatus, hoc præſtiterit. Et vbi, quæſo, nunc eſt, Pighi, tua illa interpretatio, qua ſuprà dicebas, Deum non requirere, vt omnia mandata perficiamus: ſed eum pro ſua miſericordia multa remittere. Hîc enim adduxiſti apertiſsimum contra te ipſum teſtimonium. Sed vt redeamus ad rem, Cùm homo nec præſtet, nec

Mos Athenienſium.

etiam præstare posit ea, quæ & à Propheta & à Lege proponuntur, quid supereſt, nisi vt supplex accedat ad Christum, & ab eo gratis accepta iustificatione, per fidem, agat ex gratia & spiritu iam sibi dato perfectam pœnitentiam, vt hîc haberi potest, & inchoata obedientia parere incipiat legi Dei? Tractanti mihi hoc argumentum venit in mentem veteris philosophi Antisthenis. Nam cùm iuuenis quidam gloriosus eius auditor iactaret, se habere nauim onustam optimis mercibus, cumque ea appulisset, se velle illum donare præclaro munere, atque hanc cantionem subinde occineret, & molestus esset audienti, Antisthenes eum abduxit in forum, & ex officina quadam petijt aliquot vlnas panni. Quo accepto, quum Antisthenes non soluto pretio, inciperet abire, mercator eum reuocauit: Heus, inquit, bone vir, antequam abeas, cedo pecuniam. Tum Antisthenes ostendens iuuenem, iste, inquit soluet, vbi eius nauis appulerit. Ita ego respondebo Pighio: Cùm aliquem ostenderis, qui, quum nondum sit regeneratus, suis viribus agat pœnitentiam de omnibus peccatis suis, & obseruet omnia mandata Dei, dicemus, eum iustificari ex suis operibus. Sed quando appellet hæc nauis? Desinat ergo iactare verba legis. Ea enim quæcunque sunt, siue ad promissiones, siue ad præcepta pertineant, hoc pacto interpretabimur. Sed addit, Christum etiam dixisse, Qui fecerit voluntatem patris mei, ingredietur in regnum cœlorum: non autem, inquit, Dominus dixit, Qui crediderit. Imò inquam ego, alibi dixit, & nullam mentionem fecit operis. Hæc enim, inquit, est voluntas patris mei, vt, qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam. Ne igitur posthac neget Pighius, id à Domino nusquam esse dictum. Verùm, ne quis putet, scripturas loqui pugnantia, respondeo, ista duo non pugnare, sed secum optimè conuenire. Pighius per voluntatem patris intelligit magnum cumulum bonorum operum. At Christus, hoc, inquit, est opus Dei, vt credatis. Hanc autem actionem credendi sequuntur alia multa bona opera. Non ergo pugnant secum sacræ literæ. Argumentum verò Pighij relinquitur infirmum, & inefficax. Sed Pighius, quoniam videt se premi verbo Dei, quòd ita sæpe occurrat in sacris literis, Hominem iustificari fide, Illud ait intelligendum esse de fide viua, & efficaci, quæ secum coniunctas habeat alias virtutes. Quasi verò nos de alia fide vnquam loquuti simus. Si hoc dicat ex animo, idem credit, quod nos. Seponatur ergo contentio, & composita lite omnes idem sentiamus. Sed non patitur Pighius iniri hanc concordiam. Posteà enim, quum vellet explicare, quomodo iustificemur gratis, ait hoc nihil esse aliud, quàm Deum opera fidei, spei, & charitatis velle nobis gratis imputare ad iustitiam. Quid hoc est? Iste certè mihi videtur, non sano iudicio legere scripturas: sed corrupto affectu illas pro sua libidine torquere. Vbi enim sunt opera, ibi Paulus negat esse imputationem gratuitam: ista enim duo inter se pugnare. Pighius ergo, quum ea velit coniungere, non ne videtur apertissimè pugnare cum Apostolo? Hæc Pighius: cui Smintheus noster octauus Græciæ, & primus Angliæ sapiens sese adiungit socium, vt Theseus Herculi. Re autem vera nihil adfert, quod non ex istius, & aliorum similium lacunis hauserit. Primùm ait, fidem non esse de remissione peccatorum: itaque nos ineptè fingere, ex ea haberi posse iustificationem. Fides enim, inquit, qua Christiani discernuntur à non Christianis, est in Christum Iesum. Idque etiam, quasi permagni referret, probare, voluit ex sacris literis, & ex testimonio Hieronymi. Sed respondeat iste mihi, si quid vnquam didicit Hebraicè, istius nominis, Iesu, quæ sit significatio. Certè apud omnes Hebræos ישע est seruare: itaque Iesus potest Latinè rectè reddi seruator. At si, vt facilè credo, Hebraicè nesciat, at Angelo saltem credere debuit, qui ita interpretatus est illud nomen. Vocabis, inquit, nomen eius Iesum: quia saluum faciet populum suum à peccatis eorũ. Quo modo ergo potest fides esse in Christum Iesum, nisi sit etiam de remissione peccatorum per Christum? Postea non veretur, illud etiam citare ex epistola Petri: Charitas operit multitudinem peccatorum. Ecce, inquit, hîc condonatio peccatorum adscribitur, non fidei, sed charitati. Qui velit idonea securi vti ad istos nodos dissoluendos, consideret attentè sacras literas, & diligenter videat, vnde loca illa, quæ citantur in nouo Testamento, ducãtur ex veteri. Sentẽtia ista Petri habet fermè ex 10. cap. Prouer. Ibi enim ita scribitur. Odiũ excitat cõuitia. Quẽ enim quisq; odit, eius crimina quantũ maximè potest detegit, & prędicat. Ex cõtrario aũt charitas fratris peccata tegit, atq; operit. Nam qui sese mutuò verè diligũt, solẽt se se mutuò defendere, & alter alterius vitia tegere, quãtũ sibi licere videt per conscientiã. Atq; hęc est verissima sentẽtia Solomonis. Petrus ergo, cùm vellet Christianos adhortari ad charitatẽ, prudẽter, et aptè mutuatus est hãc sententiã à Solomone. Id Smintheus cùm nec intelligat, nec cogitet, putat Petrũ hoc sensisse, remissionẽ peccatorũ obtineri per charitatẽ. Sed turpis-

turpíssimè fallitur, vt sæpe solet. Verùm istos missos faciamus: & hoc meminerimus, si quando Patres videantur, tribuere iustitiam operibus, id intelligendum esse non de iustitia illa, quæ nobis à Deo gratis imputatur per Christum, sed de illa intrinseca nobis inhærente, quam rectè viuendo perpetuò acquirimus, & confirmamus. Aut, si ea, quæ dicunt, manifestè pertineant ad iustitiam imputatam, hoc est, ad remissionem peccatorum, semper vt suprà docuimus recurrendum esse ad fundamentum ipsum bonorum operum, nimirum ad viuam fidem in Christum. Quas regulas, aliásque similes, si aduersarij nostri cogitarent, tam aperta mendacia tam impudenter, & obstinatè non defenderent. Quanquam, si de Pighio aliquid mihi pronuntiandum sit, quum eum videam nec hebetem esse, nec indoctum, non possum eum dicere, seriò, atque ex animo scripsisse de hoc negotio: sed, quum eam sibi personam imposuisset, ista pro loco, & ioco habuisse. Nunc, vt persequar porrò ordinem eum, quem instituí, veniendum est ad Patres, vt videamus quantum illi à nobis faciant. Neque certè ad eam rem opus est magno numero testimoniorum. Vt enim ad intelligendum, quo sapore sit aqua marina, opus non est, vt mare vniuersum ebibas, ita, vt intelligamus, quid Patres de hac re sentiant, non est opus vt omnia illorum dicta perlustremus. Irenæus author vetustissimus libro quarto, capite trigesimo, contra Valentinum, pauca quidem, sed tamen aliqua de hac re scribit. Atque ea de causa ego illum pauciora scripsisse arbitror, quòd ista veritas primis illis temporibus ita esset confessa, & certa, vt non vocaretur à quoquam in dubium. Ex istis tamen paucis satis intelligi potest, quid senserit: vt Protogenem aiunt, Apellem ex vnica tantùm ducta lineola agnouisse. Ait ergo Irenæus, veteres Patres, eos etiam, qui fuerunt ante legem, iustificatos fuisse ex fide. Primùm enim quum dixisset de Abrahamo, ascendit ab illo ad Lothum, ad Noe, ad Enoch. posteà addit rationem, cur istorum temporibus scripta non fuerit lex. Quoniam, inquit, iam erant iusti, quibus lex non est posita. Iusti enim habent legem scriptam in cordibus suis. Sed fortasse hoc testimonium ægrius admittes: quòd ibi Irenæus, quum loquatur de Enoch, dicat eum missum fuisse Legatum ad Angelos: quod videri potest apocryphum. Verùm id ego citatum puto, non tam ex libro aliquo apocrypho, quàm ex vetusta aliqua traditione. Multa enim quasi per manum tradita sunt veteribus, non respuenda illa quidem, præsertim si non pugnent cum sacris literis. Alioqui si ea causa reijcimus hoc testimonium, cur Iudæ etiam epistolam non repudiamus? Ille enim sententiam etiam citauit Enochi, Deum cum millibus venturum ad iudicium. Quod autem Irenæus ait Enochum functum fuisse legatione ad Angelos, id ita suspicor intelligendum, vt Angelos illos dicamus fuisse viros principes, & monarchas, aut natos ex familia Sethi. Nam ita in Genesi filij Dei dicuntur vidisse filias hominum, quòd essent pulchræ. Fortasse missus est ad illos Enoch à Deo, qui eos reprehenderet. Atque hæc ex Irenæo. Tertullianus in libello de Baptismo ait, fidem integram habere securitatem salutis. Non ergo nos soli particularem fidem inuexímus de remissione peccatorum. Neque quenquam mouere debet, quòd in illo libello defendit errores apertissimos de Baptismo, hortaturque homines, vt differant Baptismum vsque ad maturam ætatem, nec ad illum properent ante nuptias. Etsi enim ista non probemus, tamen ille interim, dum ista tractat, multa habet, quæ contemni non debent: quæ tum temporis recepta fuerunt, & confessa in Ecclesia. Ita Cyprianus quum agit de hæreticis rebaptizandis, quum redijssent ad Ecclesiam, multa interim habet vera, & grauia testimonia, quæ repudiare non possumus: quamuis in statu ipso quæstionis ab eo penitus dissentiamus. Et quis demùm erit ex omni Patrum numero, qui non alicubi sententiam aliquam defendat non probandam? quorum tamen opera vniuersa non idcirco contemni debent. Nullum enim est malum punicum ita pulchrum, quod non habeat aliquod supputre granum. Veniamus nunc ad Origenem. Is in Iobum libro primo (Si tamen illud opus est Origenis) ita scribit, Omnia, quæ faciant homines, siue in virginitate, siue in abstinentia, siue in corporis castitate, siue in carnis suæ combustione, siue in distributione bonorum suorum, ea, inquam, omnia gratis faciunt, si non ex fide ea faciant. Hoc loco quod ait, gratis, omnes, intelligunt esse frustra. Quod certè Pighius, eiusque asseclæ non admittent. Volunt enim ista præparationes quasdam esse ad iustificationem. Sed Origenem cum illis disertis verbis pugnare, ea magis ostendunt, quæ sequuntur. Sic enim scribit, Omnem sanctitatem, & iustitiam, quam facit aliquis extra fidem, eam gratis, & in perditionem suam facit. Et citat sententiam illam Pauli: Omne, quod non est ex fide, peccatum est. Hoc in loco ne Pighius quidem negare potest, Origenem stare à nobis: eumque in illam sententiam accepisse verba

Pauli, Omne, quod non est ex fide, peccatum est: quibus tamen clamat nos solere abuti. Quanquam non tantùm Origenes, sed etiam Augustinus, Basilius, alijq́ue Patres ea verba ad eundem exponunt modum, vt suprà ostendimus. Iniuria ergo, & impudenter nos accusat. Verùm si dicet, non esse tantoperè spectandum, quid Patres interpretentur, sed videndum esse, an locus in ipso contextu ita possit accipi, laudabimus consilium: Libenter enim recipimus prouocationem à Patribus ad verbum Dei. Sed meminisse debet, non esse boni viri, ea reprehendere in alijs, quę ipse faciat. Quare nos quoq; vicissim patiatur, cùm res postulabit, à Patribus prouocare ad scripturas. Quod autem ad rem ipsam attinet, dictum est à nobis aliâs, sententiam illam Pauli, vt habetur in eius epistola, ita exponendam esse, vt ex ea confici possit, opera hominum non renatorum esse peccata. Addit posteà Origenes: A quo accipiet mercedem? Ab eóne, quem non requisiuit? quem non agnouit? cui non credidit? Non accipiet, inquit, ab eo remunerationem, sed iudicium, & iram, & condemnationem. Si hæc huiusmodi operibus rependuntur, quis ea negabit esse peccata? Deinde interponit similitudinem. Quemadmodum, inquit, qui ædificat siue fundamento, ludit operam, & tantùm habet laborem, & dolorem, ita is, qui exædificare vult bona opera sine fide. Et quemadmodum credẽti omnia sunt possibilia, vt inueniat refrigerium apud eum, in quem credidit, ita non credenti nihil est possibile. Vt sine sole terra nõ effundit fructus, ita, nisi veritas Dei per fidem effulgeat in cordibus, fructus bonorum operum nõ enascitur. Ita enim, inquit, eo toto anno, quo Noe seruatus est à diluuio, cùm Sol non fulgeret, fructus in terra prouenire non potuit. Hæc Origenes illo loco, quem citauimus: ex quibus hoc possumus conficere, fidem formare, & perficere omnia bona opera, quæ sequuntur, non autem, vt isti, nescio qui, finxerunt, ab illis accipere, & mutuari formam suam. Idem Origenes in 4. caput ad Romanos sic argumentatur: Si is, qui credit, Iesum esse Christum, natus est ex Deo, & qui ex Deo natus est, non peccat, certum est, eum, qui credit in Christum Iesum, non peccare. Genus argumẽtationis est Sorites, & probat̃ à Dialecticis. Eo enim sępe vti soliti sunt Stoici. Assumpta huius argumenti negari non possunt. Sunt enim petita è sacris literis. Sed addit posteà, Quòd si peccat, eum certum est, non credere. Hoc necessariò sequitur ex superiori cõclusione. Nam, si omnis, qui credit, non peccat, certè quicunq; peccat, non credit. Rideat nunc Pighius, quod dicimus, per grauia peccata amitti fidem veram, aut ita consopiri vt suũ actum non habeat. Et exaggeret rẽ, quantũ potest, eum, qui grauiter peccet, nec Deũ esse credere, nec reliquos articulos fidei. Nobiscum idem & sentit, & scribit Origenes. Sed addit etiã, ibi indiciũ esse verę fidei, vbi non delinquitur: vt cõtra, vbi delinquitur, infidelitatis. Rursus addit in eodẽ cap. Si forte id, quod ab Apostolo dicitur, iustificari ex fide, videat̃ pugnare cum eo, quod dicitur gratis iustificari (Nam si fides offeratur prius ab homine, nõ posse eum videri iustificari gratis) cogitandũ esse fidẽ ipsam dari à Deo: idq́; probat multis testimonijs. At hoc Pighius noster nõ probat. Ridet enim nos, quoties dicimus, fidem haberi ex afflatu spiritus sancti. Ait enim mirũ esse, spiritum sanctũ velle in illis esse, & operari, qui nondũ credãt. Idem in Leuit. lib. 3. cap. 3. Siclus, inquit, sanctus fidei nostrę formã tenet. Si enim fidem obtuleris Christo, tanq́; pretiũ arieti immaculato dato in hostiã, accipies remissionẽ peccatorũ. Hîc etiã diserte habemus remissionẽ peccatorũ impetrari fide, illa, inquã, fide, quę dirigatur in Christũ, morti traditũ, & sacrificatũ pro nobis. His testimonijs, quę nobis tulit Origenes, nihil potest esse clarius. Verùm isti ita sunt obfirmati, vt ab opinione, quã semel susceperũt defendendã, nolint abduci, etiã si solẽ geras in manib. ne fortè videant̃ cuiquã suorũ malã causã defendisse. Cyprianus prẽter ea, quę suprà diximus, de cõiunctione fidei cũ bona vita, scribit etiã lib. 3. ad Quirinũ, fidẽ tantùm prodesse, & nos tantùm posse, quantũ credimus. Prior pars huius sentẽtię pertinet ad tertiũ articulũ huius quęstionis: posterior verò maximè facit, ad id, q̃d nunc habemus in manib. Mirabile certè dictu est, tantã esse vim fidei vt per eam possimus, quicquid velimus. Non tñ satis habuit Cyprianus id absolutè proponere: verùm id etiã multis varijsq́; testimonijs scripturarũ cõfirmauit. Ex Basilio aũt, & Gregorio Nazianzeno satis ea esse volo, quę suprà à me citata sunt. Chrysost. in sermone, quem inscripsit de fide, lege naturæ, & spiritu, ait, fidẽ ipsam per se posse hominẽ seruare. Et pro exemplo proponit latronẽ: quẽ ait tãtùm cõfessum esse, & credidisse. Opera verò, inquit, sola operarios sine fide seruare nõ possunt. Deinde cõfert opera sine fide facta cũ reliquijs mortuorũ. Cadauera enim, inquit, etsi pretiosis, & insignib. pannis vestiant̃, nihil tñ caloris ex illis cõtrahunt. Ita, inquit, qui fide carẽt, etsi niteant splendidis operib. tamẽ illis nihil iuuant̃. Idem in epistolã ad Romanos in illa Pauli verba, Quę verò ex fide est iustitia, vides, inquit, hoc potissimùm peculiare esse fidei, vt omnes infra nos relicta rationis querela, id, quod sur

pra

pra naturam est, inquiramus, cogitationumq; infirmitate per diuinam virtutem, & potentiam eiecta cuncta Dei promissa complectamur. Hîc videmus nos per fidem adipisci promissiones Dei: &, quanuis per eam assentiamur omnibus, quæ in sacris literis continentur, eam tamen peculiariter spectare promissiones Dei. Considerandum etiam est, quod ait, infirmitatem cogitationum nostrarum in credendo per diuinam virtutem, & potentiam deiici. Id enim valet contra eos, qui contendunt hoc fieri humanis viribus: quasi fidem habeamus ex nobis ipsis, eaq; præcedat iustificationem. Idem in 29. cap. Genes. hom. 54. Hæc inquit, vera fides est, non attendere ea, quę videnter, etiam si aduersa esse videātur promissioni, sed tantùm promittentis potentiam. Audiant hoc illi, qui volunt nos respicere, non tantùm ad potentiam, & promissa Dei, sed etiam in primis ad præparationes nostras. Et exponens illa verba in Genesi, Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam, Discamus, inquit, & nos, obsecro, à patriarcha Dei, eius dictis credere, eiusq; promissis fidere, nec que ea nostris cogitationibus indagare, sed magnam gratitudinem exhibere. Hoc enim & reddere poterit nos iustos, & efficere, vt promissa assequamur. Hîc quoque duo annotanda sunt: Alterum, nos fieri iustos ex fide: alterū, nos per eandē assequi promissiones: quæ duo aduersarij nostri constanter negant. Idem exponens verba ista Pauli ad Tim. Ex quibus est Hymenæus, & Alexander, qui naufragium fecerunt à fide, Ita, inquit, qui semel exciderit à fide, nihil habet, vbi figatur, aut quò se ipsum recipiat. Corrupto enim, & perdito capite, quis vsus esse potest reliqui corporis? Nam si fides absque operibus, mortua est, multò magis opera sunt mortua absq; fide. Hîc annotare debes argumentum esse à minori. Ait enim opera magis esse mortua sine fide, quàm est fides sine operibus. Idem in sermone de verbis Apostoli in illa verba, Habentes autem eundem spiritum fidei, Impossibile est enim, inquit impossibile profectò, si vitam habeas impuram, in fide non vacillare. Ex his videmus, quantum Chrysostomus putarit coniunctionem esse inter fidem, & opera bona. Idem exponens verba illa Apostoli, Legem ergo destruimus per fidem? Absit: imò legem constituimus. Quàm primùm, inquit, homo credit, cōfestim, inquit, iustificatus est. Voluntatē igitur legis fides firmauit, dum ipsum hoc, propter quod lex omnia fecit, perduxit ad finem. Quid ergo dicit Pighius, fidem tantùm esse fundamentū, & idcirco multùm abesse à perfectione iustificationis? Aut quid illud est, quòd post fidem ponit tot gradus, & media, quibus ad iustificationē peruenīatur. Longè enim aliter loquitur Chrysostomus, hominē statim iustificari, vbi primùm crediderit. Deinde hoc etiā tribuit fidei, eam homines iustos facere: cùm lex id præstare non potuerit, quanuis id multis modis fuisset conata. Adhæc exponens ea verba, Ignorantes Dei iustitiam, & suam volentes constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti, Hanc, inquit, Dei iustitiam, appellat iustitiam fidei, quòd omnino superna gratia donetur, non laboribus nostris. Et in illa verba, Ecce pono in Sion lapidem offensionis. Vides ergo, inquit fidem habere secum confidentiam, & securitatem. Hîc apertè fidem particularem, & certitudinem de remissione peccatorum statuit: quam aduersarij nostri tantopere insectantur. Adhæc exponens illud ex vndecimo capite, Quòd si non permanserint in incredulitate, ipsi quoque denuò inserentur, Si fides, inquit, potuit te, quum esses oleaster, inserere in bonam oleam, poterit etiam illos restituere in suam. Hîc quoque vis inserendi in Christum per iustificationem, & amputatos restituendi tribuitur fidei. Possem nunc transire ad Hieronymum, nisi quiddam esset, quod me ad Chrysostomum reuocaret. Ille enim idem scribit, Fidem solam non esse satis ad salutem: Quales etiam sententiæ passim occurrunt in Patribus: eas aduersarij nostri in nos perpetuò torquent. Quāquam, vt verè dicam, huiusmodi obiectio non est cæstus Entelli, nec tantopere formidanda. Facilè enim vno verbo occurri potest. Non enim ait, fidem non esse satis ad iustificationem, sed tantùm ad salutem. Ea enim ipsa per sese satis est ad iustificationem. Postquam autem semel sumus iustificati, non satis est ad obtinendam salutem dicere, Credo: Accedat etiam oportet sancta vita, & bona opera: per ea enim, tanquam per gradus quosdam, Deus nos perducit ad felicitatem. Atque ad hunc modum omnes Patrum sententias, quæ huc facere videantur, interpretabimur. Quòd si verba illorum, vt fit interdum, huiusmodi expositionem non patiantur, quod æquissimum est: prouocabimus ab illis negligentius scribentibus ad eosdem illos alibi sanius, & magis orthodoxè sentientes: vt mulier illa olim, quę à Philippo ebrio, prouocauit ad eundem Philippū sobrium. Hieronymus in epist. ad Gal. in illa verba, Et nos scientes, hominē non iustificari ex operib. legis, nisi per fidem Iesu Christi, ait, Omnes veteres patres iustificatos fuisse eadem fide in Christum, qua nos hodie iustificamur. Atque hanc sententiam multorum exemplorum in-

Opera mortua sine fide.

Quàm primùm homo credit, iustificatus est.

Chrysostomi antilogia.

Prouocandū ad scripturas.

Omnes patres sunt seruati per fidem.

ductione confirmat. primùm numerat Abrahamum: de illo enim Christum ita loquutũ esse, inquit, Vidit diem meum, vidit, & gauisus est. deinde Mosen: de illo enim ita haberi in epistola ad Hebræos, Eum opprobria Christi arbitratum maiores diuitias, quàm thesauros Aegypti: eumq; quum recusaret esse in aula Pharaonis, crucẽ Christi potius amplecti voluisse. Et addit, Ioannem Euangelistam cap. 12. manifestissimè docere, ea omnia, quæ Esaias commendauit literis de gloria Dei, cùm videret Dominum sedentem supra solium excelsum, & eleuatum, intelligenda esse de filio Dei. Addit præterea ex epistola ludę Dominum Iesum Christum liberasse populum Israel ex Aegypto: & deinde incredulos percussisse. Quo in loco vehementer miror, Hieronymum hominem alioqui græcæ linguæ peritissimum vertisse Dominum Iesum Christum, quum in nostro textu habeatur tantùm Dominus: nisi suspicari velimus, illum habuisse aliud exemplar, quàm quod hodie nobis est in vsu. Quod ego dico, non quòd ambigam, ea, quę tum temporis contigerunt, à Christo filio Dei fuisse facta. Ioannes enim ait, Deum nemo vidit vnquã: sed filius, qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Quare quicquid proditum est hominibus de rebus diuinis, proditum est per filium Dei: qui se verè præstitit humano generi Dei patris sui fidelem interpretem. Et Paulus 1. Corinth. 10. ait, Bibebant de spirituali consequente eos petra: petra autem erat Christus: Et, Non tentemus, inquit, Christum, quemadmodum quidam illorum tentauerunt. Idem Hieronymus in epistolam ad Galatas, dum enumerat fructus spiritus, vbi peruentum est ad fidem, ita scribit: Si charitas procul abfuerit, etiam fides pariter abscedit. Hæc satis docent, illum sensisse, veram fidem nõ posse diuidi à charitate: id quod nos quidem docemus & defendimus. Pighius autem cum suis exibilat, atq; explodit: sed grunniat ille, quantũ velis: nobis satis est, hanc doctrinam & cum scripturis, & cum Patribus conuenire. Ambrosius exponens illa verba ex epistola ad Romanos, Vnus enim Deus est, iustificans etiam circuncisionem ex fide, Quoniam, inquit, vnus Deus est, vna ratione omnes iustificauit: quandoquidem meritum, & dignitatem non facit, nisi fides. Et postea in illa verba, Ideo ex fide secundum gratiam, vt firma sit promissio omni semini, Firma, inquit, promissio esse non potest omni semini, hoc est, omni homini ex omni gente, nisi fuerit ex fide. Quoniam origo promissionis ex fide est, nõ ex lege: quia qui sub lege sunt, rei sunt: promissio autem reis dari non potest: ac per hoc purificandi sunt prius per fidem, vt digni fiant dici filij Dei, & sit firma promissio. Et ad initium quinti capitis, in hæc verba, Iustificati ex fide pacem habemus ad Deum, Pacẽ, inquit, vt habeamus cum Deo, fides facit, non lex. Hęc enim nos Deo reconciliat sublatis peccatis, quæ nos Deo fecerant inimicos. Et infrà in illa verba, Lex spiritus vitæ, Fides, inquit, est, quæ iustificat confugientes ad se: vt remittat eis, quos lex tenet reos, vt agentes sub fide liberi sint à peccato. Et libro 2. in Euangelium Lucæ ait, Petrũ non fleuisse, nisi quum Dominus ad eum respexisset. Et addit, Dominũ in eo produxisse & pœnitentiam, & vim lachrymandi. Augustinus verò, dum ista disputat, versari videtur in suis castris: vt in illo venari huius controuersiæ testimonia, sit in mari, quod dici solet, aquã quęrere. Quędam tamen ex illo quoque delibare, non erit à nostro instituto alienum. In sermone Domini in monte, de verbis Euangelij secundum Matthæũ, sermone 7. ad finem: Si de tuo opere præsumis, merces, inquit, tibi redditur, non gratia donatur. Interrogo nunc, Credis, ô peccator? Credo. Quid credis? gratis tibi peccata per ipsum posse remitti? Habes, quod credidisti. In præfatione in Psalmum 31. Nihil boni fecisti: & datur tibi remissio peccatorum. Attenduntur opera tua, & inueniuntur omnia mala. Si Deus istis operibus redderet, quod debetur, vtique damnaret. Idem de Spiritu & Lit. cap. 12. Colligimus hominem non iustificari præceptis bonæ vitæ, nisi per fidem Iesu Christi. Idem contra duas epistolas Pelagianorum, libro 3. cap. 5. Nostra, inquit, fides, hoc est, catholica fides iustos ab iniustis, non operum, sed ipsa fidei lege discernit. Et Augustinus & Alipius epist. 106. Iustitia est ex fide, qua credimus nos iustificari, hoc est, iustos fieri gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Idem contra Pelagiũ, & Cœlestium, lib. 1. cap. 10. Non satis, inquit, est cõfiteri qualemcunq; gratiam, sed illam, qua persuadeamur, qua trahamur, & qua detur ipsum bonum. Hæc illis perspicuè aduersantur, qui generalem nescio quam gratiam constituunt: & in cuiusq; manu positum esse volunt, vt eam vel admittat, vel repudiet. Ista verò gratia, qua ita persuademur, non aliud est, quàm fides. Et ea quidem ad iustificandum necessaria est: opera autem ea, quæ fiunt antequam iustificemur, nihil efficiunt. Nam idem Augustinus cõtra duas epistolas Pelagianorũ lib. 3. cap. 5. Quemadmodũ, opera, inquit, quę videntur bona, impijs vertuntur in peccatũ, &c. Et de spir. & lit. cap. 28. quemadmodũ, inquit, peccata quædã sunt venialia, sine quibus iustorum vita transigi non potest, eaq; non impediũt nos

Omnes patres sunt seruati per fidẽ in Christũ.

Quæ sunt prodita hominibus de rebus diuinis, p filium Dei prodita fuerunt. Fides charitate non auellitur.

Nota diligenter quam gratiã confiteri debeamus.

Opera, quæ uidentur bona, uertuntur in peccatum.

à salu-

ita quędam sunt bona opera, sine quibus vel pessimi cuiusq; vita difficillimè agi potest: quę tamen ad salutem nihil iuuant. Et ne putet, hanc fidem, qua iustificamur esse rem cõmunem, & vagam, addit postea capite 34. Cur huic ita suadeatur, vt persuadeatur, illi autem non ita? duo sola occurrunt, quæ mihi placeat respondere: O altitudo diuitiarum: &, Nunquid iniquitas est apud Deum? Cui ista responsio displiceat, quærat, inquit, doctiores, sed caueat præsumptores. Si aduersarijs nostris credimus, fuisset ista admodum rudis, & cæca hæsitatio. Illi enim statim vno verbo respondissent: alteri fuisse persuasum, quia voluit: alteri non fuisse, quia noluit. Augustinus autem rem altius considerans, Deum, videlicet esse, qui operetur in nobis & velle, & perficere pro sua bona voluntate, vidensque Paulum ipsum rei admiratione victũ sic exclamasse, iudicauit in ipso potius Deo totũ esse reponendũ: qui cui que distribuat quod ipsi videtur, iustè haud dubiè: etsi nos eius iustitiæ rationes non videamus. Imò eas ne perueſtigare quidem nobis tutum est: nisi velimus id nobis accidere, quod pyraustis solet: quæ quum captæ luce candelarum propius aduolitant, sæpe à flamma comburuntur. Idem Augustinus de Prędestinatione sanctorum, capite quinto, taxat Pelagium, quòd confinxisset gratiam illam communem omnibus sanctis: quam non aliam volebat esse, quàm naturam: quod idem nostri quoque hodie aduersarij faciunt, quum eam clamant quasi in medio propositam esse omnibus, & in cuiusque manu situm esse, vt eam recipiat, modò velit. Idem ad Vitalem, epistola 107. His, inquit, qui similem causam habẽt cum alijs quibus gratia datur, quibus tamen minimè datur: vt illi, quibus ea data est, intelligãt, quàm gratis sibi concessa fuerit. Et eodem loco luculenter declarat, Deum ipsum ex nolentibus facere volentes. & auferre cor lapideũ, & dare cor carneum. Hæc satis declarant, fidem esse, qua iustificamur: eamq; Deum pro sua bona voluntate distribuere. Idem de dogmatib. ecclesiasticis capite quarto, (& quidem ille liber, quocunque autore sit, Augustini nomen gerit) Vt à peccato purgemur, inquit, Deus nostram voluntatem non expectat: & capite quadragesimo quarto, Spiritus sanctus efficit, vt eligamus, cogitemus, consentiamus cuilibet bono ad salutem pertinenti. Idem libro decimo tertio, capite decimo septimo de Trinitate, Natura, inquit, humana assumpta est à verbo filio Dei citra vllum meritum, atq; eodem modo nobis quoque datur gratia Dei. Hæc collatio sumitur à maiori. Nam si homo ille, qui factus est Dei filius, citra vllum meritum id est consequutus: multò magis nos sine vllo merito vel de congruo, vel de condigno, recipimur in adoptionem. Idem ad Simplicianum libro primo, quæstione secunda, Quis, inquit, potest rectè viuere, ac iustè operari, nisi iustificatus ex fide? Quis potest credere, nisi aliqua vocatione, hoc est, aliqua rerum testificatione tangatur? Quis habet in potestate sua, vt sua mens tali visu tangatur, quo voluntas moueatur ad fidem. Idem Serm. 61. in Ioannem, Peccata, inquit, omnia infidelitatis nomine tenentur. Et addit, Fidem absque spe & charitate esse non posse: Quod etiam in Psalmo trigesimo primo disertissimè docuit. Idem libro primo, capite decimo nono, contra duas epistolas Pelagianorum, prolixè tractat quonam pacto trahamur à Deo: & inter cætera ait, Pelagianos valde debacchaturos fuisse in Christianos, si illi vocem trahendi in sacris literis non haberent. Quum autem vox ea in ipso expressa sit Euangelio, illos iam porsus non habere, quò confugiant. Infinita sunt alia loca in Augustino in hanc sentẽtiam: quæ nunc breuitatis causa relinquenda censeo. Cyrillus contra Iulianum libro primo, pagina decima quarta ait, Eandem omnino esse Abrahami fidem, & nostram. Et idem in Ioannẽ libro tertio, capite trigesimo primo, exponens illud, Hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quẽ misit ille, Fides enim, inquit, salutem adfert, & gratia iustificat: mandata verò legis contemnant potius. Opus igitur Dei fides in Christum est. In his verbis annotare debemus, fidem eam esse, qua adfertur salus: & nos per gratiam iustificari. Declarat autem idem hęc apertius in Ioannem libro 9. cap. 32. in illa verba, Et quò ego vadam scitis: & viam scitis. Iustificamur enim per fidẽ, & participes diuinæ naturæ participatione spiritus sancti efficimur. Leo in Sermone decimo tertio de Passione Domini, Sanguinem, inquit, filij Dei patres nobiscum crediderunt fundendum. Nil ergo dilectissimi, ab antiquis significationib. in christiana religione diuersum est, nec vnquam à precedentibus iustis, nisi in Domino Iesu Christo sperato saluatio est. Hoc & alia multa similia testimonia illos maximè confutant, qui dicere audent, Abrahamũ iustificatum quidem fuisse, sed nõ per fidem in Christũ, verùm per fidem de promissionibus terrenis. Cæterùm idem autor videri potest contra nos facere in eo, quod dicimus, veram fidem non inueniri sine charitate. Nam in serm. de Collect. & eleem. scribit ita de Satana: Sciens autẽ Deum nõ solùm verbis, sed etiã factis negari, multis, quibus auferre non potuit fidem, sustulit charitatem: & agro cordis illorum auaritiæ

Cur uni suadeatur, et alteri persuadeatur, quæ causæ possint reddi.

Gratiã, quã communiter omnib. proposítam Pelagiani docebãt erat natura.

Gratia datur aliquibus, & aliquibus nõ datur

Non est in potestate nostra, ut eo uisu tangamur, quo uoluntas ad fidem moueatur.

Patres iustificati sunt fide illarũ promissionum, quas nos credimus.

radicibus occupato, ſpoliauit fructu bonorum operum, quos non priuauit confeſsione labiorum. Hæc ſi preſsius conſiderentur, nihil omnino faciunt contra nos, Nos enim loquimur de vera, ſolida, & viua fide. Leo autem intelligit tantùm profeſsionem fidei aliquã externam. Nam cùm velit rationẽ reddere, qua conſtare poſsit, illis ablatam non fuiſſe fidem, proponit labiorũ tantùm confeſsionẽ: quam nos quoq; fatemur, abſq; charitate poſſe conſiſtere, & ſæpe à multis nequiſsimis hominib. iactari. Atq; ad hũc modũ exponẽda arbitror, ſi quæ huiuſmodi teſtimonia occurrant in Patribus. Gregorius epis. Romanus hom. 19. in Ezech. Non, inquit, operib. venitur ad fidẽ: ſed per fidẽ pertingitur ad virtutes. Cornelius enim Centurio non operib. venit ad fidẽ: ſed fide venit ad opera. Dicitur enim orationes, & eleemoſynæ tuæ, Quid autẽ orabat, ſi non credebat? Sed iam quod incarnatus mediator eſſet, neſciebat, per opera venit ad pleniorem cognitionẽ. Ex his velim aduerſarios noſtros intelligere, fidẽ neceſſariò præcedere omnia opera bona. Nam illi opera moralia, quę fiũt ab hominibus ethnicis, nec adhuc in Chriſtũ credentibus, contendunt eſſe bona. Id hoc loco à Gregorio refutatur. Idem in Moralib. lib. 2. ca. 25. de eadem re loquens ita ſcribit: Niſi fides prima in cordibus noſtris gignitur, reliqua quæque bona eſſe non poſſunt, etiamſi bona videantur. Beda in 2. capite Iacobi. Is tantùm verè credit, qui exercet operando, quod credit. quia fides, & charitas ab inuicem ſeparari nequeunt. Hæc ego de Patribus volo eſſe ſatis. Quod verò concilia, Aphricanũ, Mileuitanũ, & Arauſicanũ de iuſtificatione, fide, gratia, & operibus ſtatuant, antea ſatis multis docuimus in priori articulo. Nunc hoc tantũ addã, Ad aduerſarios noſtros, cùm dicant, Deum gratiã ſuam offerre omnib. & dona ſua dare hominib. ea deſiderantib. & apprehẽdentibus, & facientib. quod debent, cõdonare peccata, cùm interim omittant afflatum ſancti ſpiritus, & Dei trahentis potentiam, & animi perſuaſionem interiorem, eaq; omnia, quæ in hoc negotio ſunt potiſsima. Illis concilijs, quæ citauimus, apertiſsimè aduerſari. Neque tamen diſsimulare poſſum in concilio Magunti̇no, quod habitum eſt ſub Carolo Magno, in primo cap. citari Gregorium, qui ita ſcribat: Ille verè credidit, qui exercet operando, quod credit. Quum ergo iam videamus, quod ad hunc articulum attinet, homines iuſtificari per fidem in Chriſtum, idq; ex ſcripturis confirmauerimus, & aduerſariorum obiecta diluerimus, & Patrum teſtimonia ad noſtram ſententiam conſtituendam adduxerimus, iam ad tertium articulum accedemus. Dicimus ergo, iuſtificationẽ conſtare ſola fide. Quam ſententiam probant omnia illa loca ſcripturarũ, quæ docent, nos gratis iuſtificari: eaq;, quæ affirmant, iuſtificationem contingere ſine operibus: quæq; antitheſin ponunt inter gratiam, & opera. Hæc, inquã, omnia loca veriſsimè concludunt, nos iuſtificari ſola fide: quanuis ea vox, Sola, in ſcripturis non legatur. Sed id non eſt tanti: ſignificatio enim eius vocis ex illis neceſſariò colligitur. Deinde hoc etiam annotandum eſt, quemadmodũ iam antea docuimus, nos non conſtituere fidem eam, qua iuſtificamur, eſſe in animis noſtris atque bonis operibus: quanuis eam dicamus eſſe ſolam, quæ iuſtificationem, & remiſsionem peccatorum apprehendat. Ita oculus non poteſt eſſe ſine capite, cerebro, corde, epate, & alijs partibus corporis: & tamen colorem, & lucem ſolus oculus apprehendit. Quare qui ad hunc modum contrà nos argutantur: Fides, vti dicitis, iuſtificat: fides autem non eſt ſola: Ergo ſola fides non iuſtificat. Incidunt in fœdiſsimum paralogiſmum: vt ſi quis ita concluderet, Sola voluntas vult: voluntas autem in animo non eſt ſola: Ergo non ſola voluntas vult. Hîc vel pueri videre poſſunt fallaciam, quam appellant, Compoſitionis, & Diuiſionis. Et non turpe eſt, eam tantos Theologos non videre? Sed hîc ſe nobis Smintheus opponit, lumen, ſcilicet Theologiæ. Is iamdudum clamat vſque ad rauim, nos falsò aſſumere, loca ea ſcripturarum, quæ teſtantur, nos gratis iuſtificari, idem ſignificare, quod iuſtificari ſola fide. Gratis enim, inquit, non eſt idem, quod ſolùm. O nos hebetes Grammaticos, qui aduerbium vſitatiſsimum ſine hoc magiſtro non potuimus intelligere. Iſte tamen Ariſtarchus Grammaticus, ne ſine aliqua ratione videatur deſipere, Scriptum eſt, inquit, in Geneſi, Labanum dixiſſe Iacobo, Quoniam es mihi cognatus, nunquid ſeruies mihi gratis? Hîc, inquit, pone, Solùm, & videbis, quàm oratio abſurda futura ſit. Et in Numeris, populus ait, ſe in Aegypto comediſſe piſces gratis. Et in Pſalmo, Odio habuerunt me gratis. Hîc ait, nihil eſſe loci aduerbio, Solùm. Nos ergo temere, & infirmiſsimè cõcludere, ex eo quòd homo in ſcripturis dicitur gratis iuſtificari, eum ſtatim iuſtificari ſola fide. Sed ſcire oportuit hunc hominem tam perſpicacem, támque exercitatum in concordantijs bibliorum, Gratis, eſſe abſq; cauſa, aut ſine mercede ac pretio. Ideoq; nos rectè dicere, luſtificationẽ conſtare ſola fide, quòd conferri gratis dicatur. Nam ſi accederent opera, eſſet cauſa, aut merces, aut pretium ad iuſtitiam obtinendam. Verùm cùm, Gratis, ea omnia

Tertius articulus.

Iuſtificamur ſola fide.

De aduerbio, Gratis.

omnia excludat, ex ea voce rectè, ac verè infertur sola fides. Loca verò illa, quæ iste allegauit, non est difficile refutare. Laban enim ait, gratis seruies, hoc est, sine eo, vt ego tibi dem aliquid. Hoc autem est, solùm accipere, & nihil rependere. Et Israelitæ, quum dicerent, se pisces comedisse gratis, intelligebant, se comedisse pisces absque pretio. Et illud, Odio habuerunt me gratis, nihil est aliud, quàm sine causa, & absque vllo meo merito. Quare si vox illa, Gratis, tollit pretium, & meritum, quum Paulus ait, nos iustificari gratis, necesse est, vt id intelligamus, absque vllo nostro pretio, aut merito fieri. Quod certè verum non esset, si opera vt causæ, & merita intercederent. Et quoniam semel adduximus locum ex epistola ad Galatas, Quum autem sciremus, hominem non iustificari ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi, & ex illa particula, Nisi, concluſimus, iustificationem constare sola fide, iste pro sua sapientia tumultuatur, Nisi, non esse idem, quod solùm. Iosephus enim, inquit, in Genesi dicit fratribus suis, Non videbitis faciem meam, nisi adduxeritis fratrem vestrum minimum: & Christus, inquit, ait, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis. Quis, inquit, dicet, vitam haberi solùm per manducationem sacramenti? Hæc ergo non possunt, inquit, exponi per Solùm. Imò possunt. Nam in libro Geneseos quid aliud voluit Iosephus, quàm admonere fratres suos, illos hac solùm conditione redituros esse in conspectum suum, si minimum suum fratrem adduxissent: Christus autem in sexto capite Ioannis non egit de manducatione sacramenti: illud enim nondum instituerat. per manducare ergo intelligit credere. Et adultos in eo solùm ait habere vitam, si carnem suam edant, & bibant sanguinem: hoc est, si credant, filium Dei traditum esse pro se in remissionem peccatorum: Atque hanc solam viam esse, qua possint seruari. Sed addit Smintheus, à iustificatione excludendam non esse spem, & charitatem, & alia opera bona. Fateor equidem, ista excludenda non esse ab homine, qui iustificetur. Non tamen illis tribuo vim iustificandi. Nam quod Paulus ait, hominem nõ iustificari ex operibus, non erit verum, si aliquo genere operum iustificemur. Etenim si quis diceret, artificem aliquem non operari digitis, & postea fateretur, eum ad opus, quod faciat, adhibere digitos, esset ridiculus: quanuis conuictus vellet dicere, se minimum tantùm digitum, & annularem excepisse, non autem pollicem, indicem, aut medium. Nam qui tribus digitis vtitur, certè vtitur digitis. Sed cur ait iste, spem & charitatem non excludi? Quoniam, inquit, vos ipsi vultis nos iustificari viua fide: quæ certè istis non caret. Fatemur, istas virtutes semper esse coniunctas cum vera fide. In illis tamen non constituimus partem aliquam iustificationis nostræ coram Deo. Est in hoc argumento fallacia Accidentis. Adiunctis enim tribuitur id, quod proprium est eius, cui adiuncta sunt. Vt si quis dicat, Sol rotundus est, & sublimis: ergo rotunditas, & sublimitas Solis calefaciunt. Quæ ergo opera excludit Smintheus à iustificatione, quum includat spem, & charitatem? Arbitror equidem, opera externa, ieiunia, eleemosynas, & alia similia. Sed qua fronte hoc dicere, aut docere potest, quum statuat, & defendat opera præparatoria? Sed homo acutus putat, se pulchrè euasisse, quòd dicat ista ad iustificationem necessariò non requiri: tantùm autem, si adsint, ad iustificationẽ conducere. Verùm id ridiculum est. Suprà enim luculenter docuimus, opera omnia, quæ ante iustificationem fiant, peccata esse. Tantùm abest, vt ea facere quicquam possint ad iustificationem. Et si ea iustificationem vllo modo promouerent, non excluderetur gloriatio. Possemus enim gloriari, nos ea fecisse, quorum ope, atque adminiculo iustificaremur. Sed hoc, inquit, iactare non possumus, quòd ea facta sint, aliqua Dei gratia præueniente. Atqui hoc in primis animaduertendum est, istos bonam partem huiusmodi operum tribuere libero arbitrio. Ideoq; ex ea saltem parte possumus gloriari. Neque verum erit, quod Apostolus ait, Quid habes, quod non accepisti? Et, Quid gloriaris, quasi non acceperis? Hîc quidam istorum respondent, non posse nos de hac libertate voluntatis gloriari, quòd illam de nostro non habeamus. Deum enim esse qui nos ea facultate donauerit, liberos que fecerit, cùm crearet. Verùm hoc non est satis ad tollendam gloriationem. Primùm quòd hoc esset confugere ad communem gratiam creationis, quod fecerunt Pelagiani: atq; ita relinqueretur nobis saltẽ bonus vsus liberi arbitrij, de quo possemus gloriari. Quãuis enim habeamus id à Deo per creationẽ, tamen rectus vsus noster est: scilicet, vt assentiamur Deo vocanti, & accõmodemus nos ad bona opera, quæ à Deo proponũtur. Et idcirco ad gloriationẽ verè tollendam, necesse est, vt id assiduè habeamus in animo, quod monuit Augustinus de Spi. & Lit. ca. 24. Nõ tantũ voluntatẽ, & electionem bene agendi à Deo esse, quia per creationem dedit arbitrium, & voluntatem liberam, sed etiam quòd visorum suasionibus effecerit, vt velimus, & credamus: idque non

De aduerbio Nisi.

Pelagiani confugiebant ad communem gratiam creationis.

tantùm externa prædicatione Euangelij, sed etiam interiori suasione. Non enim tantùm incitat cor, sed etiam persuadet, trahit, flectit ad credendum. Fateor equidem, voluntatis esse, vt velit, & amplectatur id, quod Deus offert: non enim intelligentia, aut memoria volumus, sed voluntate. Idem tamen non dubito, Deum esse, qui efficit, vt velimus, & sequamur bona. Adhæc aduersarij nostri arbitrantur, etsi opera concurrant ad iustificationem, verum tamen esse, quod sacræ literæ dicunt, nos iustificari gratis. Quoniam, inquiunt, illa opera donantur à Deo, & fiunt ex gratia. Si iuuaret hoc suffugium, Paulus non rectè abstulisset operibus ceremonialibus vim iustificandi. Iudæus enim dicet, Patres nostri, qui antequitus circuncidebantur, & præstabant alias obseruationes legales, id non ex suis viribus naturalibus fecerunt, sed ex gratia Dei iuuante, atque excitante. Ideóque alia opera, quæ in lege præcipiebantur, ad iustificationem conducere potuerunt, vt eam, quemadmodum vos loquimini, mererentur de congruo, cur idem non potuerunt ceremonialia? Neq; quicquam iuuat, si dicas, Paulum ne illis quidem adimere vim iustificandi, nisi tantùm post aduentum Christi. Ille enim apertè loquitur de Abrahamo iustificato ex fide, non ex circuncisione: & vtitur testimonio Dauidis, quem satis constat vixisse sub lege. Quum autem iste dicat, charitatem, & spem non posse excludi, velim ex eo libenter scire, opera istarum virtutum sint ne iusta, nec ne. Scio, fatebitur. Quid ergo respondebit Paulo, qui ad Titum ait, Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos. Sed noui istorum commenta. Respondent, talia quoq; opera excludi, si fiant ex lege, & libero arbitrio absque gratia. Verùm quid oportet id excludere, quod esse non potest? Quis enim vel amabit Deum, vel in illum sperabit absque gratia? Deinde quocunque illa modo fiant, non possunt facere ad iustificationem: quia iustificamur ex gratia, vt ex sacris literis satis liquet. Inter gratiam autem, & opera tanta est oppositio, vt Paulus dicat, Si ex gratia, iam non est ex operibus: & si ex operibus, non est ex gratia. Neque isti ita indignè ferre debent, si nos vsurpemus vocem illam, Solùm.

Ratio efficax ad probandum, solam fidem iustificare.

Eam enim concludimus necessariò ex eo, quod Paulus ait, primùm nos iustificari ex fide: & deinde subdit, Absque operibus. Quàm id rectè concludamus, ostendam à simili. In sexto capite Deuteronom. si sequamur hebraicam veritatem, ita scribitur, Dominum Deum tuum timebis, & illi seruies. Hîc, vt vides, deest particula Solùm, tamen, quoniam sequitur, Non ibis post Deos alienos, Septuaginta interpretes ita reddiderunt eum locum, Dominum Deum tuum timebis, καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις Isti ex priori propositione affirmante, Deum colendũ, & ex altera negante, Deos adorandos esse alienos, concluserunt, seruiendũ esse soli Deo. Quorũ autoritas apud me non esset tanti ponderis, nisi Christus ipse locum illum ita citasset. Ita enim reiecit diabolum: Abi retro Satan: Scriptum est enim, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Hîc videmus, ad improbandã adorationẽ, quæ vllí creaturæ præstetur, necessariam esse particulam illam, Soli: quæ, etsi non habetur in Hebræo, inde tamen necessariò elicitur. Ad hunc modum si nos quoq; argumentamur, quid isti tantopere offenduntur? Considerent etiam, optimos, atque antiquissimos Patres ab hac voce non abhorruisse. Quibus ridiculum est videre, quàm frigidis, & miseris strophis, & argutijs Smintheus velit occurrere. Primùm ait, eos nihil aliud voluisse, quàm homines reprimere, ne insolescerent. Sed respondeat mihi Smintheus vno verbo pro sua sapientia verẽne hoc illi Patres, an falsò dixerint. Si verè, nobiscum faciunt: & quid iste seopponit? Sin falsò, nihil illos iuuat bonus finis, vt hominum insolentiam retundant. Quemadmodum enim non est faciendum malum, vt veniat bonum, ita falsum dogma non est statuendum, vt aliud dogma vitiosum euertatur. Iste autem ita planè solenniter insanit, vt hoc dicat Patribus licuisse. Nam in libello de Votis, quem ante aliquot annos publicauit, ait, Augustinum in libro de Bono viduitatis, quum scribat, matrimonia eorum, qui votum virginitatis, aut cœlibatus vouissent, veras esse nuptias, non autem adulteria, id non alio consilio scripsisse, quàm vt Iulianæ viduæ, ad quam librum scribebat, persuaderet, nuptias in genere non esse malas. Atque ita, si Dijs placet, fatetur Augustinum falsum dogma statuisse, vt aliud falsum exploderet. Et eadem prudentia in eodem illo libro fingit, Clementem Alexandrinum scripsisse, Paulum habuisse vxorem, quod ipse falsissimum arbitratur, tantùm vt probaret, nuptias esse bonas, & honorabiles. Quòd si ita licet vera cum falsis miscere, & omnia confundere, quando tandem credemus Patribus? Quid vnquam nobis erit tuti, ne ab illis decipiamur? Adhæc fingit, Paulum excluisse à iustificatione tantùm operalegalia. Sed id suprà satis copiosè confutauimus, docuimusq; rationes Pauli esse vniuersales. Imò Patres quoque hoc viderunt: nam Augustinus multis in locis affirmat, Paulum nõ tantùm de ceremonialibus operibus agere, sed etiam de moralibus. Sed quoniam

Patres usi sunt uoce, Sola.

Augu-

Auguſtini autoritas, neſcio quo modo, aduerſarijs noſtris ſuſpecta eſt, videamus, quid dicat Hieronymus. Is ad Cteſiphontem contra Pelagianos in hæc verba, Ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro, ita ſcribit: Quod de lege moſaica tantùm dictum putes, & non de omnibus mandatis, quæ vno legis nomine continentur, idem Apoſtolus dicit, Conſentio legi Dei. Alij etiam ſunt ex Patribus, qui idem docent: ſed illos nunc prætereo. Satis ſit oſtendiſſe, iſtud quoque alterum commentum Sminthei vanum, & ineptum eſſe. Tertio loco ait, Eos excludere voluiſſe opera, vt loquitur, pœnalia: ea videlicet, opinor, quæ homines pœnitentes faciunt. Sed hoc quoque oſtendere, quàm ſit ridiculum, haud longa demonſtratione opus eſt. Primùm enim eiuſmodi opera exigebantur ab hominibus, non vt per illa iuſtificarentur coram Deo, ſed tantùm vt ſeſe approbarent Eccleſiæ: videlicet, ne ficta, & ſimulata pœnitentia ambirent reconciliationem. Deinde non eſt veriſimile, Paulum de huiuſmodi operibus loquutum eſſe. Illa enim eo tempore non erant in vſu. Ambroſius quidem, quum opera excludit à iuſtificatione, ſemel atque iterum huc reſpexit. Sed morari non debemus, quid vnus, aut alter ex Patribus dixerit, ſed quid ſacris literis conueniat. Addit præterea Sminthæus, certum eſſe, Deum multò plus à nobis requirere, quàm fidem. In Marco enim ita ſcriptum eſſe, Pœnitentiam agite, & credite. Hîc, inquit, fidei adiuncta eſt pœnitentia. Et alio loco, Qui crediderit, & baptizatus fuerit. Addit in epiſtola ad Epheſios, Eccleſiam dici ſanctificari lauacro aquæ in verbo. Et Petrum primę epiſtolæ capite tertio dicere, Baptiſma nos ſeciſſe ſaluos: Hieronymum etiam ita ſcribere capite primo in Eſaiam, Lauacrum regenerationis ſolùm peccata remittit. Ecce, inquit, iuſtificatio & remiſsio peccatorum non tantùm fidei adſcribitur, ſed etiam ſacramentis. Quod ad primum attinet, fatemur, Chriſtum plus à nobis requirere, quàm fidem. Quis enim dubitet, eum velle homines iuſtificatos rectè viuere, ſeſeque per omnia virtutum genera exercere, alioqui ad æternam ſalutem non peruenturos? Atqui fructus iſti ſunt fidei, & iuſtificationis effecta, non cauſæ. De ſacramentis verò non ſemel docuimus, quemadmodum illis attribuenda ſit iuſtificatio. Ea enim ita ſe ad illam habent, vt prædicatio Euangelij, & promiſsio de Chriſto, quæ nobis offertur ad ſalutem. Sæpiſsimè verò in ſcripturis, id, quod eſt rei, adſcribitur ſacramento. Et quoniam Baptiſmus remiſsionem peccatorum promittit per Chriſtum, eámque ſignificat, & in illis, qui tinguntur, obſignat, idcirco Hieronymus ex alijs omnibus ſacramentis illi ſoli hoc attribuit. Quare nihil nos mouere debent verba Patrum, quum ita ſcribant, Solam fidem non eſſe ſatis ad ſalutem. Id enim intelligunt de æterna ſalute, ad quam non peruenietis, niſi fidem noſtram fructus aliqui conſequantur. Ex illorum autem dictis non debemus colligere, hominem non iuſtificari ſola fide. Etſi quando idem illi Patres ſua verba referre videãtur ad iuſtificationem, intelligendi ſunt ingenium veræ, & iuſtificantis fidei voluiſſe exprimere. Ea enim re vera nunquam eſt ſola: ſed ſemper habet comites ſpem, & charitatem, aliaq; opera bona. Interdum etiam illi iuſtificationem intelligunt iuſtitiam nobis inhærentem: quàm certum eſt non conſtare ſola fide. Id etiam putant contra nos facere, quod Paulus habet ad Romanos, Spe ſalui facti ſumus. Nec vident, ſalutem ibi accipi pro extrema regeneratione, quam ſperamus, nos aliquando adepturos in patria. Nam Apoſtolus paulò antè de illa loquebatur. Eam verò ſalutem dubium non eſt, nos tenere ſola ſpe, non autem adhuc re. Si quis fortè eſt, cui hæc ſolutio iuſtiſsima, & veriſsima non ſatis placeat, is requatur interpretationem Origenis. Is enim eo loco ait, ſpem poſitam eſſe pro fide: quod in ſacris literis non rarò vſu venit. Sed aliud etiam adhuc commentum inuenerunt, quo quantum poſſunt, lenire ſtudent voculam illam, Solam, toties à Patribus vſurpatam: nimirum, quòd fides ſola initium habeat, & primum quaſi gradum iuſtificationis: quæ poſtea futura ſit perfecta, & plena, cùm alia bona opera acceſſerint. Sed hoc, quàm vanum ſit, Paulus ipſe ſatis docet. Non enim ſolùm ait nos iuſtificari ſola fide, ſed etiã addit, Abſq; operibus. Deinde id quoque contra iſtos facit, quod ſcribitur capite decimo quinto Sapientiæ, Noſſe Deum eſt conſummata iuſtitia. Quo in loco operæpretium eſt videre, quomodo ſe Sminthæus noſter torqueat. Primùm ſententiam negare non audet: habet enim librum illum pro canonico: ſed, vt eſt acutus, hoc ad extremum comminiſcitur: Deum non cognoſci ſola fide, ſed etiam dilectione. Sed quis vnquam hoc dixiſſet, præter iſtum? Certè dilectione non cognoſcimus, ſed amamus. Cæterùm, quod in libro illo Sapientiæ, qui apud me tantæ autoritatis non eſt, dicitur, Chriſtus ipſe apertiſsimè teſtatus eſt in Euangelio: Hæc eſt, inquiens, vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum. Quanquam de hoc quoque dicto ſeruatoris noſtri, neſcio quid, olim confinxit Vintonienſis: nimirũ, cognoſcere Deum,

Hieronymus etiam ſenſit non tamẽ opera cere monialia exclu denda eſſe à iuſti ficatione.

Deus plus ab ho minibus, requirit quàm fidem.

Iuſtitia nobis inhærens non conſtat ſola fide.

non esse propriè vitã æternã licet ad eã nõ nihil promoueat. Sed istis hominib. cùm nec Patres, nec Paulus, nec ipse Christus satisfaciat, nihil est, quod speremus, nos nostris rationib. quicquã esse profecturos. Addunt insuper, Patres dicere, Solam fidẽ iustificare, hoc est, præcipuã eam esse, qua iustificemur. Agnosco equidẽ, Solùm, quandoq; significare præcipuũ. Sed hic sensus non potest quadrare ad institutũ Pauli. Nam si charitas conferatur cum fide, charitas erit præstãtior, & potior, vt Paulus ait. Quare si vtraq; iustificet, vt isti volunt, omni no potiores partes erunt charitatis, nõ fidei. Id etiã istis vehemẽter obstat, quod sæpe dixi, Paulũ ita iustificationẽ adscribere fidei, vt dicat, Absq; operibus. Sed Augustinus, inquiunt, ad Simplic. scribit, Nos fide incipere iustificari. Ad id bifariã possumus respondere: primũ talem esse illam inchoationẽ, quæ re vera iustificationẽ ipsam plenam, & totam habeat. Vt sensus Augustini sit, nos iustificari, cùm primũ habemus fidẽ: Aut si id non placet, dicemus id, quod res est, Augustinum sensisse de iustitia inhærente. Citant etiam Ambrosiũ in 5. cap. ad Gal. In Christo, &c. Sola enim fide, inquit, opus est in charitate ad iustificationem. Ecce, inquiunt, ad iustificationem non minus charitate opus est, quàm fide. Sed longè falluntur: His enim verbis Ambrosius nihil aliud voluit, quàm veram fidem ab inani opinione distinguere. Itaque ait, Sola fide opus esse, quæ nimirum coniuncta sit cum charitate. Sed Hieronymus in quintum caput ad Galatas ait, Solam esse charitatem, quæ cor mundum efficiat. Quid hîc aliud respondebimus, quàm hoc eius dictum, si rigidè, ac simpliciter urgeatur, falsum esse? Nam fides etiam est, quæ purificat corda, vt habetur in Actis apostolicis. Et Paulus ad Timotheum ait, Charitas de corde pura, conscientia bona, &c. Ex quibus apparet, necesse esse cor prius purum esse, quàm charitas possit accedere. Interpretabimur ergo illam sententiam ex effectu, & quod ad nostram notitiam attinet. tunc enim maximè constat, nos esse regeneratos, & mundatum habere cor, si prediti simus charitate. Ad hunc modum illud quoque suprà exposuimus, Remissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multùm. Atque eodem pacto illud quoque Augustini dictum, de Natura & Gratia, capite 38. expediri potest: Charitas, inquit, Dei, qua vna iustus est, quicunque iustus est. Sed ea etiam ratio mihi vehementer placet, vt huiusmodi Patrum dicta intelligamus de iustitia inhærente. Ea enim non vna tantùm fide constat, sed etiam omnibus virtutibus, & operibus bonis. Quoniam autem inter alias virtutes præcipua est charitas, idcirco Patres illi interdum soli iustitiam tribuunt. Et quod aduersarij nostri sibi iniustè vsurparunt, vt Solam exponerent præcipuam, id nos hîc iure optimo faciemus. Non enim hîc de iustificatione ea, quæ ex imputatione habetur, agimus, sed de ea, quæ nobis post regenerationem acquiritur. In hac itaque nostra propositione non excludimus ab homine iustificato spem, charitatem, & alia opera bona: sed hoc tantùm dicimus, illã non habere vim, aut causam, aut meritum iustificandi. Cumq; dicimus, hominẽ iustificari sola fide, nihil sanè aliud dicimus, quàm hominẽ iustificari sola Dei misericordia, & solius Christi merito: quæ nõ alio instrumẽto apprehẽdere possumus, quàm sola fide. Neq; aduersarijs nostris cedendũ est, vt ne vtamur illa voce, Sola: quantũuis clament, nasci ex ea magnam offensionẽ, & animos hominũ hac persuasione nonnihil in studio virtutũ debilitari. His enim incõmodis facilè medemur doctrina sana. Nam semper inculcamus, nõ esse eam verã iustificationẽ aut verã fidem, quæ careat fructibus bonæ vitæ. Videmus autẽ istorum vafrũ, & callidũ cõsiliũ: Nam si nos diceremus, hominẽ simpliciter iustificari fide, summota vocula illa, Sola, statim adderent de suo, Hominẽ quidẽ iustificari fide, sed non minus tamẽ eum iustificari spe, & charitate, & alijs operib. bonis. Hac eadem de causa Catholici olim noluerũt permittere Arrianis vocẽ illam, ὁμοούσιον: quòd illi statim dicturi essent, Filiũ quidem appellatione Deum esse, patri autem simílẽ, & fermè parem: non tamẽ prorsus eiusdẽ naturæ, atq; substãtiæ. Quare illi mordicus propugnare, ac retinere voluerunt, ὁμοούσιον, vt vocem aptissimã ad explicandã eius cõtrouersiæ veritatẽ: quod etiam pro suo iure facere potuerunt, maximè verò cùm viderent, eam vocem ex diuinis literis necessariò cõcludi: ex quibus etiã euidentissimè cõcluditur nostra ista vox, Sola: eaq; nobis visa est maximè idonea ad operariorũ errores refutãdos. Gardinerus etiam Episcopus Vintonienſis nostrã istã propositionẽ arbitratus est absurdã: & cõtra eam inter cætera vsus est hoc argumento: quod mihi quidẽ mirum videri solet, quãti à quibusdã Papistis eius parasitis fiat: Iustitia, inquit, à Deo nobis donata, qua iustificamur, ad omnes animi facultates, vel potius ad totũ hominẽ pertinet. Ergo non iustificamur sola fide. Ea enim est tãtùm superioris partis animi. Hîc latet, lector, ne nescias, duplex fallacia. Primùm enim facito, iustitiam illam, qua donamur, pertinere ad totum hominem, & ad omnes animi facultates. An propterea sequetur, iustitiã illam oblatam à Deo non

Solùm quãdoq; significat præcipuum.

Cur interdum charitati iustitia nostra tribuitur.

Non est desistendũ abusu illius uoculæ, Sola.

Exemplum eorum simile.

tim agit de arrogantia, & φιλαυτίᾳ, qua quisque nitebatur præire alteri. Multò rectius Origenes σωφροσύνην intelligit temperantiam: non eam, qua voluptatibus in cibo, & potu, & rebus venerijs moderamur: sed qua affectibus nostris, & cupiditatibus, & omnibus actionibus modum imponimus. Vt Paulus nihil aliud hîc docere videatur, quàm vt ne quis sibi plus sumat, quàm quantum cuiusque gradus, & conditio patiatur. Neque prætereundum est, quod Chrysostomus annotauit, etymon græcum huius nominis, σωφροσύνης, esse, quòd seruet rationem, vel potius prudentiã. Quam ἐτυμολογίαν Plato etiam sequitur in Cratylo, quasi sit σωτηρία τῆς φρονήσεως. Et certè qui laxant habenas arrogantiæ, & sublatius de se sentiunt, quàm par sit, solita prudentia destituuntur, & insaniunt: quales erant quidam Imperatores, & Monarchæ, qui se pro Dijs adorari voluerunt: qualisq; ille fuit, qui non dubitauit dicere, Et quis est Deus, vt possit vos liberare de manu mea? In illos etiam ista conueniunt, qui freti doctrina sua, Dei arcana scrutari volunt: quod multis philosophis scimus accidisse, verùm ita prorsus insanierunt, vt illis omnino opus fuerit helleboro. Id Rex Agrippa probri loco obiecit Paulo: Multæ, inquit, literæ te ad insaniam adegerunt. Et Chrysostomus, si quis ob sapientiam, & donum aliquod spiritus sancti, efferatur in tantam arrogantiam, vt deliret, & insaniat, id ait omnino carere misericordia. Nam qui nascitur, inquit, fatuus, habet excusationem: & facilè omnes illius conditionis miseret. Qui autem præterea insanit, quòd sibi videatur eximiè doctus, aut quòd sit instructus aliquo dono Dei, per ea, quæ bona sunt, se ipsum, inquit, lædit: & rebus salubribus intemperanter abutitur. σωφροσύνην verò rectè accipi pro temperantia tam latè patente, Plato docet his verbis in Timæo: τὸ πράττειν καὶ γρῶναι τάτε ἀυτοῦ καὶ ἑαυτὸν σώφρονι μόνῳ προσήκει. Facere, inquit, & nosse tum se ipsum, tum sua, soli temperanti conuenit. Paulum verò nunc inculcare σωφροσύνην, ex eo intelligere possumus quòd suprà præcepit mentis renouationem. Quare quum virtus ista prudentiam conseruet, & arrogantia, quæ illi opponitur, eam vehementer labefactet, quod etiam Græca vox ἀπόνοια, qua significatur, apertè ostendit, monemur, & hanc fugiendam esse, & illam pro viribus persequendam. Eo enim vitio peccatur non solùm in actionibus, & muneribus obeundis, sed etiam in studio cognitionis, & intelligentiæ. Permultos enim videas, qui abiecta cura sciendi res necessarias, inutiliter vagantur ἐν παρέργοις. Non ne enim se ridiculum præbuit Adrianus imperator, quùm inter graues curas Reipublicæ perquireret subtiliter à Grammaticis, quæ fuisset nutrix Euandri, quis atauus Priami, & alias eiusmodi nugas, & ineptias? Et ille philosophus nonne meritò derisus est ab ancilla sua, quum astra attentè, & solicitè considerans in foueam ante pedes positam incidisset? Hoc in πολυπραγμοσύνη persæpe accidit, vt, dum ea, quæ nihil ad nos pertinent perscrutari volumus, alia, quæ vtilia sint, & necessaria, turpiter ignoremus. Hominum intelligentia infirma est, neque multis, & varijs rebus eodem tempore considerandis potest esse satis. Atque ex eo fit, vt, vbi magna cõtentione quippiam intueri volumus, attentio ad alia inquirenda plurimùm remittatur. Iure itaque Seneca conquestus est, bonam vitæ partem nobis perire, dum nihil agimus: maiorẽ autem, dum malè agimus: multò verò maximam, dum aliena facimus, hoc est, inutilia, & πάρεργα. Aduersantur etiam huic Apostoli præcepto, qui in rebus vtilibus, & necessarijs ad salutem plus sapiunt, quàm oporteat. Videas enim quosdam, qui res Christianę fidei, studio maiori, quàm oporteat, perueſtigent. Nolunt enim illis acquiescere, quæ traduntur in sacris literis: sed verbis Dei pro temeritate humanæ rationis aut addere volunt aliquid, aut detrahere. Quis istos non dicat insanire? Parere ergo debemus huic Apostolicæ doctrinæ: nihil enim ea in omnes partes cogitari potest vtilius. Id vt nos facilius præstare possemus, Paulus subiecit modum, quem seruare debeamus in æstimandis nobis ipsis.

Etymon σωφροσύνης.

Intemperantes & superbi lædunt se ipsos.

Quid maximè cõueniat temperanti.

Arrogantia ἀπόνοια.

Senecæ grauissimum dictum.

Vt cuique Deus diuisit mensuram fidei. Hæc oratio habet ἔλλειψιν. Defectus autem ita suppleri potest: Sic audeat, neque sibi plus arroget: Quum mentio fit fidei, est metonymia. In causa enim effectum intelligimus: nimirum, dona, & facultates spirituales collatas à Deo. Neque enim quisquam plus de se debet præsumere, quàm patiatur mensura donorum Dei: quæ quoniam fide percipiuntur, idcirco Paulus appositè dixit, sapiendum esse ad mensuram fidei. Quæ autem sit ista fides, interpretum sententiæ non conueniunt. Quidam enim putant solidam fidem, qua iustificamur, hoc loco intelligi. Vt enim rectè vtamur donis Dei, id nos habere ex regeneratione, quam assequuti simus per fidem. Sed quoniam infrà illa docentur ab Apostolo, quæ maximè faciunt ad rectum vsum donorum Dei, non potest videri eam doctrinam nunc anticipasse. Deinde videmus, quantitatem, aut modum spiritualium donorum, quæ vocant

ἔλλειψις.

gratuita, non esse pro mensura fidei iustificantis. Sæpe enim videas eos, qui tenuem admodum, aut interdum etiam nullam fidem habent, quæ iustificet, mira tamen vi, & docendi, & persuadendi, & dextrè agendi esse præditos. Et in extremo illo die multi dicent, Domine, non nè in nomine tuo prophetauimus? &c. Sed illis respondebitur, Nescio vos. Et vicissim interdum videre possumus sanctissimos homines, vera fide, & ardenti charitate præditos: qui tamen dona ista gratuita vel tenuia, vel interdum omnino nulla habeant. Videtur ergo, fidem hoc loco accipi posse, pro ea fide, qua eduntur miracula. Chrysostomus etiam disputat hoc loco, quomodo fides in his verbis debeat intelligi: sed ita obscurè, vt vix postremò cognosci possit, quid velit statuere. Origenes refert, doctiores quosdam colligere ex his verbis Pauli (Ne quis sapiat vltrà, quàm oporteat) modum quendam, & mediocritatem in omnibus virtutibus esse retinendam. Nam si quis modum in ea iustitia, qua vitia puniuntur, non seruet, is è vestigio incurret in vitium. Nam si in eo genere deficiat à medio, erit remissus, & dissolutus. At si excedat modum, erit crudelis, & truculentus. Videbitur enim nimium fuisse appetens vltionis. In libertate etiam Christiana, qui egreditur modum, temerarius est, & præceps, qui ea non audet vti, timidus. Ita in prudentia qui modo destituitur, fatuus est: qui superat modum, astutus, vafer, malitiosus. Ita serpens in paradiso dicitur fuisse prudentior omnibus animantibus. De castitate etiam ait, illos plus sapere, quàm oporteat, qui acquiescant doctrinis dæmoniorum, et prohibeant matrimonium, & interdicant cibos creatos à Deo. Hunc locum oportuit superstitiosa Papæ mancipia expendere. Illæ enim furiæ contendunt, & clamant, rectè fieri, ne quis in cœtum ministrorum cooptetur, nisi à quo extortum sit votum cælibatus. Præterea in hac virtute illi etiam discedunt à medio, qui per libidines, & adulteria, impudenter carni laxant habenas. Imò, inquit, inueniuntur, qui de ipso Christo sapiant plus quàm oporteat: quales sunt, qui putant, eum nõ esse filiũ eius Dei, qui fabricatus est mundum: quasi verò studeant præstantiorem illi patrem inuenire. Nec minus peccant, qui putant, illum non assumpsisse corpus humanum ex Beata virgine: sed eum fingũt cœleste corpus secum de cœlo detulisse. Hęc Origenes attulit pro mediocritate laudabili in omnibus rebus conseruanda: idq; ex illorum sentẽtia, quos ille eruditos, & doctos appellauit. Adhæc dissimulandum non est, eos non sapere, vt oportet, qui prætextu modestiæ gradum, & locum sublimiorem in Ecclesia fugiant, quòd dicant, se dona, & facultates non habere, quibus huiusmodi administrationi possint esse pares. Cùm tamen interea vel pericula fugiant, & molestias, quæ subeunda erant pro Ecclesia, vel suis commodis, & delicijs, atque otio consulant. Ita olim permulti fecerunt monachi, qui vt solebant dicere, deserto mundo, refugerunt ea munera, quibus potuissent iuuare Ecclesiam. Hoc autem nihil aliud est, quàm ὑπερφρονεῖν, hoc est, nimium solicitum, atque anxium esse de successu. At non possumus, inquiunt, non habemus eas vires, & facultates: & tempora sunt perturbata. Probi quidem animi, & ingenui est, fateor, ista de se testari. Tamen qui ita se excusant, quum vrgeat necessitas Ecclesiæ, & vocatio non patiatur tergiuersationem, non possunt effugere, quin dicantur sapere plusquàm oporteat. Cùm autem addit Paulus,

Seruanda mediocritas inter extrema.

Contra cœlibatũ superstitiosum.

Vocatio ecclesiastica non est fugienda.

Sicut Deus diuisit unicuiq; mensuram fidei. Et consolatur eos, si qui erant, qui dolebant, sibi minus fuisse donatum, minuitq; illorum arrogantiam, qui propter ampliora dona insolentius efferebantur. Priores enim, cùm scirent, œconomum, & dispensatorem esse Deum, debuerunt illius ordini, & arbitrio libenter acquiescere: nisi vellent nimium sapere, & ipsi Deo præscribere. Superbos autem, & arrogantes meminisse oportebat, ea, quorũ causa de se ita magnificè sentiebant, sibi non ex seipsis, sed à Deo contigisse. Quod etiam Paulus alibi docet ad Corinthios. Quid habes, inquit, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?

Quemadmodum enim in uno corpore multa membra habemus. Proximum præceptum à simili probat: scilicet, cùm varia sint dona in Ecclesia, quenq; suis debere esse contentum, non autem in aliena inuadere. Sic enim, inquit, vsu venit in corpore: in quo sunt variæ partes, & multa membra diuersis facultatibus, & viribus prædita. Cùm autem illa pro sua ratione officiũ suũ faciant, in Ecclesia quoq;, quę Christi corpus est, conuenit, vt singula membra se ita gerant. Hoc simile apud Apostolum est valdè familiare. Vsus enim est eo non hoc solum loco, sed etiam ad Corinthios, & ad Ephesios, idq; non semel. Neq; id sanè mirum. Quanta enim sit huius similitudinis efficacia, vel ex ea historia possumus intelligere, quam T. Liuius scripsit de Menenio Agrippa. Cùm enim plebs à patrib. secessisset, is eam hac parabola reuocauit. In hac autem collatione hæc maximè attendenda sunt. Primùm, in Ecclesia non omnib. cõcedi

cedi eadem munera: quemadmodum in corpore non omnibus membris dantur eędem vires. Deinde inuadendam non esse alterius prouinciam. Nullum enim corporis membrum sibi alterius membri munus arrogat. Postremò quicquid agunt corporis membra, id conferunt in communem vtilitatem omnium partium. Hæc omnia si obseruarētur in Ecclesia, ea citra controuersiam esset incolumia: & frustrà homines conquererentur, dissolutionē Ecclesię ex eo prouenire, quòd Papę authoritas, vel potius tyrannis explosa sit: quasi ea vna homines possint in officio contineri. Quòd autem Paulus vocat Ecclesiam corpus, id à cōmuni hominum sermone non abhorret. Solemus enim cœtus & conuentus multorum appellare corpora. Inde est ille titulus in ff. de Corporibus, & collegijs inutilibus. Et Paulus ad Corinthios appellat cœtum piorum vnum panem, & vnum corpus. Habemus, inquit, dona iuxta gratiam differentia. Gratiam, inquit, datam: nimirum à Deo: quem anteà dixit distribuere cuique mensuram fidei. Ex hac phrasi rectissimè possumus concludere, spiritum sanctum esse Deum. Nam Paulus ad Corinth. scribit disertis verbis, spiritum sanctum ista diuidere cuique, prout vult. Quum ergo in præsentia hæc distributio ascribatur Deo, euidentissimè ex eo sequitur, spiritum sanctum esse Deum. Hæc dona ita differentia sunt gradus, & limites, intra quos necesse est, vt quisque se ipsum contineat: ne plus sapiat, quàm oporteat. Atqui id sanè est perdifficile. Ardua enim res est exuere veterem hominem, omnibus iam partibus ita vitiatum. Iuxta eum enim quisque ambitiosè cupit alijs & gradu, & honore, & dignitate præcurrere. Ista dona, de quibus hîc agitur, non pertinent ad miracula: vt dona linguarum, & ea, quæ recensetur alibi: sed ad ministeria, & functiones, quæ hodie quoque in Ecclesia debent conseruari.

Corpora sūt cœtus et conuentus hominum.

Spiritus sanctus est Deus.

Dona quæ hîc recensentur nō sūt miraculorum.

Siue prophetiam, iuxta proportionem fidei. Prophetia hîc sumitur à quibusdam pro faculate, qua multi in Ecclesia futura diuinitus prædicebant. Nec certè negari potest, primis illis temporibus talia dona in Ecclesia viguisse. Agabus enim prædixit, quid mali Paulo euenturum esset, si ascendisset Hierosolymam. Et filiæ Philippi dicuntur fuisse Prophetides. Petro quoque præmonstratus est aduentus nuntiorum, quos ad eum Cornelius Centurio miserat. Et spiritus Dei iussit sibi Paulum, & Barnabam separari. Et in libro Apocalypseos ea, quę euentura erant, indicata sunt Ioanni. In multis ergo tum temporis huiusmodi dona erant conspicua. Nos tamen illam significationem hoc loco non sequimur. Paulus enim hîc vim illam edendi miracula non enumerat: sed munera ea tantùm describit, quæ omni tempore sint in Ecclesia necessaria. Quare, quæ prophetia in epistola priori ad Corinthios cap. 14. explicata est, cùm Paulus diceret, Qui prophetat, loquitur ædificationem, exhortationem, & consolationem: Et rursus, potestis singillatim omnes prophetare, vt omnes discant, & omnes consolationem accipiant, eam hoc etiam loco significari arbitror. Obseruandum autem est, duo ab initio ab Apostolo munera proponi generaliter: quæ posteà in suas partes, vt videbimus, diuidentur. Sunt autem duo, quia homo constat ex corpore, atque animo. Et Deus, cùm totum hominem velit esse saluum, in Ecclesia instituit ministeria, & quę ad animum, & quæ ad corpus pertinerent. Prophetia complectitur dona, quæ spectant ad doctrinam, & & exhortationem. Διακονία verò ea continet, quę conducunt ad corpus vel à paupertate, vel à morbis releuandum, quæq; à prauis, & indecentibus actionibus coercent. De priori ait, siue prophetiam iuxta ἀναλογίαν fidei. Hoc loco multi arbitrantur per fidem intelligenda esse summa capita, & ἀξιώματα religionis, vt quæ habemus in symbolis comprehensa. Atque ita sensus erit, eos, qui docent, aut exhortantur, aut consolantur populum Dei, id inprimis cauere oportere, ne quid dicant, quod summæ vniuersæ, & capitibus orthodoxæ fidei aduersetur: quæ eos, qui sint in eiusmodi functionibus positi, semper ante oculos habere cōuenit, ne ab illis forte deflectant. Alij per fidem intelligunt radicem huiusmodi donorum. Et Origenes putat, hanc particulam in omnibus illis repetendā esse, quæ postea recensentur: scilicet, vt ministerium, & doctrina exercenda sint pro mensura, & portione illius fidei: vt, quasi ἀπὸ τοῦ κοινοῦ omnia illa membra, quæ videntur habere ἔκλειψιν, ab ista particula compleantur. Ego verò existimo, locum simplicius esse exponendum: vt fides hîc significet eam notitiam cuius Deus illos participes facit, quos in huiusmodi muneribus collocauit: vt, qui docet, qui exhortatur, qui cōsolatur, ne proferat quicquam ad populū, nisi quod Deus suggesserit, suo videlicet afflatu, & reuelatione: ne ausint dicere, vel quę nō intelligūt, vel quę ipsi inuenerint. Hoc si maiores nostri obseruassent, non tot haberemus nunc in Ecclesia hominum figmenta, non tot abusus, non tot superstitiones. Nam cùm quisq; auderet loqui, & docere populum, quicquid venisset in buccam, istæ pestes creuerunt absq; modo. Adhęc scire debemus, Origenē, & Chrysostomū, ex eo, q̄d Apostolus ait, iuxta proportionē fidei, arripere ansam

Cuius prophetiæ hîc mentio fiat.

existimandi, situm esse in manu cuiusq;, vt hæc dona pro arbitrio suo impetret. Deus enim, inquiunt, hæc infundit, prout à nobis suppeditatur vas fidei. Quasi verò dictum non fuerit anteà, Deum diuidere cuiq; mensuram fidei. Sed inquiũt, illam Deus diuidit, prout nos ipsi volumus. Minimè. Paulus enim ad Corinthios de his gratuitis donis ita scribit: Hæc omnia operatur vnus atq; idem spiritus, diuidens omnibus prout vult. Sed dices: Facit ille quidẽ, vt vult: verùm voluit suam voluntatẽ ad nostrã dispositionẽ accõmodare: ideoq; nõ dat, nisi quantum ipsi volumus. Hæc qui dicit, non cogitat historiã primitiuę Ecclesię. Apparet enim fuisse multos apud Corinthios, qui voluissent quidẽ loqui linguis, vt alios videbant loqui: non tamen id potuerunt assequi. Hodie quoq; multi sunt, qui vellent habere donũ docendi appositè, & exhortandi cum fructu: non tamẽ idcirco eo dono sunt instructi. Et rationabiles causæ sunt, cur Deus ea interdũ dona dare nolit. Fortasse enim cederẽt accipientibus in exitiũ: vel quia inflarentur, vel quia alioqui Dei munere abuterentur. Apertè monet nos scriptura, nos ignorare, quid oremus, quemadmodũ oporteat. Ideoq; Deus nõ repellit preces suorũ, quãuis sępe nõ det ea, quę singulariter ab illis petunt. Deinde Paulus ad Eph. diserte monet, Deũ posuisse in Ecclesia alios Apostolos, alios Prophetas, alios Euãgelistas. Quòd si Deus est, qui facit rationem huius distributionis donorum, ea nõ à nostra præparatione, sed ab eius volũtate pendẽt. Sed dicet aliquis, si hoc situ nõ est in arbitrio nostro, quid oportuit Paulũ ad Corint. dicere, Aemulemini charismata meliora, magis aũt, vt prophetetis. Respondeo, taxari ibi ab Apostolo admirationẽ pręposterã Corinthiorũ. In primis enim suspiciebant donũ linguarũ, cùm prophetia esset multò prestantior. Et si quis vtranq; facultatẽ, scilicet, loquendi linguis, & prophetandi habuisset (quod multis contigit, Paulus enim ipse & loquebatur linguis, & prophetabat) tñ monet, vt magis studeat exequi donũ prophetiæ, quàm linguarũ. Et si quis velit petere à Deo donũ aliquod huius generis. Paulus ostendit, quodnam donũ magis conducat ad ędificationẽ Ecclesię. Non tamẽ propterea affirmat, in manu cuiusq; esse positũ, vt habeat, q̃d velit. Tãtùm enim ostẽdit, quid sit magis exepetẽdũ. Origenes taxat Latinã versionẽ, quę ita legit iuxta rationẽ fidei. Nam, ἀναλογίαν, putat esse mensurã competẽtẽ. Verùm sint ne illa verba Origenis, an potius iniecta ab interprete, nõ nihil dubito. Mihi enim non fit verisimile, Origenẽ in suis interpretationib voluisse consulere Latinos codices. Deinde non video q̃i iustè in hac re versio nostra taxetur. Nam ἀναλογίαν rectissimè reddi potest, ratio. Nunc supereſt, vt doceã, quare dixerim prophetiã hîc proponi, vt generale munus, quod posteà distinguatur in doctrinã, & adhortationẽ. Id probo ex verbis Apostoli, quæ antè à me adducta sunt ex cap. 14. ad Corinth. Qui prophetat, loquitur ædificationem, exhortationem, & consolationem omnibus. His verbis Paulus apertissimè docet ad quas partes munus prophetiæ in Ecclesia pertineat.

Dona gratuita non distribuũtur à deo pro uoluntate accipientiũ.

Dona illa nõ pẽdẽt à nostra præparatione sed à uoluntate dei.

Siue ministerium in ministerio. Defectus huius loquutionis ita debet expleri: siue habeat ministerium, sit, & versetur in ministerio, & totus in illud incumbat: nisi fortè quis malit cum Origene repetere particulã illam superiorẽ: videlicet, iuxta proportionẽ fidei exerceat se in ministerio. Quòd ad sensum attinet, Paulus indicat his verbis, Deum nolle, quenquã in sua vocatione esse otiosum. Vt enim dixit Alexander Mammææ, nihil est Reipublicæ pernicio sius, quàm res agi per vicarios. Quemq; oportet, ipsum in sua vocatiõe laborare. Sed, prô dolor, inualiti sunt hodie ministri in Ecclesia, qui iactent, se non astringi ad concionandum, ad pascendum gregem, ad oues Christi gubernandas: cùm tamen interea ab ouibus suis non mediocres prouentus capiant.

Nemo in sua uocatione debet esse otiosus.

Qui docet, in doctrina. Huius præcepti Apostoli dederunt pulcherrimum exemplũ, cùm dicerent, Non est æquum, nos relinquere verbũ Dei, & ministrare mensis. Cùm enim ad docendum orbem terrarum à Domino essent instituti, voluerunt esse in doctrina.

Qui exhortatur in exhortatione. Hæc duo admodum sunt inter se affinia, Docere, & exhortari. Et aliquando vtrunq; eidem homini conceditur. Nonnunquã tamẽ, & magna ex parte diuidũtur. Videas enim quosdã appositè docere, & res subtilissimas dilucidè tradere, & abstrusas perspicuè explicare: qui tñ ijdẽ in exhortationib. mirè frigeãt. Alij sunt, quorũ est mira dexteritas, et efficacia in exhortationib. qui tamẽ minimè omniũ apti sint ad docendũ. Ex verbis Apostoli ad Corinth. paulò antè adductis videmus vt prophetiæ munera distincta sint, primo loco habemus, Loquitur ædificationem: quod pertinet ad doctrinam: secundo, exhortationẽ, scilicet, qua homines incitant ad bona facienda, & ad mala fugienda: tertio loco additur consolatio. Sæpe enim fit, vt aliqui franganr rebus aduersis, qui ea causa videri possint aut desperaturi, aut à veritate defecturi. Quare necesse est, vt illis cõsolatione subueniat. Hanc partẽ Paulus hîc non persequit: opinor, quòd eam sub exhortatione cõprehẽdat.

Docere et exhortari distinguũtur

Tria munera pphetiæ distinguuntur.

Quàm

Quàm autem frequenti in vsu antiquitus in Ecclesia fuerint doctrinæ, & exhortationes publicæ, ex illo capite 14. ad Corinthios potest colligi. Imò ne Iudæorum quidem in synagogis hæc vnquam intermittebantur, quoties haberetur sacer cœtus. Quod ex eo probari potest, quòd Christo, cùm assedisset in synagoga, missus est liber, vt aliquid exponeret ad populum: Cumq; Paulus, & Barnabas venissent Antiochiam Pisidiæ, vt habetur cap. 13. Actorum, & ad synagogam cum cæteris Iudæis accessissent, Archisynagogus dixit illis, Si habetis verbum consolationis ad populum, dicite.

In synagogis itẽ Iudæorũ hæ partes prophetiæ locum habebant.

Qui impertit in simplicitate. Hîc attingitur munus Diaconorum, vt erant illo tempore, & nostro etiam esse deberent. Illorũ fuit eleemosynas, & oblationes fideliũ distribuere pauperibus. Suum, inquit, officium præstent cum simplicitate: nihil per fraudem, aut malas artes interuertant. Malitiosi enim homines, & fraudulenti, cùm publicas pecunias tractant, nihil faciunt simpliciter, sed miris vtuntur dolis & versutijs. Hæc Paulus ab hoc ministerij genere vult esse remota. Alij putant, dandum simpliciter, hoc est, cum nullo respectu ad laudem humanam, quã nonnulli captant, cùm alienas eleemosynas elargiuntur. Sed prior interpretatio mihi videtur magis commoda.

Diaconorum munus.

Qui præest in solicitudine. Etsi non dubito, multas fuisse in Ecclesia præfecturas, tamen, vt verum fatear, hoc mihi videtur appositissimè intelligendum esse de presbyteris: non quidem de illis, qui præerant verbo, & doctrinæ, sed de illis, qui pastoribus dabantur adiutores. Illi, vt prudentiores, & maiori zelo, & pietate præditi eligebantur ex Laicis. Munus illorum erat, curare maximè disciplinam, videre, quid quisque ageret, & in vnaquaque domo, ac familia, quo cuique auxilio opus esset, quod vel ad animum spectaret, vel ad corpus. Habuit enim Ecclesia suos seniores, vel, vt ita dicam, suum senatum, qui de rebus vtilibus pro tempore consultarent. Paulus hoc genus ministerij describit non solùm hoc loco, sed etiam ad Timotheum priori: Ita enim scribit: Presbyteri duplici honore digni sunt, maximè qui laborant in verbo, & doctrina. Quibus verbis significare videtur, alios esse presbyteros, qui doceant, & proponant verbum Dei: alios autem esse, qui cùm hoc non faciant, tamen vt presbyteri, seu seniores in Ecclesia præsideant. Hoc non tacuit Ambrosius cùm eum locum exponeret. Imò quæritur, vel superbia, vel ignauia sacerdotum illos iam tum penè defecisse. Dum enim illi, qui præsunt Ecclesiæ, omnia volunt ad se pertrahere, diligenter cauent, quantũ possunt, ne in illo ordine collegas aliquos adiunctos habeant. Vult igitur Paulus, vt, qui sic præsunt, adhibeant studium, & explodant socordiam, atque ignauiam.

Presbyterorum munus.

Duplex genus presbyterorum.

Qui miseretur, in hilaritate. Hoc munus videtur fuisse viduarum, & hominum senum: qui ab Ecclesia in illum vsum alebantur, vt peregrinorum, & ægrotantium curam gererent. Istis non immeritò hilaritatem præcipit. Multùm enim releuantur homines infirmi, & afflicti, si videant hilariter suis necessitatibus inseruiri. Nam qui tristi, & contracta fronte hæc præstant, mœrorem videntur addere mœrentibus. Ex eo enim illi suspicantur, se graues & molestos esse fratribus suis. Vnde sæpe eò adiguntur, vt mortem illa vita potiorem ducant.

Hæc Paulus de publicis Ecclesiæ ministerijs: quæ non immeritò appellat χαρίσματα. Nam hæc omnia, etsi humana arte, & industria videantur posse comparari, tamen nostro studio nihil vnquam in eo genere efficiemus, nisi affletur diuina gratia: qua, quæ facimus, efficiuntur vtilia, & efficacia. Nam qui in his officijs versantur sine auxilio numinis, laudem quidem ab hominibus, & applausum popularem reportare possunt: sed salutem animorum, & Ecclesiæ commoda promouere non possunt. Et, quod ad hanc rem attinet, sæpe illi numen habent fauens, & secundum, qui tamen ei sincera voluntate non obsequuntur. Vehementer autem dolendum est, hanc Ecclesiæ politiam ita miserè intercidisse, vt hodie harũ functionum ne nomina quidem vsquam extent. Substituerunt his Ceroferarios, &, nescio quos, Acoluthos, & Subdiaconos, qui leuibus, & ludicris actionibus, ad superstitiosum illud suum altare deseruiant.

Cur ista ministeria dicantur charismata.

Politia ecclesiæ ferè interciditur.

Dilectio sine simulatione. Homines satis sua sponte procliues sunt ad hypocrisin. Idcircò Paulus illam excludit nominatim. Deus enim, vt Ioannes ait, non vult, vt diligamus verbis, & lingua: sed opere, ac veritate. Et Paulus ad Timoth. scribit, charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Origenes ait, Qui diligit Deum, & ea, quæ Deus vult, ille habet dilectionem absque simulatione. Qui verò, vel Deum ipsum, vel ea, quæ Deus vult, non amat, non diligit, sed simulat, & tantùm prætexit dilectionem. Vt si quis videat proximum suum lapsum in aliquod graue crimen, & eum non moneat, aut corripiat, eius charitas fucata est. Non enim ea vult erga proximum suum, quæ Deus vult. Gratior ei est proximi gratia, quàm voluntas Dei.

Bonum duo significat.

Odio habentes malum: adhærentes bono. Bonum, & Malum hoc loco significare possunt vtile, & inutile. Atque ita hic erit sensus. Is proximum diligit sine hypocrisi, qui odio prosequitur omnia, quæcunque videt illi fore damnosa, & noxia: ea autem, quæ illi prodesse, & vllo modo commodare possunt, & vehementer cupit, &, quantum potest, promouet. Potest etiam fieri, vt Bonum, & Malum significent honestum, & turpe. Atque ita, qui verè diligunt, abhorrent ab operibus sceleratis, & turpibus: & quàm maximè possunt adiungunt se ad sancta, & honesta. Quod ideo dicitur, quòd quidam sint adeo stulti, vt arbitrentur se diligere proximos, quum illis ad libidines, & rapinas consentiant. Non est autem hæc ea dilectio, quam Apostolus describit, quum dicit, Oportere nos abhorrere à prauitate, honestum autem, & iustum pro viribus amplecti. Chrysostomus annotauit, ἀποσυγοῦντες, dici cum ἐπιτάσει. Ait enim, ἀπό, Paulo significare contentionem, vt octauo capite ad Romanos, ἀποκαραδοκία non vulgarem aliquam, sed maximam indicat solicitudinem, & anxietatem. Et ἀπεκδέχεται plus est, quàm expectare: Est enim vehementer expectare. Et ἀπολύτρωσις est redemptio, non quæcunque, sed absoluta. Prætereà vidimus, Odij affectum non frustrà inditum esse animis nostris: sed vt illud exerceamus in vitia. Itaque Stoici affectus iniuria exagitarunt: Sunt enim materia virtutum. Et vt in Lyra, quum ad ligna, ossa, & neruos, accesserit numerus, ratio, & modus, editur pulcherrimus concentus: ita quum ad istos affectus accesserit gratia, & spiritus Dei, illustres, & præclaræ virtutes progenerantur. Sed nos in culpa sumus, qui istis Dei donis abutimur, eáque odio prosequimur, quæ & honesta sunt, & Deo placent: è diuerso autem quæ turpia sunt, quæque illi displicent, complectimur. Adeo autem sæpe peruersum est iudicium nostrum, vt bonum malum dicamus, & malum bonum. Quanquam rerum ipsarum natura ex nostro iudicio non mutatur. Quæ enim turpia sunt, semper sunt turpia, etsi nos de illis aliter iudicemus. Vnde sapienter ille respondit, Αισχρὸν τόγε αἰσχρόν, κἂν δοκῇ, κἂν μὴ δοκῇ. Et obseruandum est, quòd, quemadmodum Apostolus iubet nos esse ἀποσυγοῦντας, quæ vox, vti declarauimus, significat horrorem cum vehementia, ita nos iubet, non simpliciter, & absolutè adhærere bono, sed adiecit participium κολλώμενοι, quod significat non leuiter, sed glutino quodam firmo, & tenaci simul coniungi.

Odij affectus nõ frustrà nobis inditus.

Affectus à Stoicis non iustè repudiatur.

Iudicio nostro res non mutatur

Fraterna charitate proposti ad uos mutuo diligendos. Græcè est, τῇ φιλαδελφίᾳ εἰς ἀλλήλους φιλόστοργοι: quibus verbis declaratur, cuiusmodi affectus sit charitas, nimirum, fraternus. Et dicitur στοργὴ: quæ vox significat affectum non profectum ex electione, quales sunt amicitiæ, quæ ineuntur: sed natura insitum, atque idcirco ita coniunctum animis nostris, vt nunquam propè excuti possit funditus. Porrò autem, quoniam naturales istæ affectiones varias habent formas, nam vel inter parentes, & liberos reperiuntur, vel inter virum, & vxorem, vel inter fratres, illam speciem Apostolus exprimit, quæ maximè conueniret cum proposita exhortatione, videlicet, vt intelligamus charitatem nostram erga alios oportere esse fraternam: quæ ideo videri potest vehementior, quàm sunt vulgares amicitiæ, quoniam istæ soluuntur ab honestis viris, quum sentiunt, amicos suos desciuisse à iustitia, & homines prauos, & corruptos euasisse. At parentes, fratres, liberos, dolemus quidem, si eos aliter se gerere videamus, quàm velimus: non tamen propterea extinguitur animi nostri propensio erga illos. Deinde in istis necessitudinibus non expectamus, vt in amando mutuis beneficijs afficiamur. Vltrò enim & filios, & fratres diligimus, etsi illi nos sibi nullo suo beneficio obstrinxerint. Quoniam autem hæc in charitate Christiana retineri debent, idcirco illam Paulus στοργὴν appellat, etsi non à natura, sed à Dei spiritu, & gratia profecta sit. Quantum autem ad excitandum amorem inter homines Christianos valeat ratio fraternitatis, docemur exemplo Mosis. Is enim postridie eius diei, quo Aegyptium occiderat, quum diuerteret ad Hebræos, & videret Hebræum quendam alteri Hebræo facientem iniuriam, vt Diuus Stephanus recitat, ait illis, Fratres estis: Cur vos ita mutuò afficitis iniurijs? Vim huius affectus declarauit etiam Iosephus. Is enim fratres suos, à quibus fuerat diuenditus in seruitutem, quum eos vellet sibi ex insperato reconciliare, Ego, inquit, sum Ioseph frater vester. Eóque dicto lachrymas cohibere non potuit. Tanta est apud pios vis huius necessitudinis. Nec iniuria fraternus dicitur Christianorum mutuus inter ipsos amor. Christus enim discipulos suos fratres appellauit: idque eo maxime tempore, quum post resurrectionem esset iam immortalitate donatus. Aristoteles in nono Ethicorum, quum agit de Amicitia, In fratribus, inquit, idem distributum est per diuersos: atque idcirco, quum in eadem re inter se communicent, iure inter se amant. Illud idem

Quid στοργή.

Necessitudo fraterna est efficacissima.

Vnde fraternus amor oriatur.

idem, in quo fratres communicant, intelligit substantiam patris, & matris, quæ illis impertita est. Ita se habent inter se fideles. Nam, vt Petrus ait, participes effecti sunt diuinæ naturæ. Quare amare se debent, vt fratres. Quod nisi præstent, meritò dici debent ἄσοργοι. Quod vitium, vt grauissimum, Paulus in primo capite huius epistolæ attribuit illis, qui defecerant à vero cultu Dei: & propterea ab eo in reprobam mentem fuerant traditi.

Honore inuicem alter alterum præuenientes. Hoc genuinum est effectum amoris fraterni, vt, quos diligimus, eos honore afficere satagamus: atque hoc quum facimus, quos honoramus, allicimus ad nos redamandos: vt contrà, dum fratres contemnimus, neruos dilectionis conuellimus, & fratres ad odium, & inimicitias erga nos prouocamus. Quid enim aliud est ira, quàm cupiditas vltionis orta propter contemptum? Honor hîc accipitur non tantùm pro externa quadam reuerentia, qua veneramur proximi dignitatem, sed etiam pro externo auxilio, & sustentatione, & ope, qua iuuamus eos, qui opus habent. Ita Paulus monet Timotheum, vt viduas honoret. Et Christus arguit pharisæos, quòd contemnerent præceptum Dei, qui iusserat parentes honorari, quum suaderent filijs, vt ea offerrent in templo, quæ in alimoniam parentum erant potius conferenda. Quantum autem ad odium, & inimicitias excitandas valeat neglectio auxilij huius generis erga fratres, ex Actis Apostolicis colligi potest. Statim enim in primitiua Ecclesia murmur ortum est, quòd viduæ Græcorum in quotidiano ministerio contemnerentur. Huc Christus hortabatur suos, quum diceret, ne primos locos in synagogis occuparent, vtque inuitati ad conuiuia vltimo loco assiderent. Vox ea προηγούμενοι, quæ est in contextu, duplicem sensum habere potest, propter variam significationem verbi ἡγεῖσθαι. Quandoque enim accipitur pro Existimo, aut Reputo: atque ita hæc erit sententia: putate inuicem, alios præ vobis ipsis digniores esse honore. Vt ad Philippenses scribitur capite secundo, τῇ ταπεινοφροσύνῃ ἀλλήλους ἡγούμενοι ὑπερέχοντας ἑαυτῶν. Interdum autem ἡγοῦμαι nihil aliud est, quàm ducem agere, & præire. Atque ita sensus erit, Anticipet quisque vestrûm honore afficere alterum, neque sinat anteuerti.

Effecta honoris & contemptus.

Quid honor significet.

Neglectus fratrũ excitat contentiones.

ἡγεῖσθαι.

Studio non pigri. Quoniam ea, quæ iam enumerauit, non leuiter sunt facienda, ideo Paulus ait, studium esse adhibendum. Pigritia autẽ, quam iubet remoueri, est ea tarditas in obeundis muneribus, qua homines declarant, se grauatim ea facere, quæ faciunt. A quo vitio illi alieni sunt, qui eam adhibent alacritatem, vt interdum etiam sua ipsorum commoda prætereant. In summa Paulus postulat, ne tantùm verbis, sed re ipsa, & efficaci studio diligamus: néue simus in hac philosophia ἄνευ τὸ πράττειν, μέχρι τὸ λέγειν, quod in ethnicis quibusdam sapientibus reprehendebatur.

Spiritu feruentes. Ea, quæ iam commemorata sunt, quoniam secum adferunt molestiam, & nauseam, & labores, & impensas, idcirco carni grauia videri solent. Paulus ergo requirit, ne carne patiamur nos seduci, sed potius, vt spiritu ferueamus. Displicent Deo homines tepidi. Vtinam, inquit, aut calidus esses, aut frigidus. Quoniam autem tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo. Spiritus autem hîc duo potest significare, vel vim, & instinctum Dei, vel animum nostrum. Et ambiguũ videri possit, vtrum hîc sensum sequi debeamus. Spiritũ autem significare interdum animũ nostrũ, ex multis locis scripturarũ intelligi potest. Scribitur enim, Beati pauperes spiritu: &, Inclinato capite tradidit spiritũ: Vt spiritus salutis fiat in die Domini: Vt sancta sit & corpore, & spiritu: Corpus absq; spiritu mortuũ est: &, Christus abijt ad spiritus, qui erant in carcere. Fateor tamen, spiritum vtrunq; significare. Et ego hîc vtrunq; accipio: scilicet, & animum nostrũ, & vim spiritus Dei, qua fideles illustrantur. Requirit igitur Paulus energẽan, & efficaciam, qua animi nostri inflammentur. Et, quamuis, vt superius docuimus, in nullius manu positum sit, vt hac, aut illa vi charismatũ à Deo donetur (Deus enim ea cuiq; distribuit, prout vult) tamen regenerati, quoniã nõ sunt simpliciter homines, sed homines Dei, & vires à gratia, & spiritu Dei habẽt vtcunq; instauratas, possunt studio, precib. & industria spiritũ, quo ferueãt, in se ipsis excitare, vel incitanti se accõmodare. Ita enim Paulus ait ad Timotheũ, Excita gratiam, quæ est in te per impositionem manuũ presbyterij: Et ad Thessal. Spiritum nolite extinguere. Vt enim igni iam succẽso possumus ligna, & fomenta supponere, quibus magis ardeat, ita spiritus iam datus exercitio doctrinę, exhortationis, aut ministerij potest excitari, vt magis ferueamus: quod vt faciamus, Paulus nos hîc adhortatur. In Actis Apostolicis cap. 18. scribitur de Apollo, illum loquutum fuisse feruenti spiritu, vt qui doceret diligenter ea, quę erant Domini. Sed additur, eum fuisse doctum, & eloquentẽ. Eo loco duo video esse coniuncta, quæ maximè faciunt ad concionatorem. Primum est, vt diligenter videat, quid loquatur: ne quid temerè, aut contra veritatem

Spiritus quãdoq; significat animũ nostrum.

Regenerati possunt quoquo modo spiritum in se ipsis excitare.

Duo præcipua cõcionantis officia.

effutiat: proximum est, vt quę dicit, nõ frigidè tantùm, et perfunctoriè narret sed efficaciter, & feruenter proponat. Sed in quibusdã, cùm alioqui sint satis vehementes, desiderat doctri na: in alijs autem, in quibus satis interdum videtur esse diligentię, tamen minus est feruentis spiritus. Et quod nunc dico de concionibus, id alijs quoq; muneribus, de quibus nunc agi tur, debet accmomodari.

Tempori seruientes. Hìc alij καιρῷ legunt, alij κυρίῳ. Chrysostomus, & Origenes legunt κυρίῳ: & eam lectionem magis probant, quàm καιρῷ: fortasse ea causa, quòd putarent inconstantis esse hominis, & leuis mutari pro tempore: quodque seruire foro, videri possit humana potius vafrities, quàm cultus Dei. Contrà autem Ambrosius, quid, inquit, oportuit dicere, Domino seruiendum esse, quum omnia, quæ hactenus dicta sunt, eò spectent, vt Domino seruiatur. Sed ne hoc quidem impedit, quò minus legi possit κυρίῳ. Illi enim dicerent, Paulum hoc sermone admonere pios, vt in his omnibus rebus ne hominibus se seruire putent, verùm Deo, qui videt omnia, & in cuius honorem hæc omnia sint dirigenda. Origenes tamen nonnihil remittit, aitque, posse nos seruire tempori, dum illud spectamus contractum, & breue: vt quamuis habeamus vxores, tamen simus tanquam non habentes: & quasi non possidentes, licet possideamus: redimentes dies, quia mali sunt. A qua interpretatione ego non abhorreo. Quamuis tempus hoc loco commodius significare possit occasionem: quæ imprimis magno studio captanda est, si quid velimus præstare fratribus. Occasio enim alioqui præteruolat, nec potest, cùm velimus, reuocari. Scimus, quanta versutia, & improbitate Satan, & caro resistant operibus Dei. Atque eò fit, vt nemo ferè sit, qui admonitiones, & reprehensiones æquo animo accipiat. Multò autem minus ferè, si intempestiuè, atque importunè admoneatur. Paulus dedit aliquid tempori, quum circumcideret Timotheum. Vt autem Titum etiam circumcideret, quamuis vehementer vrgeretur, tamen adduci non potuit. Christus ipse pro ratione temporis fugit, quum à Iudæis expeteretur ad necem: postea tamen, quum videret esse opportunum, vltrò rediit. Itaque discipuli dixerunt: Modò te quærebant lapidare: & tu nunc in Iudæam proficisceris? Illis Christus respondit, Nonne duodecim sunt horæ diei? Quibus verbis significauit, tempori esse obsequendum. Nec aliam ob causam Salomon ait, Esse tempus ædificandi, esse tempus plantandi, &c. Occasiones huiusmodi sunt tanquam nutus Dei ad rem bene gerendam: quos à nobis non secus obseruari oportet, quàm à militibus signum Ducis. Et boni serui nihil prius tentant, quàm videant dominum innuere. Erasmus putat, seruire tempori, esse, res aduersas, quæ pro tempore accidunt, boni consulere. Atque eam sententiam confirmari putat ex illis, quæ sequuntur. Paulus enim subiecit, spe gaudentes: in tribulatione patientes. Sed si quis sit, cui altera Lectio magis placeat, Domino seruientes, nihil pugnamus. Verùm hîc annotandum est Græcum verbum ἀπολλύοντες. Ex eo enim intelligimus, ἀπολέσαι, quod superius etiam docuimus, non tantùm creaturis excellentibus conuenire, verùm etiam ipsi Deo. Vicissim qui putat, Paulum præcipere, Seruiendum esse tempori, caueat, ne, dum captat occasionem, declinet vel ad dextram, vel ad sinistram, hoc est, ne mutet sententiam. Constantes esse oportet in sensu rectè instituto: etsi non omne tempus patiatur, vt statim erumpendum sit in actionem.

Occasio est obseruanda.

Occasiones habentur vt nutus dei.

ἀπολέσαι.

Quid cauendũ in obseruandis occasionibus.

Spe gaudentes. Hoc illi præstare non possunt, qui humanis bonis acquiescunt. In illis enim solis omnem fiduciam, & spem collocant: alia autem non expectant. Paulus hoc loco intelligit spem æternæ felicitatis: qua homines ita confirmantur in rebus aduersus, vt eam Paulus ad Thessalonicenses appellet galeam. Hîc spes recensetur quasi principium patientiæ in tribulationibus. Quod quispiam fortasse mirari possit. Nam supra capite quinto, Paulus scripsit, Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio verò spem. Hîc videmus, spem produci ex patientia. Contrà autem hoc loco patientia nasci dicitur ex spe. Sed nihil est pugnæ. Id enim vsu venire solet in rebus maximè coniunctis, vt inuerso ordine, sese mutuò inferant. Ita enim & ex pluuia eleuantur nubes, & rursus ex nubibus exprimitur pluuia. Et, vt aiunt philosophi, ex bonis actionibus nascũtur virtutes: & è conuerso ex virtutibus nascuntur actiones bonę. Chrysostomus suprà, vt monuimus, testatus est, honorem fratribus exhibitum nõ tantùm charitatem habere matrem, sed etiam illam eãdem parere in illis, quos honoramus.

Quomodo patientia efficiat spẽ & spes patiẽtiã

Res maximè cõiuncta sese mutuo inferunt ordine inuerso.

Quid est spes.

Spes facit lætos & tristes.

Spes autem, vt eius naturam explicemus, est facultas quædam à Deo afflata, qua certo, & æquo animo salutem in nobis inchoatam, quam fide percepimus, donec aliquãdo absoluatur, expectamus, non quidem nostris viribus, sed per Iesum Christum. Læti sunt, qui sperant,

rant, quòd certi sint, se aliquando ea, quæ optant, adepturos. Interea tamen nõnihil dolent, & gemunt, quòd ea nondum sint consecuti. Deinde qui sperant, difficilia, atq; ardua prosequuntur: non ea tamen, quæ sunt impossibilia. Nisi enim putaremus, nos per gratiam, & spiritum Christi, posse adipisci æternam vitam, nunquam illam speraremus. Paulus supra in octauo capite seruauit hunc eundem ordinem. Docuit enim ex spe nasci patientiam. Spes enim, inquit, quæ videtur, non est spes. Quis enim, quod videt, sperat? Et paulò pòst, Si quod non videmus speramus, per patientiam expectamus. Certè animus non vulgariter erigitur ad omnia toleranda, vbi præmia insignia proponuntur. Itaque in eodem illo capite Paulus ait, Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futurã gloriam, quę reuelabitur in nobis. Sed hîc dubitari potest, cur Paulus spei tribuat gaudium, præsertim cùm gaudium sit affectus de præsenti bono: spes autem de futuro. Respondeo, abesse quidem ea bona, quæ sperantur: sed eam esse vim spei, vt id, quod absit, præsens quodammodo cõstituat. Itaque Paulus in octauo capite rectissimè scripsit, Nos spe saluos factos esse: & ad Ephes. Deum per Christum effecisse, vt vnà cum illo iam nunc sedeamus ad dextram Dei in cœlestibus. Et iuxta hanc formã doctrinæ solemus dicere, eos, qui verè credunt, & sperant, præsentia sibi constituere corpus, & sanguinem Christi, quanuis ea alioquí re vera sint in cælis, illisq́ue penitus frui mente, ac spiritu, quoties ad cœnam Domini ritè, ac piè conueniunt. Quantum verò bonum sit, in tribulationibus esse animo patiẽti, ex eo colligi potest, quod vulgò dici solet, Magnum esse malum, non posse ferre malum: ac si quis dicat, aduersos casus, & tribulationes, quæ vulgò appellantur mala, non esse re vera mala, nisi quòd ferri non possint.

Spes est arduorum, sed nõ impossibilium.

Spes res absentes facit præsentes.

Fides item facit res præsentes.

De eucharistia.

Magnũ malum non posse ferre malum.

Orationibus instantes. Chrysostomus pulcherrimam seriem texit earum rerum, quæ mitigare possint molestiam eorum officiorum, quæ iam sunt commemorata. Quam catenam arbitratur, Paulum sedulò fuisse prosequutum. Primùm remedium est, & quidem ex fraterno affectu. Nihil enim est difficile amanti: deinde accedat feruor diuini spiritus: tertio loco spes egregij boni: quarto efficacibus precibus auxilium impetratum à Deo. Hîc itaque Paulus nos admonet de precibus, vt illis insistamus. Quòd autem hîc προσκαρτεροῦντες, dixit, id ad Thessalonicenses dixit ἀδιαλείπτως. Sine vlla enim cessatione, aut intermissione orandus est Deus, quantum quidem humana imbecillitas ferre potest. Debet autem quisq́; quoties aliquid occurrit, quod vel angat, vel metum, aut desiderium incutiat, animum ad Deum conuertere, qui aut liberare possit, aut optata perficere. Id autem vno momento, & ictu oculi fieri potest. Imò illæ preces in primis commendantur, quæ tanquam ardentes faces iaciuntur in cœlum subita conuersione ad Deum, neque verborum prolixitate frigescunt. Et Christus apud Lucam capite decimo nono, monet, vt semper oremus, neque defatigemur. Græcè est, μὴ ἐκκακεῖν. Κακοὶ enim interdum dicuntur segnes, & ignaui. Ne autem tales efficiamur, & animum orando despondeamus, Christus proposuit nobis parabolam de vidua, & iudice iniquitatis: vt statuamus apud nos, Deum omnino auditurum esse ea, quæ assiduè ab illo petimus. Ad finem autem parabolæ addit, Dominus faciet vindictam eorum citò. Quomodo autem citò, cùm sæpe tandiu differat? Ille dicitur citò facere, qui, quod faciendum erat, facit, quàm primùm se offerat occasio. Mora igitur non est in Deo, sed in sensu nostro. Quòd si admitteremur ad penetralia, atque adyta diuini consilij, videremus nos nimium vota nostra præcipitasse. Quare abijcienda est à nobis ista remora, ne impediamur, quò minus duremus, & perseueremus in in precibus.

Catena utilissima.

Deus citò suos ulciscitur.

Mora non est in Deo, sed in sensu nostro.

Necessitatibus sanctorum communicantes: hospitalitatem sectantes. Sanctorum in primis meminit: quòd illi inter cæteros maximè egeant, vtpote quos mundus odio prosequitur. Rectè etiam addit, Peregrinos: quoniam illo tempore sancti euersi fortunis omnibus, sæpe vagi, & extorres exulabant. Paulus ergo hortatur Romanos, vt eiusmodi homines gratis animis, & benigna hospitalitate excipiant. Caro non est propensa ad huic hominum generi benefaciendum. Cùm enim videat esse miseros, iudicat, nullam sibi ab illis gratiam rependi posse: eóque: quicquid confertur in illos, perisse putat. Et qui sequuntur hunc affectũ, nihil ducunt esse beatius, quàm accipere. Et idcirco nihil libenter dant, nisi unde putent, aut tantundẽ ad se, aut etiam plus esse rediturum. Deus in lege sæpe cõmendat peregrinos. Exodi 22. mandat Israelitis, ne peregrinos vexent, sed eos humaniter tractent, quòd ipsi quoque fuissent peregrini in Aegypto. Quod illis in memoriam reuocat præterita, id nobis quoque prodesse potest, si cogitemus de futuris. Quis enim ita est nunc domi suę, vt certò sciat, sibi non esse aliquando peregrinandum? Et capite 19. Leuitici præcipitur messoribus

Sancti præ cæteris egent.

Caro cur à pauperibus abhorreat.

De pauperibus, & peregrinis.

& vindemiatoribus, ne omnia colligant, sed aliquid relinquant pauperibus, & peregrinis: eosq; Deus iubet à populo suo æquè, atque seipsos diligi. Et cap. 10. Deuter. Deus se asserit protectorem esse, ac vindicem orphanorum, viduarum, & peregrinorum. Hęc enim genera hominum illius curæ relicta sunt. Omnibus quidem huiusmodi hominibus debemus beneuolentiam nostram: maximè verò, si sint domestici fidei: de quibus Paulus agit in præsentia. Hæc tanti fuerunt Apostolis, Petro, Iacobo & Ioanni, vt, quum Paulum dimitterent ad Gentes, & ipsi ministraturi essent in circũcisione, pauperes, qui agebant Hierosolymis, eius curæ commendarint. Atque illud negotium testatur ad Galatas, se magno studio procurasse. Quod est in latino codice, Necessitatibus, nõ bene redditur. Nam hac voce Sophistæ abuti solent, vt doceant, hominem christianum non astringi præcepto Dei, vt opem ferat miseris, nisi sint in maxima, vel, vt ipsi loquuntur, in extrema necessitate. Paulus autem dixit, vsibus potius communicandum est, quàm necessitatibus. Neque enim, vt benefacias proximo, expectãdum est, dum ille summa necessitate vrgeatur. Nemo enim vellet secum ita fieri. Nec tacendũ est, aliquos codices pro χρείαις, habuisse μνείαις, hoc est, memorijs. Atq; huius lectionis Origenes, vel eius potius interpres meminit. Et Ambrosius ita & legit, & interpretatur. Sensus autem erit, Non tantùm pauperibus, qui adsint, esse benefaciẽdum, sed illis etiam, qui absint. Thales enim Milesius solebat dicere, meminisse oportere amicorum, non tantùm præsentium, sed etiam absentium. Et Apostolus in primis curabat, vt sanctis, qui agebant Hierosolymis, eleemosynæ suppeditarẽtur à Gentibus. Nos tamen sequemur vsitatam lectionem χρείαις: dicemusq; sanctorum vsibus esse communicandum, vsibus, inquam: non autem voluptatibus, aut delitijs: his enim homines sæpe redduntur deteriores. Deinde etiam sumptibus huiusmodi superuacaneis posset alijs quoque pauperibus subueniri. Neque dantes, inquit, aut largientes: sed κοινωνοῦντες. Est enim in eleemosynis quædam communicatio. Nam si sermo sit de pauperibus, qui erant Hierosolymis, Gentes ab illis acceperant spiritualia. Siquidem verbum Domini è Zion, & lex Dei è Hierusalem, & salus ex Hebræis. ex illa enim Gente in orbe terrarum destinati sunt prædicatores Euangelij. Itaq; Paulus 2. ad Corinth. cap. 8. ait, Vt vestra copia illorum succurrat inopiæ: vtq; vestræ inopiæ vicissim succurrat illorum copia. Sin autem de alijs pauperibus sermo sit, etiam quum illos iuuamus eleemosynis, non parum commodi, & vtilitatis ad nos redit. Christus enim monet, vt habet Lucas, Facite vobis amicos de mammona iniquitatis: vt quum defecerítis, recipiant vos in æterna tabernacula. Sed quid si pauperes mali sint, & ipsi excludantur è regno cœlorum? Hæc intelligenda non sunt de hominibus, sed de operibus. At sic etiam sequitur aliud absurdum, vt vi operum nostrorum assequamur regnum Dei. Respondeo, Vt negamus opera esse causas æternæ vitæ, sic non inficiamur, Deum remunerari opera bona fidelium, qui iam per Christum sunt renati. Scimus enim iudicaturum esse quenque iuxta opera sua. Dicturus enim est, Esuriui, & pauistis me: sitiui, & dedistis mihi potum: peregrinus fui, & collegistis me. Datur quidem regnum Dei propter electionem, & promissa, quę sancti percipiunt per fidem. Sed quoniam hæc recondita sunt ab humanis oculis, ideo proferuntur opera bona: quæ propria sunt, & manifesta effecta & fidei nostræ, & electionis diuinæ. Hospitalitatem, inquit, διώκοντες. Id non dicitur sine emphasi. Longè enim maius est, persequi hospitalitatem, quàm esse hospitalem. Abrahamus non expectabat, dum peregrini domum ad se venirent, vt peterent admitti, vt hospitium poscerent: sed ipse vltro egressus è tabernaculo circunspectabat, num alicunde sese offerret aliquis peregrinus, quem ad se reciperet domum. Et si quis esset, accurrebat, orabat, ne se præteriret. Si inueni, inquit gratiam in oculis vestris, obsecro, diuertite ad seruum vestrum. Eodem studio, atq; animo fuit Lothus, & ferè omnes patres veteres. Non imponit nobis Paulus his verbis opera vilia, & indigna, sed nobilia, & admodum generosa. Nullus enim vnquã fuit vir clarus, & princeps insignis, quin fuerit cupidus benefaciendi alijs, & studiosus hospitum. Titus Vespasianus, sub noctem, quum succurreret, nullum se eo die beneficium in quenquam contulisse, mœstus aiebat, Amici, diem perdidimus. Et Christus, Reges, inquit, gentium dominantur eis, & qui potestatem habent in eos, dicuntur benefici: græcè est εὐεργέται. Ethnici quoque videbant, hospites Deo esse curæ: ideoq; Δία ξένιον colebant, hoc est, Iouem hospitalem. Hanc Dei vim Homerus describit in 2 Odisseas. Et Virgilius pulchrè cecinit:

Iuppiter, hospitibus nam te dare iura loquuntur.

Et naturalis affectus erga ciues solet vnumquenque extimulare, vt, si quis illi occurrat egenus, & peregrinus, pro viribus velit opitulari, & illi de hospitio prouidere. Ita nos quoque, si forte sancti, qui, quod ad æternã patriam attinet, ciues nostri sunt, nobis occurrant, iuuare eos

An expectanda sit extrema necessitas in iuuandis pauperibus.

Non tantũ præsentiũ, sed absentiũ miserendum est.

Vsibus pauperũ, non delitijs est communicandũ.

In eleemosynis est cõmunicatio.

Eleemosynarum remuneratio.

Quid sit hospitalitatẽ sectari.

Nobiliũ opus est hospitalitas.

Iuppiter hospitalis.

eos debemus, & humaniter excipere. Sed quid si mali sint, & nobis infesti, qui maledictis proscindant, & insectentur Euangelium? Quid hîc faciendum est? Paulus subiecit:

Benedicite illis, qui uos insectantur: Benedicite, & ne imprecemini. Εὐλογεῖτε priore loco puto esse, bene loquimini. Sed mirum videri possit, quomodo probare, aut laudare possimus eum, qui nos conuicijs, & maleficijs persequatur. Et si ita fecerimus, deprehendemur mendaces. Sed Epictetus in suo Enchiridio sapienter monuit, rem quanque duas habere ansas: ideóque prudentem quenque oportere spectare, vtra illarum ea capi, & retineri possit. Nam si rem aliquam ex ea parte prehendas, qua capi non possit, ludas operam. Nemo autem inueniri potest ita malæ, & profligatæ naturæ, quin iustus æstimator aliqua in eo Dei dona possit videre. Erit enim aut industrius, aut robustus, aut doctus, aut nobilis, aut eloquẽs, aut ingeniosus. Ista nos quantũuis prouocati iniurijs, nõ debemus obscurare, aut tacere, si qua se opportunitas obtulerit, vt de inimicis nostris bene loquamur. Aeschynes Ethnicus acerrimi hostis sui Demosthenis eloquentiam apud Rhodios nõ dissimulauit, aut imminuit, sed potius, quantum potuit, amplificauit, & illis orationem eius virulentissimam, contra se scriptam recitauit: adiecitque, id nihil esse absque oratoris illius actione, atque pronuntiatione. Dauid hostem suum Saulem, quod esset Christus Domini, & verbis, & re ipsa reuerebatur. Hoc verò nunc Apostolus idcirco præcipit, quia mundus longè aliter iudicat esse faciendum. Aut enim delectatur maledicis, & hostibus veritatis: aut acceptas iniurias arbitratur honestum esse retaliare. Itaque Vespasianus, quum iurgium ortum esset inter Senatorem quendam, & Equitem Romanum, hac sententia litem diremit: Maledicere quidem non oportere Senatori: remaledicere autem & fas esse, & ciuile: quòd, qui prior lacessiuit, se ipsum prærogatiua dignitatis priuauerit. Longè autem secus Paulus mandat. Non enim videndum est, quid aduersarius mereatur, sed quid nos deceat. Nec requirit Apostolus, tantùm vt bene loquamur de inimicis nostris, sed etiam vt illis bene precemur. Sic enim mihi videtur accipiendum, quod secundo loco dicit, Εὐλογεῖτε, vt ἀντίθεσιν habeat ad id, quod sequitur, Et ne imprecemini. Quidam putant, tantùm esse repetitionem ad maiorem ἔμφασιν. Melius autem mihi quadrare videtur, vt prius iubeamur de hostibus bene loqui: deinde precari illis bona: nullo autem modo eos diris deuouere, vt vulgus solet. Quod si videatur factu esse difficile, meminerimus, nos eius esse filios, qui Solem suum facit oriri super bonos, & malos: & illius discipulos, qui respondit suis petentibus ignem de cœlo, quo Samaritani conflagrarent, Nescitis, cuius sitis spiritus: illius videlicet, qui venit non ad perdendum, sed ad seruandum: illius qui eos sanabat, qui eum insectabantur: illius qui Malcho restituit auriculam, qui vnà cum alijs principum satellitibus venerat, vt illum caperet: illius qui proditorem suum Iudam & amicum salutauit, & excepit osculo: illius denique, qui ignouit malefico latroni, & ei promisit æternam felicitatem, qui orauit pro illis, à quibus suffigebatur in crucem: quique pro hostibus suis vltro occubuit. Nihil profuerit, si iniurias iniurijs, & conuicia conuicijs recompenses: potius debes rem Deo committere, qui iustissimus erit arbiter, neque aliqua perturbatione abduci potest à iustitia. Hinc præterea debes colligere, de nemine licere malè loqui, nec fas esse, quenquam diris deuouere. Nam si hæc facere prohibemur in hostes, quod, alioqui humano iudicio, videri posset tolerabile, multò minus id nobis permittere possumus in alios. Chrysostomus, quò persuaderet, obediendum esse his verbis Pauli, recensuit commoda, quæ aduersariorum maledicta, & insectationes pijs hominibus adferre soleant. Primùm, inquit, nos egregiè adiuuat ad adipiscendum regnum cœlorum. Christus enim ait, Beati, qui persecutionẽ patiuntur propter iustitiam: quoniã ipsorũ est regnum cœlorũ. Et adiecit, Beati estis, cùm probra iecerint in vos, & insectati fuerint, & dixerint omne malũ verbũ aduersum vos, mẽtientes propter me. Gaudete, & exultate, quoniã merces vestra multa est in cœlis, &c. Deinde sunt materia pulcherrimarũ virtutũ. Nam, vt Paulus docet, tribulatio patientiã operatur: patientia probationẽ: probatio autem spem. Vbi autẽ est sanctorũ patiẽtia? vbi probatio? vbi spes? si inimicorũ improbos aduersus nos conatus remoueas? Adhæc, nulla ex re alia maioris gloriæ prouentus redundat ad Deum, quàm si nos fortiter, & strenuè geramus in illis, quæ pro eius nomine ferẽda sunt. Neq; enim difficile est adhærere Deo, dũ omnia secunda, & trãquilla sunt, & ad votum nostrũ fluũt. At cùm omnia aduersa cadant, tamẽ constãter manere in eius obseruãtia id demũ est virilis, & robustæ fidei. Atq; idcirco dictũ arbitror à Iacobo, Patientiam habere opus perfectũ: nisi quis id ita velit intelligere, quòd perfectio non sit in opere aliquo, nisi in eo perseueretur. Nam cùm desistimus, opus ad finẽ nõ perducimus: atq; ita illud sine patientia relinquitur

Epicteti præclarum dictum.

Quo pacto de inimicis possimus bene loqui.

Si hostibus nõ est maledicendum, multò minus aliis.

imperfectum. Huc adde, inimicos noſtros hac potiſsimũ ratione deterreri, ne pergant nos infectari. Cùm enim videant, nos ſuis iniurijs non commoueri, arbitrantur, ſe operam lude re. Itaque non tantam capiunt voluptatem ex conuitijs, quibus nos exercuerunt. At ſi ſenſerint, nos perturbari, & indignè ferre, putabunt ſe fructum cepiſſe iniuriarum ſuarum, & erunt poſtea in prauo ſtudio audaciores. Ex his videre poſſumus, cur Dominus dixerit, Beati eſtis, quum probra iecerint aduerſus vos, & inſectati vos fuerint, & dixerint omne malũ verbum aduerſum vos, mentientes propter me. Gaudete, & exultate: quia merces veſtra multa eſt in cœlis. Hoc Chriſti mandatũ Apoſtoli exequuti ſunt. Redierunt enim gaudentes à conſpectu concilij, quòd digni eſſent habiti, vt pro eius nomine afficerẽtur contumelia. Et Paulus in priori ad Corinth. ait, Maledicimur, & benedicimus. Græcè eſt, λοιδορούμενοι εὐλογοῦμεν. Hanc tamen perſuaſionem Paulus non ſemper obſeruauit. Ad Galatas enim ait, Vtinam excindantur, qui vos conturbant. Et Dauid ait, Fiat menſa eorum coram eis in laqueum. Obſcurentur oculi eorum, ne videant: & dorſum illorum ſemper incurua. Alijque paſsim libri Prophetarum ſcatent diris, & imprecationibus, quibus deuouent inimicos populi Dei. Hîc, vt mea quidem fert ſententia, dicendum eſt ſic agi oportere, vt Paulus monet, quandiu reſpicimus iniurias noſtras, & ingredimur ordinario, cõmuniq; curſu, quo ex charitate aſtringimur proximis noſtris bene velle. At ſi Deus patefaciat nobis arcanam ſuam voluntatem, & oſtendat, quid prorſus decreuerit futurũ de hoſtibus noſtris, & illis, qui nos inſectantur, ſi illum ſyncera, & vera dilectione proſequimur, profectò eius cõſilio, & voluntati omnino debemus acquieſcere. Hæc tamen adhibenda eſt cautio, vt prius exploratum habeamus, an ea quæ Deus nobis patefecit, tantùm ad comminationem valeant, an prorſus ad definitam, & certam eius voluntatem indicandam. Vbi enim ſuſpicamur, Deum tantùm comminari, vt inducat ad pœnitẽtiam, non debemus deliſtere à precibus pro impijs. Ita ſe geſsit Moſes, cùm pro ſua gente Deo ſupplicaret: ita Abraham pro Sodomis: ita Samuel pro Saule: ita Hieremias pro populo. Quum autem conſtat, fixum, & certum eſſe decretum Dei, non ſolùm orant contra impios vaticinando (vt Auguſtinus putat contra Fauſtum, lib. 16. cap. 22. vbi ſic ſcribit: Maledicta verò cùm ex prophetia dicuntur, non ſunt de malo voto imprecantis, ſed de præſcio ſpiritu denuntiantis) verùm etiã ex animo iam Deo conſentiente, & eadem cum ipſo optante. Dauid cùm alioqui tam clemens eſſet in Semei, in Abſolonem, in Saulem, & in alios inimicos, interdum tamen ita imprecationibus, & diris defigit impios, vt horrorem legentibus incutiat. Chriſtus etiam primùm deflet infelicitatem ciuitatis Hieroſolymorũ, quòd non agnoſceret tempus viſitationis ſuæ: aitq;: Quoties volui cõgregare filios tuos, vt gallina pullos ſub alis ſuis, & noluiſti? Idem tamen agnita Dei certa, & immobili voluntate, erupit in hæc verba: Gratias tibi ago, pater cœli, & terræ: quoniam abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Ita Domine: quoniam ita placitum eſt coram te. Deinde homines Dei, cùm huc veniunt, non reſpiciunt cauſam ſuam, aut ſuas morantur iniurias: ſed conſiderant, prauis operibus impiorum lædi Eccleſiam Dei, interuerti ſpirituales eius progreſſus, impediri curſum Euangelij. Ipſi autem ardentiſsimè cupiunt, vt nomen Dei ſanctificetur, & eius regnum propagetur quamlatiſsimè. Atque hinc fit, vt cùm pij orant contra ſceleratos, non ſuos hoſtes inſectentur, ſed Dei, quẽ puriſsimè coli cupiunt. Dauid videbat ſe à Deo vocatum fuiſſe ad regnũ, & intelligebat, conatus impiorum non tam ſuæ dignitati aduerſari, quàm voluntati Dei. Meritò ergo in ſuis precibus mauult illos perire, idq; indignis modis, quàm de iuſtiſsima voluntate Dei quicquam labefactari. Quare & in hoc loco, & in alijs ſimilibus prohibemur non tantùm imprecari, ſed etiam malè loqui, victi contumelijs, & iniurijs improborum: à quibus non eſt par, vt ſinamus animos noſtros frangi, & deduci à regula charitatis. In hoc certè ſita eſt magnanimitas Chriſtianorũ, & animorũ incredibile robur, vt nõ ſolùm ſe inſectantes non proſcindant maledictis, verùm etiam de illis bene loquãtur, & pro illis Deum orent. Non poſſum tamen ſatis mirari, Aquinatem dicere ex his Pauli verbis, non adigi homines chriſtianos vi præcepti, vt hoſtibus ſuis affectum charitatis ſingulariter demonſtrẽt, vel, quemadmodum loquuntur, vt ſigna beneuolentiæ illis citra caſum neceſsitatis oſtendant. Satis enim eſſe, ſi illos non excludant à generali complexu charitatis, qua proſequi debemus proximos. Nec neceſſe ait eſſe, vt peculiariter pro illis oremus. Id autem ſufficere, ſi illos à communibus ſuffragijs, quæ pro omnibus habemus, non excludamus. Quòd ſi quis, inquit, extra caſum neceſsitatis inimico indicia ſingularis dilectionis exhibeat, aut pro eo ſingulariter intercedat, is obſequitur conſilio, non paret præcepto, Atqui Chriſtus, & Paulus quum de his loquerentur, hanc diſtinctionem non docuerunt, Hæc certè doctrina ſuccidit

Paulus non ſemper bona hoſtibus optauit.

An liceat unquam hoſtibus maledicere.

Vbi ſita ſit magnanimitas Chriſtianorum.

Error Aquinatis.

cidit neruos christianæ religionis: comprimit vehementiam diuini spiritus: & eius diuinæ legis vim, & acrimoniam diluit. Eant modò isti, & clament, nos eos esse, qui dissoluimus studium bonorum operum, & aperimus fenestram ad vitam laxiorem: quum negare non possint, se eos esse, qui certa, & seuera præcepta Dei pro sua libidine mutent in consilia. Certè Christus, & Paulus præcipiunt ista, non solùm consulunt. Sed hoc vehemẽter dolendum est, hæc mandata, ferrea ista ætate nostra facta esse instar legum Atticarum. Illæ enim quum essent prudenter excogitatæ, & promulgatæ, tamen iacebant neglectæ, & passim, ac vulgò violatæ. Id autem non alia de causa existimandum est euenisse, nisi quòd omnis succus, & sanguis christianæ pietatis penè exaruit. *Leges Atticæ.*

Gaudete cum gaudentibus, & flete cum flentibus. Græcè est modus infinitus: nec mirum. Vtuntur enim sæpe infinito pro imperatiuo: vt Latini solent interdũ eodem modo vti pro præterito imperfecto. Quod ad Apostoli consilium attinet, hoc maximè nunc studet, vt quum omnes simus membra eiusdem corporis, nobiscum inuicem consentiamus, eaq; inueniatur inter membra sympathia, vt, quemadmodum scribitur ad Corinth. Si vnum membrũ patitur, alia membra simul patiantur: & si vnum membrũ glorificetur, vt alia quoq; membra vnà glorientur. Ad hoc Paulus hortatus est Thessalonicenses his verbis: Fratres, si præoccupatus fuerit aliquis in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, huiusmodi hominẽ corripite in spiritu lenitatis, considerãs te ipsum, ne & tu tenteris. Hoc non aliud est, quàm aliorũ affectus in se transferre. Tum demũ bene habet ciuitas, vt quidã sapienter dixit, cùm quisq; è ciuibus sibi putat factam esse iniuriã, quam videt illatam alteri: & suum illum honorẽ esse ducit, quẽ videt collatũ in alterum. Qui gaudet cum gaudentib. & flet cum flentib. indicat se & humanũ esse, & alienũ ab inuidia. Neq; sanè quicquã præcipi potest, quod magis conueniat Ecclesiæ. Ea enim cùm sit vnum corpus, & Christũ habeat vnicũ caput, & vno agatur Dei spiritu, par est, vt vno eodemq; sensu, & affectu sit prædita. Chrysostomus dum expendit partes propositæ sentẽtiæ, difficilius ait esse, gaudere cum gaudentib. quàm flere cũ flentibus: quòd homo natura sit pronus ad misericordiam, si cuius res videat valde afflictas, & perditas: quodq; idẽ sit procliuis ad inuidiã, si fortunas alterius prospero successu augeri, & cõfirmari videat. Ad cõciliandos tamẽ animos nihil æquè valet, atq; hæc duo præcepta. Dolenti enim dolor nõnihil minuitur, si quẽ suos casus vnà secũ dolere sentiat. Gaudenti etiam augetur lætitia, si alios videat sibi felicitatẽ suã gratulari. Huc accedit etiã aliud cõmodum. Nam si vnà doluerís cum afflicto, assuefies paulatim pio affectui misericordiæ: & si voluptatem capias ex prosperitate fratris tui, vitiũ innatæ inuidiæ paulatim exues. Nõ inutiliter admonuit Origenes, non esse putandũ, hæc præcepta esse in vniuersum. Auaro enim gaudẽti de opibus malè partis nõ debemus læto animo gratulari, sed potius fraterna admonitione prauæ illius lætitiæ nos opponere, eumq; ab inepto, & pernicioso gaudio ad pœnitentiam reuocare. Neq; ex altera parte lugere oportet vnà cum illis, qui suos defunctos immodicè lugent: aut qui ideo lugent, quòd malè optatis nõ possint frui. Illis enim obstare potius debemus correctione, & prauos illorum affectus emendare. Monet ergo Paulus, vt sensum nostrum accommodemus iusto dolori, & sanæ voluptati fratrum. *Quando ciuitas bene habeat.* *Difficilius est gaudere cũ gaudentib. quàm flere cum flentibus* *Prauis doloribus & prauis fratrũ uoluptatib. non licet se accommodare.*

Eodem animo alij erga alios affecti. Hortatur, vt sensum aliorum in nos ipsos transferamus, quò pax, & concordia magis coalescat, & constantius retineatur. Cùm tu sis diues, & potẽs inquit Chrysostomus, si quis afflictus, & pauper in ædes tuas veniat, non debes illum ex ipsius tenuitate, dolore, inopia æstimare: sed potius, quæ in eo putas esse, ea tibi ipsi assuere: quæq; tua sunt, illi libenter adiungere. Verbi gratia, si illum humilem, & abiectum esse videas, te quoque existimes esse talem: si ipse magnus sis & illustris, illum quoque apud Deum magnum & illustrem esse, ne dubita.

Non sublimia sapientes. A Christi fidelibus omnem omnino arrogantiam remouet. Sed in illam incidit, quisquis plus æquo sibi tribuit, qui'que, vt vulgò dicitur, ambulat in mirabilibus. Nihil autem est, quod plus faciat ad pacem, & concordiam fraternam dissoluendam. Valde autem consulimus & nobis ipsis, & Ecclesiæ Dei, si de nobis summissè, & modestè sentientes, minoribus, & humilioribus obsequamur. Hoc enim est, quod subijcitur. *Arrogantia pestis est fraternæ charitatis.*

Sed humilibus uos accommodantes. Hoc aliqui ad personas humiliores, alij ad res abiectiores applicant. Nos autem id de vtroque genere iudicamus esse intelligendum. Qui enim sibi non nimium tribuunt, & commodis inferiorum non dedignantur obsequi, illi humiliora negotia, & munera non fastidiunt.

Ne sitis sapientes apud uosmetipsos. Hoc idem Paulus antea sanxerat ab initio huius capitis, cùm diceret, non oportere quenquam sapere, plus quàm par sit sapere, sed sapere ad

temperantiam. Planius etiam, & ijsdem fermè verbis cap. 11. Nolo, inquit, vos ignorare, fratres, hoc mysterium, ne sitis sapientes apud vosmetipsos. Hanc admonitionem diuinæ literæ passim vrgent. Esaias enim ait cap. 5. Væ his, qui sapientes sunt in oculis suis, & his, qui coram se ipsis sunt prudentes. Huius vitij caput Chrysostomus esse asserit, putare se ipsum sibi ipsi sufficere. Qui enim tantùm de se sperare audent, facillimè contemnunt cæteros. Res autem longè aliter est comparata. Omnes enim aliorum ope indigemus: neque quisquam est ita ex omni parte perfectus, quin ab alijs multò inferioribus iuuari possit. Quis vnquam fuit Mose prudentior? tamen obsequutus est Iethroni rectè consulenti. Saul secutus est consiliũ pueri sui, vt adiret videntem. Quodq; reuelatum non erat Isaaco de pueris sese in vtero matris collidentibus, id indicatum est Rebeccæ per oraculum. Chrysostomus putat Romanos affines fuisse huic vitio: & idcirco ea de re sæpe fuisse admonitos, quòd fastus inter eos multùm perturbaret negotia Ecclesiæ, quum vrbis dignitas, imperij amplitudo, & naturalium bonorum præclaræ dotes materiam superbiæ affatim suppeditarent.

Vnde sit cõtemptio fratrum.

Quisque opus habet altero.

Nemini malum pro malo reddentes. Causæ aptè subiungitur effectus. Nam qui multa sibi arrogant, & semper aspirant ad sublimia, illi facilè negligunt alios, & in rebus etiam minimis offenduntur, seq; ab alijs facilè contemni iudicant. Inde nascuntur iræ, & studia vindictæ. Quidam putarunt, id quod nunc dicitur, differre ab eo, quod postea subijcitur, Non vlciscentes nos dilecti. Persuadent enim sibi, malum pro malo reddere, latius patere, quàm vlcisci. Ego verò, vt, quod est, fatear, non possum videre, quomodo qui volens malũ pro malo reponat, non velit vlcisci. Ideoq;, vt mea fert opinio, Apostolus primũ rem proponit generaliter: deinde interponit, quod potius fieri debeat: postremò per ἐπανάληψιν ad id explicandũ redit, quod proposuerat. Malum pro malo non debemus reddere. Nam si videamur esse malum, quo affecti sumus ab inimico, non debemus committere, vt illum imitemur, quemadmodum rectè monet Chrysostomus. Addit Origenes, illos grauius peccare, qui malum pro malo reddunt, quàm qui ab initio lacessiuerunt. Potest enim fieri, vt qui prior læsit, id imprudens fecerit, aut ignorarit, malum esse id, quo affecit alterum, aut putarit, minus graue fore, quàm fuerit. Ille autem, qui expertus est in se ipso, nouitque, quàm sit molestum, velit que tamen idem malum rependere, multò certè iustius accusari potest, quàm alter. Hanc sententiam Paulus proponit in vniuersum: excludit neminem. Quare nullo modo fas est, malum pro malo reponere, nec Iudæis, nec Gentibus, nec vllis omnino mortalibus. Atque ita vincitur iustitia scribarum, & Pharisæorum. Illi enim docuerunt, amicos quidem esse diligendos: inimicos autem odio esse prosequendos. Nihil tamen in hanc legem committunt principes, iudices, magistratus, quum de improbis supplicium sumunt. pœnæ enim à iustitia profectæ inter mala censeri non debent.

Grauius peccat, qui reddit malũ pro malo, quàm qui lacessit.

Prouidentes bona in conspectu omnium hominum. Vulgata lectio habet, non solùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. At illa particula redundat. Hîc quoque obseruandum est, sermonem esse vniuersalem. Non enim ait, in conspectu Græcorum, Iudæorum, huius, aut illius, sed prorsus omnium hominum. Paulus capite decimo prioris ad Corinthios, ait: Tales estote, vt nullum præbeatis offendiculum neque Iudæis, neque Græcis, neque Ecclesiæ Dei: quemadmodum ego per omnia omnibus placeo, non quærens, quæ mea sunt, sed quæ multorum, vt seruentur. Id idem fermè est cum eo, quod hoc loco præcipitur. Non solùm ergo cauendum est, ne quid committamus contra ea, quæ lege sunt prohibita, sed etiam, vt in his, quæ alioqui essent licita, prudenter nos geramus, ne offendantur infirmiores. Prouidentur bona, hoc est, iusta, & sancta, & honesta in conspectu omnium hominum, quum ea fiunt, vnde illustretur gloria Dei, & promoueatur ædificatio proximi. Non tamen hoc debet esse nostrum consilium, vt hominum gloriam consectemur. Christus enim monet, Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis. Verùm sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant vestra opera bona, & glorificent patrem vestrum, qui est in cœlis. Paulus ergo non ait, Quærite vt hominibus placeatis: sed curate, vt exempla vestra ita sint in conspectu omnium hominum, vt illis admoneantur de salute sua. Quumq; dicit, Prouidentes, satis indicat, hoc non oscitanter, sed quamdiligentissimè esse faciendum.

Si fieri potest, quantum in uobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Ideo adiecit conditiones, quoniam pax haberi non potest, nisi cum alijs. Et sæpe fit, vt per illorum importunitatem, & malitiam pax aut conuenire, aut retineri non possit: quum volunt aut nos impietate

pietate sua abducere à Deo, aut proximos nostros nobis tacentibus, & consentientib. opprimere. Quum autem ad aras ventum est, vt aut Deus aperte lædendus sit, aut proximus, quem nostro præsidio, atque ope iuuare debemus, deserendus, pax ista cum impijs hominibus prorsus repudianda est. Quiuis enim fidelis impiorum studia, & conatus pro viribus debet impedire. Imò Chrysostomus ait, Paulum adeò fuisse seuerum, vt in septimo. cap. ad Corinth. de illis etiam qui sint in matrimonio constituti, ita scribat: Quòd si infidelis discedit, discedat. Non enim in seruitutem subiectus est frater, aut soror huiusmodi. In pace vocauit nos Deus. Facimus autem quantum in nobis est, quum odio habemus vitium, personas autem prosequimur charitate, illisq; resistimus, quantum possumus, ne quid commit tant aut in Deum, aut in proximum. Id autem tam sæpe vsu venit, vt Christus dixerit, se non venisse, vt pacem mitteret in terram, sed vt gladium. Paulus ergo non iniuria dicit, Si fieri potest, & quantum in vobis est: quibus conditionibus satisfacimus, quum animos habemus ad iustam, & honestam pacem præparatos. Dauid ait, Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus.

Quando pax repudianda cum hominibus.

Non uosmetipsos ulciscentes dilecti: sed date locum iræ. Interposito, quid potius curandum sit, quàm vt malum pro malo reponamus, redit ad latiorem explicationem eius, quod proposuerat. Hoc, inquit, iubeo, ne vos ipsos vlciscamini. Et vna ostendit, quid facere oporteat, postquam accepimus iniuriam. *Date*, inquit, *locum iræ*. At cui? Quidam iram illius intelligunt, qui nos affecit iniuria. Sic enim fieri potest, vt cedendo eius frangamus impetum. At si resistamus, magis illius furor exardescet. Ita fulmina res duras, & obsistentes vincunt, frangunt, comminuunt, & magno fragore, ac ruina conterunt. At si mollia occurrant, & cedentia, facilè penetrant, & nihil ea lædunt. Ita tormenta illa bellica, quæ Bombardas vocant, mœnia, atque arces ex durissimis lapidibus extructas, magna vi demoliuntur. At eadem si incurrant in aggeres terreos, qui cedant ictui, prorsus vires amittunt, & nihil nocent. Itaque in bello nauali Imperatores boni naues suas solent ex omni parte munire lana. ea enim quum succumbat ictibus, facilè frustratur vim omnem bombardarum. Intelligi etiam ita potest, Cedendum esse iræ Dei: quoniam qui vult vlcisci se ipsum anteuertit, vel potius impedit. Ita hæc erit sententia: Committite rem Deo, & illius iræ cedite. Ea enim vestros inimicos manet. Nam quum lædunt vos, thesaurizant sibi iram in die iræ. Adhæc, qui se ipsum vlciscitur, temere facit, vsurpátque sibi munus Dei: & quum sit priuatæ conditionis, iurisdictionemq; in eos, à quibus læsus sit, non habeat, tamen illam iniustè vendicat. *Dilecti*, inquit: ea enim quæ iubebat, videbantur esse duriora. Ideoq; blando sermone captat illorum assensum: simul autem ostendit, se ista non scribere, quòd illorum iniurias, & damna parùm curet. Non ita est, inquit: Vos enim diligo ex animo: neque ista præcipio, nisi vtilitatis vestræ causa. Quæres fortasse, An prohibentur Christiani his verbis Pauli, ne læsi adire possint magistratum, & eum, qui læsit, in ius vocare? Non prohibentur. Videndum tamen est, ne id prauo affectu, & animo malo faciant, vt vltionem quærant, & malum malo rependant. Verùm id curare debent, vt eos, quos habent in clientela sua, magistratus præsidio tueantur: deinde, vt frater ille, qui peccauit, quem vident sanis consilijs, & pijs admonitionibus nolle acquiescere, alia ratione emendetur, postremò vt mala exempla ex Ecclesia, & è republica tollantur. His & alijs similibus rationibus licet adire magistratum. Est enim constitutus à Deo: vtq́ue alijs Dei beneficijs, cœlo, Sole, frugibus, fructibus, ita etiam magistratu fidelibus vti licet. Atque ita locus datur iræ Dei. Ea enim declaratur in improbos, vel per magistratum, qui Dei autoritate & loco iudicat, vel si magistratus officium suum negligat per ipsum Deum, vt loquuntur, immediatè. In adeundo ergo magistratu, modò id rite atque ordine fiat, nihil peccatur. Verùm id in primis cauendum est, ne vel Deo, vel magistratu abuti velimus, tantùm ad explendam iracundiam, & odium nostrum satiandum, quasi illis vti velimus pro nostris carnificibus. Vulgata editio habet:

Magistratus iustis de causis licet adire.

Qui magistratũ adit, locum dat iræ Dei.

Non uos ipsos defendentes. Græcè est, ἐκδικοῦντες. Quod verbum, etsi interdum sit, defendere, tamen eam defensionem significat, quæ cum vltione coniuncta sit. Christiano autem homini interdictum non est, quin vim vi repellere liceat, quum aut subitò inuaditur in solitudine, aut alioqui non potest magistratus opem implorare. Nam quum leges à iusto magistratu latæ hoc illi concedant, non id facit, vt priuatus, sed tanquam publicus minister à iustis, & publicis legibus armatus. Christus quidem dixit, Si quis tibi alapam impegerit in dextram maxillam, obuerte illi alteram. Sed id faciendum est, quum videas, te fratri tuo eo modo prodesse posse, aut id conducere ad gloriam Dei illustrandam. Extra autem istos

An liceat ulmi repellere.

casus non est necesse ita facere: quemadmodum & Christus, & Paulus exemplo suo docuerunt. Dum autem vis vi repellitur, moderatio inculpatæ tutelæ, vt luriſperiti loquũtur, seruanda est: vt ne quæras eum, qui te inuadit, lædere, aut occidere. Atque id in primis videndum est, vt quàm minimo possis eius damno, impetũ eius à te depellas. Certè nisi vim vi repellere licuisset, Apostoli sequentes Christũ gladios secum non gestassent. gladios autem habuerunt. Dixerunt enim Christo in vltima illa cœna, Ecce duo gladij hîc. Et Petrus, cùm Christus caperetur, An, inquit, percutimus gladio? Hinc satis liquet, Apostolos in hũc vsum gestasse gladios. Id si pugnasset cum lege Dei, Christus nunquã fuisset passus. Fuit enim mandatorum patris sui assertor acerrimus.

Mihi uindictam, & ego retribuam, dicit Dominus. Rem carni difficillimam, & alienam ab humana ratione confirmat autoritate Dei. Verba ista habentur Deuter. cap. 32. Legendũ autem est non in accusatiuo, sed in recto casu. Est enim hebraicè לי נקם ושלם & græce ἐκδίκησις. Quod & additur, Et ego rependam, non est in Hebræo, sed tantùm ושלם quod est, Et retributio. Sic ergo est in Hebraico: Mihi vindicta, & retributio. Septuaginta verò interpretes partem illam non habent, sed eius loco legunt, ἐν ἡμέρᾳ ἐκδικήσεως ἀνταποδώσω ἐν καιρῷ. Nec dubitandum est, Deum vlturum esse causam nostram. Nam in nostris iniurijs ille prior offenditur. Nemo enim ne cogitare quidẽ potest de lædendis nobis, quin prius violet legem Dei. Sumet autem vltionem de inimicis nostris, quòd simus ipsi charissimi. Itaque ait, Qui tangit vos, tangit pupillã oculi mei. Nec verò Deus aut obliuiosus est, aut muneris sui negligens. Cùm ergo ad illũ vindicta pertineat, & ille nos sibi charos habeat, & in nostra iniuria prior offendatur, & partes suas non negligat, omnino vindictã illi debemus relinquere.

Dicit Dominus. Hoc non habetur in Hebræo. Additum tamen est à Paulo, quò ista monita magis hærerent in animis nostris.

Si esurierit inimicus tuus, ciba illum. O præclarum vindictæ genus, inquiet humana ratio. Magis autem id dicet, si cogitet, nomine cibi, & potus, omnia officia, quæ ad vitam tuendam necessaria sint, comprehendi. Vnde luriſperiti, cui victus testamento legatus sit, ei intelligunt vestitum, habitationem, lectum, medicinas, & alia similia legata esse. Et Dominus, quum ait, Deum pluere super bonos, & malos, & facere Solem suum oriri super iustos, & iniustos, illis duabus vocibus, Solis, & pluuiæ complectitur omnia dona Dei, quæcunque in hac vita videmus bonis malisq; esse communia.

Atque hoc faciens carbones ignis congeres super caput eius. Hoc quidam sic intelligunt: adijcies stimulos, quibus ille ad te redamandum incitetur. Alij sic. Beneficia tua erunt illi ceu carbones, quibus erubescat, perturbetur conscientia, incendatur confusione: quasi hæc futura sit vltio piorum, atque hac ignominia suorum hostium iram suam expleant. Hæc interpretatio posterior indigna est Christiano ingenio. Nunquam enim quisquã pius inimicorũ suorum malis exultat. Fateor equidem, beneficia in hostes collata posse in illis ista efficere: Hęc tamen nobis vt fines officij nostri proponenda non sunt: nisi quemadmodũ in priori expositione diximus, quatenus vtcunq; faciunt ad eius emendationẽ, cui benefacimus. Idẽ iudicandum est de eo, quod Origenes ait, Carbones isto significare gehennam. Id quidem illorum vitio fieri potest, vt nostra beneficia eorum damnationem, & pœnas augeant. Verùm nostro cõsilio id non accidet. Nos enim nihil aliud, nisi illorũ salutẽ debemus quærere.

Noli uinci à malo: sed uince in bono malum. Cùm inter contraria sit perpetua pugna, rectè Paulus iniecit mentionem boni, & mali, quæ sunt contraria. Præclarum sanè est genus victoriæ, beneficentia superare inimicitiarum vires: vt contrà pernicioſus est casus irarum impotentiæ succumbere. In hoc certamine necesse est, vt aut nostra bonitate vincatur inimicorũ improbitas, aut bonitas nostra hostili furori succumbat. His artibus maleuolorum malitiam superari, ipsorum etiam testimonio probari potest, vt scribit Chrysostomus. Ipsi enim si rogentur, fatebuntur, se tum à nobis victos esse, cùm animo erecto illorum iniurias & damna contemnimus. Ibi enim indignantur, fremunt, æstuant, quasi nostra patientia fractæ sint, & prorsus deiectæ omnes illorum vires. Lætantur autem mirificè, cùm sentiant nos ita cõmoueri, vt omnino velimus vlcisci iniurias, quas accepimus. In humanis certaminib. illi dicuntur vincere, qui alios deijciunt: illi autem victi, qui profligati, & malè accepti cadunt. Quod mirum nõ est, cùm illa sint inuenta diaboli. Cęterùm hîc spiritus sanctus longè aliud nobis proponit pugnę genus: in qua illi vincuntur, qui dum se vlcisci volunt, satis declarant, se essuperatos: illi autem euadunt victores, qui ita leniunt, ac temperant iram suam, vt eos, à quibus affecti sint iniuria, beneficio afficiant. In hoc theatro Christiani se debent exercere: in quo spectatores, & fautores habent Angelos. Agnothetam autem iustissimum Deum ipsum

Præclarum genus uictoriæ.

Pernicioſus casus.

Diuersa certandi ratio carnalium et spiritualium hominum.

Theatrum Christianorum.

ipsum. Voces istæ admodum sunt significantes, Vincere, & vinci: Bonum, & malum: quibus nisi animi nostri permoueantur, magno argumento est, pertenuem spiritum, & degenerem in nobis esse fidem. Sed quid iudicabimus de hominibus exclusis ab Ecclesia, quos vocant excommunicatos? Quid item de illis, qui doctrinam veritati contrariã circumferũt? Cùm illis iubemur, ne cibum quidem sumere: istis autem ne Aue quidẽ dicere. Istis, si necessitas exigat, cibum, & alia necessaria exhibere debemus, non quidẽ comitatis, familiaritatis aut oblectationis nostræ causa, sed ne desimus officio charitatis. Quòd si res nõ postulabit, nec alloqui eos debemus, nec cum illis cibũ vnà capere. At si vel animi, vel corporis necessitas id requiret, hæc omnia, quæ Paulus scribit à nobis erga eos sunt obseruanda.

Quomodo nos debeamus gerere cum excõmunicatis, & hæreticis.

CAPVT XIII.

OMNIS anima potestatibus præeminentibus subdita sit.

Si, vt iam concluſimus, illi sunt reprehendendi, qui malum pro malo repẽdunt, & officium Christianorum est, hominibus malè de se meritis repone re officia charitatis, illi certè vehementer accusandi sunt, qui pro beneficio reddũt maleficia, & de se bene meritis, quales sunt magistratus, honorẽ ho minib. & obedientiã non exhibẽt. Hac de re quoniã Apostolus accurratè, & prolixè acturus est, vt melius, quid velit, intelligamus, definiemus, quid sit magistratus. Est ergo magistratus persona electa, idq; à Deo, vt leges, & pacẽ tueatur, & vitia, atq; mala pœnis, & gladio reprimat, & virtutes omnibus modis promoueat. Efficiẽs causa est Deus: finis custodia legum, & pacis, vitiorũ, incõmodorumq; profligatio, atq; virtutũ incrementũ Forma, ordo, quẽ in rebus humanis diuina prouidẽtia constituit: Materia est homo, seu persona. Quicunq; enim cooptatur, in magistratũ assumitur ex hominib. Methodus, quæ hîc seruatur, est propè generalis. Primùm constituitur, Omnes subditos esse oportere magistratibus. Deinde id probat ab efficiẽti causa: quòd omnes potestates huiusmodi sint ex Deo: postea ex contrario, quòd qui contemnunt magistratum, aduersentur Deo, idquè magno ipsorum malo. Denique idem probatur ex fine, quòd magistratus sint nobis magno bono. Hæc res in nouo Testamento & sæpius, & accuratius tractatur, ea maximè de causa, quòd filijs Dei soleat interdum venire in mentem, quodammodo indignum esse, vt quum ipsi regantur spiritu, & verbo Dei, externis potestatibus subijciãtur. Nec dici potest, quàm indignè aliquando Iudæi tulerint, quum à Babyloniis, ab Assyriis, à Medis, & Persis captiui premerentur: quúmque domi primùm à Macedonibus, postea à Romanis grauiter affligerentur. Voluissent libenter iugum illud excutere: quod hodie Anabaptistæ, ac Libertini magno furore conantur: quódque Papa cum suis iam diu facit. Is enim ab omni publica potestate ita se, ac suos clericos exemit, vt iam subiectos sibi habeat principes, & magnos orbis Christiani monarchas ad oscula pedum, & adorationem fœdissimam admittat. Imperatores creat: eósque, vbi videtur, deijcit: regna diripit: & prædas agit, quum velit. Christus autem longè aliter se gessit: soluit enim tributum: & docuit, Cæsari reddendum esse, quod esset Cæsaris. Cum istis verbis Pauli consentiunt ea, quæ Petrus scribit capite secundo prioris epistolæ: Subditi, inquiens, estote omni humanæ creaturæ, id est, ordinationi, quã Deus inter homines esse voluit. Subditi, inquit, estote propter Dominum, siue Regi tanquàm præcellenti, siue præsidibus tanquam ab eo missis, nimirum, vel à rege, vel à Deo, ad vindictam quidem nocentium, laudem verò rectè agentium. Si huius præcepti omnes partes excutiamus, omnia ea ferè inueniemus, quę hîc docentur à Paulo. Idem scribit Paulus in tertio capite ad Titum: Admoneto, inquit, illos, vt principibus, & potestatibus subditi sint, vt magistratibus pareant. Seruis autem, vt dominis suis obtemperent, ad Ephesios, ad Timotheum, ad Titum diligenter præcipit. Et ad Timotheum iubet à Christianis preces fieri pro magistratibus. Ex quibus omnibus id satis liquet, quod sæpius à nobis dictum est, & hoc loco scribitur à Chrysostomo, non datam esse doctrinam Euangelicam, quæ mundi politeias euerteret: sed potius quæ illas confirmaret, & redderet meliores. Hîc locus Apostoli pertinet ad illud mandatum Decalogi, Honora patrem, & matrem. Antiquitus enim, vt Aristoteles quoque tradit in Politicis, patres ius dicebant in familia sua, & inter suos erant reges. Et apud Romanos Senatores dicebantur Patres conscripti. Neque enim aliud est magistratus, quàm pater patriæ. Nihil hîc anxiè disputandũ est, quo iure, quáue iniuria principes adepti sint potestatem suam. Illud potius agendum est, vt magistratus præsen

Definitio magistratus.

Cur bonos magistratui exhibendus toties in nouo Testamento inculcetur.

Papa hîc ceu peragitur, et dẽnatur.

Christus mundi potestatib. erat subiectus.

Euangeliũ politias mundi non euertit.

Magistratus nomine patris commendatur.

tes reuereamur. Hæc enim epistola scribebatur, cùm Romani iam adepti essent imperium orbis terrarum: quod eos per vim scimus occupasse, & postea Imperatores artibus nihilo melioribus rerum summam ad se pertraxisse. Paulus tamen sine omni exceptione præcipit obediendũ esse potestatibus. Ita autem generalis est ista Pauli propositio, vt Chrysostomus testetur, Sacerdotes, Monachos, Prophetas, Apostolos, & Euangelistas teneri hoc præcepto. Origenem verò non puto esse audiendum. Is enim scribit, Paulum dixisse, Omnis anima, non autem, Omnis spiritus, quòd illi, qui prorsus sint spirituales, nec vllo modo sequantur affectus carnis, nec possideant res humanas, sub principibus, & potestatib. non degant. At quis vnquam habuit maiorẽ copiam spiritus, quàm Dominus, ac seruator noster Christus? Quis vnquam sanctior fuit, quàm eius Apostoli? tamen illi etiam vsque ad mortem sese publicæ potestati subiecerũt. Dicemus ergo melius cum Chrysostomo, neminem excipiendum esse ab hac vniuersali sententia. Sed Papistæ isti ecclesiastici dicent, Reges ipsos & publicas potestates cessisse de iure suo, & voluisse Clericos esse exemptos. Verùm non est spectandum, quid principes hac in re fecerint, sed quid facere debuerint. Non enim in illorum manu situm est, vt rescindant leges Dei. Quare si diuinum istud præceptum Pauli vult, omnem prorsus animam subiectam esse publicæ potestati, illi omnino parendum est. Neque enim vlla humana autoritate reuocari debent decreta Dei. Quanquam ista verba ita contrahenda sunt, vt intelligamus, nos non esse subiectos magistratui, nisi quod ad eius functionem, & munus attinet. Extra quæ si quando velit egredi, & imperare quippiam, quod pugnet cum pietate & lege Dei, obedire debemus Deo potius, quàm hominibus.

Hoc præcepto gradus omnium hominum continentur.

Principes nõ debuerunt Papis, & Episcopis dignitatẽ suam cedere.

Non enim est potestas, nisi à Deo. Probat institutum ab efficienti causa: quòd non vis vlla humana, sed Deus ipse autor sit omnium potestatum. Varia autem sunt potestatum genera. Est enim potestas patria erga liberos: est mariti erga vxorem: est herilis erga seruos: est Regia, Aristocratica, politica, Tyrannica, Oligarchica, Democratica erga ciues. Et quanuis tres istæ species vehementer corruptæ, & vitiosæ sint, Deus tamen etiam illarum est autor, Vis enim, & potestas in illis est regendi, & coercendi homines: quæ certè nõ posset vllo modo extare, nisi à Deo. At si quæras, quo tẽpore huiusmodi potestates primùm cœperint, aut quando primũ à Deo fuerint ordinatæ, respondeo, lumen illud, quod Deus mentibus nostris indidit, iam inde ab initio hominib. rationẽ dominandi indicasse: eam autem postea varijs Dei oraculis fuisse confirmatã. In lib. Gen. Deus dixit Noe, & eius liberis, humanũ sanguinẽ requirendũ esse de manu eius, qui illũ effudisset: hoc est, eum, qui hominem occidisset, vicissim esse occidendum. Id autem ratio ipsa docet, temerè, aut à quibuslibet fieri non oportere. Itaque ex eo loco apertissimè colligitur, necessariò deligendos fuisse, qui causam cognoscerent, & de sontibus supplicium sumerent. Sed cùm in impijs multa videamus perturbatè, & iniustè fieri, leges peruerti, & Dei iussa violari, quidã putant, non posse videri, eiusmodi potestates esse à Deo. Verùm, vt Chrysostomus rectè admonet, res ipsa, hoc est, principalis functio distinguenda est à persona. Neque enim dubitari potest, personam, quum sit homo, posse abuti re bona. Res autem ipsa seorsim considerata, quoniam bona est, non potest aliundè esse, quàm à Deo. Is enim quemadmodum in rerum natura omnia ordine constituit, Cœlum enim imposuit elementis, atque inde per aerem infundit varias vires, & facultates in terram, atque ex ea fructus varios, & multiplices procreat, quibus nos fouemur, & viuimus: & in humano corpore caput in fastigio, tanquam in arce posuit, illique subiecit oculos, aures, nares, pectus, aliáque membra vsque ad extremos pedes, ita humanam societatem ordine conseruat, vt gradus quidam in ea sint, per quos in illis operibus, quibus homines inter sese communicant, dirigatur. Nam in æqualitate fieri non potest, vt pax colatur. Ex ea enim pugnæ potius, & dissidia oriuntur. Quare aliquos oportet cæteris emineere, qui lites dirimant, & res controuersas ad consensum adducant. Hoc Deus apibus, gruibus, piscibus non negauit. Hæc enim animantia habent suos reges, & principes, quorum ductu, & auspicijs vel exeunt ad opus faciendum, vel redeunt ab opere. Quare quum homo sit omnium animantium præstantissimus, & plurimis actionibus communicet, multò magis à Deo muniendus erat isto præsidio principatus. Sed præter hanc rationem, quæ tamen verissima est, & summe necessaria, sctipturæ etiam sanctæ idem constanter affirmant. Illæ enim docent, non solùm Deum esse autorem omnis publicæ potestatis, verùm etiam illum regna, & principatus distribuere, quando, & quibus velit pro arbitrio suo. Vocat enim modò Assyrios, modò Chaldæos, modò alias nationes, quę Israelitis vi superatis, & oppressis imperẽt. Regnũ, quod

Diuersa genera potestatum.

Quo loco Deus magistratũ uerbo suo confirmarit.

In iudicando rẽ à persona oportet distinguere.

Pax æqualitate nõ potest haberi

Deus regna largitur, & transfert.

quod Dauid, & Solomon integrum obtinuerant, Dei voluntate scinditur, & decem eius partes Hieroboamo Nabathi filio attribuuntur. Idque Propheta Hieroboamo Dei nomine, antequam fieret, futurum indicauit. Deus postea remouit familiam Achabi, ne amplius regnaret: iussitq; per Elizæũ inungi, & consecrari Iehu filium Nansi. Et in cap. 4. Danielis ita scribitur: Deus obtinet regnum inter homines, & cuicunq; voluerit, tradit illud. Hanc tamen Deus obseruat rationem, vt malis, & impijs principibus vtatur ad puniẽda populi scelera. Et certè sæpe videmus, luxum, fastum, superbiam, libidines, violentia tyrannorum reprimi, quæ rebus tranquillis non potuerunt coerceri. His malis lenitas sæpe mederi non potest: quibus, ne serpant latius, opus est remedijs fortioribus. Postquam autem homines hoc pacto castigati redierint ad Deum, ille eos consolatur, & mitiores principes, & dominos iustiores prouidet. Cauet etiam, ne tyrannorum immanitate res humanæ ita concutiantur, vt prorsus pereant. Atque hæc ratio est, cur Deus, vt satis apparet ex historijs, cum istis portentis, hoc est, sæuis, & impuris tyrannis semper miscuerit aliquos pios, & iustos principes. Non enim vult ita reprimi vitia, vt ipsa natura hominum funditus intereat. Quare Domini voluntate non tantùm boni, & iusti principes, verùm etiam impij & scelerati tyranni regnant. Verùm dices, Si ita est, cur dicit Osea sub persona Dei, Regnarunt, & non ex me? Respondeo, quoniam mali principes, & qui malis artibus regnum adepti illud deterioribus administrant, dum ita se impure gerunt, non spectant eam Dei voluntatem, quę nobis vel lege naturæ, vel sacris literis est patefacta. Ea enim voluntate illorum facta, & istudia manifestissimè redarguuntur. Atque hoc pacto dicuntur regnare non ex Deo: quòd se non accommodent ad scriptam, & patefactam voluntatem Dei. Negari tamen non potest, Deum ad eum finem, quem iam exposuimus, arcana, & efficaci sua voluntate voluisse eos imperare. Neque enim satis est, quod quidam respondent, Deum non facere ista, sed tantùm permittere. Sacræ enim literæ aperte testantur, illum euocasse Babylonios, Assyrios, & alias nationes, quæ vexarent, & affligerent Israelitas: illúmque aduersus Solomonem, & alios Reges excitasse æmulos, & aduersarios, qui eos reprimerent, & castigarent. Quumq; isti ita excitati Dei voluntatem nihil curent, sed tantùm studeant ambitioni, & libidini suæ, grauiter in Deum peccant. Deus tamen per illos, quantumuis iniustos, & improbos, exercet iudicium iustissimum: & in eo nihil peccat.

Deus regna largitur, & transfert.

Per malos principes Deus punit peccata.

Tyrannis Deus intermiscet aliquos iustos principes.

Quæ sunt potestates, à Deo ordinatæ sunt. Si sunt à Deo constitutæ, sunt etiam constantes, & stabiles: & quanuis varijs successionibus res humanæ perturbantur, tamen potestas perpetuò conseruatur: vt in vniuerso, quanuis maximæ, & innumeræ sæpe contingant mutationes, tamen cœlum, aer, terra, mare semper locum suum retinent, nec vnquam relinquũt fines suos. Vtinam, qui rebus præsunt, id secum semper in animo cogitarent munus illud, quod gerunt, esse institutũ Dei: certè non ita eo abuterentur. Nunc res non patitur, vt taceamus, quemadmodum Bonifacius in sua Extrauaganti, quæ incipit, Vnam sanctam, his verbis Apostoli ad suum fastum confirmandum abutatur. Hinc enim vult probare, ea, quæ sunt à Deo, aliquem inter se habere ordinem, vt gradibus quibusdam illorum dignitas distincta internoscatur. Atque ex eo sequi, potestates, quæ sunt à Deo, non esse pares. Superiorem autem esse, quæ circa materiam versetur digniorem. Et quoniam potestas ecclesiastica sita est in rebus spiritualibus, ciuilis autem in corporalib. idcirco ecclesiasticam potestatem supremam esse, & ciuili magistratui non debere subijci: Papam autem in omnes principes habere iurisdictionem, quòd Christus dixerit, Quicquid ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quicquid solueris, erit solutum. Idq; vt apertius etiam ostendet, adducit illud, quod legimus, dictum esse Hieremiæ, Ecce constitui te super regna, & gentes, vt dissipes, & destruas, & ædifices, & plantes. Verùm hæc argumenta, vt superbia, & tumore plena sunt, ita etiam sunt vanissima. Primùm enim hîc Paulus non loquitur de gradibus potestatum distinctis inter se. Hoc tantùm ait, omnes potestates, quæcunque sunt, ordinatas esse à Deo. Ecclesiasticam autem potestatem esse de rebus spiritualibus, minimè inficior. versatur enim in ministerio verbi Dei. Et eam potestatem idcirco fatemur esse maximam, quòd verbum Dei omnibus oporteat imperare. Sed hæc potestas facit ad captiuandam omnem intelligentiam, & ad demoliendam humanarum rationum celsitudinem. Hoc agunt isti magnifici Domini: prædicent verbum Dei: mittant humana commenta: deinde si qui erunt, qui eos non audierint, illos non dubitabimus condemnare: siue illi principes sint, siue reges, siue monarchæ, & Imperatores. Hinc tamen non sequetur, illos, quod ad vitam corporalem, & possessiones, & agros, & domos, & mores attinet, non esse subiectos politicæ potestati. Imò etiam quod ad functio

Bonifacius octauus hoc loco est abusus.

Potestas ecclesiastica est de rebus spiritualib.

An functio ecclesiastica subijcia tur potestati politicæ.

nem ipſam attinet, ſubiecti eſſe debent pio, & religioſo magiſtratui: non quòd verbũ Dei, aut ſacramenta putemus ſubijcienda eſſe humanis legibus: ſed quòd officium ſit magiſtratus aut punire, aut ſummouere miniſtros, ſi ſe in functione ſua malè gerant, ſi veritatẽ adulterent, aut perperam adminiſtrent ſacramenta. Ligent, & ſoluant, hoc eſt, verbo, & prædicatione oſtendant, qui ſoluti ſint, & qui ligati. Non tamẽ ea cauſa eximant ſe à ciuili magiſtratu. Quemadmodum enim rex, quanuis præcellenti polleat dignitate, tamen obtemperare debet verbo Dei pronuntiato per miniſtros Eccleſiæ: ita vir eccleſiaſticus, quanuis in præclara ſit poſitus functione, tamen non eximitur ab obedientia, & ſubiectione magiſtratus. Admodum autem friuolum, & inane eſt, quod afferunt è Hieremia. Propheta enim ille nec euertit, nec extruxit regna. Ad hoc tamen vocabatur à Deo, vt pronuntiare nomine Dei, quæ regna euertenda eſſent, quæ ue inſtauranda. Alij ridiculè eludere volunt hunc locum. Aiunt enim, Apoſtolum nihil aliud iubere, niſi quenquam oportere eſſe ſubditum poteſtati ſibi aſſignatæ. Alioqui enim magnam ſequuturam confuſionem, vt Hiſpani neceſſariò cogantur ſubiecti eſſe regi Angliæ, & Angli Gallis. Apoſtolum ergo hoc tantùm agere, vt quiſque obtemperet poteſtati ſuæ. Clerici autem, inquiunt, habent Epiſcopos ſuos, & Papas, quibus pareant: nihil autem habent, quod agant cum magiſtratu ciuili. Non vident iſti, vel potius diſſimulãt, & videre nolũt, quàm ſit abſurdũ, diuidere, & ſecare quãuis nationem in duo corpora: quaſi clerici Hiſpani nõ ſint Hiſpani: aut Galli clerici non ſint Galli. Certè ſi omnes Hiſpani ſubiecti ſunt regi ſuo, clericos quoq; cùm ſint Hiſpani, neceſſe eſt illi eſſe ſubiectos. Adhæc iſto præclaro ſenſu abutuntur verbis Pauli. Ille enim ſubijcit omnem animam eiuſmodi poteſtatibus, quæ habeant ius gladij, & quibus ſoluenda ſint tributa. Papæ autem, & Epiſcopi non habent gladium. Quare in hoc argumento nihil eſt, niſi mera fraus, & fictio. Sed aiunt, miniſtros Eccleſiæ, vt Papam, & quoſdam Epiſcopos habere poſſe ius gladij. Quòd ſi obijcias, Chriſtum illis gladium non dediſſe, imò dixiſſe regnum ſuum non eſſe de hoc mundo, & ipſum non habuiſſe, vbi reclinaret caput ſuum: reſpondebunt, miniſtros quidem non habere gladium, quatenus miniſtri ſunt: ſed illum aliunde iuſto titulo, & iuſta poſſeſsione accepiſſe. Chriſtum autem inſeruiuiſſe vocationi ſuæ: veniſſe enim eum in humilitate, vt per paſsionem, & mortem redimeret humanum genus. Exemplum verò eius non eſſe ſequendum in omnibus. Alioqui neminem Chriſtianum poſſe gerere magiſtratum. Chriſtum enim non geſsiſſe. Satis ergo, illum reliquiſſe exemplum tantùm hominibus tendentibus ad perfectionem: quales ſunt monachi, & fraterculi mendicantes, qui, vt aiunt, mundo renuntiarunt. Nec volunt Petrum præſcripſiſſe ſucceſſoribus ſuis, cùm diceret, ſe aurum, & argentum non habere, ſed illis tantùm reliquiſſe formam perfectionis, qui vitam ita inſtituunt, vt ille, qui relictis omnibus, ſequutus eſt Chriſtum, quò illi ſeruiret expeditius. Cogitent autem iſti ſecum, non tantùm exempla pro nobis facere, ſed etiam mandata. Chriſtus enim ait, Reges gentium dominantur illis: vos autem non ſic. Iſta autem oportet ſingulariter, & ſeorſim Apoſtolis, & miniſtris eſſe dicta, non omnibus in vniuerſum. Ciuitates enim, & regna non poſſunt regi ſine magiſtratu. Petrus etiam mandat præſidibus Eccleſiæ, ne exerceant dominium in gregem. Sed videamus, quibus rationib. iſti vſurpationẽ gladij prætexant. Ciuitates, inquiũt, & prouinciæ hoc pacto melius reguntur. Hîc non oportet me multum laborare, vt reſpondeam. Spectemus ipſas Epiſcoporũ ciuitates, quantò illę ſanctiores, & puriores ſint, quàm aliæ. Certè cùm ipſi per ſe regere, atq; adminiſtrare non poſsint, ſubſtituunt ſibi præfectos, & iudices, & eos, quos vocant Officiales. At illi non minus fraudibus, & impoſturis, & turpiſsimis quęſtib. inſeruiũt, quàm alij turpiſsimi iudices ſolẽt, qui in ciuili magiſtratu verſantur. Altera ratio eſt: quoniã in hac ferrea, inquiunt, & corruptiſsima ætate, quoniã homines ſtudio pietatis, & ſpiritu non ducũtur, vt olim ſolebant in Eccleſia primitiua, expedit vt vi, & ferro coerceantur. Eſto. Sed principes coercere poſſunt impios gladio ſuo: & præſertim hoc tempore, quum principes ſint Chriſtiani, & fidem eandem nobiſcum profiteantur. Sed quósnam, obſecro, iſti gladio illo ſuo fecerunt meliores? Certæ nunquam res Chriſtianæ fuerunt deteriori loco, quàm ex quo tempore Epiſcopi, relicta cura ouium, & gregis Chriſti, cœperunt vſurpare gladium. Adhæc quis non videt, duas iſtas functiones ita ſe mutuò impedire, vt qui vnam exerceat, alteram non poſſet adminiſtrare? Neque enim quiſquam inueniri poteſt ita promptus, & induſtrius, qui alterutram rectè, atque ordine obire poſſet. Sed de his ſatis. Nunc ſupereſt, vt verba diligentius conſideremus.

Quomodo Prophetæ regna euerterẽt, & extruerent.

Non eſt una eademq; natio ſecãda in duo corpora.

Chriſtus Papæ. ac Epiſcopis nõ dedit gladium.

Præceptũ eſt miniſtris Eccleſiæ, ne gladiũ, & dominatũ habeant

Quàm leuibus argumentis Papæ, ac Epiſcopi tueantur ſuum gladium.

Nulli facti ſunt meliores gladio Papæ, imò deteriores.

Duæ iſtæ functiones mutuò ſe impediunt.

Non eſt poteſtas, niſi à Deo. Iuxta regulas Dialecticorum, perinde eſt, ac ſi Paulus dixiſſet, Omnis

Omnis potestas est à Deo. Quare cùm Paulus ita ratiocinetur, frustrà cauillantur quidam, posse se non reuereri minores magistratus, vt prefectos vrbium, & præsides prouinciarum. Putãt enim esse satis, si sublimibus potestatibus, vt Imperatoribus, & Regibus sint subiecti. At Paulus omnem complectitur potestatem. Nam propositio exclusiua, vt loquuntur, æquiualet vniuersali transpositæ. Vt, Tantùm homo currit: ergo, omne currens est homo. Ita hîc: Tantùm à Deo est potestas: ergo omnis potestas est à Deo. Quòd si omnis potestas est à Deo, illam haud dubie debemus colere, & venerari. At si nobis videamur nimis acerbè premi ab inferiori magistratu, non impedimur hac doctrina, quin appellationis beneficio possimus vti. Ea enim vt æquissimè permittitur iure humano, ita nullis diuinis literis est abrogata. Imò Paulus ipse ea vsus est, cùm videret esse opportunum. Licet ergo à minori potestate per appellationem confugere ad fidem, & misericordiam superioris.

Licet ab inferiori magistratu appellare ad superiorem.

Qui autem illis resistunt, ordinationi Dei resistunt. Quid iniquius, aut indignius, quàm velle pugnare cum Deo? Quàm id peruersum sit, ethnicorum etiam poetæ viderunt. Fingunt enim, Iouem grauissimè vltum esse Gygantum illorum temeritatem, qui vim cœlo inferre conabantur. Ciuili autem potestati bifariam resistitur: vel aperta vi, quod videmus, homines seditiosos, & rebelles facere: aut astutè, & callidè, vt quum princeps malis artibus, & fraudibus circumuenitur, vt fungi non possit officio suo. His enim rationibus sæpe, ignaro principe, cursus iustitiæ impeditur. Vnde circumfertur dictum illud Diocletiani, Bonum, cautum, & prudentem principem sæpe vendi. Nam dum solus est in cubiculo, accedunt ministri, & omnia fallaciter exponunt. Ita ille imprudens facit tanquam recta, & iusta, quæ re vera sunt iniustissima. Viros optimos remouet à gubernaculis Reipublicæ: & eos admouet, quos erant longissimè repellendi. Itaque quidam Patres non conscriptos appellauit, sed circunscriptos. Non tamen hæc dico, quòd putem, non licere hominibus pijs omni recta ratione fugere, ne incidant in manus tyrannorum. Quod tamen facere non debent postquam semel coniecti sunt in carcerem. Hoc enim esset leges publicas violare, & exemplum, atque audaciam idem faciendi præbere sicarijs, & latronibus.

Qui potestati resistunt, resistunt Deo.

Ciuili potestati resistitur bifariã

Diocletiani prudentissimum dictum.

Qui autem restiterint, sibi ipsis iudicium accipient. Non homines hîc læduntur, sed existimatio, & dignitas Dei contemnitur. Deus enim respondit Samueli, Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos. Iudicium intelligimus præcipuè, quod attinet ad æternum exitium. Infrà enim sequitur, Oportere nos esse subditos non tantùm propter iram, sed etiam propter conscientiam. Potest etiam intelligi iudicium in hac vita. Solomon enim ait, Rugitus Leonis ira Regis: qui eam prouocat, peccat in animam suam. Grauia supplicia proponuntur seditiosis, & rebellibus. Lege veteri capitale fuit, si quis superiori potestati restitisset. Chore igne absumptus est cum suis. Dathan, & Abirom à terra dehiscente absorpti sunt, quòd sese Moli, & Aharoni seditiosè apposuissent. Scimus quis exitus sequutus sit Absolomum, cùm patrẽ suum regno exuisset. Quid orbi terrarũ speciosius visum, quàm facinus illud Bruti, & Cassij, qui Cæsarẽ tyrannũ sustulerunt? Tamen Deum illorũ consilia nõ probasse, exitus declarat. Non est ergo principib. resistendũ, ne discolis quidẽ, vt Petrus monet. Ex his verbis, ita possumus colligere: Qui resistit potestatibus, resistit Deo: Ergo, qui parẽt potestatibus, vt par est, parent Deo. Connexio est à contrarijs admodũ perspicua, & verisimilis. Atq; hæc sententia nõnihil consolatur filios Dei. Vident enim, se, cùm obediunt principibus, obedire Deo, illumq; in potestatibus venerari. Deinde etiam ex forma iudiciorum, & tribunaliũ terreni magistratus, statuunt sibi ante oculos quãdam similitudinem diuini iudicij, quod ad finem rerum per Christum exercendum esse non dubitamus.

Seditiosis ac rebellibus grauia imminent supplicia.

Qui paret potestatib. paret deo

Deum in potestatibus terrenis uenemur.

In iudicijs terrenis, iudiciũ Christi futurum contemplamur.

Nam principes terrori non sunt bonis operibus, sed malis Nunc Paulus, cùm de efficiente causa humanarum potestatũ abunde loquutus sit, ex qua docuit illis esse obediendũ, idem probare vult à fine: quò animo meliore ista præcepta audiamus. Si magistratus instituti sunt ad tollẽda opera mala, & flagitia, videnẽ nullũ habituri locũ, si homines sua sponte studerẽt pietati, & iustitiæ, & in legem nihil offenderent. Imò etiam tum aliquo suo munere fungi possent. Sæpe enim videas, viros probos, & innocentes, quamuis, mente, ac voluntate bona sint, cupiantq; vitam rectè instituere, tamen rationem ciuilis disciplinę per se ipsos non tenere. Opus ergo illis est, vt ad id, quod cupiunt, bonis & pijs legibus dirigantur. Quare potestas ciuilis illis pro pædagogo esse potest. Sed esto: nulla sit inter homines ignoratio officiorum vitæ, & munerum ciuilium: tamen necesse est, vt fateamur, illos etiã tum in honore, & admiratione habẽdos esse, qui illustrioribus donis à Deo essent cumulatius instructi: quib. ta-

Qui pij sunt & boni tuuantur à magistratibus nõ tantùm mali.

men nulla pars principatus supereſſet, quam exercerent erga alios. Cumq; hoc nobis futurum ſit poſt beatam illa reſurrectionem, idcirco Paulus recte docuit ad Corinthios, Chriſtũ ad finem traditurum eſſe regnum Deo, & Patri, & abolendum eſſe omnem principatum, & poteſtatem. At dum adhuc in mundo viuimus, atq; in malis verſamur, & magiſtratus eſt neceſſarius, & illi omnino eſt parendum, in ijs quæ cum pietate non pugnant. Cumq; magiſtratus inſtitutus ſit ad hoc, vt opera mala puniat, & bona promoueat, ex eo poſſumus intelligere, eos qui illi ſeſe opponunt, duplici nomine poſſe accuſari: vel quòd ſibi conſcij ſint rerum malè geſtarũ, in quas nolint animaduerti: vel quòd mali ſint cultores iuſtitiæ, ad quam ſe non patiantur inſtigari. Sed queruntur, eos, qui ſint in magiſtratu, eſſe homines impuros, rapaces, violentos: eosq; id agere, vt quiſque aut nihil, aut quàm minimum habeat. Verùm iſti cogitare debent, ſermonem à Paulo de re ipſa inſtitutum eſſe, non de abuſu: illumq; de eo, quod plærunque, non autem de eo, quod raro contingit, loqui. Quod ad primum attinet, non debet vitio verti rei, quod ex eius abuſu proficiſcitur. Vt ſi quis flagitioſus vel mente, vel oculis, vel auribus, vel reliquis animi facultatibus peruersè abutatur, non tamẽ ſequetur ex eo, omnium harum rerum non optimos eſſe fines: niſi fortè dicere velimus, Deum autorem eſſe malarum rerum. Poteſtate autem abuti poſſunt, & illi, qui eam adminiſtrant, & illi, quos oportet obtemperare. Cæterùm cogitare debemus, etiam tyrannides, quãuis graues, & permoleſtæ ſint, multa tamẽ munera iuſtitiæ, & æquitatis retinere: ideoq; multò plus haberevtilitatis, & commodi, quàm ἀναρχίαν, in qua liceat cuique pro libidine, ſine ratione facere, quod velit. Niſi enim tyranni etiam ſæuiſſimi aliquam haberent rationem iuris, potentiam illam ſuam retinere non poſſent. Cùm Nero imperio ſuo opprimeret orbem terrarum, tamen ius dicebatur, nec vis legum funditus è rebus humanis euulſa erat. Paulus enim ſub eo per Centurionem ereptus eſt, ne à vulgo, & turba Iudæorum diſcerperetur. Cumq; ille ſe ciuem Romanum eſſe, clamaſſet, vincula ei ſoluta ſunt, & verbera ſummota. Idemque ne à Iudæorum inſidijs opprimeretur, noctu à militibus abductus eſt Antiocheam: ibiq; nõ ſemel facta illi copia eſt ſe defendendi. Quid multa? Cauſam dixit: & poſtremò appellauit ad Neronem. Cùm ergo in malis etiam principibus eluceat multum boni, ſatis apparet, illorum quoque poteſtatem eſſe à Deo: neque cuiquam priuato fas eſſe tyrannum interficere. Dauid, cùm poſſet, noluit tamen Saulem occidere, quamuis ſe gereret tyrannicè: imò Amalechitam illum iuſſit interfici, qui iactabat, ſe Saulem occidiſſe: & illos quoque affecit capitali ſupplicio, qui Iſboſethum Saulis filium interfecerant. Et certè ſi liceret cuique pro ſuo arbitratu tollere tyrannum, non deeſſent nefarij homines, qui in pios principes nomine tyrannicæ damnationis manus mitterent: atque ita nihil ſanctum, atque inuiolatum relinqueretur. Non tamen hoc dico, quòd putem ſuperiores poteſtates nõ poſſe ab inferioribus abrogari, vel illos ab eis, qui conſtituti ſunt vel cuſtodes, vel authores, vel electores principũ, non poſſe in officio retineri, ſi fines, & limites acceptæ poteſtatis tranſgrediantur: vt olim fieri ſolebat Romæ à ſenatu populoq; Romano, & hodie in Germania interdum fit ab Electoribus Imperij. Sed, vt ad Paulum redeamus, munera iſta duo poteſtatum, quæ recenſet, præcipua ſunt, & maximè neceſſaria, & eiuſmodi, vt omnia fermè in ſe alia earum officia cõprehendãt. Solon dicere ſolebat, Rempublicam duabus rebus contineri, præmio, & pœna: Et Antiſthenes philoſophus conſueuit dicere, illas ciuitates vergere ad interitum, & præſens exitium, vbi diſcrimen non eſſet inter bonos, & malos. Senſit, oportere probos ciues ornari præmijs, malos autem affici ſupplicio.

Quibus de cauſis aliqui magiſtratib. reſiſtant

Tam ſubditi quã principes poteſtate interdum abutuntur.

Tyrannus quoq; non caret multis bonis.

Exempla principatus Neronis.

Priuatis nõ licet tyrannum interficere.

Exẽpla Dauidis

Quid liceat poteſtatibus inferioribus erga ſuperiores.

Duo ſunt præcipua munera poteſtatum.

Duabus reb. res publica continetur.

Vis non timere poteſtatem. Vtitur dialogiſmo, in quo eſt occupatio coniuncta cum eius rei confutatione, quæ facilè cuique in mentem venire poterat. Iſtæ poteſtates, quamuis multa habeant vtilia, tamen ſunt ſæpe formidabiles, & terrorem metumq; incutiunt. Id autem valde eſt moleſtum. Quare, Bene te geras, inquit Paulus, & non timebis. Certò enim ſcies, aut te laudem ablaturum eſſe à poteſtate, aut, ſi ea nimis infeſta, & crudelis fuerit, Deum tibi tantum roboris, & conſtantiæ daturum, vt omnia extrema intrepido, & forti animo ferre poſſis. Nam ſi id dedit Socrati, Anaxarcho, Senecæ qui fuerunt ethnici, atque infinitis martyribus Chriſtiani nominis, ne dubita, tibi quoq; idem dandum. Quare ne timeas poteſtatem, ſi te rectè, & inculpatè geras.

Timor à poteſtatib. eſt moleſtus.

Laudem habebis ex ea. Non eſt parua laus abſolui in iudicio. Catoni laudi datum eſt, quòd cùm toties cauſam dixerit, ſemper fuerit abſolutus. Eſt etiam magna laus, ſi quis ita ſanctè, & innocenter vixerit, vt illi nihil in iudicio poſsit obijci. Vt cùm Fimbria Scæuolæ diem diceret, & interrogatus eſſet, quid illi, viro præſertim tam ſancto, & innocenti eſſet crimini daturus, quòd, inquit, percuſſus à me totum telum corpore non receperit.

Non parua laus in iudicio abſolui.

Dei

Dei enim minister est. Illius in terris vicem gerit. Et quemadmodum monarchæ in rebus grauibus non destituunt suos præsides, & vicarios, ita Deus ministros, & præfectos suos non deserit: sed cùm res ab istis terrenis potestatibus adductæ sunt in summum discrimen, ipse interdum suo nomine omnia expedit, & mira gerit. Vidimus sæpe potentissimos quosdam impios præfectos, vel potius pestes Rerumpublicarum incredibili ratione, ac via dedisse pœnas, cùm alioqui apud suos principes essent in delitijs. Vidimus sæpe, homines sontes, cùm alioqui aditus facillimus pateret ad fugam, ita circunfusos fuisse tenebris, vt fugere non potuerint. Vtinam principes acciperent leges administrationis suæ ex his officijs à Paulo hîc descriptis. Non ita agerentur suis cupiditatibus, nec ea committerent, quæ Deus apud Samuelem complectitur in lege Regia, quæq; prædixit tyrannos esse facturos. Constituitur princeps, qui inter Deum, & homines Dei vices gerat: quique Deo de suis factis aliquãdo redditurus est rationem. Hominibus autem sibi subditis illum oportet inseruire, & eorum vtilitates, & commoda procurare. Rectè sensit Chrysostomus, principes bonos efficere virtutes faciles, dum eas & exemplo vrgeant, & pœnis metuq; homines ad eas impellant. Permultos videas ingenio alieno à iustitia: qui tamen, cùm vi legum, & metu illi cogantur assuescere, ita paulatim eius dignitate capiuntur, vt eam diligenter persequantur. Atque hæc ratio fuit, cur Augustinus, cùm antea iudicasset, non oportere magistratum animaduertere in hæreticos, posteà mutarit sententiam. Alij enim episcopi proferebant multas Ecclesias, quæ metu Imperatorum, & legum à Donatistarum factione desciuissent, & iam assuetudine ita agnouissent Catholicam veritatem, vt nullo pacto vellent ab ea discedere. Quum enim rationes illis fuissent sæpius inculcatæ, quas antea audire non poterant, postremò illis visæ sunt, vt erant, verissimæ. Monet etiam Chrysostomus, potestates publicas adiuuare ministros Ecclesiæ. Nos enim, inquit, docemus populum pietatem, castitatem, modestiam: ab homicidijs, falsis testimonijs, adulterijs, furtis dehortamur. Magistratus autem pro tribunalibus de his cognoscit. Videtur ergo, inquit, nobiscum conspirare, & vnà cum nostra functione cooperari. Origenes quoque in eandem sententiam tractat locum ex 15. cap. Act. Apostoli decreuerunt, oportere Gentes abstinere à carnibus immolatitijs, à scortatione, & sanguine, & suffocato. Nec aliud onus se dixerunt velle illis imponere. Concludunt autem postremò sic: ab his vobis temperãtes bene agetis: Valete. Quòd si nolunt illos premere pluribus præceptis, inquit Origenes, an libera faciũt illis homicidia, furta, periuria, libidines, adulteria? Nequaquã, inquit: sed de his nihil opus erat statuere. Ista enim cognoscuntur à magistratu, & ciuilibus legibus prohibentur.

Deus non destituit protectione sua magistratus.

Inditia gubernationis Dei erga potestates.

Principes boni uirtutes reddunt faciles.

Exemplum Augustini.

Magistratus ecclesiæ ministros iuuat.

Non enim sine causa gladium portat. Ideo ait magistratum timendum esse hominibus sceleratis, quòd ante illum gladij, & fasces, & secures præferantur. Ea autem symbola sunt, & instrumenta supplicíorum, quibus luuntur, quę commissa sunt in leges. Gladius indicat, illos, vt luriseriti loqui solent, imperium habere merum. Vlpianus ait, illud esse merum imperiũ quod habet potestatem gladij ad animaduertendum in homines facinorosos.

Gladius qui gestatur ante principem quid indicet.

Merum imperiũ.

Nam Dei minister est ultor ad iram. Quemadmodum est minister Dei ad bonum, & commodum tuum, si rectè agas, ita est minister Dei ad iram, hoc est, ad vltionem, si te malè geras. Neque verò ignorare debet is, cui gladius commissus est, se custodem esse, non modò posterioris, sed etiam prioris tabulæ. Quare satagere debet, vt religio quoque rectè administretur, & ex verbo Dei: neque putet, quod hodie multi principes sibi persuadent, eiusmodi curam nihil ad se pertinere. Volunt quidem illi sacerdotia, & episcopatus distribuere quibus visum fuerit: vt autem illi, quos ad tales dignitates euexerunt, officio suo fungantur, nihil curant.

Magistratus custos est prioris & posterioris tabulæ.

Quapropter oportet subditos esse, non tantùm propter iram, sed etiam propter conscientiam. Hoc veluti epilogo concludit præcipuas rationes, quas adduxerat. Illasq; vel ad vltionem, vel ad conscientiam reuocat. Quanto verò cum suo periculo homines contumaces sint erga magistratum, facilè scire possumus ex vltionibus grauissimis, quę habentur in legib. De crimine læsæ maiestatis, & alijs similibus. Deinde ratio habenda est conscientiæ: quæ alioqui nos condemnat, & tradit iudicio Dei: vt quamuis principum terrenorum iram euaserimus, tamen vltionem Dei adhuc nos manere intelligamus. Sed illam fingito nullam esse: tamen an parui æstimas, animum ægrum intus perpetuò conscientiæ stimulis flagellari? Nemo est, opinor, qui nesciat, quàm grauiter torqueant illæ cogitationes mutuò sese accusantes, & defendentes. Istæ erant illæ vltrices furiæ, quas poetæ finxerunt homines noxios semper insectari. Si seditiosè aut contumaciter agatur contra principes, duplex cura è vestigio cruciat conscientiam: Vna quòd gubernationem à Deo institutam abieceris:

Duplex cura urget conscientiam seditiosorum.

altera quòd ſumma ingratitudine, impietate, iniuſtitia, contumelijs affeceris poteſtatem & de te, & de humano genere bene meritam.

Propter hoc enim & tributa ſoluiſtis: Quoniam miniſtri Dei ſunt in hoc ipſum incumbentes. Oſtendit Paulus ab externo ſigno iuſtè arguí poſſe conſcientiam hominum rebellium, & contumacium, quòd principibus ſuis tributa pendant. Hoc autem vt iuſtè, & rectè, atque ordine factum à communi omnium hominum, & nationum ſenſu accipit. Tributum enim datur, aut quò ſe homines teſtentur principibus ſuis eſſe addictos: nam ob hanc cauſam Deus voluit etiam ſibi ab hominibus offerrí aliquid: non quòd ille egeat rebus noſtrís, quícquid enim habemus, habemus ab eo: alioquí ſi opus haberet noſtris bonis, non eſſet Deus, vt ait Dauid: aut tributa dantur mercedis loco, vt graues illos labores, quos magiſtratus obeunt pro Republica, aliquo modo compenſemus, ipſíque publicas impenſas queant ſuſtinere. Tributum igitur hominum cõſcientiam admonet, præſtantem eſſe eam poteſtatem cui datur, & inſtitutam à Deo, & Dei loco inter homines poſitam, quamq; oporteat venerari, & colere. Id enim ſoluendo tributum quiſque ſe facturum pollicetur. Hoc etiam reuocatur in mentem, Rempublícam illorum cura, & ſtudio plurimùm iuuarí: ideóque illos noſtrís priuatorum hominum opibus eſſe ſuſtentandos, veluti mercede illorum laboribus iuſtiſsimè debita. Nam vt nos otiosè quíeſcamus, illi perpetuis curis anguntur de rebus gerendis. Illi ſæpè coguntur foris agere, & res ſuas publicis negotijs poſthabere, vt tibi liceat manere domi, & curare tua. Illi defendunt fines, pugnant in hoſtem, ferunt omnes labores, ſubeunt grauiſsima pericula, vt nobis liceat poſſeſsionibus, & facultatibus noſtrís pacatè, & ſecurè frui. Illi dicunt ius, ſcribunt leges, condunt decreta, ineunt conſilia, ne quis vi de ſuo deiíciatur, ne cui aut ignominia, aut damnum inferatur. Illi perſequuntur maleficos: graſſatores, & latrones tollunt: vt nobis itinera tuta relinquantur, vtque néue domi, néue foris vllum nobis creari poſsit periculum. Pro his tot beneficijs nemini debet videri graue, ſi tributum illis, vt iuſta merces rependatur. Sed præter tributa Paulus monet, vt illos iuuemus etiam precibus, vt ſub illis poſsimus vitam tranquillam, & quietam agere, cum omni pietate, ac temperantia. Vtinam vicíſsim príncipes, dum tributa, & vectigalia recípiunt, ſecum in animo cogitarent, in quem vſum illa dentur. Vtinam ſic ipſi ſecum loquerentur: Hæc ea cauſa mihi tribuuntur, vt promoueam virtutes, vt reprimam vitia, vt tuear pacem, & tranquillitatem Reipublicæ. Nolo gratis hanc tantam annonam comedere: nolo ea negligere, quæ populus meus hoc honoris genere à me poſtulat, vel potius flagitat. Hoc ſi fieret ab omnibus tolleretur illa ignominia vulgò nimis verè iactata, Omnes bonos príncipes in vno annulo inſcribi poſſe.

Miniſtri enim Dei ſunt. λειτουργοί. Hìc vídemus λειτουργεῖν, & λειτουργίαν non ſolùm, vt quídam putant, ad ſacra pertinere. Imò iſtæ voces propriè publica munia ſignificant.

Reddite igitur. Quum ait, Reddite, declarat, hoc ad iuſtitiam pertinere. Itaque, qui vel non ſoluit, vel imminutum ſoluit, quod debet, violat iuſtitiam, quæ reddit, quod ſuum eſt, cuique. Nec mirum eſt, Paulum tot vijs, & rationibus commendare nobis obedientiam erga magiſtratum. Difficile enim alioquí eſt ſuperbos hominum ſenſus in hoc officio continere. Volumus enim omnes eſſe domini, & parere nemini. Hinc Paulus inſtituit tranſitionem ad commune dilectionis officium, quod gerere debemus erga omnes proximos.

Cui tributum, tributum: cui uectigal, uectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. Putant quídam, timorem hoc loco eſſe reuerentiam: idq; ex eo probant, quòd Paulus ſuprà víſus eſt timorem à pijs hominibus remouere: cùm díceret, Bonum fac, & non timebis: imò potius laudem aſſequeris à magiſtratu. Verum id non eſt neceſſe. Quamuis enim, qui ſcelus non admiſit, non timeat, vtile tamen illi eſt, vt timeat, ne quid committat in poſterũ. Quamuis autem omnia illa, quæ hìc recenſentur, pertineant ad magiſtratum, tamen, quia ille non agit omnia per ſe ipſum, ideo Apoſtolus vſus eſt diſtributione. Perſonæ príncipis redditur honor: líctoribus, ſatellitibus, milítibus, carnificibus, timor: quæſtoribus tributum: publicanis vectigal. Nec ſolis principibus debemus honorem, ſed etiam parentibus. Timorem quoque ſerui debent dominis. In Malachia Deus ita queritur: Sí ego ſum pater, vbi eſt honor meus? Si dominus, vbi eſt timor meus? Príncipes autem agnoſci debent & vt patres, & vt domini. Tributa ſoluimus de agris, & facultatibus: Vectigalia de mercibus vel exportatis, vel inuectis. Tributa autem, & vectigalia, vt Vlpianus ait, ſunt nerui Reipublicæ, ſine quibus ſuſtineri, & adminiſtrari non poteſt.

Clerici,

Duplici de cauſa tributum ſoluitur.

Precibus iuuandi ſunt magiſtratus.

λειτουργίαι non tantùm ad ſacra pertinet.

Contra iuſtitiam eſt uel non ſolucre uel imminuere tributa.

Quare tam multis obedientiã erga magiſtratus commendarit.

Tributa & uectigalia nerui reipublicæ.

Clerici, & Ecclesiastici contendunt se à tributis, & vectigalibus exemptos esse beneficio principum. Certè Christus vsus non est hoc priuilegio. Is enim curauit, vt tributũ persolueretur, & pro se ipso, & pro Petro. Deinde si cõsulamus iura ciuilia, ab omni onere tributorũ non releuantur. Iustinianus quidẽ voluit, vt à personalibus munerib. essent immunes: vt habetur in Cod. De Ecclesijs, & Episcop. Dicuntur autem munera personalia, quæ obimus tantùm industria, atque opera adhibita. Nam si ad illa ministri Ecclesiæ astringerentur, fieri nõ posset, quin abstraherentur à munere suo. Videtur etiam idem Iustinianus illos ab extraordinarijs quoq; exactionibus exemisse, non autem ab ordinarijs. Imò ad sternendas vias publicas, & pontes reficiendos astringuntur. Neque certè lex charitatis patitur, vt, cùm ipsi agros, & alia multa possideant, sese ciuilibus oneribus subtrahant, & vniuersum pondus reijciant in alios: vt cùm alijs omnibus sit angustia, ipsis solis sit remissio. Bonifacius 8. vir, vt ipsi Papistæ fatentur, in suis decretis fastuosè ac superbè incedens, quemadmodum habetur De immunitate Ecclesiarum, Condidit decretum, quo statuit, Ecclesiasticos viros prorsus immunes esse ab omni pensione tributorum. Imò illis grauiter interdicit, ne quid iniussu Romani Pontificis ausint soluere profanis principibus. Grauissima importunissimi hominis constitutio, ex qua infinitæ penè rixæ, & immortales contentiones natæ sunt. Assuta tamen est à quibusdam pulchra interpretatio: Aliquid tamen ab illis posse exigi, si pro aris, & focis, & summa Reipublicæ dimicetur. Quali verò isti non debeant subuenire Reipublicæ, nisi vbi ventum fuerit ad extrema. Venit mihi nunc in mentem, quod Diocletianus admodum scitè respondit cuidam philosopho petenti immunitatem: Professio, inquit, tua multùm à petitione tua discrepat. Philosophia enim tua docet, vincendos esse affectus. Tu autem ostendis te planè victum esse cupiditate, & auaritia. Ita Clerici quum profiteantur præter alios omnes religionem, & charitatem, tamen petunt, ne cogantur obedire magistratibus, aut subuenire Reipublicæ. Thomas Aquinas putat, istam exemptionem Clericorum contigisse ex principum priuilegio. Ait tamen, illam esse iuri naturali consentaneam. Et citat locum è libro Geneseos, vbi scribitur, agros sacerdotum immunes fuisse à pensione quintæ partis. Verùm ibi si quis rem omnem diligenter inspiciat, facilè inueniet, quare illorum agri ab illa quinta parte fuerint immunes: Videlicet, quia Regi non fuerant venditi, quum ingenti penuria laboraretur. Nam sacerdotes annonam habebant à Rege, vt non cogerentur emere frumentum. Mansit ergo illis possessio integra prædiorũ: quæ tamẽ alijs vectigalibus, & tributis pro voluntate Regis potuerunt onerari, quãuis generali illa pensione quintæ partis nõ essent cõprehensa. Alij obijciunt, scriptũ esse in Esdra, Regem Artaxerxẽ mandasse, ne sacerdotib. vlla tributa imponerentur. Sed hoc nõ erat mirũ, cùm illi agros non possederint inter filios Israel, sed tãtùm vixerint ex oblationib. & sacrificijs. Cæsar etiam scribit, Druidas apud Gallos nõ soluisse nec tributa, nec vectigalia, vt alij faciebant, sed prorsus immunes fuisse, & liberos. At Plinius author est lib. 16. cap. 44. Druidas nihil habuisse. Quare mirũ nõ est, si tributa nõ soluerint. Non tamẽ hæc dico, quòd putẽ principib. nõ licere viris Ecclesiasticis officiũ suũ seriò curãtibus hospitalitatẽ exercentib. aliorumq; inopiæ subuenientib. remittere aliquid de tributis, modò curet, ne id cedat in damnũ aliorũ, neue huiusmodi indulgẽtia nihil aliud, quàm alat illorũ luxũ. Id à principibus fieri quidẽ posse fateor: cõtendo tamẽ viros Ecclesiasticos huiusmodi immunitatẽ nõ posse sibi vllo diuino iure arrogare: nec illos per conscientiã tributum negare posse principibus, si petatur. Neq; Papa Bonifacius vllo modo sibi vẽdicare debuit ius condendi illud insanũ decretũ. Iam confectum est à Paulo, omnes debere subiectionẽ, et obedientiã publicis potestatibus. Neq; indignari debent homines pij, inquit Chrysost. se subiectos esse magistratib. cùm sint progenies Dei, & ad regnũ cœlorũ destinati. Quoniam illorũ gloria non est in huius vitæ statu. Illi autem expectant, quoad Christus appareat, in quo adhuc abscondita est ipsorum vita. Interea verò non debent graue existimare, si assurgant, si caput aperiant, si cedant de via, si obediãt magistratibus. Nihil hîc indignum, aut indecorum est. Imò quicquid ab illis fit ad præscriptum verbi, plenum est omni decoro, & dignitate.

Viri ecclesiastici sint exempti ab omnibus tributis & uectigalibus.

Bonifacij octaui decretum iniustißimum.

Philosophus acutè perstrictus à Diocletiano.

De sacerdotibus Aegyptijs quatenus fuerint exempti.

Sacerdotes Israelitici meritò erãt exempti, qa nihil poßidebant.

Nemini quicquam debeatis, nisi hoc, ut uos inuicem diligatis. Ita nos Paulus vult integre, & plenè reddere, quod cuiq; debemus, vt prorsus amplius debere desinamus. Vnum autem quiddã est, quod nunquam potest plenè persolui, nimirum, debitum charitatis. Quamuis enim proximum tuum & dilexeris, & diligas, nihilo minus tamen adhuc obstrictus es ad diligendum: Semper enim manet causa, cur illũ diligere debeas, Deus, videlicet, cuius ille imago est. Ille eum fecit, ille eum tibi dedit proximũ, ille mandauit, vt eum diligeres tanquam te ipsum.

Charitas debetur semper quia causa eius debiti semper manet.

Nam qui diligit alterum, legem implevit. Quidam hoc referunt tantùm ad illam partem legis,

quæ hîc tractatur. Sermo quidem ínstitutus est de ea parte legis, quæ ad proximum pertínet. Ita sensus erit: Qui díligit alterum, totam legem impleuit, quod attinet ad secundam tabulam. Sed ego nihil obstare video, quò mínus totam legem símpliciter intelligamus. Quia non bene diligimus proximum, nísi Deum in illo díligamus. Ista enim ita connexa sunt, vt causa, & effectus, ideo à se mutuò non possunt distrahi. Nam proximi dilectio est testímonium eius dilectionis, qua prosequímur Deum. Si Deum in proximo vísibilem quodammodo, & præsentẽ non díligimus, quomodo iactamus, nos illum díligere in se ipso, qui à nobis non videtur, sed à quibusdam existímatur valdè remotus? Nolo hîc aduersarij nostri crístas erigant, quasi Paulus dicat, nos perficere, & implere legem. Affirmat quidem Paulus, legem impleri ab eo, qui díligat proximum: sed qui ea ratione díligat, qua lex præcípit. Hoc autem nemo præstat.

Proximus nõ rectè diligitur nisi deus in ipso diligatur.

Deum in proximo habemus quodãmodo uisibilẽ

Non est hinc statuendum nos posse legẽ perficere

Siquidem illud, Non mœchaberis, non occides. Probatio ex eò petitur, quod omnia illa præcepta ἀνακεφαλαιοῦται, hoc est, summatim comprehenduntur in eo, quod dícitur, Díliges proximum tuum sicut teipsum. Atque hoc mandatum, vt hîc monet Chrysostomus, à Christo dícitur símile magno illi præcepto, Díliges Dominum Deum tuum toto corde, tota anima, & omnibus viribus. Nam cùm debemus amare proximum, vt nos ipsos, parum abest, quin illum debeamus amare, tanquam Deum. Nihil enim solemus prætermittere, quod ad nostrũ ipsorum commodum, aut salutem faciat. Mentionem non fecit dilectionis parentum, vel quòd illud præceptum, vt Hebræi putant, pertineat ad primam tabulam, vel quòd noluerit omnia præcepta recensere: Ideo enim adiecit,

Cur præceptum de parentibus honorandis prætereatur.

Et si quid est aliud: Aut quòd de magístratibus obseruandis satis iam anteà dixerit: quo in ordine parentes etiam sunt collocandi.

Dilectio proximi malum non operatur. Id facilè colligitur ex illis, quæ dicta sunt. Prohíbentur enim his præceptis omnia, quæcunq; possunt fratrem lædere. Rectè ergo Paulus subiecit, eam esse vim dilectionis, vt non patiatur quenquam nocere proximo.

Et hoc scientes, occasionem, quòd tempus sit iam nos à somno expergisci. Cùm Paulus multa præcepísset de officijs dilectionis, & sanctæ vitæ, ne ea fortè ex animis excíderent, vrgere ea voluit argumento à tempore. Summa est: In præsenti hęc omnia summopere, & vehementi studio curanda sunt, quòd eorum nunc maxima sit opportunitas. Id sonat Græca vox, quam adiecit καιρὸς. Sermo omnis est metaphoricus. Mentionem enim facit somni, noctis, diei, suscitationis à somno, & tenebrarum. Vigília ab Aristotele dicitur, libertas sensuum ad functiones suas obeundas: è diuerso somnus dicitur vinculum sensuum ex alimentorum euaporatione ad caput. Sententia hæc est: Ante Christum fide susceptum, hoc est, ante regenerationem homines versatos fuisse in summa calígine ignorationis, atque adeò circo instar dormientium, impeditos fuisse ab omnibus operibus, quæ Deo possent esse accepta, & grata. Nunc verò post fidem, & gratiam regenerationis, claram Dei notitiam quasi diem effulsisse: ideoque vires & animi, & corporis solutas iam aliquo modo esse, ac liberas ad præstanda opera iustitiæ. Quocirca non conuenire homines hoc tempore otiosos esse ac stupidos. Quisque ergo debet exuscitari ad exequendam voluntatem Dei, quum videat, se versari in luce, & in die. Paulus vsus est hac ipsa forma loquendi in priori epistola ad Thessalonicenses, capite vltimo. Omnes vos, inquit, estis filij lucis, & diei: non enim sumus noctis, & tenebrarum. Proinde, ne dormiamus, vt cæteri, sed sobrij simus, & vigilemus. Qui enim dormiunt, noctu dormiunt: & qui ebrij sunt, noctu ebrij sunt. Et in vltimo capite ad Ephesios: Eratis, inquit, olim tenebræ: nunc autem lux in Domino. Vt filij ergo lucis ambulate, & commercium cum operibus infrugiferis tenebrarum ne habeatis: sed potius ea arguite. Quæ enim clam faciunt, turpe est, vel dícere. Non tamen ista vel nocti, vel tenebris vitio vertenda sunt. Creauit enim Deus ista ad nostrum vsum, & commodum, nimirum, ad quietem, & remissionem aliquam laboribus interponendam.

Vigilia quid. Quid somnus.

Res unde sumuntur metaphoræ nõ semper ob tropum aut probandæ aut dãnandæ.

Nunc enim propior est nostra salus, quàm cum credidimus. Quò longius progrédimur, eò propíus accedimus ad finem. Quare alacrius quisque studere debet, vt iustè viuat. Nam qui cursu certant, quò propius accedunt ad metam, eò currũt incitatius. Et motus naturalis eo distínguitur à violento, quòd naturaliter impulsa ad finem sunt celeriora: ea autem, quæ ví agúntur, quantò longius progrediuntur, tantò lentius, & imbecillius ferũtur. Ne ergo videamur inuiti parere Deo, quò longius viuendo procurrimus, eò studiosius, & sanctius viuendum est. Atq; hoc fortasse Paulus propterea monuit, vt Chrysostomus annotauit, quòd multi soleant à príncipio conuersionis suæ iustitiam ardentíssimè persequi. Posteà verò studium remittunt, & fatíscunt.

Inter motum naturalem & uiolentũ differẽtia.

Aliqui feruẽt ab initio & postea lassantur.

Nox

Nox præcessit: Dies autem appropinquauit. Hîc distinguenda sunt tria tempora. Quorum primum pertinet ad summam felicitatem, quam expectamus in beata resurrectione, vbi dies clarissimus eluceſcet: Alterum est obscuræ noctis, & ignorantiæ, quod est ante regenerationem, & conuersionem ad Christum: Tertium est hoc curriculum, in quo per fidem viuimus iustificati. Itaque si præsens hoc tempus cum nocte quæ præcessit conferas, potest videri dies. At si idem conferas cum illo tempore, quod expectamus in fine, adhuc nonnullã habet speciem noctis, & obscuritatis: vt non malè appellari possit crepusculum. Habemus enim aliquam lucem ex prophetico sermone, hoc est, ex sacris literis, quæ, vt ait Petrus, lucent nobis in obscuro loco. Atq; interim dum res diuinas cognoscimus per fidem, eas non videmus liquidò, neq; facie ad faciem: sed tantùm per speculum, & in ænigmate, vt Paulus ait ad Corinth. Et hinc, opinor, satis apparet, quid sit, eam salutẽ, hoc est, diem plenũ, & perspicuũ felicitatis, nobis nũc propius adesse, q̃ cùm ab initio credidimus. Tũ enim primùm cœpimus moueri versus finem: nunc autem longè progressi sumus: & in singulos dies vicinior fit dies mortis nostræ, quo hinc auferemur ad cœlum: & quotidie propior fit aduentus ille Christi, quo & mundum iudicabit, et nos, vt speramus, perfectè instaurabit. Quod ergo Paulus dicit, Quàm cùm credidimus, referendum est ad tempus conuersionis.

Tria tempora distingũntur.

Status noster & lux & tenebræ dici potest.

Nunc est crepusculum.

Abijciamus igitur arma tenebrarum, & induamur arma lucis. Opera tenebrarum appellat vitia: partim quia ex ignorantia cœlestis veritatis proficiscuntur, partim etiam, quia illorum authores captant tenebras. Nam qui mala agit, odit lucem. Adulteri, scortatores, fures, sicarij, & alij similes plerunq; grassantur noctu. Et suprà ostendimus, Paulum ad Thessal. & ad Ephesios tradere similia de tenebris. Itaque Christus appositissimè dixit illis, qui mittebantur ad illum capiendum. Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum. Bona opera appellat arma lucis: quia nascuntur à vera notitia Dei, & lucent coram hominibus ad gloriam nominis eius. Non iniuria autem dicuntur arma. Illis enim pugnandum est contra Diabolum, & carnem, illisq; asserenda est libertas nostra.

Vitia cur dicantur opera tenebrarum.

Bona opera rectè dicuntur arma.

Sicut in die honestè ambulemus. Græcè est εὐσχημόνως. Suadet institutum à decoro, & honesto: quod genus argumenti apud animos nobiles, & ingenuos plurimum valet. Nam degeneres homines, & agrestes vtilitatibus potius, & sordibus moueri solent.

Non in comessationibus, & ebrietatibus. Tria hîc Paulus ponit vitia satis cõmunia, quibus homines carnales, et alieni à Christo passim contaminantur: atq; his tribus alia comprehendit omnia, quibus genus humanum solet inficì. Per comessationes intelligit conuiuia: non tamen quæuis: sed, vt Ambrosius ait, luxuriosa: quæ aut singulorum conuiuarum collationibus agitentur, aut vicibus exhibeantur inter socios: in quibus homines nullo pudore coercentur. Quisq; enim conuiuarũ putat illud suũ esse conuiuiũ: ideoq; audet, & dicere, & facere, quod videtur. Qui autem inuitatur ad mensam alienã, aliqua modestia, & verecundia cõpesci solet, ne quid ausit præter decorũ. Et fortasse Iobus verebat ne filiorũ suorũ talia essent conuiuia: & idcirco pro eis apud Deum assiduè sacrificabat. Quid autẽ in cõuiuijs dissolutis fieri cõsueuerit, docet Ioannis Baptistę caput cõcessum puellę meretriculę. Quantaq; in illis fuerit hominum, veterum præsertim, apud ethnicos petulantia, ex eo cognosci potest, quòd bene poti, & coronati soliti sint vnà cum tibicinibus in aliena conuiuia irrumpere, & iuuenilem in morem omnia procaciter & dicere, & facere. Vnde sæpe veniebatur ad impudica facta, & concertationes, vt hîc Paulus demonstrat. Id poetę nobis graphicè pinxerunt in Ceutaurorum, & Lapitharum conuiuijs.

Quid comessationes.

Sed induimini dominum Iesum Christum. Cùm docuisset, veterem hominem cum suis operib. tenebrarum exuẽdum esse, postea proponere voluit nouã vestem, Christũ nimirum ipsum. Hac forma loquendi vsus est ad Galatas. Quotquot, inquit, baptizati estis, Christum induistis. Hæc illa est vestis nuptialis, quam quiuis Christianus sibi debet aptare. Et si velimus allegorias persequi, hanc vestem Deus prædicauit primis parentibus, cùm eos indueret pellibus mortuæ animanti detractis. Non ea Christus nobis vestem suppeditat, nisi quatenus se pro salute humani generis fecit victimam.

Quæ sit nostra vestis nuptialis. Christus ut vestis datus est primis parentibus.

Et carnis curam ne geratis ad concupiscentias. Per carnem hîc non intelligit naturalem valetudinem. Ea enim non est negligenda, vt Deo constantius possimus inseruire. Paulus scribit ad Timotheum: Modico vino vtere propter stomachum, & frequentes infirmitates tuas.

Valetudinis cura nõ abijcienda

Hîc carnis voluptates, & delitias tantùm prohibet. His enim cùm laxamus habenas, caro redditur intractabilis. Quare, cùm aduersus pronos eius affectus perpetuò nobis luctandum sit, videndum est, ne illos nimio studio foueamus.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

INFIRMVM in fide assumite, non ad dijudicationes disceptationum.

Declaratur status ecclesiæ primi temporis.

Vt facilius per ea, quæ post dicenda sunt, penetremus, repetenda nobis est paucis prima origo Ecclesiarum. Constabant autem primis temporibus Ecclesiæ ex Iudæis, & Gentibus conuersis ad Christum. Ex illis Gentes viuebant liberius, vt quæ obstrictæ non essent legibus Mosaicis: suas autem illas ceremonias Helleniſmi facilè intelligerent vanas esse, & damnatas. Iudæi verò, vt qui scirent, legem suam ab ipso Deo fuisse latam, non poterant statim persuaderi, illam esse abrogandam. Ideóque cunctabantur, nec se ab illa diuelli facilè patiebantur. Itaque à cibis in lege prohibitis abstinebant, & dies Iudaicarum festiuitatum obseruabant. Quæ omnia iudicabant illos adhuc in fide esse infirmos. Atque hanc illorum fidei infirmitatem robustiores, & doctiores tum acriter taxabant, tum irridebant. È diuerso Iudæi arguebant Gentes, vt in viuendo liberiores: easque condemnabant, vt violatrices legum diuinarum, quodque vescerentur indiscriminatim omnibus cibis, quasi inexplebili quadam gulæ auiditate. Neque parum tum temporis

Dissidium Gentium & Iudæorũ in ecclesia unde ortũ habuerit

hoc dissidium vexabat Ecclesias. Idcirco Paulus illud sedulò, quantum potest, amolitur: monetque firmiores, vt debiles ne abijciant, vel tanquam hæreticos, vel tanquam infideles: imò potius vt illos instituant, & omni charitate foueant, quoad in sana doctrina confirmentur. Atque è diuerso præcipit infirmis, vt doctiores, & firmiores se ne temerè condemnent.

Assumite infirmum in fide. Hoc est, adiungite vobis illum, & vestra humanitate, doctrinaque leuate eum molestia, & labore ignorantiæ. Si quæras, an illa imbecillitas fidei impedimento fuerit, quò minus illi iustificarentur in Christo, respondendum censeo, eam non fuisse impedimento. Quoniam non iustificamur ex firmitate, aut præstantia nostræ fidei, sed ex eius obiecto, vt sæpè diximus: nam quamuis fides aliqua infirma sit, ea

Infirmitas fidei non obstat iustificationi.

nihilominus est fides. At isti, inquies, non omnia, quæ sunt credenda, credebant: non enim credebant ceremonias legis Mosaicæ esse abrogatas. Fides autem illa, quæ non credit omnes articulos fidei, non est vera fides. Fateor equidem, si id accidat vitio credentis: vt, si quis veritates, quas audiuit ex sacris literis, contemnat, & nolit admittere, & se iudicem, atque arbitrum faciat, quantum de scripturis credi debeat, & sibi ipsi plus tribuat, quàm testimonio verbi Dei: non est ista vera fides. Neque enim spiritus sanctus huiusmodi sensum afflare solet. Verùm, si quis aliquid non credat, quòd adhuc non sit satis exploratum, cum animo tamen satis parato ad veritatem recipiendam, si ea semel fuerit patefacta, nihil video, cur non huiusmodi fides possit esse, & dici vera fides, & credentem iustificare, modo ille assentiatur Christo, & præcipuis capitibus religionis.

Non semper explicita fides de omnibus requiritur.

Non ad dijudicationes disceptationum. Prohibet odiosas contentiones, quæ animos infirmorum alienant potius, quàm ædificant. Animi hominum non frustrà fatigandi sunt, sed docendi. Paulus vltimo capite prioris epistolæ ad Timotheum ait, quosdam languere circa quæstiones inutiles, & pugnas verborum. Et idem in posteriori monet Timotheum, vt fugiat quæstiones, quas μωρὰς καὶ ἀπαιδεύτους vocat. Quod si obseruassent, & cauissent Theologi Scholastici, non tot spinosas, & salebrosas, ne dicam, impias, & sacrilegas quæstiones in illorum libris haberemus. Non tamen omnes prorsus quęstiones, vt inutiles damnandę sunt. Itaq; probare nõ possum quosdã prudentes quidẽ viros in alijs rebus, & attentos, sed hac in re vna certè minus consideratos, qui quæstionẽ illam, quę hodie

Quæstio de Eucharistia non est intempestiua.

passim agitatur de Eucharistia, intempestiuam esse putant, & inutilem. Non enim cogitant, quantum ad salutem nostram referat, constanter retinere, Christum habuisse, atq; hodie habere veram, atq; integram humanam naturam: & explodere detestandam illam idololatriã ex eo inuectam, quòd in pane, & vino, vel, vt loquuntur, sub accidentibus panis, & vini Christi corpus realiter & corporaliter esse creditur. Quum hoc agimus, vt horrendi abusus de Christiana religione auferantur, non de asini vmbra, aut de re aliqua parui momenti disputamus. Quiuis enim Christianus de hac re bene debet esse persuasus, ne panem, & vinum colat pro Deo, ne corpus Christi per infinita loca putet esse diffusum, neue illud de cœlo detrahat. Quanquam Paulus hoc loco per *Dijudicationes disceptationum* intelligat potius rixas, & concertationes verborum, quæ victoriæ causa iactantur vtrinque, quibusque animi exardescunt, & alienantur, ac distrahuntur à se mutuò.

Id in

Id in proposita quæstione eueniebat. In ea enim vtraque pars iudicabat rationes, seu διαλογισμους pro se facere. In summa hîc agitur solùm de rixosis, & contentiosis disceptationibus, non autem de humanis, & placidis, quibus homines possint ad pietatem erudiri. Præterea annotandum est, eos, qui discernunt cibos, à Paulo appellari infirmos: quum tamen hodie eiusmodi homines velint haberi robustissimi. Sed obijciunt, Paulum hîc loqui, tantùm de cibis legalibus, non de ieiunijs, & delectu ciborum, quæ nunc vocantur in dubium. Sed isti non cogitant, Iudæos longè iustiorem habuisse excusationem, qui persuadere sibi non poterant, abolẽdas esse eas ceremonias, quas Deus ipse per Mosen tradiderat, q̃s ipsi hodie habere possint. Isti enim superstitiose, ne quid aliud dicam, hominum tantùm traditiones tanto studio persequuntur, Non tamen hîc patrocinari volo Helluonibus, qui prætextu Euangelicæ libertatis tantùm student abdomini, & gulæ suæ.

Qui discernunt cibos habẽdi sũt infirmi.

Alius quidem credit, uescendum quibuslibet: alius autem, qui infirmus est, oleribus uescitur. Illum Paulus dicit credere, qui sibi existimat omnia esse libera: illos autem vocat infirmos, qui, ne in carnes prohibitas, aut paratas aliter, quàm lex præcepisset, inciderent, oleribus tantùm vescebantur: cum in illis nihil periculi de violanda lege esse posset. Quo eodem consilio visi videntur adolescentes illi in Daniele, ne mensa regia contaminarentur. Petebant enim sibi ad victum dari legumina. Et certè necesse est, vt quisque de eo, quod agit, certam habeat fidem, id Dei legibus non aduersari.

Cur pueri Iudæi abstinuerũt à cibis mensæ regiæ

Qui uescitur, non uescentem ne despiciat: & qui non uescitur, uescentem ne iudicet. Interponit se Paulus, & iurgia dirimit, & certis finibus, metisq́ue partem vtranque coercet. Pro iure suo permittit, vt quibuslibet cibis vescantur, modò ita se gerant, vt infirmum fratrem ne aspernentur. Frenat etiam infirmos, permittitq́ue pro tempore, vt contra conscientiam ne vescantur: ita tamen, ne ausint alios se meliores condemnare. Vt scientia sine charitate inflat, & ita inflat, vt alios præ nobis contemnamus: ita imperitia vicissim efficit, vt procliues simus ad iudicandos, & condemnandos alios. Annotauit Chrysostomus illos superstitiosos infirmos oblique quidem, non leuiter tamen his verbis esse perstrictos. Primùm enim, inquit, appellantur infirmi, idq́ue in fide, quod certè est grauissimum detrimentum. Deinde Paulus iubet eos assumi: quasi per se ipsos non possint assurgere, aut consistere, sed opus habeant informationibus, & doctrina, & consolationibus. Postremò ait eos firmioribus disceptationibus, quarum non sint capaces, facilè offendi, & ea causa pronos esse ad temerè iudicandum. Damnabant enim alios liberiores, quasi legem Dei violarent, & gulæ, ventriq́ plus æquo essent dediti. Hæc hodie vitia Papistæ impingunt multis ex nostris: quo autem iure, quamq́ verè Deus viderit.

Tam à scientia q̃ ab imperitia est periculum.

Quibus nominibus perstringantur superstitiosi

Deus enim illum assumpsit. Adfert Paulus præclaras rationes, quibus infirmos à periculosis iudicijs deterreat. Prima est ab adiunctis: quòd is, quẽ iudicas, non sit iam homo aliquis vulgaris, aut plebeius. Illum enim Deus assumpsit, nec passus est, vt iaceret in peccatis, vt coleret idola, vtq́ veram religionem, & pietatem ignoraret. Imò potius illum eò adduxit, vt esset membrum Christi, & consors diuinæ naturæ. Quare cùm Deus illum tanto dignatus sit honore, quomodo tu eum audes iudicare?

Tu quis es, qui iudicas de famulo alieno? Hîc reprehendit illorum factum à simili ciuilium, & humanarum rerum. Non solent homines quippiam iuris sibi vendicare in alienum seruum. Et tu nescis, eos, quos ita mordes, esse seruos Domini? Certè qui in familiam magni alicuius principis est ascitus, non solet, nisi à suo domino iudicari. Vtinam hæc semper obuersarentur ante oculos detractorum, vt cogitarent, eos, quorum famam lacerant, non tantùm esse homines, sed etiam iam assumptos à Deo in clientelam, & per Christum eius effectos esse filios. Paulus in epistola ad Timotheum. Credentem appellat hominem Dei: quibus verbis significat, eum non iam simplicem esse hominem. Sed his verbis an prohibentur iudicia? Non certè illis, qui publicam potestatem gerunt vel in Republica, vel in Ecclesia. Re enim vera isti nõ iudicant: sed Deus potius per illos iudicat. Sed quid statuemus de hominibus priuatis? Nónne spiritualis iudicat omnia? Nõ ne Paulus ait Corinthijs Vos ipsi iudicate? Priuatis quidem hominibus, presertim ornatis spiritu Dei, non est sublata ea vis iudicandi, qua bonum à malo, verum à falso, vtile ab inutile discernitur. Sed hîc de illis non agitur. Sermo enim institutus est de iudicio, quo alios taxamus & condemnamus. Sed in vniuersum fas non est quippiam nostro iudicio condemnare? Si personas consideres, neminem sic damnare licet, quasi emendari, aut corrigi non possit. Semper enim dũ hîc viuitur, bona spes concipienda est de proximo, nisi peculiaris aliqua Dei reuelatio intercesserit: vt suprà docuimus. Quod autem ad facta ipsa attinet, quando ea neutra sunt, & indiffe

Fideles dicuntur & sunt homines Dei.

Quatenus liceat alios iudicare.

rentia, charitas exigit, vt ea à bono animo profecta interpretemur: neque enim debemus ea traducere tanquam peccata, quæ alioquí posſint rectè fieri. Bona autẽ facta nihil vetat, quo minus ea posſimus noſtro iudicio approbare. Imò id & iuſtitia, & lex charitatis iubet. Quæ verò omnino praua ſunt, & præceptis Dei planè contraria, ea non à nobis damnantur, ſed à verbis Dei. Hîc autem quæſtio eſt de adiaphoris. In illis homines infirmi, quoniam adhuc circunfuſi ſunt tenebris, à Paulo vtiliter iubentur à iudicijs temperare. Id enim nihil aliud eſt, quàm velle vſurpare munus Dei. Ille enim eſt καρδιογνώστης, & ſolus nouit, quo animo quidq; fiat. Auguſtinus De verbis Domini in monte ait, In his duobus temerarium eſt iudicium, cùm incertum eſt, quo animo quidq; factum ſit, aut qualis futurus ſit, qui nunc vel bonus videtur eſſe, vel malus.

Temerarium iudicium bifariam incurritur.

Proprio domino ſtat, aut cadit. Interdum, qui iudicant, hoc prætexunt, ſe adduci dolore, quem capiunt ex illius pernicie, quem iudicant. Verùm ne ita afficiaris, inquit Paulus. Is enim, quem tu iudicas, domino ſuo ſtat, aut cadit: ad illumque & vtilitas, & damnum redit. Tu te ne arbitreris illo iuſtiorem. Quod ille non vindicat, tu tuo intempeſtiuo iudicio ne conuellas.

Imò ſtabilietur: potens enim Deus eſt efficere, ut ſtet. Quum in tua manu non ſit poſitum, vt aut ſtet, aut cadat frater tuus, bene de illo debes exiſtimare, nec facilè ſuſpicari eſſe caſurum. Habet enim bonum, & potentem dominum, qui illum fulcire, & ſtabilire poſsit. Neque tamen Paulus hic, vt quidam fabulantur, argumentatur à potentia Dei ad effectum. Nam id eſſet nihil agere, & Papiſtas imitari: qui ex eo, quod ſtatuunt, Deum poſſe auferre naturam panis, & accidentia ſine ſubſtantia reſeruare, ſtatim concludunt, hoc fieri in Euchariſtia. Oportuit autem eos, prius certos eſſe de voluntate Dei: deinde accedere ad effectum. Nam Paulus hîc commemorat potentiam Dei, quia antea ſatis dixerat de voluntate: Deum illum aſſumpſiſſe, & in ſuam familiam recepiſſe, fidem illi firmam, & fortitudinem dediſſe. Quare quum hæc habeas de voluntate Dei, de potentia autem non poſsis ambigere, non debes facilè dubitare de eius ſalute, quem iudicas. Ad hunc etiam modum intelligendum eſt, quod ait ſuprà capite vndecimo. Quod ſi non permanſerit in incredulitate, rurſus inſeretur. Potens enim eſt Deus, iterum inſerere illum. Hîc quoque de voluntate Dei ſatis conſtat ex ſcripturis. Multæ enim ſunt promiſsiones factæ genti ludæorum: quæ non poſſunt prorſus eſſe irritæ. Nam, vt Paulus mox aſſeruit, ſine pœnitentia ſunt dona Dei, & vocatio: & affirmat eos dilectos fuiſſe propter patres. Quum itaque de voluntate non eſſet controuerſia, commodè adiecit argumentum de potentia. Non tamen de alterius ſalute quippiam nobis ſecurè pollicemur: quamuis de noſtra ipſorum ſalute non debeamus ambigere. Nam de alijs etſi certi eſſe non poſſemus, tamen charitas monet, vt de illis bene ſperemus: quod etiam ſuadent rationes, quæ adducuntur à Paulo.

Non argumentatur Paulus à potentia dei ad effectum.

Prius opus ut de uolũtate dei cõſtat q̃ ut ab eius potentia argumentamur.

De ſalute alterius certi eſſe non poſſumus de qua tamen bene ſperandum eſt.

Hic quidem iudicat diem ad diem: ille autem iudicat omnem diem. Alia etiam infirmitas fuit Iudæi recens conuerſi ad Chriſtum, vt putaret, dies iuxta veterem legem eſſe obſeruandos: videlicet, Paſcha, Pentecoſten, feſtum tubarum, diem expiationum, ſolennitatem tabernaculorum, Nouilunia, & ſabbata. Qui autem robuiori fide erant præditi, illi omnes dies perinde habuerunt. Dominicum tamen diem excipimus: pertinet enim ad Decalogum, vt ex hebdomada integra vnus dies diuino cultui conſecretur. Illum diem in veteri lege Deus voluit eſſe ſabbatum, vt beneficium creationis mundi certius & liberationis ex Aegypto, hæreret in memoria. Poſtea verò, vt memoria reſurrectionis Chriſti, & ſalutis noſtræ inſtauratio per illum adepta, & ſpes noſtræ reſurrectionis, quam expectamus, in animos noſtros quàm altiſsimè demitteretur, inductus eſt dies Dominicus, idque ipſis ab Apoſtolis. Cuius rei ſatis aperta mentio fit in ſacris literis. Adhæc feſta complura inuecta ſunt ab Eccleſiaſticis viris: quæ, vt Eraſmus teſtatur, & ipſorum concilia affirmant, vt noſtra ſunt tempora, præſtaret eſſe pauciora, vel potius omnino nulla. Mirum verò eſt, quomodo Origenes, Ambroſius, & alij hæc Pauli verba traduxerint ad abſtinentias à cibis, & à carnibus, quas Chriſtiani aliqui tum temporis obſeruarent: quaſi verò aliqui fuerint, qui Apoſtolorum temporibus certis aliquibus diebus abſtinuerint à carnibus, aut ab alio aliquo genere ciborum: alij verò omnes dies exiſtimarint ſibi eſſe liberos. Neq; tamen ſi ſequi velimus hanc expoſitionem, Papiſtæ, qui nobis hodie obtrudere volunt delectus ciborum, quicquã hoc loco iuuari poſſunt. Paulus enim infirmitatis eſſe ait diem à die diſtinguere: & illos cõmendat, vt fortiores, qui eodẽ numero, et loco habent

De ſabbato & die dominico.

De feſtis diebus.

habent omnẽ diem. Qua de re iuuat citare verba Theodoreti, quę ſcribit in hunc locũ. Hęc, inquit, conſuetudo in hodiernum vſque diem manet in Eccleſia: & hic quidem abſtinentiam amplectitur: ille verò omnibus eſculentis abſque omni ſcrupulo veſcitur: & nec hic illũ iudicat, nec ille alterũ: ſed eos claros, et inſignes reddit lex cõcordię. Hęc verba Theodoreti, & ea, quæ ex Origene, Ambroſio, & Chryſoſtomo hîc colliguntur, ſatis declarãt, iſta diſcrimina dierum, quod attinet ad ieiunia, & abſtinentias, ita inter Chriſtianos fuiſſe, vt tamen eſſent libera. Nec dubito, talem ab initio fuiſſe Quadrageſimam: quamuis poſtea eius iugũ ab hominibus fuerit aggrauatum. Ex Ambroſio in hunc locum hoc annoto, eius tempore quoſdam abſtinuiſſe à carnibus quarta feria, quoſdam verò ſabbato. Hęc voluí commemorare, Lector, vt ſcires, quò quidam ex Patribus iſta Pauli verba deflexerint. Prior tamen interpretatio de Iudaicis diebus & ſincerior eſt, & ſententiæ Pauli conuenientior.

Diſcrimina dierum quoad ieiuniũ & abſtinentiã erant libera. Alij 4. feria & alij ſabbato à carnibus abſtinebant.

Vnicuique ſua mens ſatisfaciet. Vetus lectio habet, Quiſque abundet in ſenſu ſuo: quod quidam eò rapiunt, quaſi debeamus in his, quæ pertinent ad religionem, relinquere vnumquenque ſuo ſenſui. Id Chryſoſtomus probat non eſſe verum. Nam quum venitur ad dogmata, Paulus iubet, vt anathema ſit, qui aliud doceat Euangeliũ, etiam ſi ſit Angelus de cœlo. Vera autem iſta ſunt de rebus adiaphoris. Cur ergò Papa hodie in eſculentis nõ ſinit homines eſſe liberos? Verùm hunc ſenſum non habent verba Pauli. Græcè ſic ſcribitur. Ἕκαστος ἐν τῷ ἰδίῳ νοὶ πληροφορείσθω. Hoc eſt, quilibet in animo, ac mente ſua plenè ſit perſuaſus, & certus de eo, quod agit, & tuetur tanquã verum. Hoc debet quiſque videre in primis, cùm aliquid aut facit, aut defendit, vt ante omnia in eo ſit certus, & firmus. Videas enim quoſdam, qui tantùm vincendi cauſa diſputent, & contendant, cùm ſæpe in animo aut nutent, aut aliter ſentiant. Illos hoc loco Paulus reprehendit, qui aliquid aut ſtatuunt, aut faciunt, cùm ipſi interim ſecum ea de re dubitent. Opportunè quæri poteſt, an iſta ſententia Pauli, qua monet, indulgendũ eſſe infirmis, ſit in vniuerſum vera. Chryſoſtomus reſpondet, eam tantiſper eſſe retinendam, quoad fructus nondũ ſunt maturi. Tandiu enim parcendum eſſe infirmis, ne te merè lædantur. Nos verò legalia diſtinguemus, quod ferè omnes faciunt in tria tempora. Vnum tempus erat, quum lex vigeret, & illa omnibus Iudęis eſſent obſeruatu neceſſaria, Alterum tempus erat, quum Euangelium iam eſſet publicatum, & vbique fulgeret per totum orbem, & Iudæorum politea, ac templum prorſus eſſet euerſa. Medium autem tempus erat, cùm adhuc Reſpublica Iſraelis vtcunque ſtaret, nimirum, quum iam Chriſtus aſcendiſſet in cœlum, & adhuc Euangelium eſſet quodammodo in incunabulis, & lux non plenè ex illis tenebris erupiſſet. Ibi ad tempus fas erat ceremonias Moſaicas retinere: ita tamẽ, ne quis in eis ſpem ſalutis ſuæ collocaret. Videndum præterea erat, ne hac indulgentia, quæ infirmis ad tempus concedebatur, alij dolo malo abuterentur, quò piorum calculo, aut ſuffragio ſuam ſuperſtitionem defenderent. Paulus quum videret rationem aliquam habendam eſſe infirmorum, circuncidit Timotheum. Titum autem poſtea omninò noluit circuncidere. Vidit enim, ſi id feciſſet, ſuo exemplo oppreſſum iri libertatem Chriſtianã. Paulus erga Romanos præbet ſe admodum lenem, & placidum, quòd illorum infirmitati, ac ſimplicitati parcendũ eſſe iudicaret. Nam cùm recentes veniſſent ad Chriſtũ, non potuerunt ſtatim omnia addiſcere. Contra verò eos, qui iam mordebant frenũ, & obſtinatione quadã ſententię reſiſtebant, videamus, quemadmodũ idem Apoſtolus ſe gerat. Ad Coloſſ. 2. Videte, inquit, ne quis vos depredetur per philoſophiã, & inanẽ deceptionẽ, iuxta hominũ traditionẽ, iuxta elementa mundi, non ſecundũ Chriſtũ. Et mox, Ne quis igitur vos iudicet in cibo, aut potu, aut in parte diei feſti, aut nouilunij, aut ſabbatorũ. Et ad Galatas, Qui circuncidimini, excidiſtis à gratia: Chriſtus vobis nihil prodeſt. Et rurſus, Dies obſeruatis, & tempora, & menſes, et annos. Timeo ne fruſtrà laborauerim in vobis. Hęc ratio nobis hodie ſeruãda eſt, vt quos videmus nondum ſatis eruditos, eos humaniter foueamus, ne linũ fumigans extinguamus: videlicet, quoad ſpes eſt reſipiſcentię, & mentis melioris. Quòd ſi ſe declarãt obfirmatos, & ex profeſſo iuratos hoſtes veritatis, ibi tum nos oportet ſeueriter, & conſtanter agere.

Nõ eſt quiſq; ſenſui ſuo relinquẽdus in dogmatis.

Quando in iſta cauſa ſit aut leniter aut ſeueriter procedendũ.

Qui curat diem, Domino curat. Duo erant in infirmioribus, quorũ alterum nullo modo probari poterat: nimirum, quòd neſcirent ea, quæ inprimis ſcire oportuit, quodq; eſſent propemodũ fide, & ſcientia Chriſtianæ libertatis deſtituti. Hoc Paulus nunc omittit, vt quod ad cauſam præſentem nõ multùm faceret. Alterũ erat, quòd ita Deũ timerẽt, & eius legẽ obſeruarent, vt nihil auderent cõmittere, quod diuina autoritate exiſtimarent prohiberi. Id, quia magnoperè facit ad pietatem, idcirco Paulus proponit, quò illos infirmos cõmendet melioribus. Tamen ne in hac parte plus illis tribuat, quàm liberioribus, quaſi exiſtimarit firmiores vtendo libertate rationẽ legis Dei nõ habuiſſe, ſententiã, quã proponit, cõmunẽ vtriq; parti

De dogmatis nõ eſt diſputandum uincendi cauſa.

Quouſq; ſit infirmis indulgẽdũ Diſtinctio legalium quo ad tria tempora.

Videãt pij ne qs eorũ lenitate erga infirmos abutatur.

Quid in ijs infirmis commendari potuerit.

pronuntiat. Illi, inquit, qui dies obseruant, Domino illos obseruant: & qui non obseruãt, Domino eos non obseruant. Et qui vescuntur, Domino vescuntur, & qui nõ vescuntur, Domino non vescuntur. Illi verò Datiui casus, quibus Paulus hîc vtitur, obseruare Domino, vesci Domino, viuere Domino, mori Domino, nihil aliud sibi volunt, quàm nos oportere in omnibus actionibus, in tota vita, & in ipsa morte pendere à Domino.

Et gratias agit Deo. Hinc iudicare possumus, vtrunq; istorũ, quicquid agerent, spectasse Deum, quod illi vterq; agat gratias. Non ergo parui momenti est gratiarum actio. Ea enim, tanquam salubre aliquod condimentum, id, quod alioqui per se fuisset noxium, reddit nobis commodum, & salutare. Itaq; Paulus ad Timotheum scribit, Omnis creatura bona est, & nihil est abijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur.

Quanti momenti sit gratiarum actio.

Nullus enim nostrum sibi uiuit: & nullus sibi moritur. Nam siue uiuimus, Domino uiuimus: siue morimur, Domino morimur. Hoc ita potest accommodari, vt ratio sit, qua firmiores absterreantur à contemnendis infirmis: nimirum, quòd illi & viuant, & moriantur Domino. Potest etiam esse causa vniuersalis, quare illi dicantur dies & obseruare, & non obseruare Domino: & vel vesci, vel non vesci Domino: quia in vniuersum Domino viuunt, & Domino moriuntur. His verbis commodè, & dilucidè instituimur de scopo nostræ vitæ, & omnium nostrarum actionum. Vtinam hoc nobis ex animo nunquam excidat, sed altissimis radicibus in mente figatur. Vitam autem, & mortẽ hoc loco, quod ad corpus attinet, intelligendũ puto. Non enim satis video, quid illi spectarint, qui ista referunt ad vitam fidei, & mortem peccati. Nemo enim est, qui peccet Domino. Nam id ad honorem Domini spectare non potest. Nisi fortasse velint, idem hîc dici, quod suprà: Domino suo stat, aut cadit. Sed prior expositio mihi videtur expeditior, & consentit cum his, quæ Paulus habet ad Philippen. Magnificabitur autem Christus in corpore meo, siue per vitam, siue per mortem.

Scopus uitæ atq; humanarum actionum.

Siue igitur uiuimus, siue morimur, Domini sumus. Hoc in summa debuit apud illos multùm valere, quòd nõ tãtùm vita, & mors nostra pẽdeat à Domino, sed etiã quòd nos omnes, & q̃d ad vitã, & quod ad mortẽ attinet, eius peculiũ simus. Quod cùm ita sit, quis potest proximũ suũ impunè abijcere? Hoc idem fermè est, quod Paulus suprà dixit, Quid iudicas alienũ seruũ? Illud reprehendebatur in infirmis: hoc nunc obijcitur fortibus, quòd abijciant, & contemnant, non quosuis homines, sed illos, qui sint Domini. Paulus ait ad Corin. Non estis vestri: Empti enim estis pretio. Glorificate iam Deum in corpore vestro, & in spiritu vestro: quæ sunt Dei. Et, pretio empti estis: Nolite fieri serui hominum.

In hoc enim Christus mortuus est, resurrexit, & reuixit, ut uiuentibus, & mortuis dominetur. Hîc ascribit causam, quamobrem iure simus Domini. Nos enim morte sua redemit: & resurrectione sua vitam nobis commeruit. Quare & vitæ, & morti nostræ dominatur. Sed hîc fortasse quæres, si Christus non fuisset mortuus, an nos non haberet pro peculio suo? Iuxta diuinam suam naturam etiam citra mortem, & resurrectionem est noster Dominus. Ab illo enim sumus conditi: & quicquid habemus, habemus per illum. Quoniam autem verè est homo, per mortem, & resurrectionem suam iure, meritóque hunc sibi dominatum comparauit: quem tamen pater illi gratis conferre potuisset: sed ad ipsius gloriam eius meritis dare maluit. Itaque Paulus ad Philippenses ait: propter quod Deus dedit illi nomen, quod est super omne nomen: videlicet, quòd se ad mortem vsque crucis deiecisset. Origenes hanc dubitationem copiosissimè disputat. Solutionem autẽ, quam ego hîc adduxi, puto expeditiorem esse, & veriorem. Sed occurrit etiam aliud dubium, Paulus enim pugnare videtur cum sententia illa Domini in 22. Matthæi: Non est Deus mortuorum, sed viuentiũ. Nam si non est Deus mortuorũ, quomodo hîc dicitur dominari mortuis? At si res prefsius excutiatur, nihil est pugnæ. Ibi enim Dominus resurrectionem mortuorum ex eo probare voluit, quòd Deus non possit verè Abrahami, Isaachi, & Iacobi esse Deus, nisi eos velit esse saluos, & quidẽ totos & animo, & corpore. Dei enim proprium est seruare illos, quorum est Deus. Scriptura autẽ in Exodo prędicat, Deũ esse Deũ illorum patriarcharum: quare illi viuunt, & plenius etiam victuri sunt in Beata resurrectione. Apparet ex his, Christũ loquutũ esse de illis, qui prorsus putarẽtur esse mortui, & animo, & corpore. Illorum autem Deus nõ potest esse Deus. Is enim pati non potest, vt talis mors prævaleat in suos. Hîc autem Paulus ait, Christũ dominari mortuis, qui corpore tantùm sint mortui, spiritu aũt viuant, & suo tempore sint resurrecturi. Videmus ergo inter hęc loca nihil omnino esse pugnę. Sed quoniam obiter incidimus in verba illa domini, duo in eis mihi videnr̃ esse obseruãda. Primùm, quod cũuis ex illis propriè cõcludat resurrectio piorũ, quorũ Deus se fatet̃ esse Deũ, tñ consequẽs sit, vt ex ijsdẽ cõcludat etiã resurrectio impiorũ. Nã si deus pro sua bonitate ita faueat pijs, vt non

An Christus si p nobis non esset mortuus nos haberet pro suo peculio.

non tantùm illorum animos velit esse felices, sed etiam corporibus illorum vel beatitudinẽ attribuere: impijs etiam restituet corpora, vt ex lege iustitiæ, non solùm animis crucientur, verùm etiam corporibus. Alterum est, de resurrectione mortuorũ extare in Prophetis loca quædam alia illustriora, quę tamen Christus non adduxerit: quod Sadducęi, quibuscũ tum disputabat, legem duntaxat admitterent: cæteros verò sacros libros aut non reciperẽt, aut non magni facerent. Ita enim illos legebant, vt nos Patres. Sed hoc missum facio: Deumq; oro, vt hoc singulare mortis Christi beneficiũ ne patiatur in animis nostris consenescere: ne vulgare prouerbium in nos conferri possit, Nihil prius senescere, quàm gratiam.

Cur Christus testimonia resurrectionis non adduxerit ex Prophetis.

Tu verò, cur iudicas fratrem tuum? Aut etiam tu cur despicis fratrem tuum? Nomine fratrum reprimit vtranque partem. Nam ius fratrum est æquale: & in illis exprimitur ciuilis administratio, quæ dicitur πολιτεία, vbi quædam æqualitas est ciuium inter se. Ideoq; nemo debet aut aspernari, aut iudicare eum, quem sciat sibi esse parem. Nam qui ita facit, eum habet, nõ vt parem, sed vt minorem.

Ius fratrum æquale.

Igitur omnes sistemur ad tribunal Christi. Per tribunal certum est, Christi iudicium significari per metonymiam. Atq; hoc habemus præter cętera à ciuili magistratu, vt ex eius fascibus & gladijs, & tribunalibus redeamus in memoriam iudicij Dei. Simili phrasi Paulus vsus est cap. 5. posterioris ad Corinthios, Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi. Origenes dum hæc exponit, nescio quid philosophatur, quòd hoc loco legatur, *Ad tribunal Christi*, ad Corinthios autem, *Ad tribunal Dei*: & longa ambage de eare disputat. Sed certè nostri omnes codices vtroque loco habent, *Ad tribunal Christi*, vt nulla videatur esse causa ambiguitatis. Et tamen, si ita legeretur, vt ille fingit, nihil ex illis verbis colligi posset, nisi Christũ esse Deum. In 7. cap. Danielis multa pulcherrima traduntur de hoc throno Dei, quibus futuri iudicij magnificentia describitur.

Hic locus diuinam Christi naturam probat.

Sicut scriptum est: Viuo ego, dicit Dominus. Locus iste, qui adducit, ad probandã Christi diuinã iudicãdi potestatẽ, habetur in ca. 45. Esaię. Quod ad ipsa attinet viua verba, Paulus nõ sequitur hebraicã veritatẽ: sensum tamẽ Prophetę diligentissimè cõseruat. Nam quòd hîc habetur, *Dicit Dominus*, id ei respondet, quod in Hebræo est, *Iurauit Dominus*. Neque aliud hîc est genu flexio, quàm demissio, quæ externo symbolo aptissimè designatur.

Omnis lingua confitebitur Deo. In Hebręo est, Omnis lingua mihi iurabit. Sed nemo est, qui nesciat in iuramento esse præclarã Dei confessionem. Aduocatur enim, quasi testis, vel potius, vt iudex: atque ita aduocatur, vt periuros pro meritis sit puniturus. Adhuc autem nõ videmus, omnia esse subiecta Christo. Id verò fiet, quum tradiderit regnum Deo, & patri. Tum enim prorsus illi omnia subijcientur, atq; inter alia nouissimus inimicus mors, vt Paulus ait ad Corin. Nunc tamen inchoata quædam est obedientia: & eius regnum agnoscitur à cœtu piorum. Quare si multa nunc iniusta, & praua cõmittuntur, tamen nihil iudicemus ante tẽpus, ne summi illius iudicis sententiæ præiudicemus. Tum omnia, vti speramus, quę nunc minus æqua videntur, adæquabuntur. Ex his Apostoli verbis manifestissimè colligitur diuinitas Christi. Nam cùm agatur de tribunali Christi, additur, & omnis lingua confitebitur Deo: Quod idẽ multò magis liquet, si excutiat veritas hebraica. Prius enim quàm ista pronuntientur sub persona Dei, hoc scribitur: Nonne ego Dominus? & nõ est amplius Deus præter me? Cùm ergo ista ad Christum pertineant, vt Paulus testatur, apparet manifestissimè illum esse Deum.

Igitur unusquisq; nostrum de se ipso rationem reddet Deo. Quare non est ęquum, vt aut temere iudicemus, aut superbè contẽnamus alios. Ad illud enim tribunal causę pro meritis excutientẽ

Ne posthac igitur alius alium iudicemus. Hoc ex rationibus, quæ à Paulo adductæ sunt, conficitur: & in sacris literis passim à spiritu sancto inculcatur.

Verùm illud iudicate magis, ne offendiculum ponatur fratri, aut lapsus occasio. Verbum istud κρίνειν, aliud hoc loco significat, aliud suprà. Nam suprà erat alium sua sententia contemnare, aut aliquid temere de alio statuere. Hîc autem κρίνειν, est apud nos ipsos habere cõstitutum. Statuite ergo, inquit, apud vos, idq; ex officio vestro esse maximè cogitate, ne quis vestro aut exemplo, aut facto aliquo offendatur. Chrysostomus id graui admodũ ratione cauendum probat. Quoniã, inquit, qui alĩ impellit ad peccandũ, multò grauius puniendus est, quàm ipse ille, qui peccauit. Nam iam inde ab initio grauior pœna, & vehemẽtior execratio inflicta est serpẽti, quàm mulieri. Hæc enim transgressa est, sed ille persuasit. Mulier etiã grauius punita est, quàm vir: quòd hic nõ nisi illius suasu, & hortatu peccasset. Et Iezabel multò vehemẽtius punita est, quàm Achabus. Christus de homine sic offendente fratrẽ ait, Melius illi esset, si mola ei ad collũ suspenderetur, & præcipitaretur in mare: Et, Væ illi, per quẽ scan-

κρίνειν duo significata.

Grauius peccat impulsor, quàm peccans.

dalum venit. Si quis tamen offendatur probitate, & iustitia, id nobis non debet esse curæ. Dicamus potius cum Christo: Sinite eos: cæci sunt, duces cęcorum. Omnis planta, quam non plantauerit pater meus cœlestis eradicabitur.

Non enim, & persuasum habeo. Dicere potuissent firmiores, nec iniuria: Quid nos reuocas ab vsu Christianæ libertatis? Nónne nobis fas est vesci cibis ex æquo omnibus? An ne tu autoritate apostolica definis, quosdam cibos immundos esse? tu, inquam, qui Petrum Antiochiæ suo exemplo tale quiddam tentantem tanta libertate reprehenderis? Huic obiectioni Paulus per occupationem satisfacit, affirmatq;, & cõstanter asseuerat, omnes cibos homini Christiano esse liberos.

Per Dominum Iesum nihil esse commune per se: nisi illi, qui existimat, aliquid commune esse, illi commune est.

Quare nullus cibus natura sua sit immundus.

Hinc intelligimus, nullum cibum sua natura immundum esse. Naturam enim non ex se ipso habet, sed ex Deo. Is autem nihil creauit malí: omnes enim eius creaturæ in sacris literis appellãtur bonæ. Græcè est, διὰ ἑαυτοῦ, per se ipsum, hoc est, sua propria vi, ac natura. Quòd si primo homini, & Nohæ, atque eius liberis, & Hebræis quędam genera ciborum fuerunt prohibita, id non propter vitium aliquod rerum ipsarum factum est, sed vt quadam pædagogia homines de Christo, & de honestate vitæ vsque ad lucem Euangelij erudirentur. At si error aliquis accesserit, vt quis stultè arbitretur, quod Manichæi, & aliæ similes pestes fecerũt, nefas esse vesci aut carnib. aut alio aliquo certo genere cibi, tum cibus eiusmodi non natura sua, sed illius vitiosa opinione illi impurus efficitur. Caueamus ergo errores, & insanas opiniones de cibis ne animis concipiamus. Sitq; nobis obstaculos, quod Paulus dicit, cibos illis effici communes, qui illos communes esse iudicant. Moderatores autem Ecclesiarum ita indixerunt ieiunia, & certos dies, & delectus ciborum, vt ibi nusquam huiusmodi superstitiosæ opiniones desint, sed vbique propemodum vigent, & peccata sine modo augentur. Nam si re aliqua Deum credamus offendi, & nihilominus ab illa nõ abstinemus, id magno indicio est, nos pluris nostram voluntatẽ facere, quàm legem Dei. Imò ille, quisquis est, dupliciter peccat: primũ, quòd ignoret id, quod scire oportuit: deinde, quòd suum ipsius sensum, quem cõcepit de religione, non sequatur, sed id admittat, quod putet vetitũ esse lege Dei. Neque imprudenter hoc loco Ambrosius expendit phrasin legis. Ea enim, quum loquitur de cibis immundis, ita sancit, Hæc immunda erunt vobis. Non autem dicit absolutè, Immunda erunt: sed adiectum est, Vobis: quoniã soli Iudæi illis legibus obstringebantur. Diximus de natura ciborum: nunc de illorum vsu dicendum est. Vsus autem ille, vt aliæ omnes nostræ actiones, legi charitatis seruire debet. Ideoq; videndum est, vt ad ædificationem faciat, vtq; illo infirmi fratres ne offendantur. Nam, vt vno verbo dicam, nihil habemus in vniuerso mundo, quod liberum sit à dilectione proximorum. Commune Paulus dixit, hebraico more. Habuit enim illa gens peculiares quosdam cibos, non tantùm quod ad naturam, sed etiam, quod ad præparationem attinet. Cætera autem genera ciborum, quoniam promiscuè ab alijs nationibus vsurpabantur, dicebantur cõmunia, quasi nullam haberent adiunctã sanctitatem. Ita prophana dicuntur à Latinis, quæ porrò, id est, longè sunt à fanis, vsuiq; hominum quorumuis patent. Inde illud est, quod 10. Actorum ait, se nihil vnquam commune, aut immundum comedisse. Quo in loco Petrus κοινὸν, καὶ ἀκάθαρτον rectè coniunxit. Et Chrysostomus annotauit, hîc dici, κοινὸν, de eo, quod egreditur è corde: id enim hominem communem, id est, pollutum facit. Qualia sunt adulteria, homicidia, & cæt. Neque otiosum est, quod Paulus adiecit, per Iesum Christum. Si enim illud referas ad id, quod antea dixerat, Noui, & persuasum habeo, quod videtur placere Chrysostomo, indicat non humanam esse istam Paulí persuasionem, sed planè diuinam. At si referatur ad id, quod sequitur, Nil esse commune, docet hoc beneficium acceptum ferendum esse Christo, vt per quem legis obligatio sit abrogata. Taxantur autem illi oblique his verbis, qui tanto Christi beneficio nolunt vtí. Habemus etiam per Christum, vt creaturæ, quæ alioquí propter peccatũ subiectæ fuerant execrationi, & vanitati, nihil iam nobis obesse possint. Nam, vt Paulus ait ad Timotheum, sanctificantur per verbum Dei, & orationem. Infidelibus autem, illisq;, qui sunt extra Christum, execrationem eam adhuc retinent cui subiectæ sunt. Itaque Paulus ait ad Titum, Omnia munda mundis: Contaminatis autem, & infidelibus nihil est mundum: cùm inquinata sit illorum mens, & conscientia. Hîc videmus ea, quæ alioquí immunda essent, per fidem, & verbum munda fieri: Contrà verò id, quod sua natura purum est, praua opinione, & discedendo à verbo Dei reddí impurum. Quid ergo mirum, si dicamus, accedẽte verbo, & fide, panẽ in Eucharistia, & aquam in Baptismo non esse iam amplius communia, & vulgaria elementa?

Ex opinionũ superstitione grauia nascuntur peccata.

Cur lex dicat, Immunda erunt nobis.

De usu ciborũ.

Nihil in mundo habemus, quod liberũ sit à dilectione proximorum.

Quid Paulo hîc sit commune.

Quæ profana dicantur.

Per Christũ creaturæ nil nobis nocent.

Si pro-

Si propter cibum frater tuus contristatur, non iam secundum charitatem ambulas. Hîc ostendit id, quod natura sua non sit commune, alia tamen interdum ratione prohiberi: nimirum, vt diximus, propter charitatem. Eius enim ingenium est, vt ea omnia diligenter curari suadeat, quæ fratri nostro sciamus esse profutura. In hoc præceptum illi peccant grauiter, qui ea cauere nolunt, quibus sciunt, infirmorem fratrum offendi, & affligi conscientias. In humano corpore si quod membrum fortè male habeat, leniter palpatur, & mollitur ab alijs. Ita nos debemus fratres infirmos iuuare quantum possumus, & leuare dolore, atque molestia. Nemo consensum religionis rem leuem, aut vulgarem esse arbitretur. Hîc enim audimus infirmos affici tristitia, quum videant alios secus facere, quàm ipsi iudicent esse faciendum. Contrà verò pij incredibiliter gaudent, cùm videant alios secũ & fide, & morib. cõsentire.

Charitatis ingenium.

Ne cibo tuo illum perdas, pro quo Christus mortuus est. Quid enim hoc aliud est, quàm aperte Christi consilio aduersari? Ille redemit. Tu perdes? Ille vitam atque animam fudit cũm sanguine pro fratre tuo. Tu pro illo non potes à vili cibo abstinere? Ille cùm sit summus omniũ rerum creator & autor hoc fecit: Tu vermis, & minus etiam, quàm vermis hoc facere detrectas? Ille pro te mortuus est, cùm esses inimicus, & hostis: tu pro fratre tuo tantillũ ferre non potes? Ambrosius admodum piè ait, quantum valeat salus fratris, ex hoc loco cognoscimus. Id idcirco opinor dixit, quòd iustitiæ ratio exigat, vt pretium rei cum re ipsa aliquo modo adæquetur.

Pretium rei cum re ipsa aliquo modo adæquatur.

Maledictis igitur bonum uestrum ne sit obnoxium. Non est, inquit, committendum, vt præclara dona Dei nostra culpa malè audiant. Libertas autem christiana, & doctrina euangelica, & fides, nõ sunt vulgaria Dei munera. Quid ergo efficimus, vt ea nostra causa maledictis proscindantur, quum ea potius omnibus modis commendari, & summis laudibus prædicari oporteat? Maledictis autem intelligo, non quorumlibet hominum, sed fratrum infirmorum: qui cùm tuam licentiam execrentur, tuo vitio in Deum ipsum, qui eam tibi dedit, efficiuntur contumelioſi. Rectè autem, atque ordine faciet, quicunque opera sua probari velit, idq; maximè iudicio piorum fratrum: vt Dei gloria celebretur, & alij exemplum habere possint sanctitatis, quod sequantur. Possemus etiam hîc intelligere maledicta eorum, qui sunt foris: Illi enim cùm videant Christianos inter sese contendentes de rebus friuolis, religionem nostram incipiunt habere ludibrio. Inde illud est quod Paulus ait, Propter vos nomen Dei blasphematur inter gentes.

Non enim est regnum Dei esca, & potus. Firmiores isti putabant, se quum tuerentur libertatem suam propagare maximè regnum Dei: illudq; prodere, si aliter feciſſent. Illis Paulus sic occurrit, non esse hanc vim, hoc ius, hunc fructum regni cœlorum, vt quiduis aut edamus, aut bibamus. Eius enim effecta longè sunt præstantiora: quę Paulus mox cõmemorat, iustitia, pax, gaudiũ in spiritu sancto. Chrysostomus hæc verba, Cibus & potus non sunt regnũ Dei, sic exponit, Hæc ad regnum cœlorum te non adducunt: sed iustitia, pax, gaudium in spiritu sancto faciunt te eius participem. Cui subscribit etiam Ambrosius, Quòd si per iustitiam, pacem, & gaudium intelligant Christum, qui nobis factus est hæc omnia, nihil reluctor. Sed si illa ponant, vt felicitatis nostræ causas, prorsus aliena est eorum interpretatio. Non displiceret, si dicerent, cibum & potũ non esse ea, quibus cõfirmetur, & propagetur Dei regnũ: ideoq; de illis nõ esse tanquã de summis quibusdã rebus contendendũ. Itaq; Paulus ait ca. 8. prioris ad Cor. Esca nos nõ cõmendat Deo. Neq; enim si non mãducauerimus, deficiemus: neq; si mãducauerimus, abũdabimus. Quidã Vrbicus, vt autor est August. in epist. 86. admodũ indoctè abutebatur his verbis, vt probaret, oportere nos ieiunare die sabbati: Quoniã regnũ Dei nõ est, inquit, esca & potus. Respondet August. Si res ita habeat, diebus Dominicis, & aliàs, cùm non ieiunamus, nõ pertinemus ad regnũ Dei. Chrysost. ait, hac Apostoli sententia vtranq; partem admoneri. Vtrisq; enim prodest intelligere, in quibus cõsistat regnum Dei. Quod ego vt fateor esse verisimile, ita non iudico necessarium. Adhuc enim pergit agere cum fortibus: aitq;, Noli propter cibum destruere opus Dei.

Cibus & potus non sunt res summæ, de quibus cõtendamus.

Iustitia, pax, & gaudium in spiritu sancto. Regnum Dei non consistit in rebus externis. Nam cùm sit spirituale, ex rebus etiam spiritualibus existat necesse est: ex quibus cùm multæ sint, hîc tantùm potiores numerãtur. Iustitia complectitur & eam, qua iustificamur: ex qua enascitur vera pax: Itaq; Paulus ait suprà, Iustificati ex fide pacem habemus: & illam, quæ post regenerationem erumpit ex fide, tanquam fructus: quæ etiam iustitia mater est pacis. Nihil enim turbat, aut efficit, quo proximi iure irasci, aut commoueri possint. Priori iustitia animus peccatorum tranquillatur, cùm sibi per Christum peccata sua credit esse condonata, altera verò, quòd cor nostrum non accuset nos vllius criminis, eiusmodi, inquam, criminis

Duplex iustitia.

quod nos auellat à Deo, & vaſtet conſcientiam. Poſt hęc iure optimo ſequitur gaudiũ, quo ſemper exultamus in Domino, & perfecta bona certò ſperamus, & inchoata ſentimus iam adeſſe præſentia. Eſt etiam alia quædã pax carnis, quam Chriſtus non venit mittere in terram. Et de gaudio carnis Chriſtus ait apud Lucã: Væ vobis, qui ridetis nunc: & beatos eos eſſe prædicat, qui lugent. Adiectum eſt, *In ſpiritu ſancto*, quia per illum nobis hæc omnia donantur. Vide ſcribitur cap. 5. ad Galat. Fructus ſpiritus ſunt gaudium, pax patientia. Sed dices fortaſſe, Etſi regnum Dei, vti dictum eſt, ſit ſpirituale, tamẽ etiam externa videntur nõnihil vel ad illud, vel contra illud facere. Probari enim ſolent in Eccleſia, qui temperanter viuunt: & qui ebrietati, & crapulæ indulgent, peccãt. Id ideo fit, quoniã quicquid in his aut recti eſt, aut iniuſti, vt Chriſtus ait, proficiſcitur ex corde. Et quum Paulus dicat, regnum Dei non eſſe cibum, aut potum, grauiſsimè perſtringit eos, quorum Deus eſt venter. Iſta ſunt, quibus regnum Chriſti conſtat, confirmatur, promouetur. In his nos exerceamus: & ea, quæ aduerſantur declinemus: nimirum, iniuſtitiam, rixas, triſtitiam ſpiritus. Taxantur grauiter, meo quidem iudicio, illi firmiores his verbis, quòd fratres infirmos iniuſtè abijcerent, quòd intempeſtiuis illis ſuis diſceptationibus pacem turbarent, quodq; nimis licẽter, & liberè viuentes exemplo ſuo alios afficerent triſtitia.

Qui enim per hæc ſeruit Chriſto, gratus eſt Deo, & acceptus eſt hominibus. Latinus interpres videtur legiſſe, nõ ἐν τούτοις, ſed ἐν τούτῳ. Sic enim vertit: Qui enim in hoc: Quam lectionẽ ſequitur Origenes, & Ambroſius: & vterque videtur hanc ſententiam referre ad ſpiritum ſanctum: ac ſi diceretur, Qui per ſpiritum ſanctum Chriſto ſeruit. Si ſequamur hanc ſententiam, grauius etiam multò taxantur iſtæ contentiones, & rixę Romanorũ, quòd ex eo naſci videantur, quòd in ſpiritu non ſeruiant Chriſto, ſed nimiũ tribuant rebus carnalibus. Nos verò ſequemur græcam lectionem. Nam ex ea magno cum fructu docemur, quibus in rebus verus & germanus Dei cultus ſitus ſit. In Papatu autem omnia plena ſunt mutis, & ſuperſtitioſis ceremonijs. Qui hoc pacto colit Deum, illi acceptus eſt. Ea enim confert, quę procul dubio non ex nobis, ſed ab ipſo Deo profecta ſunt. Et homines velint, nolint, cogentur veritati dicere teſtimonium. Summa ſunt iſta, & præclariſsima, quæ promittuntur, nimirum, nos fore gratos & acceptos & Deo, & hominibus. Vnde ex contrarijs poſſumus rectiſsimè concludere, eos, qui toti in externis cultibus, in cibo, & potu, & corporis macerationibus occupantur, nec hominibus rectè, ac verè iudicantibus gratos, & acceptos fore, nec Deo. At hoc illud eſt, quod Paulus ſcribit ad Timotheum, Corporalis exercitatio parum habet vtilitatis: pietas verò, hoc eſt, ſpiritualis Dei cultus, per fidem, & dilectionem excitatus, vnde ſunt iuſtitia, pax, & gaudium, valet ad omnia, vt quæ promiſsiones habeat & huius vitæ, & futuræ. Scribitq; ita Paulus nõ de ſuperſtitioſa exercitatione corporis. ea enim alioqui in ſacris literis in vniuerſum dãnatur, vt apparet ex ſecundo capite epiſtolę ad Coloſſenſes: verùm de illa loquitur, quæ à multis eximia, & ſingulari veneratione ſuſpicieba-

Quibus in rebus ſitus ſit uerus Dei cultus.

Argumentum à contrarijs

tur, quaſi totius religionis columen, & cardo in ea vna verteretur.

Igitur quæ pacis, & mutuæ ædificationis ſunt, ſectemur. Auocat eos à rebus inutilibus, quò alijs præcipuis, & maximis, & planè neruis Eccleſiæ incumbant paci, atque ædificationi: Quæ non leui, aut perfunctorio ſtudio perſequenda eſſe, indicat quum ait, διώκωμεν. Pax enim, vt ait Origenes, videtur fugata hominum vitio, & ſubtracta rebus mortalium. Sed ea quò magis fugit, eò acrius eſt conſectanda, etiam omnium noſtrarum vtilitatum diſpendio. Pací ſubijcit ædificationem: quia nemo ſe erudiri patitur ab eo, quem ſibi aduerſarium eſſe putat. Neque homines ad ædificandum Eccleſiam coagmentari poſſunt, vt viui lapides, niſi glutine pacis & charitatis coaleſcant.

Hominum ſalus opus Dei.

Nec cibi cauſa deſtruas opus Dei. Opus Dei Chryſoſtomus vocat hominum ſalutem. Id certè nos minimè decet, vt, quum ſimus operæ Dei, ad id comparatæ, vt illi adiumento ſimus in promouendo Euangelio, id quod Deus conſtitutum velit, noſtro vitio euertamus. Sic enim diaboli potius erimus operę, & carnis, quàm Dei. Meo verò iudicio nihil aberrant à ſenſu Pauli, qui per opus Dei intelligũt fidem, quanuis debilẽ, ceu ſcintillã Chriſtianę pietatis in fratrum cordibus accenſam, quam nos par eſt, omni ratione fouere, non autẽ quod Romani faciebant, opprimere, atque extinguere: maximè verò quum Eſaias ita ſcribat de Chriſto cap. 42. Linum fumigans non extinguet. Chriſtus quippe dixit, Hoc eſt opus Dei, vt credatis. Exaggeratur autem eò maximè oratio, quòd dicitur, Cibi cauſa non eſſe euertendum opus Dei. Magni enim diſcriminis eſt ἀντίθεσις inter opus Dei, & cibum. Necq; verò hoc dicitur, quaſi cibus ſit opus diaboli. Eſt is quoque creatura Dei. Verùm, vt prudenter monuit Ambroſius, non homo propter cibum, ſed cibus propter hominem: itaq; poſt-

Cibus non eſt opus diaboli.

ponen-

ponendus est humanæ saluti, quæ inter vniuersas creaturas per ἀντονομασίαν dicitur opus Dei. Aut fortasse Apostolus hîc non spectauit naturam cibi, sed eius effrenem cupiditatẽ, & importunam, atque intempestiuam defensionem: quæ cùm essent vitia illorum hominũ, Apostolus ea nec opus Dei, nec ædificationem, nec salutem voluit appellare.

Omnia quidem sunt pura: sed malum est homini, qui per offensionem uescitur. Repetit occupationem superius inductam, Noui, & certus sum per Iesum Christum nihil esse commune. Vt enim ibi concedebat, nihil esse contaminationis in cibis, quod attinet ad illorũ naturam, ita idem hîc ingenuè largitur. Id tamen quod concessit, rursus exceptione fraternæ offensionis contrahit: quemadmodum suprà excusserat prauam opinionem de cibis. Nam vt ea, ita etiam offensio fratris polluit vtentem. Cibum ergo natura sua mundum duo tantùm contaminãt: aut error, quo cibus existimatur illicitus, aut offensio infirmæ fratrum conscientiæ. *Duo cibũ natura sua mundum contaminant.*

Bonum est non edere carnes, neque bibere uinum, neque quicquam, per quod frater tuus impingat, aut offendatur, aut infirmetur. Quòd dicit *Bonum*, quiuis facilè potest intelligere, nõ esse hoc simplex, aut absolutũ bonũ, sed tantùm ex hac cõditione, Si frater infirmetur. Non est hîc sermo de ea abstinentia à vino, & cibo, qua iubetur, ne opprimamur ebrietate, & crapula. Hæc enim cauere, & fugere, per se, & absolutè bonum est. Neque loquitur Paulus de illa abstinentia à rebus superfluis, qua efficimus, vt mens habilior, atque aptior sit ad contemplandas res diuinas, & ne caro petulantius insultet contra spiritum. Ista enim semper sunt bona, & hominibus christianis necessaria. Statuit ista Paulus de vsu carnis, vini, & aliarum rerum, quandiu est indifferens: ostenditq; quando ab illo vsu per se indifferenti bonum sit abstinere. Necq; aliud sibi vult hac sua temperantia, quam suadet, nisi vt nos attẽperemus infirmis: quod ipsum præstitisse autor est Chrysostomus, quum circumcideret Timotheum, & votum susciperet. Neque erat, inquit, hæc hypocrisis, sed ædificatio, & œconomia erga infirmos vtilissima. Origenes probat, vsum vini indifferentem esse, quòd quanuis eo aliqui bene vtantur, tamen alij ob malas, & superstitiosas artes, ab eo sibi temperant, alij ad cultum idolorum, alij, vt hæretici, ad sua delira stabilienda. Sed hîc sese offerunt duo dubia: primùm, quid si frater offendatur illo genere cibi, aut potus, quod ad tuendam vitam corporis mihi sit necessarium? Sunt enim quidam, qui durare non possunt absq; vino. Itaq; Paulus monuit Timotheũ, vt propter stomachum, & frequentes infirmitates modico vino vteretur. Certè, si omnino salus proximi pendeat ab hac abstinentia, debemus ad tempus abstinere. Pro fratribus enim debemus vel vitam ponere: quemadmodũ Christus pro nobis posuit: idq; facere obstringimur lege ipsa charitatis, à qua nemo Christianus solutus est. Ea tamẽ moderatione vtendũ est, vt qua possimus maxima dexteritate, & minima offensione infirmo fratri rationẽ reddamus facti nostri: vt intelligat, liberũ esse nobis vti quauis creatura Dei ad salutem corporis nostri, modò eam cum gratia Dei percipiamus. At si ille postremò sit ita peruicax, vt iustę rationi nolit acquiescere, tum cum Pharisęis in suo scandalo relinquẽdus est: quod Christus nobis non tantùm disertis verbis, verùm etiam exemplo suo confirmauit, quum Pharisæi offenderentur, quòd Apostoli sumerent cibum illotis manibus. Altera quęstio est: Quid si postquam monuimus, & docuimus infirmum, nihil tamen proficimus? Si ad tuendum corpus nostrum vtamur licita creatura Dei, videbimur resistere Paulo, qui ita scribit ad Corinthios 1. cap. 8. Quòd si cibus fratrem meum scandalizat, non comedam carnes in æternum. Respondeo, Apostolum eo loco exaggerasse orationem per hyperbolen: atq; illud, In æternum, ita intelligendum esse, si oporteat: Ac si diceret, Tam parui facio meum cõmodum, vt si sit opus, vel in æternũ velim abstinere à rebus omnibus indifferentibus, potius quàm vt offendam fratrẽ meum. At si diuturna mea abstinẽtia foueatur infirmitas fratris, & contumacia, prorsus non est abstinendũ: Ita enim non comedere, aut non bibere, non esset res indifferens. Nam præterquã quòd illi obstinato non prodesset, læderet etiam Ecclesiã Dei. Intelligendus est ergo ille locus Pauli ad Corin. de præparatione animi, hoc est, nisi quippiam aliud obstet, quisq; paratus esse debet, vt à quibusuis rebus abstineat indifferentibus, ne fratres perturbet, aut eorum conscientiam lædat. *Nota graue dubium.* *Altera quæstio.*

Tu fidem habes? Apud temetipsum habe corã Deo. Eum, inquit Origenes, alloquitur, qui nouit, & credit, omnia iam genera ciborũ per Christũ esse libera. Fruatur iste sua fide coram Deo, atque illi gratias agat: non autem propter suam fidem cogat alium comedere, titubãte, atq; inuita cõscientia: idemq; habeat fidẽ suam apud semetipsum: nõ autẽ eam iactet cum detrimẽto fratris: néue nimia licẽtia vtatur quibuslibet cibis. Videt Paulus occupatione quadã occurrere illis, qui dicebãt, se velle libere agere, & tueri fidem, quam acceperãt. Respondet Paulus, fidem istam habe coram Deo, & illam in temetipso contine. Chrysostomus non

putat intelligendam hoc loco fidem illam, qua credimus dogmata fidei. Nam vt Paulus suprà dixit, Corde creditur ad iustitiam: ore autem cõfessio fit ad salutem. Non ergo satis est coram Deo rectè credere, nisi etiam coram hominibus fidem tuam profiteare. Hîc autem intempestiua professio cum vitio coniuncta est, quod ad ostentationem pertinet. Ego verò non video, quare hoc, quod modò tractatur à Paulo, non possit videri dogma. Libertas enim Christiana non infimum locum obtinet inter ea, quę debemus credere. Quod nisi ita esset, facilè redire posset seruitus legis mosaicæ. Neque prohibet Paulus, quin infirmis fratribus doctrinam instillemus nostræ fidei. Moderatio enim nostra, qua nos illis accommodamus, tantùm huc spectat, vt illi ad nostram fidem aliquando traducantur, & in ea fortiores efficiantur. Hîc ergo erit sensus Pauli: Coram Deo, & apud temetipsum habeto: hoc est fidem tuam ne intempestiuè nunc exerceas. Ita vsum tantùm ciborum, quos illi credunt esse liberos, prohibet eis ad tempus: non autem fidei propriè dexteram, & commodam declarationem. Debili autem fratri, cuique adhuc non sit persuasum, fides de præcipuis capitibus religionis pro hoc tempore satis erit. Non enim statim exigitur, vt explicitè omnia, quæ credenda sunt, credat. Nihil hæc sententia patrocinatur illis, qui contra clarissimũ Dei verbum conniuent ad superstitiones, & Missas idololatricas, & profanationes, atque abusus sacramentorum: quòd nolint pusillos offendere, sed satis putent esse, fidem habere in semetipsis, & coram Deo. Hîc enim Paulus agit de mediis tantùm rebus, & indifferẽtibus: non autem de necessariis, aut pugnantibus cum verbo Dei.

De qua fide Paulus hîc loquatur

Libertas christiana pertinet ad fidei dogmata.

Beatus, qui non iudicat se ipsum in eo, quod probat. Ne videatur nimium fauisse infirmis, vt defendat fortiores, ostendit maximam felicitatem in eo esse positam, vt quisque quod probat & facit, id dum examinat, & excutit, ne condemnet, sed certo videat, id cum verbo Dei cõuenire. Hæc est maxima christianorum hominum felicitas, vt ne vnquam accusentur à corde suo: quasi probauerint, & admiserint aliquid, quod iudicauerint non esse rectum. Hæc, vt ait Chrysostomus, non dicũtur de impijs, quibus omnia sua placent, sed de fidelibus, qui quicquid cogitant, dicunt, faciunt, metiuntur regula sanæ fidei, & verbi Dei. Et putat Chrysostomus, hæc illis respondere, quæ antea dicta fuerant, Fidem habes? Apud temetipsum habe, & coram Deo. Ac si diceret, Ne hoc tibi parum esse videatur, in eo es beatus, quòd de rebus sanè iudicas. Est enim amplissimum istud forum, & orbe toto melius. Quanuis enim omnes homines te accusent, si tua fides, & conscientia te non accuset, beatus es, & ex isto tuo interiori iudicio maximum fructum capis. Non potest autem iudicium conscientię rectum esse, nisi fides sit recta, & integra. Nam alioqui multi cùm occidant homines christianos, & pios, putant, se obsequium præstare Deo. Huc pertinet, quod Paulus ait 2. Corint. 1. Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Et Iobus 27. Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea.

Magna christianorum hominũ felicitas.

Conscientia nõ est recta, nisi fide recta firmetur.

Qui autem diiudicat, si comederit, condemnatus est: quia non edit ex fide. Condemnatur, qui discernit, & comedit: quia non persuadet sibi id, quod facit, placere Deo. Quare non potest id ad eius gloriam dirigere: quum putet illi displicere. Opus autem quoduis destitutum fine suo peccatum est. Diiudicare hîc maximè pertinet ad infidelitatem, quum scilicet, mens alternis rationibus agitatur: nec est in animo firma aliqua persuasio. Vndè commendatur Abrahamus, quod absque huiusmodi disceptationibus crediderit.

Quid hîc sit diiudicare.

Quia non ex fide. Causa cur condemnetur, est, nõ ex impuritate cibi, sed quòd ille secus credat, quàm faciat. Plurimùm autem valet ista sententia ad compescendos firmos in fide, ne cogant infirmos, & adhuc non persuasos comedere ea, quæ arbitrantur esse prohibita.

Quicquid enim non est ex fide, peccatum est. Hæc est generalis causa, ex qua colligitur præclarissima doctrina: nimirum, Deum non morari speciem, pompam, & externum fulgorem operum, sed intus expendere, an dimanent à vera obedientia. Id fit, quum credimus ex verbo Dei, talia & à Deo requiri, & illi placere. Quare quicquid ab hoc fonte non manat, peccatum est. Putat etiam Origenes, hanc sententiam esse generalem. Atq; idcirco hęreticorum opera ait verti in peccata, quòd illorũ fides non vera sit, sed fucata, & falsa: quemadmodũ falsa quædam dicitur scientia. Et citat illud, Fiat orato eius in peccatum.

Hæc Pauli sentẽtia est generalis. Hæreticorũ bona opera fiunt illis peccata.

CAP.

CAPVT XV.

DEBEMVS autem nos, qui potentes sumus, infirmitates impotentium portare, ac non placere nobis ipsis.

Adhuc persequitur institutum, & hortatur potentiores, & confirmatos doctrina, vt ferāt infirmos, idq; magna cum dilectione. Ducit autem primum argumentū à fine donorū Dei. Ea enim nobis idcirco dantur, vt illis iuuemus fratres: vt robur nostrum alijs cōfirmandis, scientia alijs erudiendis inseruiat. Ait Chrysostomus, reprehendi hîc illos morosos, & penè superstitiosos, quòd dicātur infirmi: alij verò potentes, qui eos debebant portare. Et eòdem spectare putat, quòd Paulus illis potentioribus se ipsum adnumeret. Id autem non facit, vt ait Origenes, quasi laudū suarum ebuccinator: sed vt illos ad suum exemplū excitaret: qui, cùm illis fortitudine, ac robore non cederet, tamen se ipsum omnia fecit omnibus. Nec leuiter audienda est vox illa, Ferre. Est enim græcè βαστάσαι, hoc est, portare, & in humeros quodammodo tollere. Ita Paulus alibi, Alter alterius onera portate: & sic implebitis legem Christi. Quod subijcitur, Et non placere nobis ipsis, noua est probatio, deducta ab ea abnegatione nostri, quam profitemur. Non enim aliud est, nō placere nobis ipsis, quàm quod Ambrosius interpretatur, Non quòd nobis prosit, & placeat vendittare, sed quòd conducat fratri.

Argumentū ab abnegatione nostri.

Placeat enim quisq; nostrum proximo in bonum ad ædificationem. Idcirco addit, In bonum, & ad ædificationem, ne quis putet, fratribus ad turpes, & noxias affectiones obsequendum esse. Quod antè dixit, Debemus, & hîc addit formam imperandi, ostendit, quenq; nostrûm ad ista esse obligatum: neque hæc ad gratificationem pertinere, sed ad legis, & dilectionis vinculum.

Ista sunt præcepta, nō consilia.

Etenim Christus non placuit sibi ipsi. Quò animos vehementius commoueat, idem suadet ab exemplo. Verbis enim profiteri Christum magistrum vitæ, & re ipsa ab eius institutis abhorrere, cùm ridiculum est, tum etiam ignominia probroq; non vacat. In his verbis placere, quod græcè ἀρέσκειν dicitur, est obsequi, satisfacere, & morem gerere. Nam alioqui vulgata significatione intellectum, sententiam Pauli euerteret. Nemo enim est nostrûm, qui sibi placere non debeat, quum actiones suas ad sanum iudicium examinet, habeátq; persuasum, illas Deo per fidem esse gratas. Neque Christus vnquam in his, quæ agebat, sibi ipsi hac ratione displicuit. Quomodo autem se aliorum vtilitatibus accommodauerit, satis docemur è sacris literis. Exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens, qui re vera omnium erat Dominus: quúmque esset omnium sanctissimus, cum publicanis & peccatoribus vescebatur: & quum esset castissimus, tamen à muliercula famosa pedes sibi ablui lachrymis, & tergi, & vngi non prohibuit: denique damnatus cum sceleratissimis latronibus inter eos pro nostra salute in cruce suffigi voluit. Qui tot ac talia gessit, & passus est, sibi ne videri potuit, voluisse satisfacere, an potius nostris commodis inseruire? Iure ergo Apostolus hoc exemplum nobis ob oculos posuit.

Sed quemadmodum scriptum est, opprobria opprobrantium tibi inciderunt in me. Extat hoc testimonium in Psalmo sexagesimo nono. Eo verò Paulus vtitur in hunc sensum, quasi filius ita loquatur cum patre: Non tantùm zelus domus tuæ comedit me, verùm etiam quicquid in te contumeliæ, & opprobriorum iacitur, quod certè fit omnibus, omnium hominum peccatis, id totum incurrit in me, idque ego vel morte crucis paratus sum ferre, atque expiare. Corda hominum quanuis ferrea, & durissimis lapidibus duriora, tamen hoc exemplo emolliri possunt ad quiduis ob fratris salutem tolerandum. Certè in hoc exemplo multò plus comprehensum est, quàm Paulus à Romanis exigit. Non enim iubet, vt præstent culpas infirmorum, sed tantùm vt illis sint subsidio, vtque illorum infirmitati medeantur.

Quomodo in Christum cadāt cōtumeliæ Dei.

Nam quæcunque præscripta sunt, ad nostram doctrinam præscripta sunt. Hęc adscribit ad commendationem sacrarum literarum: ne videatur illud testimonium Dauidis parum concinnè attulisse. Quæ, inquit, olim Deo incitante scripta sunt, ad nos pertinent, vt illis instituamur. Nulla itaque pars diuinarum literarum est infrugifera. Paulus enim ait, Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam esse scripta, in alijs libris quanuis egregiè, & accuratè scriptis, tamen aliquid inuenire potes, quod reijcias, quasi id tua nullam in partem referat. In sacris autem libris nihil vnquam deprehendas, quod ad institutionem, & salutem

Nulla pars doctrinæ sacræ infrugifera.

tuam non faciat, modò rem rectè expendas. Atque vtinam quicunque sacras literas legimus, hoc proposito, & consilio eas legeremus, & ex quauis illarum parte ædificationem nostram quæreremus. Sed multos videas, qui ex diuinorum oraculorũ lectione fiunt quidem doctiores, nihilo tamen euadunt meliores. Ad singulas enim clausulas non ita se interrogant, Quid hæc ad te, quid ad tuos mores, quid ad effectus tuos pertinent? Hoc certè in primis decuit spiritum sanctum, ne quid doceret in sacris libris, quod esset superuacaneum. Hac maximè in re oportuit libros sacros præstare profanis, ne quid ex illis quasi redundãs, aut superuacaneũ posset resecari. Istæ proprietates si veteri Testamento conueniunt, multò magis conueniunt Nouo. Idem enim spiritus autor fuit vtriusque. Vbi ergo nunc sunt Libertini omnium bipedum arrogantissimi, qui se iactant ita esse sublimes, & cœlestes, vt sacris scripturis nihil egeant. Eas enim hominibus infimis, & paruulis tantùm datas putant. Certè Paulus sese cum illis numerat, qui vtilitatem capiunt è sacris literis. Non enim inquit, ad vestram, sed ad nostram doctrinam scripta sunt. Neque quicquam est, quod Anabaptistæ cum manichæis, & Marcionitis latrent contra vetus Testamentum. Hìc enim Paulus testimonium profert è psalmis è veteri Testamẽto. Origenes docta quadam inductione ostendit ea, quæ scripta sunt in veteri Testamento, ad nos pertinere. Paulus in priori ad Corin. ait, ea illis in figura contigisse, & nostra causa consignata fuisse literis, in quos fines seculorum deuenerunt. Et in eadem epistola citat illud, Non alligabis os boui trituranti, idque ostendit non ita dictum esse, quasi Deo curæ sint boues, sed quòd ea ad nos potius faciant. Et ad Galat. ait, Abrahamo duos fuisse filios, qui re vera in se ipsis nobis duo Testamenta adumbrarint. Et ad Corint. ait, Israelitas comedisse mannã in deserto, & bibisse aquam de petra, vt nos sciremus illos escam edisse spiritualem, & potum bibisse spiritualem, nempe de sequente illos petra: petram autem eam fuisse Christum. Hęc Origenes: Et certè longum esset, si quis omnia testimonia huius generis vellet enumerare. Ex his etiam intelligãt illi, qui homines Christianos reuocare volunt à lectione sacrorum librorum, quàm malè illorum vtilitati prospiciant, dum obstinationi suæ, & inueteratis abusibus, & superstitionibus consulunt.

Quomodo scripturæ sint legendæ.

Contra Libertinos.

Quæ sunt in veteri testamento ad nos pertinẽt.

Non sunt prohibendi uulgares homines à lectione scripturarum

Vt per patientiam, & consolationem scripturarum spem habeamus. Hoc Paulus tribuit doctrinæ scripturarum, eas facilè inducere homines ad tolerantiam, vt diuinæ gubernationi prorsus omnia sua velint committere. Atque inde ostendit duci iucundissimas consolationes, & ardentissimas adhortationes, quibus animi permoueri possint ad officia pietatis, & dilectionis obeunda: atque ita spe firma, & solida communiti, nunquam postea vt pueri, aut arundines fluctuemus. Ista eximia, & præclara dona non ille assequitur, inquit Origenes, ex scripturis, qui illas legit tantùm, quum tamen illis interim non credat, nec eas intelligat: sed ille, qui & illas intelligit, & eis credit. Quanquam ego his verbis addendum puto, Deum pro sua bonitate hominibus assiduè legentibus sacras literas, largiri deniq; vt & intelligant, & credant: maximè verò cùm fides sit ex auditu, & lumen fidei tenebras ignorantiæ discutiat. Quare lectio sacrarum literarum & credentibus, & non credentibus est longè vtilissima. *Scripturarum* autem esse dicitur patientia, & consolatio, tum quia perseuerantibus in sacris lectionibus & credentibus Deus ista elargitur, tum quia in illis legimus, Christum, & eius membra propter veritatem, & innocentiam, & pietatem multa grauia, atque aspera pertulisse, ac exemplis eiusmodi mouemur, tum etiam quia ex illis intelligimus Deum, semper suis adfuisse, vt eos aut prorsus eripuerit, aut constantes ad omnia ferenda, fortesque reddiderit. Ac bonam spem ex eo concipimus, Deum erga nos quoque eundem futurum, nosque eodem loco, & numero habiturum, quo illos olim habuit, qui nobis in sacris literis commendantur. Nec tantùm exemplis huiusmodi permouemur, sed etiam Deum ipsum audimus nos ad tolerantiam, & fortitudinem adhortantem, nobisque auxilium suum promittentem. Atque inde reddimur fortes, & varias, ac multiplices consolationes experimur, nec non ad bonam spem summæ felicitatis excitamur.

Vtilitas diuinarum scripturarũ

Lectio scripturarũ & credentibus, & nõ credentib. est utilis. Scripturarũ est patientia, & cõsolatio.

Deus autem patientiæ, & consolationis det uobis idem mutuò inter uos sentire secundum Iesum Christum.
Ne putaremus, scripturas ipsas ex se posse tolerantiam, & spem, & consolationem in nobis parere, Paulus istorum donorum Deum verum esse autorem prædicat. Vtitur quidem ille verbis sacris, vt legitimis organis, per quæ ista in cordibus nostris pariat. Neque otiosè addit formam precationis. Ex eo enim intelligimus, non esse satis, si rectè, & fideliter doceamus, nisi Deus doctrinę nostræ vim, & efficaciã conferat. Quare qui cõcionantur, & docẽt populũ precibus etiam assiduis, & ardentibus eos iuuare debent, quos instituunt: vt à Deo effecti

Scripturæ non sunt ex se causa efficiens istorum donorum.

effecti bona terra ſemen cum fructu recipiant. Appellat Deum patientiæ, & conſolationis, quòd aliter à nobis, quàm ex effectis non poſsit nominari. Inter alia verò, quæ Deo attribuuntur, ea Paulus hoc præcipuè expreſsit, quæ ad cauſam maximè faciebant, quæque paulò antè tribuerat ſacræ ſcripturæ. Optat Romanis mutuum conſenſum, quòd tum inter ſe nihil deſiderent, vt apparet ex illis, quæ ſuprà legimus. Conſenſum tamen illis non quicunque optat, ſed eum, qui ſecundum Chriſtum. Multi enim inter ſe conſpirant, & egregiè conſentiunt in deſignandis flagitijs, idq; ſæpiſsimè aduerſus Chriſtum. Huiuſmodi autem conſenſus non orandus eſt à Deo, ſed deprecandus. Aut *Secundum Ieſum Chriſtum*, intelligit, vt ad eius exemplum erudiantur.

Deus nominatur ex effectis.

Quis conſenſus optetur.

Vt unanimites, & uno ore glorificetis Deum, ac patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Non ſatis eſt vno ore, atq; iiſdem verbis Deum, & Chriſtũ glorificare, niſi acceſſerit idem animus: quod intelligendũ eſt coniunctione charitatis videlicet, vt diſsidia funditus profligentur. Requiritur etiã conſenſus in præcipuis dogmatis, & articulis ad ſalutẽ neceſſarijs. Quod autẽ ad probabilia attinet, nõ eſt neceſſe, vt in illis ſit idem omniũ ſenſus: dum tamẽ charitas diſſentione nõ ſcindatur. Quare cenſeo, Deum ardentiſsimis precib. orandũ eſſe, vt hunc optatiſsimum cõſenſum aliquando Eccleſiæ ſuæ largiatur. Quandiu enim ita multi ſunt, qui à vero diſſentiant, quomodo poteſt Deus glorificari vnanimiter, & vno ore?

De quibus rebus conſenſus in Eccleſia ſit neceſſarius.

Itaq; ſuſcipite uos mutuò, quemadmodũ Chriſtus ſuſcepit nos in gloriam Dei. Paulus in illis ſuis precib. quas modò audiuimus, attigit finẽ humanæ vitæ: ſcilicet vt omnes vno eodemq; animo cõſentientes glorificemus Deum, & Dominũ Ieſum Chriſtum. Nunc rem abſoluit, & perorat hãc cauſam vtiliſsimo epilogo. Hic enim nõ ſolùm repetit finẽ propoſitũ, ſed etiã admiſcet exemplũ Chriſti. Chriſtus, inquit, ſuſcepit nos, cùm eſſemus debiles, infirmi, perditi. Quare nos quoq; par eſt, vt nos ipſos mutuò cõplectamur, & foueamus, niſi tam præclari magiſtri velimus eſſe diſsimiles. Vtq; ille, cũ nos erigeret, & iuuaret, nihil aliud quærebat, quàm gloriã patris, ita nos in iuuandis fratrib. nihil aliud nobis proponere, aut ſpectare debemus, quã gloriã Dei, & Chriſti. Adeò autẽ violenta eſt iſta Pauli concluſio, vt nullus locus negationi relinquatur. Nam ſi debilis, & infirmus frater nunquã te læſit, ſed eſt moribus alioqui ſatis probatis, inhumaniter profectò facis, ſi eius infirmitati non parcas. At ſi ille tibi inuiſus eſt, & aliquid fortè cõmiſit, quamobrẽ ope tua videatur indignus, tamen eius exempli, quod Chriſtus tibi propoſuit, rationẽ habere debes, & gloriã Dei, quæ tua benignitate illuſtrabit, ſemper tibi ante oculos ſtatuere. Neque caret ſancto quodã artificio, quòd Paulus iiſdem propè verbis terminat hanc cauſam, qua illam cœperat. Ab initio enim dixerat, Infirmũ in fide ſuſcipite: Hîc autem, ſuſcipite, inquit, vos inuicem.

Vehemẽtia pauli næ cõcluſionis

Dico autem, Ieſum Chriſtum miniſtrum fuiſſe circunciſionis pro ueritate Dei, ad confirmandas promiſsiones patrum. Paulus molliſsima, vt mihi videtur, tranſitione confert ſe ad aliud diſsidium componendum, quòd ea tempeſtate non tantùm Romæ, ſed etiam in alijs Eccleſijs graſſabatur. Illæ enim quum partim ex Iudæis, partim ex Gentibus conſtarent, propter generis, & nationum diſcrimina diu, & grauiter conflictabantur. Iudæi enim ſupercilio legis ſibi datæ, & faſtu, atque opinione ſanctæ originis, quam duxerant ex patribus, Gentes præ ſe inſolenter contemnebant. Gentes verò illam illationem, & arrogantiam non ferentes, Iudæos velut homines ſuo ipſorum vitio à Deo reiectos, & penè excluſos aſpernabantur, quòd ſe iam in illorum locum quodammodo viderent eſſe ſurrogatas. Ad has ergo contentiones dirimendas Paulus opportunè vtitur hac ratione, qua priorem ſermonem clauſerat: nimirum, Chriſtum illos ſuſcepiſſe in gloriam Dei: quod beneficium quum Chriſtus tam in Iudæos, quàm in Gentes contuliſſet, non conuenire, vt diſcrimina generis, & meritorum, quæ Deus in illis ſuſcipiendis non ponderauerat, ſua æſtimatione tanti facerẽt, vt propterea ipſi à ſe mutuò diuellerentur. In eo ergo Paulus totus eſt, vt perſpicuè demonſtret, & iſtos, & illos per Chriſtum à Deo receptos eſſe in gratiam. Priori autem loco mentionem facit de Iudeis, quòd illi ante omnes mortales Euangelium de Chriſto audiuiſſent. Quod ne illi ſuis virtutibus tributum putarent, Paulus rationem reddit, cur Chriſtus illi populo per ſe ipſum voluerit eſſe miniſter ſalutis. Hoc ait, promiſsionibus patrum fuiſſe datum: ne illæ caſſæ, atque irritæ facerent, ſi Chriſtus aliter facere voluiſſet. Id enim magno detrimento fuiſſet veritati Dei, quam oportet eſſe conſtantiſsimam. Non enim contulit Chriſtus hoc beneficium in Iudæos, quòd illi digniores eſſent alijs nationibus, ſed ne veritas Dei videretur eos fefelliſſe. Neque illi poterant promiſsiones maioribus ipſorum factas, referre ad ſuam dignitatem commendandam. Illa enim iam promiſſa eis deberi deſierant, quòd à fide maiorum ſuorum degeneraſſent, & perpetua violatione legum iram in

Tranſitio.

Alterũ diſsidiũ eccleſiæ Romanæ.

Chriſtus nõ fuit miniſter Iudæorum ob ipſorum dignitatem.

se Dei concitassent: nisi Deus veritatis suæ potius, quàm illorum dignitatis rationem habere voluisset. Hæc Chrysostomus prudenter in his verbis annotauit. Christus autem circuncisioni, id est, Genti Iudæorum ministrauit, quum prædicans: Euangelium illos ad salutem, & vitam reuocaret. Non situm erat hoc ministerium in Missis, campanis, altaribus, precibus pro mortuis, aquis lustralibus, infulis, vestibus holosericis, ciborum delectibus, ramis, candelis, cineribus, & alijs ritibus, cerimonijs, ornamentis Papalis maiestatis. Neque ille titulo tantùm tenus ministerij dignitatem circuntulit, vt hodie multi faciunt, sed assiduè pauit oues suas sibi commissas, illisque verbum salutis omni studio, & diligentia prædicauit. Quum alij dormirent, ille in precibus vigilabat: quibus dubitari non potest, illum omnibus modis à Deo contendisse, vt ministerium, quod gerebat, esset quamplurimis fructuosum. Quòd autē ad priuatā eius vitam attinet, semper sanctè se atq; innocenter gessit, optimoq; exemplo totius vitæ ministeriū suum exornauit. Quicquid enim mandatū est in lege, id vniuersum ita perfecit, & præstitit, vt ea huiusmodi complemēto perfecta, nobis, qui iam Christo per fidem adiuncti sumus, nō possit amplius esse oneri. Veteres enim iam ceremoniæ desierunt: quarum vmbræ ad veritatis lumen sublatæ sunt. Atque vna etiam ciuilia mandata sunt abrogata, cùm illa respublica iam in terris non amplius sit necessaria. Iustitia etiam legum earum, quas Morales vocant, etsi à nobis perfectè impleri non queat, tamen partim ex sanctitate Christi, quam ille nobis communicat, sarcitur, & perficitur, partim vi spiritus sancti credētibus ab illo impartita magno studio, prout cuique datum est, exprimitur. quodq; deficit per Christi gratiam non imputatur. Denicq; quod extremum opus fuit eius ministerij, vitam pro suis posuit. Quod autem Origenes annotauit, Apostolum hîc voluisse colligere argumentum contra Ethnicos, ne spernerent Iudæos, quanuis adhuc hærerent in obseruationibus legis, quum Christus ipse & minister legis fuerit, & hæc omnia diligenter obseruauerit, id mihi alienum videtur. Non enim potius hîc discimus, robur, & firmamentum paternarum promissionum fuisse salutem humano generi parandam per Christum: quanuis alioqui multæ promissiones extarent de possessione terræ Chanaan, & regno mundi. Quæ cùm Christus non præstiterit, vt ad ministeriū suū minimè pertinentia, ea intelligere debemus fuisse potius appendices, quàm neruos, & summā, & vim, atq; succum diuinarū promissionū. Et ad hoc non parum facit, quod Paulus scribit 2. Cor. 1. Quotquot sunt promissiones Dei, per ipsum sunt etiā, & per ipsum Amen.

Quale fuerit Christi ministerium.

Lex per Christum non est nobis oneri.

Quidnā sit robur, & summa omniū paternarum promissionum.

Misericordia & ueritas coniunctæ sunt simul.

Gentes pro misericordia glorificate Deum. Gentibus attribuit misericordiam, & Iudæis veritatē, non quasi hæc duo à se mutuò diuelli possint, nullum enim est opus Dei, quod aut misericordiam habeat absque veritate, aut veritatem absque misericordia: verùm ista Paulus voluit distinguere, prout magis præualuerunt, vel in Iudæorum, vel in Gentium salute sese magis declarauerunt. Christus, quod ad eam conuersationem attinet, quam habuit in terris datus fuit Iudæis, ne veritas promissionum labefieret. At si ad radicem ipsam, & fundamentum velis descendere, illæ ipsæ promissiones nitūtur sola Dei misericordia. Quid enim eum nisi mera bonitas, & misericordia adigere potuit, vt patribus Christum, ex illorum stirpe oriturum polliceretur? Et quanuis Gentes cooptatæ dicantur esse misericordia, tamen hîc quoque veritas locum habet. Deus enim sciuit ab æterno, Gentes vocandas esse ad salutem. Era ergo verum. falsa enim sciri non possunt. Quare illi veritati necesse fuit reddi effectum suum. Adhæc scripturæ non tacuerunt, Gentes aliquando fuisse aduocandas, quemadmodum vaticinia ea testantur, quæ paulò pòst inducentur. Prædictiones autem diuinarum literarum citra controuersiam oportuit esse veras. Cooptatio ergo Gentiū pertinet ad veritatem. Verùm hoc nobis excidere non debet, Paulum, cùm ageret de Iudæis, non tantùm dixisse veritatē, sed illico mentionē adiecisse promissionum: acsi diceret, Christum datum fuisse Iudæis ministrum salutis, ad confirmandam veritatem promissionum.

Promissiones dei nituntur sola misericordia.

In gentiū cooptatione ueritas locum habuit.

An uocatio gentium peculiariter cuiquam fuerit promissa.

Aduocatio autem Gentium prænuntiata quidem est, sed nulli videtur fuisse promissa: nisi quis fortè velit contendere, Abrahamo promissas fuisse Gentes, quum ei diceretur, In semine tuo benedicentur omnes Gentes. Verùm, vt iam expositum est, hoc videri potest, prædictionis potius forma fuisse dictum, quàm promissionis. Quòd si cui ista ratio vidēbitur infirmior, id amplecti potest, quod antè diximus, Apostolum Id sequutum esse, quod in scripturis occurrit frequentius. Inillis enim passim Messias ex Iudæorum semine promittitur: non autem ita multis in locis, & tam frequenter mentio in illis fit vocationis Gentium. Vtque sermonem in pauca contraham, Pauli distributiones non ita accipiendæ sunt, quasi vna pars cum altera nullo modo possit coniungi. Idque perspicuè doceri potest ex his duobus locis, Corde creditur ad iustitiam: ore confessio fit ad salutem.

Quomodo Pauli distributiones sunt accipiendæ

tem: Et, Christus mortuus est propter delicta nostra: & resurrexit propter iustificationem nostram.

Sicut scriptum est, Propter hoc confitebor tibi in Gentibus, & nomini tuo canam. Hoc vaticinium habetur ex Psalmo 18. quo affirmatur, Dei laudes celebrandas esse inter Gentes: quod etiam fit aliis illis testimoniis, quæ subijciuntur. Id autem intelligi non potest, nisi de parta per Christum redemptione. Vltimum tantùm miraculum mentionẽ facit spei, atque fidei Gentium, & imperij Christi ad illas vsque propagati. In Psalm. 18. Dauid loquitur sub persona corporis Christi, hoc est, Ecclesiæ: Confitebor tibi inter Gentes. Hîc non aliud est cõfiteri, quàm celebri oratione Dei laudes prædicare. Ex illis autem, quæ Paulò antè in eodem psalmo præcesserat, colligitur, carmẽ illud futurũ esse, de victoria parta, & hostibus profligatis, *Quid sit confiteri.*

Et rursum: Gaudete Gentes cum populo eius. Hoc habetur in Deuter. cap. 32. Excitate ad iubilum Gentes populum eius. Causa autem huius communis gaudij recitatur antea, quòd Deus suos asseruisset in libertatem ab inimicis, & hostibus. Sunt tamen, qui malint hoc testimonium petitum esse è Psalmo 67. vbi ita legitur: Exultent, & lætentur Gentes: quoniam iudicas populos in æquitate, & Gentes in terra dirigis. Verùm vndecunq; petitus sit locus, non magni refert: vtrobiq; enim propemodũ idem est sensus. Ego verò potius Deuteronomij locum esse arbitror, quòd in Psalmo particula illa, *Cum populo meo, uel populum meum,* desideretur. Hoc tamẽ nos latere non debet, astutos ludæos ad eludẽda hæc testimonia, cõsueuisse dicere, in sacris literis Hebræos sæpe Gentes appellari. Et citant locũ illum ex 1. ca. Esaiæ, Væ Genti peccatrici! populo graui iniquitate: quo loco hebraicè legitur, הוי גוי חטא Sed hoc illis parum patrocinatur. Nam in Deuter. legitur: Excitate Gentes ad iubilum populũ eius. In quibus verbis perspicuè videmus Gentes distingui à populo Dei, quæ ab eo dicuntur cooptandæ. Illæ enim non solùm celebrabũt epinicia de adepta victoria per Christum, sed etiam Hebræos ad idem faciendũ prouocabunt: quod hodie maximè perfectum intelligimus. Hodie enim Christiani ludæos peruicaces, & obstinatos ad salutem non desinũt reuocare. Nec negare possunt id quod iam sequitur, ad vniuersas pertinere nationes. *Cauillatio Hebræorum.*

Laudate Deum omnes Gentes: laudate eum omnes populi. Ex Psalmo 116. Hîc enim spiritus sanctus notis vniuersitatis non modò ludæos, sed etiam omnes Gentes complexus est.

Erit radix Iesse: & qui exurget ad imperandum Gentibus, in eo Gentes sperabunt. Hoc habetur capite vndecimo Esaiæ, & inter alia testimonia de Messia citra controuersiam est præclarissimum. Profectò stirps Dauidis, & in captiuitatibus, & præsertim quum Iudæi à Romanis opprimerentur, videbatur ita effœta, & penè emortua, vt nullus amplius ex ea sperari posset fructus. Ideóque Propheta hanc desperationẽ suo vaticinio consolatur. Ex hoc, inquit, trunco germinabit virgultum, quod omnibus Gentibus erit signum, ad quod certatim confugiant, & in quo omnem spem suam collocent. Paulus hîc videtur nonnihil ab hebraica veritate deflectere. Nam quod ille reddidit, Exurget, sequutus Septuaginta, qui transtulerunt, ἀνιστάμενος, est in Hebræo, stat. Sed Paulus videtur explicationem addidisse, Stabit ista virga, quum tamen planta prius visa fuerit funditus concidisse, & truncus ab omnibus iudicatus fuerit sterilis, atque effœtus. Rectè ergo Paulus dixit exurget, nimirum, vt postea stet firmius. Quódque Hebræi dicunt לנס In signum, id Paulus cum Septuaginta transtulit ἄρχειν ἐθνῶν. Illud enim signum in hunc finem erigetur, vt sit quasi sceptrum, quo nationes orbis terrarum regi debeant. Denique Paulus cum Septuaginta ait, Ἐπ' αὐτῷ ἐλπιοῦσιν ἔθνη: quum hebraicè sit אליו גוים ידרשו eam Gentes inquirent. Sed hoc discrimen non est magnum: Nemo enim quæret id, de cuius inuentione desperet. Tamen quod ad hunc locum attinet, ex his intelligimus, Gentes accessuras ad Christum. Prædicitur enim dominaturus illis: spiritu, scilicet, & verbo. Et nationes in illum sperabunt. Id fieri non potuit sine fide: ex ea enim spes tanquam ex fonte nascitur. *Spes ex fide, ut ex fonte oritur.*

Deus autem spei impleat uos omni gaudio, & pace in credendo, ut exuberetis in spe per potentiam spiritus sancti. Cùm Paulus exposuisset rationẽ suam, qua suadebat & ludeis, & Gentibus, vt desisterẽt ab intestinis dissidijs, quòd Deus non minus hos, quàm illos assumpsisset per Christum, nec illorum aut genus, aut merita attendisset, vt qui eos prorsus eodem fauore, & ijsdem beneficijs æquauisset, postea conuertit se ad preces, oratq; Deum, vt vi spiritus sancti, & præstantissimis donis, & cœlestibus facultatibus illos exornet. Neque quenquam latere arbitror, quàm efficacem, & vitam adhortationem reddant preces interpositæ. Ea enim quę suademus, non leui argumento confirmantur, & ostendũtur esse iusta, atq; honesta, cùm ea à summo optimoq; Deo petere nõ dubitamus. Declaramus etiam hoc pacto, quàm nobis cordi *Adhortationib. iure adiungũtur preces.*

sit, quamq; impensè cupiamus id, quod postulamus, cùm pro eo Deum ipsum non vereamur precibus nostris fatigare. Admonemus etiam nostros, quibuscum agimus, vnde vires ad præstanda ea, quæ hortamur, sperandæ sint: non à carne, non ab humanis facultatibus, non à mũdo, sed ab ope, atq; auxilio vnius Dei. Nobis enim vulneratis, & propemodũ iam confectis genuino peccato, non est amplius integrum vel moliri quicquam sani, vel cogitare. Atque hinc salutaris consuetudo recepta est in Ecclesia, vt cum recitatione sacrarũ literarum, in quibus homines docentur præcepta Dei, preces, & vota cõiungantur. Quo facto etsi tacitè, tamen non obscurè docemur, non in nostro arbitrio, sed in Dei misericordia esse positum, vt eius iussa, & voluntatem exequamur. Ideoq; Augustinus hoc genere argumenti non semel vsus est aduersus Pelagianos. Illi enim in his, quæ Deo grata essent, & ad vitam æternam vtilia, falsò asserebant libertatem humanæ voluntatis. Putauit enim prudẽtissimus Pater inane ac superuacaneũ esse, quod ipsi possemus per nos efficere, id assiduis precibus à Deo quodammodo emendicare. Dicit autem Deum spei: quoniam, vt ait Origenes, fecerat mentionẽ spei in oracluo Esaiæ, quod vltimo loco induxerat. Ego verò existimo, quòd sit incredibilis molis fulcire, ac stabilire cor firma, & certa fiducia, vt statuamus citra omnem dubitationem, nos à Deo assumptos esse per Christum, idcirco Paulum dixisse, Deum spei. Ille, inquit, tanti doni autor impleat vos gaudio, & pace in credendo, id est, per fidem. Hanc primo loco ponit: ex ea spes oritur: inde pax, & gaudium deriuantur. Nam quum credimus, & speramus, adipiscimur iustitiam: Deinceps consequitur pax, & gaudium. In his autem tribus, vt suprà exposuimus, præcipuè consistit regnum Dei. Vtque mentionem antea iniecit de spiritu sancto, dicens, Iustitia, pax, & gaudiũ in spiritu sancto, ita etiam eum hîc cõmemorat. Addit enim, Vt exuberetis in spe per potẽtiam spiritus sancti. Nec leuiter transeundum, quod ait, Vt exuberetis. Spes enim non gignit pacem, & gaudium, nisi vt ea ampla sint, & copiosa. Nam ὀλιγοπίστους in rebus afflictis parum fidentes videmus mœstos esse, & conturbatos. Vt enim cor illorum timore perfunditur, ita sermo, & frons ipsa tristitia offuscatur. Pax, & gaudium, etsi ad animum referri possint, nam credẽtes, & spe confirmati gaudent in Domino, & pacem habent & in conscientia, & erga Deũ, nihilo tamen minus propter consensum, & vnitatem, ad quam Paulus Ecclesiam Romanorum adhortatur, propensior sum in hanc sententiam, vt intelligam illud gaudium, quo quisque exhilaratur propter commoda, & dona fratris: & pacem similiter eam, qua intimo dilectionis affectu fideles sese mutuò complectuntur, & indissolubili vinculo mutuæ charitatis consociantur. Nec tantùm dixit Paulus, Per spiritum sanctum, sed etiam expressit eius potentiam. Cùm enim Romanis ista dona plena, perfecta, exuberantia exoptet, subindicat, magnam implorandam esse vim spiritus, vt illi ad ea possint peruenire.

Argumentũ contra Pelagianos.

Deus spei cur dicatur.

Qui non fidunt Deo, sunt tristes

Persuasum autem habeo, fratres mei, & ipse ego de uobis, quòd & ipsi pleni estis bonitate, impleti omni scientia.

Quoniam hactenus Paulus prolixè disputauit, quod attinet ad dogmata, vt doceret, hominem iustificari absque operibus per vnam fidem in Christũ: & deinde, quod attinet ad mores, hortatus est, vt obtemperarent publicæ potestati, vt sese mutuò diligerent, vt susciperẽt infirmos, vt firmiores ne iudicarent, vtq; inter sese mutuò cõsentirent: nunc ne Romani indignarentur aduersus eum, quasi illis tribueret paruum profectum in Christianismo, sibi autem ipsi plus æquo arrogaret, hoc epilogo prudenter medetur affectui, qui alioqui facilè videri potuisset ortus è carne. Et, vt Ambrosius annotauit, dũ eos laudat, ad ea, quę monuerat ardentius inflãmat. Quum enim quis animaduertit se laudari à viris præsertim insignibus, solet diligentius conatum, & studium adhibere, ne falsa commendatione videatur fuisse ornatus. Hoc autem modo Paulus occurrit periculo prauæ suspicionis, quòd sibi dicit prorsus persuasum esse de illorum egregia bonitate, & scientia singulari: sed quum esset vniuersalis minister Gentium, non fuisse sibi integrum, officium erga illos suum prętermittere. Bonitas hoc loco, quod græcè est ἀγαθωσύνη, vt Erasmus annotauit, significat omne genus virtutum, & opponitur τῇ κακίᾳ, quæ è diuerso complectitur omne genus vitiorum. Sed quomodo potuit Paulus ista de Romanis absque mendacio prædicare, quum in ea Ecclesia permulti essent infirmi, & grauibus inter sese iurgijs, & contentionibus laborarent. An ministro verbi Dei fas est mentiri, vt mulceat improbos affectus populi, qui fortasse se vel doceri, vel ad bene agendum extimulari, vel accusari animo iniquo paterentur? Equidem in ea Ecclesia puto fuisse multa membra satis infirma, quæque ijs vitijs, quæ ab Apostolo reprehensa sunt, laborarent. Quare ad ea membra ista, quæ hîc scribuntur, nihil pertinent. Probabile autem est, multos etiam ibi fuisse integerrimos, & sanctissimos viros: qui & multiplici scientia, & probatis moribus à spiritu sancto essent abundè

Quid agatur in epilogo.

Prodest laudare fratres.

An Paulus uerè potuerit Romanos ita laudare.

bundè ornati. Ad istos Apostolus hanc partem orationis suæ conuertit. Neque hîc tantùm ita scribit, verùm etiam in priori ad Corinthios. Ait enim, In omnibus ditati estis per ipsum, in omni sermone, & in omni cognitione, vt non destituamini vllo dono. Hæc Paulus veritus non est de Corinthijs prædicare, quos tamen docere oportuit, quæ cæteris præstantiora essent Dei dona, & confirmare de resurrectione, & monere vt à scortatione abstinerent, vt incestum excommunicarent, vt cœna Domini rectè vterentur, vt ne se institutorum suorum nomine alijs anteponerent, atque id genus alia permulta: quæ certè scribere non oportuisset, si omnia eius Ecclesię membra ita donis Dei, & scientia instructa fuissent à spiritu sancto, vt illis nihil deesset. Quòd si res ita sese tum habuit, quid nos hodie expectamus, plebes nostras fore omni ex parte perfectas? Quod tamẽ à me dictum nolim eò rapi, quasi pastorum ignauiæ, & negligentiæ parcendum censeam. Quemadmodum enim illo tempore qui præstantiores erant, magnis laudibus iure optimo ornari potuerunt, quòd assiduè laborarent in monendis, docendis, instruẽdis alijs, Paulus enim, & cæteri Apostoli nihil omittebant, quod esset pro cõmuni salute faciendũ, ita se isti gerere deberẽt, quò hæc encomia Apostolica aliquo iure ipsis quoq; cõuenirent. Origenes inquirit subtilius, quomodo dicanẽ pleni omni bonitate, & scientia, cùm nemo sit in hac vita, qui careat omni vitio, & videamus tantùm per speculũ in ænigmate. Vtq; omnia eius dicta in pauca contrahã, ait, hęc exponẽda esse pro huius vitæ modulo, & pro gradu, ac tempore conuersionis cuiusq;. Chrysostomus obseruauit, Paulum exorsum esse hãc epistolam à laudibus Romanorum (Dixit enim statim à principio, se gratias agere Deo, quòd illorum fides innulgaretur per vniuersum orbem: & se velle inter eos ex illorum mutua fide consolationem capere) & nunc in eorũ laudes desinere, sed eas, quæ sint prioribus ampliores. Longè enim maius est, plenos esse omni bonitate, & refertos omni scientia, vt possint se mutuò monere, quàm habere fidem, quę vbiq; prædicetur, & ex qua Apostolus possit nonnullam capere consolationem.

An aliqui dici poßint uerè pleni omni bonitate Vnde cœpit apostolus hanc epistolam, illam absoluit.

Vt positis alter alterum monere. Si pleni erant omni scientia, quid opus erat, vt alter alterum admoneret? Ambrosius quasi velit hunc nodum aperire, ita scribit: Monere, dixit, non docere. Ea enim monentur, quæ alioqui sciuntur, sed interdum animũ subterfugiunt. Ego verò non puto Paulum huc spectasse. Nam si loquamur de moribus, nemo est, qui non interdum possit admoneri: Sin verò de doctrina, sapientiorum, & eorum, qui præsunt Ecclesijs, est, instituere, ac docere alios. Et ne quis erret, aliqui codices habent ἄλλους, aliqui ἀλλήλους. Et, vt exposui, vtrunq; potest non malè consistere.

Qui alioqui sciunt, possunt moneri.

Sed tamen audacius scripsi uobis fratres, ex parte, uelut cõmonefaciens uos propter gratiã, quæ data est mihi à Deo, ut sim minister Iesu Christi inter Gentes. Hoc erat alterũ membrũ apologiæ. Falsus erat, se certò scire, illos ob insignẽ bonitatem, & præstantẽ scientiã fuisse satis idoneos ad se inuicem cõmonefaciendos. Quare dicere possent, Quid ergo ita audacter scripsisti? Quoniã, inquit, Deus voluit, me esse ministrũ Gentiũ. Vos autem inter eas numeramini: Proinde ne deessem munerι mihi cõmisso, ausus sum ista ad vos scribere. Ait aũt se, nõ tantùm scribere voluisse, sed etiã audacius, atq; liberius scripsisse: vt Erasmus putat, quòd ab initio acriter taxasset idolatriã, dementatã philosophorũ sapientiam, & obscœnissimas libidines. Verùm id mihi nõ fit verisimile. Illa enim non ad Romanã Ecclesiã pertinebant, sed ad ethnicos à Christo alienos. Illis enim Paulus exprobrare voluit atrocissima flagitia, vt intelligerẽt, humanis viribus & scientiarũ præsidio freti, eq; à vera iustitia essent alieni. Videẽ ergo mihi ad ea potius respexisse, quæ in istis proximis capitib. scripserat. Qualia sunt, quę Chrysost. annotauit: Ne quo pacto fiat, vt nec tibi parcat: &, Ne sitis prudẽtes apud vosmetipsos: &, Tu quid iudicas fratrẽ tuũ? Et, tu quid spernis fratrẽ tuum? Quibus addere potes ista, Ne cibo tuo perdas eum, proprer quẽ Christus mortuus est: &, Noli propter escã euertere opus Dei. Hęc, et alia simili a Paulus videri potuisset scripsisse audacius. Ea tamẽ hîc excusando nõ mutat, sed tantùm prętendit vocationẽ suã, hoc est, munus Apostolicũ. Longè aũt diuersa est hęc forma excusandi ab ea, qua vsus est autor historię Machabęorũ: Is enim sub finẽ secũdi libri ambigit, rectène, an secus scripserit: & addit, si minus rectè, hoc est q̃d potui: ac si diceret, Ignoscat mihi. Paulus verò, qui non dubitaret se nihil scripsisse, nisi suasu, atq; impulsu spiritus sancti, id solũ ostẽdit, quid se cõpulerit ita liberè, atq; audacter scribere: aitq;, vt scribit Chrysost. Nõ ego in vos insurgo, sed Deus ita me iussit agere. Nã, vt eius Apostolatus erat à Domino, ita verba eius ab eodẽ proficiscebant. Mitigat aũt nõ nihil orationẽ, cũ ait, *Quasi uos cõmonefaciẽs*: idq; propter meliores, & sanctiores dici putamus. Quidq; sibi velit, *cõmonefacere*, iã diximus ex Ambrosio. Apostolatũ appellat gratiã sibi datã. Suis em̃ meritis ad illud munus non fuerat cooptatus. Eo enim ipso tempore, cùm vocaret, acerrimè persequebatur mẽbra Christi.

Quæ Paulus audacius scripserit

Paulus excusando non mutat quæ scripsit. Excusatio authoris libri Machabęorum cum excusatione Pauli nõ est conferẽda

Consecrans Euangelium. Sic enim vertit Augustinus, idq; satis rectè, quemadmodum etiam Erasmus annotauit. Vox composita est ἀπὸ τοῦ ἱερὸς καὶ ἔργου: & ἱερουργεῖν, est, sacris operari. Itaq; Chrysostomus hoc loco pulcherrimè scribit, Paulum hîc & λειτουργίαν, & ἱερουργίαν suam commemorasse: ac si diceret, Hoc meum est sacerdotium, euangelizare, & prædicare. Quare si hæc ad vos audacius scripserim, non debetis id ægrè ferre. Nemo enim sacerdoti vitio vertit, quòd sacrum faciat. Mihi planè hoc genus sacrificij commissum est, vt per Euāgelij prædicationem offeram Gentes, victimam acceptissimam Deo. Machera mea, inquit Paulus, quemadmodum ait Chrysostomus, est Euangelium: hostia, quæ mactatur mea dextra, sunt Gentes. Eant nunc nostri consecratores laganarum, & se iactitent, ideo esse sacerdotes, quòd suis excantationibus panem, & vinum transubstantient. Hoc illud est, hoc, inquam, sacrificium, hoc illud est sacerdotium, quo fungebantur Apostoli, quóque nunc fungi debent pastores Ecclesiarum. Neque propterea ministri Ecclesiæ debent se appellare sacerdotes, quòd Apostolus hoc loco ita sit loquutus. Vsus enim est metaphora, & eleganter allusit ad ea, quæ in externis sacrificijs gerebantur. Multi hodie fingunt se lugere Ecclesiam nostrarum partium, quòd iam sit absque sacrificio. At nos multò iustius hactenus lamentati sumus, puris, & Euangelicis concionibus nihil in ea fuisse sacrificatum. Atque etiam hodie, postquam beneficio Dei liber cursus datus est Euangelio, gemimus tam rarò sacrificari. Respondeant nunc mihi, vtri nostrûm maiori cum ratione conqueruntur? Nostra causa tantò est superior, illorum autem tantò inferior, quantò magis hoc genus sacrificij sacræ literæ vbique commendant: illius autem ne mentionem quidem vnquam faciunt: quantoq; nos hîc hostiam humanam offerimus ad præscriptum Dei: illic impostura Papæ simpliciũ animæ crudelissimè iugulantur: quantò denique magis nos nostro sacrificio cultum Dei propagamus: illic verò infanda idololatria retinetur in Ecclesia specie pietatis.

Sacerdotiũ Pauli fuit euangelizare.

Collatio sacrificij missæ ac Euangelij.

Vt fiat oblatio Gentium acceptabilis, sanctificata per spiritum sanctum. Prorsus orbatus est omni sensu pietatis, qui ex his verbis lætitiam non capit incomparabilem: quum audiat, Deum ita cupidum esse salutis nostræ, vt nostram cuiusque conuersionem habeat instar acceptissimæ victimæ.

Nostra conuersio est instar victimæ.

Habeo igitur gloriationem in his, quæ ad Deum pertinent per Iesum Christum. Dubitari video à quibusdam, quomodo hæc pars cohæreat cum illis, quæ præcesserant. Et mihi quidem sic ista videntur coniungenda. Dixerat Paulus antea, se ratione Apostolatus & vocationis suæ adductum fuisse, vt Romanos quoque epistolis suis institueret. Sed fortasse scrupulus quidã subijt illorum animos, vt secum ita dicerent: At quid causæ est, quòd præteritis alijs nationibus, à nobis potissimùm initium capias? Non ita est, inquit Paulus: Habeo enim iam immensam materiam gloriandi: sed per Christum, sed in his, quæ sunt ad Deum. Non prætermisi alias partes orbis terrarum, sed inter eas quoque longè lateq; sparsi Euangelium. Chrysostomus verò alia ratione ista coniungit. Postremò, inquit, loco prætexuerat Apostolatũ suum, vt causam harum literarum, quas ad Romanos dederat. Et in hoc munere se quodam modo sacerdotem esse finxerat, qui gladio verbi Dei Gentes immolaret. Iam ne quis huic dignitati, & functioni detraheret, quod pseudoapostoli sæpe faciebant, & hominem rideret, quasi Apostolum, & sacerdotem esse se iactaret, cùm id probare non posset, vt sese delectum esse à Deo, & diuinitus missum doceat, protulit ea vocationis, & ministerij sui signa, & symbola, quæ mox dicentur. Gloriatur, se habere, quod glorietur: sed addit, per Christũ, & in his, quæ sunt ad Deum. Hinc discere debemus, de his tantùm beneficijs gloriandum esse, quæ adepti simus per Christum. In illis enim, quæ nostræ vires præstare, atque efficere possunt, non est satis iusta materia gloriandi. Deinde ne efferamus nos de diuitijs, de pulchritudine, de honoribus mundi, de robore corporis, alijsue de rebus, quæ ad regnum Dei inter homines proferendum non sunt vsui. Instrumenta amplificandi regni Dei sunt signa, quæ Paulus adfert ad probandum Apostolatum suum. Ostendit autem, se habuisse ea copiosè, per quæ complures nationes adductæ sint ad obedientiam Dei. Chrysostomus confert, & quidem prudenter symbola sacerdotij Pauli cum talaribus vestibus, tintinnabulis, mitra, & cidari, quibuscum veteres sacerdotes consecrabantur: docetq;, ornamenta Pauli, vel potius arma, quibus Gentes debellabat, easq; Deo tanquam victimas offerebat, longe fuisse illustriora: vt victimæ quoque eius longè præstantiores erant, quàm hostiæ Pontificũ Iudæorum. Nostri verò Episcopi, Cardinales, Papæ, cùm se Paulinis, & Apostolicis ornamẽtis, & symbolis viderẽt esse destitutos, Aaronica illa et Leuitica voluerũt reuocare, vt ali quid saltẽ haberẽt, quo perstringerẽt oculos multitudinis: quãto aũt id cũ fructu, vel potius quãto cũ detrimẽto Ecclesiæ fecerint, Deus nouit, & nos nimiũ sensimus, & experti sumus.

Signa ministerij Pauli.

Collatio inter sacerdotium iudaicum et Pauli ministerium.

Papistici Pontifices euocarunt Aaronica ornamenta.

Non

Non enim ausim loqui quicquam illorum, quæ per me Christus non effecit in obedientiam Gentium. Explicat id, quod dixerat, se habere gloriationem per Christum Iesum. Dicit enim, se nihil loqui, nec rationem habere vllam, nisi eorum, quæ Christus per se gesserat: hoc est, nolle se de suis rebus gloriari, sed potius eas velle tacere, atq; supprimere. Hinc discamus, omnia ornamenta ministrorum, omnia dona, omnes spirituales facultates, & animorum dotes eo consilio à Deo dari, vt homines adducantur ad obediendum Deo. Caueant ergo sibi, qui ea apud se detinent otiosa, aut ea alio conferunt, quàm quò oporteat. Sed hîc animaduerte diligenter, quæ Paulus commemoret arma, & symbola Apostolorum.

Verbo & opere. Hæc duo sunt, quibus Paulus operatus est per Christum: Verba, inquã, & facta. Sermonis voce comprehẽduntur publicę prędicationes, priuata colloquia, disputationes, & Epistolę, quas absens ad varias Ecclesias, & discipulos suos scripserat. Hęc autẽ proficiscebant & à Christo, & à potentia spiritus sancti. Opera verò continẽt signa, & prodigia. Quid autẽ inter hęc duo sit discriminis, nõ est facilè explicatu. Origenes putat, ea tantùm dici signa, quæ quamuis per se ipsa sint admirabilia, tamen aliud etiam quippiam indicant futurũ. Prodigia verò, quę homines tantùm rapiunt in admirationẽ: quòd inusitata ratione, & cõtra vim, atq; ordinẽ naturę fiant. Sed hanc distinctionẽ ipse quoq; fatetur in sacris literis nõ obseruari. Et ne ab hoc ipso loco, quẽ habemus prę manibus discedamus, omnia miracula, quæcunq; Paulus edidit, erant signa, quibus prędicationis eius veritas probabatur. Quod idem statuendũ est de admirandis operibus Christi, & Prophetarũ. Scripta verò noui Testamẽti, quę passim mentionẽ faciũt de signis, & prodigijs, quę Christus, & Apostoli ediderunt, imitata sunt phrasim veteris Testamenti. Ibi enim non raro coniuncta inuenies מופתים & אותות othoth & mophetim. Neque ista inter se distinguí puto, nisi fortasse gradu, aut magnitudine. Quãuis mẽ nõ lateat, signa, siue אותות esse posse, quę nihil in se habeãt admirationis: qualia sunt, accentus, literę, puncta, sermones, & alia similia, quę nõ dubitamus esse signa, cùm tamen vel ab arte proficiscant, vel à natura. Diuina verò oracula, quò significarent, opera quędã Prophetarũ, Christi, Apostolorũ, non tantùm aliquid præter id, quod fiebat, indicasse, sed etiã stupore, atq; admirationẽ excitasse, sępe istas voces coniunxerunt. Hęc quidem est mea sententia: quam non video, cur non debeam retinere, nisi alius ostenderit meliorem. Hoc Paulus q; intellexit, cùm diceret, *Opera.* Sunt tamen qui putent, huc accenseri oportere labores, vigilias, exẽpla innocentię, quę in omni Pauli vita eluxerũt. Hoc fortasse non malè dicitur: sed ea ego idcirco prætereo, quòd Paulo cum alijs fidelibus essent cõmunia, nec tanquã symbola apostolatus propriè potuerint cõmemorari. Hinc etiã colligimus, hanc vnicam esse causam miraculorũ, vt per illa Dei doctrina, & veritas cõfirmetur.

Vt ab Hierusalem, & in circuiacentibus regionibus usq; ad Illyricum impleuerim Euangeliũ Christi. Satis est longus tractus Hierosolymis vsq; in Illyricum, etiã si rectà velis proficisci. Cùm autẽ addit, *In circuiacentibus regionibus*, vt Chrysost. annotauit, innumerabiles vrbes, & prouincias cõplectitur. Vtq; suprà quatuor tantùm verbis, sermone, opere, signis, et prodigijs, res quodãmodo cõprehendit infinitas, ita hîc eadẽ breuitate maxima terrarũ spatia concluſit. Et addit, se cõpleuisse Euangeliũ Christi, vt intelligamus, eum non leuiter, aut perfunctoriè prędicasse sed Euangeliũ perfectũ, & confirmatũ vbiq; reliquisse priusquã discederet. Origenes confert Paulũ cum Mose, & Aarone. Illis enim quoq; Deus potestatẽ dederat edendi signa, & prodigia: quibus tamẽ Aegyptũ solam, cùm ea vna tantùm esset regio, ab idololatria, & perfidia reuocare non potuerunt. Quod Paulus subobscurè significauerat sub initiũ huius epistolæ, cùm diceret, Vt aliquẽ fructũ in vobis habeam, sicut in alijs nationibus, id nunc apertius explicat. Docet enim quæ, & quot illæ nationes fuerint, quidq; ipse inter eas gesserit.

Ita annitens prædicare Euangelium, ubi Christus non fuerat nominatus. Hæc idcirco cõmemorant, vt Romani intelligãt, Paulũ illustrẽ esse propria nota Apostolatus. Nõ enim fuit Apostolorũ in aliorũ opera succedere. Imò potius alij succedebãt illis. Nam illorũ fuit propagare Euangeliũ, nouas Ecclesias plãtare, ministros idoneos in ecclesijs, quas instituerãt, ordinare, quò citius veritas Christi per orbẽ vniuersũ agnosceret. Et cũ Apostoli essent alijs fortiores, parerat, vt illi subirẽt opera difficiliora. Multò aũt difficilius est, & periculosius ibi prędicare Euangeliũ, vbi de Christo nihil antea auditũ fuerit, q; doctrinã iã receptã, & constitutã tueri.

Ne super alienum fundamentum ædificarem. Fundamentum alienum appellat Ecclesias ab alijs Apostolis institutas. Neque verò hoc ambitioni tribuendum est, sed muneri potius Apostolico, & incredibili studio proferendi Euangelij. Non temerè addidit, *Annitens*: quoniam interdum necessitate cogebatur Hierosolymam, Antiochiam, Romam, & aliò proficisci, quibus in locis alij iam Apostoli prædicauerant.

Verba & opera sunt apostolatus instrumenta. Signa & prodigia

Causa miraculorum.

Collatio inter Paulum, Mosen & Aaronem.

Quid fuerit Apostolorum munus.

Sed quemadmodum scriptum est, Quibus non est annuntiatum de eo, uidebunt, & qui non audierunt, intelligent. Hoc testimonium est apud Esaiam cap. 52. quod idcirco non est diligentiori consideratione ponderandum, quoniã neq; veritas Hebraica quicquã dissentit à verbis Apostoli, neq; cuiquã ambiguũ esse potest, Prophetã ista de Messia, & prædicatione Apostolorum prædixisse. Ibi enim habentur ea verba, quæ suprà citata sunt, Quàm speciosi pedes euangelizantiũ pacem. Sensus autem Pauli est, Quoniã spiritus sanctus monet, curandum esse, vt prædicatio Euangelij quàm ocyssimè ad omnes nationes deferatur, vt illi, quibus anteà annuntiatum non fuerat, audiant, quiq; non audierant, intelligant, idcirco, inquit, ego tanto animi impetu incitor ad prædicandum vbi auditum non est nomen Christi. Væ autem nobis qui prædicare negligimus ibi, vbi nomen Christi auditum est, vera autem fides & pietas erga eum miserabiliter collapsa est. Ac tantùm abest, vt nos velimus alia loca quærere, in quibus auditum non fuerit Euangelium, vt ne parta quidem retinere, aut iam plantatas Ecclesias tueri velimus. Malè profectò imitamur illum, qui Hierosolymis vsque in Illyricum etiã per loca circumiacentia impleuit Euangelium: cùm tamen interea Euangelicorum dogmatum videri velimus acerrimi propugnatores.

Quapropter & præpeditus sum sæpe, quò minus uenirem ad uos. Potuissent ex his verbis Romani suspicari, se à Paulo fuisse contemptos: qui cùm à Deo datus esset minister Gentibus, tamen in collocando beneficio, & munere prædicationis suæ, alias nationes illis prætulisset. Non fuit ista causa, inquit Paulus. Sed cùm vos iam audiuissetis Euangelium, & fides vestra vulgata iam esset per vniuersum orbem, in istis autem locis Christus nondum esset prædicatus, ministerio mihi commisso hucusque impediebar, quò minus ad vos venirem. Paulus suprà sub initium huius epistolæ hoc idem commemorauit. Proposueram, inquit, sæpe, venire ad vos: sed hactenus fui impeditus. Causam autem, inquit Chrysostomus, ibi tacuit: eam nunc adfert, nimirum, quòd in illis locis distineretur, quæ non posset anteà relinquere, quàm in eis impleuisset Euangelium. Quid autem causæ fuerit, quo minus se, cùm vellet, conferret ad Thessalonicenses, in epistola, quam ad eos scripsit, explicuit. Ait enim satanam sibi obstitisse: non autem allegat nouarum plantationem Ecclesiarum. Atque hanc differentiam causarum obseruauit Origenes. Ego verò aliam etiam causam video, cur Apostoli interdũ coacti fuerint cõtra facere, quàm in animo destinassent: monitum inquam, spiritus sancti. Quæ de re legimus in cap. 16. Actor. Transeuntes Phrygiam, & Galatiæ regionem prohibiti fuimus à spiritu sancto facere sermonẽ in Asia: Et in eodem loco: Tentabant ire in Bithyniã, & non permisit eos spiritus sanctus. Sed Ambrosius indicat, aliam etiam fuisse causam, cur Paulus tantopere anniteretur prædicare Euangelium, vbi Christus non esset auditus: videlicet, vt Pseudoapostolos anteueriteret. Illi enim si ea loca præoccupassent, Christum parùm sincerè docuissent: cumq; errores pestilentes seminassent, agriculturam multò difficiliorẽ Apostolo succedenti reliquissent. Nationes enim illas oportuisset posteà non tantùm discere, sed etiam errores, quibus à malis doctoribus imbutæ essent, dediscere.

Causa cur Paulus ab initio Romam non uenerit.

Cur Paulus orbẽ circumeundo tãta festinatione uteretur.

Nunc uerò, cùm non amplius habeam locum in his regionibus, desiderium autem habeam ueniendi ad uos iam à multis annis, quandocunq; proficiscar in Hispaniam, ueniam ad uos. Quò minus veniret Romam, ait se iustam causam fuisse impeditum. Nunc, quod erat proximum, spem illis facit sui aduẽtus. Nam si modò, inquit, hinc recessero, ab officio non discedam. Id autem erit, postquam in his regionibus locus amplius non extabit, vbi Ecclesiam nõ extruxerim. Teneor autem magno desiderio visendi vos: Idq; spero breui euenturum. Verùm hîc dicere possent Romani: Apostolatus ergo tui conditionem contemnis, & pro nihilo ducis, vt ad nos venias quibus iam prædicatum est Euangelium, & illos prætereas, qui adhuc nihil de Christo audiuerũt? Respondet Paulus, non ita futurum. Sed quoniam adhuc, inquit, nihil in Hispanos collatũ est, mihiq; totus patet illorum ager, eam iam prouinciam cogito. Atque ita fiet, vt transeam per vos, & aliquot dierum spatio me in Domino, & fidei vestræ puritate, & amabili colloquio, & spirituali familiarite oblectare possim. Hîc obseruemus obedientiam Apostoli, qui suo tam diuturno desiderio videndi Romanos, eiq; satis iusto, atque honesto prætulerit necessariam conditionem Apostolatus sui: quę eiusmodi fuit, vt eum oporteret, nõ quò volebat, sed quò opus erat, proficisci. Erasmus annotauit, Apostolum fraudasse Hispaniam prima syllaba. Scribit enim σπανίαν, & forte sic iam tum per Græciam ita loquebantur. Cùm autem daret has literas, erat Corinthi in Achaia. Sed nos hodie in Italia non aliter appellamus eam prouinciam, quàm Paulus. Dicimus enim Spagnia, & Spagniuolo, prima syllaba omnino truncata.

Spero enim fore, ut isthac iter faciens uideam uos, & à uobis deducar illuc: si tamen uestra consuetudine prius fuero expletus.

expletus. Vult Apostolus non solùm Romæ frui illorum pia, & dulci familiaritate, sed etiã postquam & suo, & ipsorum desiderio esset satisfactũ, per eosdem deduci in Hispaniã: non quòd aliqua pompa, aut strepitu tangeretur, velletq;, vt hodie Papę, & Cardinales faciunt, magnificè deduci: sed vt in ipso etiã itinere, doctrinã suã, & exhortationes per illos, qui secum irent, Ecclesiæ Romanæ, atq; alijs communicaret. Dubitari enim non potest, quin illi, qui ei se comites adiunxissent, omnia fuerint obseruaturi, quę in via, vel audissent ex eo, vel in eo vidissent: vt cùm redijssent domum, eadem referrent, & Ecclesiam firmius ædificarẽt. Probabile etiam est, Paulum, cùm ita esset deducendus ad varias, & procul dissitas prouincias, illos præcipuè sibi delecturum fuisse comites, qui per ea loca, & ciuitates, qua transeundum erat, noti essent, vt per eos aditus facilior pateret ad prædicandum Euangelium. Quamuis enim veritas Christi humana ope non egeat, quin sine ea possit consistere, tamen ad illam commodius propagandam licet homini pio familiaritatibus, amicitijs, hospitijs abuti. Scit enim, omnia sua esse Dei, & Christi: postquam ipse se illi penitus dedidit, & consecrauit. Inuenias etiam in posteriori ad Corinthios cap. 1. Paulum, quum esset iturus Hierusalem, voluisse deduci ab illis, ad quos dabat literas. Verùm, vtrum Apostolus, vt sperabat, in Hispaniam sit profectus, & ea occasione Romanos inuiserit, ex hoc sermone satis certò colligi non potest. Multa enim sibi sancti interdum pollicentur, idq; pio, & iusto desiderio, quæ tamen successum non habent. coniectura enim ducebantur ita fore, humana tantùm ratione, non impulsu spiritus. Vt est in epistola ad Philippenses. Paulus cùm esset Romæ captiuus, arbitratus est, se illis vinculis esse liberandum, vt viueret longius, & cum illis omnibus permaneret ad illorum profectum, & gaudium fidei: Vt gloria, inquit, vestra exuberet per Christum Iesum in me, per meum ad vos reditum. Quod tamen longè aliter euenit, quàm Paulus sperauerat. Non tamen ea causa pietati, ac dignitati sanctorum quicquam derogatur. Spe enim salutifera, quæ à vera, & genuina fide nascitur, nihil sibi certò pollicentur, nisi quod ex verbo Dei, aut singulari monitu, aut reuelatione acceperint. Alia verò, quæ subiacent casibus huius vitæ, interdũ sibi ex humana aliqua cõiectura confidunt euentura. Quæ si secus accidant, tamen illi sua voluntate non frustrantur. Quæ enim promissa non sunt diuinis literis, aut singulari oraculo spiritus sancti, ea sibi definita voluntate dari non optant: sed ea omnia subijciunt prouidentiæ Dei, quam certò sciunt, longè melius prospicere hominibus, præsertim pijs, quàm ipsi sibi vllo ingenio, aut industria prospicere possint.

Cur Paulus deduci uoluerit à Romanis in Hispaniam.

An apostolus sit profectus in Hispaniam.

Non semper impleantur uota sanctorum.

Nunc autem proficiscor Hierosolymam ministrans sanctis. Romani dicere potuissent, quando isthic non habes amplius locum, cur te non statim ad nos confers? Ostendit Paulus, quid obstet. Præterquam enim, quòd vocatus fuerat à Deo, vt prædicaret Euangelium ibi, vbi Christus nondum erat annuntiatus, aliud quoque onus illi imponebatur, quemadmodum verè, & dilucidè exponitur in epistola ad Galatas, vt annuntians Christum inter Gentes rationem etiam haberet pauperũ, qui erant Hierosolymis: Quod ipse in ea epistola ait se bona fide præstitisse. Quos enim inter Gentes adduxisset ad Christũ, & fidei dogmatis imbuisset, eos diligenter hortabat, vt collectis eleemosynis, iuuarent pauperes Hierosolymitanos, qui tum temporis grauissimè vexabantur. Eius rei luculẽtam mentionem, & viua exempla habemus in epistolis ad Corinthios. Hoc, inquit, nunc officium me distinet, quò minus possim ad vos venire. Collectæ enim sunt pecunię in Macedonia, & in Achaia: eęq; per meum ministerium deferendæ sunt Hierosolymam. Hoc enim est, quod addit,

Quomodo sancti erga contingentia se gerant.

Præter Euãgelij prædicationẽ cura eleemosynarũ Paulo erat imposita.

Visum est enim Macedoniæ, & Achaiæ communicationem aliquam facere in pauperes sanctos, qui sunt Hierosolymis. Paulus interim, dum ista exponit Romanis, vt monuit Chrysostomus, non tantùm inseruit causæ, vt doceat, quid se retineat tam diu, sed etiam tacitè Romanos ad similem liberalitatem prouocat, vt ipsi quoque eleemosynas conferant in sanctos. Additque Origenes, hoc illum verecundè, & subtiliter facere. Paulus tam obseruans fuit officij sui, vt non solùm id fideliter præstaret, sed etiam ne occasionem quidem vllam prætermitteret, rei bene administrandæ. Id ab eo Petrus Iacobus, & Ioannes requisiuerant, haud dubiè non sine nutu, ac voluntate spiritus sancti. Quod Paulus se recepit diligenter curaturum. Quare, ne id, quod illi Deus imposuerat, quodq; ipse se facturum promiserat, videri posset irritum, & infectum relinquere, vti voluit hac arte, & diligentia. Apostolum verò post hanc peregrinationem, qua Macedoniam, & Achaiam percurrerat, & Hierosolymam profectus fuerat, vt eleemosynas, de quibus hîc agitur, deferret, proposuisse ire Romam, testantur Acta Apostolorum. In illis enim capite decimonono, ita scribitur: His autem expletis, Paulus proposuit in spiritu, transita Macedonia, & Achaia, ire Hierosolymã: dicẽs, post-

quam fuero ibi, oportet me videre etiam Romam, quod bene annotauit Origenes. Neque hoc proposito excidit. Ita enim Hierosolymis opprimebat à Iudæis, vt coactus fuerit appellare Cæsarem: ad quem postremò adductus est, non quidem, vt per Romam proficisceretur in Hispaniam, sed vt ibi pro nomine Christi mortem gloriosè oppeteret. Hinc etiam colligit idem Origenes, hanc epistolā datam fuisse post illas duas ad Corint. idq; firma, & certa ratione. Nam cùm in illis istarum eleemosynarū collígendarum mentionem faciat, hîc autē scribat, velle se illas iam collectas auferre Hierosolymā, perspicuum est, has literas post illas fuisse scriptas. Quod autem ait, Visum est Macedoniæ, & Achaiæ, illarum gentium studium, & alacritatem commendat: de qua Paulus in posteriori ad Corinthios cap. 9. plurimùm gloriatur. Magna certè fuit illa vis dilectionis. Iudæos tam procul dissitos iuuare pecunia: maximè verò, cùm ipsi admodum essent pauperes, vt habetur ex eodem, quo dixi, capite ad Corinthios. Et sanè sępe videmus fieri, vt quò homines sint ditiores, eò sint ad eleemosynas difficiliores: cùm interim inopes & tenues proliuè, & benignè largiantur: quod Christus de illa vidua affirmauit, quęvnicū illud minutū obtulit, in quo ei illius diei victus cōsistebat.

Hæc epistola data est post duas ad Corinthios.

Ditiores interdum ab eleemosynis magis abhorrent.

Placuit, inquam, & debitores sunt ipsorum. Etenim si illi spiritualia sua communicauerunt Gentibus, debent etiam hæc in carnalibus ministrare illis. Cùm ait, Et sunt debitores, non leuiter exuscitat Romanos, vt idem faciant. Illi enim, quos recensęt, nihilo magis debitores erant, quàm Romani. Cumq; eadem causa vtrosque obliget, Romani ab illo eodem iure non sunt eximendi. Adhęc cùm dicerentur debitores, scire poterant, hęc non ad gratificationē tantùm, aut ad spontaneā donationem pertinere. Illa enim sunt liberalitatis: ista autem sunt iustitię: illius, inquam, iustitię qua rerū permutationes ordinantur. Et certè par est, vt qui accepit aliquid, vicissim aliquid rependat. Apostolus tamen non est vsque adeo rigidus, vt tantum ab illis requirat, quantū acceperint: quod tamen summo iure potuisset exigi. Illi à Iudæis acceperant spiritualia: qua re cùm illis carnalia reponerent, multò minus dabant, quàm acceperant. Hoc genere argumenti à minori ad maius Paulus vsus est in priori ad Corinthios, vt ostenderet, ministris Ecclesię deberi stipendia. Sic enim loquitur: Si spiritualia vobis seminauimus, magnum est, si carnalia vestra metamus? Eleemosynas istas Paulus appellat cōmunionem, vt ostendat nō esse eas temerarias largitiones, aut donationes infructuosas. Cōmunem cum illis habemus Christum, communia sacramēta, cōmunem doctrinam, cōmunem redemptionē, cōmunē vitam æternam. Quare ergo non debet fructus possessionum nostrarum illis nobiscū communis esse? Certè in articulo fidei sanctorum communionem profitemur. Sed complures, cùm ista dicunt, non intelligunt. Diuina enim vsurpant in communi: priuata autem, quæ possident in terris, nolunt egentibus communicare. Non ego hîc rerum communionem statuo cum Libertinis, & quibusdam Anabaptistis. Maneant rerū proprietates: sint certæ, ac definitę possessiones: ne confundantur domorū, & prędiorū fines. Fructus autē non nobis tantùm inseruiant, sed iusta quadā ratione ita partiantur, vt & nobis ipsis, & pauperibus prodesse possit. Christus dedignatus nō est omnia sua bona, quæ & æterna, & summa sunt, nobis communicare. Quantò magis nos oportet ea, quæ hîc habemus in terris, caduca, & fugacia, illi in ipsius membris reponere? *In sanctos*, inquit: Duplici enim nomine, inquit Chrysostomus, commendantur, & inopiæ, & virtutis. Idem fere scripsit ad Galatas his verbis: Maximè autem ad domesticos fidei.

Iustitia permutandi.

Eleemosynæ dicuntur cōmunio

Res non sunt cōmunes.

Debent in carnalibus subministrare. Græcè est, λειτουργῆσαι. Hîc videmus eleemosynas ornari magnifico titulo. λειτουργεῖν enim suprà attributum est principibus: & paulò antè ministerio Ecclesiæ: Paulus enim propter Euangelij prædicationem appellauit se λειτουργὸν. Collatio ergo ista in pauperes, & cum munere publicæ potestatis, & cum functione Ecclesiastica comparatur. Et certè est in illis nonnulla administratio iustitiæ. Non enim, vti diximus, gratis aliquid datur, sed debitum persolvitur. Atque huius generis oblationem diuinæ literæ appellant victimam. Paulus enim ad Philippenses vltimo capite ita scribit. Postquam accepi ab Epaphrodito, quæ à vobis missa fuerant, odorem bonæ fragrantiæ hostiam acceptam, gratamq; Deo. Ista verò dilatio eundi Romam, & Hispaniam an ne iusta videri potest? Si componamus eleemosynas cum ministerio verbi, certè vincuntur multis modis. Vitio ergo vertetur Paulo, quòd potius voluerit ministrare mensis, quàm proficisci ad prędicandum Euangelium? Verum profectò hoc esset, si hac de re nihil ei fuisset imperatū nominatim. Sed quia missus est, non tantùm vt prędicaret inter Gentes, sed etiam vt eleemosynas pauperibus, qui Hierosolymis habitabant, prouideret, dum fideliter obit vtrunq; munus, nihil cōmittit, quod iure possit reprehendi. Huc accedit, hanc functionē non leuiter feciſse ad eius prædicationis autoritatē. Nam Pseudoapostoli, qui illi vbiq; odiū, & inui-

Eleemosynarum dignitas.

Eleemosynæ dicuntur victima.

An Paulus præmensis neglexit Euangelium?

diam

diam conciliabant, solebant inter alia iactare, illi non conuenire cum alijs magnis Apostolis, Petro, Iacobo, & Ioanne: illumq; longe aliter docere Euangelium, quàm in Ecclesia Hierosolymitana doceretur: ibi enim ceremonias Mosaicas obseruari, à quibus ille, quasi transfuga defecisset. His calũnijs Paulus vbiq; impetitus, & tantùm non dãnatus, etiã inter Gentes non leui suspicione laborabat: ex quo factũ est, vt eius prædicationis fructus imminueretur. Quare vt Apostolatus eius autoritas vendicaretur, multùm conducebat manifestus & publicus consensus cum ecclesia Hierosolymitana. Eius autẽ consensus certissimum argumentum erat ista functio. Interim ergo, dum vacat colligendis eleemosynis, nihil alienũ facit à suo munere prædicandi Euãgelij. Iam explicemus illud debitũ. Spiritualia, inquit, sua illis cõmunicauerũt. Horum summã Christus cõplexus est, cùm diceret, salus est ex Iudæis. Et Paulus suprà in hac eadem epistola, Qui sunt Israelitæ, inquit, quorum est adoptio, & gloria, & Testamenta, & legislatio, & cultus, & promissiones: quorum sunt patres, ex quib. est Christus secundũ carnem. Hæc anteà fuerunt tantùm Iudæorũ: nũc per Euangeliũ translata sunt ad nos. Illis erat parata mensa: nos verò vocati sumus ad epulas. Sed dices, hoc nõ esse factum illorum voluntate, aut opera, sed quòd illi Deo inuitanti renunciarint. Hoc si dicas de Iudæis incredulis, non errabis. Veri autem Iudæi, quales fuerunt sancti Apostoli, & discipuli Christi, & Euangelistę, non solùm ipsi venerunt ad nuptias, sed etiã se huius cõmunicationis ministros præbuerũt. Eandẽ istã cõmunionẽ Paulus suprà vrsit, cùm diceret, socius factus es, & particeps pinguedinis fructiferæ oliuæ, cùm alioqui ex te ipso esses oleaster.

Vtile fuit pauli ministerio eleemosynas colligere.

Hoc igitur ubi perfecero, & obsignauero illis fructum hunc, reuertar per uos in Hispaniam. Quod dicit, obsignauero, perinde est, ac si dixisset, obsignatum reddidero. Quæ enim deferenda committuntur, vt certò sciri possit salua, & sine fraude reddita esse, quibus oportuit, muniuntur sigillis: quæ si sint inuiolata, & integra, fides deferentis liberatur. Vult ergo Paulus ista loquutione innocentiam suam, & candorem, & simplicitatem in tractandis istis pecunijs significare. Libentius enim homines, & promptius bona sua conferunt in pauperes, si ea intelligant administranda esse bona fide. Fructum hîc appellat eleemosynam, quam anteà communionem, aut cõmunicationem appellauerat, idq; multis, & iustis de causis. Primùm, quia postquam Euangelium seminatum, & pura ac viua fide receptum est, statim datur iustificatio apud Deum. Oportet autem, vt fructus aliquis consequatur, cùm vitæ purę, atque integræ, tum etiam benignitatis erga proximos, vt haberi possit interioris iustitiæ aliqua certa significatio. Deinde etiam dicitur fructus, quoniam illis ipsis nationibus, quæ pauperibus sanctis benignè faciebant, eiusmodi liberalitas erat fructuosa. Postremò pauperibus illis Hierosolymitanis illa communio videbatur nonnullum adferre ipsorum pietatis fructum. Nam qui Christo fidit, illumq; in maximis angustijs profitetur, etsi mercedem habet in cœlo, tamen etiam hîc sæpenumero, cùm Deo videtur opportunũ, tales fructus metit. Præterea, ne Romani suspicarentur, infinitum aliquod tempus fore, antequam Paulus ad se veniret, cùm ista dicit, statuit certum terminum. Quamprimum, inquit, hoc confecero, quod habeo nunc præ manibus, recipiam me ad vos. Rursus meminit profectionis in Hispaniam: quæ quamuis non fuerit consequuta, non tamen propterea Paulus argui debet mendacij. Id enim sufficit ad eius fidem liberandam, quòd, cùm literas istas daret, idem habebat in animo, quod scribebat. Euentus enim rerum nemo mortalium habet in manu sua. Ad plenam autem, & perfectam rationem mẽdacij, vt Augustinus testatur, exigitur voluntas fallendi. Atque huius rei extat luculentum testimonium in posteriori ad Corinthios. Idem de hac re scribit Gelasius 22. q. 2. Quantum enim, inquit, ipsius voluntatis interfuit, hoc pronuntiauit quod re vera voluisset efficere.

Eleemosyna dicitur fructus.

Non est mendacium sine animo fallendi.

Scio enim, quod ubi uenero ad uos, cum plenitudine benedictionis Euangelij Christi uenturus sim. Chrysost. videtur prima fronte hãc plenitudinẽ benedictionis referre ad eleemosynas: quod eas Paulus non semel eo nomine appellarit. Idq; ego factũ ab eo puto pro cõsuetudine veteris scripturę: in qua donũ aut munus sępe appellat benedictio. Nam Iacobus orat Esau, vt digneť accipere benedictionẽ, quã ante se miserat. Et Abigail orat Dauidẽ, vt accipiat benedictionẽ, quam attulerat. Et Dauid seniorib. Iudę inquit, Accipite benedictionẽ de præda hostiũ Domini. Atq; ita sensus huius loci erit, Paulũ sperare, se, cùm proficisceretur Romã, deprehẽsurũ apud illos largã, & copiosam repositã illis pauperibus eleemosynã: quam hîc appellat benedictionẽ. Esset hęc sententia satis facilis, nisi obstaret, qd adiungitur, Euãgelij. Eam vocẽ postquam Chrysost. expendit, eò deniq; inclinat, vt benedictionẽ interpretetur omniũ virtutũ, & operũ bonorũ copiam: eaq; citra cõtrouersiã est Euãgelij copiosissima benedictio: nimirum, vt qui crediderint, operibus præclaris fulgeant. Sentit etiam Chrysost. Paulũ spiri

Eleemosynæ sũt benedictio.

tuali quadam prudẽtia, ea cõmendare in Romanis, ad quæ eos maximè cohortabatur. Idq; vsitatum est apud doctissimos oratores, vt demonstratiuo genere abutantur pro deliberatiuo. Ambrosius verò abundatiam benedictionis Euangelicæ exponit confirmationem Euangelicæ doctrinæ per miracula. Origenes addit, ista pertinuisse ad vim prophetandi: quasi Paulus vaticinetur, se Romam cum præclarissimis donis venturum esse. Id mihi non displicet, maximè cùm illa verba mecum repeto, quę paulò antè citata sunt ex 19. cap. Act. Lucas enim ait eo loco, Paulum in spiritu proposuisse ire Romã. Audacter aũt promittere potuit, se allaturũ copiã spiritualiũ bonorũ, qui certò sciret sibi cõcessam esse gratiã Apostolatus: quã apud eos nõ dubitabat fore frugiferã. Neminẽ aũt latere arbitror, fructũ prędicationis quãdoq; magnũ habere momentũ à pietate dicẽtis: interdũ verò à simplici, & pura fide audientiũ: quamuis re vera totũ ad potentiã, energiam, & actionẽ Dei sit reuocandum.

Demonstratiuũ genus pro deliberatiuo.

Vnde fructus prædicationis eueniat.

Obsecro autem uos fratres per dominum nostrum Iesum Christum, & per dilectionem spiritus, ut me laborantem adiuuetis precationibus pro me ad Deum. Vis huius obsecrationis ex eo apparet, quòd non tantùm proponit per nomẽ domini nostri Iesu Christi, quo vno nobis nihil debet esse sanctius, verùm etiã admiscetur dilectio spiritus. Illud autem, per dilectionẽ spiritus, perinde esse arbitror, ac si dixisset, per spiritum dilectionis. Quemadmodũ enim apud Esaiam mentio fit spiritus fortitudinis, sapientiæ, timoris, consilij, &c. quò intelligamus, omnes præclaras animi facultates esse à spiritu Dei, ita hîc mentio fit eius doni diuini spiritus, cuius opera Paulo erat maximè necessaria: nimirum, vt Romani Deum pro ipso summa cum dilectione orarẽt. Certè deprauati affectus vitiatę naturę nostræ, ita nos distrahunt, & diuellunt à nobis inuicem, vt, nisi accesserit vinculum spiritus, vera sanctaq; societate non possimus cõiungi: quę nisi intercesserit, nullus prorsus erit fructus mutuę orationis. Mirum fortasse quibusdã videri possit, vt ait Origenes, Apostolũ cùm in spiritu Dei nosset, se venturũ Romam, tamen voluisse preces istorũ implorare. Hoc meo iudicio vocandum non erat in dubiũ. Discendum potius erat, viros sanctos, etsi certò sciant, Deum daturum esse sibi quicquid expediat, tamen etiam scire, eum id sæpissimè precibus suorum velle dare. Dominus etiam sciebat, patrem sibi velle omnia tradere, tamen eum assiduè orabat, & ita orabat, vt diceret, Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Vt autem sciebat, spiritum suum omnino à Deo esse suscipiendum, ita non dubitabat, precibus suis id esse impetrandũ. Præterea ex his verbis colligimus, vim precum ex operibus, & meritis nostris non constare. Paulus enim tantus Apostolus orat iuuari precibus illorum, qui illo longè erãt inferiores: quamuis Ambrosius dicat, multos minimos, si congregentur in vnum, fieri magnos. Id mihi non displicet. Christus enim dixit, Vbicunq; erunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio eorũ: &, De quacunq; re duo aut tres consenserint, fiet eis. Quantum autẽ profuerint preces Ecclesię, satis declaratum est in Petro. Is enim ereptus est per Angelũ, cùm pro eo assiduè oraretur. Iam verò cùm preces publicæ tam sint vtiles, omnino debent quàm frequentissimè celebrari. Quare homines pij, quoties aut ægrotant, aut in magno aliquo periculo versantur, requirere debent publicas preces ecclesiæ: & posteà compotes facti voti rogare, item debent, vt sua causa publicè gratiæ agantur Deo.

Spiritus dilectionis.

Quæ scimus nobis dãda oramus

preces non constant orantium dignitate.

Vt me laborantem adiuuetis. Græcè est συναγωνίσασθαί μοι. Hoc certè plus multò est, quàm adiuuare laborantem. Vox enim ea propriè significat, eundem laborem, idem certamen, eandem luctam, & conflictationem subire cum eo, pro quo preceris. Atque hac loquutione Paulus haud dubiè nos instituit, quo affectu pro alijs debeamus orare: hoc est, vt miserias, afflictiones, angustias eius, pro quo oramus, quantum fieri potest, in nos ipsos transferamus.

συναγωνίσασθαί μοι.

Quomodo pro alijs sit orãdum.

Vt liberet me ab incredulis in Iudæa, utq; ministerium hoc meum, quod exhibebo Hierosolymis, acceptum sit sanctis. Primum, quod vult postulari, est, vt à Iudæis infidelibus liberetur, apud quos se odio flagrare non ignorabat. Illi enim etsi omnes Christianos ad vnum cuperent extinctos, tamen Paulum præ alijs omnibus maximè detestabantur: quòd nemo vehementius, quàm ille vrgeret, vt ceremoniæ Mosaicæ tollerentur. Et in isto itinere, vt habetur in capite vigesimo, & vigesimoprimo Act. graues casus ab Agabo, & alijs prophetis prædicebantur illi Hierosolymis impendere. Quare tum ex hac historia, tum ex ista obsecratione apparet, animum Pauli non leui angustia æstuasse. Quæ tamen angustia ita à Deo intra fines coercebatur, vt illum ab opere Domini nihil impediret. Historia enim Apostolica apertissimè testatur, eum Prophetis, & fratribus, à quibus ab hac profectione reuocabatur, constantissimè respondisse. Non, inquit, animam, & vitam meam ita habeo pretiosam, vt detrectare velim cursum meum decurrere, & ministerium meum implere, quod mihi Dominus

Cur Paulus præ cæteris Apostolis odiosus erat Iudæis.

Dominus Iesus Christus tradidit. Et, paratus, inquit, sum non modò vinciri, sed etiam mori pro Domino nostro Iesu Christo. Non ergo Paulus timebat mori: sed idcirco optabat liberari, vt posset ministrare sanctis, vtq; veniret Romam, & proficisceretur in Hispaniã. Nam ipsi quidem Paulo multò satius fuisset mori, quàm ita vexari perpetuis contumelijs, & viuere expositum omnibus iniurijs. Id ipse significat ad Philippen. Mori, inquiens, mihi lucrum est. Tamen manere in carne vtile est propter vos: & spero permansurum. Paulus ad hunc modum Romanos obsecrat, non quidem vt sibi, verùm vt ipsis consulat. Et profectò si illis cordi erat videre Paulum, debebant omnibus precibus maximè cõtendere, vt, quod optabat, ab infidelibus Iudæis liberaretur.

Vtq; ministerium meum quod accipio erga Hierusalem, acceptum sit sanctis. Altera pars postulationis est, vt sancti ipsius labores æquo animo accipiant. Misera profectò est piorum hominum conditio, quod ad mundum attinet. Grauissimos labores subeunt pro salute aliorum, non tantùm vt animis, sed etiam vt corporibus illorum consulant. Et tame sæpe dubitãt, an illis, quibus prodesse volunt, gratum faciant. Neq; hoc Paulus immeritò suspicatur posse euenire, etiam apud illos, qui fauebant Christo. Nam primis illis temporibus in Ecclesia Hierosolymitana magnum quoddã studium erat obseruandæ legis. A qua cùm audirent Paulũ defecisse, animos parum æquos erga illum gerebant. Verebatur itaq; Paulus, ne officia erga illos sua repudiarentur, neue ipse eo consensu, quo sibi videbat opus esse ad prædicationẽ Euangelij, frustraretur. Quare consolari se debent concionatores nostrorũ temporum, si videant labores suos, quos suscipiunt in docendo, ingratos esse populo. Neq;, qui eleemosynas fideliter tractant, affici mœrore, si placere non possint omnibus. Christus ipse quantò plus laboris subiuit nostra causa, tanto apud Iudæos grauiori suspicione laborabat. Quare non debet ea nobis videri magna iniuria, si cogamur id pati, quod illum videmus esse perpessum. Hinc etiam intelligamus, non tantùm subueniendũ esse pauperibus, verùm etiam curandum, vt illis acceptæ, & iucundæ sint oblationes nostræ. Quod illi parùm cogitãt, qui, si quid dare volunt, id vultu duro, & verbis acerbis, & contumelijs largiũtur. Hoc est παρέλογον Christianæ philosophiæ, & dogma carni intolerabile, vt forti animo toleremus iniurias, quamuis immeritò nobis inflictas, vtq; illis ne desistamus benefacere, qui officium nostrum habeant suspectum, & animo sint erga nos hostili. Mirum autem est, quomodo Paulus eos appellet sanctos, apud quos ipse suspicione laborabat. Verùm videbat, cum fide, & iustificatione maximam coniunctam esse infirmitatem: & sæpe fieri, vt viri sancti de rebus humanis non rectè iudicent: vel quòd non sint rectè instituti, vel quòd ab alijs fraudulenter sint seducti.

Grauis conditio sanctorum quoad hunc mundũ.

Aliq; Iudæi Christiani non ita bene afficiebantur erga Paulum.

Quid curandum in eleemosyna danda.

παρέλογον Christianæ philosophiæ.

Cum iustificatione sæpe iũgitur magna infirmitas

Vt cum gaudio ueniam ad uos per uoluntatem Dei, unaq; uobiscum refociller. Is finis est, quamobrem cupiebat liberari, nimirum, vt cum Romanis, & alijs esse posset, quos ad profectum Euangelij suo studio, atque opera iuuaret. Hac in re Paulus omnem suam consolationem collocat. Eant nunc ministri, & de suis opibus, & prouentibus, & commodis cogitent, omisso interim Apostolico munere doctrinæ, prædicationis, laborum, molestiæ. Hic enim Paulus solatium suum, & quietem constituit. Obseruandum etiam est, quàm ista Paulus summisse, & modestè scribat. Non enim ait, Quò vos doceam, moneam, instruam, corrigam: sed vt me vobiscum consolari possim, & acquiescere. Hoc est, quod dixit sub initium huius epistolæ, Ad confirmandos vos: id est, vnà consolari vobiscum, per eam fidem, quæ communis est, & meam, & vestram.

Deus autem pacis sit cum omnibus uobis, Amen. Pacem illis optat ad extremum, eamque non vulgarem, sed quæ sit Dei, & verè summum bonum dici debeat, Vt enim Paulus alibi dicit, superat omnem sensum. A pace auspicatus est epistolam, & eam in eandem claudit. Et quum ipse adhuc non posset cum illis esse, optat, vt Deum pacis, hoc est, Deum placatum, & propitium (id enim significat, Deus pacis) secum habeant.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

COMMENDO autem uobis Phœben ſororem noſtram.

Phœbe quale miniſterium habuerit in eccleſia.

Putant hanc ſanctam mulierem literas Pauli detuliſſe Romam. Ea miniſterium in Eccleſia Cenchrenſi geſſerat, non quidem publicè docendi, ſed curandi pauperes, qui alebantur Eccleſiæ impenſis. Quales autem huiuſmodi viduas eſſe oportuerit, vel quod ad ætatem, vel quod ad mores attinet, copiosè ſcribitur in epiſtola ad Timotheum. Quibus ea rationibus aſtiterit Paulo, ignoramus: ſed ſatis nobis eſt ex hoc Pauli teſtimonio intelligere, eã & alijs multis, & ipſi Paulo ſæpe adfuiſſe. Tribus ea hîc nominibus commendatur, quòd eſſet ſoror, quòd miniſtra, ꝗd et alijs multis, et ipſi Paulo adfuiſſet. Quibus etiam addi poteſt, quod eſſet ſancta: Paulus enim ſtatim ſubiecit, quemadmodũ decet ſanctos. Hinc apparet, Chriſtianos peregrinos nõ eo ſolum nomine ſuſcipiendos eſſe, quòd ſint fratres, ſed etiã, quòd pertineant ad Deũ, vt ſancti, & illi prorſus dedicati. Cenchreis eſt locus vicinus Corintho, atque adeo portus, ſeu ſtatio naualis eius oppidi. Nec mirum eſt, Paulum hîc commendare mulierem: nam aliâs pro Oneſimo ſeruo commendatitias literas dedit ad Philemonem.

Triplex commẽdatio Phœbes.

Salutate Priſcam, & Aquilam. Mulier iſta vxor Aquilæ à Luca in Actis cap. 18. dicitur Priſcilla. Eius vir Aquila fuit genere Ponticus, ſtirpe Iudæus, & Paulo ὁμότεχνος. Cur autẽ viro præponat mulierẽ, cauſa neſcitur. Ex eo autem apparet inſignem fuiſſe vtriuſq; charitatem, quòd ſe pro Paulo vitæ periculo obiecerint. Quamobrem Apoſtolus fatetur, non ſe ſolùm illis multum debere, ſed etiam omnes Eccleſias Gentium. Videbantur enim illis omnibus magnum beneficium contuliſſe, quòd Paulum illarum doctorem, & magiſtrum conſeruaſſent. Nec tacitè prætermittendum eſt, quòd & virum, & vxorem appellat ſuos adiutores, & συνέργους, quod vulgò dicunt cooperatores. Nec iniuria: nam Apollo virum Iudæum, admodum in lege peritum in via Domini inſtituerunt: vt habetur in Actis. capite 18. Omnes iſtos, qui hîc nominantur, Paulus honeſtiſsimis titulis ornauit: quos ſi diligenter excutiamus, nihil terreni, aut mundani continent: ſed dotes, & virtutes præclariſsimas, quas Deus illis conceſſerat: vt intelligamus, quibus nominibus homines diligere debeamus. Quòd ſi qui ſunt, qui amant diuites, formoſos, potentes, honoratos, ſcire debent, nõ eſſe hanc Apoſtolicam dilectionem. Sunt quidem diuitiæ, forma, robur, honor dona Dei: at non ea, quæ ſingulari amore proſequi oporteat.

Quibus nominibus Chriſtianꝰ deꝫ beant alios diligere.

Et Domeſticam eorum Eccleſiam. Paulus de iſtis idem ſcribit in priori ad Corin. cap. vltimo: vel quòd familia illorũ ita eſſet piè inſtituta, vt videri poſſet eccleſia, vel quòd fideles in illorum ædes conuenirent ad ſacros cœtus celebrandos. Atq; hæc interpretatio mihi videtur veriſimilior: quamuis Chryſoſtomus, Origenes, Ambroſius ſequantur priorem.

Domeſtica eccleſia.

Primitiæ Achaiæ. Qui ante alios omnes accedunt ad profitendã pietatem, ſatis declarãt, ſe homines, & iudicia carnis parũ curare, ſed tãtùm ſequi impulsũ diuini ſpiritus. Origenes ꝓ Achaię, legit, Aſię: quẽ qui ſequi volet, intelliget Aſiã minorẽ, in qua eſt Epheſus. Miror Ambroſiũ, qui primitias retulerit ad præſentẽ dignitatẽ, quaſi ille in aliquo magiſtratu, aut principatu fuerit cõſtitutus. Id mihi nõ fit veriſimile: & præſertim, quoniã adiectũ eſt in Chriſto.

Cognatos, & concaptiuos meos. Cognatio eum ſola nõ mouiſſet. Verùm id libẽtius cõmemorat, quòd vnà cũ illo fuerint paſsi. Acceſſerant ad Chriſtũ ante Paulũ: appellantꝰ inſignes inter Apoſtolos: non quòd eſſent ex collegio duodecim Apoſtolorum, ſed quòd, vt eſt credibile, Euangeliũ per multa loca diſſeminaſſent, & eccleſias cõplures extruxiſſent. Origenes putat, eos eſſe potuiſſe ex 72. diſcipulis. Quod ego non puto: illi enim defecerũt à Chriſto. Sed quomodo hoc eius vxori tribuit? quaſi illi quoq; munus Apoſtolatus potuerit cõuenire? Fortaſſe dicuntur inſignes inter Apoſtolos, quaſi illis probè noti, & minimè obſcuri in Eccleſia Chriſti. Iſte ſenſus mihi non diſplicet, modò verba ipſa non repugnent.

Eos qui ſunt ex Ariſtobuli domo. Non iubet ipſum Ariſtobulũ ſaluere: fortaſſe, ꝙ Chriſto nõ crederet. Familiares tamen habuit Chriſtianos. Quod idem exiſtimat de illis, quos ſubiecit.

Narciſſus Libertus Cæſaris.

Narciſſi familiaribus. Erat iſte Claudij Cæſaris libertus potentiſsimus, homo alioqui impurus, & rapax, & ſiniſtræ famę. Ambroſius tamen exiſtimat eum fuiſſe præsbyterũ. *In Domino.* Nõ emꝰ omnis Narciſsi familia credebat Euãgelio. Iſtis nullos impertit titulos: fortaſſe ꝙ eſſent infirmi, ſed parùm audacter cõfiterentꝰ. *Apollo.* Origenes ſuſpicatur, Apollo fuiſſe Alexandrinũ: ego verò, neſcio quo modo, in eius ſententiã nõ diſcedo. Tantus emꝰ vir haud dubiè maximo aliquo titulo fuiſſet ornandus. Mulieres, *Tryphænam, Tryphoſam, Perſin, Mariam.* ideo dicit laborare, fortaſſe quòd tale miniſterium haberent, quale ſuprà diximus habuiſſe Phœben.

Matrem

Matrem eius, & meam. Hanc appellat matrem affectu, non natura. Ita suprà Phœben appellauit sororem. *Herman.* Hunc Origenes putat autorem fuisse libri Pastoris: quam scripturam ait sibi videri sanctam, & diuinitus inspiratam: quod argumento est, illum librum non esse recipiendum vt canonicum. *Liber Hermæ nõ est in canone*

In osculo sancto. Hoc inter Hebræos fuit symbolum pacis, & fraternæ coniunctionis.

Salutant uos omnes Ecclesiæ Christi. Illas intelligo, per quas Paulus transiuerat, aut quæ illis locis erant vicinæ.

Obsecro uos fratres, obseruate eos, qui dissidia, & offendicula. Homines pios iusserat salutari: nunc admonet, praua os cauendos esse. Eos iubet considerari, & attendi: quoniam, vt sæpe fit, nõ facilè deprehendi possunt, nisi longo pòst tempore, atque vbi magnum damnum dederint. Notantur hîc pseudoapostoli, vtque ait Chrysostomus, illi, qui erãt ex Iudeis, & propter ceremonias legales scindebant, & distrahebant Ecclesias. Isti gulæ, & ventri suo seruiebant, non Deo: quales illi etiam erant, quos Dominus dicebat deuorare domos viduarum. Tales Paulus ad Titum appellat Intractabiles, vaniloquos, deceptores mentium, qui erant ex circuncisione. Euertunt, inquit, domus: docent ea, quæ non decet, turpis lucri causa: quibus oportet os obstruere. Quidam ipsorum Propheta dixit, Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri. Et ad Timotheum posteriori, Qui subeunt domos viduarum, & captiuas ducunt mulieres oneratas peccatis: semper addiscentes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes. Blando, inquit, vtuntur sermone: sed blanditijs suis nihil aliud quærunt, quàm vt vobis imponant. Duæ istæ notæ sunt pseudoapostolorũ, Seruire ventri, & blandè loqui, seu assentiri. Tales Origenes ait perstrictos fuisse à Christo, quum diceret, Veniunt ad vos in vestimentis ouium, intus autem sunt lupi rapaces. Vestes ouium, sunt blandi sermones: ventris ingluuies refert rapacitatem luporum. Et addit Origenes, Vide, quanto in periculo versentur illi, qui sese non exercent in sacris literis: ex quibus solis isti discernuntur. Hæc verba diligenter annotanda sunt, veram doctrinam à falsa solis diuinis literis discerni posse. Nos dissidia non facimus in Ecclesia, quemadmodum Papæ mancipia calumniantur: sed illorum conspirationi, quam inierunt contra veritatem, quamque illam tandiu oppresserunt, quantum possumus, & pro eo, ac debemus, resistimus. *Duæ notæ Pseudoapostolorum. Solo Dei uerbo falsa doctrina discernitur à uera*

Et declinate ab illis. Ecclesia alium gladium non habet, quàm excõmunicationem. Hoc gladio Apostolus monet vtendum esse aduersus istos.

obedientia uestra. Hæc ideo addit, ne propter hanc admonitionem parùm dextrè de illis videatur existimare. Atque ea quidem est communis interpretatio. Mihi verò multùm arridet, quod ait Origines, obliquè hîc taxari nimiam Romanorum facilitatem, & promptitudinem ad credendum. Nam ea spem facit mendacibus, & falsis Prophetis decipiendi. Quare hortatur, ne ita facilè se fallendos propinent. Quæ tamen expositio si parum videbitur conuenire his, quæ sequuntur, (Gaudeo igitur de vobis) intelligere debemus, satius esse peccare in hanc partem. Nam si vera doctrina illis fuerit proposita, & sani doctores accesserint, fructus maximus consequetur. Propterea illorum prouocat, & excusitat prudentiam, nimirũ, vt audiant cum iudicio, & probent, atq; expendant ea, quæ dicantur, priusquã ea incipiant credere. Volo, inquit, vos esse sapientes ad bonum, synceros autem ad malum: acsi diceret, Sitis absq; dolo, & vafritie: non autem callidi, & astuti ad fallendum, & inferendas iniurias. Exigit ab illis Paulus simplicitatem, sed prudentem: prudentiam, sed simplicẽ. Ita Christus, Estote, inquit, prudẽtes, sicut serpentes: & simplices, sicut colũbæ. Nemo itaq; iactet ignorationẽ scripturarũ, aut imperitiã dogmatũ, aut inscitiam rerum agendarũ: quasi hoc laudi dari debeat. Deus enim nos ad iniusta perpetrãda rudes esse vult, ad ea verò, quæ bona sint, inuenienda, iudicanda, perficienda, prudentes, cautos, sagaces, industrios.

Deus autem pacis conteret Satanam sub pedibus uestris breui. Ex hac illustri promissione Romani olim potuerunt, & nos hodie possumus dulcissimam consolationem capere, nosq; ad dẽpugnandum strenuè confirmare, postquam de victoria facti simus certiores. Promittit, perturbationes, dissidia, scandala, quibus Romanorum Ecclesia turbabatur, imminuenda esse, & frangenda: atque vnà etiam ostendit, omnes nostras tentationes Dei ope, & auxilio esse superandas. Non leuis est emphasis in verbo Cõterere. In illis enim rebus vsurpatur, quæ ita franguntur, vt restitui nullo modo possint. Hanc verò perfectam, & solidam, atq; absolutam victoriam in hac vita non habemus. Hîc enim diabolus semper bellum instaurat contra seruos Dei. Itaq; quidã putauerunt, hoc dictum Pauli referendũ esse ad aduentũ Christi, quem quia Paulus credidit esse in foribus, idcirco adiecit, *Breui.* Ambrosius verò existimat, *Efficimur certi de uictoria.*

hoc intelligendum esse de Pauli ipsius aduentu Romam: eo enim illos ita fore confirmandos, vt omnia salutis impedimenta prorsus essent depellenda. Sed ego neutrum istorum existimo esse necessarium. Simpliciter enim licet intelligere Satanã vincendum, & ita vincendum, vt ad impediendam salutem nostram amplius nihil possit. Et videtur Paulus hac loquutione eleganter alludere ad id, quod habetur in Genesi: Serpentem insidiaturũ quidem calcaneo: sed caput eius à semine mulieris esse conterendum. Quod quum Christus perfectissimè præstiterit, suis etiam membris, vt idem facere possint, largitus est. Apud Lucam cap. 10. discipuli dicunt Christo: Domine, etiam dæmonia subijciuntur nobis per nomen tuum. Quibus Christus respondit: Ecce vidi Satanam sicut fulgur cadentem de cœlo. Ecce do vobis potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici. Non autem in eam sententiam accipienda est hæc victoria, quasi nos nullis posthac tentationibus simus impetendi. Sæpe enim tentationes nobis prosunt. Atq; adeò quum nimium securi sumus, & in rerum tranquillitate diffluimus, Deus ipse nobis exuscitat aduersarium, vt virtus nostra cum eo confligens, ne torpescat in otio, sed pio exercitio excitetur.

Tentationes utiles sunt, ne marcescamus otio.

Gratia Domini nostri Iesu Christi sit uobiscum. Nomine gratiæ & fauorem Dei erga suos, & eius effecta, hoc est, varia dona, facultates, & dotes comprehendit: quæ omnia Romanis vna voce precatur. Ad finem superioris capitis optauit illis pacem, Deus, inquiens, pacis sit cum omnibus. Hîc illis precatur gratiam: vt quoniam inchoauerat hanc epistolam ab his vocibus, Gratia, vobis, & Pax, ita eam in easdem voces concludat.

Salutat uos Timotheus cooperarius meus. Suprà recensuit summa diligentia, quos suo nomine Romæ vellet salutari: nunc illos etiam enumerat, à quibus eos saluere velit. Ad quos priusquam veniamus, illud non arbitror prætereundum: inter eos, qui Romæ degentes à Paulo salutati sunt, nullam factam esse mentionem Petri: quem, si fuisset Romæ, credibile non est, Paulum fuisse præteriturum. Isti enim, quos salutat, multò illi fuerunt inferiores. De Timotheo nihil dicam. Eius enim nomen & in epistolis Pauli, & in Actis Apostolorũ satis est celebre: idq; satis videtur esse ad eius laudes, quòd sæpe illum Paulus appellet filiũ, & germanum filium. Hoc autem loco illum appellat collegam.

Petri nulla fit mentio.

Lucius. Hunc Origenes suspicatur esse Lucam: cuius nomen à Paulo inflexum sit ad formam nominũ Romanorũ.

Lucius fortassis est Lucas.

Iason. De hoc prolixa, & luculenta fit mentio in Actis Apost. cap. 17. Molesti illi fuerunt Iudæi Thessalonicæ, eumq; detulerunt ad Magistratum, quòd Paulum, & Sylam hospitio recepisset.

Sosipater. Iste fortassis est, vt Origenes credit, ille Sosipater Pyrrhi Bœreensis, cuius etiam Lucas facit mentionem in Actis.

Saluto uos ego tertius, qui scripsi epistolam in Domino. Tertius, inquit Ambrosius, non numero, sed nomine. Nemo nescit Romanos dictos fuisse Tertios, Quartos, Quintos, Sextos. Neque verò obibat iste indignum munus, cùm esset scriba, aut amanuensis Pauli.

Salutat uos Caius hospes meus, & Ecclesiæ totius. Oportet hunc fuisse hominem bonum, ac pium. Dominus enim iussit discipulos suos, vt venientes in aliquam ciuitatem, primum omnium dispicerent, quem dignum iudicarent, apud quem essent, & apud eum permanerent. Quare quum Paulus mandatorum Domini esset obseruantissimus, hoc certè inter cętera non præteriisset. Ex eo igitur colligere possumus Caij probitatem. Hunc Ambrosius illum fuisse putat, ad quem scribit Ioannes Apostolus exultans de eius dilectione, & officijs, quæ præstabat erga fideles. Et certè magnum fuit religionis, ac pietatis indicium, non tantùm ipsi Paulo hospitium prębere, sed etiam toti Ecclesiæ. Hîc ille est, inquit Origenes, de quo Paulus ait ad Corin. Gratias ago Deo, quòd neminem vestrûm baptizauerim, nisi Crispum, & Caium: & addit, fuisse veterem traditionem, hunc postea fuisse Episcopum Thessalonicensem.

Salutat uos Erastus quæstor ærarius ciuitatis. Quanuis magistratus, & dignitates huius mundi fidem Christi non augeant, tamen Paulus cùm sciret, ea ornamenta quædam esse pietatis, noluit illa reticere. Ita ad Philippenses, Salutant, inquit, vos, qui sunt ex Cæsaris domo.

Gratia Domini nostri Iesu Christi sit cum omnibus uobis: Amen. Rursus idem precatur, quod superius: non tamen inani repetitione: sed vt rem maximè necessariam sæpissimè ostendat esse postulandam.

Ei autem, qui potens est uos confirmare. Hæc pars in aliquibus codicibus deest: in aliquibus posita est ad finem capitis 14. statim post ea verba, Omne, quod non est ex fide, peccatum est. Nunc autem legitur extremo loco epistolæ: neque nos eum ordinem immutabimus. Marcion, vt refert Origines, quasdam Pauli epistolas omnino reiecit: quasdã verò ita probauit,

bauit, vt eas mutilas tantùm, & trũcatas admitteret. Ita ille huius epistolæ postrema duo capita omnino repudiauit. Quare in codicib. ab illo vitiatis hæc particula prorsus defuit. Nobis verò ista verba, quæ ille truncauit, cum alijs sanis & catholicis interpretib. maximè probantur: ideoq; illa interpretabimur. Paulus magno studio pietatis adducitur, vt epistolam suam terminet in laudes & gloriam Dei. Illi, inquit, per Iesum Christum sit gloria in secula, qui solus est sapiens. Non possumus Deo laudem, & gloriã reddere, nisi per Christum. Vt enim per illum omnia dona deferuntur ad nos, ita vicissim per eundẽ laudes, & gratiarũ actiones à nobis referũtur ad Deum. Quare qui in Iesum Christũ non credunt, Deũ verum, à quo proficiscuntur omnia bona, nec intelligunt, nec prædicant. Solus est sapiens: Non est enim, vt ait Origenes, sapientia sapiens: vt homines solent: sed ideo est sapiens, quia gignit sapientiam: non tantùm, quod ex se produxerit vnicum suum filium, sed etiam, quòd nos afflatu, & spiritu suo reddat sapientes.

Marciõ duo extrema capita huius epistolæ resecuit.

Non possumus deo reddere gloriã, nisi per Christum.

Deus quomodo sapiens.

Qui potens est uos confirmare. Cùm imbecilles, & infirmi simus, perpetuò nobis opus est confirmatione. Quare Paulus indicat nobis fontem, vnde eam debeamus petere. Prudenter autem hoc inculcat, & præsertim Romanis, quod, vti diximus, varijs inter se dissidijs fluctuarent.

Iuxta Euangelium meum, & prædicationem Iesu Christi. Hinc apparet, Deum confirmare suos, non humanis inuentis, aut traditionibus, aut lege: sed Euangelio: quod certè non est aliud, quàm Christi prædicatio.

Deus Euangelio suos confirmat.

Iuxta reuelationem mysterij temporibus æternis taciti: reuelati autem nunc. Hac occupatione occurrit illorum cogitationibus, qui Euangelium nouam esse doctrinam suspicabantur. Non est ita, inquit. Fuit enim ante secula: verùm silentio reconditum, & diutissimè tacitum. Quare autem Deus tantum arcanum iam inde ab initio aliquot quidẽ patribus, sed admodũ paucis reuelauerit, nimirum, vniuersum humanum genus tam admirabili ratione reparandum, & conseruandũ esse per Christum, idq; iudaico tantùm populo, nec aliter quàm in vmbris, & vaticinijs patefecerit, nos non possumus nostris coniecturis, & sensibus assequi. Deus enim pro summa sua libertate, & sapientia, & quando, & quibus, & quemadmodum ipse voluit, secretum suum indicauit.

Euangeliũ non est doctrina noua.

Iuxta scipturas propheticas. Hoc additur, ne recens huius mysterij patefactio suspecta cuiquam sit, & infirma. Testimonium, inquit, habet Prophetarum.

Iuxta ordinationem Dei. Quod modò dicebamus, hoc mysterium non humana inuentione, aut prudẽtia, sed vnius Dei arcano arbitrio fuisse reuelatũ, id nunc confirmat his verbis.

In obedientiam fidei. Ad extremum ponit finem, quare Euangelium sit patefactum: nimirum, vt homines illi crederent, atque ita seruarentur.

In omnes Gentes. Quòd ad hoc attinet, non fuit acceptio personarum. Christus misit Apostolos suos, vt in vniuerso orbe prædicarent.

FINIS.

ERRATA.

Hîc 13.11 ἀμάλυσις 26.18 Statua 33.43 Moderatè 38.13 non 39.32 Infirmitatem 49. 48 Reſipiſcunt 49 47 is 55.57 ignorans 56.6 Iudaiſmo 62.2 nos 72,47 Pſalmo 73.28 πίστις 83.38 præcipuè 87.8 In 87.42 Pœnitentia 88.17 fermè 103.26. loco 103.48 manducamus 110.13 locis 121.42. Sacros 123.43 Offenſionem 124.47 exercitu 127.39 extremo 134.34 gloriatio 135.4 coarctari 141.14 certitudo 142.7 ἀμαρτάνειν 150.5 prius 174.54 enim 176.36 locus Nahum 182.8 luebant 183.47 perficitur 186.7 perfectam 192.2 effectorum 196.13 præcipua 199.34. Apoſtolis 204.20 affectus 225.23 ſententia 225.44. Iniuſtùmue. 262.9. adoptionem 287.49. vndecimum 291.19. triſtari 300.24 fœdè 310. 8 conditione 310.39 fidem 316.54. Iuſtificationis 320.25 Numerus 336. pro 338 iudicio 337.51 Iudæus 339.29 Numerus 360.pro 350 In ſecunda autem 359.23 ſolus 366.3 In margine idololatris 366 non fuiſſe 376.6 vaſa iræ 370.49 Experirentur 380.43 Iuſtitiæ 400.27 Vbique 490.54 perduci 412.31 Numerus 419.pro 417 poteſtatem 416.10 Ezechielem 416.31 cætera 419.24 aſſeritur 426.35 voluntate antecedentis,ſeu ſigni 432.20 ſententia 430.32 Auguſtinus 438.6 In margine cedendum 445 nomen 454 23 fit 37 fides 460.14 habuerunt 471.19 Fauſtum 487.15 corripiuntur 486,19 nimirum 488.12 Scipione 492.38 Cauſa 485. in margine Hora in margine 487.

INDEX RERVM ET VERBORVM, QVAE IN HIS COMmentarijs in epistolam ad Romanos continentur.

Primus numerus paginam ostendit, alter versum.

Abdiæ prophetæ constãtia & fortitudo 471.49 (477.15
Aben Ezræ testimoniũ
Aben Ezræ error de prouidentia Dei 91.3
abiectionem Iudæorum non esse causam nostræ salutis 465.16
abiectionem populi pendere ex destinato proposito 397.55
abnegatio nostri 625.14
Abraamus quo tempore fuerit iustificatus 558.11
Abraamus pater credentium 125.3
Abraamus hæres 119.24
Abraamus instar Dei 129.8
Abrã non generare, sed Abraã 129.52
Abraam ut dicatur pater 104.4
Abraam quando dictus iustus 98.38
Abraam quid crediderit 98.48
Abraam de suscipienda prole an dubitarit 129.13
Abraami uirtutes 96.47
Abraæ dignitas 96.21
Abraæ fidei excellentia 128.45
Abraami semen 119.14
Abraami patris & filiorum discrimen 97.40
Abraami posteritas duplex 123.39
Abraami tentationes 96.47
Abraami fides cur laudetur 128.18
Abraami exemplum 382.53
Abraami operi promittitur merces 100.10
Abraamo iustitia eximputatione 97.11
Abraamo æquantur electi 131.5
Abraamo fides imputata ad iustitiam 473.45 & quando 558.6
Abraam quis alloqueretur 98.55
Abraamum & Dauidem cur proponat Paulus 104.12
Abraamum iustificatũ esse fide 532.1
Abraamum non fuisse iustificatum ex circuncisione 530.45
Abraamum propter opus iustum non fuisse iustificatum 100.19
absolutio sacrificorum 282.4
absolutionis definitio 447.15
abstracta nomina 193.2
abusus arcendi à religione 614.50
Acacius apud Oecumenium 579.43
Academicorum error 27.37
Achab pessimus 382.3
Achabus ut coram Deo dicatur humiliatus 536.25
Achabi regis peruersa uoluntas 470.5
accedentem ad Deum oportere credere 563.56
acceptionis personarum definitio 359.52
accessum ad Deum per Christum habere 133.45
Actæonis fabula in quos quadret 35.10
actio perfectissima 208.29
actionem fidei alijs actionibus præstare 565.47
actiones nostras non habere necessitatem 435.13. (33
actiones sanctæ unde pendeant 248
actionum humanarum & uitæ scopus 618.21
accusatio Corinthiorum 442.12
accusatio Pauli in ethnicos 31.4
accusare 65.1
acutum commentum 377.45
à Deo quibus rebus discedatur 466.53
à Deo qui non mittuntur, mentiuntur 456.49
Adamus in iustitia originali creatus 171.22
Adamus liber creatus 247.16.24
Adam primus homo an fuerit prædestinatus, an reprobatus 427.10
Adamus typus Christi 158.1
Adamus typus peccantium 157.57
Adamus à calamitatibus immunis 247.21
Adamus semiuiuus relictus 247.39
Adam quas habuerit cupiditates à principio 168.31
Adami & Heuæ peccati diuersa ratio 150.36
Adami lapsus se & posteros perdidit 424.56
adami lapsus multiplex causa 427.30
Adami & posterorũ discrimen 174.1
Adami & Christi pulchra collatio 158.5.172 27.431.47
Adami & Christi discrimen 158.18
Adami & Christi analogia 158.5
Adami peccatum an plures inficiat, quàm gratia Christi liberet 159.37
Adamo cur adscribatur initium peccandi 150.26
Adamo gratia fuit adiutorium 247.27
Adamo cur liberum fuit datum arbitrium 247.35
Adamum primum nostrum parentem iustificatum fuisse 566.42
adhortationibus iure adiungi preces 629.55
aditus ad uitam resurrectionis 200.28
admiranda gentium iusitio 497.23
administratio quid significet 410.50
adoptio quando contingat nobis 288.44
adoptio unde ueniat 288.44
adoptionis & arrogantiæ distinctio 287.54
adoptionis testimonia 292.32
adoptionis prædicatio 292.27
adoptionis definitio 287.52
adoptionis cura 289.8
adoptionis consecratio 288.56
adoptionem ad patres pertinuisse 289.28
adoptionem unde habeamus 560.36
adoptionem nos sperare 303.31
adoptiuos filios spiritum & fidem habere 340.25
adoptati cur uexentur 295.27
adoptari nos per spiritum & fidem 288.15
adoratio 12.23
adoratio Christi 344.35
adorationis symbola 11.56.12.1
adorationis ratio est diuinitas 11.36
adorationis Dei & principum discrimen 12.6.15
adoratores ueri 11.6
aduersarij dicere coguntur Deum eligere suos 430.19
adulterium 61.20
adulterium capitale tempore Hieronymi 182.20
adulterium Dauidis 397.42
adulteros necari 449.30
adultis per fidem salus 63.10
Aeschynes 597.12
Aegidius Romanus theologus 168.22
Aegyptij maximi idololatræ 34.27
Aegyptij fœminas circuncidunt 118.10
æmulatio parit diligentiam 506.24
ænigmata Pauli 334.51
ænigmaticè quare interdum Christus loquutus sit 478.40
æqualitatem in hominibus esse constituendam 375.54
æterna uita quare mercedis nomine insignitur in sacris literis 429.41
affectus à principio conditionis nostræ 39.5
affectus à Stoicis non iustè repudiatur 592.16
affectus non renatorũ peccata 206.18
affectus ignominiæ 44.5.13
affectuum ordo 245.49
affectibus Deus non laborat 511.52
afflictiones patientiã non parere 136.1
afflictiones instrumẽta bonitatis Dei 135.40

Afflictiones à Deo ad ſalutem electis 136.16
afflictiones quomodo peccantibus liceat optare 487.50
afflictiones pijs utiles & bonæ 135.34
afflictiones ſanctorum 296.10 133.55
afflictiones natura malæ 135.31
afflictionum exemplum 136.40
afflictionibus exultare mirum 135.12
afflictionibus nos Chriſto ſimiles effici 135.46
afflictorum conſolationes unde petendæ 148.36
ἄγνοια unde 217.20
agnitio peccati 77.41
agricola peritus 444.31
ἀλλὰ ῥᾳθυμίας 46.12
allegoria quando ſit utilis 462.17
allegoria menſæ 462.54
allegoriæ definitio 462.9
allegoriæ diſtinctio 462.22
allegoriæ quæ fuerint firmiſſimæ 462.24
allegoriarum duo genera 485.57
Alexander Mammeæ imagines habuit 41.23
Alexandrum non fuiſſe regis Philippi filium 289.34
alieni à Chriſto habēt credulitatem, at non ueram fidem 531.17
alienos à Deo nil boni poſſe facere quod placeat Deo 553.1
altaria hoc tempore non eſſe habenda 472.20
altarium loco Chriſtum inſtituiſſe menſam cœnæ 472.26
altitudinis definitio 330.47
amare Deum ex toto corde 221.7
amari nos à Deo unde cognoſcamus 143.50
amari nos à Deo 325.6
Amaſiæ factum 183.2
ambiguitas in uoce propter 414.37
Ambroſius et Chryſoſtomus lapſi memoria 23.49
Ambroſius ait nos ſola fide iuſtificari 85.14
Ambroſius de intercеſſione ſanctorum 32.42
de utilitate ex conuerſione Iudæorum 494.23
Ambr. quid intelligat per charitatem 325.15
Ambr. quibus de cauſis ſpiritus à nobis diſcedat 278.48
Ambroſius ſecuritatem ſalutis aſſerit 148.22.
Ambroſij lepida interpretatio 243. 49
Ambr. epiſtola de idololatria 34.9
Ambroſij interpretatio non recipienda 233.23
Ambroſij locus de iuſtificatione 102.26
Ambroſij definitio de præſcientia 360. 16
Ambroſij loquutio figurata 300.42
Ambr. interpretatio de fide & operibus 54.6
Ambr. interpretatio de iuſtitia legis 58.5
Ambr. ſententia de Euangelio 407.21
Ambr. aliena lectio & interpretatio 87.2
Ambroſiū uoluiſſe ueram fidem ab ima ni opinione ſeparare 578.15
Ambr. & Originem Paulo aduerſari 161.54
ambulare coram domino 51.41
ambulare in operibus bonis 407.13
amicitia unde 403.40
amicitiæ laudabiles 328.37
amicitiam eſſe rem neceſſariam 483.37
amen uox obſignat preces 516.47 520.21
amor Dei reliqua dona præcedit 193.53
amor Dei & hominum ut differat 6. 45
amori Dei ſyncero dari iuſtificationē 560.18
Amos ob balbutiem ridetur à Iudæis 467.42
amphibologia in uerbis Pauli 223. 45
Anabaptiſtarum error 81.40
Anabaptiſtarum error de infantibus 204.6
Anabaptiſtarum opinio 348.4
ἀνάλυσις apoſtolicæ rationis 26.18
analogia quam nos ad Deum habemus 125.18
analogia inter credere & iuſtificare 517.39
analogia inter nos & Chriſtum 200.16
ἀναναπαύσεται 149.33
anathematis definitio 333.54
ἀνεξεξέυνητα haud fas ſcrutanda 515.43
Angeli quomodo ſint uanitati ſubiecti 299.27
Angeli in quem finem regant regna 299.34
Angelis cur gubernatio terræ tributa 505.30
Angelos malos regionibus præfectos non teſtamur ſcripturæ 506.10
Angeli quomodo à corruptione dicantur liberari 299.41
Angelorum legiones 437.6
Angelorum opera 299.39
Angelorum myſteria 330.23
Angelorum beneficium 299.44
Angelos peccare non poſſe 330.11
Angelos interdum ſumere ſupplicia 330.13
Angelos eſſe acies Dei 399.38
Angelos nec corpora, nec linguas habere 556.8
Angelos eſſe beatos 299.5
Anglos ſub Gregorio ad Chriſtum acceſsiſſe 463.27
anguſtia 54.37
anima 206.2
anima Chriſti non ex propagatione 152.37
anima incircuncisa excidenda ex populo 117.15
anima à corpore non uitiari 185.12
anima ſine peccato creari 153.38
anima à Deo creari cum uitio 153.39
anima hominem ſignat 54.44
anima cur caro dicatur 174.34
anima unde traducatur 281.6
animæ opinio de creatione recepta 153.38
animæ Chriſti ornamentum 152.57
animæ Chriſti nomen ſortis cur conueniat 152.58
animæ an quotidie creentur 152.31
animæ ſimile 481.13
animam ſine Chriſto eſſe mancipiū carnis 481.19
anima quid intelligi poſsit 152 15. 18
animus noſter paſsiuè ſe habet ad ſpiritus primam impreſsionem 262.4
animus incredulus 450.15
animi noſtri natura 41.50
animi pars potior ad meliora hortatur 27.25
animi partes inferiores membris inſpergi 175.6
animum propenſum ad bona opera à Deo pendere 355.38
animum egere inſtauratione 303.36
animos noſtros non prius uixiſſe 348.43
animalis homo ut intelligatur 141. 50
animantia omnia in arca Noë dicuntur ſeruata 432.14
Azaëlis in regem Syriæ unctio 470. 38
ἀνομία 263.8
Anſelmi & Augſt. opinio de peccato originis 173.26
Anſelmi ſententia de iuſtitia originis, potior Pighij 171.45
Antiſthenes philoſophus 568.5
Antichriſtus 494.19
Antichriſti in Chriſtum odium 507.49
ἀντίθεσις operum noſtrorum 423.27
antitheſis contraria 449.2
antitheſis Adami & Chriſti 161.50
antitheſis quadruplex 65.24
antitheſes tres de iuſtificatione 106.44
ἀνθρώπου

ἀνθρωποπάθεια 511.56
ἀνθρωποπάθειας Deo attribuitur 72.48
anthropopathia zeli Dei 464.34
anxietas creaturarum 300.50
A prædestinatione neminem excludi 409.56
appellare licet ab inferiori magistratu ad superiorem 605 10.
appetitus insitus 302.48
appetitus prauus diuinæ similitudinis 514.57
appetitus naturales cur impij 274.36
appetitum à natura insitum non esse irritum 302.9
aperta & manifesta omnia oculis Dei 515.32
ἀπόδειξις demonstratio 541.41
ἀπόνοια arrogantia 587.25
Apostolus cur eos non uocet electos, qui per conuersionem trahuntur ad Christum 309.11
Apostolus an sit in Hispaniam profectus 635.15
Apostolus quomodo audiendus 6.1
Apostolus cũ Gentes dicit fuisse oleastros, quid intelligendum 498.15
Apostolus de qua iustificatione loquatur 77.24
Apostolus uas donis refertum 15.16
Apostolus qualem fidem describat 453.14
Apostoli argumentatio 278.14
Apostoli metaphora duplex 495 29
Apostoli propositum 47.38
Apostoli scopus 64.42
Apostoli à calumnijs depulsio 78.45
Apostoli prudentia 267.42
Apostoli loca ad circuncisionem 115.29
Apostoli methodus de iustificatione 95.35
Apostolum laudasse charitatẽ ex collatione 555.36
Apostolum uti propositione conditionali 555.53
Apostolum agere de summissione 387.41
Apostolorum autoritas quàm latè patuerit 7.11
Apostolum absoluere epistolam unde cœpit 631.19
Apostolorum missio multiplex 3.38
Apostolorum munus 3.35.633.47
Apostolorum & Episcoporum comparatio cum antiqua Ecclesia 4.50
Apostolorum & aliorum ministrorum discrimen 4.24.36
Apostolos orbi Dei mentem patefecisse 67.31
Apostolos fuisse missos à Deo 456.19
Apostolos non esse culpandos, quòd Gentibus prædicauerint 455.15
Apostolos uocatos ex Galilea 456.31
apostolatus finis 7.3
apostolatus instrumenta, uerba et facta 633.9
aqua lustrali concessa falsò remissio peccatorum 522.46
ἀρχὰς 73.45
arbor bona & mala 259.48
arboris bonæ & malæ metaphora 259.24
arborem dupliciter esse intuendam 498.54
arborem primùm oportere esse bonam ut fructus boni sequantur 499.26
arborem bonam facere, in nobis non esse 499.21
arbitrium 246.44
arbitrium liberum 351.46
arbitrium quanti ualeat 35.14
arbitrium nostrum non posse bonum eligere 217.44
arbitrium liberum sublatum ab impijs 484.4
arbitrium liberum non perire 387.26
arbitrium bonum & malum diuersimodè respicere 250.53
arbitrium liberum nihil aliud facere quàm peccare 418.35
arbitrij nostri uirtus 538.19
arbitrij liberi cum prædestinatione pugna 421.21
arbitrij instauratio 262.7
arbitrij liberi potestatem sine gratia non haberi 384.35
arca fœderis Christus 86.18
arcanum Dei nobis incomprehensibile 356.1
arcana Dei uenerãda non carpenda 170.12
argumentum contra iustificationem ex operibus 498.34
argumentum contra Pelagianos 690 9
argumentum petendi atque sperandi 8. 43
argumentum Pauli de iustificatione à tempore 103.41
argumentum à potentia Dei ad effectum qui sibi uelit 616.20
argumentũ utiosum 186.1 (131.2
argumentum ab exemplis in scripturis
argumentum ex sola fide nos iustificari 134.24
Arriandrum scopus 475.4
Aristoteles amicitiam potiorem esse iustitia 453.41
Aristotelis exemplum 535.8
arrogantiam esse pestem fraternæ charitatis 599.49
assumptio carnis Christi 283.3
ἀρχάγγους 46.19
Astronomi idololatræ 34.33
astra non peritura esse 304.34
artificiosa uerborum collatio 325.48
Athenienses pij cur dicti 252.43
Augustinus aduersus Faustum Manichæum 66.19
Augustinus contra bonam intentionem 71.39
August. de fide Christianorum 452. 37
Augustinus de nuptijs 390.39
Augustinus quibus medijs ad salutem uenit 258.8
Augustinus de imaginibus 41.8
Augustinus de Ecclesiæ autoritate 126.33
Augustinus de idololatria 34.2
Augustinus Pelagianis respondet 44.28
Augstinus de fide Abraami 99.19
Augustinus de sacramentis 108.43
Augustinus de duobus paruulis 349.22
Augustinus Iuliano respondet 36.46
August. sentẽtia de peccato originis 168.35
August. per creaturam quid intelligat 302.33.
Augustini admonitio de re dubia 126.22
Augustini præclara sententia 170.23
Augustini de prædestinatione, & aliorum Patrum sententia 421.28
Augustini locus de operibus declaratur 92.45
Augustini dictum de uoluntate nostra 439.25
Augustini conuersio in exemplum trahenda 512.57
Augustini commentatio 357.50
Augustini locus de iustificatione 103.13
Augustini tempore qui aduersabãtur conuersis ad Christum 79.47
Augustini simile de equis 53.27
Augustini simile de ministris 190.5
Augustini simile de pœnis damnatorũ 59.31
Augustini similia de peccato originis 151.29
Augustini exemplum 609.17
Augustinum scripsisse de iustitia inhærente 578.12
Augustinum reuocasse suam sententiã de prædestinatione 349.53
Augustinum secutum esse patris Ambrosij sententiam 360.3
auricularis confessio 538.29
autoritas Prophetarum constans 438.5
autoritatis Ecclesiæ officium 460.53
autoritatem Ecclesiæ non dominari fidei 450.52
autoritatem magnam fuisse Iudæorum in primitiua Ecclesia 442.52

B

Baal unde dicatur, & quid sit 471.17
Baldus de potestate Pontificis 71.19
Baptismus uera circuncisio 66.15
Baptismus ad certum diem non adigi 116.49
Baptismus sine fructu 69.39
Baptismus cur repeti non debeat 202.25
Baptismus paruulorum 348.3
Baptismus infantibus negari non deberi 115.42
Baptisma nos feciſſe ſaluos 577.19
Baptiſmi ampla definitio 202.3
Baptiſmi pœnitentiã 198.59
Baptiſmi contemptores 255.2
Baptiſmi abuſus apud Papiſtas 198.56
Baptiſmo quid ſignificemus 199.7
Baptiſmo quid tribuendum 151.44
Baptiſmum in memoriam reuocandũ 204.5
Baptiſmum cuius rei ſignum ſit 202.12
Baptiſmum remittere peccata per Chriſtum 577.29
Baptiſmum non neceſſarium 203.48
Baptiſmum circunciſionem dicit 111.9
Baptizatos poſſe perire 69.10
baptizari in Chriſto 199.20
baptizati gratis habent peccatorum condonationem 512.40
baptizari quomodo dicamur in ſanguine Chriſti 510.2
Barbari 18.19
baſis terren...um pr...niſſionum 351.37
Baſilius ad Neocæſarienſes 556.10
Baſilius dicit nos ſola fide iuſtificari 85.17
Baſilius de confeſſione 460.24
Baſilij ſententia de fide 83.55
beatitudo cur non reueletur in hac uita 296.30
beatitudinem operi tribui 102.3
beati cur peccare non poſſint 250.17
beatos & ſaluos uult Deus omnes 477.43
belli Chriſtiani hominis deſcriptio 246.7
benedictio Dei quomodo ſe habeat ad propagationem carnis 500.56
benedictiones patrum 354.26
beneficium legis 79.9
beneficium Dei ampliſſimum 60.16
beneficium Chriſti nobis prædicandũ 123.13
beneficio Dei Papiſtas malignè uti 86.41
beneficia Dei per uerbum creditum præſtari 108.48
beneficiorum Dei duo genera 56.43
beneficium ſpiritus Chriſti 281.31
beneficium ſummum Iudæis conceſſum 67.24
beneuolentia Dei 325.40
benignitatem Dei ad pœnitentiã nos ducere 395.40
Beniamin primum regem Saulem procreauit 469.14
beſtiæ cur lædant homines 176.48
Bernardi dictum de peccato originis 178.8
Biblia apud Ethnicos fidem merentur propter Iudæos 513.28
Biblia omnibus, omni diligentia legenda 472.30
blaſphemia contumelioſa 160.14
blaſphemi in Paulum 15.40
blaſphemamur & obſecramus, quomodo intelligendum 580.34
Bonifacij octaui decretum iniuſtiſſimũ 607.11
bonitas χρηστότης 501.35
bonitas Dei ubi maximè apparuerit 147.17 148.10
bonitas Dei exuberans in ſcripturis 454.7
bonitatis Dei expreſsio 301.30
bonitatis Dei nulla creatura expers eſt 422.45
bonitatem opponi crudelitati 503.11
bonitatem Dei una omnibus exhiberi 375.32
bonæ actiones nõ producuntur ex peccatis, etiamſi Deo ſubijciantur 436.32
bonum quid ſit 457.26
bonum duo ſignificare 592.1
bonum quod uellemus facere 241.35
bonum potentius eſſe malo 491.26
bonum nullum in hominem eſſe ponendum 349.5
bona opera rectè lucis arma dicuntur 613.23
bona opera ad quid proſint poſt iuſtificationem 565.10
bona quænam ſint in nobis inchoata 309.13
bona quænam expectemus 309.8
bonorum à Deo principium eſt Chriſtus 421.12
bonorum & malorum connexio in Eccleſia 72.22
bouem mactare perinde eſt, ac occidere hominem 563.47
bonitate omni an aliqui poſſint uerè pleni dici 631.15

C

Cadauer an ſit corpus hominis 557.14
cæcitas quid uelit apud Paulum 506.49
cæcitas mentis peccatum 173.50
cæcitatis Iſrael connexio cum ingreſſu Gentium non eſt naturalis 507.17
cæcitatem mentis antecedere incredulitatem 485.18
cæcitatem in nonnullis eſſe temporariam 482.38
cæci ſunt duces cæcorum 620.2
Cæſaris menſam tenuiſſe primas in repub. Romana 483.20
Caius qualis fuerit iuxta ſententiam Ambroſij 642.42
nænia 45.53
calamitatibus & caſibus nos eſſe obnoxios 281.36
captiuitas teterrima 258.15
captiuitas Babylonica 484.48
carbo deſumptus ex altari 477.17
καταλλαγεὺς Deus 422.19
caro 206.2
caro quid appelletur 225,55
caro quid ſit in ſcripturis 174.16
caro quid in ſacris ſignificet 429.45
caro & ſpiritus 278.15
caro ita eſt bona, ut non habitet in ea bonum 175.27
caro Chriſti 282.42
caro Chriſti cur caro peccati dicatur 272.31
caro cur à pauperibus abhorreat 505.49
caro & ſanguis Chriſti 282.32
caro locus lubricus 226.4
caro & membra 241.43
carnis definitio 288.26
carnis nomine quid Paulus intelligat 174.24
carnis ſecuritas 318.3
carnis iudicium de Euangelio 19.19
carnis prauitas & corruptio 284.7
carnis facta in ſanctis eſſe 284.12
carnis infirmitas 121,23
carnis affectus cur prudentia 275.15
carnis opera 275.2
carnis conſtitutio non mala 245.16
carnis affectus 274.44
275.13
carnis concupiſcentiæ tanquam uitiorum calcaria inſpngendæ 613.57
carnis neceſſitudo 339.8
carni confidere 13.11
carni quæ pudenda uideantur 19.27
carni eſſe reſiſtendum 518.37
carnem noſtram obſeruandã eſſe cùm ſit infirma 502.14

Carnem Christi absque fide nihil prodesse 334.26
carne quid intelligatur 271.27
carnalis 238.6
carnalis propagatio 397.90
casum Iudæorum non fuisse tam atrocem 496.45
casum Iudæorum fuisse occasionem, ut Gentes uocarentur 489.43
casum Gentium non grauius puniendum, quàm Iudæorum 503.33
casu quæ fiunt, ad nos referri 439.6
castigatio corporis Pauli 437.40
catena Christiana 137.15
catena utilissima 595.23
Catonis dictum 170.13
catechumenos iustificatos 254.47
causa παρονατάρχουσα quæ dicatur morbi 479.20
causæ status de operibus 260.50
causam nostram interdum cum Deo arctè esse coniunctam 487.40
causarum natura 274.4
cautè legendi Patres 177.11
cauendum ne nobis contingat quod Iudæis 466.8
Cenchreis 640.12
ceremoniæ 74.16
ceremoniæ excogitatæ à Papatu 76.8
ceremoniæ legis naturæ 64.31
ceremoniæ pars legis 75.33.53
ceremoniæ ut obligabant 76.1
ceremoniæ Iudæorum cur sint abolitæ 211.29
ceremoniæ hodierni temporis ecclesiasticæ 505.24
ceremoniarum significata à Prophetis edocta 113.10
ceremonias cur uoluerit Deus 93.21
ceremonias cur Deus nolit amplius 93.33
ceremonias Paulus aboleuit 93.4
ceremonias in captiuitate non seruatas 93.12
ceremonias Deus quando instituit 95.28
ceremonias nouas qui excogitant, peccant 76.6
ceremonias ueteres ab Euangelio esse resectas 398.43
ceremonias non opus esse ad iustificationem 75.25
certitudo salutis 454.57
certitudo salutis unde oriatur 124.40
certitudo salutis non est securitas carnis 142.10
certitudo fidei duplex 517.43
certitudo quoad obiectum & subiectũ 338.50
certitudo & dubitatio de salute 124.52
certam persuasionem non esse nudam 517.46
certi de alterius salute esse non possumus 616.40
certi de uictoria efficimur 641.50
charisma fidei satis esse ad edenda miracula 555.30
χαρίσματα ἀμεταμέλητα sunt, quæ carent pœnitentia 512.49
charitas ex fide in nobis 128.25
charitas Christi 144.3
charitas erga Deum 419.2
charitas erga peccantes fratres 50.9
charitas fucata 591.55
charitas constans erga proximos obseruanda 513.1
charitas fratris tegit peccata 568.53
charitas quò magis crescit, eò magis eijcit timorem 540.10
charitas erit præstantior si conferatur cum fide 578.6
charitatis ingenium 621.3
charitatem Deum erga nos commendare 145.45
charitatem Dei esse diffusam in nostris cordibus 309.28
charitatem & fidem à Deo proficisci 418.6
charitatem potius iustificare, quàm fidem 559.4
charitatem inter cæteras uirtutes esse præcipuam 578.29
charitatem non perpetuò sequi timorem seruilem 540.5
charitatem consistere in effundendo 559.18
charitatem suam cur Deus nobis ostenderit 145.54
charitatem eijcere metum 500.32
charitate delectatus est Deus 455.38
Cherubim in templo non fauent imaginibus chiliastæ 41.26
chiliastæ magni uiri 620.29
Chiliastarum opinio unde orta 120.4
Chiliastarum sententia 120.18
Christus Dei iustitia 80.11
Christus iustitia nostra 82.50
Christus nostra iustificatio etiam post lapsum 87.35
Christus electorum caput 412.7
Christus quibus argumentis sit filius Dei 6.35
Christus frater noster primogenitus 320.8
Christus unus mediator 75.3.81.4
Christus redemptor & mediator unicus 245.51
Christus unigenitus iuxta diuinam naturam 320.9
Christus redemptor quomodo à Papistis appelletur 86.36
Christus hæres totius orbis 119.30
Christus seruator 21.18
Christus finis legis 122.36.448.13
Christus autor legis 122.38
Christus dominus appellatur 8.46.55
Christus non fuit magistratus 48.22
Christus nouas leges non tulit 81.34
Christus cur uenerit 426.33
Christus cur humanam carnem susceperit 5.48
Christus scopus promissionum 99.2
Christus Apostolus uocatus 3.8
Christus apostolatum suum communicauit 3.10
Christus Adamo superior 158.30
Christus quare sit passus 295.21
Christus uerissimus legis interpres 449.37
Christus legem interpretatus 230.14
Christus quomodo sit nobiscum 279.52
Christus quomodo mortem timuerit 291.40
Christus quomodo peccatum damnauit 272.53
Christus proponitur duplici ratione 86.1
Christus cui nos redemerit 213.43
Christus cur adoretur Chrysostomo 11.31
Christus est unum fundamentũ nec potest aliud poni 499.31
Christus formam serui accepit 2.24
Christus ex Maria uerum corpus habet 5.39
Christus pro quibus orauerit patrem 481.49
Christus cur sit traditus 390.15
Christus quomodo nos liberauerit à malis 45.33
Christus Sol fulgentissimus 303.52
Christus philosophos antecelluit 144.53
Christus peccato potentior 160.8
Christus quomodo fuerit ornatus 464.53
Christus quomodo in nobis habitet 279.22
Christus quæ præcipua pro nobis gesserit 199.34
Christus cur plures seruet quàm Adamus perdat 159.42
Christus cur aduentum suum distulerit 89.50
Christus omnium bonorum dominus 322.9
Christus cur non amplius moritur 207.26
Christus cur dicatur lapis fundamenti, angularis 403.55
Christus nunquã mori coactus 207.39
Christus non sacrificari à sacrificis 108.34
Christus & Apostoli an pingi possint 41.14
Christus & mors eius est primus effectus prædestinationis 421.5
Christus pro quibus orauerit 323.27
Christus in cœlum ascendens 280.2

Christus quæ dona suis attulerit 160.43
Christus quæ emendare uoluit in Phariſæis 48.30
Christus an impeditus fuerit, quin ſuos congregarit 432.55
Christus quomodo pro omnibus dicatur mortuus 431.45
Christi utraq; natura 344.8
Christi primogenitura 320.11
Christi munus 81.38
Christi excellentia, qua Adamum ſuperat 159.16
Christi regnum omnia occupaturum 119.43
Christi regnũ à Prophetis expreſſum 119.33
Christi poteſtas ad ſeruandũ unde nobis iudicanda 159.48
Christi regni nos eſſe hæredes 119.44 293.6
Christi ſacerdotio peccata nobis remitti 324.14
Christi dignitatem propriæ ſaluti præferre non eſſe abſurdum 338.6
Christi mors ſemper efficax 112.46
Christi mortem oportuiſſe fieri 409.5
Christi miniſterium qualénam fuerit 628.4
Christi efficacia unde appareat 160.1
Christi merita omnia nobis communicata 500.23
Christi beneficium facere irritum 451.21
Christi membra non mori 207.25
Christi & Adami ſimilitudo, uel analogia 158.14.22
Christi exemplum 446.4
Christi ſanguine nos eſſe redemptos 319.8
Christi participatio 280.10
Christi ſenſus & affectus in quibus germinent 200.50
Christi religionis difficultas 118.26
Christi prædicatores accuſati 197.56
Christi cauſa pati 296.5
Chriſto in amore nemo comparandus 144.37
Chriſto omnes creaturas ſeruire 301.28
Chriſto nobis uiuendum 208.15
Chriſto cur ſeruiendum 198.12
Chriſto per opera bona fieri conformes 319.22
Christum pontificem noſtrum 324.9
Christum miniſtrum noſtræ ſalutis 323.31
Christum eſſe lapidem 403.54
Christum eſſe Deum zebaoth 403.6
Christum eſſe Deum 344.40
Christum eſſe fundamentum 403.21
Christum poſitum eſſe in ruinam 403.45.
Christum omnia inſtauraſſe 307.55
Christum non dici Deum cum ulla imminutione 475.30
Christum declarari Dei filium 6.4
Christum datum eſſe mediatorem noſtrum 565.14
Christum caput fuiſſe, quòd capitis dolori fregit 566.47
Christum eſſe finem legis 565.36
Christum ſine ſpiritu eius nos non poſſe bibere 285.42
Christum ſequi 285.50
Christum profiteri quantum referat 198.31
Christum non eſſe redemptorem quis dicat 251.45
Christum eſſe præcipuum obiectũ noſtræ fidei 565.37
Christum finem eſſe omnis legis iuſtæ 448.49
Christum nunc in Eccleſia regnare 120.3
Christum peccato mederi. 241.29
Christum non eſſe uerum Meßiam 346.2
Christum gratis nobis eſſe donatum 322.14
Christum factum eſſe nobis ſapiẽtiam 415.45
Christum non fuiſſe miniſtrum Iudæorum ob dignitatem eorum 627.52
Christum iuſtificare multos 553.32
Christum etiam nolentes ſeruare 170.28
Christum oportuiſſe tradi Iudæis 435.34
Christum qui legislatorem exiſtiment 81.20
Christum non uſum eſſe obſecrationibus 580.50
Christum non uenturum ad redimendum genus humanum 510.57
Christum uocaſſe Apoſtolos fratres 289.20
Christum mundi poteſtatibus fuiſſe ſubiectum 603.36
Christum patres tentaſſe 279.21
Christum noſtra cauſa non eſſe auulſum à Deo 337.25
Christum non egiſſe de manducatione ſacramenti 575.18
Christum non ueniſſe mittere pacem 457.22
Christum diſcipulos conflaſſe ex abiectis hominibus 420.23
Christum negant, qui opera requirũt ad ſalutem 75.26
Christum eſſe, quem Eſaias uidit habitu iudicis 482.10
Christum uidiſſe Satanam de cœlo cadentem ſicut fulgur 642.9
Christum Papæ ac Epiſcopis non dediſſe gladium 604.22
Christum loquutum de ſyncera fide 556.57
Christum non habuiſſe uerum corpus 344.50
Christum non ueniſſe nudum 464.51
Christum negare, eſſe de ſalute deſperare 450.26
Chriſtianus an debeat dici ſeruus 2.11
Chriſtianus unus alterum non debet iudicare 615.38
Chriſtianus non eſt, qui ſortem ſui capitis recuſat ſubire 582.43
Chriſtianus quæ ſectetur 277.49
Chriſtiani hominis munus 9.40
Chriſtiani & militis comparatio 277.53
Chriſtianum non eſſe in carne 277.39 281.21
Chriſtiani qui de Euangelio gloriantur 61.52
Chriſtiani cur ſpiritum filiorum habere dicantur 2.26
Chriſtiani quamdiu liberi ſint 2.25
Chriſtiani de affectibus non errant 39.16
Chriſtiani ab Epicureis quid differant 143.1
Chriſtiani quomodo ſerui dicantur 2.17
Chriſtiani in ſpeciem infirmi 119.55
Chriſtiani conuentus utiles 15.44
Chriſtianorum ſunt omnia 220.7
Chriſtianorum onera leuia 315.6
Chriſtianorum uita ſancta 80.22
Chriſtianorum proprietas 277.56
Chriſtianorum theatrum 602.56
Chriſtianorum fortitudinẽ facere Dei charitatem 546.22
Chriſtianis cur ſperandum 143.9
Chriſtianis quid agendum de peccatis manifeſtis 69.22
Chriſtianos mortuos eſſe peccato 198.36
Chriſtianos omnes eſſe ſacerdotes 583.54
Chriſtianos eſſe ſpirituales 278.40
Chriſtianos ſucceſſiſſe in adoptionem Dei 465.22
Chriſtiana uita 274.54
Chriſtianam fidem non poſſumus ſolam à bonis operibus conſtituere 554.35
Chryſoſtomus ad legendas ſcripturas hortatur 74.33
Chryſoſtomus quomodo intelligat fidem donum Dei 205
Chryſoſtomus de iuſtitia fidei, & iuſtitia le-

tia legis 449.5
Chrysostomus de abusu diuinæ gratiæ 502.46
Chrysostomus inconstans 255.47
Chrysostomus cauendus 134.17
Chrysostomus deponitur 4.37
Chrysostomus interpretandus 54 2
Chrysostomus uult Paulum uerbis tantùm fauere Iudæis 491.55
Chrysostomus dicit potestates publicas adiuuare ministros Ecclesiæ 609.22
Chrysostomus de significatione uerborum 277.19
Chrysostomi dictum de gratia 195.1
Chrysostomi error 133.21
Chrysostomus quomodo intelligendus de hominis conditione 58.54
Chrysostomi explicatio benedictionis 637.55
Chrysostomi similibus simile opponitur 36.4
Chrysostomi persuasio 597.42
Chrysostomi sententia de fide & operibus 53.57
Chrysost. sententia excutitur 351.19
Chrysostomi argumentum in Manichæos 245.19
Chrysostomi opinio 316.11
Chrysostomi interpretatio de iustitia 22.47
Chrysostomi admonitio 283.30
Chrysostomi dura interpretatio 162.55
Chrysostomi confutatio 356.31
Chrysostomi lapsus 286.14
Chrysostomi simile de legendis scripturis 130.27
Chrysostomi simile de ceremonijs abrogandis 95.4
Chrysostomi simile de sacramentis 106.13
Chrysostomi simile de bonitate Dei 215.53
Chrysostomi simile in contemptores ueritatis 31.24
Chrysostomi simile de pœnis peccati 40.11
Chrysostomi simile de ueterum sacramentis 111.1
Chrysostomi simile de gratia. 159.3
Chrysost. simile de cognitione idolatrarum 45.35
Chrysostomi simile in prauos doctores 61.5
Chrysostomi simile de morte 154.10
Chrysostomi simile de tyrannide peccati 215.45
Chrysostomi simile de lucerna 461.9
Chrysostomi simile de peccato 154.46
Chrysostomi simile in philosophos 28.21
Chrysostomi similia de permissione Dei 35.28
Chrysostomi similia infirma 36.3
Chrysostomum non constanter loquutum 103.4
cibus naturalis 282.54
cibus quomodo impurus efficiatur 620.23
cibus, quo uescimur, in omnia membra distribuitur 579.1
cibus propter hominem, non homo propter cibum 622.56
cibus non est opus diaboli 622.55
cibi causa non euertendum opus Dei 622.40
cibi aliqui cur à Deo prohibiti fuerint 620.15
ciborum usus 620.36
Cicero cur præscientiam negauerit 438.20
Cicero de constanti ordine cœlestis motus 462.4
Ciceronis error 437.51
Ciceronem à Deo abstuliſſe prescientiam 438.19
circuncisio 114.47
circuncisio quid 63.32
circuncisio duplex 64.10
circuncisio triplex 66.20
circuncisio data ante legem 117.8
circuncisio proderat 63.49
circuncisio loco Baptismi 63.40
circuncisio cum Baptismo conferenda 204.32
circuncisio cur in membro genitali 116.17
circuncisio signaculum iustitiæ 104.48
circuncisio data paruulis 204.18
circuncisio in primitiua Ecclesia 116.52
circuncisio non otiosa 104.18
circuncisio duo significare 104.26
circuncisio uera 65.23.66.8
circuncisio spiritualis 66.9.115.20
circuncisio sacramentum regenerationis 286.9
circũcisio & Baptismus an habeat remissionem futurorum peccatorum 114.52
circuncisio carnis parum esse 62.45
circuncisio carnis simulachrum 65.42
circuncisio an remissionẽ peccatorum habeat 114.49
circuncisio grauiter à Deo instituta 62.51
circuncisionis argumentum pro Iudæis 62.53
circuncisionis & Baptismi discrimen 63.43
circuncisionis laus 62.47
circũcisionis tres significationes 105.7
circuncisionis mos ineptus 118.1
circuncisionis gladius an lapideus 117.49
circuncisionis & præputij tropus 64.25
circuncisionem sustuliſſe peccatum originis 111.59
circuncisionem dici fœdus 105.14
circuncisionem ad obseruandã legem non astringere 117.8
circuncisione quid notabatur 63.40
circuncisione cur Deus uoluerit pueros affligi 118.40
circuncisus quid debeat 63.37
cisternas fodere quid 31.18
circuncisorum promissiones 115.33
ciuitas quando bene habeat 599.19
ciuitates duas perpetuò extitisse 432.45
ciuili potestate resistere bifariam 605.16
claues quæ sint Ecclesiæ traditæ 540.47
claues Ecclesiæ 282.11 509.6
clauium in Ecclesia munus quódnam proprium 509.4
clauium multiplex significatio 509.19
claubus Ecclesiæ peccata condonari 50 .6
clypeo ἐπταβοείῳ nos oportet esse armatos 528.45
cœlum est sedes Dei, & scabellum terra 563.31
cœlum nouum nos habituros 305.24
cœlo aliquid emitti 20.48
cœnæ dominicæ cultus 32.19
cœnæ dominicæ abusus 32.25
cogitatio de peccatis quid efficiat 235.44
cognitio peccati sine fine, peccatum 257.35
cognitionis Dei contemptæ pœna 31.8
cognitionem peccati esse per legem 380.40
cognoscere & agnoscere 45.28
cognoscere Ambrosio 45.31
collatio inter seruos & liberos 564.36
collatione fieri cum uera fide 557.43
Colonienſis concilij error 87.42
commentariorum Hieronymi Pelagiana sententia 233.39
commendatio sacrarum literarum 538.41
commendatio ministrorum Dei 461.22
commendatio infirmorum in primitiua Ecclesia 617.56
commessationes quid 613.34
communio cum Christo 205.7
communicationem esse in eleemosynis 596.23
communicatio idiomatum 345.10

comparatio operum sine fide 570.53
comparatio reliquiarum populi Iudaici 397.49
comparatio lapidis 403.36
compunctionis spiritus mira uersutáq; prauitas 508.3
compunctionis spiritus 475.48
conciliatio uerborum Apostoli ex Augustino 80.38
conciliatio Pauli & Iacobi de operibus 92.44.100.25. 137.7
conciliatio legis ex Augustino 79.24
conciliatio locorum pugnantiũ 25.35
conciliatio locorum Hieremiæ et Ezechielis 537.16
conciliatio locorum de operibus & fide 76.19
concilium Aphricanum 545.25
concilium Mileuitanum 545.39
concilium Eliberinum imagines prohibuit 42.39
concilium Maguntinum 574.24
concilium Arausicanum 545.46
concilium Tridentinum 546.48
concilia quæ sint audienda 545.19
concio apud Iudæos incredulos 380.15
concionatores quid debeant obseruare 333.21
concionatorum documentum 216.13
concionatoribus quid obseruandum 225.21
concionantis officia duo præcipua 593.55
concupiscentia quid significetur 168 49.48
concupiscentia peccatum 266.23
concupiscentia post Baptismum peccatum 171.4
concupiscentia in filios quomodo traducatur 169 4
concupiscentia naturalis non semper bona 175.28
concupiscentia an uoluntaria 169.8
concupiscentia nostra à natiuitate 225.25
concupiscentiæ hostes sunt non sequẽdi 246.18
concupiscentiam morti nos subdere 245.11
concupiscentiã nobis cõcionari 232.27
concupiscentiam in hac uita non consumi 229.44
concupitum 262.53.263.5
condemnationem multum distare ab electione 386.38
condignum 251.9
condignas passiones non esse iam ad futuram gloriam 533.48
conditio impiorum miseranda 277.14
conditio nostra ante Christi fidem 214.39
conditiones uictimæ offerendæ 582.50
conditiones legis non frustra esse adiectas 295.2
condonatio quid sit 496.10
confessionis distinctio 538.24
confessionem sequi ueram fidem 452.18
confessionem cur Deo adiũgat 452.43
confirmatio salutis certitudinis 455.39
confirmatio probatur non ut sacramentum 107.37
confiteri quid 629.8
confutatio eorum, qui defendunt proprietates prauas 445.20
confundere 137.26
confundi quid sit 40.23
congruum 251.8
coniunctio nostra cum Christo 270.36
coniunctio maris & fœminæ an bona 44.28
coniunctio patris & filij 465.51
coniunctio duarum linguarum 289.8
coniunctionem carnis & cognationis à Deo nobis dari 339.12
connexionem necessariã interdum esse 435.3
connexionem inter prædicationem æternam & fidem audientiũ, non necessariam 458.24
conscientia testis cognitionis à natura 59.13
conscientiæ uis 27.28
conscientiæ nostræ esse resistendum 518.38
conscientiam seditiosorum urget duplex cura 609.57
consecrantium error 212.17
consensus de quibus rebus in Ecclesia sit necessarius 627.13
consensus quis optetur 627.5
consentire peccantibus quid 46.42
conseruatio nostra 399.30
consilium Dei arcanum 350.20
consilium Dei quòd Ethnicos deseruerit 26.31
consilij Dei de salute nostra probabilis ratio 86 14
consilia ex præceptis facere 74 24
consiliorum autor Deus 248.14
consolatio piorum 484.27
consolatio per fidem 16.24
consolatio quæ capiatur ex Prophetarum diris 488 18
consolationes piorum 136.13
consolationes ex prædestinatione 406.52
Cõstantinus Magnus quomodo ad religionem accesserit 23.41
Constantini Magni historia 23.35
contentio duplex 54.12
contentiones odiosas obesse iustificationi 614.34
contendendum non esse cum fictore suo 385.39
contemptio fratrum unde sit 600.5
contemptores uerbi diuini quomodo castigandi 471.3
contra Libertinos 453.6
contra opera præparationis 467.28
contra Manichæos & Marcionitas 501.41
contra cœlibatum superstitiosum 588.19
contraria ex ijsdem uerbis colligi 198.6
contrariorum natura 228.12
conuersio nostra uoluntaria 7.18
conuersionem nostram esse instar uictimæ 632.26
cor purum esse oportere priusquã charitas accedat 578.28
cor bonum non inuenit Deus in hominibus 422.22
cor durum & rebelle unde 51.12
corde creditur ad iustitiam 557.1
corda nostra saxea 249.9
corda nostra non esse in nostra potestate 440.45
Cornelius Centurio 145.26.574.8
Cornelius beatus et iustificatus 252.49
Cornelius iustificatus ante Baptismum 203.22
Cornelius credebat 252.34
Cornelius habuit fidem patrum 253.24
Cornelij oratio 253.11
Cornelij iustificatio 252.50
Cornelij exemplum 252.29
corpus mortis quid 245.20
corpus quale habuerit Christus 281.27
corpus hîc non est nomen naturæ, sed uitij 582.9
corpus à morte liberum 281.28
corpus quot modis accipiatur 281.33
corpus cœleste habere immortalitatem 307.27
corpus Christi nõ tam latè fundi, ut pateat natura diuina 323.17
corpus mortuum esse 280.28.281.5
corpus & carnem nostram esse refectam 303.39
corpus peccati 205.40.206.1
corpus quando sit mortuum 280.46
corpus peccati 582.15
corpus Christi ubique diffundere, audacia 33.29
corpus homini non esse datum 300.34
corpori mori quid sit 281.7
corpora anctorum post iudicium 305.39
corpora sunt cœtus & conuentus hominum 589.7
corpora cœlestia distingui ab elementis 498.57
corporalis exercitatio parum habet utilitatis 622 39
corruptionis naturæ nomina 205.35
corruptionem naturæ non esse effectũ peccati 160.20
κοσμοκράτως, quomodo diabolus dicatur

catur 475.26
κοσμοκράτωρες quare dicantur spiritus mali 506.11
crapula & ebrietas uitanda 623.16
creaturam non carere initio 407.52
creaturam omnem suam expetere salutem 302.6
creaturam omnem subiectam esse uanitati 298.16
creaturæ Dei sunt symbola 29.12
creaturæ magistræ ueritatis 9.20
creaturæ quatuor rationibus angi dicuntur 300.13
creaturæ nil nocent nobis per Christũ 620.48
creaturarum connexio 303.6
creaturas omnes esse exercitus Dei 399.39
creaturas expectare reuelationem 300.23
creaturas non mansuras in extremo iudicio 305.15
creaturas esse hominis familiam 301.45
creaturis nullam fieri iniuriam 301.36
creata non constare ex natura Dei 516.41
creari quæ dicantur 153.6
credenti omnia sunt possibilia 570.16
credentes promissiones affixas assequi 121.37
credentes baptizati cum tota familia 204.25
credentibus solùm gratiæ priuilegium conceditur 431.40
credenda reuelatione diuina conspicua fiunt 128.23
credere 98 26 33.102.45
credere neminem posse nisi uelit 367.35
credere contra spem 125.37
credere nostrũ esse bene operari à deo uenire 349.51
crepusculum quid 613.10
κρίνειν duo significat 619.48
crudelitatis proprietates & accidentia 423.7
crucis uox 201.9
crucifixio nostra 206.40
crucem ad correctionem nobis possumus optare 488.2
cultus Dei uerus in quibus rebus situs sit 622.22
cultus Dei quatuor capita 31.31
cultus Dei quatuor amplectitur 12.22
cultus Dei diaboli opera obscuratus 12.30
cultus carnalis 13.18
cultus brutorum 33.41
cultum à philosophis excogitatum, à Papistis egregiè imitatum 32.8
cultum omnis pietatis intelligi per inuocationẽ nominis Domini 454.30
cupiditas 281.46
cupiditas nostra præceptis diuinis irritari 189.10
cupiditas in regeneratis peccatum 209.35
cupiditas duplex 230.58
cupiditas quæ sequatur argumenta 246.52
cupiditas peccatum 263.24
cupiditatis nostræ ingenium 189.10
cupiditatis distinctio 275.43
cupiditatum duo genera 393
cupiditatum emendandarum duæ regulæ 39.18
cuius prophetiæ mentio fiat 589.31
curare quænam debeamus 339.15
curandum esse ne peccatum regnet in nostro corpore 529.41
Cyprianus de coniunctione fidei 570.44
Cyprianus de hæreticis baptizandis 169.42
Cyprianus ad Quirinum 579.18
Cyrilli doctrina 459.20
Dauid peccando quid spectarit 68.10.
Dauid cur doluit 68.2
Dauidis patientiæ exemplum 135.25
Dauidis clementia 598.29
Dauidis locus, omnis homo mendax 67.40 (42.50
Damascenus pro imaginibus pugnat
damnatio ab operibus proficiscitur 421.16
damnationis causas in nobis habemus 512.39
damnationis nostræ causa nõ ex Deo, sed ex nobis quærenda 422.29
debitum et imputatio pugnant 100.40
debitum duplex 89.40
debitores nos esse 530.8
decalogus 188.51
decalogi præcepta quomodo examinanda 61.17
decalogo omnia comprehendi, ut categorijs 231.16
decalogo cur teneamur et reliquæ legi 211.37
declaratio loci ad Ephesios 520.8
declaratio loci Malachiæ 352.16
declaratio uerborum Mosis 450.45
declinare 73.14
decretum Dei iustum & sanctum 35.42
decreta patris reuelare 367.6
dedit potestatem filios Dei fieri quomodo intelligendum 539.9
defectus quomodo possit suppleri 587.47
definitio fidei apud Hebr. 518.29
definitio magistratus 603.18
definitionis spei declaratio 140.15
delectus Dei nobis ignotus 56.37
deliberatio de quibus sit 246.56
Demades in Philippum 581.27
dæmonia quendam ejecisse, qui Christum non sequebatur 556.36
dementiam esse captare Deum syllogismis 380.32
demonstratiuum genus pro deliberatiuo 638.2
desolationem Israelitarum esse absolutam 481.56
desperatio unde nobis contingere possit 139.39
desperatio quantum malum conscientiæ 425.20
desperationi homines subijci ut diabolus 425.24
desperare qui facilè possunt 124.34
destinare 409.44
destinati rerum exitus soli Deo cogniti 515.37
de certitudine salutis unde confirmemur 512.32
de certitudine salutis an dubium suboriatur 124.45
de prædestinatione an aliquid pronuntiandum 394.56
de nobis debemus credere, non de alijs 566.20
de perseuerantia fidei non dubitandũ 124.23
de Deo nihil curiosè inquirendum 515.21
de iudicijs Dei quatenus inquirẽndum 515.39
de nemine esse desperandum 454.50
de Esau quid statuendum 352.30
de aduerbio gratis 574.52
de quo peccato Paulus agat 240.37
de imprecationibus & diris 486.22
de pauperibus & peregrinis 595.54
Deus imaginibus non exprimendus 40.36
Deus ἀφθαρτος 33.12
Deus quomodo sapiens 643.9
Deus necessariò bonus 250.1
Deus maximè intelligi ex morte Christi 148.12
Deus quos amet 357.39
Deus ab æterno proposuit misereri quos amauit 425.57
Deus erga quos dues appelletur 454.1
Deus est omnium, sed non omnes prædestinat 453.46
Deus uelle quosdam excæcari 380.19
Deus quos uocet, & prædestinet, iuxta Ambros. 316.37
Deus quos sibi adoptet 288.2

Deus quorum peculiariter dicatur 433.31
Deus iniustitiæ non accusandus propter legem 249.47
Deus quibus benefaciet 306.50
Deus quomodo in nobis agat 210.6
Deus bifariam iustificare dicitur 517.10
Deus ab hominibus non iudicandus 71.16
Deus neminem non uult saluum 476.47
Deus quomodo uelit omnes homines saluos 431.55
Deus quomodo sit omnium hominum seruator 433.33
Deus in promissis fidelis 143.1
Deus testatur se amare Iudæos 442.2
Deus quomodo prouocarit Iudæos ad inuidiam 465.11
Deus cor sanctorum præparat 537.7
Deus quia potissimum spectet 277.4 297.33.
Deus nihil mali creauit 620.12
Deus tardus ad iram 88.49
Deus commilito noster 327.54
Deus quomodo sit uiuentium & mortuorum 618.50
Deus quomodo per filium omnia crearit 516.42
Deus homines ad suam imaginem condidit 431.32
Deus præparat corda spiritu sancto 537.11
Deus Euangelio suos confirmat 643.17
Deus instar uindemiatoris 398.5
Deus non excæcat nouam malitiam infundendo 476.18
Deus qualia opera requirat, iuxta Pighium 564.54
Deus quomodo decipiat 378.4
Deus non destinat quæ non sunt habitura successum 426.32
Deus permittit uolens, non nolens 436.42.37.48
Deus odit peccata, non homines 27.1
Deus quibus utatur 390.7
Deus utitur malis 390.10
Deus reddit unicuiq; secundum opera sua 537.48
Deus nos ad iniusta perpetranda rudes esse uult 641.46
Deus quomodo homines spectet 72.51
Deus quomodo reiecerit diabolum 576.33
Deus monuit Israelitas de idololatria 395.20
Deus omnia nouit & modo mirabili 515.33
Deus quo zelo fuerit usus 405.8
Deus quos miserijs affligat 282.2
Deus ex operibus in extremo iudicio iustificabit 77.23
Deus in scripturis quum describatur, cur pingi non possit 40.49
Deus quæ nobis largitur, non sunt electionis causæ 349.11
Deus orandus, ut suæ subueniat Ecclesiæ 433.3 (125.33
Deus cur uocare creaturas dicatur
Deus cur uelit nos desiderata petere 14.15
Deus cur non omnibus suam gratiam concedat 459.38
Deus spei cur dicatur 630.16
Deus cur arcanum suum aliquot patribus reuelauerit 643.23
Deus an homines tentet 38.36
Deus cur toleret uasa iræ 389.48
Deus cur uoluerit habere uasa iræ 382.17
Deus cur interdum dona dare nolit 590.11
Deus cur non iuuat damnatos 453.43
Deus cur iusserit nos sperare 312.3
Deus cur delegerit Pharaonem 374.47
Deus quare filium in mundum miserit 288.4
Deus cur iusserit furari 312.2
Deus cur scrutari dicatur 314.39
Deus cur tentet Hebræos 313.39
Deus cur creauerit homines malos 390.57
Deus cur dicatur ignis 387.2
Deus cur quorundam dicatur 92.8
Deus cur faciat contra leges suas 352.49
Deus cur dederit mandata 311.56
Deus cur mittat pœnas 327.12
Deus cur easdem promissiones repetat 558.22
Deus cur appelletur Deus Sabaoth 399.32
Dei opera alia, quia & tempore fieri, quàm homines putent 17.8
Dei ordinatio amoris, electionis, & prædestinationis 411.10
Dei natura in sacris literis cognoscitur melius 142.38
Dei filij triplici ratione ostendimur 284.32
Dei uoluntas arcana non est spectanda 477.40
Dei liberalitatem & misericordiam esse legibus solutam 348.35
Dei regni possessio 293.45
Dei imperio quod fit, à Deo fieri dicitur 480.36
Dei legislatoris mens 78.10
Dei filij pacifici 289.14
Dei benignitas in puniendo 184.38
Dei cum figulo comparatio 409.20
Dei ira lentè punit scelera 470.33
Dei iniquitas 357.7
Dei charitas erga nos 288.8
Dei bonitas & prudentia 303.5
Dei bonitas in erigendo lapsum 180.12
Dei benignitas 49.27
Dei recordatio 286.35
Dei studio non est aduersandum scripturis 475.43
Dei gloria in discrimen adducta 62.33
Dei opus 375.41
Dei induratio 374.5
Dei maximè proprium esse indurare 379.23
Dei consiliarius nemo est 516.25
Dei potestas excitandi corpora 386.36
Dei charitas perfecta 540.1
Dei contumeliæ quomodo in Christum cadant 625.31
Dei arbitrio euenta gubernari 248.7
Dei promissiones sola misericordia niti 628.38
Deo tribuitur, quod astris 409.8
Deo tribuendâ esse electionem 377.5
Deo non inesse uarietatem 411.51
Deo quid adferamus 69.53
Deo debemus omnia 52.29
Deo qui fuerint chari 316.29
Deo qui placeant 277.8
Deo non possumus reddere gloriam, nisi per Christum 643.6
Deo paret, qui potestati paret 605.41
Deo non fidentes esse tristes 630.24
Deo esse confidendum 406.9
Deo modus pœnarum non præscribi 50.32
Deo quid gratissimum 237.55
Deo totum acceptum ferre nos oportere 582.25
Deo adherere nõ esse difficile 597.53
Deo qui subiecti sint 74.41
Deo totus mundus obnoxius 74.58
Deo inferre bellum, qui contra nos pugnant 321.23
Deo nolle subijci impium esse 445.39
Deo inuito nihil posse fieri 361.46
Deo non duce nihil efficere possumus 409.37
Deum qui diligant 315.17
Deum qui diligit, ab omnibus peccatis abhorret 444.10
Deum non incipere amare illos, quòd ipsi illum diligant 364.4
Deum etiã ad Gentes pertinere 91.18
Deum præterijsse homines acutiingenij 420.18
Deum gubernari utranq; animi facultatem 452.5
Deum non despicere aliquem sine iustitia 386.10
Deum non agere nobiscum iure, sed ex

misericordia 365. 17
Deum non esse causam peccatorũ proprie loquendo 413.11
Deum sua dona non temere distribuisse 349. 10
Deum omnia operari iuxta suam uoluntatem 420.7
Deum per prædestinationem patefacturam diuitias gloriæ suæ 420.34
Deum nõ esse rediendum in ordinem 365.20
Deum non omnes, quos præscit, eligere 419.26
Deum nos eligere, nos non Deum 419.22
Deum prouidere suis non tantùm cõmoda in hac uita, sed etiam in æterna 354.36
Deum hominibus gratiam subducere 416.15
Deum misisse filium in similitudinem carnis 448.03
Deum inclinare hominum corda ad iusta & ad mala 413.22
Deum non emolliuisse cor Pharaonis 393.21
Deum erga nos perfectißimo zelo afici 443.31
Deum non zelo concepisse dilectionem erga Iudæos 444.49
Deum non solùm infligere pœnas corporibus impiorum, sed etiam animis 373.7
Deum esse Vrsæ similem 386.57
Deum nihil boni in nobis inuenire 419.12
Deum non facere illis iniuriam, quos non miseretur 413.42
Deum nostram conditionem meliorem fecisse Ethnicis 297.36
Deum spectare dignitatem 398.34
Deum ex lapidibus posse excitare filios 398.18
Deum nos uelle liberare 419.17
Deum omnia sui causa fecisse 409.59
Deum nulli obstrictum 56.17
Deum persequi iniquitatem patrũ in filios 183.55
Deum non attendere operum magnitudinem 297.33
Deum prouocasse Iudæos ad iram 464.39
Deum inuidiæ fuisse autorem, qua fuit pœna 465.9
Deum paruam rationem personarum habere 56.42
Deum agere absque ministro externo 455.32
Deum non imputare nobis aliena peccata 170.27
Deum non donare suis momentanea 449.35
eum quid maximè posset mouere ad prædestinandum 417.42
Deum accedere possumus sine aduocatis 32.49
Deum excæcare Iudæos 481.2
Deum non posse impedire 361.16
Deum suos nunquam deserere cultores 470.25
Deũ in quibusdã non adhibere media, quibus possint moueri ad salutem 417.34
Deum ponere discrimina inter nascentes 350.14
Deum non teneri ullo iure 379.29
Deum optionem nobis proposuisse 438.40
Deum dedisse miracula malè usuris 363 42
Deum ulciscì in nobis peccatum 182.4
Deum in Iacobo nihil aliud dilexisse, quàm gratuitam misericordiam 362. 51
Deum non infudisse malitiam Esau 361.5
Deũ præparasse opera bona per præscientiam 319.13
Deum prædestinattone præparasse opera bona 416.26
Deum prædestinare media 316.41
Deum in prædestinando non sequi opera 417.30
Deum non egere causis secundis 492.5
Deum non retinere iram erga electos 281.57
Deum omnes homines uelle saluos fieri 379.9
Deum posse impedire physica & naturalia 434.51
Deum omnia in nobis credere 349. 50
Deum retecisse Aegyptios 386.31
Deũ ponere causam indurationis esse absurdum 377.32
Deũ dare perfectionẽ laborib. 359.5
Deum habere se erga suos, quemadmodũ pater ad liberos suos 453.20
Deum omittere nonnulla, quæ ad salutem faciunt 393. 18
Deum constituisse Iudam oleam frondosam 497.41
Deum relinquere, quid sit 31.17
Deum non esse causam peccati, simpliciter uerum 37.54
Deum misisse Apostolos 456.2
Deum nihil fecisse, quod Prophetis nõ prius reuelauerit 437.57
Deum iustificari 67.52
Deum liberaturum populum propter nomen suum 420.32
Deum stare ante ostium 433.46
Deum omnibus satis auxilij elargiri 433.23
Deum misereri omnium 434.5
Deum excitare animos ministrorum Ecclesiæ 381.10
Deum ostendisse Abrahamo incendiũ Sodomæ 438.2
Deum nihil sinere otiosum in mundo 373.26
Deum plus iuris habere in homines, quàm figulus in lutum 583.21
Deum conqueri de hominibus 379.45
Deum semper uincere 68.18
Deum eligere stulta mundi 362.37
Deum facere impium in diem malum 374.10
Deum bonitate & lenitate homines non indurare 378.12
Deum plura ualere facere, quàm uelit 504.21
Deum incitare diabolum ad mentiendum 378.7
Deum non instillare in homines nouam malitiam 373.18
Deum nõ induraſſe Pharaonẽ, sed Pharaonem se ipsum 373.12
Deum donis ornasse Pharaonẽ 394.5
Deum misertum fuisse Pharaonis 394. 3
Deum impios non statim euertere 389.42
Deum uelle ordinem in rebus externis 536.38
Deum non omnes eodem modo præparare 459.53
Deum omnibus æqualem patrem se præbere 375.21
Deum non extinguere Iudæos, sed uocare quosdam ex illis 504.33
Deũ ostendisse diluuij perniciẽ 438.1
Deum actionis, à mala uoluntate profectæ autor 37.45
Deum posse peccatis uti pro instrumentis 492.10
Deum causam peccati impropriè dici 38.9
Deum causam peccati absolutè dicere scandalosum 38.12
Deum nolle peccatum 361.51
Deum quodammodo uelle peccata 69.8
Deum gratiam suam offerre omnibus 574.20
Deum non semper reuelare uoluntatẽ suam arcanam 385.21
Deum magna lenitate ferre uasa iræ 391.34
Deum hominum uoluntates relinquere saluas 439.2
Deum pro suo iure posse misereri 387.12
Deũ diuidere cuiq; mensurã fidei 590.3
Deum renouasse fœdus cum Hebræis 340.48
Deum abuti malorũ malitia 490.1

Deum non secum pugnare 381.9
Deum esse consummatam iustitiam 577.50
Deum non solùm cognosci fide, sed etiam dilectione 577.53
Deum non repellere preces suorum 590.13
Deum semel promisisse Abrahamo benedictionem 561.15
Deum fecisse consumptionem 397.22
Deum in electione sequi opera præuisa 348.46
Deum sæpius nos inuitare 433.44
Deum nõ esse accusandum iniquitatis 362.47
Deum iudicaturum suum opus, & cur 48.5
Deum induraſſe cor Pharaonis nõ esse cogitandum 374.56
Deum omnia nobis per Christum dare 412.5
Deum in primis amare ordinem 319.54
Deum seducere neminem quomodo intelligendum 424.44
Deum nihil adimere cuius miseretur 386.45
Deum à partibus nostris stare 321.16
Deum omnia dare nobis gratis 283.46
Deum facere contra leges suas 352.46
Deum redarguisse Mosen & Aaronem infidelitatis 556.24
Deum ex nolentibus facere uolentes 573.20
Deum de unoquoq; facere quicquid libitum fuerit 475.40
donum Dei nasci è sanctis parentibus 341.33
Deum non nouit, qui peccat 554.13
Deum mutaturum sententiam 437.38
Deum non egere hominũ factis 434.2
Deum tolerare sua uoluntate 376.50
Deum perpetuò regere res creatas 368.28
Deum cum millibus uenturum ad iudicium 569.31
Deum Dauidi reuelasse sua arcana 359.20
Deum non loqui rupibus, sed hominibus 396.35
Deum neminem uidisse unquã 572.13
Deum qui diligant 419.26
Deum plus tribuere operibus, quàm fidei iuxta Pighium 567.3
Deum in sacris dici leonem 386.54
Deum non delectari sumptuosis ædificijs 363.39
Deum proponere merces, quibus inciteмur ad rectè uiuendum 564.24
Deum peccare non posse 250.3
Deum hominũ uoluntate abuti 248.1
Deum non deserere suos ministros 609.2
Deum pro summa sua libertate secretum suum indicasse 643.27
Deum omnia ad finem bonum destinare 409.55
Deum ex effectis nominari 627.2
Deum punire peccata per principes malos 603.6
Deum cito suos ulcisci 595.39
Deum subtrahere gratiam, cùm peccata punit peccatis 362.9
Deum largiri & transferre regna 603.1
Deum in potestatibus terrenis uenerarmur 605.43
Deum tyrannis intermiscere iustos principes 603.13
Deum in proximo habemus uisibilem 608.6
Deorum nomina apud Platonem & Ciceronem 33.32
Deorum obseruatio non secundum ueterem legem statuenda 616.42
diabolus quid curet 127.20
diabolus fallax imaginibus se admiscet 42.11
diabolus quare se in angelũ lucis trãsfigurat 477.1
diaboli rabies 433.36
diaboli studium 315.12
diaboli solertia 62.13
diaboli grassatio 307.3
diabolum tentare accepta à Deo potestate 36.29
diabolum fidem non posse habere 129 48
diabolum non esse præditum uera fide 559.42
diabolum multarum Dei actionum esse conscium 556.46
diabolum bellum instaurare contra seruos Dei 641.55
abolum appellari Deum huius seculi 457.47
diabolum à mundanis pro Deo coli 415.11
diabolum nihil posse sine permissu diuinæ facultatis 506.12
διαλογισμοὶ uitandi 515.1
diaconorum munus 591.8
διαθήκη Græcis quare dicatur 510.50
dialogus utilis inter nos & Deum 14.2
διαλογισμοὶ 32.2
dies dominicus quare cõstitutus 616.43
dies dominicus pertinet ad decalogũ 616.44
dies festi præter dominicum à quibus instituti 616.46
dies iræ 51.32
dierum festorum apud Iudæos catalogus 616.43
dierum discrimina 617.9
differentiam hominum pendere à uoluntate Dei 417.50
difficilius esse gaudere cum gaudentibus, quàm flere cum flentibus 599.25
difficillimum esse acquiescere promissionibus Dei 522.50
dignitas Dei & sacramentorũ 67.48
dignitas Matthæi 256.10
dignitas magna in populum Dei ascisa 396.18
Dij Ethnicorum diuersarum partium 90.56.
Dij tutelares quid sibi uelint 471.19
Διπλώματα 160.36.
273.54
dilectio Dei quid à nobis postulet 147.22
dilectio Dei utrum nascatur ex nostra dilectione 419.39
dilectio nostra ex Dei dilectione deriuari 143.36
dilectio in cordibus effusa 143.31
dilectio Dei multa uberrimè docet 147.40
dilectio casta 144.49
dilectio & odium Dei 351.38
dilectionis diuinæ obses Christus 146.19.
dilectionis, electionis, & prædestinationis ordo 384.12
dilectionis duplex probatio 354.41
dilationem esse inuitationem ad pœnitentiam 378
dilectionem pendere ex operibus 364.1
dilectionem & odium nasci ex fide 360.5
diligere 360.7
diligendos esse eos, qui de sontibus supplicium sumunt 604.34
dilemma 565.2
dimicatio à Paulo in Hebræos acrior 74.56
Διυάμεις apud Paulum 6.37
Diocletiani prudentißimum dictum 605.19
discrimen credentium & non credentium 420.28
discrimen nullum esse in præuisis operibus 416.5
discrimen inter eos, qui primũ ad Christum conuertuntur, & eos qui lapsi restituuntur 531.4
discrimen fidei efficacis & historicæ 563.10
discrimen inter Deum & medicum 534.44
discrimẽ magnum esse eorum, qui sunt à Christo, & eorum qui sunt insiti 565.16
discrimen non esse petendum ex hominum natura 417.38

discri-

Discrimen inter naturales priuationes & morales 446.35
Discriminis ratio 443.4
Dicere quandoq; significare uidere 586.22
Dicta de Iudæis ad nos pertinere 69.1
Disciplina ciuili flagella iræ dei euitantur 535.22
Disciplina Musicorum 584.13
Dispensare Romanæ curiæ 46.44
Disputatio de salute æterna 385.1
Disputatio contra Pighium de peccato originis 166.8
Disputatio de libero arbitrio 246.33
Disputationis de libero arbitrio, propositio 246.38
Disputationes contentiosæ fugiendæ 515.3
Dissidium Ecclesiæ Romanæ 586.39
Dissidium inter gentes in Ecclesia primitiua 501.34
Dissolutio quæstionis. 350.37
Dissolutionis causæ 223.38
Distinctio operum 520.36
Distinctio iustitiæ 331.54
Distinctio malorum quæ imprecantur 487.24
Distinctio cur ponatur 414.35
Distinctio populi Israel 331.50
Distinctio promissionis 566.53
Distinguendum de causa qua nobis male uolunt inimici 487.17
Distributionis & donationis distinctio 365.7
Ditiores interdũ abhorrere ab Eleemosynis 536.12
Diuina uoluntate seruari omnes 507.16
Diuini amoris atque odij uis 355.5
Diuini propositi non possunt esse causæ 414.46
Diui Pauli animus erga Iudæos 507.18
Diuitiæ diuinæ 49.23
Diuitiæ gloriæ Dei 392.36
Diuitias, honores, res incertißimas 584.30
Diuortij ratio unde colligatur 223.29
Diuersa ab Euangelio docere anathema est 617.7
Docere & exhortari distinguuntur 590.47
Doctrina Pauli de predestinatione 422.37
Doctrina noua quæ testimonium in scripturis non habet 82.11
Doctrina uetus & antiqua quæ sit 82.12
Doctrina noua cur cauenda 82.26
Doctrina Apostoli calumnijs exposita 70.34
Doctrina de resurrectione 415.14
Doctrina papatus est noua 82.18
Doctrina de Messia uulgata apud Iudæos 113.3
Doctrinæ ueræ reuelatio nõ omnibus promiscua est 428.31
Doctrinæ forma ubi habenda 60.49
Doctrina Pauli summa 49.3
Doctrinæ Euangelicæ nostræ summa 20.10
Doctrinam per Apostolos esse completam 463.1
Doctrinam sanam esse eximium donũ Dei 464.48
Doctrinam Euangelij non euertere mundi politias. 603.48
Doctrinam prædestinationas Paulum inculcasse 405.29.
Doctrinam non esse inutilem 406.7
Doctrinam nostram & ueterum esse eandem 398.51
Doctrinam preciosam hominibus impudentibus non esse proponendam 462.12
Docti ex commentarijs, parum docti 60.50
Dolor Pauli de gente sua 346.9
Dolorem ex amore nasci 333.32
Dolorem & gaudium comitari spem 308.36
Dolum non inesse 101.52
Dolosi 402
Dogma quale explodendum 426.29
Dogma iustificationis est caput pietatis 521.15
Dogma falsum non est statuendum ut dogma uitiosum euertatur 576.43
Domestica Ecclesia 640.30
Dominus si non reliquisset nobis semẽ essemus sicut Sodoma et Gomorrha 481.40.
Domini duo constituti ab Apostolo 213.47
Dominum Iesum Christum liberasse populum Israel ex Aegypto 572.8
Dominum nouisse qui sint sui 415.21
Donum precandi 312.44
Donum Dei singulare 240.44
Donum Dei præclarum 163.11
Donum precum 312.57
Dona Dei 316.43
Dona communia pijs & impijs 196.34
Dona Dei qui habent debitores fiunt alijs 18.4
Dona Dei in precio habenda 3.70.2
Dona gratuita distribuuntur à Deo pro ut uult 500.5
Dona Dei unde cognoscantur 406.21
Dona Dei sunt sine pœnitentia 516.39
Dona non esse miraculorum 589.19
Dona priora, posteriora nõ promereri 196.4
Dona Dei ad quid potißimum pertineat 586.15
Dona sua Deus nunquam obscurat 473.4
Dona Dei in Christianos 69.2
Dona non pendere à nostra præparatione, sed à uoluntate Dei 590.16
Dona quomodo existimanda 190.4
Dona concessa auferentur à non prædestinatis 512.11
Dona piorum tantùm 196.38
Donorum Dei amplificatio 295.12
Donorum Dei & hominum distinctio 339.42
Donaria superstitiosa magistratui cedunt 61.33
Donatistas in tribus errasse 333.2
δοξάζειν 31.36
δοκιμάζειν 45.18
Draco legislator 46.38
Dubitare de salute 124.17
Dulcia magis, interdicta 232.3
δικαία quibus conueneiat 594.36
δικαιοῦν 583.15.226.47
Duo præcipua munera potestatum 606.38
Duo esse annotanda 571.15
Duo munera proponuntur ab Apostolo 589.35
Duobus modis à creaturis iuuari 304.43
Duplex genus inquirentium Deum 564.2
Duplex timor 501.54
Duplex genus presbyterorum 591.24
Durationis explicatio 375.34

E

Ecclesia quæ 69.48
Ecclesia qualis fuerit priusquã à Deo assumeretur 465.39
Ecclesia nil pulchrius in mundo 493.33
Ecclesia per uerbum uocata 126.26
Ecclesia Christo dispar coniunx 146.9
Ecclesia Christi non esse semper eodẽ loco 10.24
Ecclesia Pelagianis restitit 252.21
Ecclesiæ quibus constet 478.5
Ecclesia premitur sed nunquam excindi potest 470.46

Ecclesia formam non mutat 82.37
Ecclesia cur errare non posit 126.41
Ecclesiæ principia 320.20.332.30
Ecclesiæ primitiuæ status quis fuerit 614.5.
Ecclesiæ autoritas 126.39.47
Ecclesiæ quæ circumcisionem retinēt 117.2
Ecclesiæ quomodo inferamur 203.37
Ecclesiæ indulgentia 174.5
Ecclesiæ consolatio 246.30
Ecclesiæ proprium 333.8
Ecclesiæ ministris non esse præceptum ut gladium habeant & dominatum 604.37
Ecclesiæ per ministeriū coalescunt 15 30
Ecclesiæ per ministerium arctius uinci untur 15.27
Ecclesiæ quid sit timendum 502.19
Ecclesiæ Romanæ alterum dissidium 627.38
Ecclesiam Christi habuisse externos principes 457.56
Ecclesiam esse corpus membrorū Christi 396.9
Ecclesiam non perire 502.22
Ecclesiam nunquam defectura à Deo 331.19
Ecclesiam quasi ciuitatem à Deo extructam 519.28
Ecclesiasticam potestatem de rebus esse spiritualibus 603.50
Ecclesiasticorum de originali peccato quatuor sententiæ 152.7
Effecta multa misericordiæ Dei 581.16
Effecta honoris 593.6
Efficacia similitudinis 588.55
Effusio spiritus 454.18
Elatio animi unde nascatur 505.38
Electio Dei 333.15
Electio ubi oriatur 360.27
Electio gratiæ 356.35
Electio gratiarum quid 472.41
Electio phrasi hebraica quid sit 474.50
Electio si esset ex operibus ex illis quoq; iustificaremur 73.36
Electio est præcipua omnium donorum 472.40
Electionis signum non esse certum 394.55
Electionis diuinæ ratio 360.34
Electionis & reprobationis discrimen 363.49
Electionis diuinæ causa 349.38
Electionis probatio 420.15
Electionem dici dispensationem 387.53
Electionem Dei constare ex gratia 351.54
Electionem Dei esse liberam 416.4
Electionem procreationi non esse alligatam 347.43
Electionem & reiectionem pendere à Dei uoluntate 362.26
Electionem pertinere ad misericordiam non ad iustitiam 365.8
Electionem & reprobationem non pendere ex præuisis operibus 363.48
Electionem esse causam salutis 346.23
Electionem Deus non temperat iuxta nostra opera 420.10
Electionem Dei non ex iustitia distribuente deriuari 364.56
Electionem cui rei tribuamus 356.51
Electione diuina cur alius fiat princeps etc. 354.3
Electiones Dei uarias esse 404.38
Electi utrum amittant charitatem 325.28
Electorum constantia 326.44
Electorum castigatio 281.50
Electos esse uocatos 412.11
Electos omnes credere 409.19
Electos omnes ante mundum 409.26
Electos fuisse uetere 287.38
Electos assumi à Christo 328.28
Eleemosyna dicitur fructus 637.26
Eleemosina bona an mala quando 259.50
Eleemosynæ sunt benedictiones 637.49
Eleemosynæ cur dicantur fructus 637.31
Eleemosynam date & omnia munda sunt nobis 548.22
Eleemosynarum remuneratio 596.29
Eleemosynarum dignitas 636.42
Eleemosynas communionem appellari 636.27
Eleemosynas dici iustitiam 616.48
Eleemosynis redimas peccata exponitur 539.5
ἔλεγχος quid 518.48
Eliæ oraculum 120.12
Emphasin non leuem esse in uerbo conterere 641.53
ἐνδοκιμία quid 444.55
Epicteti præclarum dictum 597.6
Epicteti iudicium de suis liberis 554.1
Epicurus de Deo quid senserit 30.4
Epicuri quid de Euangelio iudicent 19.29
Epicureorum error 27.40
Epiphanij factum circa imagines 42.34
Epilogo quid perstringatur 630.40
Episcopi officium contra repugnantes ueritati 428.54
Episcopi persona qualis esse debeat 422.16
Episcopi muti debitores sunt Euangelij 18.7
Episcoporum successio 343.29
Episcoporum Synodi quales esse debeant 15.1
Epistolam ad Romanos post duas ad Corinthios esse datam 636.5
Erasmus scriptorum iudex solertissimus 275.50
Erasmi sententia 555.34
Erasmi de Pauli sententia error 155.39
Erasmi sententia de diebus festis 616.48
Errores quando parimus 32.17
Error & casus se consequi 158.32
Error nostri temporis de rebus externis 63.22
Error ex uerbis Pauli de iustificatione 92.34.
Error quorundam de Baptismo 63.13
Error Platonicus 582.26
Error circa credenda peccatum est exitiale 445.24
Error Origenis & Ambrosij 616.51
Error Aquinatis 598.49
Erythræum mare afflictiones 135.36
Esaias cur dicatur clamare 397.7
Esaiæ locus in sexto capite 476.24
Esau & Iacobum eodem tempore fuisse natos 353.31
Esau stirps 352.36
Esau utrum sit condemnatus 352.27
Esse in Christo quid 270.11
Esse sub lege quid 223.57
Ethymon σωφροσύνης 587.6
Ethnicis cur lex scripta dicatur in cordibus 58.44
Ethnicis ante Christum in Christū credidisse 58.21
Ethnici ut cæremonias Iudæorum recepe rint 94.48
Ethnici non cognouerunt infirmitatem 30.31
Ethnici non omnes contaminati 48.50
Ethnici sancti 64.35

Ethnici quam ueritatem cognouerint. 27.4
Ethnici modis omnibus inexcusabiles. 30.37
Ethnicorum sententia de impuris effectibus 476.52
Ethnicorum prauitate Deum abusum. 30.47
Ethnicorum sententia de fine legis. 190.22
Ethnicorum blasphemiæ. 62.31
Ethnicorum præclara opera. 58.40
Ethnicorum fortitudinem esse ex mundana cupiditate. 546.19
Ethnicos uerè fuisse stultos. 465.30
Ethnicos etiã usos fuisse diris. 486.33
Ethnicos factos esse Israelitas. 398.15
Ethnicos non destitui uiribus. 433. 12
Ethnicos liberum arbitrium remisse. 30.30
Ethnicis conscientiæ increpationes adfuerunt. 59.12
Exechiæ temporibus. 397.12
Euangelium. 160.26
Euangelium ubi sit prædicatũ. 463.8
Euangelium temporibus Pauli ubique prædicatũ. 397.21.461.46.463.44
Euangelium prædicatum fuisse ante euersionem Hierosolymorum. 463. 41
Euangelium tempore Pauli ualde propagatum. 10.7
Euangeliũ omnibus propositum. 21.53
Euangelium prædicari miseris. 190.6
Euangelium legi præstare. 18.33
Euangelium uis ad salutem. 28.28
Euangelium sua natura seruat. 21.17
Euangelium instituutum non recens. 85.55
Euãgelium non esse doctrinam nouã 53 643.21.
Euangelium non naturale instrumentum salutis. 20.31
Euangelium philosophiæ præstare. 18.32
Euangelium quomodo dicatur salus. 21.9
Euangelium tam facile esse indoctis, quàm doctis. 18.35
Euangelium ut dicatur ad condemnationem. 21.12
Euangeliũ quod instrumentũ. 768.52
Euangelium arbitrarium instrumentũ. 20.38
Euangelium cur, meum, dixit Paulus. 59.17
Euangelium Christi nemo inuitus cogitur accipere. 473.26
Euangelium Apostolorum temporibus ubiq; esse prædicatũ aliqui per synecdochen exponunt. 463.18
Euangelium non simpliciter legem appellari. 223.20
Euangelium annunciare pacem. 457. 14
Euangelij definitio 459.14.20.39.548. 2
Euangelij definitio à materia 5.4
Euangelij definitio ab efficienti 5.8
Euangelij & Papisticæ doctrinæ collatio 20.3
Euangelij reuelandi duo modi 22.54
Euangelij doctrina non noua 5.14
Euangelij & legis antithesys 81.40
Euangelio promissio quando cœperit 5.25
Euangelij summa 131.44
Euangelij prædicatio debet esse libera 456.38
Euangelij hostes 19.29
Euangelij ui quid assequamur 457.28
Euangelio gloriandum si quis uerè recipit 19.13
Euangelio sublato ira Dei relinquitur 26.7
Euangeliũ docẽtium mala uita, scandalo est 62.4
Euangelica pax 457.25
Euangelicæ pietatis summa 141.32
Euangelicæ prædicationis conditio 436.35.
Euangelicam promissionem sine conditionibus stare 294.51
Euangelicorum duplex genus 62.9
Eucharistia aliquot egregij articuli 146.53
Eucharistiæ mutatio seu panis 199.50
Eucharistiæ seruitus & error 65.13
Eucharistiam pro altero accipere 273.39
Eucharistiam non esse panem 65.30
Euentus homines ab incepto deterret 18.51
Euentus rerum nemo mortalium habet in manu sua 637.41
Euentus boni cui referendi 68.15
Examen Dei neminem euasurũ 51.418
Excæcatio & à Deo & à Diabolo proficiscitur 475.28
Excæcationis duplex genus 485.10
Excæcationem esse ex destitutione gratiæ 475.34
Excæcationem Iudæorum esse occasionem salutis gentium 468.37
Excæcatione permanente nemo potest credere 508.1
Excæcantur homines non uitio doctrinæ 479.2
Excelsa altaria quid intelligat scriptura 472.13
Excusatio incredulitatis Iudæorum 443.8
Excusationem peccatorum ex definitione rerum non inferri 408.32
Execrationes sanctorum non proficisci ex liuore 488.21
Ex doctrina sana quid promanet 464. 49
Ex Deo natum non peccare 280.12
Exemplum Rhetorum 442.19
Exemplum Noe 566.23
Exemplum Abrahami 450.18
Exempla Ethnicorum 296.40
Exempla Dauidis 606.29
Exempla qualia esse debeant 600.52
Ex gratia Dei habuisse Paulum ut esset Apostolus 586.8
Ex gentibus & Iudæis an aliqui perdendi 506.56
Ex iustitia quid nascatur 621.57
Ex iustitiæ radice crescere fructus operum 545.5
Exitium æternum sequi ex odio Dei 352.26
Ex manuũ situ qd intelligatur 467.60
Ex misericordia progrediendum esse ad preces 446.1
Ex operibus quidquid datur ex debito tribuitur 473.41
Ex peccatis gloria & salus quomodo 70.22
Ex præ destinatione quæ data sunt non immutantur 512.5
Ex prædestinatione utrum inferatur necessitas 434.39
Expositio uocis græcè ἐξάσαι 625 11
Expurgatio non dicitur causa gratiæ 392.3
Expurgationem esse inditium 415.24
Extrema necessitas an sit expectanda in iuuandis pauperibus 596.8
Externa sacrificia symbola erant uicti mæ interioris 582.1
Ex Syon redemptor uenturus est 508. 22

F

FAuor Dei erga electos non otiosus 193.48
Facultas non peccandi 242.39
Factores legis non auditores iustificari 541.8
Factum Niniuitarum 537.23
Facta Romanorum inter uirtutes non esse censenda 297.28
Facere quod in se est 242.5
Facere alijs quæ nobis fieri uelimus 337.13
Fallacia duplex 578.56
Fallacia accidentis 575.31
Fallacia ex Pauli uerbis 297.50
Falli possumus de alijs credant nec ne 566.20
Fatum 408.39
Faustus Manichæus 66.28

Fauoris Dei argumentum 137.4
felicitas 21.42
felicitas donum Dei 251.1
felicitas unde nobis contingat 52.11
felicitas summa in quo sita 208.25
felicitas ex Euangelio nobis continget 21.47
felicitas nostra 134.38
felicitas quâ posßit dici merces 473.54
felicitatis definitio Aristotelis 251.2
felicitatem esse post ponendam honori Dei 338.35
felicitatem primam esse necessariam 392.18
feneſtra ad uitia qua doctrina aperiatur 256.50
Ficus uerbo Domini arefacta 507.27
Fictionis figura 555.52.
Fides 282.34.460.14
Fides instrumentum iustificationis 76.36.108.38
Fides iustrumentum apprehendendi iustitiam 81.13
Fides iustificationis causa 131.10
Fides si non est causa predestinationis multo minus bona opera 418.17
Fides ut opus non iustificat 558.50
Fides à quibus plurimum absit 10.34
Fides uera 315.30
Fides opus legis 76.32
Fides pro obiecto suo, iustificat 76.35
Fides ubi est, ibi iustificatio 453.18
Fides dicitur iure obedientia 458.30
Fides bonis operibus nunquam uacua 53.47
Fides sine charitate 330.1
Fides cur appellatur lex 458.38
Fides quomodo aletur 461.1
Fides Christi mortem & resurrectionem complectitur 137.2.10
Fides bona fermento similis 16.28
Fides quæ iustificat habet annexam pœnitentiam 508.37
Fides sine spiritu sancto haberi nõ posse 285.21
Fides quid præstet 268.33
Fides rationem non extinguit 128.29
Fides ab opinione distat 84.10
Fides conscientiæ persuasio 261.13
Fides ut opus, alia uincit opera 128.4
Fides dici tam nostra quàm Dei 24.41
Fides sola non est sola 76.29
Fides miraculorum 519.44
Fides legi ut præstet 133.33
Fides Deum glorificat 31.30
Fides quæ pariat iustitiam 450.8
Fides unde trahat differentias 460.14
Fides spiritus donum 614.30
Fides rei futuræ ad salutem facere 80.53
Fides pro obiectis intelligendas 85.28
Fides perpetuò cum dubitatione 127.42
Fides non sacramentis sed spiritu exti tatur 105.22
Fides potentiam Dei extollit 451.13
Fides uera & spes à ficta ut discernatur 141.52
Fides dogmatum & fides miraculorum 554.45.
Fides quomodo augeatur per bona opera 557.37
Fides quædam humana est & à Deo non inflatur 556.44
Fides à nobis non prodit 84.29
Fides primo à Iudæis requisita 22.14
Fides Abrahami ad nos pertinere 130.3
Eides temporaria 519.54
Fides in resurrectionem præcipuè ferri 132.5
Fides duo habet præcipitia 51.19
Fides anima uita præceptorum Dei 401.55
Fides dum uiget in nostro corde non committimus peccata 554.10
Fides explicata non de omnibus requiritur 614.32
Fides frigida 26.29
Fides semper bona 259.55
Fidei Etymologia 502.10
Fidei definitio 83.34
Fidei genus ad salutem sufficiens 255.42
Fidei proprium 83.53.134.7.450.22
Fidei obiectum 99.3.131.50
Fidei obiectum adæquatum 126.6
Fidei initium esse ab inspiratione spiritus sancti 545.51
Eidei dignitas ex obiecto trahitur 565.41
Fidei ingenium 450.9.500.14
Fidei ex naturæ ingenium 125.43
Fidei quid sit peculiare 570.57
Fidei initia non esse à nobis 320.50
Fidei certus assensus 124.14
Fidei significatio duplex 23.18
Fidei & spei distinctio 308.30
Fidei uiuæ & mortuæ distinctio 519 40
Fidei fundamentum est uerbum Dei 460.19
Fidei & charitatis connexio 315.33
Fidei uis quanta sit 451.45
Fidei uis à spiritu sancto 127.15
Fidei efficaci coniungitur pœnitentia 512.56
Fidei & iustificationis affecta 132.43
Fidei obedientia 7.5
Fidei certitudo unde nobis contingat 516.12
Fidei certitudini nihil detrahitur 516.10
Fidei dubitationibus quomodo occurrendum 129.40
Fidei exempla 127.35
Fidei Abrahami exemplum 31.40
Fidei defectus duplex 127.7
Fidei obiecto non fidei firmitate iustificamur 614.26
Fidei infirmitas non obstat iustificationi 674.23
Fidei infirmitas quomodo ab incredulitate differat 614.28
Fidei & philosophiæ collatio 134.11
Fidem esse uehementem fiduciam 554.42
Fidem esse firmum & uehementem assensum 554.29
Fidem solam iustificare 90.18
Fidem iustificationem non mereri 128.1
Fidem iustificare ostenditur ad Hebræos 558.32
Fidem mortuam non iustificare sed adigere in desperationem 520.18
Fidem qua iustificamur non esse rem uagam 573.2
Fidem ueram sine bonis operibus non haberi 559.40
Fidem solam non satis esse ad salutem 571.43
Fidem mortuam, non esse fidem 557.4
Fidem salutem adferre 573.44
Fidem Catholicam iustos ab iniustis separare 572.46
Fidem esse instrumentum quo salutem apprehendamus 400.54
Fidem esse ex Deo 418.3
Fidem à Deo dari 570.35
Fidem non minus esse donum Dei ac bona opera 349.55
Fidem ex auditu esse 460.5
Fidem à uoluntate non pendere 128.18
Fidem in promissionem ferri ut obiectum 225.53
Fidem esse uestibulum ad bona opera 253.30
Fidem præcedere omnia opera bona 574.12
Fidem & spem habere eandem proprietatem 403.27
Fidem esse seruandam 297.10
Fidem numerari inter dona gratuita 554.52
Fidem mortuam nomine esse fidem 519.41

Fidem

Fidem depellere timorem 500.31
Fidem non conseruari sine frequentibus concionibus 461.7
Fidem nostram accessione egere 16.11
Fidem alterius ex confessione cognoscimus 452.30
Fidem & incredulitatem in nobis fieri 400.4.
Fidem absque operibus non consistere 453.13
Fidem suam Deus omnibus potuisset elargiri 459.45
Fidem non esse omnibus communem 453.56
Fidem peruenire ad mentis assensum 452.48
Fidem significare firmitatem 518.17
Fidem oportere depellere cogitationes 450.16
Fidem in Eucharistia ut in Baptismo præcedere necesse est 510.7
Fidem collocari in mente quod ad subiectum attinet 460.17
Fidem non spectare futura sed referri etiam ad præterita 518.56
Fidem sequitur spes et charitas 309.15
Fidem prius esse quam spes aut charitas 557.33
Fidem absque spe & charitate esse nõ posse 573.35
Fidem posse à charitate separari iuxta Pighium 553.44
Fidem etiam purificare corda 578.19
Fidem quomodo intelligamus 518.24
Fidem historicam nõ satis esse ad iustificationem 563.7
Fidē pectoribus nostris ingenerari per spiritum sanctum 562.23
Fidem duo cõmoda nobis affert 25.28
Fidem firmasse voluntatem legis 571.26
Fidem ueram amitti per grauia peccata 570.29
Fidem formare omnia bona opera 670.21
Fidem ipsam per se posse hominem seruare 570.51
Fidem non esse tantùm fundamentum 560.7
Fidem facere res præsentes 595.15
Fidem tantum posse quantum creditimus 570.45
Fidem ab extrema perfectione multum abesse 560.1
Fidem eam qua Christum amplectimur proficisci à spiritu Dei 562.5
Fide nos iustificari 20.46
Fide nos iustificari Chrysost. affirmat 23.29.255.24
Fide non iustificamur quatenus opus 447.31
Fide nos incipere iustificari 578.9
Fide cur dicamur iustificari & ea sola 533.22
Fide nos assequutos esse iustificationem 311.9
Fide crescente crescit etiam iustificatio 510.11
Fide tria bona nobis contingunt 25.39
Fide quis uiuat 24.31
Fide Christum complecti 284.53
Fide infirmi qui dicantur 127.11
Fide quæ percipiuntur diuina 125.50
Fide sola consequimur misericordiam 514.49
Fide infirmi quomodo se gerere debeant erga firmiores 614.18
Fide destitutus condemnabitur 509.11
Fide qui aberrent iuxta Basilium 83.46
Fidelis nullus in ecclesia inutilis 16.5
Fideles Christi posteritas 162.48
Fide aliquid habere quid 123.34
Fidere propter merita 137.46
Fideles quomodo sint in Christo 270.45
Fidelibus multos lapsus imminere 502.37
Fideles sine auxilio Dei nil posse 313.11
Fidelium desideria 17.41
Fidelium ministrorum nota 17.36
Fideles de salute certos esse 124.36
Fiducia 12.24
Fiduciam esse misericordiâ Dei 40.5
Figmentum malum 37.4
Figuli similitudo commoda 388.30
Figuli materiam esse uilem & abiectam 388.31
Figulo nostro de nobis credendum 248.41
Filius Dei quomodo factus 5.34
Filius perditionis 356.38
Filij pars quædam parentum 183.15
Filij missio 288.52
Filium orare patrem quà est homo 323.52
Filium patre minorem esse 323.32
Filij promissionis 347.46
Filij nati ex synagoga 395.28
Filij an parentũ peccata luant 182.54
Filij nihil agentes hæreditatem adeunt 564.37
Filios esse Abrahami qui sunt ex fide 497.55
Filios esse sanctos quomodo 185.18
Filios non omnes esse hæredes 293.4
Filios Dei de omnibus gratias agere 10.14
Finis prædestinationis 317.36
Finis duplex 218.16
Finis Dei quis fuerit in excæcandis iudæis 482.15
Finis petitionis Mosaicæ 338.29
Finis flagellorum diuinorum 282.14
Finis bonorum & malorum 309.43
Finem alium esse remotum alium propinquum 389.20
Fines propinqui 389.24
Fines ethnicorum esse tenues 296.43
Flagella cur à Deo substinẽtur 536.33
Flagellis corripiebantur Iudæi 501.4
Fons bonorum præstantiß. 8.42
Fons donorum Dei 406.12
Formam istam orationis conuenire ministris ecclesiæ 580.23
Fortitudo 310.9
Fortitudinis abundantia 538.13
Fortitudine opus esse in credendo 518.35
Fœdus uetus nouo abrogatur per Euãgelium 508.46
Fœdus fuisse constitutum in circuncisione 567.26
Fœdus & promissionem non excludere Iudæos 502.29
Fœdus accipitur pro lege apud Ieremiam 510.15
Fœdus cum Gentibus ante prædicatũ Euangelium non fuit initum 508.12
Fœdus etiam ad liberos nostros pertinere 116.22
Fœderis & pacti nunquam obliuiscetur Deus 506
Francisci Spiræ Itali exemplũ 425.12
Fratres cur appellet Iudæos 223.5
Fratres cur uocet 442.56
Fratres laudare prodest 638.42
Fratrum ius æquale 419.18
Frequens usus adoptionis 389.2
Fructus boni unde 200.33
Fructum inuocationis per fidem constare 455.10
Frustrari 31.53
Functio ecclesiastica an politicæ potestati subijciatur 603.56
Functionem principalem distinguendam esse à persona 604.38
Functiones duas mutuo se impedire 604.52
Fundamentum Dei esse firmũ 415.26
Fundamentum nullum melius Christo 403.22
Furtum 61.11
Furtum unde oriatur 61.19
Furtispecies 61.13

G

GArdinerius Episcopus Vintoniensis 578.51
Cemitus ineffabiles 314.26
Gennadius Græcus scholiastes 507.35
Gentes ad Deum pertinuisse exempla 91.34
Gentes à lege non exclusas 91.33
Gentes priusquam uocentur sunt extra 507.53

Gentes habuisse ministros licet non ordinarios 462.45
Gentes Deus non excluſit à ſuâ prouidentia 505.53
Gentes quæ ſeruandæ 506.32
Gentes æquè ac Iudæos peccasse 360.29
Gentes cur fuerint aſcitæ 361.10
Gentes cur fuerint iuſtificatæ 401.11
Gentes inexcuſabiles 433.4
Gẽtes ex fide uenisse ad christũ 351.37
Gentes cur ſint uocatæ 489.10
Gentes cur à Paulo ante Iudæos reprehendantur 59.43
Gentes non fuisse abſq; cognitione recti 433.9
Gentes perpetuò fuisse alienas à lege 400.34
Gentes non caruisse notitia iuſti & iniuſti 401.30
Gẽtes fuisse oleaſtros ſine fructu 497.1
Gentes cur pertineant ad electionem 294.57
Gentes ante prædicationem Apoſtolorum iacuisse in tenebris 468.40
Gentem nullam temporibus Apoſtolorum Christum coluisse 463.25
Gentem nullam adeo ſedulam administrationem uerbi dei habuisse ut Iudæi 458.51
Gentium & Iudæorum diſſidium unde ortum 614.14
Gentium conuerſio Iudæis ad æmulationem 513.15
Gentium uocatio cur D. Paulo myſterium 505.1
Gentes exectos ex naturali oleaſtro 503.42
Gentibus peccata ſua non excuſaſſe 433.6
Gentiles damnandi pro naturale lumen 57.14
Gentilibus cur non ſit neceſſe conferri gratiam 433.27
Generationis humanæ cum generatione ſpiritus comparatio 429.32
Generationis natura 381.34
Genus hominum quotuplex 298.22
Gladius magiſtratus quid indicet 609.34
Gloria Dei 84.53
Gloria Dei in quo ſita 127.49
Gloria ubi ſit ſita 340.31
Gloria patris in rẽſurrectione declarata 200.6
Gloria Dei egere 360.31
Gloriam duo complecti 296.28
Gloria quid 85.1
Gloria intelligi bonitatem 391.53
Gloria Hebræorum Deus 33.18
Gloriæ ſignificatio 296.25
Gloria quid intelligatur 98.23
Gloriæ noſtræ depreſſionem cur Deus uelit 89.54
Gloriam Deo dare 139.32
Gloriatio 89.32
Gloriatio ubi merita 89.3
Gloriatio Chriſtianorum 135.5
Gloriatio piorum 98.20
Gloriatio noſtra 148.5
Gloriatio de quibus rebus 139.13
Gloriatio pudori opponitur 148.3
Gloriationem noſtram eſſe excluſam 368.43
Gloriationem apud Deũ habere 98.11
Glorificationem ſanctorum non pertinere ad indurationem 376.33
Glorioſa corã deo eſſe peccata 297.25
Gloriari per fidem quid 98.17
Gloriari de quo dono debemus 147.52
Gradus primus ad ſalutem 560.4
Graduum tridentini cõcilij confutatio 548.1
Gradus beneuolentiæ 442.56
Gradus conuerſionis duo 287.12
Gradus iuſtificationis tridentini concilij 547.44
Gradus primus exitij 501.27
Gradus ad ſalutem & gradus ad exitium 501.24
Gradatio apoſtoli pulcherrima 135.18
Gradatio pulcherrima 192.44
Gratia Chriſti quid ſignificet 194.7
Gratia Chriſti nobis donantur omnia 421.8
Gratia Chriſti in eius mẽbra adoptamur 421.2
Gratia in ſacris literis 6.43.54
Gratia & pax ſumma bona 1.18
Gratia omnis gratis datur 196.27
Gratia ſcaturigo bonorum omnium 194.46
Gratia Dei bifariam accipi 193.13
Gratia prior & poſterior 205.13
Gratia Dei noſtra cupiditate potentior 210.29
Gratia præueniens 260.33.532.46
Gratia & uita neceſſario cohærere 192.53
Gratia uoluntatem immutare 195.5
Gratia regnare 192.46
Gratia Chriſti peccato Adamus maior 159.32
Gratia potior lege 212.53
Gratia iuxta ſcolaſticos 158.43
Gratia an omnibus expoſita 195.34
Gratia externæ rei non eſt alligata 194.40
Gratia præcipua eſt electio 472.39
Gratia cur in electis exuberarit 192.33
Gratia Dei an communis omnibus proponatur 427.44
Gratia aliquibus datur aliquibus non datur 573.9
Gratia non omnibus in communi propoſita 428.36
Gratia quomodo proſit 431.8
Gratia pro gratia addi 219.25
Gratia patrum quatenus conducat filijs 511.40
Gratia cur in filios non transfundatur 17.187
Gratia nos ſeruatos eſſe per fidem 562.20
Gratia noſtra, Adami gratia cur præſtantior 247.30
Gratia non eſt ponenda ut natura 429.9
Gratiæ definitio 194.16
Gratiæ definitio p ſcholaſticos 193.38
Gratiæ exuberatio 189.51
Gratiæ duo munera 195.46
Gratiæ diuiſio ut ſuſcipienda 196.7
Gratiæ Dei derogant Papiſtæ 257.5
Gratiæ poteſtas 250.45
Gratiæ Dei non ſemper eadem efficacia 38.4
Gratiæ ſubductio à Deo eſſe 37.40
Gratiæ oblatæ apprehenſio 428.38
Gratiæ effectorum ordo 196.11
Gratiæ opus in iuſtificatione 546.57
Gratiæ certitudo unde colligatur 212.30
Gratiæ cur Deo agendæ per Chriſtum 9.50
Gratiæ certitudo 124.13
Gratiam recipere oblatam non eſt in manu noſtra 429.17
Gratiam omnia opera excludere 102.11
Gratiam duo ſignificare 211.50
Gratiam eſſe uitam æternam 565.15
Gratiã ſemper unã eſſe, ſed perfectionem 254.50
Gratiã uarijs uti inſtrumentis 561.6
Gratiam Dei qui amittunt reijciuntur 377.7
Gratiã præter iuſtificationem eſſe factam 254.42
Gratiam recipere non ui hominis fit 195.40
Gratiam Dei nos anteuertere, eſſe neceſſe 467.22
Gratiam dei non agnoſcentes grauiter errant 473.49
Gratiam non eſſe omnibus communem 473.13
Gratiam dei qui admittunt, recipiuntur 377.6
Gratiam ante omnia ſeneſcere 619.10
Gratiam quam communiter omnibus propoſitam Pelagiani docebant, naturam eſſe 573.15
Gratiam ſacramentis non eſſe colligatam 114.39

Gratiam ponunt in infidelibus ex quâ bona opera faciant 532.34
Gratiarum actio 12.28
Gratiarum actio quanti momenti sit 618.7
Gratias qui deo agant & qui nõ 31.45
Gratis non esse idem quod solum 574.46
Gratis dari & opera requiri non pugnant 52.53
Gratiosus 193.5
Græci 18.17
Græcorum & Latinorum contentio 92.17
Græcorum & Persarum regni quales angeli præfecti 506.15
Gregorius Episcopus Rom. 574.7
Gregorij Nazianzeni interpretandi ratio 507.5
Gregorij Nazanzeni locus 469.56
Gregorij sententia de peccato orig. 180.16
Gregorij Magni factũ de imaginibus 42.20
Cyprianus de temporum suorum infelicitate 554.14
Cyrillus contra Iulianum 573.41
Grauius peccare eum qui reddit malũ pro malo quàm qui lacessit 600.25
Grauibus laboribus perueniendum esse ad regnum cœlorum 560.2
Graue peccatum est indignos promouere aut tolerare 455.30
Guilielmi Parisiensis simile de peccato orig. 178.11

H

HAbitus confirmari ex operibus frequentibus 461.5
Habitationis metaphora 278.11
Habentibus quomodo detur 478.19
Hæreditas ex fide 123.30
Hæreditatis definitio 293.14
Hæreditatis Dei indicia 293.54
Hæreditatis conditio 294.3
Hæreditatem nobis daturum Christum 294.19
Hæreditatem à spiritu gratis nos habere 293.25
Hæredes Iudæos non fuisse 293.33
Hæresis Pelag. 53.37
Hæreses oportere esse 437.25
Hæreticis quomodo respõdendũ 19.48
Hæreticos in sacris multa mutasse 382.27
Hæreticos non deserendos 53.26
Herodes uulpes 442.36
Hebræorum dignitas 67.2
Hebræorum cauillatio 619.19
Hebræos habuisse genus purum 342.17
Hebræos non laborare externa idololatria 484.56
Hebræos à deo fuisse liberatos 494.56
Hebræos accepisse leges sapientissimas per Mosen ab ipso Deo 494.57
Hebræos habuisse leges pprias 342.24
Hebræos fuisse adoptatos in filios Dei 340.18
Hebræa gens unica electa 422.53
Helias quomodo contra Israelem orauerit 471.38
Heliæ Prophetæ simplicitas & lapsus 469.55
Heliæ quo apparatu locutus sit Deus 470.28
Heliæ factum non fuisse homicidium 470.17
Helizeus iungitur ad Prophetam ab Helia 470.40
Hermæ liber non est in canone 641.2
Heuam ab Adamo animam & corpus traxisse 152.22
Hieronymus contra Luciferianos 554.22
Hieronymus contra Pelagianos 357.47
Hieronymus de authoritate scripturæ 130.49
Hieronymi sententia 356.42
Hilarij de Iudæorum ad Christum conuersione sententia 507.30
Homo αὐτάρκης 58.54
Homo φθαρτὸς 33.13
homo imago Dei 40.44
Homo Dei uicarius 172.20.149.46
Homo quid apud Apostolum significet 90.11
Homo nouus 205.36
Homo interior, totum hominem signat 244.40
Homo exterior totus homo 244.43
Homo totus deprauatus 175.11
Homo infirmus 271.16
Homo animalis 368.32
Homo cur caro dicatur 77.15
Homo nomine carnis intelligi 77.13
Homo cur sæpe in scripturis dicatur corpus & caro 583.7
Homo per quem peccatum introiuit 150.23
Homo non potest non peccare 248.33
Homo in gratia, an labi possit 38.1
Homo quomodo de se sentire debeat 387.45
Homo qua fide non possit iustificari 558.43
Homo quam primum credit iustificatus est 571.26
Homo semel iustificatus incipit cõuerti ad bona opera 547.36
Homo ciuilis 438.42
Hominis primi status 427.7
Hominis status quatuor differentiæ 247.11
Hominis generatio bona 180.31
Hominis ingenium exprimitur 73.23
Hominis corruptionem quis intelligat 73.2
Hominis natura maximè Deum refert 29.33
Hominis corpus & cadauer plurimũ inter se distare 557.11
Hominis non renati status 261.42
Hominis esse præparare cor 536.48
Hominis testamentum si sit comprobatum nemo facit irritum 561.8
Hominis damnatio 301.14
Hominis & brutorum differt ratio 166.45
Hominem primum libertatem arbitrij amisisse 440.39
Hominem non posse esse liberum à culpa 368.2
hominem seipsum posse facere uas honorificum 415.29
Hominem iustificari ex fide 548.40
Hominem fide iustificari per 12. cap. probatur 22.20
Hominem sola fide iustificari quid intelligamus per hoc 578.35
Hominem perfectum esse antequã possit iustificari 560.18.20
Hominem moueri à Deo iuxta naturã suam 373.30
Hominem non posse esse bonum 265.21
hominẽ concepi in iniquitatib. 373.21
hominem esse ipsissimam uanitatem 389.5
hominem grauiter peccantem destituî uera fide 559.31
Hominem uersari in malis operibus priusquam iustificetur 560.24
Hominem peccatis alienatum à Deo posse assentiri articulis fidei Deum esse 559.27
Homine nihil calamitosius 175.33
Homines esse in maxima miseria 413.48
Homines omnes natiuitatem odisse 3.44
Homines omnes nasci filios iræ 417.36
Homines non destitui libero arbitrio 375.1
homines qui purgantur à Deo cur se ipsos dicantur purgare 415.38
homines non posse malitiam suam reijcere in Deum 378.50
homines prædestinari antequam incipiant esse 408.10
homines omnes astrictos esse ut credant uerbo Dei 562.35
homines nondum iustificati minimè possunt esse uictimæ Deo 583.17
homines iustificari absque omni ratione meritorum 541.48
homines omnes impingere in Christum 402
homines credere mirum est 459.34

Homines perfecti qui dicantur 221.15
Homines omnes esse uasa Dei 390. 23
Homines omnes an habeant potestatẽ filij Dei fieri 431.29
Homines nullam habere libertatem 387.29
Homines quicquid boni faciunt etiam post iustificationem non est illorum proprium 564.15
Homines Dei reuelatione, ut fiant inexcusabiles 30.22
Homines iustos probari tentatione 385.26
Homines cupere salutem quando resipiscant 393.56
Homines quibus ad pugnam excitentur 211.46
Homines fideles de propria salute non debent dubitare 500.13
Homines inuitos multa consequi 169.32
Homines qui de Christo nihil audiuerunt 463.51
Homines non omnes esse cereos aut luteos 376.4
Homines ciuiles de Euangelio quid sentiant 19.31
Homines uulgares à scripturarum lectione non esse prohibendos 626.24
Homines cur sacrificati 273.26
Hominum finis 61.43
Hominum uerba 1.1
Hominum consultores duo perpetui 54.22
Hominum prauorum conatus non succesßit 40.26
Honor quid significet 593.11
Honor ministerij in quo consistat 492.32
Honos magistratui exhibendus cur tanties in nouo Testamento inculcetur 603.27
Hostes nihil grati facere 251.15
Hostes Dei par est odio prosequi 511.6
Hostibus an liceat unquam maledicere 598.14
Hostijs Deum promereri 222.17
Hugonis definitio de peccato originis 168.44
Humanum genus in Adamo 169.1
Humanum dicere 216.24.53
Humana ratio quibus maximè perturbetur 379.50
Humani ingenij corruptio 197.22
Humana omnia ad æternam salutem sine fide non prosunt 514.50
Humanæ rationis perturbatio 380.7
Humanarũ uirium non esse ut seruetur homo 481.25
Humanam naturam gratis à filio Dei esse assumptam 420.50
Hypocrisis simulacrum sanctitatis 76.54
Hymenæum & Alexandrum naufragium fecisse à fide 571.17
Hypocrisis arcenda 623.31
Hypocritæ Euangelij hostes 19.37
Hypocritæ Deo merita adferunt 69.54
Hypocritarum opera quæ 257.44
Hypocritarum facta peccata 256.32

I

Iacob cur dictus sit Israel 339.52
Iacobus cur sit dilectus 355.11
Iacobi luctæ cum Deo 125.28
Iacobum æquè ac Esau obstrictum fuisse peccato originali 361.24
Iacobum fuisse uirum simplicem et placidum 359.31
Iaculatores filij Beniamin 150.5
Iason qualis fuerit 642.30
Idola cur mendacium 40.19
Idololatria quare appelletur fornicatio 471.24
Idololatria Diaboli consilio excitata 33.50
Idololatria Iudæorum 466.1
Idololatria ex errore in Eucharistiam inuenta detestanda 614.52
Idololatriæ ortus 31.13
Idololatriæ pœnas in mares & fœminas 43.49
Idololatriæ pœna 31.12.470.3
Idololatriæ pœna, 34.21.35.4
Idololatriæ hodiernæ caput 335.2
Idololatriam testantur altaria 34.3
Idololatræ naturam abijciunt 43.50
Idololatræ iusta lege Dei sunt rei mortis 470.20
Idololatrarũ species peccatorũ 42.41
Idololatrarum uana excusatio 34.2
Idololatrarum audacia 33.70
Idololatrarum stultitia 32.53
Idololatrarum studium 33.29
Idololatrarum excusatio 32.38
Idololatrarum peccatum, primorum parentum peccato simile 44.1
Idololatrarum ritus in colendis idolis 471.13
Iesus Christus Deus 9.3
Iehu rex Samariæ 470.40
Iezabelis reginæ impietas 470.23
Ieiunium superstitiones hominum 515.5
Ieiunia quomodo Ecclesiarum moderatores induxerint 620.23
ἰγκράτεια 593.21
Ignis conflagrationis 305.29
Ignis elementaris 305.31
Ignorantes Dei iustitiam, iustitiæ Dei non subiecti 579.35
Ignorare se ipsum 156.9
Ignorantia qualis fuerit 443.18
Ignorantia neminem excusare 403.49
ἱλαστήριον Christus 86.15.27
ἱλασμὸν Christus 86.29
Illecebrarum impostura 240.16
Illuminare mentem nemo nisi Deus potest 513.55
Imago Dei 263.30
Imago Dei 172.3
Imago ærea Christi 41.33
Imago Dei iuxta Tertullianum 172.19
Imago Dei in homine post lapsum 58.48
Imago Dei iuxta Augustinum 172.25
Imagines Dei ex infidelitate 40.44
Imagines non ut essent liber Idiotarum positæ 43.5
Imagines nullibi ferendæ 43.18
Imagines à nostris templis arcendæ 41.48
Imagines ab ethnicis ad nos profectæ 43.23
Imagines cur à templis submouendæ 42.22.43.15
Imagines Constantinopoli damnatas 42.41
Imagines an liceat in templis habere 41.42
Imagines quæ ferendæ, & non 43.25
Imagines in Germania tempore Caroli Magni in concilio damnatas 42.46
Imagines Irene restituit 42.42
Imagines piorum extra templum ferri poßent 43.16
Imagines præstantiores cur clausæ sint 43.6
Imaginum origo ex Augustino 41.19
Imaginum colentium excusatio 42.6
Imaginum quæstio 40.30
Imaginum honores fallunt simplices 42.4
Imaginum miracula nos à uerbo abducere non debent 42.51
Imaginum abusus quando cœpit 43.13
Imaginibus & statuis in templis multum accedit honoris 41.57
Imaginibus, aut mortuis prosterni prohibitum 12.13
Imbecillitas humanarum uirium 400.29
Imbrem non esse causam ut inculta terra spinas germinet 481.10
Imitatio Christi 208.11
Immortalitas prima 250.13
Immortalitate frui 304.47
Immortalitatem esse donũ Dei 307.36
Immutatio solis & lunæ 304.7
Immunditia & iniquitas 217.8
Immunda erunt uobis cur lex dixerit 620.34
Immunda, accedente fide, redduntur munda 620.50

Immunda quæ sint 39.32
Imperium unde coalescat 256.10
Impius 100.50
Impium iustificare 100.53
Impium esse damnari absq; peccati mactis 383.49
Impij hominis natura 74.6
Impio quod Pighio uidetur 169.50
Impij an Deum nouerint 29.54
Impij sæpe apud homines iustificantur 77.9
Impij Deo seruiunt 2.40
Impij cruciabantur ignibus 506.43
Impij peccantes in spiritum sanctum 79.46
Impij curiosi in alienis peccatis 48.42
Impij & pij discrimen in peccando 240.50
Impij unde impunitatem sibi pollicentur 49.31
Impij in Deũ peccata retorquẽt 70.51
Impij cur debeant admoneri 282.19
Impij Deo gratias de nulla re agunt 10.16
Impij homines Deum alligant 33.23
Impiorum duæ notæ 54.10
Impiorum uox 70.37
Impiorum blasphemia 70.46
Impiorum querimoniæ respondetur 59.5
Impijs an grauiores pœnæ dabuntur in futurum 50.36
Impios esse admonendos 282.8
Impios in sacris etiam appellari filios iræ 391.20
Impios duplici supplicio puniri 50.13
Impios nõ accendi amore boni 244.17
Impietates notæ 46.27
Improbatio infirmorum 617.51
Impossibilitatis legis probatio 173.44
Impossibile num difficile significet 480.46
imprecationes in prophetis pertinere ad uaticinia 486.47
impulsor grauius peccat quam peccãs 619.50
imputare gratis & non gratis esse contradictoria 56.51
impingere in Christum 404.11
Incontinens 27.18
Inconstantia Sophistarum 530.31
incommoda hominum 280.19
Incredulitas terminus unde omnes uocamur 513.52
incredulitas potentiam Dei debilitat 451.13
Incredulitatem crumpere ex peccato originis 400.6
Incredulitatem posse excitari sana prædicatione 481.29
Incredulitate percutere Deum apertè dicit Paulus 513.53
Incertitudinis salutis rationes 124.20
Inditia gubernationis Dei erga potestates 609.4
indurationis explicatio 381.51
indurationem non pendere à uoluntate Dei 381.45
indurare non idem esse quod benefacere & misereri 376.36
indulgentiam dari non futurorum sed præteritorum criminum 570.16
infantes peccato non carere 151.52
infantes diabolo tradi 175.40
infantes cur innocentes dici possint 177.7
infantes esse obnoxios peccato originis 321.49
infantes quomodo baptizemus 495.23
infantium peccato 173.15
infelicitas magna 62.14
infelicitas unde deriuetur 208.28
infelicitas summa hominum 35.7
infidelitas cupiditatem armat 232.20
infidelitas ex libero arbitrio pullulauit 514.33
infidelitũ omnia opera peccata 261.32
Infirmitas & uirium defectus 433.17
Infirmitatem cogitationum nostrarum deijci 577.5
Infirmitatem magnam sæpe iungi cum iustificatione 639.30
infirmis quousque sit indulgendum 617.23
ingenium prauum ad condemnationem satis 168.4
Ingenium prudentiæ humanæ 451.10
Ingratitudo Christianorum 62.15
Inhabitandi metaphora 241.20
Iniuriæ qua formula sint condonandæ 538.56
Inimici Dei qui uocentur 146.49
Iniquitas hominibus propria 393.41
Iniquitas Israel 399.22
Iniquitatem non esse apud Deum 361.7
iniquum in homine 169.41
Iniustitia impiorum 54.29
iniustitiam Deo non inesse 386.13
innocentia Dei frui 322.49
innouationem non significare corruptionem 306.7
inobedientia 162.41
inseruire tempori 145.32
insitio nostra in Christo 270.31
insitio in bonam oleam 498.4
insitio quid dicatur 251.29
insitionis metaphora 200.22
insitionis spiritualis & naturalis discrimen 200.43
insitionem non constare meritis aut operibus 499.46
Insitionem istam esse contrariã rationi agriculturæ naturalis 418.23
instauratio quando inceperit 395.43
institutio hominis lex est 156.9
instrumentorum natura 189.43
instrumentis tribui quod signi est 135.53
instructio praua non redarguit conscientiam 236.30
ἄθεοι 225.28
integri cur extiterint aliquot uiri apud ethnicos 47.4
integris uiris ethnicis qd defuerit 47.1
intemperantes & superbi lædunt se ipsos 589.18
intentio bona Deo se præfert 71.35
intentio bona non sufficit ad bonum opus reddendum 445.21
intentio bona est cum fide 252.26
interpretationem Augustini nihil ualere 540.2
intercessio filij causa intercessionis spiritus sancti 324.23
interrogandi schema 60.38
Inuidiæ quid maximè aduersetur 9.41
inuitationem non esse efficacem nisi in inuenta nostra magis quàm dei præcepta obtrudimus 12.51
inuisibilia dei 380.24
inuidia cædi coniuncta cur 46.1
inuocatio sanctorum uana 133.40
inuocatio piorum 290.1
inuocatio Baali 298.3
inuocatio Arianorum 313.55
inuocatio ubi erit ibi & salus 454.42
inuocatio 12.26
Ioannes Baptista quid ostendit 94.54
Ioannem loquutum esse de fide humana 556.56
Ioannem esse Heliam 462.38
Iobi exemplum 383.5
Iobi Dialogus 383.3
Iobi liber qua facultate polleat 29.27
Ioelis locus 454.12
Ionas recusat Niniuitis exitium denunciare 476.43
ἀυτάρκεια in solo Deo est 516.40
ὑπόστασις quid 518.32
ὑπόστασις quid in spe quidue in fide respiciat 519.14
ira in Deo electis 146.4
ira Dei de cœlo 26.37
ira Dei iustè excitari 167.24
ira homicidij radix 61.24
iræ definitio 36.41
iræ Dei exempla 184.7
Iræ Dei sensus in sanctis 258.32
iræ reconciliatio 147.7
iræ filij cur dicamur 167.31
irasci quomodo dicatur Deus 511.57
irascendum nobis nõ legi sed deo 191.25
Irenæus ait Enochum functum fuisse legatione ad angelos 569.32
Irenæus ueteres patres ait qui fuerunt ante legem iustificatos fuisse 569.21

Irenæus author uetustißimus 569.16
Irenæus & Tertullianus de testimonijs ecclesiarum 461.34
Isaacum natum ex promißione 347.2
Isaac diuino spiritu factus certior 353.2
Israel distinguitur in duas partes 474.51
Israelis populi distinctio 66.51
Israelitæ consecrati Deo 339.39
Israelitæ in deserto cur non circuncisi 63.38
Israelitarum esse adoptionem 637.11
Israelitas in hodiernum diem esse cæcos 481.67
Israelitas Deus per angelos suos gubernauit 505.45
Israelitas magno cruciatu Euangelium sensisse 464.27
Israelitas Deus sibi peculiariter reseruauit gubernando 505.48
Israelitas incredulos æquè ac Gentes 395.14
Iudaismus uerus 65.23
Iudaismus non obest quo minus sub fœdere Christi Israelitæ ungantur 469.16
Iudæ auaritia 390.17
Iudæ exemplum 534.49
Iudæi sibi tantùm sanctitatem uendicabant 8.3
Iudæi cur sint excisi 490.50
Iudæi cur non prorsus reijciantur 513.1
Iudæi cur nihil sint assequuti 474.22
Iudæi dediti Idolis 472.18
Iudæi quibus rebus fuerint rebelles 466.49
Iudæi ficus sine folijs 60.55
Iudæi offendebantur 345.55
Iudæi cur non possint conqueri de sua reiectione 453.16
Iudæi & Græci quid significet 54.46
Iudæi cur Græci anteponantur 54.51
Iudæi ueras causas gloriandi habuerũt 60.10
Iudæi primi ordineq; Gentes ad regnũ Christi uenerunt 22.4
Iudæi fœdere Abrahami comprehensi prædestinati sunt 469.5
Iudæi aliquot Christiani non ita bene affectebantur erga Paulum 639.16
Iudæi & Gentes æquari ad iustificationem 92.21
Iudæi affirmantur non potuisse credere 480.23
Iudæi quomodo conuincantur 463.1
Iudæi an intellexerint sacramentorum significata 112.40
Iudæi ex quibus sint nati 495.4
Iudæi non plus commodi ex Euangelio quàm Gentes 21.57
Iudæi sunt Christianorum testes 513.24
Iudæi quo ad genus neq; hodie sunt deo ingrati 469.19
Iudæi multi à Deo seruati ne Baal adorarent 469.44
Iudæi grauißima tormenta paßi sunt 327.6 422.51
Iudæi multi sed reliquiæ tantùm saluæ 7.13
Iudæi per legem damnandi 7.13
Iudæi in quibus errarunt 446.52
Iudæorum genus honorificum 60.2
Iudæorum synagogis prophetia habebatur 591.2
Iudæorum sanctitas ubi sita 495.14
Iudæorum uitium ueritatem Dei non inuertere 67.15
Iudæorum ingens auaritia 61.36
Iudæorũ peccata cur grauißima 62.37
Iudæorum captiuitatis causa 62.29
Iudæorum nobilitas 495.1
Iudæorum peruersitas notatur multis exemplis 476.46
Iudæorũ reprehensionis summa 59.48
Iudæorum accusatio 59.36
Iudæorum calamitas perpetua 484.46
Iudæorum ignorantia 461.46
Iudæorum paruus numerus 397.4
Iudæorum pauco fuisse electos 398.1
Iudæorum æmulationem tempore Pauli non fuisse contra ecclesiam Christi 464.57
Iudæorum arrogantia 60.25
Iudæorum ceruicosa pertinacia 506.16
Iudæorum temeritas 92.6
Iudæorum iactantia 60.6
Iudæorum diuerticulum in cæremoniarum immutatione 10.43
Iudæorum casus qualis fuerit 496.46. 466.49
Iudæorum casum non fuisse inanem 469.25
Iudæorum in fide tempore primitiuæ ecclesiæ infirmitas 614.10
Iudæorum traditiones & idololatria 343.33
Iudæorum excusatio adimitur 468.4
Iudæorum finis in morte Christi 271.6
Iudæorum consolatio 449.19
Iudæorum plenitudo quando sit futura 491.38
Iudæorum obiectio de operibus & gratia quomodo refellenda 473.1
Iudæorum et Papistarum conuenientia in sacramentis 67.5
Iudæis sumus abiectiores 343.18
Iudæis nihil decidebatur ex uocatione gentium 454.6
Iudæis assuti quomodo simus 496.37
Iudæis tria præcipua dona 59.49
Iudæos omnes in promißione non comprehensos 502.28
Iudæis quæ euenerunt Papistis quoq; cõtigisse 482.21
Iudæis reiectis locus factus est gentibus apud Deum 506.18
Iudæos in manifesto & occulto 66.19
Iudæos ab hostibus sæpe fuisse oppressos 457.52
Iudæos deceptos fuisse per falsos prophetas 377.56
Iudæos semper in Dei nuncios crudeles fuisse 472.5
Iudæos zelum habuisse 474.39
Iudæos non habuisse zelum Dei 446.12
Iudæos fuisse scripturarum studiosos 442.54
Iudæos externæ obseruationi legis studuisse 401.47
Iudæos esse carnem Christi 493.46
Iudæos non debuisse indignari de conuersione gentium 453.24
Iudæos in Christo esse offensos 402.34
Iudæos conuertendos in euersione Antichristi 494.14
Iudæos habuisse promißiones 341.2
Iudæos fuisse baptizatos 285.36
Iudæos esse irritatos factos in gentem stultam 468.52
Iudæos fractos 499.45
Iudæos manifestißimè Deum irritasse 465.49
Iudæos contempsisse miracula Christi 399.27
Iudæos permultas peccasse in spiritum sanctum 502.49
Iudæos prouocasse Deum ad zelum 464.28
Iudæos quæ prouocarint ad inuidiam 465.1
Iudæos Esaiæ tempore fuisse obcæcatos 482.7
Iudæos nõ habuisse spiritũ sanctũ 285.2
Iudæos esse dispersos ut uilißima mancipia sub Tito Vespasiano 465.4
Iudæos dixisse se non amittere suam sanctitatem 498.46
Iudæos grauius peccasse quàm ethnicos 503.36
Iudæos non præstare ethnicis 72.6
Iudæos etiam reptilia coluisse 34.50
Iudæos et gentes cõsolatur Paul. 491.29
Iudæos omnes Deus non repulit 469.3
Iudæos inter pij & boni 67.18
Iudex omnium non est iniustus 70.56
Iudex an debeat iudicare crimine obnoxius 48.17
Iudicium esse duplex 460.46
Iudicium Dei 458.10
Iudicium Dei pars Euangelij 59.22
Iudicium ad uerbum Dei esse adhibendum 460.40
Iudicium hominum & Dei diuersum 48.53

Iudicium pijs suaue nuncium 59.23
Iudicium de se ipso 47.52
Iudicium temerarium 616.10
Iudicij forma 57.13
Iudicij distinctio 460.48
Iudicij futuri cogitatio 51.46
Iudicij futuri imago 605.49
Iudicij futuri probatio 58.14
Iudicij futuri notitia 51.6
Iudicij extremi tres notæ 51.37
Iudicij ciuilis more Paulus utitur in Iudæos 64.17
Iudicio Dei causarum, non personarum ratio habebitur 51.50
Iudicio nostro rem non mutari 592.23
Iudicio Deus paria non reddet operibus 59.27
Iudicia Dei expectanda patienter 24.13
Iudicia hominum de cultu Dei præpostera 12.50
Iudicialia præcepta 74.18
Iudicare tripliciter 64.52
Iudicare Deum secundum opera 52.56
Iudicandum nobis ex Dei uoluntate 88.53
Iudicare quatenus alios liceat 615.49
Iuliani Pelagiani obiectiones contra Augustinum 36.40
Iuppiter hospitalis 596.54
Iustitia 45.45.80.2
Iustitia quid hic Paulo significet 22.26
Iustitia Dei non arguenda 186.53
Iustitia nostra duplex 446.56
Iustitia duplex 621.56
Iustitia Dei triplex 78.51
Iustitia Dei quales nos inueniat 87.26
Iustitia Dei 22.39.71.3
Iustitia Dei propria fidei 84.24
Iustitia fidei antiqua 81.6
Iustitia fidei quomodo sit iustitia operum mator 402.20
Iustitia ex fide 25.24
Iustitia operum cur nostra dicatur 447.39
Iustitia Dei absque lege manifestari 85.7
Iustitia Dei quomodo nobis declaretur 22.32
Iustitia Dei ubi sit sita 322.51
Iustitia cur misericordia dicatur 80.5
Iustitia dei bonitas & clementia 23.12
Iustitia & innocentia apud Paulum 214.24
Iustitia & gratia nusquam dicũtur merces 429.43
Iustitia cur gratiæ coniungatur 192.38
Iustitia pacis mater est 621.51
Iustitia dei quomodo defendenda 423.25
Iustitia Euangelij 25.31
Iustitia dei per Euangelium dari 22.50
Iustitia plena 246.17
Iustitia legis 25.30
Iustitia legis in Leuitico 449.23
Iustitia legis defendenda 191.49
Iustitia originalis 171.19
Iustitia humana 361.11
Iustitia cur necessaria 310.6
Iustitia in Abraamo ante circuncisionẽ 104.1
Iustitia permutandi 635.21
Iustitia originali carere quid 171.47
Iustitiæ dei definitio 447.6
Iustitiæ distinctio 446.46
Iustitia dei manifestatio 80.15
Iustitiæ diuinæ nullæ rationes adferri possunt 422.43
Iustitiæ fides doctrina non est noua 82.5
Iustitiæ fontes & radices 158.52
Iustitiæ stipendium 220.3
Iustitiæ nostræ causa 218.29
Iustitiæ pars tertia 23.4
Iustitiæ nouum genus 80.28
Iustitiam esse seruitutem sanctã 467.27
Iustitiam dei nostra metimur 85.10
Iustitiam dei esse nostram iustitiam 322.48
Iustitiam dei dici nostram quomodo 447.24
Iustitiam dei naturaliter non esse cognitam 447.34
Iustitiam Dei ex fide reuelari 446.48
Iustitiam dei in electos declarari 84.38
Iustitiam qua iustificamur esse extra nos 447.21
Iustitiam contingere ex fide 394.20
Iustitiam fidei non habentes, carent iustitia legis 448.54
iustitiam fidei coniunctam esse cum ea quæ sequitur iustificationem 449.9
Iustitiam ex fide esse 572.47
Iustitiam nostram esse tenuem 419.19
Iustitiam legis assequuntur qui iustitia fidei sunt præditi 448.52
Iustitiam ueram non ex studio hominũ pendere 401.37
Iustitiam humanam esse instabilem 447.43
Iustitiam nostram nullam esse si cum dei iustitia conferatur 535.26
Iustitiam inhærentem non una fide constare sed omnibus uirtutibus 578.28
Iustitiam nobis inhærentem non constare sola fide 577.36
Iustitiam ex morte Christi & promissionibus in nos deriuari 558.51
Iustitiam à deo nobis donatam ad animi facultates 578.53
Iustitiam non in nobis sed in deo locum habere 574.4
Iustitiam operibus adscribentes non iustificari 402.11
Iustitiam & æquitatem nihil periclitari 360.24
Iustitiam moralem ethnicos esse sequutos 401.7
Iustificatio 101.14.33
Iustificatio uera 158.46
Iustificatio quanti sit momenti 96.26
Iustificatio gratuita 71.48.406.21
Iustificatio ut non ex operibus, ita & prædestinatio 421.3
Iustificatio quoties apprehendatur 558.24
Iustificatio effectum Euangelij 22.17
Iustificatio nos Deo conciliat 133.4
Iustificatio & beatitudo idem 101.10
Iustificatio duo commoda habet 86.57
Iustificatio an à fide possit separari 553.47
Iustificatio in quo sita 267.53
Iustificatio in quo fieri debeat 548.10
Iustificatio in qua re præcipuè 87.7
Iustificatio in ueteri Testamento fuit 509.47
Iustificationis methodus 86.45
Iustificationis ratio in utroque testamento est eadem 509.30
Iustificationis ratio 311.11
Iustificationis interiores motus 547.30
Iustificationis per fidem prima ratio 26.4
Iustificationis finis 86.50
Iustificationis nucleus 267.52
Iustificationis effectorum methodus 134.50
Iustificationis eadem ratio lapsorum et nondum conuersorum 87.37
Iustificatiõis unus modus 92.28.97.17
Iustificationis ueritas oraculis asserenda 25.50
Iustificationis causa 320.27
Iustificationis instrumenta 86.46
Iustificationis duo absurda 400.15
Iustificationis series Abraami 103.44
Iustificationi aliquid de nostro contribuere, error 84.28
Iustificationi opus esse charitate & fide 578.14
Iustificationem non constare meritis 496.34
Iustificationem esse uitam æternam 553.13
Iustificationem locum habere inter cætera effecta 503.28
Iustificationem per promissionem nobis non dari 566.50
Iustificationẽ sequi bona opera 545.13
Iustificamur haudquaquam fide quà opus est 521.7
Iustificare magis conuenire fidei quàm charitati 559.13
Iustificare maius quàm beare 146.45
Iustificari 57.42

Iustificari per gratiam 193.22
iustificari nos ex operibus si ex illis eligeremur 363.20
iustificari ex lege 212.8
iustificari adultos ante baptismum 203.20
iustificari per fidem honorificũ 96.15
iustificari nos non temere & necessitate 85.30
iustificari trifariam 77.17
iustificari homines ex fide 518 3
iustificari per mortem Christi 146.53
iustificandi uerbum 68.35
iustificatus opera bona facit 252.52
iustificatum hominem de sua non dubitare iustificatione 548.25
iustificati etiam lege eruduntur 79.32
iustificati omnes absque lege 80.34
iustificati ex fide habent pacem ad Deum 572.3
iustum ex fide uiuere 25 13
iusti qui sint 57.40
iustos fulsuros ut sol 304.26
iustos habere legem scriptam in cordibus 569. 24
iusta damnatio 413.51.21.29
iustè uiuere 214.20
ius diuinum firmius esse humano 535.51
ius ad uitam æternam obsignari 203.39
iure decipiuntur homines 424.48

L

LAban 575.2
Labores, onera lachrymas, facere ad obtinendam iustificationẽ 562.52
Labiorum Confessio 574.5
Lacedæmonij imagines in curia noluerunt 41.51
Lactantij sententia de regno Christi 120 48
Laicos scripturas uersare debere 130.19
Lapsus prædestinatorum non esse perpetuos 325.34
Lapsum duplex genus 53 34
Lapsi à Christianismo 531.11
Laquei antithesis ad mensam 483.34
λατρεία 583.46.12.4.22.51
λατρέυειν mercede seruire 11.41.45
Latro bonis operibus non caruit 53.48
Laus maxima in iudicio absolui 606.53
Laus humana 296.44
Lauacrum regenerationis peccata remittere 577.20
Lectio duplex 72.13
Lectio obscurior 389.27
Legatione pro Christo fungimur 580.30
lex dei quomodo legenda 79.40
Lex quid significet 89.27
Lex imago Dei 249.50
Lex Mosis absoluta 156.47
Lex Mosis tantùm perfecta 57.16
Lex diuina cur non posit iustos facere 449. 15
Lex scripta an naturæ corruptibilior 228.4
Lex spiritus & lex peccati 268.28
Lex spiritualis 237.11.16
Lex iuita 76.20
Lex ad salutem conducit 78.14
Lex iustificationem iuuat 80.35
Lex non iustificat, igitur nec cæremoniæ 75.35
Lex iustitiæ 401.50
Lex Dei probanda est non sensu et uerbis, sed factis 585.23
Lex non potest esse mala 230.19
Lex uirtutis magistra 238.5
Lex omnis boni magistra 241.37
Lex amara quomodo dulcis fiat 191.30
Lex cupiditati aduersari 188.48
Lex non frustra lata 77.30
Lex quibus posita 213.9
Lex iusto non posita 79.20
Lex Dei à pijs quadantenus obseruatur 535.17
Lex pios si accusat interficere non potest 79.36
Lex cur non sit causa mortis 235.20
Lex in credentes non ualere 211.7
Lex peccati & mortis 268.43
Lex damnat non absoluit 75.13
Lex à renatis ut impleatur 150.11
Lex non otiosa quibus 192.22
Lex cui subimur quàm latè pateat 74.20
Lex latius patet quàm circuncisio 118.48
Lex ministrium mortis 76.21.227.9
Lex quomodo concupiscentiã efficiat 232.36
Lex peccatum arguens auget 212.13
Lex quæ peccatum ostendat & ubi & quando 229.4.45.228.24
Lex peccatum aggrauat 78.26
Lex per se neq; peccati, neque mortis causa 235.9
Lex per occasionem incitat ad peccandum 514.24
Lex non est causa efficiens peccati 228.4
Lex transgressores constituit 119.4
Lex et transgressio se comitãtur 122.17
Lex peccata omnia damnat 236.52
Lex cur odio habeatur 191.18.230.25
Lex irritari uoluit 94.32
Lex fidem irritat 119.1
Lex una semper 92.1
Lex non perpetua 188.50
Lex an etiam honesta, ut peccata, ostendat 77.48
Lex duo requirebat 75.8
Lex cur necessaria 189.2
Lex cur frequenter repetatur 452.25
Lex frequenter inspicienda 156.14
Lex Dei humanis utribus impossibilis est obseruatu 536.9
Lex magno studio discenda 230.8
Lex quomodo hic accipienda 243.44
Lex ab Euangelio quomodo distinguatur 229.47
Lex & Euangelium non eodem modo recipiuntur 449.40
Lex & Euangelium non distinguuntur uoluminibus 538.51
Lex & Euangelium in eodem 66,24
Lex cur sit appellata spiritualis 285.4
Lex & fides se mutuò iuuant 94.21
Lex in regno Christi non restituenda et cur 120.44
Lex peccati & membrorum eadem 245.2
Lex in membris uis est peccati 244.48
Lex Dei conscientiæ regula 261.19
Lex Dei & mentis eadem 244.56
Lex & Prophetæ non obsecrantur 580.47
Lex firmus præceptor 224.28
Lex cur infirma 271.15
Lex quæ præstare non potuerit 271.34
Lex sterilis 224.45
Lex pædagogus 249.38
Lex an effecta sua assequatur 237.48
Lex abrogari per accidens 226.23
Lex à suspicione absoluitur 234.50
Lex lata Iudæis de Idolis 61.26
lex de susceptoribus infantium 204.46
lex zelotypiæ 486.27
legis nomine quid intelligatur 178.22
legis nomine Mosaicam intelligi 156.3
legis uox 269.40
legis uaria nomina 244.52
legis Dei epitheta 222.50
legis definitio 190.25
legis proprium 74.48
legis complementum 274.10
legis encomium 240.25
legis finis 188.41.249.36.286.3
legis finis & forma 190.11
legis finis triplex 190.11 18
legis præcepta non prorsus impossibilia 271.55
legis infirmitas 243.42
legis synecdoche 231.5
legis obseruatio quæ bona secum trahat 237.42
legis pœna 243.48
legis iustitia quid requirat 57.35
legis uitium in nobis esse 230.22
legis dominium, non lex, est abrogatum 79.18
legis uis 192.10.155.54.226.24

legis

legis usus 249.43
legis iustitia à Iudæis requisita 57.31
legis naturæ & Mosis discrimen 228. 45
legis naturæ bona 188.32
legis diuinæ & humanæ discrimen 78.3
legis præcipuum munus 448.37.77.28
legis munus coarguere peccata 514. 21
legis interpretatio absurda 80.9
legis sententia à Christo 231.5
legis & Euangelij discrimen 20.45 269.2.510.35
legis & gratiæ discrimina 212.6
legis doctrina irritantur cupiditates 478.56
legis commoditates 78.17
legis beneficia 190.40
legis tempus à peccato non excludi 156.7
legis abrogatio duplex 79.12
legis consideratio utilis pijs 227.48
legis perfecta obseruatio ne regeneratis quidem datur 192.3
legis officium duplex 192.15.229.5
legis duplex comparatio 191.9
legis iustificationes 64.41
legis utilitates 173.4
legis distinctio erronea 237.20
legis inscriptio in cordibus duplex 58.45
legis nomine quid hìc intelligatur 74. 47
legi Dei condelectari 244.9
legi quæ per se cõueniant, & quæ non 191.7
legi Dei nec addi, neq; detrahi poterat 536.6
legem iram operari 121.54
legem sua natura iram non operari 122.27
legem nos incertos de gratia reddere 94.15
legem in cordibus nostris scribi 191. 34
legem quadrupliciter peccatum augere 189.12
legem præcipere impossibilia 172.53
legem per Mosen, gratiã uerò per Christum esse datam 450.32
legem nobis ingeniũ & Dei naturam imprimere 190.28
legem augere peccatum quomodo 228 16
legum omnium proprietas 77.33
legem sine spiritu nil posse 285.24
legem peccatum augere 188.18
legem ab hominibus non renatis posse seruari 535.25
legem iram operari 529.28
legem non esse inutilem 534.55
legem requirere obedientiam à nolentibus 458.40
legem fide stabiliri iuxta Augustinum 93.57
legem sectari, aliud insectari 401.15
legem augere magnitudinem peccati 535.1
legem requirere perfectissimã obedientiam 449.25
legem subintrare 488.50
legem qua parte Apostolus stabiliat 93.43
legem minari 580.47
legem per Christum non esse nobis oneri 628.15
lege neminem seruari posse 514.49
lege quomodo dicamur teneri & liberari 211.17
legum conflictus 245.8
leges iniustæ non sunt leges 78.36. 122.44
leges iustæ ferendæ 122.44
leges tres 172.40
leges diuinas cum militaribus non esse conferendas 296.48
leges unde habuerint Hebræi 342.25
leges & monitiones non esse frustra 441.5
leges humanæ mutari posse cur 82. 29.
leges Dei unde hominibus 46.34
leges philosophorum unde pendeant 172.35
leges pro arbitrio mitigare non esse in manu hominis 535.35
legislatores cur Deum fecerint autorem 190.46
legislatorum finis 78.1
legalium distinctio 617.25
legendum in sacris literis esse continuò 461.6
Leo de passione Domini 573.49
lenitate piorum erga infirmos non abutendum 617.33
λειτουργίαν non nõ tãtùm pertinere ad sacra 610.34
libertas Israëli promittitur ex pactõ 508.10
libertas triplex 250.25
libertas nostra per Christum inchoata 238.51
libertas Christiana & euangelica doctrina eximia Dei dona sunt 621 23
libertas patriæ cœlestis 262.47
libertas regeneratorum 261.47
libertas piorum cum infirma 262.19
libertas cum imagine adempta 252.11
libertas quæ nobis adhuc relinquitur 247.46
libertas nostra à quo 268.31
libertas Euangelij quibus prædicetur 224.23
libertas iustitiæ perniciosa 217.32
libertatis unica uia 243.6
libertatis hominum à brutis discrimen 250.20
libertatem recuperant, qui illuminantur à Christo 508.5
libertate destituuntur à Christo alieni 508.5
libertate in quibus operibus impij careant 248.22
liberati qui sint 269.53
liberum quid 246.43.250.31
liberum arbitrium apud Patres 250.6
liberum arbitrium primum 250.14
liberum arbitrium postremum 250.14
liberum arbitrium circa quæ uersetur 247.3
liberum arbitrium quo fonte scaturiat 508.4
liberum arbitrium impeditum fatetur Ambrosius 239.35
liberum arbitrium fractum 239.55
liberum arbitrium attenuatum ex peccato primi hominis 546.25
liberum arbitrium nisi sanetur, nil posse 373.10
liberum arbitrium Adamum perdidisse 248.26
liberi arbitrij uox in sacris non reperiri 246.40
liberi arbitrij definitio 247.8
liberi arbitrij radices 246.46
liberi arbitrij potestas 538.7
liberi arbitrij negatores cur ab Ecclesia hæretici appellati 252.4
liberator à peccatis quis 238.49
liberationis nostræ collatio cum Israëlitica 269.19
liberationis nostræ instrumentum 268 40
liberati à lege cur dicamur 223.9
liberti Christi facti 85.37
Libertini pestes cauendi 246.1
Libertinos omnium haereseon esse arrogantissimos 626.10
liberari nos per spiritum, non operibus 268.2
libido cur pœna peccati 40.4
libidinis peccatum quàm graue 39.39
libidinis præposteræ causa idololatria 40.18
lingua peregrina non uti debere in Ecclesia 289.56
linguas conspirarẽ 272.46
linguis dolosè agere 73.38
litera 65.6.41
litera hærere iuxta August. 65.7
litigandum non esse cum Deo 388. 57
litem instituentium mos 505.19
locum intelligendum de Mose 366.48

loci Pauli paraphrasis pulchra 206. 34
loquutio, apprehendi per fidem, in sacris inuenitur 20.49
loquutio Christi ad pios 405.33

M

Magist. Sentēt. de libero arbitrio 248.30
Magistri sentent. error de circuncisione 111.41
Magistri aliorū, et nō sui ipsius pessimi 61.3
magistratus iustis de causis adire licet 601.36.
magistratus quomodo iudicet 615. 41
magistratum esse custodem prioris & posterioris tabulæ 609.49
magistratum qui adit, dat locum iræ Dei 601.43
magistratibus omnes oportere esse subditos 603.23
magnū esse malum, non posse ferre malum 595.19
malum quod nollemus 241.38
malum pro malo non esse reddendum 600.23
malum cur in carne, & non in uoluntate 243.52
malos etiam obedire consilio Dei 390.49
mala temporaria nobis ipsis possumus imprecari 487.53
mala non esse facienda, ut eueniant bona 434.38
malorum exitio quanta sapientia Deus abutatur 506.41
malorum omnium caput 74.2
malè et rectè quærere discrimē 400.52
maledictio in sacris 122.5
maledictioni obnoxios 376.9
maledictionem qui incurrant 249.5
maledictus qui confidit in homine 461. 20
maledicendum non est alijs, si non hostibus 597.40
mancipia Satanæ 390.43
manducatio carnis 283.12
manducare corpus, & bibere sanguinem 65.20
mandatum ad uitam institutum 234. 15
mandatum ad uitam, ad mortem cessisse 234.16.235.2
mandatum maximum diligere Deum 444.42
mandato, Non concupisces, quid prohibeatur 230.30
mandata negatiua uirtutes præcipiunt 231.12
mandata non frustra data 230.47
mandatorum Dei sublimitas non intellecta 237.31
Manichæi in legem blasphemi 190.50
Manichæi duo fecerunt principia 475.6
Manichæi abusi scripturis 38.22
Manichæorum opinio 176.31
Manichæorum error 38.16.66.25
manus extendere quid sit 467.53
Marcellina Carpocratis socia propter imagines damnatur 41.28
Martion duo extrema capita repudiasse 64.31
Maria non sensit se ullo suo merito electam 421.54
Mariæ canticum de misericordia prædicat 421.56
Martinus Bucerus 188.1
martyres nostri 297.3
massam Adami esse uitiatam 349.35
Matthæū prædicasse Aethiopib. 463.11
matres impiæ cur liberos occiderint 145.47
matrimonium allegoricè à Paulo tributum Ecclesiæ 505.6
matrimonium Christi 225.1
matrimonij diuortium unde contingat 223.25
matrimonij conformitas 224.35
matrimonij noui & ueteris discrimen 225.17
Maumethes quomodo Christum cōmendet 464.14
Maumethis doctrina 464.9
meditatio 389.8
mediocritas seruanda inter extrema 588.12
media esse fidem & incredulitatem 399.57
media quibus adducimur ad salutem 534.14
media ad quæ conducant 400.14
Melchisedech, Balam, Iobus uixerunt inter Gentes 462.54
melius esse nubere, quàm uri 445.48
membra 225.39.244.50
membra nostra peccatorum instrumenta 205.46
membra credentium 209.17
membra quæ intelligantur 209.2
membra cur arma dicantur 209.4
membrorum cum armis conuenientia 209.22
memoriam nostram non cogere præterita esse præterita 439.55
mendax inconstans 67.47
mendacem esse, qui dicat se nosse Deū, & non seruat eius mandata 559.39
Messalliani hæretici 13.34
Messias probatur Deus 508.50
Messiæ habitum qualem expectarint Iudæi 474.23
mens diuina principiū legum 78.28
mens & interior homo 241.45
mens an sit incorrupta in non regeneratis 484.47
mentis humanæ cū ægroto cōparatio 546.17
mentem nostram conuincit fides 518.51
mente seruire legi Dei 539.1
mensa eucharistiæ 483.8
mensa Christi 121.19
mensa scripturarum quomodo Iudæis uertatur in laqueum 485.42
mentionem fieri iustificationis inter effecta 558.38
merces recompensatio 52.47
merces duorum dominorum 214.11
meritum habet gloriam apud Deum 97.8
meritum habet debitum 52.40
meritum mortis Christi ex prædestinatione 86.4
meritam fœdissimos errores peperisse 222.9
meritum congrui & condigni 533.36
meritum omne esse tollendum 564.18
meriti nomen à Christiano ore abdicandum 52.33
meriti ratio 52.43
meriti ratio auferenda 219.9
meriti uocem à Patribus impropriè usurpatam 52.34
meriti nomen apud Patres 222.8
meriti uox in sacris literis non inueniri 222.16
meriti à uoce abstinendum 222.15
meriti natura 52.35
merita cur excludantur 516.14
merita non posse admisceri gratiæ 472.33
meritis Christi resarcitur infirmitas humana 508.40
methodus tractationis de peccato 149.
methodus Pauli 188.11
metaphora scripturis frequens 475.53
methodus 5. capitis paulinæ tractationis 148.50
methodus Pauli in 6. cap. 197.2
methodus 7. capitis 222.45
minas in sacris non esse otiosas 291.48
ministri malitia 109.1
ministrum Dei esse ultorem ad iram 609.39
ministros Ecclesiæ insigni titulo ornari 455.25
ministri spiritus 60.4
ministri diaboli qui appellentur, & sint 123.6
ministrorum improborum preces 253. 10
ministrorum munus 492.42

mini-

ministros non deserere suam uocationem 470.55
ministros uerbi Dei solicitos esse debere 591.31
ministros Ecclesiæ decet obsecrari 580.27
ministris uerbi permulta sunt deuoranda mala 481.11
ministris qua de causa à ministerio discedendum 69.32 (15.19
ministeriũ Ecclesiæ quanti Deus faciat
ministerium Mosis quomodo distinguatur à ministerio Christi 450.31
ministerium quomodo ad salutem cooperetur 194.38
ministeriũ quando glorificetur 493.28
ministerium non ornari opibus 492.34
ministerij laus 460.4
ministerio cur opus sit in Ecclesia 194.23
ministeria cur dicantur charismata 591.38
minimum esse ex nobis 393.51
miraculum incredibile 464.17
miraculum prodigiosum prædicationis 464.2.
miracula non esse iuxta naturam 503.56
miracula posse edi sine fide 556.20
miraculorum usus 457.3
miraculorum causa 633.32
miraculis esse credendum 406.31
missio Dei 455.41
misericordia quid 221.37.409.13
misericordia Dei quando maximè affulsit 89.3
misericordia Dei cum iustitia 51.52
misericordia Dei opus in iudicio 220.35
misericordia per se non bona 259.53
misericordiæ nomine uocatur nostra salus 513.39
misericordiæ Dei adscribere 341.16
misericordiæ Dei copia 391.50
misericordiæ Dei commendatio 433.28
misericordiam Deus non impendere omnibus 367.10
misericordiam & ueritatem simul esse coniunctas 618.31
misericordia Domini super timẽtes eũ à seculo usq; ad seculum 561.14
miseria & morte nihil grauius 245.28
miseriæ cognitioni non insistendum 235.16
miserum quid nobis 197.17
misera piorum hominum conditio 639.11.
misera conditio 448.7
misereri non esse præscire 366.17
miserendum esse non tantum præsentiũ sed etiam absentium 196.16
modicum homini non inesse 368.34
modicum illud non esse nostrum 368.39
monastica hypocrisis 201.14
morbi desperati 231.54
mors 154.3.214.24
mors duplex 154.16.224.13
mors nostra cur dupla 207.31
mors peccatum comitatur 157.8
mors peccati 283.29
mors finis dicitur 218.19
mors nostra uoluntaria 207.42
mors imminens audaciores reddit homines 144.33
mors non est homini naturalis 154.17
mors duplex 424.13
mors Christi duplex remedium adferre 207.36
mors Christi cur Deo tã grata 146.24
mors Christi quibus applicetur 207.53
mors in Christo sine peccato 151.50
mors Christi simpla, nostra dupla 207.31
mors Ezechiæ 437.31
mortis uoce cur Paulus utatur 201.5
mortis regnum 157.12
mortis satellites 154.6
mortis Christi utilis cogitatio 201.23
mortis Christi finis 271.1
morti iræ diuinæ sensus inest 154.19
mortem in Baptismo nos profiteri 203.53.
mortẽ auferre à corpore hominis propriam formam 557.17
mortem inter pœnas non numerari 282.1.
mortem Christi monarchiam omnium seculorum peperisse 484.38
morte à lege discedi 223.36
mortuos esse legi 224.1
mortuos non esse legi 226.17
mortuos non prædestinari 408.3
mortuis Pighius medium statum assignat 177.53
mortale corpus quie 208.36
mortalia quæ dicantur 284.20
mortaliũ neminẽ tantùm credere quantum debet 558.49
mori peccato 198.26
mori Christo an necessarium 146.31
mori peccato semel tantùm debemus 107.48
mori pro utili 144.15
mori pro iusto 144.14
mori cur cogamur 263.42
mori iucundum non à natura 154.21
mortificati per corpus Christi 224.18
mortificatio quotuplex 295.56
mortificatio fidei 383.21
mortificatio iustificationis effectus 206.54
mortificationis causa 284.16
mortificare 284.17
mos Ecclesiæ primitiuæ 312.41
mos Prophetarum & psalmorum 345.21
mos fœderum Macedonicorum 483.12
moralis pars legis peccatum ostendit 76.11
morales uirtutes ad quid ualeant 201.12
morosi 46.3
moram non esse in Deo, sed in sensu nostro 595.49
Moses sacerdos sine signis 255.10
Moses quid à Deo petierit 336.1
Mosis exemplum 55.28
Mosis exemplum in idola 61.30
Mosen legem absque Christo non prædicasse 450.34
Mosen & Aaronem hæsitasse in fide 556.22
motus naturalis & uiolenti differentia 608.51
motus praui in renatis an peccata 262.51
motus peccata sunt 263.38
motus contrarios etiam in piorum hominum uoluntate 488.56
motum cœlestium orbium cessaturum 905.5
motibus prauis occurrendum 265.1
mundus ordine gubernari à Deo 156.4
mundi nomine quid intelligatur 153.48
mundari non esse causam electionis 359.45
mulier cur in Ecclesia tacere debeat 150.43
mulieris purpurariæ exemplum 428.56
multi, id est, omnes 158.39.161.52
multa esse possibilia, quæ nunquam erunt 87.3
munitio metaphoricè 24.25
mutationẽ ex uolũtate Dei fieri 381.3
mysterium 105.49
mysterium uaria significare 505.2
mysterium Dei non humana inuentione fuisse reuelatum 643.31
mysterium quotuplex 504.55
mysteria quomodo cæremoniæ dicantur 305.32
mysteria Christi in morte eius 131.4
mysteria ethnicorum sumptuosa 202.36
mysterij nomen quare eucharistiæ & baptismo tributum 505.8
mysterijs alij aliter afficiantur 106.5

N

NAbucadnezar seruus dei 2.39
Nabucadnezari merces pro ser

uitio 256.30
Narcissus libertus Cæsaris 640.40
natiuitatis Christi & aliorum discrimen 152.49
nasci sine peccato originali 387.32
nasci à pijs parentibus 341.13
nasci piè singularis efficaciæ est & stimulus ad piè uiuendum 469.29
nati obscuro loco 343.9
nationem unam non esse in duo corpora secandam 604.17
nationem Iudæorum non esse abiectam 494.36
natura quid 57.51
natura nouerca 175.37
natura nulla mala 259.45
natura se ipsam non abnegat 201.18
natura uitiata etiam in pijs 185.8
natura Dei, humana & diuina 279.10
natura Christi spiritu instauratur 58.15
natura trium personarum 279.6
natura humana unde sit assumpta 573.27
natura nostra ut à Deo instituta uitio caruit 424.55
naturæ etymologia 500.54
naturæ possibilitas 250.45
naturæ posibilitas distinguenda 250.50
naturæ hominum distinctio 503.48
naturæ nostræ regula 149.55
naturæ lex an peccatum ostendat 228.32
naturæ uitia, peccata 175.22
naturæ principia 186.13
naturæ nostræ corrupta tota massa dici potest oleaster 409.16
naturæ prauitas 264.22
naturæ humanæ in Christo & nobis discrimen 270.16
naturæ esse posse credere, at credere gratiæ 504.1
naturam qui laudant, inimici sunt gratiæ 251.55
naturam nostram esse uitiatam 482.30
naturam melioem per Adamum amissam recuperasse 281.26
naturas diuersas aliquid commune haberi in definitionibus 519.9
naturale quid sit 500.45
naturale est creaturæ, ut autori suo subdatur 503.50
naturales notitiæ an peccata 206.13
nati ex Deo 554.9
nati ex Dei substantia nos non esse 289.15
necessitas quotuplex 379.56
necessitas credendi 102.50
necessitas bonorum operum 283.55
necessitas ferrea 436.11
necessitas faciendi legem 102.43
necessitas fatalis 407.18
necessitas infallibilitatis 437.12
necessitatis distinctio 434.48
necessitatem coactionis nõ esse ex prædestinatione 435.27
necessitatem certitudinis non esse negandam 436.1
necessitatem certitudinis poni à scripturis 435.40
necessarium omne esse dum est 440.29
necessitatibus Deum nos monere 17.21
necessarij definitio 379.55
necessitudinem fraternam esse efficacissimam 592.15
neglectus fratrum excitat contentiones 593.15
νεμέσιος & crudelitatis discrimen 423.9
nemo in sua uocatione debet esse otiosus 590.38
neminem posse dicere dominum Iesum nisi in spiritu 454.35
Nero opprimit orbem terrarum 606.21
Neronis principatus exempla 608.24
nihil extare, nisi quod Deus uoluerit 346.30
nobilitas quid iuxta Aristotelem 494.50
nobilitatis utilitas 342.52
nobilitatem & dignitatem ad iustificationem nil facere 559.7
nobilium opus est hospitalitas 596.47
Nicodemi nostrorũ temporum 445.3
Noë fide in Christum est iustificatus 566.36
notitiam Dei non frustra uocari præscientiam 436.54
Noë credidisse quæ pertinebant ad domum suam 566.30
nomen nullum esse sub cœlo, quo possimus salui fieri, nisi unius Christi 531.55
nomina stellarum, aerum &c. cur non sint abolita à primitiua Ecclesia 471.37
non posse credere qui gloriam quærũt ab hominibus 556.49
non credenti nihil est posibile 570.17
non esse cedendum aduersarijs à uoce sola 578.37
non satis esse qualemcunque gratiam profiteri 572.49
non concupiscere iuxta Augustinum 229.39
non iustificamur ex dignitate fidei 565.51
non oportere quenquam sapere quomodo intelligatur 599.57
nos loqui de uera, solida & uiua fide 574.3
nosse se ipsum ex Paulo 267.36
notitia duplex 47.18
notitia Dei latior præscientia 410.21
notitia Dei duplex 30.14.240.12
notitiam Deo esse tribuendam 438.44
notitia naturalis de Deo infirma 31.28
notitiam status sui pristini ad modestiã conducere 496.52
nouitatis uocabulum apud Paulum 200.8
natiuitatem & contingentiam esse in rebus 435.32
Nouatianorum lapsus 72.1.87.19
Numa Pompilius Deum esse mentem intellexit 41.44
Numa à templis imagines expulit 41.48.
numerus credentium 332.52
nuptialis nostra uestis quæ sit 613.49
nuptias in genere non esse malas 576.49
nullum arceri à iustificatione 534.13

O

Bcæcationis efficiens causa quæ sit 474.52
obedientia quid sit 162.37
obedientia colitur Deus 12.48
obedientia Christi & Adami inobedientia 162.22
obedientia Christi quid peperit 162.77
obedientiæ Christi exemplum 162.33
obiectio Pauli 70.11
obiurgatio Apostoli 417.9
obseruationes non esse uarias 581.2
obsecrationibus quando utendum, & quando increpationibus 480.43
obscuritas doctrinæ 356.40
obtrectatores 46.6
oblationem nostram rationalem dici 483.39
occasionem esse obseruandam 594.18
occasiones habentur ut nutus Dei 594.30
occasiones peccandi à Deo offerri 37.21.26
otium esse mortis imaginem 583.10
occupationes Pauli 57.19
odium Dei non emanare ex operibus 363.27
odium excitare conuitia 568.51
odium mundi erga pios unde 133.2
odij affectus non frustra nobis inditus 592.15
odio Deum habere 174.1
odisse 363.8
Oedipi potestas 438.3
oleastri elegantia 497.57

oleastri 251.41
offensiones euitandas esse concionatoribus 442.32
officium legis 334.56
officium prædestinatorum 334.9
operatio tribulationis 327.49
operam ludere, qui absque fide orant 520.23
opus Dei est salus hominum 622.48
opus Dei non habere initium ex re temporaria 363.24
opus Dei fides in Christum est 573.45
opus Christi esse, ut credamus 568.23
opus fide metiri 114.4
opus operatum uox peregrina 113.52
opus operatum à sacramentis excludi 104.45
operis boni definitio unde colligatur 259.12
operis proprium 474.5
opera 101 3
opera bona cur ex obiecto non apprehendant iustitiam æquè ac fides 558.53
opera bona à Deo 349.46
opera bona non parta uitæ æternæ 52. 7
opera bona si non iustificant, non fit eorum uitio 520.54
opera bona excludi 416.17
opera bona ex fide tanquam principio oriuntur 421.18
opera bona præuisa 317.5
opera bona æternæ uitæ inchoatio 222.5
opera bona prædestinationi & reprobationi inseruire 434.27
opera bona ab impijs 101.21
opera bona habere nos ex prædestinatione 363.56
opera bona non semper præuideri in Dei prædestinatione 317.9
opera bona extra fidem nulla 52.8
opera quæ moraliter bona dicuntur 444.47
opera bona fidelium esse perfecta 447.5
opera bona in paruulis non requiri 412.23
opera bona non sunt felicitatis causæ 274.2
opera bona reprobatorum non profici sci à sincera fide 434.21
opera quæ uidentur bona, uertuntur in peccatum 572.55
opera regeneratorum 261.50
opera nostra à precibus auspicanda 14.4
opera, sacrificia 101.16
opera à uoluntate libera statuuntur 435.56
opera non esse causa fidei 310.51
opera post fidem iustificare 99.18
opera iustificant corã hominibus 77.7
opera multa speciosa inter Iudæos 400.20
opera moralia & cæremonialia 520.42
opera præuisa non esse causas prædestinationis 416.18
opera iustificationem non præcedere 92.37
opera à iustificatione ut excludantur 90.48
opera præuisa cur non sint causæ prædestinationis 415.1
opera si annectantur promissionibus in Euangelio 449.53
opera esse purgationes animorum 664.50
opera figuli 385.12
opera Dei sese mutuò iuuant 513.13
opera Dei potius miranda, quàm inuestiganda 513.55
opera legis an mutila & imperfecta apud Paulum 76.47
opera legis integra iustificare 76. 16.42
opera legis de moralibus intelligi 90.34
opera præparatoria 225.9.242.1
opera præparatoria reijci 214.3
opera præparatoria locum non habere 145.23
opera præparatoria non esse absolutè neganda 534.4
opera præparationis quibus prosint 257.22.
opera ut ad salutem concurrant 52.22
opera non habenda sunt causæ salutis 473.26
opera sola operantes sine fide seruare non posse 572.52
opera non esse causas uocationis nostræ 416.43
opera supererogationis 74.25
opera esse adhibenda, ne gratia sit inanis 472.53
opera speciosa ad exitium 257.16
opera mortua esse absque fide 571.20.
opera nostra non esse digniora prædestinatione 418.30
opera, de quibus loquitur Apostolus, nõ iustificare 75.23
opera quæ primas habent 53.20
opera non esse causas salutis nostræ 446.40 (254.12
opera ante iustificationem peccata
opera sine fide 255.30
opera nostra quare imperfecta 221.50
opera minimè gratiam conferre 474.10
opera non credentium peccata 64.5
opera infidelium an sint peccata 331.40
opera infidelium esse peccata 448.52
opera uel præcedunt, uel sequuntur iustificationem 520.44
opera & carnalem promissionem non esse causas promissionis 346.22
opera continere signa & prodigia 633.12
opera ciuilia subijci arbitrio 367.27
opera moralia sunt sigilla iustitiæ imputatæ 522.52
operum disputatio 52.3
operum tria genera 247.17
operum iustitia in quo sita 214.16
operum bonorũ & peccatorũ collatio 424.4
operum Ethnicorum merces 256.15
operum bonorum dignitas 96.42
operum bonorum causam esse iustificationem 414.47
operum turpium finis 218.35
operum legis principia 76.13
operum meritis in Christi membra non sumus cooptati 421.2
operum accusatores 385.42
operum præparatoriorum affirmatores 467.36
operibus cùm iustificatio adscribitur 76.27
operibus bonis dignitas relinquenda 123.11
operibus cur adimatur uis iustificandi 558.43
operibus legis ceremoniæ intelligi 75.46
operibus considere non licere 221.55
operibus ciuilibus euentus nõ sequi necessariò 248.2
operari & non operari 100 33
opinio philosophorum 302.15
oraculum generale 72.44
oratio ex fide 253.14
oratio quæ sit uana & inanis 502.2
oratio honorifica de creatore 462.2
oratio Prophetarum 301.5
orationis formam esse obsecrationem 580.21
orationis simile 130 51
orationem dominicam nihil mali optare 313.26
orationibus insistendum 14.7
orationibus insistere est filiorum Dei 13.42
orare pro peccatis 101.39
orandi mos apud Christianos obsoluisse dolendum 13.49
orantes subdimur Deo 13.46

ordinem causarum esse certum 438.54
ordines tres Iudæorum 287.14
ἐριῶ ἔντος quomodo interpretandum 6.2.14
originis peccatum nemo euitare potest 423.34
originis culpa malorum omnium fundamentum 479.3
originalis peccati contagio 153.28
originalis culpa non antecedit iustificationem 425.39
originali pro peccato an pœnitentia requiratur 166.4
Origenes in 15 cap. Actor. 609.26
Origenes quid intelligat per naturam
Origenes Romam uocatus 6.11
Origenes in Iobum 569.48
Origenes de uoluntate Dei 585.53
Origenis sententia de purgatorio 506.45
Origenis lapsus continetur scripturis 506.7
Origenis expositio 516.33
Origenis interpretatio 577.43
Origenis acumẽ et profunditas 475.45
Origenis regula in legendis Prophetis 506.35
Origenis lectio plana 71.8
Origenem non esse audiendum 604.6
Oseæ testimonium 395.4
ὀφώριον 218.45
ouis proprium 215.3
ouium similitudo 327.41
omnes nasci in peccato 414.52
omnem creaturam per hominem intelligi 298.7
omnia quæ credimus in symbolum esse contracta 398.30
omnes quicunq; uolunt seruãtur 473.7
omnia donata nobis esse ad salutem 321.53

P

PAnem & uinum pro Deo colere non debemus 614.55
Papa quanti faciat peccatum originis 177.30
Papæ exorcismus in baptismo infantiũ 177.30
Papæ pedes Romæ osculantur 458.17
Papæ gladio nullos esse meliores, sed deteriores factos 604.50
Papæ leuibus argumentis suum gladiũ tuentur 604.46
Papam esse hostem Euangelij iuratum 458.19
Papam se ab omni potestate exemisse 603.33
Papatus idololatra 34.51
Papatus gaudet superstitiosis ceremoniis 622.26
Papistæ ueritates non scriptas credendas obijciunt 226.9
Papistæ impudentes & impij 130.38
Papistæ bona opera clamant 123.5
Papistæ beneficium Christi abscondunt 123.7
Papistæ an promissionem spiritus habeant 69.45
Papistæ an sint discipuli Christi 69.46
Papistarum cæcitas in Euangelicos 615.30
papisticum purgatorium 506.45
Papistarum dogmata impietatem promouent 82.24
Papistarum molle pecus scitè dicitur 478.3
Papistarum blasphemia de iustificatione 71.46
Papistarum pastorum astus 130.31
Papistarum fucata opinio 260.19
Papistarum prætextus malus 90.23
Papistarum figmenta bona opera euertere 71.50
Papistarum absurditas de spe 138.18
Papistarum turpis lapsus de iustificatione 96.28
Papistarum obiectioni de operibus legis 90.33
Papistarum impietas 257.8
Papistas et Pelagianos cõuenire 252.18
Papistas grauius errare, in quibus nos reprehendunt 49.1
Papistas ad Manichæos accedere 252.6
Papistis exprobrantib. Euangeliũ quomodo respondendum 19.42
papisticos pontifices euocasse ornamẽta Aaronica 82.54
parabola Christi de semine 376.13
parabola de ficu 50.5
paralogismus accidentis 85.22
paralogismus collectus ex uerbis Pauli 197.28.44
παῤῥησία necessaria ministris uerbi Dei 466.13
parentes Abrahæ fuisse idololatras 395.25
partitio sacrificij 581.41
partiendũ non esse inter nos & Deum 419.14
particulares Ecclesias posse deficere 502.24
paruuli qui sine Baptismo moriuntur 181.13
paruuli nisi per mediatorem instaurentur, perirent 426.40
paruulis unde salus ex Augustino 635.8
paruulos nasci in peccato 199.43
pastores boni 69.23
pastorum munus 194.24
pastorum est orare 66.6
pastorum oscitantia excitanda 130.18
πάθη 44.8
πάθος 285.28
pati cum Christo 295.20
παθήματα per legem esse 225.38
patientia in bene agendo necessaria 53.19
patientia Dei impunitatẽ non donat 50.50
patientia quomodo efficiat spem, & spes patientiam 594.47
patientiam è spe oriri 311.25
patientiam ad fortitudinem pertinere 136.5
patientiam opus perfectum habere 137.11
patientes oportet esse in causa propria 487.26
patriarchas spiritum Christi habuisse 227.25
patris & filij æqualitas 9.7
patris esse à periculo filium liberare 377.15
patrem esse fontem omnium rerum 323.38
patrem appellare Deum, & filium dominum 344.27
patrem inuocare 289.38
patrem esse iniustum, qui filios in tempore non castigat 376.49
patres ueteres seruatos fuisse per fidẽ 571.56
Patres extenuare sacramenta ueterũ 109.50
patres in Mosen baptizati cur 199.26
Patres usi sunt uoce Sola 576.37
patres quosdam non caruisse Euangelica libertate 227.20
patres ad Euangelium pertinuisse 58.31
patres nostros infectos peccato 180.58
patres ante circuncisionem quibus notis salutem suam signarint 117.46
patres in filijs puniri 183.14
patres omnes peccasse 176.42
Patres cautè legendi 102.38
Patres quomodo legendi 103.7
Patres de operibus hyperbolicè loquutos 76.33
Patres quando iustitiam operibus tribuunt quomodo sit intelligendum 569.2
patres radix & planta dicuntur quatenus in Christo sunt radicati 499.35
Patres de satisfactione ut audiendi 88.42
Patres quo sensu precibus & ieiunijs

tam multum tribuerunt 531.21
patres cur posteritatis cupidi 98.36
patrum quorundam error in electione Dei 3.46
patrum dissentientium sententiæ pugnantis conciliatio 507.35
patrum suffragia de natura corrupta 175.50
patrum sententia de prædestinatione cum autore non consentire 421.18
patrum quorundam error 217.27
patribus non nimium tribuendum 24.1
paterna dilectio Dei 418.53
Paulus per quem uocatus 6.42
Paulus uocatus non ex meritis 3.16
Paulus cur præ cæteris Apostolis odiosus fuerat Iudæis 638.44
Paulus cur Titum noluerit circuncidere 617.38
Paulus cur de se scribat 246.25
Paulus cur ad Rom. scripserit 15.36
Paulus mandatorum Domini obseruantissimus 642.40
Paulus cur circumeundo orbem tanta festinatione uteretur 634.32
Paulus cur deduci uoluerit à Romanis in Hispaniam 635.1
Paulus se purgat à Iudæis 10.53
Paulus omnibus debitor 18.12
Paulus tur ab initio Romam non uenerit 634.19
Paulus per uincula Romã uenit 17.13
Paulus an uerè potuerit Romanos laudare 630.55
Paulus insimulatur ut hostis Mosis 450.27
Paulus cur miser 245.26
Paulus ignoratione lapsus 11.4
Paulus peccatis obnoxius 236.9
Paulus cur corporis magis, quàm animi faciat mentionem 303.42
Paulus cur quod uult nõ faciat 239.50
Paulus cur tot uijs commendauerit obedientiã erga magistratũ 610.39
Paulus quæ scripserit audacius 631.37
paulus quid intelligat per gratiam 586.6
Paulus an pugnet cum Ezechiele 496.12
Paulus quid intelligat per opera 402.6
Paulus cur iuret Romanis 10.49
Paulus reuocat Gentes ad considerationem 500.5
Paulus in tertium cœlum raptus uidit arcana 515.24
Paulus Rhetorum præcepta seruat 1.19
Paulus uocat electos uasa misericordiæ 393.48
Paulus in lege tria ostendit 123.3
Pauli conuersatio secundum legem 236.3
Pauli probatio nos Adami maculæ esse participes 351.33
Pauli reprehensio magis in Christianos quadrare 61.54
Pauli demostratio de iustificatione 975.57
Pauli scopus 243.7
Pauli methodus 3.2
Pauli antithesis de peccato 216.15 159.20
Pauli uehementia 299.57
Pauli adhortatio ad uitam puram 208.24
Pauli amplificatio de Christi beneficio 160.50
Pauli adhortatio ad timorem non inutilem 502.44
Pauli ratio quomodo colligenda 197.37
Pauli ratio de operibus uniuersalis 100.47. 101.4
Pauli ratio quò tendat 161.45
pauli dilectio 328.35
pauli uigilantia 614.16
pauli diligentia in sacris literis 98.31
pauli prudentia 8.10
pauli exclamatio pij hominis est 245. 35.416.52
pauli & nostra causa eadem 71.55
pauli conditio ante conuersionem 236.17
pauli distributiones quomodo sint accipiendæ 628.56
pauli obstacula ad desideria perficienda 16.47
pauli & philosophorum discrimen 240.19
pauli sententia quomodo sit intelligenda 570.9
pauli sententiam simpliciter accipiendam 368.49
pauli ministerij signa 632.41
pauli tres tituli 13.2
pauli segregatio 3.40
Pauli, Mosæ, & Aaronis collatio 633.40
pauli Apostoli & romani pontificis discrimen 4.26
pauli sacerdotium fuisse euangelizare 632.14
pauli qui fuerint aduersarij 19.42
paulo quibus paretur autoritas 1.20
paulo tria hominum genera 18.29
paulo necessitas fuit prædicandi 17.57
paulo nihil fuit impedimento ad prædicandum 18.44
paulo impositam fuisse præter Euangelij prædicationem curam eleemosynarum 635.35
paulo spiritu prohibitum, ne iret, aut loqueretur 14.29
paulum uoluisse inculcare gratiam Dei 363.2
paulum consulere de legis disputatione 122.52
paulum non lusisse in sacris literis 353.51
paulum non legisse scripturas oscitanter 353.26
paulum magnificere scripturas 25.45
paulum non desistere ab amando Deo 338.33
paulum scripsisse de iustificatione ad totam Ecclesiam 533.31
paulum non abuti testimonio Abachuchi 24.46
paulum iustificationem tribuere fidei 452.52
paulum nihil loci relinquere meritis 354.6
paulum fuisse doctorem Gentium 493.9
paulum perfectè legem non agnouisse 236.37
paulum non meminisse legis, sed iustitiæ 401.21
paulum non tantùm agere de operib. cæremonialibus, sed etiam de moralibus 576.57
paulum non mentiri 497.18
paulum esse anathema 384.55
paulum ad prædestinatos pertinuisse 339.5
paulum nõ rectè abstulisse operib. cæremonialib. uim iustificandi 576.8
paulum excluisse à iustificatione tantùm opera legalia 576.54
paulum conscientiæ non aduersatum in persequendo 11.3
paulum non semper bona hostib. optasse 598.10
paulum excæcasse Elymam Magum 488.26
paulum fuisse Iudæis gratificatum 446.25
paulum prius prædicasse Iudæis, quàm Ethnicis 493.12
paulum non facere mentionem obedientiæ 387.26
paulum constituisse & electionem & reprobationem pendere ex uoluntate Dei 383.12
paulum non resoluere quæstionem ad Dei præscientiam 355.27
paulũ libero arbitrio caruisse 239.10
paulum persequutum esse Christi membra 467.45
paulum & prophetas turpia liberè reprehendisse 39.46
paulum usum fuisse interdum seueritate 580.38
paulum respexisse iudicium hominum 555.31

Paulum neminem baptizasse, præter Crispum & Caium 642.45
Paulum excusando non mutare, quæ scripsit 631.47
Paulum conferre charitatem cum donis gratuitis 555.40
Paulum habuisse uxorem 576.51
paulinæ rationis explicatio 60.44
paulinæ conclusionis uehementia 617.26
paucos esse uocatos ex Iudæis 365.2
pauperè loqui obsecrationibus 580.24
paupertate aut corporis morte premi satius est, quàm prauis affectibus 476.51
Pax hîc imperfecta 8.32
Pax martyrum 134.43
Pax quæ sensum superat 8.39
Pax nulla cum dubitatione salutis 139.43
pax apud Hebræos 8.22.457.38
pax quid significet 133.7
pax ex gratia expectanda 8.29
pax prædicationis Euangelij 457.7
pax quando repudianda cum hominibus 601.4
pax, patientia, gaudium, fructus spiritus 62.26
pax quam cum Deo habemus 133.51
pax, bonitas, & liberatio ubi sitæ sint 457.41
pacem tranquillitas conscientiæ sequitur 83.6
pacem in æqualitate non posse haberi 604.46
pacem habere ad Deum 133.12
pacem esse sitam in regno Dei 457.42
pacis Christi non esse finem 458.4
paci cur gratia addatur 8.27
peccatum 209.47.214.27.258.10.198.27
peccatum à diabolo ortum 150.51
peccatum quid 79.50
peccatum legis vinculum 416.19
peccatum originis 286.10
peccatum Adami contagio nostra fuit 151.4
peccatum Adami quomodo obesse nobis poterit 350.46
peccatum cum homine nasci 176.2
peccatum insitum esse nobis à natiuitate 363.57
peccatum originis per procreationem propagari 180.40
peccatum originis imbecillitatem esse tantùm, error 154.24
peccatum originis quid comprehendat 178.6.179.6
peccatum originale in quo differat ab actuali 151.11
peccatum originis prædestinationem necessariò sequitur, non antecedit 425.56
peccatum originis uniuiq; proprium 162.51
peccatum originis ut tollatur 181.4
peccatum originis cur concupiscentia dicatur 171.15
peccatum generationi piorum se insinuat 285.4
peccatum originis esse ex scripturis 164.5
peccatum originis iustitiæ carentia 171.17
peccatum originis negantium rationes 163.26
peccatum originale antecedit cuiusq; damnationem 426.3
peccatum originis in uarias formas uitiorum erumpere 388.23
peccatum originis à Deo infligi 38.11
peccatum originis qui negant 163.25
peccatum originis iuxta Pelagianos 165.9
peccatum originis iuxta Pighium 165.39
peccatum ut accipiat Pighius 166.6
peccatum augeri 225.36
peccatum duo continere 151.9
peccatum lege augetur 173.7
peccatum & mors se consequuntur 151.48
peccatum mortuum 233.4
peccatum cur mortale 264.5
peccatum actuale 155.24
peccatum animam & corpus contaminare 187.55
peccatum electos nõ damnare 180.22
peccatum quod extra fidem 84.19
peccatum quod non est ex fide 261.4 569.56
peccatum idololatriæ 386.29
peccatum in pueris 186.6
peccatum regnare 161.1208.50
peccatum in morte regnare 192.46
peccatum bifariam remitti 263.52 486.56
peccatum si esset causa reprobationis, nullus eligeretur 426.48
peccatum grauissimum gaudere propijs damnis 40.9
peccatum in infantibus sopitum 172.47
peccatum ut à Deo profectum, non esse peccatum 37.52
peccatum duo complecti 37.34
peccatum à natura esse seiungendum 487.48
peccatum lege obsum 235.37
peccatum unde condemnationem meruit 273.4
peccatum non deleri, neque radi 166.3
peccatum peccato Deus punit 506.47
peccatum adiacere 244.5
peccatum non tantum in carne, sed in animo 244.2
peccatum execrationi obnoxium 260.30
peccatum quàm pernicioſum sit 235.38
peccatum ante legem consopitum 189.35
peccatum legis nomine cur ornetur 245.5
peccatum in spiritum sanctum 263.51
peccatum cum iniustitia coniungi 209.32
peccatum cur pœna dicatur 264.57
peccatum Dauidis 356.29
peccati uocabulum 149.38.49
peccati uox à Paulo ut accipiatur 155.22
peccati definitio 262.52.247.9
peccati definitio uniuersalis 155.27 156.1
peccati iusta ratio 68.2
peccati ratio 265.56
peccati ratio ut expendenda 186.23
peccati ratio quomodo euitetur 259.34
peccati radix 115.31
peccato Adami, an gratia Christi maior 159.27
peccati originis definitionis declaratio 173.23
peccati originis definitio 173.26
peccati originis appellationes 163.23
peccati uera causa 228.5
peccati originis causa 175.20
peccati originis materia 151.16
peccati originis proprietates 278.51
peccati originis remedium 180.3
peccati originis uaria peccata 173.34
peccati alia distinctio 264.38
peccati originis pœna 181.31
peccati initium à muliere 150.47
peccati cognitio unde 155.50
peccati cognitionem quæ impediant 228.23
peccati natura 167.18
peccati uigor 178.34
peccati pondus ex redemptionis precio 85.48
peccati notitia quàm utilis sit 149.2
peccati duplex notitia 229.48.79.31
peccati uiuentis inditia 226.43
peccati initium 150.55
peccati originis reliquiæ 181.22
peccati distinctio 263.50
peccati originis & actualis discrimen 187.5
peccati mors duplex 234.3
peccati stipendium 230.2
peccati acceßiones 188.25
peccati effecta sunt interdum corporis pœnæ 509.2

Peccati expers nemo castigatur 221.26
peccati seductio duplex 234.34
peccati tria effecta 234.28
peccati idololatriæ amplificatio 33.4
peccato quomodo Christus moriatur 207.50
peccato quibus homo obnoxius 422.31
peccato quomodo moriamur 207.51
peccato obedire 209.1
peccato cur non seruiendum 206.52
peccata pœna peccati 264.40 573.34
peccata non esse paria 256.46 562.41
peccata necessaria cur peccata 265.12
peccata impropriè 266.8
peccata omnia in quod resoluantur 231.20
peccata omnia sua natura mortalia 154.27
peccata homines non nouerant 156.22
peccata an Deus ferat 236.54
peccata peccatis puniri Deus 476.50
peccata quomodo cadant sub reprobationem 425.50
peccata quæ per legem cognoscuntur 79.39
peccata tecta 701.25
peccata pro pœnis peccati 88.45
peccata à Deo nos diuiserant 132.55
peccata non præcipit Deus in lege sua 477.36
peccata solus Deus condonat 509.1
peccata carnifices Dei 45.41
peccata Deũ ulcisci ethnicos non ignorasse 156.38
Peccata quædam sua natura non imputari 156.51
peccata post iustificationem contingere 87.19
peccata propria habere 177.14
peccata quomodo ueteribus ante Christum remissa 509.52
peccata abluit non uictimarũ sed Christi sanguis 509.57
peccata non sunt uera causa iustificationis Dei 71.33
peccata actualia an propagentur 186.26
peccata à quibus coargui maximè debeant 74.46
peccatorum principia 424.7
peccatorum imputatio duplex 156.57.
peccatorem iustificari paradoxum humanæ prudentiæ 23.48
peccatorum agnitio pernicioſa 79.36
peccatorum gradus 264.16
peccatorum condonatio in ueteri Testamento 509.47
peccatorum discrimen 209.8
peccatis nostris Deum abuti 214.8
peccatis aliorum quomodo posſimus abuti 491.15
peccatis non punit Deus, nisi peccata præcesserint 477.21
peccare quid 150.1.188.31
peccare ad similitudinẽ Adami 157.32
peccare cùm sinat Deus amicos 68.38
peccasse omnes, nullus excipitur 155.7
peccat qui contra legem facit 541.44
peccantes diabolum imitari 165.13
peccantes in spiritum sanctum quæ pœna maneat 425.18
peccãtibus nõ debere adulari 442.46
peccatorẽ se potius præparare ad peccatum, quàm ad salutem 467.35
peccatores non audiri 253.7
peccatores nos omnes esse in Adamo 494.45
peccandi necessitas 249.54.250.42
pædagogum non esse uertendum in patrem 446.39
pedobaptismus non est res noua 204.40
Pelagius damnatus à duodecim Episcopis 176.46
Pelagius quid per gratiam intellexerit 191.50
Pelagij historia 254.34
Pelagianum commentum 254.42
Pelagiani concupiscentiam bonam dicebant 44.24
Pelagianorum argumentum de peccato 151.6.181.52
Pelagianorum argumenta 170.18
Pelagianorum sententia de salute 80.50
Pelagianorum paralogismus 44.17
Pelagianis mors Christi irrita 192.4
Pelagianos confugisse ad communem gratiam creationis 575.50
Pelagianos ualde debacchaturos fuisse in Christianos 573.38
per auditum quid intelligat 459.26
peregrinam linguam in Ecclesia Antichristus adhibuit 198.53
peregrinationes hodiernæ 15.51
Peripateticorum mediocritas 39.12
periculum tam est à scientia, quàm ab imperitia 615.23
perfecti qui 150.14
perfectiones in nobis deo esse attribuẽdas 29.43
perfidiæ exemplum 483.45
permissionem à uoluntate non differre 436.41
permissionem redigi ad uoluntatem 362.3
permultos inter Hebræos fuisse impios 494.40
pernicioſus casus 602.44
perpaucos esse seruatos tempore Christi 397.18
perseuerantiam esse donũ Dei 503.16
perseuerantiam scripturæ pollicentur 139.12
perſequutorum ingenium 73.49
persona 55.40
persona quàm latè pateat 55.42
persona apud Apoſtolum 56.6
personam accipere 56.8
personarum acceptio iuxta Augustinum 56.20
personæ conditio ſpectanda in functionibus mandandis 422.14.
personarum acceptio apud Deum nulla 423.35
personas an Deus accipiat 56.23
personarũ distinctio in trinitate 272.10.
perſuaſio spiritus sancti 83.40
perſuaſionis argumentum ab operibus 141.1
petra 279.16
Petrus quid egerit apud Cornelium 253.49
Petri nullam esse factam mentionem 642.24
Petrus à Paulo reprehenſus 620.8
Petrum fuisse Romæ Chryſoſtomo non constitisse 17.4
petite & accipietis quomodo intelligendum 540.18
φιλαυτία in Ecclesia 498.8
pœna peccati originis iuxta Pighium 165.53
pœna talionis 464.31
pœnæ huius uitæ impijs præludia 182.40
pœnæ quomodo peccata dicantur 179.39
pœnæ peccatorum sunt illorum incrementa 45.2
pœnæ damnandorum impares 59.30
pœnæ à iuſtitia profectæ inter mala recenseri non deberi 600.35
pœnis peccati qui excipiantur 181.47
pœnitentia & ieiunium Papistarũ accusatur à Paulo & Chryſoſtomo 198.45
pœnitentia annexa est fidei 508.35 512.56.554.27
pœnitentia donum Dei 428.52
pœnitentia non est causa remissionis 507.39
pœnitentia non impedit sententiam à Deo latam 476.30

pœnitentia exigitur in baptiſmo adultorum 512.52
pœnitentia de afflictione 365.9
pœnitentia Chriſtiani perpetua 88.11
pœnitentia Papiſtarũ gloriatur 89.47
pœnitentiæ ueræ una ratio 88.7
pœnitentiæ conciones 353.37
pœnitentiæ iuſta Pauli concio 26.21
pœnitentiam fidei adiunctam eſſe 577.17
pœnitentiæ ueræ exemplum 245.37
pœnitere Deum quæ loca ſubindicare uidentur 511.48
pœnitere quomodo deus legatur 511.57
pœnitenti ſuccurrit ſtatim Deus 477.49
Pharao induratur 476.53
Pharaonis exemplũ in quem finem poſteris relictum 430.13
pharaonis exemplum 382.4
pharaonis comparatio 373.73
pharaoni ereptam fuiſſe libertatem 375.7
pharaonem non habuiſſe à Deo uaſa miſericordiæ 394.11
pharaonem fuiſſe appellatum uas iræ 393.6
pharaonem promouiſſe damnationem 393.17
phariſæorum & papiſtarũ ſimilitudo 97.26
phraſis prophetis familiaris 597.30
phraſis hebraica notanda 497.25
phæbe quale miniſterium habuerit in Eccleſia 640.2
phreneticorm morbus grauis 40.11
philoſophia infirma ad emẽdandas res humanas 18.44.
philoſophia ſine Euangelio contaminata 26.28
philoſophiæ Chriſti, & mundi diſcrimen 160.27
philoſophus acutè perſtrictus à Diocletiano 607.20
philoſophi non habuerunt mentem purgatam 585.17
philoſophi taxantur 32.3
philoſophi tenuiter de Deo ſenſerunt 31.37
philoſophi qua uia Deum intellexerint 29.16
philoſophi ueritatem contaminarunt 28.35
philoſophi deſperarunt 28.46 (44
philoſophi Deo ſe nõ permiſerunt 28.
philoſophorũ dogmata tardè eſſe propagata 464.7
philoſophorum erat prædicare cognitam ueritatem 28.29
philoſophorum turpis uita 20.50
philoſophos ualuiſſe iudicio 47.44
Phinees an ex facto iuſtificatus ſit 99.11
φρόνιμοι qui ſunt & dicantur 505.33
pietas ualet ad omnia 622.33
pietas 11.25
pius homo ex duobus principijs 267.38
pius animus 380.12
pius non eſt incertus de ſua ſalute 502.5
pij cur dilecti Dei 7.26
pij non debent dubitare utrum ſint electi 317.28
pij à Deo uidentur in cruce deſerti 142.44
pij Deo quomodo ſeruiant 262.27
pij in calamitatibus ut ſe debeant ſolari 142.49
pij ut Deum colant 12.40
pij ut ſe gerant in alienis uitijs 48.44
pij quomodo Deum uincant 340.5
pijs peccata etiam in bonum cedere 68.13
pijs quomodo aduerſis proſint 315.9
piorum ſententia contraria 300.7
piorum & impiorũ diſcrimen in inquirenda ſalute 53.3
piorum multitudo unde 398.23
piorum et impiorum diſcrimen 315.43
piorum pœnæ hic finiri 50.42
piorum incommoda 325.57
piorum conſilia 248.15
piorum affectus contrarij 245.43
piorum hominum diſtinctio 298.32
piorum & impiorum diſcrimen 244.24
pios opera Deo grata præſtare 262.41
pios nihil pati periculis à peccatis 267.31
pios non ſtatuere ſuam iuſtitiam 447.44
pios Deus auxilijs mundi cur expoliet 142.53
pios gemere & gloriari 135.19
pios lege delectari 244.20
pios homines ad preces debent excitari 500.36
pijs accidere quotidiani lapſus 262.30
pijs omnes creaturas ſeruire 301.26
pijs Deus perquirendus & cur 73.6
Pighius concedit, opera non eſſe cauſas prædeſtinationis 421.37
Pighius contra Auguſtinum 169.12
Pighius dicit Deum opera præparatoria requirere 562.57
Pighius impudicus laudator concupiſcentiæ 170.50
Pighius uult præparationes quaſdam eſſe ad iuſtificationem 569.52
Pighius Pelagio peior 177.44
Pighius Pelagianus 172.53.173
Pighius quo loco habeat Patres 177.22
Pighij perſuaſio 564.19
Pighium docere & facere cum Pelagianis 561.49
Pighij impudentia 174.13
Pighij falſa imaginatio 178.1
Pighij ænigmatis explicatio 564.44
Pighij ſententia 560.14
Pighij error contra Auguſt. 170.54
Pighij cauillum 553.40
Pighij obiectio ex 18. capite Ezechielis 567.46
Pighij paralogiſmus de peccato 178.22
Pighij figmentum 426.19
Pighij error de imagine Dei 172.5
Pighij mendacium contra Auguſtinũ 171.10
Pighij ſomnium 178.4 (557.50
Pighio ineſſe meram inſaniam
Pighio fidem eſſe fundamentum 559.54
Pighiũ confundere iura diuina 563.6
Pighium non ſeriò ſcripſiſſe de hoc negotio 560.10
Pighium agere de hominibus nondum renatis 564.32
Pighium cauillari de fide particulari 566.6
Pighium ſaluum relinquere honorem Dei 564.42
Pighium Romanam eccleſiam contemnere 177.17
Pighium non obſcurè oppugnare doctrinam Apoſtoli de iuſtificatione 558.5
Pighium fruſtra Deum accuſare 376.46
pignus hic per ſpiritum habemus 143.24
pilos capitis noſtri omnes eſſe numeratos 408.56
piſces comediſſe gratis quomodo intelligendum 575.4
Plato & pythagoras 357.1
Platonis exemplum 18.39
Platonis legis definitio 190.42
Platonis ſimile de corruptis hominib. 81.54
plenitudo temporis 145.11
Plinij iunioris teſtimonium 123.6
Poëtæ iuxta Platonis ſententiam 34.42
Poëtarum natura 79.34
πολιτεία quibus uerbis Paulus intelligat 719.17
politiam Eccleſiæ miſerè intercidiſſe 591.45
pollicetur Deus Abrahamo, ſe factuũ illum in gentem magnam 558.14
πονηρία 45.50
pontificis officium 324.10

Pontificatus pecunijs mereari 61.40
populum nullum esse, qui Hebræis dignitate possit æquari 495.6
posteriores homines miseriores 187.35
potestas figuli 383.33
potestas quid sit 288.20
potestas nobis mouendi, aut agitandi nulla 381.56
potestas Dei in homines 418.42
potestati qui resistunt, cum Deo pugnant 605.13
potestatem illam esse adoptionem & gratiam 539.30
potestatem liberum hominem habuisse à creatione 368.22
potestatem Dei pendere à respectu operum 385.7
potestatem Dei per promissiones contrahi 384.6
potestatē quibus dedit Deus filios Dei fieri 396.29
potestate tam subditi quàm principes abuti possunt 606.16
potentia Dei in Pharaone 350.46
potentia Dei cur opus sit ad salutem 20.47.
præcipuam ministerij partem Apostolici uersari circa fidei iustitiam 452.14
præceptum primum 231.37
præceptum, Non concupisces cur adducatur præ cæteris 229.13
præceptum de concupiscentia non distingui 231.27
præceptum de parentibus honorandis cur prætereatur 608.18
præceptum Mosis quomodo accipiatur 450.66
præcepta Dei cur adhibentur 415.35
præcepta moralia cur Iudæis tradita 509.36
præcepta quam utilitatem afferant 242.47
præcepta an liberum arbitrium asserant 249.24
præcepta præstari non posse 249 29
præceptorum legis diuisio 229.24
præceptores Dei instrumenta 29.8
præcipitia duo cauenda 83.43
præcognitos quos uocet D. Paulus 469.32
præceptio iusta esse debet 187.34
preces statæ 13.27
preces nostræ 290.4
preces gratæ & iustæ 324.29
preces non constare orantium dignitate 638.30
preces uagæ 13.30
preces non esse inutiles 441.9
preces ardentes & uiuæ 442.26
Preces ad quid conducant 292.40
Preces Patriarcharū duo spectant 57.3
Precum duo genera 13.26
Precibus iuuandi sunt magistratus 610.25
Precibus utendum non execrationibus in nostra causa 487.37
Precibus pro impijs non parcendum 598.23
Præclarum genus uictoriæ 602.43
Preciosa in natura rara sunt 422. 53
Prædestinatio 409.30
Prædestinatio an sit 407.41
Prædestinatio quid 409.42
Prædestinatio quomodo sit obscura 406.38
Prædestinatio apud patres 412.51
Prædestinatio secundum Augustinum 411.15
Prædestinatio quot modis accipiatur 409.53
Prædestinatio quo referatur 412.43
Prædestinatio nullam imponit necessitatem 423.28
Prædestinatio quomodo debeat proponi 407.4
Prædestinatio nisi accedat stirps non sufficit 469.23
Prædestinatio infantium 319.43
Prædestinatio absque Abrahami semine esse potest 469.30
Prædestinatio nostra unde pendeat 288.40
Prædestinationis definitio alia 411.22
Prædestinationis imago magis in Christo quàm Maria reponenda 422.4
Prædestinationis ratio unde petenda 416.42
Prædestinationis principium non est Christus 421.11
Prædestinationis causa 414.11
Prædestinationis magna uis 400.28
Prædestinationis & præscientiæ consensio et discrimen 410.37
Prædestinationis effecta quæ sunt 426.53
Prædestinationis usus in sacris 410.3
Prædestinationis cognitio utilis 4.7
Prædestinationis ultimus finis 412.24
Prædestinationis doctrina fenestram bonis operibus aperit 423.50
Prædestinationis omnium effectorum Deus ex æquo non est causa 427.42
Prædestinationis nostræ imago in Christo apparet 422.3
Prædestinationis abusus 4.16
Prædestinationis doctrina neminem offendi 441.29
Prædestinationis arcana nulli cognosci possunt ulla ratione 506.30
Prædestinationis effectorum nullum est principium 421.10
prædestinationis definitio ex August. 364.28
prædestinationis usus 422.34
prædestinationis totum non esse Dei error est 421.24
prædestinationi omnia inseruire 315.56
prædestinationi diuinæ inseruire 437.44
prædestinationem in prædestinatis non esse statuendam 412.37
prædestinationem ad quatuor capitare uocari 416.15
prædestinationem esse origenem promissionum 384.12
prædestinationem in mente diuina positam 412.36
prædestinationem cum uoluntate & præscientiam cum intelligentia cõiungi 410.27
prædestinationem neminem simpliciter negasse 407.43
prædestinationem Dei esse æternam 418.19
prædestinationem habere causam finalem 414.28. (411.40
prædestinationem non esse rem nouam
prædestinationem præcedere uocationem 446.44
prædestinationem fidei non esse tribuēdam 418.2
prædestinationem non tantùm ad finem dirigere, sed etiam ad media 413.9
prædestinationem non esse communem omnibus 321.8
prædestinationem esse causam bonarū actionum 446.35
prædestinationem Dei non errare 318.12
prædestinationem ex præuisis operib. non esse scriptura docet 415.49
prædestinatione efficimur liberi 407. 26
prædestinatione Christo inserimur 3.45
prædestinatione quid spectandū 407.9
prædestinati manebit necesse est 428.24
prædestinatorum salus non mutatur 512.19
prædestinato etiam in grauissima peccata 434.12
prædestinatos non esse reprobatos 413.6
prædestinatis et reprobis communis est uocatio externa 430.39
prædestinari homines, & non bruta 410.31
prædestinari tantùm sanctos 410.12
prædestinari nos in Christo 412.6
prædestinari Theologi quos dicāt 410.9
prædicatio Apostolica 80.16
prædicatio externa 460.9
prædicatio Christi luculēta 459.3 (18
prædicationis Apostolicæ methodus 80

prædictio Iudæ nec abstulisse, nec iniecisse improbitatem 441.13
prædictionem uoluntatem Iudæ non immutasse 437.19
prædictionum sanctorum & maleficorum hominum discrimen 513.49
prædicationem esse communem 453. 56
prædicatione & uerbo Dei homines purgantur 506.41
prædicationi cur alij credant, alij non 582.29
prædicatores imitentur mercatores 19.1
prædicatores maximis persequutionib. fuisse acceptos 463.45
prædicatoribus non desistendum 69.28
prædicta euersio Niniue 437.30
præordinati ad uitam æternam credũt 418.10
præparatio Euangelica 438.36
præparatio cordis pauperum 536.55
præparationis opera asserere 3.12
præparationem significare dona 393.4
præputium ex natura 65.31
præputium fieri 63.53
presbyterorum munus 591.19
præscientia de futuris tantùm 410.23
præscientia bonorum operum 317.12
præscientia & prædefinitio quibus cõuenant 319.9
præscientiam nihil obesse bonis operibus 406.3
præscientiam Dei non tollere libertatem & contingentiam 437.11
præscientiam Dei non nanciscì certitudinem ex necessitate 440.4
præscientiam Dei neminem audere detrectare 322.39
præscientiam Dei non reuocare nos à studio precum 406.5
præscire non latius patere, quàm prædestinare 518.34
præsumptores 381.21
prauitas manana 205.50
prauitatis nostræ originem Ethnicos non intellexisse 170.43
prauitatem naturæ nostræ ethnicos admiratos 170.39
praui affectus peccata esse 166.55
prauis doloribus fratrum non licet se accommodare 599.33
primitiæ in lege quid significarint 495 34
primitiæ offeruntur Deo in pauperibus 495.35
primitiarum consuetudinem ad genus manasse 495.47
primum principium in Theologia 83. 39
principes bonos efficere uirtutes faciles 609.13
principes titulis suis appellantur 8.17
principia rerum duo 538.4
priuationes in originali peccato quæ 177.52
priuatis non licet tyrannum interficere 606.28
priuatam ultionem interdici 488.36
priuilegia non contrahenda 119.19
probitatem nostram non esse propriam 393.42
promissio de æterna uita non est uni generi generaliter facta 56.50
promissio condonationis peccatorum 509.35
promissio ex fide Iesu Christi credentibus datur 514.45
promissio non est per legem, & cur 118.50.119.9
promissio in Baptismo 203.9
promissio Abrahamo facta de Gentiũ benedictione 508.19
promissio Dei certum facit euentum 181.52
promissio Dei indefinita & uera 185. 45
promissio generalis 347.32
promissio cui sit facta 346.30
promissio ex gratia 124.4
promissionis diuinæ obsignatio 208.3
promissionem Dei non esse mendacem 346.38
promissionem non posse esse firmam omni semini 571.26
promissionem non allegari generi, aut carni 498.12
promissionem de iustificatione adiunctam non habere cõditionem 562.6
promissionem intelligere per uerbum 310.57
promissione freti paruuli baptizandi 185.33
promissiones legis datas ex hypothesi 449.50
promissiones Dei non esse irritas 394. 42
promissiones etiam temporariæ ut intelligendæ 24.50
promissiones non excidere 394.25
promissiones legales multæ conditionales 124.2
promissiones cur legi affixæ 121.17
promissiones Dei quotuplices 341.6
promissiones quid significent 350.15
promissiones Christi 136.20
promissiones quomodo accipiendæ 194.35
promissiones communes quomodo intelligi debeant 430.48
promissionum caput Christus 25.4
promissionum dona à Deo 69.51
promissionum una præcipua 126.1
promissionum Dei distinctio 68.42
promissionum certa regula 25.12
prrmissionum distinctio 121.21
promissionum legalium & Euangelicarum discrimen 294.27
promissa Dei ad quos pertineant 68. 49.
promissorum certitudo ex duplici capite 123.50
probatio 136.34
probationem operari spem 597.44
proditio Christi 437.14
prodigi filij exemplum 534.20
προοριζεσθαι humana quid differat à diuina gratuita electione 472.46
procemia quò tendant 9.33
profunditas ad electionem & prædestinationem pertinet 515.44
propagationis originalis peccati modus 152.5
propagationẽ carnis non esse causam sanctitatis 496.18
propositio uniuersalis ex lege 75.4
propositio prima octaui capitis 267 18
propositiones uniuersales non semper simpliciter esse accipiendas 555.20
propositiones uniuersales in sacris literis quomodo sint accipiendæ 507.3
proprium fidei 520.29
proprios ramos habere maiorem conformitatem ad suam plantã, quàm alienos 504.7
proprietates Dei tres sunt 515.26
propria duo deficientium à Deo 467. 16
proppsitio Apostoli capitalis 22.19
propositum Dei quid sit 364.26
propositum cur dicatur 348.54
pro hostibus non semper esse orandum 488.48
propositum Dei 411.31
propositũ denotare stabilitatẽ 316.31
propositũ adiuuari gratia Dei 317.26
propositum Dei cur dicatur sapientissimum 411.37
propositum moderari promissionibus 347.41
propositum significare præscientiam 355.44
propositum & electio cur Deo tribuantur 350.6
propositũ rectũ esse infirmum 242.22
propositum ipsum collocari in diuina uoluntate 413.2
propositi detrimentum 420.44
propositi dominium magnum 502.55
proposita & bona studia immitti à Deo 317.29
Propheta cur sit missus ad figulum 384.25
Propheta nõ potest excæcare 477.14
prophana à Latinis quæ dicantur 620. 41

Propheta de qua inuocatione ſcribat 454. 32
Prophetæ quomodo euerterent & extruerent regna 604.9
Prophetæ & pſalmi 301.5
Prophetæ cogitationes quibus anguntur explicant 24.3
Prophetas loqui metaphoricè 307.14
Prophetas fuiſſe ſanæ mentis 466.20
Prophetas fuiſſe interpretes legis 580. 48
Proximus pro proximo omnia facere debet 621.17
Proximis quid adferre debeamus 15. 48
Proximum non rectè diligi niſi Deus in ipſo diligatur 608.4
prouidentia Dei omnia fieri 16.56
prouidentia Dei ad omnia referri 410.40
prouidentia Dei cur dicatur immobilis 411.1
prouidentia cur dicatur ordinata 410.55
prudentia carnis Dei inimicitia 277.1
prouidentia Dei cur ſit perpetua 411.2
prudentiæ munus 310.2
prudentiæ offenſio 338.22
prouidentiæ Dei definitio 410.48
prouidentiæ diuinæ ſubijci etiam minimum 435.50
prudentiam humanam eſſe contra ſententiam ſpiritus 365.40
prudentiam ex naturali uſu prouenire 443.39
prudentem nullum eſſe ex liberalitate 560. 4
primos parentes creatos nulli peccato obnoxios 390.44
prouocandum ad ſcripturas 571.52
prouerbium apud Hebræos 182.48
προσυγκύπτοντας coadiuuans 479.22
προσηλύτους quos uocet ſcriptura 512. 15
προσηλύτοι qui dicantur 502.34
proſelytus quis ſit 469.10
Pſeudoapoſtoli perſtringuntur 1.35
Pſeudoapoſtoli dixerunt Paulum non eſſe uerum Apoſtolum Chriſti 493.7
Pſeudoapoſtolorum duæ notæ 641.10
Pſeudoprophetæ occiſi ab Helia plurimi 470.14
Pſeudoapoſtolos quomodo Paulus appellet 641.14
Pſeudoapoſtolos uentri non Deo inſeruiebant 641.2
Pſeudochriſtianos ſequuntur qui Chriſtum negligunt 481.42
Ptolæmei Philadelphi ſtudium 67.29
Publicanus orans 258.13
Pudor 217.42
Pudefieri quid ſit 453.29
Pudendum uulgò quid 19.18
Pueorum lex imago Dei 122.23
Pueros ueterum per Chriſtum ſeruatos 183.38
Puniri bis 56.18
Purum cor habemus ſi prædi ti ſumus charitate 578.23
Pythagoræ ſententia de Deo 41.46
Pythagoram non pati panem ferro di uidi 483.11

Q

Quadrageſima quid ueteribus fuerit 617.10
Querela Iudæorum reprimitur 453. 20
Quæſtio de Euchariſtia non intempeſtiua 614.49
Quæſtio de animæ traduce non poſſe diſſolui 153.9
Quæſtio de originali peccato 163.19
Quæſtio expugnantibus locis 62.24
Quæſtionis de iuſtitia Dei duæ partes 79.46
Quæſtio Apoſtoli duas habet partes 81.11
Quæſtionem bifariam accipi 382.39
Quæſtionum ſpinoſarum & ſalebroſarum origo 614.46
Quærimus ut Euangelium à lege diſtinguatur 529.2
Quærentes ex fide iuſtificari 564.5
Quæ non neceſſariò credantur 126. 19

R

Rabbi Dauid Kimhi explicationes 476.44.477.1
Rabini ſententia 467.5
Rachel uxor Iſraelis 469.12
Radix Iudaici populi 456.7
Rara duntaxat miranda 423.4
Ratio electionis alia in Deo alia in nobis 419.11
Ratio ſcholaſticorum 307.33
Ratio pulchra de imagine dei 172.20
Ratio efficax ad probandum ſolam fidem iuſtificare 576.25
Ratio Ciceronis 438.45
Rationis Paulinæ methodus de ſpe 143.54
Rationis duplex error 246.49
Rationem in nobis uitiatam 174. 49
Rationem diuinæ iuſtitiæ non petendam ex hominum operibus 386.14.
Rationem propoſiti diuini non poſſe à nobis comprehendi 468.42
Rationes uitæ unde petendæ 585. 29
Rationes diligenter eſſe ponderandas 554.2
Rationalẽ uitam non ſeparari in homine ab animali 555.56
Ratiocinatio aduerſus Paulum & eius reſponſio 5.10
Reatus peccati originis 151.19
Reatus per fidem remitti 155.36
Reatus per regenerationem tolli 265.46
Recipere & retinere Chriſtum quid ſit 560.48
Reconcilitio iræ Dei ad quos pertineat 147.14
Redemptio noſtra gratis 238. 31
Redimere 85.40
Regeneratio 203.16
Regeneratio duplex 205.9
Regeneratio non abſque ſpiritu ſancto 6.32
Regenerationis per aquam & ſpiritũ locus 427.56
Regenerationis inſtrumenta 180. 55
Regenerationis principia 207.9
Regenerationem ad ſpiritum ſanctum pertinere 347.8
Regenerationem à gratia proficiſci 418.38
Regenerati quatenus ſimus 175.1
Regenerati arbores bonæ 261.55
Regenerati ſecundum ſpiritum ambulant 274.25
Regenerati Dei cooperatores 209. 55
Regenerati poſſunt etiam ſpiritum in ſe ipſis excitare 593.46
Regeneratorum opera bona diſtingui 221.45
Regeneratorum facem multum habere in ſe imperfectionis 545.9
Regeneratorum mentem non eſſe undequaque repurgatam 585.1
Regeneratos non eſſe otiles 221. 40
Regnum Dei in quo conſiſtat 458.5
Regnum Dei æternum quid ſit 458.7
Regnum cœlorum 458.2
Regnum Chriſti 192.49
Regnum carnale Iudæorum eſſe euerſum 454.27
Regni duo propria 209.26
Regno cœlorum Idonei 562.56
Regna duo ſpectanda 160.9
Regnandi uerbum 160.58

Religio 11.25
Religio cur fides apelletur 10.29
Religionis Christianæ simplicitas 202.34.
Religionis capita 33.22
Religionis impuritas ethnicorum 117.53
Religionem nostram iustis sacrificijs non carere 584.5
Reliquias fore saluas 398.4
Rhetorum præcepta de procœmijs 1.19
Remedium unicum saluator noster 396.6.426.31
Remitte nobis debita nostra exponitur 538.33
Remittere pœnas homines possunt delere uerò minimè 508.50
Remissionem peccatorum obtineri per charitatem 568.52
Remissa sunt ei peccata multa quoniam dilexit multum, quomodo refutandum 540.55
Renati in Christo sanctè uiuunt 214.42
Renati à quibus abstinere possint ritus 265.41
Renatorum filij cum in peccato nascantur 151.25
Renouationis mundi conditiones 307.17
Renouari quæ dicuntur 584.41
Reprehensionis Paulinæ sententia 490
Reprehensionis methodus 55.5
Reprobationis effecta 426.427.5
Reprobationis definitio 413.37
Reprobos cur à prædestinatis separet 413.28
Reprobos cur appellet uasa iræ 390.54
Reprobis Deum nullam uim inferre 436.45
Reprobati non carent omnibus Dei beneficijs 431.17
Reprobato non inseruire diuino proposito 433.55
Reprobatos etiam posse facere bona opera 434.11
Rem ipsam non splendorem spectare debemus 554.4
Res nostræ quando bene habeant 458.1
Res significatæ 106.33
Res non esse communes 636.33
Res externas parum habere ponderis ad salutem 63.17
Res externæ ad salutem parum 63.3
Resipiscentia donum Dei 49.51
Respub. duabus rebus continetur 606.40
Respublica quid commodi ceperit ex cæremonijs 495.43
Reipub. nihil esse perniciosius quàm res agi per uicarios 590.39
Respublicæ sine Deo 466.4
Responsio de noua doctrina Euangelij 5.16
Resurrectio à spiritu 143.19
Resurrectio perfecta regeneratio 105.32
Resurrectio mortuorum unde colligatum 91.11
Resurrectio octauo die signatur 116.43
Resurrectio ad quid utilis 81.12
Resurrectio unicum signũ diuinæ naturæ 6.22
Resurrectio tam impiorum quàm piorum est 678.57
Resurrectionis Domini definitio 452.40
Resurrectionis probatio 204.36
Resurrectionis rudimenta 128.37
Resurrectionis quomodo sumus participes 280.51
Resurrectionis testimonia cur Christus non adduxerit ex Prophetis 619.7
Resurrectionem & uitam æternam quibus Deus promittat 519.40
Resurgere impijs non conducere 161.36
Reticius Augustodunensis Episcopus 174.4
Ritus hominum expungendi 21.14
Ritus sacri ante legem 63 46
Ritus gentium 340.57
Roboam quomodo dicatur non præparasse cor suum 536.4
Robur quidnam sit 628.25
Romani pontificis cum Paulo collatio 15.51
Romani cur dicantur sancti 7.31
Romani quibus absterrerentur à credendo 10.35
Romanas leges scortationem non punire 45.49
Romanorum fides uiuida 910.5
Romanorum opera 255.55.256.17
Romanorum ambitio 256.22
Romanorum Idololatria 10.10
Romana Ecclesia ex diuersis gentibus 7.23
Romana Ecclesia degenerans 10.22
Romana Ecclesia Antichristi sedes 10.23
Romano pontifici adulatorum diuina tribuunt 71.17
Romanis unde lege 18.22
Reuelatio gloriæ nostræ 301.57
Reuelatio Christi nõ est omnibus communis 428.33
Reuelationem quã intelligat 459.10
Rex agrippa 587.13

S

SAbbato Iudæorum respondet dies Dominicus 616.44
Sacerdotis Athenienſis exemplum 487.32
Sacerdotes Israelitici 607.33
Sacerdotes Aegyptij 607.26
Sacerdotium Melchisedech cur potius Aaronico 152.40
Sacerdotij Iudaici & Pauli ministerij collatio 632.50
Sacer 334.3
Sacramentum quid 105.40
Sacramentum apud Latinos 106.17. 505.13
Sacramentum Eucharistiæ mutilatum 71.41
Sacramentum militare 505.15
Sacramentum paruulorum 283.20
Sacramentum apud Christianos 106.21
Sacramentum sacrificium esse non posse 108.30
Sacramenti definitio 106.27.47
Sacramenti significatio 116.6.505.27
Sacramenta an peccata remittant 114.9
Sacramenta ueterum 382.49
Sacramenta ueterum & nostra eadem insubstantia 109.40
Sacramenta ueterum an salutem annexam habuerint 83.26
Sacramenta ueterũ ut infirma & egena 112.12
Sacramenta nostra quæ signa sint 106.39
Sacramenta nostra quomodo mysteria dicantur 505.10
Sacramenta à fide nostra non pendere 114.35
Sacramenta contemni Deum indignè ferre 117.32
Sacramenta olim bene nota Ecclesiæ 198.51
Sacramenta quando & quantum prosint 63.30
Sacramenta qua lingua peragenda 199.1
Sacramenta ex opere non conferunt gratiam 474.6
Sacramenta beneficium Christi ad memoriam reuocant 85.44
Sacramenta non conferre gratiã 530.36
Sacramenta Scripturis æquanda 106.1
Sacramenta quot sint numero 107.32
Sacramenta creduntur 460.37
Sacramenta quid præcipuum contineant 105.5
Sacramenta gestare nomina rerum significatarum 105.10.199.46

Sacramenta omnia signa appellari 202.9
Sacramenta uetera & noua symbolis distincta 109.15
Sacramenta signa 104.25
Sacramenta non nuda signa 108.26
Sacramenta ueterum & nostra eadem 110.35
Sacramenta nostra ueterum potiora 109.36
Sacramenta legis cur plura quàm Euangelij 112.7
Sacramenta ueterum non fuisse inania 110.12
Sacramenta, uerba uisibilia 104.42
Sacramenta fidei exercitia 108.11
Sacramenta quid conferant 105.20
Sacramentorum quorundam ueterum explicatio 112.21
Sacramentorum ueterum res manere 109.26
Sacramentorum ueterum signa ablata 109.31
Sacramentorum nomina commutata 111.9
Sacramentorum dignitas unde 63.1 109.7
Sacramentorum natura 104.51. 202.
Sacramentorum finis 107.18
Sacramentorum efficiens causa 107.26
Sacramentorum materia 106.56
Sacramentorum effecta 107.53
Sacramentorum modus 108.50
Sacramentorum tempora 109.13
Sacramentorum utilitas non momentanea 204.12
Sacramentorum perceptio 474.6
Sacramentorum ignorantia unde 198.52
Sacramentorum esca Christus 110.27
Sacramentis quantum tribuendum 114.30
Sacramentis aduersantur 108.17
Sacramentarij qui dici possint 108.24
Sacræ scripturæ ne apicem debere mutari 389.31
Sacræ doctrinæ nulla pars infrugifera 625.51
Sacrificium nobis licet offerre eucharisticum non expiatorium 581.47
Sacrificium pro alio offerre commentitium 273.46
Sacrificium εὐχαριστικὸν diuidi per subiecta 581.46
Sacrificium quid 581.34
Sacrificium unicum nostræ salutis esse Christum 472.
Sacrificia, Christi testimonia 83.20
Sacrificijs duo continebantur 112.30
Sacrificij, missæ, ac Euangelij collatio 632.18
Sacrificant præ alijs uerbi Dei ministri 383.55
Sacrilegium 61.25
Sacrum ministerium non esse contemnendum 493.56
Salutatio instrumentum charitatis 9.14
Salus est felicitas 21.31
Salus absoluta 253.55
Salus nostra tota est opus Dei 249.17
Salus nostra in Christo 419.6
Salus nobis ex gratia non ex operibus contingi 4.6
Salus nostra in resurrectione perficitur 52.33
Salus quotidie perficitur 254.5
Salus Euangelij in ueteri Testamento adumbrata 21.36
Salus per Euangelium allata 21.25
Salutis securitas ex Dei dilectione 148.20
Salutis causam non esse naturalem 346.16
Salutis æternæ causæ 52.13
Salutis nostræ remedium 329.34
Salutis instrumenta 189.42
Salutis beneficium non obliuiscendum 85.43
Salutis certitudo à patribus edocta 130.46
Salutis præcipuus gradus 467.39
Saluti necessaria non debemus præterire 308.14
Salutem qui consequuntur 200.38
Salutem spe obtineri 308.27
Salutem quibus impertiat Paulus 7.23
Salutem nostram tutius deo committimus quàm nobis ipsis 407.35
Salutem nos non habere per opus innocationis 455.8
Salutem nostram non esse sitam in nostris manibus 367.3
Salutationes Apostolorum non inanes 9.8
Salutatio Pauli cur prolixior 1.25
Salui quomodo fiant qui uolunt 473.16
Samuelis exemplum 489.3
Sanctificatio 217.19
Sanctitas unde 8.9
Sanctitas quæ in primitijs & radice intelligenda sit 496.4
Sanctitas ubi sita 7.42
Sanctitas uocationem sequitur 8.2
Sanctitatis uox apud Augustinum 7.35
Sanctitate omnem quam facit quis extra fidem in perditionem suam facit 560.54
Sanctum quid 583.21
Sancti uox unde 7.38
Sancti qui sint ex Ambrosio 7.50
Sancti sine uerbo Dei posse falli 141.28
Sancti cur Deum ora[illegible]um faciant 9.43
Sancti adhuc intueri legem 226.35
Sancti cur se peccare dicant 72.32
Sancti de peccatis dolent 218.3
Sancti cur mutuò coniungi desiderent 14.54
Sancti semper indigere misericordia 221.31
Sancti qui à Deo castigantur 221.28
Sancti improborum pœnas patiuntur 72.26
Sancti quod proprium habent 583.34
Sancti cur hæsitent 141.33
Sancti quomodo se erga contingentia gerant 635.26
Sanctorum communio 125.5
Sanctorum uota non semper impleri 635.19
Sanctorum stirps & propagatio cur dicatur olea 497.39
Sanctis peccata prodesse 314.56
Sanctis & pijs licet orare contra impios 471.39
Sanctos præ cæteris egere 595.45
Sanctos utros rerum suarum esse liberales 337.39
Sanctos defunctos non esse orandos 324.38
Sanctos qui sunt in patria adhærere deo 377.30
Sanctos etiam peccare 240.29
Sanctos adhuc spem habere 142.19
Sanctissimus iuxta patres 150.16
Sancta uita ad quid pertineat 320.29
Sanctificari nomen Dei 57.45
Sanxit Deus ut homines sola fide sine labore iustificentur 579.23
Sapientia mundi huius 32.32
Sapientia & scientia in Deo & Christo simul coniunguntur 515.30
Sapientia duplex 505.34
Sapientiæ culmen 2.51
Sapientiam diuinam dirigere uitia in bonum finem 373.53
Sapientes mundi esse in carne iuxta Ambrosium 277.45
Sapientes cur animalia coluerint 34.46
Sarepta pagus ubi resuscitauit Helias puerum 470.7
Satanas quomodo debeat uinci 642.3
Satan cur dicatur ligatus 306.54
Satanæ astutia 78.15.18
Satanæ consilium 495.48
Satisfactio pro peccatis post primam iustificationem 87.31
Satisfactiones quæ requiruntur ante baptismum 88.14
Satisfactiones ueræ ecclesiasticæ à papismo 88.39

Saxones tempestate Caroli magni fidem Euangelij admisisse 263.28
Saulis exemplum de potentia Dei 422.25
Scandalum doctrinæ Pauli etiam nunc 197.9
Scandalum Iudæorum 350.22
Scandalizari imperitiores 62.10
Scelera tria & quatuor 184.34
Sedula Dei bonitas in Iudæis 468.12
Scholastici de obice ineptè loquuntur 114.25
Scholastici de gratia ex operibus 251.4
Scholasticorum sententia ridicula. 222.1
Scholasticorũ sententia de propagatione peccati 186.31.187.45
Scholasticorum sententia eadem cum pelagiana 260.14
Scholasticorum dictum de merito 100.36
Scholasticorum commenta pugnantia 118.16
Scholasticorũ error de gratia 193.49
Scholasticorum gratia uestis pendula 195.41
Scholasticorũ de creatione animæ sententia 153.14
Scholasticorum error de gratia 196.24
Scholasticorum sententiã de gratia cũ Pelagio consentire 195.9
Scholasticorũ inepta & impia sententia 251.53
Scholasticorum de fide error 128.4
Scholasticorũ doctrina de peccato originis 175.17
Scholasticos ad Pelagianos proximè accedere 191.52
Scholasticos sibi non constare 251.6
Scholiastis Græci error de peccato et gratia 161.15
Scotus regni Papistici propugnator 426.
Scientia firmiter assentit 84.13
Scientes posse moneri 631.27
Scriptura sancta ad salutem necessaria docere 225.48
Scriptura nihil habet quod non ædificet 476.48
Scripturæ sanctæ mos 149.17
Scripturæ & picturæ discrimen 41.4
Scripturam sæpe nominare res non ut sunt sed ut esse uidentur 446.19
Scripturam uelle nos mortificari 406.16.
Scripturam ad seueritatem & bonitatem Dei ubiq; nos inuitare 501.45
Scripturæ circa quæ uersentur 308.17
Scripturæ quomodo sint legendæ 626.3
Scripturæ quibus magis necessariæ 74.39
Scripturæ necessariæ 74.30
Scripturæ exempla ad quid 469.46
Scripturarum esse patientiam & consolationem 626.58
Scripturarum diuinarum utilitas 626.29
Scripturis aut testamento nihil addendum 83.48
Scripturas non loqui pugnantia 568.21
Scripturas accommodare se infirmitati nostræ 350.7
Scripturas qui prohibent quàm peccent 74.30
Scopus finis legum 448.24
Scopus sanctæ scripturæ 235.18
Scortatio adulterio minor 45.46
Scyllæum bonum 32.12
Seculum quid significet 584.16
Secreta aliqua Dei spiritu eius intelligere possumus 515.50
Securitatis uitio omnia retro sublapsa feruntur 507.39
Sedere ad dextram Dei 323.2
Seditiosis grauia imminent supplicia 605.34
Senecæ grauissimum dictum 587.38
Semen delectum in sanctis 56.32
Semen electionis superesse in gente Iudaica 504.44
Semen relictum 399.16
Sententia de iustificatione perspicua 76.29
Sententia nostra de gratia inflammatur ad bona opera 197.17
Sententiæ obscuræ Pauli summa 243.28
Sententiarij cuiusdam error 127.24
Sensus noster 329.1
Sensus doctrinæ Pauli nos esse assequutos 197.13
Sensus compositus 435.5
Sensum aliorum in nos esse transferendum 599.40
Sensum nostrum iusto dolore debemus accommodare 599.38
Sepulchri metaphora 73.31
Septimana uitæ tempus 116.46
Septenarius numerus 184.30
Sermo de gentibus 466.36
Seruatoris imago in Laterano 42.15
Seruatorem nostrum Christum habuisse maiorem copiam spiritus 604.9
Senatores apud Romanos dicti sunt patres conscripti 603.52
Seruandi non sint omnes homines 514.9
Seruitus 215.36
Seruitus Christiana duplex 2.17
Seruitus ciuilis 238.40
Seruitus est cultus 2.44
Seruitus miserrima 65.12
Seruitus unde orta 213.34
Seruitus peccati ciuili grauior 238.42
Seruitutis genera 2.54
Serui cur sic appellati 213.32
Serui minus 1.42
Serui quid sit proprium 1.33
Serui inutiles 52.25
Serui iustitia quando simus 213.26. 214.2
Serui Emptitij conditio 239.44
Serui non est quærere consilia Domini sui 17.3
Serui nos Christi quantum à Dei seruitute distemus 1.42
Seruorum mundi & Dei collatio 1.41.21
Seruos nos esse 248.45
Seruire Deo 2.29
Seruire Deo in carne 13.6
Seruire Deo in Euangelio 13.20
Seruire spiritu 11.17.12.36
Seueritas & lenitas in uitiosis iudicib. 49.13
Seueritatis Dei specimina 51.33
Siclum sanctum fidei nostræ formam tenere 570.38
Simile Papistarum de operibus 260.31
Simile de scholasticis 252.14
Simile de peccatoribus 70.27
Simile de iustitia originis 171.50
Simile de certitudine salutis 124.48. 126.57.
Simile de Baptismo 199.22
Simile de cupiditatibus 189.12
Simile de pijs 136.49
Simile de genealogia nostri ad Deum 125.23
Simile ex promissione legis 124.5
Simile de nobilitate Christianorum 143.33
Simile de lege iram operante 122.30
Simile de spe 140.26
Simile de tolerantia 137.1
Simile in sophistas Papistas 138.54
Simile de gratia 159.1.193.34.196.17
Simile de lege 188.28.191.12.232.16
Simile de prauo ingenio 168.6.53
Simile de sacramentis 116.13
Simile de fide & operibus 76.26
Simile de gratia & uoluntate 196.45
Simile duarum matrum 290.31
Simile pœnitentiæ 198.42
Simile de fide iustificante 76.38
Simile de contrarijs 228.10
Simile de iure regni cœlorum 203.42
Simile de conscientia 233.53
Simile de afflictionibus 136.2
Simile de peccatorũ multitudine 237.3

Simile

Simile de peccatorum multitudine 237.3
Simile de captiuitate nostra 238.10
Simile de libertate captiuorum 268.14
Simile de liberatione nostra 269.2
Simile de imperfectis 252.38
Simile Chrysost. de anima sine fide 255.34
Simile ad gentes spectans 64.20
Simile de operibus legis 74.20
Simile de operibus legis 76.50
Similia duo legis 79.27
Similia de pijs hominibus 244.31
Similitudinis uox apud Apostolum 272.20
Similitudines sæpe claudicare 387.9
Simulacrum tantum uituperandum 76.52
Simulacra comminisci quid 33.49
Simonis Magi exemplum 428.49
Significatio nominis Iesu 568.42
Significatio uerbi iustificandi 517.9
Signum 106.28
Signi distinctio 106.31
Signa duplicia 104.20
Signa utilia etiam si non adsint 204.11
Signa non posse fieri absq; fide 553.50
Signa cur sancti uiri petierint 129.25
Signa quibus rebus addantur 107.22
Signorum analogia 107.4
Signis qui utuntur triplex genus 112.48
συνεργους Cooperatores 640.22
συναγωνίσασθαι 638.40
Smithæus de iustificatione 557. 5. 575.35.577.15.568.36
Socrates à Platone taxatur 34.31
Socrates cur legi non satisfecerit 237.26
Sophistarum & Iudæorum æqualis error 472.33
Somnus quid 608.32
Sola fide iustificari quomodo accipiendum 85.18
Sola fide iustificari apud Ambrosium 102.19
Solam esse charitatem quæ cor mundum efficiat 578.17
Solem Lunam & stellas non ingemiscere 298.12
Solem accepturum mercedem laboris 304.22
Solicitudo Pauli erga Ecclesias 14.47
Solicitudo hominum 364.53
Solon de parricidio cur legem non tulerit 189.17
Solonis dictum 144.34
Sophistæ ceu hydræ 258.11
σωφροσύνην interdum significare pudicitiam 586.56
Spes duplex 142.4
Spes mala 142.12
Spes & promissio quæ certa sit 141.20
Spes facit lætos & tristes 594.57
Spes piorum cui nitatur 138.5
Spes beneficiorum cogitatione roboratur 142.38
Spes expectationem cõtinere 140.20
Spes anchora in hac uita 142.31
Spes cur data nobis 140.49
Spes inconcussa cur 143.39
Spes scripturis confirmatur 142.41
Spes circa difficilia 140.23
Spes cathena dicitur 141.35
Spes nostra quos habeat comites 142.23
Spei definitio 140.13
Spei & fidei certitudo par 138.39
Spei naturæ explicatio 594.55
Spei certitudo 139.13
Spei definitio absurda 138.10.302.10.309.5
Spei nostræ causæ 311.1
Spei ingenium & natura tractatur 137.53
Spei & fidei discrimen 140.47
Spei certitudo ex certitudine fidei 138.31.308.57
Spei uirtus 139.15
Spei certitudo unde oriatur 139.20
Spei non est locus in patria 142.18
Spei & fidei eadem proprietas 137.119
Spei tribuendam esse ὑποστασιν 519.8
Spem nostram quid erigat 148.55
Spem res absentes facere præsentes 595.11
Spem ueram in patria non inueniri 142.30
Spem esse arduorum sed non impossibilium 595.2
Spem non abijcere piorum esse 139.35
Spem Papistæ præsumptionem uocant 141.7
Spem ex fide, ut ex fonte oriri 629.48
Spem ex meritis non pendere, ut sophistæ 137.40
Spem nostram propter prædestinationem non frangi 407.28
Spem ab operibus non pendere 137.28
Spem aduersari dubitationi 311.51
Spem dari à spiritu sancto 300.7
Spem accipi pro re 308.39
Spem augeri patientia 311.29
Spe salui facti sumus 677.39
Spe fide posterior 140.10
Spe seruari 311.3
Sperando quid spectare debeamus 312.7
Sperantem in misericordia Dei circumdabit 561.32
Speciosa opera obstare saluti 445.31
Spiritus quid sit 286.49
Spiritus sanctus est Deus 589.15
Spiritus Dei 278.2
Spiritus Christi initium nostræ restitutionis 282.22
Spiritus Christi fœcundus 224.46
Spiritus sanctus an à Deo creatus sit 507.6
Spiritus sancti effusio quod signum 6.26
Spiritus proprium est uiuificare 235.28
Spiritus sanctus liberrimus 269.46
Spiritus uitæ 268.24
Spiritus primitiæ 298.43
Spiritus timoris & adoptionis 284.49
Spiritus noster 283.7
Spiritus cur dicatur scrutari corda 314.18
Spiritus sanctus quomodo adsit in nondum regeneratis 562.25
Spiritus scrutatur profunda 72.55
Spiritus Dei in quibus habitet 278.9
Spiritus cur confundere nos non possit 143.51
Spiritus cur clamet 313.49
Spiritus adoptionis 286.40
Spiritus & litera 65.38.51
Spiritus idem quod mens 10.51
Spiritus sanctus quomodo detur homini ante fidem 561.48
Spiritus imperium carnis non fert 278.24
Spiritus seruitutis 286.41
Spiritus erroris 378.10
Spiritus & legis discrimen 228.41
Spiritus dilectionis 638.16
Spiritus in Euangelio 284.57
Spiritus & gratia bonorum operum principia 424.6
Spiritus nomina quid significetur 205.57
Spiritus sancti dona 291.15
Spiritus sancti solertia in Paulo 353.16
Spiritus fructus 275.5
Spiritus sancti dona multa esse 291.28
Spiritus sancti testimonium de salute 124.27
Spiritus sancti esse quod fit in Baptismo 347.7
Spiritus uirtutes 378.31
Spiritus sancti bonitas 390.45
Spiritus sancti effusio in Baptismo 203.16
Spiritus affectus 274.47
Spiritus & literæ antithesis 226.53
Spiritus & literæ discrimen refellitur 227.5

ſpiritui ſanctonon ſine certa ratione tribui principium fidei 562.52
ſpiritui tributur nouitas uitæ 226.50
ſpiritui ſeſe addicere 279.1
ſpiritum eſſe uitam 280.36
ſpiritum ſanctum & præcedere & poſt ire fidem 94.6
ſpiritum ſanctum coniungi uoluntati noſtræ in opere fidei 452.2
ſpiritum ſanctum eſſe primum principium diuinæ charitatis 329.10
ſpiritum Dei eſſe principium adoptionis 284.37
ſpiritum adoptionis non eſſe perfectũ 287.45
ſpiritum Dei neminem decipere 289.33
ſpiritum adeſſe Eccleſiæ 69.44
ſpiritum obtinere primas 278.20
ſpiritum uoluntatem immutare 452.3
ſpiritum ſanctum eſſe potentiorem infirmitate noſtra 312.18
ſpiritum duo ſecum adferre 284.43
ſpiritum teſtimonium perhibere ſpiritui noſtro 562.3
ſpiritum ſanctum accipi pro dono 312.50
ſpiritum condemnationem ſuſtuliſſe 281.40
ſpiritum pugnare aduerſus carnem 440.47
ſpiritum excutere 442.41
ſpiritum quandoq; ſignificare animũ noſtrum 593.39
ſpiritu adoptamur 143.16
ſpiritu unimur cum Chriſto 278.27
ſpiritus malos eſſe 330.34
ſpiritualia beneficia ſequi populum 354.20
ſpiritualium & carnalium hominum diuerſa certandi ratio 602.53
ſponte 250.36
ſponte & neceſſario in uoluntate coniungi 250.38
ſtatus Chriſti 146.43
ſtatus noſter quomodo dicatur 613.9
ſtatus noſtræ conditionis 146.43
ſtatus non regeneratorum 145.21
ſtatuarum cultum defendere 445.45
ſtultitiam eſſe priuationem ueræ ſapientiæ 465.31
ſtoicorum ἀπάθεια 39.9
στοφολογίαε 557.21
στοχή quid 592.31
ſtipendium iuſtitiæ uita æterna 544.16
ſtupiditas explicata non obſcura oratione tollitur 478.50
ſtudium noſtrum & conatum non eſſe abijciendum 405.40
ſtudium Dei 466.1
ſtudia & præparationes natura ſua nil iuuant 534.41
ſtulti cur nominentur 465.37
ſubſtantia carnis 283.53
ſubſtantia rerum 305.17
ſubſtinere Pharaonem 357.22
ſubtrahere ſeipſum Deo eſt ſacrilegiũ 582.36
ſucceſſus expectandi in operibus electorum 14.39
Sufficientiam à ſolo Deo habemus 563.4
Sufficientia omnis noſtra ex Deo eſt 499.13
Sufficientiam noſtram ex Deo eſſe 398.37
Summa futuræ admonitionis 586.27
Summam Euangelij eſſe noſtram reconciliationem cum Deo 494.7
Summa quarti capitis 96.1
Summa Chriſtianiſmi 448.47
Summi boni definitio 297.45
Summus in Eccleſia proficere poteſt 16.8
Superſtitioſi quibus nominibus perſtringantur 615.27
Supplicium impiorum cur differtur 50.4
Supplicium aliorum, noſtra admonitio 49.56
Suſurrones 46.4
Suſpicio in fide 84.12
Symmacus quid de adorando Deo ſentiet 34.11
Symmachi oratio de Idolorum cultu reſtituendo 34.9
Sympathia inter animam & corpus 185.14
Symbolum Athanaſij 519.38
Symbolum habet analogiam cum re ſignata 202.43
Symbolis non conuenire ſæpe quæ illis attribuuntur 107.9
Synodorum ſimile à Chryſoſtomo 15.10

T

TAlionis lex uſitata Deo 506.5
ταπεινοφροσύνη uirtus modeſtiæ 421.49
θεοστυγεῖς Epitheton Impiorum 46.7
ταπείνωσις uilitas & abiectio 421.52
τέλος duo ſignificat 448.15
θρήσκεια 11.50
Temperanti quid maxime conueniat 587.22
Templum Domini ſorte tribus Beniamin ædificatur 469
Templa cur conſtructa 42.54
Tempus abſq; lege, quibus 233.2
Temporum iuxta ſcripturam diſtinctio 613
Tentatio duplex 38.37.47
Tentatio eadem bona & mala 38.42
Tentatio cuius Deus non eſt autor 38.51
Tentationes ſæpe nobis prodeſſe 642.12
Terra cur reddatur ſterilis 354.49
Terram bonam eſſe electos 376.16
Terram ſterilem eſſe reprobos 376.17
Tertullianus putat orandum per mora finis 487.7
Tertullianus fidem integram habere ſecuritatem ſalutis 560.26
Tertulliani ſententia de baptiſmo infan. 204.53
Tertullianum traduci fauere 152.13
Teſtamentum unde dicatur 510.49
Teſtamentum quibus uocabulis appelletur 510.47
Teſtamentum à Deo cum Abramo eſſe ictum 561.13
Teſtamentum uetus an antiquatum 111.16
Teſtamentum uetus & nouum diuerſa omnino ſunt 509.25
Teſtamentum uetus ad nos pertinere 626.15
Teſtamentum uetus habuit iuſtificationem 509.46
Teſtamentum nouum & uetus non opponi 66.36
Teſtamentum cur nouum dicatur 58.32
Teſtamenti ueteris & noui eadem ſubſtantia, accidentia diuerſa 509.43
Teſtamenti utriusq; idem mediator 509.32
Teſtamenti utriusq; ſacramentorum ſignificatio eadem 509.39
Teſtimonium Deo omnia mundana dant 29.50
Teſtimonia grauiſsima 327.22
Teſtimonia de fide iuſtificante 82.49
Teſtimonia peculiaria de Chriſto 82.44
Teſtimonia ſcripturarum parum nobis prodeſſe 396.43
Teſtimoniorum de Chriſto genus aliud 82.55
Tetragrammaton nomen 8.48
Theſaurizare conuenit impijs 51.22
Theophylactus in cap. 3. ad Galatas 579.40
Theologi ſcholaſtici qui 614.48
Timotheus à Paulo circunciſus 617.35, 629.26
Theodoritus hiſtoriarum ſcriptor 471.8

Theodori testimonium uerissimum de dierum obseruatione 617.1
Thomæ argumentum de gratia infirmum 194.44
Timor quotuplex 290.15.27
Timor piorum 290.2
Timor seruilis sit ne utilis 290.36
Timor seruilis quomodo dicatur utilis 540.9
Timor Christi 291.25
Timor ueterum 286.18
Timor à potestatibus est molestus 606. 46
Timor Petri & Iudæ 291.2
Timoris definitio 290.10
Timoris seruilis & filialis distinctio 291.4
Timoris separatio 291.6
Timoris & fidei coniunctio 291.8
Timoris sustentatio 292.17
Timoris auocatio 291.13
Timoris & securitatis consensio 292. 45
Timorem Dei esse in electis 292.32
Timorem coniunctum esse cum uera fide 554.19
Timorem pellere foras 290. 23
Timorem scholasticos addidisse 290.54
Timore offensionis ueritatem non esse deserendam 404.17
Timore filiali sanctos carere non posse 291.44
Timores quatuor 290.48
Tolerantia sanctorum 53.32
Tolerãtia Dei electis prodest 49.34.45
Tolerantia nobis ex Deo 221.54
Tolerantia & lenitas Dei hîc finit in impios 50.54
Tolerantia rerum aduersarum 295.41
Tolerantiæ difficultas 295.53
Tractus Dei 214.47
Tractus diuini motus 215. 32
Tractus cum uoluptate 215.7
Tradere concupiscentijs quid 35.20
Tradere esse permittere cur 35.32
Tradere, obdurare, obcæcare quid 36.10.37.12
Tradere in affectus ter dixit Apostolus 45.9
Traditiones humanas qd oppugnet 132
Trahendi sponte non ire 248.57
Translationum uarietas unde 24.39
Transitus cœli & terræ 305.54
Transitio 627.35
Transgressor 63.50
Tranquillitatem ecclesiarum esse expetendam 504 49
Traxerit, cur non duxerit 214.53
Tria requiri in martyrio 327.27
Tria munera prophetiæ distinguuntur 590.52
Tribus Beniamin nobilis 469.11
Tribulationem patientiam operari 597.49
Tribulationum diuersa effecta 136.27
Tributum hominum conscientiam monere 610.11
Tribututum duplici de causa soluitur 610.6
Tributa & uectigalia nerui sunt Reipublicæ 610.5
Triplex commendatio Phœbes 640.8
Tristia pijs uerti in læta 484.29
Triumphi lætitia 246.8
Tropus cui maximè conueniat 266.35
Tropus Pighij non conuenire cum uerbis Pauli 376.22
Tropus in uerbis domini hoc est 272.21
Turbæ et incommoda non sunt reijcienda in Euangelium 20.25
Turcæ nullas habent imagines 41.25
Turcæ non habent ueram fidem 532. 20
Turcas colere figmentum & pro eo pugnare 446.17
Turcas Deum non colere 446.14

V

Valerius Max. de seueritate Dei sententia 51.3
Valentinorum error 458.40
Valetudinis cura semper habenda 613. 53
Varro quomodo mensam appellarit 483.1
Vanitas apud Deum 300.52
Varronis testimonium 505.20
Vanum 31.55
Vas electionis 390.4
Vasa iræ fieri à Deo 392.43
Vasa significare instrumenta 389.57
Vasa aptata ad iram 414.1
Vasa aptata in interitum 392.46
Vasa iræ 370.49
Vasa misericordiæ 391.56
Vasorum diuersitas 390.26
Vaticinia Prophetarum 307.8
Velle bonum à quo 242.15
Ventilabrum Christi 398.3
Venus damnata 39.34
Venundatio nostra gratis 238.19
Venter quorũ hominũ sit Deus 475.15
Venundari Hebræis quid sit 238.35
Versari nos inter duas cogitationes 500.16
Verbum Dei consistere sine fide 460.11
Verbum ante ecclesiam 126.26
Verbum fidei cur appellet Euangelium 452.9
Verbum Dei esse prædicandum nõ traditiones humanas 460.21
uerbum quod Baptismo adiungitur 202.50
uerbum non statim fructificare 69.35
uerbum non accipere authoritatem ab Ecclesia 126.28
uerbum dei esse instrumentum 461.23
uerbum dei relinquere non est æquum 590. 45
uerbum Dei diuersæ est efficaciæ in pijs & electis 476.4
uerbi Dei pondus 116.34
uerbi Dei uis 3.1
uerbo Dei falsa doctrina discernitur à uera 641.24
uerba Christi adferre uitam 449.44
uerba Dei Pharaoni instrumenta indurationis 37.21
uerba Dei opulentissimus thesaurus 62.25
uerba Christi non peritura 430.42
uerborum seriem non debere mutari 386.25
uerba promissionis sine spiritu inutilia esse 508.45
ueritas omnis à Deo & quomodo 29.1
ueritas promissionum Dei 385.2
ueritas in se ipsa nil pati 27.15
ueritas scripturis magis reuelari, quàm natura 28.3
ueritas & scripturis non ex patribus 421.35
ueritas infusa cur efficacior acquisita 27.46
ueritas iniustitia detenta quæ 28.13
ueritatis hebraicæ discrimen 366.54
ueritatis doctrina impios damnat 30.52
ueritatis hostibus quomodo resistendũ 617.46
ueritatem locum habuisse in gentium cooptatione 628.41
ueritatem conciliasse Apostolis ingens odium 466.13
ueritatem Euangelij sanctificare 463.5
ueritatem detineri in iniustitia quid 27.29
ueritatem qui captiuam detineant quibus cathenis uinciantur 27. 4
ueritatem de prædestinatione non esse tacendam 406.50
uera fides trahit secum omnes bonos animi motus 532.15
ueræ fidei coniuncta est summa fiducia 517.53
ueram fidem nunquam esse solam 503. 25
ueram fidem non posse diuidi à charitate 572.20
ueram fidem non inueniri sine charitate 573.15

Veram fidem non esse rem mortuam 557.26
Veram iustificationem non esse quæ caret fructibus bonæ uitæ 578.40
Vera nobilitas 342.13
Veri Iudæi 637.16
Vesta 495.48
Vestire nudum an peccatum sit 259.28
Vetustum quid dicatur 226.54
Vetus homo 205.27
Vetus Testamentum ad nos pertinere 66.30
Veteris & noui Testamenti discrimen 58.11
Veteres filij Dei per Christum 83.15
Veteres per fatum intellexisse uoluntatem diuinam 346.14
Veteres fuisse filios Dei per adoptionem 286.27
Veteres patres à uocula sola non abhorruisse 579.47
Veteres fuisse seruos 287.32
Veteris Testamenti textus à Iudæis nõ est corruptus 479.48
Victoria quomodo debeat accipi 642.11
Victimæ cur offerrentur 581.49
Victimas Dei oportet nos esse non ui sed ex animo 583.4
Victimarum immolationes hodie nullæ 273.30
Victimarum mactationes quid 273.19
Vigilia quid 608.31
Vim ui repellere ut liceat 602.3
Vim ui repellere num liceat 601.52
Vintonienſis opinio 577.57
Violentum 250.34.317.27
Virgilius de apibus 462.35
Viri mumia 224.27
Viri Ecclesiastici an sint exempti à tributis 607.1
Vires dicendi pertinere ad dona Dei 326.21
Vires nostræ fractæ 136.38
Virium humanarum infirmitas 87.14
Virtus heroica 337.9
Virtus serpentis in prima tentatione quódnam sit 515.3
Virtutes morales 309.53
Virtutes in homine unde 175.45
Virtutes à numine dari 251.3
Virtutes intellectus cum uitijs non pugnare 128.10
Virtutum productionis ordo 309.21
Vita quid 275.9
Vita duplex 153.54
Vita Dei 210.14
Vita iustitiæ comes 161.7
Vita fidei unde sit 557.28
Vita æterna ueræ iustitiæ deberi 220.11
Vita æterna ex misericordia dari 221.38
Vita æterna quibus detur 53.11
Vita æterna quomodo merces dicitur 52.46
Vita æterna merces per similitudinem 99.51
Vita æterna merces dicitur, cur non etiam iustificatio 99.42
Vita æterna operibus reddi 270.39
Vita æterna quomodo detur operibus 52.50
Vita æterna gratiæ nomine appellari 219.20
Vita æterna cur non dicatur stipendiũ iustitiæ 222.23
Vita post regenerationem 207.18
Vita quæ in Christo agitur spiritu 143.21
Vita fidelium ab æterna in quo differat 25.16
Vita noua gradus habet 200.11
Vita sancta 219.46
Vita pura 280.56
Vita res præclara 53.8
Vitæ abscondita 296.24
Vita damnatorum 283.33
Vitæ æternæ causa 218.57
Vitæ nostræ scopus 224.8
Vitam æternam esse cognoscere uerum Deum 577.56
Vitam æternam sequi ex amore Dei 352.25
Vitam æternam superare omnes labores 296.17
Vitam æternam ueteribus esse promissam 285.53
Vitam ueterem legere 200.27
Vitam haberi solum per manducationem sacramenti 575.14
Vitam impuram uacillare in fide 571.23
Viuere quomodo debeamus 287.9
Viuere Christianorum more 583.8
Vitia cur dicantur opera tenebrarum 613.20
Vitia cur augeantur 225.57
Vitia ex peccato originis orta 173.37
Vitia quæ dicantur 583.3
Vocatio Dei quotuplex 360.53
Vocatio duplex 430.9
Vocatio gentium in scripturis 396.40
Vocatio singularis 131.27
Vocatio summi boni principium 56.25
Vocatio ad Christum unde ortum habeat 3.39
Vocatio Gentium an cuiquam peculiariter fuerit promissa 628.49
Vocatio & Dei dona sunt absque pœnitentia 511.46
Vocationis distinctio 316.5
Vocationi diuinæ impedimenta non ponenda 17.46
Vocationem duplicem 231.21.376.2
Vocationem constantem esse 316.9
Vocationem efficacem esse 394.52
Vocatio uniuersalis quæ 131.25
Vocationem Dei qui sequitur felix 18.49
Vocationem Ecclesiasticam non esse fugiendam 588.28
Vocationum singularium fructus 131.30
Vocationum diuersitas unde 27.51
Vocare quid sit 366.13
Vocare Dei 3.2
Vocare non latius patere quàm iustificare 318.42
Vocem solam idoneam esse ad operariorum errores refutandos 578.50
Voces impiorum 319.38
Vocabula hostia & uictima 582.44
Vocati qui sint Ambrosio 7.55
Vocati nomen 7.15
Vocabulum fidei quid sibi uelit 507.28
Voluntas Dei robusta 379.52
Voluntas deprauata 174.10
Voluntas à Deo mutata non otiosa 295.27
Voluntas sancta ex fide & spe 138.24
Voluntas iniusta 337.20
Voluntas libera 246.45
Voluntas Dei nostra sanctificatio 379.5
Voluntas ad peccandum non cogi 250.39
Voluntas Dei reuelata 422.35
Voluntas à Deo immutari 220.29
Voluntas Dei erga nos plurimus indicijs patefit 432.50
Voluntas à Deo mutari 195.23.
Voluntas patris 566.26
Voluntas non relaxari 216.45
Voluntas benignissima Christi in Iudæos 432.57
Voluntas bona ex spiritu sancto 243.36
Voluntas & intelligentia quomodo se habeant ad fidem 451.54
Voluntas piorum erga legem 244.15
Voluntas cogi non posse 250.40
Voluntas in nobis latius patet quàm potestas 504.19

Voluntas per se bona uelle non posse 195.54
Voluntas antecedentis & consequentis 380.54
Voluntatis iura intacta 250.19
Voluntatis assensus ex gratia conceditur 473.17
Voluntatis Dei rationes in sacris 414.16
Voluntatis humanæ motus Stoici extra fatum posuerunt 438.27
Voluntatis esse ut amplectatur id quod Deus offert 576.2
Voluntati Dei neminem posse resistere 538.51
Voluntatem Dei esse primam iustitiam 362.5
Voluntatem solùm esse in figulo 386.10
Voluntatem et potentiam Dei non esse Tyrannicam 386.41
Voluntatem præscientiæ non inuertere naturas 346.32
Voluntatem patris qui fecerit ingreditur regnum cœlorum 568.18
Voluntatem Dei esse coniunctam cum iustitia 386.11
Voluntatem à Deo tales accipere motus quales ille uult 440.15
Voluntatem bonam esse donum Dei 360.48
Voluntatem non excitari tantùm sed moueri à Deo 194.53
Voluntatẽ nostram non præcedere omnia dona Dei 367.45
Voluntatem nostram præcedere multa dona Dei 367.43
Voluntatem nostram inter cãusam esse ponendam 438.56
Voluntatem nostram habere aptitudinem 435.40
Voluntatem nostram non esse regulam diuinæ electionis 377.5
Voluntatem nostram esse ut simus aut boni aut mali 381.29
Voluntates nostras non esse liberandas à præscientia Dei 439.22
Voluntates hominum non esse obfirmatas 361.1
Voluptas quid 215.10
Voluptas an ex peccato capiatur 444.5
Voluptas concubitus non mala 153.22
Voluptas non parua herbarum uires contemplari 444.21
Vota desideria schalæ sunt ad Deum 14.21
Vltio Dei 51.39
Vltio tradi in reprobum sensum 26.51
Vlpianus de mero imperio 609.36
Vmbræ duplices 110.47
Vmbræ mortis & resurrectionis Christi 83.7
Vnctio à Basilio ex scripturis non statui 107.50
Vnctio extrema signum inane 107.40
Vniuersales materias quo debeant contrahi 555.11
Vsus sacrorum 308.15
Vsus noster rectus 75.52
Vsibus sanctorum esse communicandum 596.20
Vtile fuit Pauli ministerio eleemosynas colligere 637.8
Vtilia omnia esse in oratione dominica 313.20
Vxoris probæ officium 225.8

Z

Zachariæ pœna infidelitati congrua 128.46
Zelus bonus & malus 443.28
Zelus Iudæorum cæcus 443.21
Zeli definitio 443.26
Zeli boni & mali causa 443.35
Zeli boni & mali ingens discrimen 443.45
Zelo bono accensum esse Christum 443.46
Zelo non statim esse cedendum 445.34.35
Zelo immoderato accensum Petrum 443.50
Zelo malo afficiebantur Iudæi 444.2
Zelo cæco passim miseram plebem laborare 445.54
Zelum bonum charitatem parere 443.52
Zelum malum odium parere 443.52
Zelum Iudæorum fuisse peccatum 444.67

FINIS.

75819-R

1831
1832